CORNELII A LAPIDE

COMMENTARIA

IN

SCRIPTURAM SACRAM

18

BS1145
L3
v.18
1891

85406

EX LIBRIS
HEMETHERII VALVERDE TELLEZ
Episcopi Leonensis

1080014758



UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS

COMMENTARIA

IN

SCRIPTURAM SACRAM

R. P. CORNELII A LAPIDE

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

COMMENTARIA

IN

SCRIPTURAM SACRAM

R. P. CORNELII A LAPIDE

E SOCIETATE JESU,

SANCTÆ SCRIPTURÆ OLIM LOVANII, POSTEA ROMÆ PROFESSORIS,

ACCURATE RECOGNOVIT AC NOTIS ILLUSTRAVIT

AUGUSTINUS CRAMPON,

INCARDINATUS AMBIANI, PRESBYTER.

EDITIO NOVA

ACCURATE EXPURGATA MENDIS QUÆ IN PRIOREM IRREPSERANT

TOMUS DECIMUS OCTAVUS

IN EPISTOLAS DIVI PAULI

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
Biblioteca Raúl Rivera y Tellez

PARISIIS

APUD LUDOVICUM VIVÈS, BIBLIOPOLAM EDITOREM

13, VIA VULGO DICTA DELAMBRE, 13

MDCCCXCI

CAPILLA ALFONSINA
UANL
85406

BS1145
.63
V.8
1891

UNIVERSIDAD AUTONOMA DE NUEVO LEON
ALERE FLAMMAM VERITATIS

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

FONDO EMETERIO VALVERDE Y TELLEZ

ILLUSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO DOMINO

D. MATTHIÆ HOVIO

ARCHIEPISCOPO MECHLINIENSI.

S. Ambrosius, exemplar et speculum Pastorum et Pontificum, Illustrissime et Reverendissime Domine, Sacerdotibus et Præsulibus adeo impense commendare solebat studium S. Scripturæ, ut eam vocaret *librum sacerdotalem*, qua in re secutus est magnum illum et cœlestem Dionysium, qui S. Pauli discipulus et admirator (Paulum enim ipse virum divinum et secundum solem vocat, et suspicit) asseverat *S. Scripturam esse substantiam sacerdotii nostri.*

Atque ne plus dixisse quam fecisse videretur Ambrosius, hujusce rei seipsum exemplum præbuit : illius enim continuus et indefessus labor in S. Scriptura tum legenda et perscrutanda, tum voce et scripto explananda liquido patet, partim ex commentariis et tractatibus, quos in illam multos et luculentos edidit; partim ex sermonibus et concionibus, quibus quasi strenuus Ecclesiæ Pastor populum suum assidue verbo Dei pavit et instruxit : quarum quanta fuerit vis et energia vel ex eo conjicere licet, quod iisdem S. Augustinum, jam tum Manichæum, et in hæresi sua æque doctum ac pertinacem, ad sanam fidem converterit, Ecclesiæque Catholicæ (quale lumen!) restituerit, imo dederit.

Quinimo hinc S. Scripturæ studio non tantum vigens valensque jugiter insudavit, sed et senescens eidem continue incumbere, adeoque immori voluit S. Ambrosius : nam usque ad ultimam ægritudinem suam, ait Paulinus, non cessavit unquam scribere, commentari et exponere sacras Litteras; ac denique commentationi *Psalm.* xlvii : « Magnus Dominus et laudabilis nimis, » immortuus est : unde et commentarium in eum inabsolutum reliquit, duobus ultimis ejus versibus intactis, quo tempore sphæra ignea cœlitus demissa caput ejus cingens et allambens, evidens signum et testimonium dedit, hosce ejus commentarios a Deo et Spiritu Sancto non tantum probari, sed et ab eodem aspiratos et suggestos fuisse; perinde ac alias eidem S. Ambrosio contra Arianos disputanti

007691

et decertanti S. Paulus corporea specie noctu apparens, tam eum, quam ejus dicta et scripta confirmavit et roboravit.

S. Ambrosium secutus est per omnia hoc sæculo B. Carolus Borromæus, novus Mediolanensium Ambrosius, qui S. Scripturam suis Clericis et Pastoribus tam verbo, quam exemplo studiose commendavit. Solebat enim ipse eam assidue evolvere, et populo explanare, idque tanto studio, devotione et reverentia, ut ultimis vitæ suæ annis S. Scripturam, quasi ipsissimas Dei ad homines litteras, non nisi nudo capite et flexis genibus venerabundus lectitaret.

Fuit B. Borromæus Mediolanensium, tu, Illustrissime Domine, noster Belgarum es Ambrosius, ac proinde instar Ambrosii et ipse S. Scriptura mire delectaris, et eamdem tuis impense commendas. Hausit e S. Scriptura atque in primis e S. Paulo Ambrosius doctrinam sanam, vitæ innocentiam, comitate mixtam morum gravitatem, spiritum Episcopalem, imo Apostolicum; hausisti pariter et tu, ac vita tua ita exprimis illud S. Pauli ad Titum : « In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum sanum, irreprehensibile, ut is qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis; » ut omnes hoc Paulinum Archiepiscopi schema in moribus tuis, quasi in viva idea descriptum et depictum non tam legere, quam videre et cominus intueri sibi videantur.

Fuit S. Ambrosius hæresomastyx, atque Arianos undique persecutus est et profligavit : flagellum hæreticorum similiter es, Illustrissime Domine, adeo ut in tota Flandria nullæ urbes magis intactæ sint ab hæresi, quam tua Mechlinia, Lovanium et Bruxella : quod eo mirabilius et illustrius est, quo magis hic undique hæreticis cingimur, et pene commiscemur. Facit hoc tua strenua vigilantia et auctoritas, quam ipsi etiam hæretici ita suspiciunt, timent et reverentur, ut in hisce cum Hollandis induciis in tua diœcesi non dico nidulari, sed vel hæreses suas profiteri et palam facere non audeant. Vidimus in hoc genere nuper novum illum dogmatistenP., non Paulum, secreto suos errores magno multorum favore, pariter et periculo spargentem, a te detegi, revinci, suaque dogmata ejurare, itaque grande incendium, quod Brabantis imminebat, in ipso fomite restinxisti.

S. Ambrosius, epist. ad Marcellinam sororem. In S. Ambrosio enituit invicta animi magnitudo, libertas et constantia, qua et Justinæ Imperatricis Arianæ audaciam, et Maximi Eugeniique tyrannidem repressit, nec minas, nec mortem veritus; quin et Calligono, Imperatoris eunucho, cædem minitanti placido et hilari vultu respondit : « Deus permittat tibi ut impleas quod minaris : ego enim patiar quod Episcopi, tu facies quod spadonis. »

Theodosium vero Imperatorem peccantem quam libere et redarguit et in ordinem redegit! cui proinde Theodosius apud Nectarium, Patriarcham Constantinopolitanum, illud elogium dedit : « Solum Ambrosium novi Episcopum dignum eo nomine : hic veritatis magister est, qui me docuit quid inter Imperatorem et Episcopum intersit. »

Integritatem et constantiam tuam, Illustrissime Domine, norunt et experti sunt summi juxta ac infimi, ejusque opinionem et famam apud omnes ita certam, itaque ex tot annorum usu et experientia quasi præscriptione firmatam vindicas et obtines, ut citius vitam quam constantiam, Illustrissimam R. T. dimissuram cuncti existiment; quo fit ut nemo, etiamsi potentissimus sit, ab ea petere aliquid audeat, quod vel in minimo æquitatis, aut disciplinæ Ecclesiasticæ cancellos, non dico transgredi, sed vel prætergredi videatur : qua in re dictitant illud, quod de Chrysostomo olim celebratum est : Archiepiscopus Mechliniensis nil nisi peccatum timet; nimirum cum Timotheo et S. Paulo didicisti illud : « Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis. »

S. Ambrosius Mediolanensem Rempublicam et Ecclesiam pravis moribus et vitiis infectam et corruptam expurgavit, pristinæque integritati et splendori restituit, atque aliud quasi Mediolanum, perinde ac B. Borromæus nuper, nobis exhibuit, Illustrissima R. T. hanc nostram Mechliniensem diœcesim paucis abhinc annis tam ex hæreticorum, quam ex bellorum et hostium incursu silvescentem, desertam et pene depositam, adeo ut rure et in pagis non tam Christiani, quam Indi et Barbari (utpote qui multis annis nec sacra, nec sacerdotes viderant) habitare viderentur, ita reformavit et reparavit, ut hic impletum videatur illud *Isaiæ* : « Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione umbræ mortis lux orta est eis. » Et : « Ponam desertum in stagna aquarum, et terram inviam in rivos aquarum; dabo in solitudinem cedrum, et spinam, et myrtum, et lignum olivæ, ut videant, et sciant, et recogitent, quia manus Domini fecit hoc, et Sanctus Israel creavit illud. »

Jam quanta, te duce et chorago, Mechliniæ in choro est psalmodiæ et officii divini decor, ordo, reverentia? quis Ecclesiæ, quis rituum ornatus et dignitas? quanta sacrorum omnium religio et majestas? Verbo dicam : Ambrosiana est; qui eam intuentur, mirantur et stupent, sibique videntur spectare sacrum castrorum aciem ordinatam, imo vivam imaginem cœlestis hierarchiæ æque ac harmoniæ. Non abblandior, non narro secreta, sed publica, quæ res ipsa palam loquitur.

Denique nunquam non ob oculos habes vivam S. Ambrosii effigiem, ideam inquam perfecti, omnibusque numeris absoluti Pontificis, quam S. Bernardus Eugenio Pontifici ita præscribit et ad vivum depingit : « Considera, oportere te esse formam justitiæ, sanctimoniæ speculum, pietatis exemplar, assertorem veritatis, fidei defensorem, doctorem Gentium, Christianorum ducem, amicum sponsi, sponsæ paranymphum, cleri ordinatorem, pastorem plebium, magistrum insipientium, refugium oppressorum, pauperum advocatum, miserorum spem, tutorem pupillorum, judicem viduarum, oculum cæcorum, linguam mutorum, baculum senum, ultorem scelerum, malorum metum, bonorum gloriam, virgam potentium, malleum tyrannorum, Regum patrem, legum moderatorem, Canonum dispensatorem, sal terræ, orbis lumen, sacerdotem Altissimi, vicarium Christi, Christum Domini, postremo Deum Pharaonis. »

Quapropter sub tali Antistite Mechliniensis Ecclesia hoc tempore et doctrina et disciplina, et morum integritate ac pietate, ita composita instructaque est, ut non tantum Belgicis, sed et totius Europæ Ecclesiis, quasi forma et exemplar proponi possit; quam ad rem multum adjuvit, et indies adjuvat Serenissim. Principum nostrorum avita pietas. religio et zelus; qui tua consilia reverentur, et constanter fovent, tutantur et promovent, ut merito sperare debeamus in hoc Belgii quasi deliquio, talibus Principibus et Præsulibus pristinum religionis æque ac Reipublicæ vigorem, florem et decus postliminio Belgio restitutum iri. Ita nimirum Gratianus et Valentinianus Junior, Imperatores, quamdiu S. Ambrosii quasi pædagogi sui et hierarchæ monita secuti sunt, imperium pie et prospere administrarunt, atque Italiæ regnum pacificum et felix reddiderunt. Ita Constantinus, Constans, Theodosius, Marcianus, Carolus et alii Reges et Imperatores Pontificum, quasi parentum suorum, placitis et votis obsecundantes, a Deo benedicti, directi et fortunati fuerunt, atque Imperium tam Orientis quam Occidentis, pietate et religione juxta ac opibus et gloria florens inclytumque præstiterunt.

Ambrosium itaque nobis exhibes, Illustrissime Domine, studio et doctrina, Ambrosium sapientia et prudentia, Ambrosium comitate, integritate, gravitate, Ambrosium libertate et constantia, Ambrosium vigilantia, fortitudine et zelo, ideoque instar Ambrosii sacras Litteras, ac præcipue Paulinas hasce epistolas quasi librum sacerdotalem, quasi vivum Pastorum et Præsulum speculum avide complecteris, atque earum æque studiosus es ac doctor; indeque Pauli mores, spiritum, animos et ignes imbibisti, atque indies magis hauris et imbibis; perinde ac libros Sapientiales Salomonis et Siracidæ assidue, etiam in itineribus et hospitiis (instar magni illius Hosii Cardinalis, qui Concilio Tridentino præfuit) teris et volvis, eorumque sententias gravissimas, quæ in rebus quibusque particularem prudentiam tam humanam, quam divinam docent atque præscribunt, quasi ad unguem calles, atque ex earum præscripto et dictamine actus omnes tuos moderaris et dirigis.

Cui ergo justius hocce Paulinum opus, atque imprimis Pontificales atque Archiepiscopales ejus ad Titum et Timotheum epistolas dedicem, nisi Illustrissimæ R. T., quæ et proprius noster Episcopus es, imo Archiepiscopus, Belgiique Hierarcha, et S. Pauli gradum ac munus sortitus, eumdem æmulari, verbisque et moribus exprimere satagis, atque plures Titos et Timotheos nobis instruis, formas et creas; uti anno præcedente Vicarium tuum, virum integrum, prudentem, fortem æque ac suavem, atque in negotiis Ecclesiasticis apprime versatum, et longo usu exercitatum, Reverendissimum Gandensem (Gandensium delicias) formasti et creasti?

Accedit, quod ego per plures annos ab Illustrissima R. T., et Reverendissimo Gandensi, Vicario tunc tuo, statis anni festis solemnioribus Mechliniam evocatus, in Metropolitana Ecclesia tua pœnitentiarium egerim, dumque sæpius cum Illustrissima R. T. familiariter agerem, auctor et incentor hujus operis mihi fuisti; amice enim monebas et hortabaris me, ut ea, quæ in totam S. Scripturam jam per octodecim annos semel iterumque in celebri hac urbe tua et Universitate Lovaniensi publice docuissem, typis evulgarem, omnibusque Belgis, quin et aliis provinciis communia facerem. Atque ego quidem tum detrectabam, et excusabam, dicebamque libros esse liberos : eo quod non minor libris, hoc præsertim tam erudito sæculo, quam liberis concipiendis, fovendis et educandis cura, labor et sollicitudo sit adhibenda. Eram enim, et etiamnum sum, silentii et quietis amantior, alteque mihi impressi illud, [illegible]; et illud S. Job : « Dixi, In nidulo meo moriar; » et illud S. Hieronymi de S. Hilarione : « Crebro mutabat locum, non ex levitate, sed honorem fugiens et importunitatem. Semper enim silentium et vitam ignobilem desiderabat. » Quocirca octogesimo ætatis anno moriens fidenter dicebat : « Egredere, anima mea, quid times? Septuaginta prope annis servisti Christo, et mortem times? » Præsertim cum antiquæ et continuæ meæ infirmitates jugiter me admoneant brevitatis vitæ, ut disponam domui meæ, utque animam meam virtutibus, et cœlestium divinarumque rerum tractatione expoliam, præparemque ad felicem transitum, et ad

beatam æternitatem; hæc enim una cura est, quæ Religiosum assidue ad humanarum rerum contemptum, et ad cœlestium desiderium, cœlestemque vitam exstimulat et impellit, quæque me ab ipso Religionis ingressu pupugit, et assidue Deo excitante pungit et stimulat.

Verum cum ad Illustrissimæ R. T. amicam exhortationem accessit Superiorum meorum, quibus quasi Dei in Religione hac nostra vicariis, voto obedientiæ obstrictus sum, voluntas et imperium, jubens ut hæc ipsa ederem, acquiescendum mihi fuit, etsi res mihi debili et infirmo difficilis esset et laboriosa; malim enim vitam perdere, quam obedientiam. Cœpi igitur inter Magdalenam et Marthæ horas et operas partiri, atque rem Deo duce aggredi, orsusque sum ab Epistolis S. Pauli: tum quod illæ gravissimæ sint, uti et difficillimæ; tum quod eas tertio et exacte præ aliis S. Scripturæ libris docuissem; tum quod antagonistæ Sectarii nostri Paulum assidue crepitent, eumque a se suisque sectis stare apud imperitum vulgus clamitent; tum denique quod Paulus, utpote vas electionis et Doctor Gentium, hisce Epistolis tam Præsules et Pastores, quam Principes, Magistratus et Christianos quoslibet, cujuscumque conditionis, status et gradus sint, ad sapientiam æque ac virtutem, et perfectionem Christianam instruat et informet: quas ob causas, in hoc opere licet aliis commentatoribus sim brevior, præ meo tamen more paulo fui fusior, addidique subinde ea, quæ et dogmata, et quæstiones controversas, et morum compositionem spectant; non tamen alia, nec aliunde quam ex re nata, et ex horto hoc nostro Paulino petita: quam ad rem hinc inde raras et selectas veterum sententias, exempla et apophthegmata inserui, quæ proprium cujusque tam spiritum, quam sapientiam et prudentiam acuere et excitare, atque ad eumdem in aliis acuendum et excitandum Pastoribus et Ecclesiasticis adjumento esse possint: hæc enim Christianæ prudentiæ, spiritus et zeli fomenta crebro suggerit et aspirat Paulus.

Porro hisce commentariis conscribendis et limandis multis annis assiduo et ingenti labore incubui, studuique quatuor rebus quam maxime: *primo*, soliditati, ut genuinam Pauli mentem explicarem; *secundo*, brevitati, in studio enim sacræ Scripturæ verissimum est illud: « Ars longa, vita brevis; » ea de causa ex tot et tam vastis aliorum commentariis quasi mellilegium feci, et relictis furfuribus pollinem dedi: mea vero pari delectu et brevitate tradidi. Citavi Patres ad verbum, quantum brevitas tulit; sed ob eam subinde illos in verbis luxuriantes restrinxi, atque sententias illorum illustriores tantum citavi, easque etiamsi disparatas, mediis omissis, conjunxi, verbo uno, aut verbi casu ad

congruam syntaxin adaptato, et commutato. Illorum enim medullam et energiam paucis tradere intendi, ideoque nonnunquam, sed rarius, plura eorum verba satis involuta uno alterove meo clariore commutavi, ut prolixitatem vitarem: sed ita, ut fideliter sensa eorum semper expresserim. *Tertio*, methodo, de qua mox dicam; *quarto*, claritati; σοφὸν enim τὸ σαφές, sapiens et eruditum est quod clarum est, non quod obscurum. Ut quid enim lingua et sermo nobis datus est, nisi ut clare sensa mentis tum nostræ, tum alienæ efferat et explicet? ut quid difficiles et obscuros auctores explicamus, si nostra obscuritate, licet eleganti, tam nos nostraque dicta et scripta, instar sepiarum, quam ipsos auctores magis implicamus et involvimus?

Scopus itaque meus fuit, solide, breviter, methodice et clare tradere sensum maxime genuinum et litteralem harum epistolarum, uti et reliquæ deinceps S. Scripturæ: ideoque ex textu Græco, Hebræo et Syro, atque ex Patribus et Doctoribus ea profero, quæ sensum hunc genuinum vel demonstrant, vel illustrant. Hunc scopum in omnibus spectavi et specto, in hunc ubique collimo; an assequar, Lectorum esto judicium.

Quamobrem florida et parerga non sector, nec elegantiam ambio; Theologum enim ago, non oratorem; veritatem vestigo, utilitatem quæro, non umbras et pompam; insisto rebus, non verbis: præsertim cum Apostolus ipse, quem interpretor, profiteatur se imperitum sermone, sed non scientia, I *Cor.* II: « Et sermo meus, inquit ipse, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis. » Qui enim verborum elegantiæ studet et incumbit, necesse est ut tantumdem rerum ipsarum studio et profunditati demat et detrahat.

Quare stylo utor didactico et methodico, per notationes, quæstiones, numeros, membra et puncta inciso et distincto, qui in scholis usitatus ad disciplinam et memoriam aptissimus est: hic enim ornari res ipsa vetat, contenta doceri.

Methodus mea hæc est: post brevem synopsin totius capitis rem aggredior, atque illustriores Patrum et Doctorum expositiones ordine quamque suo affero: tum ut plenus et perfectus sit commentarius; tum ut S. Scripturæ fœcunditas appareat; tum quia hæc varietas in cathedris et pulpitis, cum multa materia multum affert tam ornamenti quam emolumenti. Sensum vero illum, qui maxime genuinus videtur, expresse designo, eumque aliis præfero et illustro. Connexionem quoque et vim ratiocinationum Paulinarum, ubi eæ obscuræ sunt, clare ostendo, et in forma dialectica propono. Porro aliorum expositiones sæpe

non refello, tum ne longior sim, tum ob reverentiam auctorum, tum quia multæ sunt probabiles, tum quia veræ et genuinæ sententiæ propositio ac confirmatio, reipsa adversarum est refutatio. Aversor Criticos qui ex aliorum censura famam aucupantur; sed falso : nam et ipsi similes patiuntur vel Criticos, vel Apologeticos. Vere dixit Ausonius : « Tria iis avertenda sunt qui gloriam quærunt : oculi a scriptis aliorum, manus a pecunia quam alius possidet, aures a secretis principum. » Denique Christiani animi semper esse duxi, aliorum labores fovere, laudare, mirari; nullius carpere, despicere, abjicere et impedire. Quid enim quærimus? gloriam Christi, non nostram, ut Christi nomen per nos et alios quosvis toto orbe propagetur, secundum mensuram gratiæ cuique a Deo datæ.

Uniformem hanc brevitatem et methodum, quantum licuit, ubique servavi. Verum, prout ipse Paulus subinde magis assurgit, subinde magis se demittit; in nonnullis epistolis planus et facilis, in aliis (uti clare patet in epistola ad Ephesios) obscurus est et sublimis, adeo ut ipse sibi dissimilis et difformis esse videatur : ita pariter necessum me fuit in ejus interpretatione nunc vela contrahere, nunc laxare; nunc attollere, nunc demittere.

Accipe igitur, Illustrissime et Reverendissime Domine, hoc levidense amoris et observantiæ meæ erga Illustrissimam R. T. testimonium et mnemosynon, imo debitum : ad hoc enim me tum aliis titulis, tum eo præsertim obligas, quod tam me, quam totam Societatem nostram adeo amice et benevole foves et complecteris.

Norunt hoc nostri Lovanienses et Bruxellenses, cujus rei, ut alia præteream, illud recens et illustre argumentum dedisti, quod a biennio nostrum tirocinium atque Domum probationis in tuam urbem Mechliniensem admisisti, quodque tirones nostros, quasi parvulos tuos Benjaminos, ita amas, visitas, juvas et protegis, ut iis videaris esse Abraham, pater, inquam, dilecti Isaaci, et magnæ ejus prosapiæ fidelis ac religiosæ ad aliorum salutem comparatæ, quam Christo Jesu ejusque Ecclesiæ instruis et adornas, ut in partem laborum et messis ipsi grandiores facti quandoque veniant, utque Illustrissim. R. T., tuosque quasi subsidiarii milites adjuvent, tum in catechizanda et erudienda plebe, tum in hæreticis revincendis, tum in peccatoribus convertendis, tum in omni disciplina Ecclesiastica spirituque Christiano augendo et promovendo : viri enim Religiosi, qui suas in mundo res et spes pro Christi amore, ut eum quam proxime sequerentur, abdicarunt; quique in ipsa religione tum litteris, tum moribus, tum rerum

divinarum meditatione multis annis exculti fuerunt, atque instar Noe et Enoch cum Deo ambulare didicerunt : veri, inquam, Religiosi, utpote Deo devincti et conjuncti, nec sua lucra, sed quæ sunt Jesu Christi quærentes, selecta et aptissima sunt Dei instrumenta ad animas convertendas, dirigendas, et perficiendas et salvandas, uti tum hujus sæculi, tum aliorum præcedentium multiplex experientia docuit, et docet. Atque hæc est causa, quæ Illustrissim. R. T. impellit, ut tirocinium hoc nostrum, et totam Societatem, quæ a Deo hoc sæculo excitata fuit ut Luthero et Calvino se opponeret, ut Indos, Japones et Chinenses converteret, ut languescentes Christianos et Clericos excitaret, tenere diligas, defendas et promoveas.

Divina bonitas Illustrissimam R. T. in multos annos nobis, Belgio et Ecclesiæ suæ incolumem servet, induatque nova virtute ex alto, ut renovetur sicut aquilæ senectus, imo juventus tua, utque B. Borromæi et S. Ambrosii æmulus Paulum nobis plene perfecteque exprimas, fiasque magnus Pastor et Doctor multarum gentium tum Episcopali, tum Archiepiscopali jure, illustrissimæ R. T. subditarum; ac denique, cum apparuerit summus ille Princeps Pastorum, ab eodem percipias immarcessibilem gloriæ coronam. Amen. Lovanii ex nostro Collegio, anno Domini 1614, ipso S. Thomæ Aquinatis.

Illustrissim. R. T.

Servus in Christo

CORNELIUS CORNELII *Soc. Jesu.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

FACULTAS PROVINCIALIS.

CAROLUS SCRIBANI,

SOCIETATIS JESU PER PROVINCIAM BELGICO-BELGICAM PRÆPOSITUS PROVINCIALIS.

Cum *Commentarium P. Cornelii a Lapide in omnes Epistolas D. Pauli* quatuor Societatis nostræ Theologi, quibus id commissum fuit, recognoverint, et in lucem edi posse probaverint: pro potestate mihi facta ab admodum R. P. N. Claudio Aquaviva, Societatis nostræ Præposito Generali, concedo hæredibus Mart. Nutii facultatem typis eum mandandi. In cujus rei fidem hasce mea manu subscriptas sigilloque officii munitas dedi, Antuerpiæ, 21 martii, anno 1614.

CAROLUS SCRIBANI.

APPROBATIO CENSORIS.

Hi *Commentarii in omnes S. Pauli Epistolas*, auctore R. P. Cornelio Cornelii, Societatis Jesu Presbytero, sunt docti ac pii, et digni qui studiosorum manibus terantur. Quare utilissimum judico, ut in publicum prodeant. Quod testor 14 januarii, anno 1613.

EGBERTUS SPITHOLDIUS,
S. T. L. Canonicus et Plebanus Antuerpiensis, librorum Censor.

Annotationes quibus *Commentaria R. P. Cornelii a Lapide in omnes S. Pauli Epistolas* illustravit ac ditavit Aug. CRAMPON, Presbyter dioecesis Ambianensis,

Nil obstat quin imprimantur.

Datum Ambiani, ultimo februarii, anno 1858.

† JACOBUS-ANTONIUS,
Ambian. Episcopus.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

DE SENSU ACCOMMODATO [1].

De natura, diversisque formis ac nominibus sensus accommodati.

Sensus *accommodatus*, vel, ut barbare magis dici solet, *accommodatitius*, a quibusdam autem κατὰ πλήρειαν recte nuncupatus, est, quem voces atque enuntiationes Scripturarum præferunt, quum aptantur alii rei exprimendæ, ac ea sit, quam auctor expressit. Hinc *transumptivus* quoque a Cajetano apposite dictus est. Nec male subinde huic sensui nomen illud inderes, quo pessime Theodorus Mopsuestenus designavit sensum illorum oraculorum, ex quibus scriptores novi Testamenti argumenta petiere, et ἐκ' ἐκβασιν diceres. Adde, sensum qui spiritalis a Patribus aliisque vocatur, non raro alium non esse, nisi hunc sensum accommodatum, qui proinde alia quoque nomina apud eos sortitur, quibus spiritalis sensus vocari solet.

Hunc autem tanquam Scripturarum sensum haberi nec debere nec posse, earumque testimonia quæ κατὰ πλήρειαν ad aliquid confirmandum producimus, nulla ad id divina auctoritate pollere, quivis facile intelligit. Quum enim in hunc sensum Scripturas accipimus, nihil aliud præstamus, nisi ut earum verbis ac locutionibus rem aliquam enuntiemus, quam aliis verbis ac locutionibus ne minimo quidem auctoritatis detrimento enuntiaremus. Neque enim, quia Spiritus Sanctus probet ac velit illud, cui verba Scripturarum ea ratione accommodamus, consequens ideo est, illud ipsum verbis hisce eum exprimere voluisse, quum longe aliud sit loquentis propositum, ac sensus qui locutionibus subet, aut subesse potest.

Pro diverso genere rerum significatarum, aut modo quo significantur, facile poteris sensum hunc in easdem formas dispertire ac sensum litteralem et spiritalem. Pro diversa autem ratione, qua Scripturarum verba et locutiones rebus aliis exprimendis aptamus, sensus accommodatus distingui solet a quibusdam in *extensivum*, seu *secundum extensionem*, et *in allusivum*, seu *secundum allusionem*. Prior habetur, quum Scripturarum verba horumque significationem veluti extendimus ad ea quæ aliquid simile aut commune habent cum iis, de quibus a Spiritu Sancto dicta sunt verba hæc; posterior vero, quum verbis hujusmodi alludimus alicui rei designandæ ab eo, quem verba hæc, ut sunt in Scripturis, exhibent, sensu alienæ prorsus ac disparatæ. Prioris specimen haberes, si quis admissam culpam excusaret illis Hevæ verbis: « Serpens decepit me; » aut amissum visum defleret dicens cum Tobia: « Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, et lumen cœli non video? » Posterioris, si quis verba illa: « Cum sancto sanctus eris,... et cum perverso perverteris, » quibus psaltes Deum alloquitur, adhibeat ad indicandos effectus bonæ vel pravæ conversationis. Priorem porro posteriori præferendum esse satis apparet. Hoc sacrarum Scripturarum usu D. Bernardus cæteros antecellit.

II. *An Scriptores bibliorum ex bibliis verba in sensum accommodatum quandoque acceperint?*

Quæri solet, an ipsi auctores sacrarum Scripturarum usi quandoque sint harum verbis in sensum accommodatum acceptis. Quantum ad vaticinia, quæ ex vetere Testamento deprompta producuntur a scriptoribus novi Testamenti, ita sentiunt post Theodorum Mopsuestenum Sociniani ac Rationalistarum plerique. Contra vero alii, non prophetias modo, sed quascumque sententias bibliorum negant in eum sensum acceptas unquam fuisse a Scriptoribus sacris. Utrumque tamen falsum est, sed primum insuper tanquam absonum a Christiana doctrina Vigilius Pont. Max. reprobavit. Dicimus itaque, nulla omnino vaticinia in sensum accommodatum accepisse Scriptores sacros, ubi prophetarum testimonio aliquid confirmare instituebant; attamen inter alias Scriptu-

(1) Hæc de sensu accommodato, ex P. Patritii opere cui titulus, *De interpretatione Scripturarum Sacrarum libri* II, deprompta et fere exscripta, nonnihil, ut spero, facient tum ad quædam Paulinarum epistolarum loca illustranda, tum ad lectores de sano et licito sacrorum verborum usu monendos.

A. C.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

rarum sententias, quas vel Scriptores illi, D. Paulus imprimis, vel Christus ipse produxere, nonnullas ita ab eis acceptas reperiri maxime in novo Testamento, v. g. *Matth.* VII, 23 ex *Psal.* VI, 9; X, 36 ex *Mich.* VII, 6; *Luc.* XXIII, 30 ex *Osea* X, 8; *Ephes.* IV, 25 ex *Zachar.* VIII, 16.

Cæterum nihili faciendum est argumentum προλεπτικόν, quo ducti nonnulli nobiscum sentire recusant. Est autem illud, quod ratio hæc usurpandi testimonia Scripturarum minus decere videatur vel ipsos Scriptores θεοπνεύστους, vel Scripturarum sanctitatem. Eccur enim id dedeceat Scriptores illos, quos non dedecuit et a profanis scriptoribus verba ac sententias mutuari? « Quis enim nesciat, inquit Hieronymus, *ad Magnum*, epist. 70 (al. 84), et in Moyse et in prophetarum voluminibus quædam assumpta de Gentilium libris? » Paulus profecto non illud se dedecere arbitratus est, ut quædam proferret sive ex Phœnomenis Arati (*Act.* XVII, 28), sive ex Oraculis Epimenidæ (*Tit.* I, 12), atque adeo ex turpi quadam Menandri fabula *Thaïdis* nomine inscripta (1 *Cor.* XV, 33). Sed neque Scripturarum sanctitatem mos iste dedecet. Si enim hanc minime violant vel oratores sacri, vel Patres, vel Ecclesia ipsa, quum illarum verba sic usurpant, cur eam violari dicamus, quum id agunt Scriptores ipsi bibliorum? Num Spiritui Sancto, quem præcipuum auctorem Scripturæ habent, minime liceat sua propria verba, quoties voluerit, aliis atque aliis rebus significandis adhibere.

Hæc quum affirmamus, haudquaquam volumus ut de facili quis aliquid tale sese in Scripturis deprehendisse credat. Quinimo cavendum omnino est, ne forte, dum sententias Scripturarum rebus aliis in Scripturis ipsis quærimus, nimium iis concedamus, qui *literaliorem*, ut vocant, seu verius liberiorem audacioremque Scripturarum explicandarum rationem sectantur, quum reapse neque adeo frequenter a sacris Scriptoribus illud fiat, neque factum esse credendum sit, nisi ubi optima ratio ita credere cogit. Quare, ne hac in re peccemus, diligenter attendere oportet ea indicia quæ mox suggerentur.

III. *Quatenus liceat Scripturis hac ratione uti, quidque in hoc attendere oporteat?*

An liceat voces atque enuntiationes Scripturarum aliis rebus exprimendis aptare quam iis, quas verbis illis auctores ipsi expresserunt, religio est dubitare, quum id et Patres fecerint, et Ecclesia ipsa in sacris et in cæremoniis faciat quam frequenter. Neque modo id licet, sed cum laude quoque fit nec sine pietatis emolumento; siquidem iis, qui Deum bibliorum auctorem agnescunt, ipse vocum, quibus ea constant, sonus sanctum quid præfert, reverendum atque divinum, quod ad pios affectus ciendos mirifice valet. Nonnulla tamen in hoc Scripturarum usu sunt observanda, quibus neglectis, non solum eo, quod diximus, emolumento usus hic destitueretur, sed facile quoque improbandus atque illicitus prorsus evaderet. Ea vero sunt quæ subjungamus.

Malum omnino accommodationis genus est et cumprimis cavendum, quum sensum accommodatum pro litterali aut spirituali accipimus, atque aliis obtrudimus. Id peccant, qui testimoniis Scriptorum sacrorum in hunc sensum acceptis utuntur ad aliquid comprobandum, puta, si quis alteri persuadere conaretur vitandum esse improborum consortium argumento desumpto ex loco illo : « Cum perverso perverteris. » Hæc enim horumque similia hoc modo accommodata, si quid fortasse momenti habent ad aliquid probandum, nequaquam illud habent ab auctoritate Scripturarum, quæ non in hunc sensum ea nobis exhibent, sed quia vel primum aliquod scientiarum aut morum principium continent, vel aliquam veritatem, de qua jam aliis rationibus constat. Maxime vero omnium id peccant, qui hoc idem faciunt ad prava dogmata aut ad proprii capitis commenta confirmanda. Contra hos lege Tridentina, *sess.* IV, cautum est.

Neque levius falli aut fallere dicendi sunt, qui verum Scripturarum sensum sive litteralem sive spiritalem tanquam accommodatum accipiunt aut tradunt. Id, sicut diximus supra, peccavit Theodorus Mopsuestenus, hodieque peccant Sociniani et Rationalistæ. Ad hoc ipsum Grotius sæpius offendisse jure ac merito redarguitur.

His porro venia magis digni nequaquam sunt, nec minus ut violatæ religionis rei sunt habendi, qui sanctissima verba Scripturarum ad scurrilia vel turpia, aut etiam impia, edicenda detorquent. Patrum enim qui Tridenti concilium habuere, decreto judicium de illis plane jam factum est, quod sic habet : « Post hæc temeritatem illam reprimere volens (Synodus), qua ad profana quæque convertuntur et torquentur verba et sententiæ sacræ Scripturæ, ad scurrilia scil., fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones, impias et diabolicas incantationes, divinationes, sortes, libellos etiam famosos, mandat et præcipit, ad tollendam hujusmodi irreverentiam et contemptum, ne de cætero quisquam quomodolibet verba Scripturæ sacræ ad hæc et similia audeat usurpare, ut omnes hujus generis homines, temeratores et violatores verbi Dei, juris et arbitrii pœnis per episcopos coerceantur, » *sess.* IV. Tanti vero criminis rei traducendi non sunt, qui quædam Scripturarum proverbia aut quosdam similitudines rebus aliis quam iis, de quibus dictæ sunt, accommodant ita, ut levem aliquem lusum minimeque turpem exhibeant, præsertim si ipsa verba tale aliquid præferant etiam accepta in eum sensum, quem habent in ipsis Scripturis, ut si rem tibi molestam dicas esse, « sicut acetum dentibus et fumus oculis, » *Prov.* X, 26. Multo vero magis si verba sint perditorum hominum, ut si hominem avarum sacculo sordide parcentem irrideas verbis Judæ Iscariotæ : « Ut quid perditio hæc? » *Matth.* XXVI, 8.

Incongruum omnino atque ineptum est, si non criminosum ac minus decens, accommodare verba Scripturarum rebus nimis dissimilibus ac disparatis ab illa, quam verbis hisce Scriptor sacer enuntiavit; ut si quis Romanum gymnasium laudaturus illud ex Proverbiorum libro proferret : « Sapientia ædificavit sibi domum. » Hac arte sive hoc modo usurpandi sententias Scripturarum excelluere plerique oratores, qui sæculo XVII floruerunt. Hunc autem scopulum vix fugies, si te altera sensus accommodati species nimium delectet, quæ *per allusionem* fieri dicitur. Id a se peccatum in adolescentia fuisse Hieronymus conquestus est, præfat. *Commentarii de Abdia.*

Denique sedulo attende sensum accommodatum haudquaquam haberi, quum verba Scripturarum usurpantur aliqua ex his rationibus quas subdimus. Ac primo, cum hæc producimus, ut inde, ob similem aut potiorem rationem, rei, de qua agimus, veritatem aliis probemus. Licet enim, quum ita producuntur, rebus aliis aptari dici possint, non tamen aptantur ad eas exprimendas atque edicendas, quod fit quum in sensum accommodatum accipiuntur. Sic Paulus Hebræos, ut Deo tiderent, hortabatur verbis illis : « Non te deseram, neque derelinquam, » *Hebr.* XIII, 5, quibus Deus Josuem allocutus fuerat, *Jos.* I, 5; quæ tamen nequaquam usurpasse Paulus putandus est in sensum accommodatum, sed ut inde argumentum sumeret, ac si dixisset : *Sicut* Deus Josue promisit se nunquam ei auxilio defuturum, *ita* neque vos unquam deseret. Idem Paulus, ut probet sacrorum ministris, quæ victui necessaria sunt, ea deneganda non esse, affert hanc legem ex Deuteronomio : « Non ligabis os bovis terentis, » non quidem in sensum spiritalem acceptam, ut plures opinantur, neque in sensum accommodatum, ut nonnullis placet, sed in litteralem, ut confirmet, inquam, sententiam suam argumento, ut vocant, *a minore ad majus*, ac si diceret : Quum vetemur a Deo bobus triturantibus os colligare, quominus edant de iis quæ terunt, magis sane multo divino numini is adversaretur, qui sacerdotibus, dum pro nobis laborant, victum præbere abnueret. Num enim Deo boves curæ sunt, non autem ipsius ministri? aut magis saltem, quam his, consultum bobus esse cupit? Quæ omnia ex integro sermonis contextu apparent.

Quum Scripturarum sententias exempli aut similitudinis causa adhibemus, dici nequeunt usurpari atque accipi in sensum accommodatum; non enim id facimus, ut rem aliquam exprimamus atque edicamus, sed ut eam magis declaremus, atque sermonem exornemus. Id autem sic esse prodit ipse dicendi modus, ostenditque germanum verborum significatum non excludi. Hac ratione Paulus, II *Cor.* VIII, 15, eleemosynam laudans affert illud Exodi : « Nec qui plus collegerat, habuit amplius, nec qui minus paraverat, reperit minus, » XVI, 8, quod de manna dictum est æquo pondere a singulis Israelitis collecto; illud, inquam, affert, similitudinis causa, ut manifestum fit illis verbis : « Sicut scriptum est, » quibus exorditur, et quæ, ut nullo modo evincunt Exodi effatum, sive in litteralem sensum, sive in spiritalem id accipias, ad eleemosynam pertinere, ita satis declarant neque in sensum accommodatum accipi a Paulo, sed totam hujus sententiam sic sonare : Divitum esse pauperibus opem ferre, quo quædam bonorum æqualitas sit inter Christianos, sicut contigit illis, qui manna colligebant, de quibus scriptum est, etc.

Denique in sensum accommodatum usurpari Scripturæ dicendæ non sunt, quum ad aliquam rem confirmandam depromimus ex illis effata, proverbia, ac præcepta quædam universalia, quæ personam nullam nullamque rem certam attingunt, quanquam ab eo prolata fuerint, qui vel unum ali-

quem aut plures alloqueretur, vel de certa aliqua re ageret. Hujusmodi sunt illa, quæ Samuel protulit Saulem redarguens : « Melior est enim obedientia, quam victimæ » I *Reg.* XV, 22; et quæ Deus de Judæis loquens : « Numquid voluntatis meæ est mors impii? » *Ezech.* XVIII, 23. Si enim prioribus alicui suadeas, ut legibus obtemperet, posterioribus vero, ut Deum sibi benignum futurum speret, profecto non ea usurpas in sensum accommodatum, sed in proprium ac germanum.

COMMENTARIA

IN OMNES

S. PAULI EPISTOLAS.

PROŒMIUM.

QUIS, QUALIS, QUANTUS S. PAULUS.

Octo dotes et prærogativæ eximiæ in S. Paulo considerandæ et admirandæ sunt. *Prima* est, præclara ejus natura et indoles; *secunda* est, mira ejus vocatio et gratia; *tertia* est, rara ejus sapientia; *quarta*, heroicæ ejus virtutes; *quinta*, efficacia et fructus in evangelizando; *sexta*, illustre illius martyrium; *septima*, miracula; *octava*, ejusdem fama et gloria.

CAPUT PRIMUM.

De Pauli genere et indole.

Quoad *primum*, fuit Paulus nobili Judæorum prosapia ortus, e tribu Benjamin. S. Hieronymus, lib. *De Script. Eccles.*, cap. XV, videtur tradere Paulum Gischalæ, Judææ oppido, natum esse; quo a Romanis capto, eum cum parentibus suis Tarsum Ciliciæ commigrasse. Verum idem S. Hieronymus, in epist. *ad Philem.*, hanc traditionem fabulam appellat, et vere fabula est. Certum enim est Paulum non Gischalæ, sed Tarsi natum esse. Id enim ipse affirmat *Act.* XXII : « Ego, inquit, sum vir Judæus, natus in Tarso Ciliciæ. »

Porro Tarsus Ciliciæ erat metropolis, et jus municipale a Romanis fuerat consecuta, ita ut Tarsenses censerentur cives Romani et civium Romanorum privilegiis fruerentur. Unde Paulus, *Act.* XVI, 37, et XXII, 25, civem Romanum se esse proclamat : « Si hominem Romanum, inquit, et indemnatum licet vobis flagellare? » Cumque diceret Tribunus : « Ego multa summa civitatem, » vel, ut Græca habent, πολιτείαν, *civilitatem*, « hanc consecutus sum; » respondit Paulus : « Ego autem et natus sum. » Jus hoc civitatis Romanæ adepti sunt Tarsenses a Julio Cæsare et ab Augusto, eo quod utriusque partes in bellis civilibus strenue adjuvissent. Unde et Tarsus Juliopolis est dicta, ut testatur Dio Cassius, lib. XLVII.

Hac de causa liberaliter et nobiliter educatus fuit Paulus, atque Græcorum litteris et liberalibus disciplinis egregie excultus : nam harum scholæ florebant Tarsi, iisque ita dediti erant Tarsenses, ut teste Strabone, lib. XIV, in studiis hisce superarint Athenas et Alexandriam; adeoque ipsa Roma Tarsensibus litteratis abundarit. Paulus ergo Gentilium scientiis Tarsi apprime imbutus, inde, quod genere Judæus esset, ad Judæorum metropolim Hierosolymam, ut sacris disciplinis a Gamaliele erudiretur, profectus est. « Ego, inquit ipse *Act.* XXII, nutritus sum in ista civitate, secus pedes Gamalielis eruditus juxta veritatem paternæ legis, æmulator legis, sicut et vos omnes. »

Tantum vero in hisce profecit, ut Tertullianus, lib. V *Contra Marcion.*, ante finem, asserere non dubitet neminem magis nosse medullas Scripturarum, quam S. Paulum. Audi et S. Hieronymum *ad Paulinum* : « Cur dicitur, inquit, Paulus vas electionis? nempe, quia legis et S. Scripturarum erat armarium. »

Fuit autem Paulus Pharisæus, quæ secta apud Judæos erat nobilissima et præstantissima. Ita enim ipse ait *Act.* XXVI, 5 : « Secundum certissimam, » græce ἀκριβεστάτην, id est *diligentissimam*, *exactissimam*, *religiosissimam*, « sectam nostræ religionis vixi Pharisæus. »

Jam vero insignis, magnanima et heroica ejus indoles elucet in ardenti ejus zelo et pugna pro Judaismo, quo, erras, licet, putaneque obsequium se præstare Deo; ipse adhuc adolescens ducem se præbuit Judæis ad persequendum et extirpandum Christianos.

« Saulus, inquit Lucas, *Act.* VIII, devastabat Ecclesiam, per domos intrans, et trahens viros ac mulieres, tradebat in custodiam. » Et cap. IX, 1 : « Saulus adhuc spirans minarum et cædis in discipulos Domini, accessit ad principem sacerdotum, et petiit ab eo epistolas in Damascum ad synagogas, ut, si quos invenisset hujus viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Jerusalem. » Luculentius vero ipse Paulus, *Galat.* cap. I, vers. 13 : « Supra modum, inquit, persequebar Ecclesiam Dei, et expugnabam illam, et proficiebam in Judaismo supra multos coætaneos meos in genere meo, abundantius æmulator existens paternarum mearum traditionum. »

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quem aut plures alloqueretur, vel de certa aliqua re ageret. Hujusmodi sunt illa, quæ Samuel protulit Saulem redarguens : « Melior est enim obedientia, quam victimæ » I *Reg.* XV, 22; et quæ Deus de Judæis loquens : « Numquid voluntatis meæ est mors impii? » *Ezech.* XVIII, 23. Si enim prioribus alicui suadeas, ut legibus obtemperet, posterioribus vero, ut Deum sibi benignum futurum speret, profecto non ea usurpas in sensum accommodatum, sed in proprium ac germanum.

COMMENTARIA

IN OMNES

S. PAULI EPISTOLAS.

PROŒMIUM.

QUIS, QUALIS, QUANTUS S. PAULUS.

Octo dotes et prærogativæ eximiæ in S. Paulo considerandæ et admirandæ sunt. *Prima* est, præclara ejus natura et indoles; *secunda* est, mira ejus vocatio et gratia; *tertia* est, rara ejus sapientia; *quarta*, heroicæ ejus virtutes; *quinta*, efficacia et fructus in evangelizando; *sexta*, illustre illius martyrium; *septima*, miracula; *octava*, ejusdem fama et gloria.

CAPUT PRIMUM.

De Pauli genere et indole.

Quoad *primum*, fuit Paulus nobili Judæorum prosapia ortus, e tribu Benjamin. S. Hieronymus, lib. *De Script. Eccles.*, cap. XV, videtur tradere Paulum Gischalæ, Judææ oppido, natum esse; quo a Romanis capto, eum cum parentibus suis Tarsum Ciliciæ commigrasse. Verum idem S. Hieronymus, in epist. *ad Philem.*, hanc traditionem fabulam appellat, et vere fabula est. Certum enim est Paulum non Gischalæ, sed Tarsi natum esse. Id enim ipse affirmat *Act.* XXII : « Ego, inquit, sum vir Judæus, natus in Tarso Ciliciæ. »

Porro Tarsus Ciliciæ erat metropolis, et jus municipale a Romanis fuerat consecuta, ita ut Tarsenses censerentur cives Romani et civium Romanorum privilegiis fruerentur. Unde Paulus, *Act.* XVI, 37, et XXII, 25, civem Romanum se esse proclamat : « Si hominem Romanum, inquit, et indemnatum licet vobis flagellare? » Cumque diceret Tribunus : « Ego multa summa civitatem, » vel, ut Græca habent, πολιτείαν, *civilitatem*, « hanc consecutus sum; » respondit Paulus : « Ego autem et natus sum. » Jus hoc civitatis Romanæ adepti sunt Tarsenses a Julio Cæsare et ab Augusto, eo quod utriusque partes in bellis civilibus strenue adjuvissent. Unde et Tarsus Juliopolis est dicta, ut testatur Dio Cassius, lib. XLVII.

Hac de causa liberaliter et nobiliter educatus fuit Paulus, atque Græcorum litteris et liberalibus disciplinis egregie excultus : nam harum scholæ florebant Tarsi, iisque ita dediti erant Tarsenses, ut teste Strabone, lib. XIV, in studiis hisce superarint Athenas et Alexandriam; adeoque ipsa Roma Tarsensibus litteratis abundarit. Paulus ergo Gentilium scientiis Tarsi apprime imbutus, inde, quod genere Judæus esset, ad Judæorum metropolim Hierosolymam, ut sacris disciplinis a Gamaliele erudiretur, profectus est. « Ego, inquit ipse *Act.* XXII, nutritus sum in ista civitate, secus pedes Gamalielis eruditus juxta veritatem paternæ legis, æmulator legis, sicut et vos omnes. »

Tantum vero in hisce profecit, ut Tertullianus, lib. V *Contra Marcion.*, ante finem, asserere non dubitet neminem magis nosse medullas Scripturarum, quam S. Paulum. Audi et S. Hieronymum *ad Paulinum* : « Cur dicitur, inquit, Paulus vas electionis? nempe, quia legis et S. Scripturarum erat armarium. »

Fuit autem Paulus Pharisæus, quæ secta apud Judæos erat nobilissima et præstantissima. Ita enim ipse ait *Act.* XXVI, 5 : « Secundum certissimam, » græce ἀκριβεστάτην, id est *diligentissimam*, *exactissimam*, *religiosissimam*, « sectam nostræ religionis vixi Pharisæus. »

Jam vero insignis, magnanima et heroica ejus indoles elucet in ardenti ejus zelo et pugna pro Judaismo, quo, erras, licet, putaneque obsequium se præstare Deo; ipse adhuc adolescens ducem se præbuit Judæis ad persequendum et extirpandum Christianos.

« Saulus, inquit Lucas, *Act.* VIII, devastabat Ecclesiam, per domos intrans, et trahens viros ac mulieres, tradebat in custodiam. » Et cap. IX, 1 : « Saulus adhuc spirans minarum et cædis in discipulos Domini, accessit ad principem sacerdotum, et petiit ab eo epistolas in Damascum ad synagogas, ut, si quos invenisset hujus viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Jerusalem. » Luculentius vero ipse Paulus, *Galat.* cap. I, vers. 13 : « Supra modum, inquit, persequebar Ecclesiam Dei, et expugnabam illam, et proficiebam in Judaismo supra multos coætaneos meos in genere meo, abundantius æmulator existens paternarum mearum traditionum. »

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Nimirum mystice impletum est in Paulo vaticinium Jacobi, *Genes.* XLIX : « Benjamin lupus rapax, mane comedet prædam, et vespere dividet spolia. » Præclare S. Augustinus, lib. XXII *Contra Faust.*, cap. LXX : « Animæ, inquit, virtutis capaces ac fertiles præmittunt sæpe vitia, quibus hoc ipsum indicent, cui virtuti sint potissimum accommodatæ, si fuerint præceptis excultæ. Sic Moyses occidens Ægyptium, vitiosa quidem, sed magnæ fertilitatis signa fundebat : ita quoque Pauli sævitia silvestre erat vitium, sed magnæ fertilitatis erat indicium. » Quis enim postmodum in Evangelio toto orbe propagando animos et ignes Pauli æquavit? quis in laboribus pluribus? quis in carceribus abundantius? quis in crucibus et plagis majoribus? quis in periculis tam interritus? quis in arduis tam audax et excelsus? quis tanta, non dicam moliri, sed et cogitare ausus fuit, quanta molitus est, fecit et confecit Paulus?

CAPUT II.

De mira S. Pauli vocatione et gratia.

Secundo, illustris Pauli vocatio et gratia imprimis in eo elucet, quod ipse a Christo immortali et glorioso e cœlis vocatus sit, cum alii Apostoli a Christo mortali in terra vocati sint. Rursum, quod Christus cum Paulo quasi duellum inierit, eumque sui odio flagrantem, in ipsa persecutione in terram prostraverit, vicerit, subegerit. Cum enim inclamasset illi Christus : « Saule, Saule, quid me persequeris? » Mox ille : « Quis es, Domine? » Rursum Christus : « Ego sum Jesus, quem tu persequeris : durum est tibi contra stimulum calcitrare. » Cui ille statim manus dans : « Domine, quid me vis facere? » Quam valida hæc Christi cum Paulo contentio! quam potens vocatio! quam efficax gratia, quæ momento cor Pauli hostile sibi subditum, amicum et obsequens effecit, quæ Saulum in Paulum, lupum in agnum, persecutorem in prædicatorem, Judæum in Apostolum commutavit! Et qualem quantumque Apostolum, audi : « Vas electionis (instrumentum et organum electum) est mihi iste, ut portet nomen meum coram Gentibus, et regibus, et filiis Israel. Ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati. »

Miratur S. Ambrosius, Basilius, Aristoteles, Plinius et alii echineida, sive remoram, exiguum piscieulum, qui vastissimas navium moles validissimis etiam ventorum turbinibus agitatas, nullo suo labore, non detinendo, non manus injeiendo, non alio modo quam iis adhærendo, remoratur et sistit. Causam et modum hasce naves sistendi varii variam divinant. Alii fieri id putant, quod echineis navi qualitatem aliquam imprimat, quæ ejus impetum licet citatissimum remoretur; alii, quod adhærendo detineat per virtutem sibi innatam, sicut homo per manuum detinet lapidem ne cadat; alii, quod primo seipsum sistat, et immobiliter adhæreat loco et spatio suo, ita ut nulla vi, etiam navim impelente, inde dimoveri possit, ac consequenter nec navis cui adhæret cuique se affixit

Quanto magis mirum fuit in Paulo, Pauum hominem turbinibus concupiscentiæ in barathrum ruentem præcipitem sistere? ejus amores et æstus inhibere, imo in contrarium reflectere? ad Christum, quem pessime oderat, trahere, Christo unire et vincire?

Hanc sui vocationem et gratiam admirans Paulus, *Timoth.* I, XV : « Fidelis, inquit, sermo et omni acceptione dignus : quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum. Sed ideo misericordiam consecutus sum, ut in me primo ostenderet Christus Jesus omnem patientiam, ad informationem eorum, qui credituri sunt illi, in vitam æternam. » Quis pœnitens veniam et gratiam non speret, cum Saulum blasphemum et persecutorem Christi, ab eo in gratiam intimamque amicitiam receptum videt?

Gratia S. Pauli et singularis ejus vocatio.

Jam vero quanta fuit Christi gratia, qua Paulum Gentium doctorem orbis magistrum creavit? « Mihi, inquit ipse, *Ephes.* cap. III, 8, omnium Sanctorum minimo data est gratia hæc, in Gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, et illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi a sæculis in Deo. » Et I *Timoth.* cap. II, vers. 7 : « In quo positus sum ego prædicator et Apostolus (veritatem dico, non mentior), doctor Gentium in fide et veritate. » Dicebat ille adulator :

Divum imperium cum Jove Cæsar habet.

Nos vere dicere possumus Christum cum Paulo, non imperium, sed titulos et munia sua divisisse: Christus enim orbis est redemptor et doctor: Paulus vero præco est et doctor orbis omniumque gentium.

Trium Christo et Paulo communes : Christum orbis redemptor, Paulum doctor.

Huic vero gratiæ quam strenue cooperatus est Paulus? quanta fide munus sibi commissum obivit? quam sedulum, ardentem et indefessum se Gentibus omnibus præconem exhibuit? Dicat ipse, *Roman.* XI, 13 : « Quamdiu ego sum Gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo, » Spartam quam nactus sum, exornabo; et I *Cor.* cap. XV, vers. 10 : « Gratia Dei sum id quod sum, et gratia ejus in me vacua non fuit; sed abundantius illis omnibus laboravi : non ego autem, sed gratia Dei mecum. »

Paulus Ethnicis ipsis admirandus, Platonis præstantior.

Porro quantos Evangelii et Gentium causa labores generose exantlarit, quanta pericula intrepidus adierit, quanta ludibria, ærumnas, plagas et verbera alacer sustinuerit, enarrat ipse I *Cor.* cap. IV, vers. 9 : « Spectaculum, inquit, facti sumus mundo, et angelis et hominibus : nos stulti propter Christum, usque in hanc horam et esurimus, et sitimus, et nudi sumus, et colaphis cædimur, et instabiles sumus (ἀστατοῦμεν, incertis locis et sedibus vagamur et discurrimus), et laboramus operantes manibus nostris : maledicimur, et benedicimus; persecutionem patimur, et sustinemus; blasphemamur, et obsecramus; tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc. »

Uberius vero, plenius, nervosius laborum et passionum suarum catalogum seriemque generosus Christi athleta perlexit, aut potius perstringit II *Corinth.* XI, 23 : « In laboribus, inquit, plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. A Judæis quinquies quadragenas una minus accepi. Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte et die in profundo maris fui : in itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex Gentibus, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus : in labore et ærumna, in vigiliis multis, in fame et siti, in jejuniis multis, in frigore et nuditate. »

CAPUT III.

De vera Pauli sapientia.

Tertio, eximia Pauli sapientia passim in epistolis ejus conspicua est. Ipsæ enim continent mediullam fidei et religionis Christianæ. Sane de gratia, de prædestinatione, de Christi redemptione et tota ejus in carne œconomia, de matrimonio et jure conjugum, de cœlibatu, de Ven. Sacramento et sacrificio, de novem ordinibus angelorum, de muniis Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum totoque ordine hierarchico nullus ita plane, graviter, exacte et sapienter disseruit ac Paulus. Tacco naturalem et græcanicam ejus scientiam, in qua Tarsi insigniter, ut dixi, excultus fuit, quam etiam Ethnici admirati sunt : adeo, ut tradat S. Chrysostomus, hom. 3 *in* I *ad Cor.*, apud Ethnicos disceptatum fuisse, an Paulus Platoni, cujus doctrinæ gravitatem et subtilitatem illi in primis venerantur, præferendus esset.

Memoria dignum quod de S. Paulo scribit Clemens Alexandrinus, lib. VI *Stromat.*, his verbis : « Quomodo Deus Judæos salvos esse voluit, dans eis Prophetas; ita etiam Græcorum spectatissimos propriæ sum linguæ exercitatos, prout potuerunt capere Dei beneficentiam, a vulgo secrevit. Præter Petri prædicationem declaravit Paulus Apostolus dicens : Libros quoque Græcos sumite, agnoscite Sibyllam, quomodo unum Deum significet, et ea quæ sunt futura : Ilydaspen sumite, et legite, et invenietis Dei Filium multo clarius et apertius esse scriptum, et quemadmodum adversus Christum multi reges insteterunt aciem, qui eum habent odio, et eos qui nomen ejus gestant, et ejus fideles, et adventum, et tolerantiam. » Hæc Clemens, non ex epistolis, sed ex concionibus S. Pauli, per manus tradita posteris consignavit : unde discas quanti veteres ac S. Paulus Sibyllina oracula fecerint. Ita Baronius in *Apparatu Annal.*

Christianam et divinam ejus sapientiam intucamur : cujus præcellentiam et profunditatem satis ipse insinuat, cum *ad Gal.* I, asseverat se Evangelium non ab homine accepisse et didicisse, sed per revelationem Jesu Christi. Rursum, quod II *Cor.* XII. se raptum asserat in tertium et summum Beatorum cœlum, scilicet in paradisum, ibique audivisse arcana verba, quæ non licet homini loqui, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt. Sublimia illa ac cœlestia, homini ineffabilia, imo incomprehensibilia sunt. « Tria sunt, ait Sapiens, mihi difficilia : via aquilæ in cœlo, via colubri super terram, via navis in medio mari. » Quis aquilam hanc Paulum in cœlum pernicissime se librantem vel visu assequatur? Paulus ergo non in terrena, sed in cœlesti schola eruditus, ibidem quasi creatus et consecratus est magister Evangelii doctorque orbis.

Paulus Moses II. evangelicus.

Moses in Sina collocutus cum homine, acceptis ab eo legis tabulis, inde prodiit quasi novus et cœlestis legislator ad populum : Paulus vero non e Sina, sed e cœlo, quasi Propheta, imo quasi angelus urano-gnomon in terram descendit, ut arcana legis Evangelicæ toti orbi panderet, atque eructaret mysteria æternis temporibus tacita et abscondita a constitutione mundi. Quapropter Origenes affirmat extitisse nonnullos, qui credierunt Paulum esse veritatis Spiritum a Patre missum, quem Christus suis discipulis promiserat, dicens, *Joan.* XV : « Ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere : ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis. »

Paulus ab aliquot hos cen. dibus Spiritus veritatis a Patre missus, a Christo promissus.

Paulus sol et abyssus sapientiæ.

Verius et solidius S. Dionysius Arcopagita, Pauli proles et hæres, cap. VII *De Divin. Nominib.*, Paulum communem nostrum solem; et alibi, eumdem sapientiæ abyssum indigitat, ab eoque altissima sacramenta quamque Ecclesiasticam pariter et Cœlestem Hierarchiam accepisse se gloriatur.

Audi S. Chrysostomum, hom. 4 *De Laudibus S. Pauli* : « Paulus, inquit, archetypus honorum, cui omnem prædicationem, res orbis, mysteria cuncta universamque dispensationem Deus concessit. Ipse cœlum solem habens justitiæ, ipse mare sapientiæ purissimum et profundissimum. »

Audi S. Hieronymum, epist. 61 *ad Pammachium* : « Paulus, inquit, vas electionis, tuba Evangelii, rugitus leonis nostri, flumen eloquentiæ Christianæ, qui mysterium retro generationibus ignoratum, et profundum divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei magis miratur, quam loquitur : quem quoties-cumque lego, videor mihi non verba, sed audire tonitrua. »

Paulus tuba Evangelii tonitrum Gentium.

Amplius dico : Paulus doctor fuit Petri, doctor

Apostolorum, imo doctor Angelorum. Ut alia præteream, Paulus insigni sapientia, fiducia et constantia Petrum a recto tramite Christianæ libertatis deviantem, et nonnihil in Judaismum inclinantem, redarguit, revocavit et correxit. « Cum venisset, ait ipse *Galat.* II, Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat. Et cum vidissem quod non recte ambularet ad veritatem Evangelii, dixi Cephæ coram omnibus : Si tu, cum Judæus sis, gentiliter vivis, et non judaice, quomodo Gentes cogis judaizare? » Rursum, magnum illud mysterium vocationis Gentium ad fidem et ad Christum primus ipse mox a sua conversione, utpote doctor Gentium a Deo electus et declaratus, *Act.* IX, 15, plene cognovit : ipse Apostolos, ipse Ecclesiam, ipse angelos eloquii. Loquatur ipse, imo loquatur potius per eum Spiritus Sanctus, *Ephes.* III : « Prout potestis, inquit, intelligere prudentiam meam in Christo : mihi omnium Sanctorum minimo data est hæc gratia, in Gentibus evangelizare; ut innotesceat principibus et potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam (puta per me Ecclesiæ doctorem) multiformis sapientia Dei secundum præfinitionem sæculorum, quam fecit in Christo Jesu Domino nostro. »

Mysterium vocationis Gentium primus cognovit Paulus.

S. Chrysostomus ab omnibus Paulum legi vult.

Nemo jam mirabitur S. Chrysostomum, præfatione in *Epist. ad Romanos*, proclamare laicos omnes, etiam opifices et mercatores, Paulum identidem legere debere. Quod si cui id per negotia non liceat, hic, inquit, saltem me Paulum enarrantem et explicantem assidue audiat : quare commentaria quæ in Paulum reliquit nobis Chrysostomus, homiliæ ejusdem fuerunt *ad Populum*. Sane ipse Chrysostomus, ut refert Georgius, Patriarcha Alexandrinus, in ejus Vita, nunquam sinebat Paulum e manibus elabi, sed assidue eum legebat, ac intraculi loco habebat ejus sapientiam.

Paulus Chrysostomo semper in manibus.

Jam vero Paulus hæresomastyx sua sapientia et acrimonia omnes Novatorum relatum omnium errores destruit et configit. Auctor est S. Augustinus, lib. VII *Confess.*, XXI, sub initio conversionis avidissime se sacram Scripturam et præ ceteris Apostolum Paulum ingenti *fructu* legitasse; quinimo Pauli lectione plane conversum se faletur idem Augustinus, ut mox ex eo audiemus. Atque hæc fuit causa, cur prisci hæretici Paulum Paulique epistolas proscripserint. Fuerunt illi triplices. Primi omnes Pauli epistolas repudiarunt easque a canone S. Scripturæ detruncarunt. Horum parens et dux, teste Irenæo, lib. I, cap. XXVI, et Eusebio, lib. III *Histor.*, cap. XXVII, fuit mentis inops Ebion (sic namque in eum vere ludit S. Ignatius : Ebion enim hebraice pauperem et inopem significat), qui judaizans Apostolum Paulum, quasi legis suæ hostem, Apostatam et Græcum cum per summam contumeliam appellabat. Hunc dicendum et errorem secutos esse Hieracitas, auctor est Eusebius, lib. VI, cap. XXVII.

Hæretici veteres Paulum rejecerunt, eumque epistolas.

Ebion in Paulum debacchatur, et ejus epistolas.

Secundi non omnes quidem Pauli epistolas, sed aliquas duntaxat, quas scripsit suis dogmatibus infestas videbant, ex catalogo sacro, more, ingenio et fastu hæreticis usitato abraserunt. Ii fuerunt Encratitæ, Severiani, Marcionitæ, Manichæi, Ariani, Actiani : nimirum Encratitæ et Marcionitæ utramque ad Timotheum, et unam ad Titum, alii alias sustulerunt.

Tertii omnes Pauli epistolas receperunt, verum asseruerunt in iis multa esse scripta dictante non Spiritu Sancto, sed genio et ratione humana : uti epistolam ad Philemonem, item ea quæ naturaliter et familiariter scire et scribere poterat Paulus. Ita censuit anonymus ille, Fabricii discipulus, contra quem S. Augustinus sub nomine adversarii legis et Prophetarum duos libros edidit. Huc etiam allusit Erasmus, cum in cap. II et XXVII *Matthæi* asserit scriptores sacros subinde memoria lapsos esse, et leves quosdam errores admisisse. Alii denique subinde vitiatas et a falsario quopiam depravatas hasce epistolas somniarunt.

Marcion epistolas Pauli ampus mutilare.

Hæc similive de causa Marcion, teste Epiphanio, *hæres.* 42, e cæteris epistolis, quas ipse admittebat, id quod sibi videbatur, quodque palato et oculis suis non allubescebat, spongia sua pollitula et delicatula, quasi spurium extersit ac dispunxit.

Verum veritas et auctoritas S. Pauli has omnes nebulas mox dispulit atque disjecit; adeo ut jam vel fanaticorum, vel umbrarum potius quam hominum obsoletæ et emortuæ sint hæ eum suis auctoribus hæreses. Quare iis refutandis non immorabor : videat, qui volet, Irenæum, Epiphanium, Petrum Clunicensem, epistola priore *Contra Hæreticanos et Petrobrusianos*, atque Sixtum Senensem, lib. VII *Bibliothe.*, cap. VII. Tantum illud hic animadversione dignum est, veteres illos hæreticos, licet epistolas hasce respuerent, eas tamen Paulo ascripsisse. Itaque communis Orthodoxorum jam olim omnium consensus fuit, et est, hasce omnes epistolas, excepta nos ad Hebræos, de qua aliquando dubitarunt nonnulli (ut suo loco dicam), esse canonicas, plenas majestate et spiritu Apostolico : quinimo nostri Sectarii hasce Pauli epistolas præ cæteris sacræ Scripturæ libris laudant, colunt et jactant. Sed et hi in alium lapidem impingunt. Dum enim non advertunt, quando, contra quos, qua de causa tam acriter subinde insurgat Paulus, a mente et sententia Pauli aberrant : nam uti ille qui acrius erroreum aut vitium aliquod persequitur, in oppositum aliudque extremum videtur declinare et impingere; ita Paulus, dum contra Judæos Gentesque sui temporis disputans, legis et naturæ opera cæremoniasque elevat et convellit, dum Christi fidem et gratiam inculcat, videtur imperitis tollere liberum arbitrium, operaque bona et meritoria, atque uni fidei salutem et justitiam ascribere et consignare. Nimirum, imperiti et stulti dum fugiunt vitia, in contraria currunt.

Omnes ecclesiam hæc epistolas esse Pauli, ecque allegatas ejusque quam.

Hæreticis nostri sui ex male intellectis Pauli epistolis errores suos obtentant firmant. Videndum ergo tra quæ et quando Paulus scribat.

Hoc modo Philippus ille, vere Melanchthon, pro

thon hæreticos Paulum circumfert.

sua Confessione, vel potius confusione, Augustana passim testem citat S. Paulum; atque ut in ejus epistolis homo profanus egregie versatus videretur, nunquam sine iis incedere, nunquam prandere aut cœnare, nusquam considere aut cubare consueverat. Quare suo huic Philippo hoc elogium dedit Lutherus : « Ego tibi, mi Melanchthon, vere tribuo, neminem melius te scripisse in D. Paulum. Ego scio, quo judicio et spiritu hoc de te pronuntio : Hieronymi et Origenis commentaria esse meras nugas et ineptias, si tuis comparantur. » Quale hoc supercilium? nimirum

Lutherus stolide et superbe exsilit Melanchthonis in divum Paulum encomia.

Ὦ Παῦλον φίλτατε, τ. θέλω πάντοθεν, nimirum verba φιλτάτου, Lutherus philippizat, quia Philippus lutherizat. Itaque vere ad suam mentem dixit Lutherus : Nullus melius, scilicet ad Lutheri palatum et sensum, nullus melius, hoc est lutheranius, in D. Paulum scripsit, quam Melanchthon. Hieronymus, Origenes aliique Patres, quia antilutherane, ideo Luthero pessime scripserunt : suis enim scriptis novam Lutheri fidem ejusque cacangelion configunt, destruunt, evertunt.

Calvinus Paulo et Augustino molestus alios.

Calvinus, odium Dei et hominum, passim pro fide sua culva et bonorum operum inope, pro arbitrio, pro reprobationis, prædestinationis, virtutum peccatorumque falo, pro justitia Christi nobis imputata, pro concupiscentiæ culpa aliisque similibus sibi placitis, testas Paulum et S. Augustinum produci, eos a se stare clamitat, et quasi hæresum suarum auctores dilaudat. Sed fallitur ero, fallitur impostor, ut suis quibusque locis ostendam. Atque, ut ex ungue leonem agnoscas videaeque quam ipse aliique Novantes paralogizent, qualiaque ex Paulo sophismata texant:

Paralogismi aliique ratiocinia.

Accipe e multis unum, commune et frequens eorum sophisma, imo fraudem manifestam. Solent ipsi a propositione Pauli indefinita inferre universalem; solent ex una parte totum concludere; solent ab affirmativa indefinita inferre negativam universalem, v. g. Fides, inquiunt, teste Paulo, justificat; ergo opera non justificant, ergo nihil aliud a fide justificat; quod periude est ac si tali ratione concluderent : Panis alit hominem, ergo caro aut pescis non alit hominem : Homo vivit per respirationem, ergo non vivit per cibum : Homo est animal, ergo leo non est animal.

I. Quod sola fides justificet.

Alterum accipe : Paulus sæpe obscurus est et difficilis; eo abutuntur Novantes, ejusque obscuritate, quasi latebris, errores suos velant et contegunt; atque ex obscura Pauli sententia dogmata sua usque obscura et obstrusa demonstrare nituntur. Verum hic seipsos confutant. Hic enim vel ex sua confessione convincuntur et fateri coguntur, Paulum et S. Scripturam non esse claram et perspicuam, ac consequenter non posse esse judicem, qui controversias fidei decidat, enodet et determinet. Judex enim qui obscuram et ambiguam fert sententiam, quam utraque litigantium pars sibi arrogare et attribuere possit, litem non decidit, non determinat, neutri parti causam adjudicat. Lis ergo in fide et religione apud hæreticos interminabilis, ad ἄπειρον ducta sit oportet. Omnes enim ipsi Paulinis sententiis ad suas hæreses utuntur et abutuntur, et de earum sensu intelligentiaque perpetuo cum Orthodoxis, imo inter seipsos concertant.

Exemplo non obscuro, sed claro res patebit : asserit S. Paulus Christum in institutione Eucharistiæ dixisse : « Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus. » Idem iisdem verbis dixerunt Evangelistæ omnes, qui ultimam Christi cœnam enarrarunt. Calvinus et Calvini asseclæ verba Christi clara, simplicia, historica, testamentaria ultimæ voluntatis Christi, ad figuram et tropum torquent sensumque esse volunt : Hoc est figura corporis et sanguinis mei. Quid agitis? cornicibus, vobis ipsis, inquam, oculos configitis. Ad Scripturam orthodoxos provocatis, ad illam quasi judicem certum et clarum appellatis, per eam omnem traditionem Patrum et Ecclesiæ excuditis, Scripturam proferimus, Scripturæ verba clara et plana sunt : « Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus. » Nos planum et clarum verborum sensum amplectimur, vos illum declinatis; imo verba ipsa vestra explicatione invertitis et evertitis, quia pro corpore figuram et umbram corporis surrogatis; quo jure? qua fide? Pari jure et modo licebit omnia testamenta, omnes libros, omnes historias, fidem omnem subruere.

Incommoditas quæ sequuntur explicationem Calvinianam.

Asserit Scriptura Christum esse natum, passum, crucifixum : pari libertate, qua vos, exponet Manichæus Christum natum, passum et crucifixum esse, non revera, sed per figuram, speciem et apparentiam tantum. Asserit Scriptura Filium esse Deum : exponet more vestro Arius Filium esse Deum, non proprie, sed tropice per metonymiam, puta esse Deum, hoc est esse hominem divinum. Asserit Scriptura in fide SS. Trinitatis, Patris, et Filii et Spiritus Sancti, nos esse baptizandos : exponet vestro genio Sabellius, hæc tria significare Trinitatem, non personarum, sed nominum tantum, et potestatum unius ejusdemque personæ divinæ. Si in loco tam plano, tam claro nobis obstrepitis, si de sensu tam aperto nobiscum contenditis, quid facietis in locis plane obscuris et implicatis?

Quid? Vos ipsi in hoc aliisque Pauli locis, de Pauli mente acerrime inter vos ipsos digladiamini : quis lites hasce componet? quis hic judex sedebit? quis arbiter? Sane, nisi veneranda sæculorum omnium antiquitas causam definiat, nisi prisca majorum Patrumque fides causam veritatem ostendat, nisi Ecclesia, quæ columna est et firmamentum veritatis (Ecclesiæ enim a Christo data est S. Scriptura ejusque sensus conservatus, et sit ejus custos et doctrix), audiatur : nemo erit qui diem usque judicii, qui lites hasce resolvat et terminet. Quis credat Christum Dominum tam male consultusse et providisse Ecclesiæ suæ, ...

omnis alia hominum respublica suos judices habeat, qui lites quasvis decidant et determinent. Plurima talia recenset illustrissimus Cardinalis Bellarminus in suo opere *Controvers.*, quod vere est panoplia rectæ fidei opusque æterna memoria dignum. Prævidit hoc et præmonuit S. Petrus, quæ. II, cap. III : « Charissimus, inquit, frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut et in omnibus epistolis : in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti et instabiles depravant, sicut et cæteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem. »

Cæterum Paulum non Calvinianæ, nec Lutheranæ, sed Catholicæ et Romanæ fuisse religionis et fidei, nemo cum lectitans ambigere potest. Paulus enim asserit se fuisse cælibem, cælibatum laudat, virginitatem suadet; gloriatur in cruce, in jejuniis, in vigiliis; castigat corpus suum; reprobos fieri timet; merita bonorum operum commendat, denique eis redditurum coronam justitiæ asseverat; damnat eos qui fidem Deo datam, (vel), inquam, violant; docet homines esse liberi arbitrii, eisque ut liberis suadet et præcipit actus humilitatis, obedientiæ, charitatis, etc.; docet hominem sui peccati et damnationis esse auctorem, ac thesaurizare sibi iram, non Deum qui vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire, etc. Hæc loquitur, hæc scribit Paulus. Utri hæc docent, Catholicine et Romani, an Calvinistæ et Lutherani? Tuam fidem, tuum judicium, tuam conscientiam, o lector, appello. Scio, dices, Catholici, non Calvinistæ, nec Lutherani, qui nullos cælibes, nullas virgines habent, omnes conjugatos volunt, qui jejunia et pœnitentias horrent, corpus delicate habent, fide divina et speciali credunt singuli se prædestinatos et salvandos, merita operum execrantur, votifragi sunt et votifragos recipiunt ac laudant, docent homines libero carere arbitrio, Deum omnium humanorum operum, tam bonorum quam malorum, ac consequenter tam damnationis quam salvationis cujusque esse auctorem; fidem solam tenere peccata, justificare, salvare, etc. Quæ ergo conventio Christo cum Belial, luci cum tenebris, Paulo cum Calvino?

Paulus oceanus sapientiæ, zeli et spiritus divini.

Verum, missis hæreticis, ad nostros Orthodoxos redeamus. Paulus, ut dixi, oceanus et abyssus est tam sapientiæ, quam zeli et spiritus divini, atque utraque hæc ita mixtim et glomeratim cructat et convolvit, ut se ipse capere suamque vim exprimere non posse videatur; ac veluti

Paulus eum balista comparatur.

baliste nostræ nitrato ac sulphureo pulvere gravidæ, eo accenso ingentes ferri, æris, lapidum globos, fulminum instar, flammis eluctantibus cum horrendo fragore et fumi convolutione convorquent; ita incensum Pauli pectus sapientia æque ac spiritu gravidum et turgidum, cum densas utriusque flammas expromere et ejaculari nititur, quasi fumo intericantia fulgura, et crebra tonitrua verborum et sententiarum vomit et conglobat, eaque de causa menti audientium et legentium nebulam non raro effundit, quæ deinde si a doctore elucidetur et clarescat, in magnum doctrinæ et charitatis incendium flammescit. « Prædicatio mea, inquit ipse I *Corinth.* II, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis : ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. Sapientiam autem loquimur inter perfectos; sapientiam vero non hujus sæculi, neque principum hujus sæculi, qui destruuntur; sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram, quam nemo principum hujus sæculi cognovit. » Apostolus ergo sensu et rebus turgidus, ad verba et syntaxim non æque respexit, sed multa commiscet, inserit, incidit, mutilat, divaricat, absorbet. Hinc crebræ ei sunt apostropheses, mutilæ sententiæ, hyperbata, anantapodota, et id genus tropi, qui legenti vel interpreti supplendi vel ordinandi sunt. Taceo phrases Græcas et Hebraïcas : Paulus enim, uti Hebræus erat, ita hebraismis abundat. Atque hæc una inter alias obscuritatis harum epistolarum est causa, qua retardatus et revocatus S. Augustinus, vir licet tanti ingenii et eruditionis, commentarium olim in epistolam *ad Romanos* orsus, mox cessavit : « Coperam, ait S. Augustinus, Lib. I *Retract.*, cap. XXV, in epistolam ad Romanos : sed quoniam, si perficeretur, plures futuri erant libri, et ipsius operis labore ac magnitudine detereritus, in alia faciliora deflexus sum. » S. vero Chrysostomus, magnus Pauli admirator, interpres et asseela, quem delinceps Theophylactus, Photius, Œcumenius, Euthymius et alii secuti sunt, quique nobis quoque præ aliis in hoc commentario facem prælucebit : Chrysostomus, inquam, cujus maxima in Paulinis epistolis explicandis laus constat, felicius idi, sum tentavit, non suo, sed Pauli lumine et institutione. Sum enim hosce suos in Paulum commentarios dictavit, visus est vir quidam augustus, S. Pauli effigie et habitu, ei astare, qui ea quæ scriberet in lucem suggereret. Cujus rei testis oculatus est Proclus, qui postea factus est Episcopus Constantinopolitanus, apud Leonem Augustum in Vita S. Chrysostomi. Unde et Damascenus, *De Imagnib.*, orat. I, testatur S. Chrysostomum in museo perpetuo habuisse imaginem S. Pauli, in eamque sæpe oculos et animum intendisse. Denique graviter æque ac vere Eusebius, Lib. III *Hist.*, cap. XXIV : « Paulus, inquit, qui inter cæteros Apostolos eruditior etiam in verbis videtur, et in sensibus prepotens, non amplius quam parvulum epistolarum suarum corpus reliquit, quod utique immensa continet intra se atque innumera sacramenta : utpote qui usque ad tertium cœlum raptus, quæ gererentur inspexerat, et in ipsum quoque Deo dignum paradisum abductus. viderat ibi ineffabilia verba, et doctrinam illius interim scholæ discipulus effectus exceperat. »

Chrysostomus dicendi in his epistolis planissimus.

Unde obscuritas epistolæ Paulinæ.

S. Augustinus a commentariis in Paulum deterritus.

S. Chrysostomus auctori dux in hisce commentariis.

S. Chrysostomo in Paulum scribenti, Paulus ipse animose et scribenda egregie visus.

S. Chrysostomus ab imagine S. Pauli vultum hauserit. Eusebii grave de S. Paulo judicium.

CAPUT IV.

De virtutibus S. Pauli.

Quarto Paulus virtutum omnium illustre fuit speculum et exemplar : quippe qui eas exacte gentes omnes toto orbe dispersas docere debebat, non tam verbis quam factis : longa enim et languida est doctrina virtutum per verba; brevis vero et efficax eadem est per facta et exempla. Viderunt id quoque Gentiles Philosophi. Quare Epictetus, *Enchiridii* cap. XXIX : « Nunquam, inquit, te Philosophum profitearis, nec apud imperitos multum disputa de præceptis, velut in convivio, nec die quo pacto sit edendum, sed ede ut decet. Nam et oves non fœnum afferunt opilionibus, sed pastu intra se concocto exterius proferunt lanam. Et tu ergo ne verba ostendas imperitis, sed opera quæ verborum concoctionem sequuntur. »

Paulus ergo Christianæ virtutis et perfectionis magister peritissimus, eamdem magis vita et gestis quam sermone docuit et expressit. Unde II *Cor.* VI, 4 : « Exhibeamus (Græce συνιστάνες ἑαυτοὺς, id est *commendantes*, hoc est *commendamus*) nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu Sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma justitiæ a dextris et a sinistris. » « Paulus, inquit Chrysostomus omnium virtutum fuit area; adeo ut, etiamsi quis totum contra eum justorum chorum sigillatim appendat, inveniat trutinam virtutum ponderibus a Pauli parte depressam. » Porro virtutes has in hisce epistolis, quasi in horto quodam deliciarum ita inculente inseruit et expressit, ut, si Paulum non aliunde, certe ex scriptis suis agnoscas et admireris; quin et in teipso persentiscas. Sicut enim in sole diutius inambulantes, calorem inde sibi cum colore conciliant vel nescientes, nec advertentes; ita fieri non potest, ut qui non obiter et parergo, sed accurate et sedulo Paulum versat, Pauli sensu non afflatur ac spiritu. Age, si lubet, in hoc deliciarum paradiso inambulemus, libemus florem et pomum hinc inde unum.

Vis violam humilitatis? « Ego, inquit, sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei. Novissime omnium tanquam abortivo visus est et mihi Christus. Mihi omnium sanctorum minimo data est hæc gratia. Blasphemus fui, et persecutor, et contumeliosus. »

Vis myrrham pœnitentiæ? « Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum. Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne, cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar. Eramus aliquando et nos insipientes, incredduli, errantes, servientes desideriis et voluptatibus, in malitia et invidia agentes, odibiles, odientes invicem. Cum autem benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei, non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam, salvos nos fecit. »

Vis jugiandem temperantiæ? « Usque in hanc horam esurimus et sitimus. » Abstemium fuisse Paulum et nunquam vinum bibisse censet Baronius, anno Christi 36, et alii. Idque ex eo colligi potest, quod Timotheus, Pauli discipulus, ex Pauli utique institutione, exemplo et disciplina, abstemius fuerit. « Noli, inquit ipse, I *ad Timot.* cap. V, 23, adhuc aquam bibere, sed modico vino utere, propter stomachum tuum, et frequentes tuas infirmitates. » Idem colligitur ex voto nazaræatus, quod, ut satisfaceret Judæis, fecit Paulus, *Act.* XXI, statimque postero die explevit. At quomodo illud explere potuit postero die, atque purificari in templo, nisi jam ante sua consuetudine vino (quod proprium erat hujus ritus et nazaræatus, teste Josepho, lib. II *Belli*, cap. XV) abstinuisset? alioqui enim fuisset hæc non religio, sed potius quædam legis illusio, et simulatæ sanctitatis effictio, et tanquam in scena fabula, ac in re gesta affectatum mendacium, quæ omnia prorsus indigna sunt non solum tanto Apostolo, sed et quolibet Christiano.

Vis lilia castitatis? « Æmulor vos Dei æmulatione. Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo. » Rursum : « De virginibus præceptum Domini non habeo : consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis. Existimo enim hoc bonum esse, propter instantem necessitatem. Volo omnes homines esse sicut meipsum. » Unde liquet, Paulum non conjugalem, sed cælibem esse vitam, uti communis habet Patrum et Orthodoxorum sensus et consensus.

Vis palmam contemptus mundi, humanæ laudis et vituperii? « Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem. Mihi pro minimo est, ut a vobis judicer, aut ab humano die; sed neque meipsum judico : qui autem judicat me, Dominus est. »

Vis amaranthum crucis? « Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. Nemo mihi molestus sit : ego enim stigmata Domini nostri Jesu Christi in corpore meo porto. »

Vis rosam aculeatam amoris Christi? « Vivo ego, jam non ego; vivit vero in me Christus; mihi vivere Christus est, et mori lucrum. » Hæc etiam de causa singulis sæpe periodis nomen Jesu vel Christi repetit et personat; utpote quod plusquam adamantinis litteris cordi insculpserat. Sane si cui Sanctorum, Paulo certe, Jesus erat mel in

Fervor ubique in ore et calamo. Audiens eum Christo conversatio.

ore, melos in aure, jubilus in corde. Quam assidua fuerit Pauli cum Christo conversatio, docet S. Chrysostomus, hom. 55 *in Matth.*, cap. XVI : « Paulus, inquit, cum in terris esset, ubi Seraphim sunt, ibi conversabatur, propius Christo assistens quam hastati et stipatores isti regi assistunt : quippe cum isti aspectum hue illuc circumferant, ille vero nulla rerum specie motus universam mentis aciem ad regem (Christum) semper tenderet. »

Vis hyacinthum cœlestium cogitationum et desideriorum? « Fratres, jam non estis hospites et advenæ; sed estis cives Sanctorum et domestici Dei. Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus. Nostra conversatio in cœlis est : unde et Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. » Et vero omnia in hisce epistolis cœlestes spirant animos et ignes. Nec aliud in eis ubique agit Paulus, quam ut doceat omnes terrena despicere, concupiscentiæ turbines sedare, carnis fluxos et infimos, sed incensos amores restinguere, mentem ad cœlestia et ad Deum avocare, illi unire et sociare.

Vis heliotropium gratitudinis, orationis et devotionis? *Ephes.* I : « Benedictus, inquit, Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali, in cœlestibus, in Christo : sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate. Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo, in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum, secundum divitias gratiæ ejus quæ superabundavit in nobis, in omni sapientia et prudentia : ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ, secundum beneplacitum ejus, quod proposuit in eo, in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, et quæ in terra sunt, in ipso. In quo etiam et nos sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ : ut simus in laudem gloriæ ejus nos, qui ante speravimus in Christo. » En quos gurgites, quæ flumina gratiarum et laudum convolvit et revolvit, eructat et regurgitat in Deum omnium fontem.

Vis (ut alia præteream) malogranatum charitatis? Hoc sane in Paulo tam vernans, tam redolens, tam punice erubescensque adblanditur. Accipe et degusta : « Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? sicut scriptum est : Quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis. Sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Certus sum (πέπεισμαι, certo mihi persuadeo, fixum mihi et certum est) quia neque mors (comminata), neque vita (promissa), neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo; neque profundum (neque cœli, neque inferi), neque creatura alia (quæ esse aut fingi possit), poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro. »

Atque ne putes otiosa et inania hæc tantum esse amantis desideria, aut adulantis verba, audi efficacia charitatis verba. Hac charitate armatus Paulus, inquit Chrysostomus, Neronem omnesque tyrannos velut quosdam culices æstimabat; hac charitate labores, pericula, cruciatus, mortem, mille supplicia quasi ludum putabat esse puerorum; hac charitate Paulus vinctus Jesu Christi magis quam diademate coronatus gloriatur. « Ego, inquit ipse, in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. » Neque hic stetit amor Pauli, sed quotidie celsior assurgens, et quasi incorporeus, imo igneus ad omnes labores, quæ retro sunt obliviscens, ad ea vero quæ priora sunt, extendens seipsum, ad destinatum persequitur bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu : nec ante destitit, quam amori divino vicem redderet, illi vitam cum sudore et sanguine refudit et profudit. Miremur jam Paulum Dei amore ab Oriente in Occidentem pervolasse; miremur cum sua charitate totum mundum esse complexum; miremur cum tot terras et maria oberrasse. Nimirum consecrarat se ipse Deo et amori Christi, ideoque illi omnes homines totumque orbem offerre, et ex hominibus, imo brutis et dæmonibus angelos efficere, impensa sudoris et sanguinis sui salagebat; ac velut ignis ventusque validissimus totum mundum percurrit, percurrendoque purgavit. Pectus ergo Pauli fuit tentorium Christi, Deum toto orbe vehens et circumferens. Docet id S. Gregorius, lib. XXVII *Moral.*, cap. VIII, explicans illud Job, XXXVI, 29, *Si voluerit extendere nubes quasi tentorium* : « Cum catenis, ait, vinctus Romam peteret Paulus, occupaturus mundum, latens in ejus pectore quasi sub tentorio ibat Deus : quia et occultus videri non poterat, et per verba prædicationis proditus, iter inchoatæ gratiæ sine cessatione peragebat. » Ibat ergo sic Romam in Paulo Deus, ibat Christus, inde velut a capite invasurus et debellaturus mundum.

Dominus enim est, qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis. « Quotidie, inquit ipse, immolor propter gloriam vestram, fratres : sed etsi immolor super sacrificium et obsequium fidei vestræ, gaudeo et congratulor omnibus vobis. » Sim ego sacerdos, vos hostia, filiorum sanguis meus. Hac de causa, quasi pater qui totum orbem genuisset, sic perturbabatur, sic

Paulus ferrum ad sui similis.

Objectum charitatis ejus totus mundus.

Exemplum incredibilis charitatis in Paulo optatæ animæ pro Jesu data.

Immolat sanguinem Apostolicum.

sollicitus erat; sic omnes in regnum Dei festinabat inducere. « Instantia, inquit, mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum : quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror? » Hac de causa factus est Judæis tanquam sub lege, infirmis infirmus, omnibus omnia factus est, ut omnes Christo lucrifaceret. Hic amor coegit eum quasi matrem, os et verba mutare, alternis blandiendo, increpando, rogando, terrendo, consolando, et in omnes partes se suosque versando. « O insensati, inquit, Galatæ; » et statim blandiens : « Filioli, ait, mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis. » Et *Philip.* II : « Si qua ergo, ait, consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si quæ viscera miserationis; implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eamdem charitatem habentes. » En qua charitate se pene eviscerat. Denique Paulus charitate incensus non aliud satagebat, quam Dei cultum et gloriam propagare omnesque ad Dei fidem et amorem perducere.

« Sicut ferrum, inquit S. Chrysostomus, homil. 3 *De Pauli Laudibus*, missum in ignem totum ignis efficitur; sic Paulus charitate succensus, totus factus est charitas. Unde nunc per epistolas, nunc per exhortationes, nunc per preces, nunc per minas, nunc per se, nunc per suos omni studio conabatur erigere laborantes, stantes firmare, humi jacentes attollere, sanare contritos, torpentes animare, hostes refundere, more optimi ducis, militis et medici, omnium officiorum personas et munia unus ipse subibat. »

Accipe e multis unum vivum hujus charitatis in infensissimos infestissimosque sibi fere mactique hostes, Judæos et judaizantes, exemplum pariter et argumentum : « Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu Sancto : » non putes me adhelismo, amphibolia, rhetorica amplificatione uti; ne putes me ludere; testor Christum, testor conscientiam meam, testor Spiritum Sanctum hujus mei doloris et amoris conscios, imo causas : « Quoniam tristitia mihi magna est, et continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem. » Quid agis, Paule? nonne desipis? nonne contra charitatem, contra Christum, pro cæcis Judæis pugnas? Nequaquam, sed pro charitate contra charitatem in charitatem conitor et tendo; optabam et opto anathema esse a Christo; opto pro charitate Christi a Christo divelli; opto pro salute Judæorum, non ab amore, sed a beatitudine et gloria Christi, a Christo et cœlo, etiam in æternum, si opus sit, exul excludi : deposco pro eis esse anathema, deposco esse diris devotum caput : dempto peccato et charitatis naufragio, deposco mihi æternum eorum exitium. Opto oroque, Domine, omnia irarum tuarum fulmina Judæis imminentia, ut eis parcas, in meum caput retorqueas, vibres, effundas, exhamarias,

Me me, adsum qui feci, in me convertite ferrum.

CAPUT V.

De efficacia et fructu prædicationis S. Pauli.

Quinto, ex dictis consequitur admirabilem in Paulo exitisse agendi dicendique efficaciam, qua homines quoquoversum impelleret. Quid enim non persuadeat tantus zelus, tam ignita charitas? Si enim magnes ferrum ad se trahit, eamdemque vim ferro communicat, ut aliud ad se ferrum trahat: hoc iterum aliud et aliud, quasi catenam nectendo, ait S. Augustinus, sive hoc fiat vi a polo, ad quem vergit, magneti communicata; sive tanquam a fine, ut ipsum ferrum interna et innata virtute, naturali pondere se libret et moveat ad magnetem, quasi ad centrum suum; seu potius, ut passim censent melioris notæ Philosophi, id fiat ex sympathia quadam ferri et magnetis, per potentiam attractivam in magnete, quæ qualitatem seu vim impellentem imprimat ferro, qua illud ad se impellat et trahat : quidni homines rapiat amor? quidni Paulus sua ardenti charitate cm s sibi Christoque devinciat? magnes enim amoris est amor; efficacissimum philtrum ut ameris, est ama.

Disputante Paulo apud injustum et incestum præsidem Felicem de justitia, castitate et judicio futuro, tremefactus est Præses, quantumvis impius et sectatus. Pariter et Festus : « Insanis, inquit, Paule, multæ te litteræ ad insaniam convertant. » Cui Paulus : « Non insanio, optime Feste, sed veritatis et sobrietatis verba loquor. » Agrippa denique Rex : « In modico, inquit, suades me Christianum fieri. » Cui Paulus : « Opto apud Deum, et in modico, et in magno, non tantum te, sed etiam omnes qui audiunt hodie, fieri tales, qualis et ego sum, exceptis vinculis his. » Audi Lycaonios ad Pauli Evangelium et vocem attonitos, *Actor.* XIV : « Dii similes facti hominibus descenderunt ad nos, et vocabant Paulum Mercurium, quoniam ipse dux erat verbi, » illique tanquam Deo sacerdos Lycaonius hostiam parabat, quam eidem sacrificasset, ni Paulus ipse acri objurgatione prohibuisset.

Quod de Catone Majore in ejus Vita refert Plutarchus, eum de tribus tota vita indoluisse : *primo*, quod unquam secretum credidisset mulieri; *secundo*, quod navigio levissimo aliquo, quo perditus ire poterat; *tertio*, quod vel uno die mansisset intestatus in hac tam brevi, fragili incertaque vita : hoc de S. Augustino ferunt, eum tribus maxime delectatum, tria hæc unice optasse et desiderasse : *primo*, videre Christum in carne conversantem, *secundo*, cernere Romam in flore et pristino imperii splendore triumphantem; *tertio*, audire Paulum in sede et cathedra fulminantem.

Desiderat se ipse Apostolum.

De hisce tribus S. Augustini votis Ravisius, Lipsius et alii plures scripserunt. Sane si scripta Pauli et oratio mortua tantam vim habet ad animos legentium et audientium commovendos: quid fieret, *si* non Demosthenem, ut Æschines, sed Paulum audisses viva voce et spiritu sua verba resonantem? Potuit una Paulina vox lecta Augustinum convertere; quid fecisset integra vivaque oratio? Narrat ipse Augustinus, lib. VIII *Confess.*, cap. II, animi sui æstum et duellum, cum hinc in hæresi et libidine retineretur vinculis inolituræ consuetudinis et voluptatis, indemotu, gratia ac inspiratione Dei retraharetur, audisse se vocem inclamantem: « Tolle, lege: Tolle, lege; » apparuisse mox librum, ac Deo regente, oculos subito conjecisse in illud Pauli, *Roman.* XIII: « Non in comessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis, non in contentione et æmulatione; sed induimini Dominum Jesum Christum. » Qua sententia quasi fulmine ictus Augustinus litem dirimit, et ab hæresi ad fidem, a scortatione ad castitatem, non maritalem, sed religiosam, cœlibem omnino et intactum ultro se transtulit, eamque illibatam constanter in omnem omnino vitam conservavit.

S. Chrysostomus Pauli æstimator et discipulus.

S. Joannes Chrysostomus Paulum assidue versabat, et ex eo tantus evasit ecclesiastes, ut Chrysostomus, puta os aureum, dici meruerit. Quare idem Chrysostomus ecclesiastæ futuro non alium magis quam Paulum legendum censet. Addo ego, ipsum etiam Chrysostomum, Pauli imitatorem, eidem diligenter volvendum esse. S. Dominicus, illustris Prædicatorum Ordinis caput et fundator, dum suos ad id munus formaret et Prædicatores institueret, præ omnibus jussit, ut S. Scripturas et maxime S. Paulum assidue tererent. Ita Fratres ab eo missi ad prædicandum, sola Biblia, aut solas epistolas S. Pauli secum deferebant, indeque tanto spiritu concionabantur, ut plurimos converterent ad pœnitentiam: quin et ipse Dominicus epistolas S. Pauli totas callebat et memoria tenebat. Atque, quod rarum est et memorabile, ipse S. Paulus apparuit S. Dominico, suum illi offerens librum ad concionandum; itaque eum quasi prædicatorem, et Prædicatorum magistrum, consecravit, uti refert auctor Vitæ ejus, lib. II, cap. 1.

Concionatoris legendus Paulus et Chrysostomus.

S. Dominicus Paulum assidue versatus.

S. Dominicus ad Pauli epistolas.

S. Paulus S. Dominico epistolas suas ut instrumentum ad conciones tradit.

S. Paulus docet sanctum Thomam.

Similiter S. Thomæ Aquinati, S. Dominici alumno et discipulo atque Doctori Angelico, S. Paulus per noctem vigilanti et oranti apparuit eumque docuit, atque obscurum Isaiæ locum, qui plures dies eum torserat, cujusque explicationem multis jejuniis et orationibus a Deo postulaverat, explanavit, ut ipsemet socio et scribæ suo Reginaldo facilitatem dictandi insolitam advertenti, ab eo importunis precibus rogatus et pene coactus revelavit. Quocirca ea hora qua mortuus est S. Thomas in monasterio Fossæ novæ, F. Paulus Aquilinus insigni probitate et existimatione, in visione vidit illum Neapoli in frequenti auditorio prælegentem, et S. Paulum cum multa Sanctorum frequentia ingredientem in scholas. Cum autem S. Thomas e cathedra descenderet, honoris causa in ejus occursum processurus, Apostolus jussit eum pergere in prælectione suscepta. Sciscitabatur vero ex illo S. Thomas, num probe assentus esset mentem Epistolarum ejus. Apostolus respondit: « Quantum quidem assequi potest quispiam in mortali corpore. » Et subdidit: « At nunc tumen eo te perducturus sum ubi longe majori institueris cognitione et intelligentia. » Atque hæc dicens videbatur illum, apprehensa veste, secum e scholis educere. Tum vero F. Paulus Aquilinus cœpit clamare fortiter: « Succurrite, Fratres, succurrite: en F. Thomas aufertur a nobis. » Ad quos clamores excitati Fratres quærebant ex eo, quidnam vidisset ita clamitans. Illo autem visionem omnem ordine referente, hora annotatur; et facta diligenti inquisitione animadversum est ea ipsa Doctorem sanctum excessisse e vivis. Ita ad verbum habet ejus Vita. Discant Scholastici a S. Thoma studere S. Paulo: ita pariter ejus lumen et opem, præsertim in hora mortis, experientur.

Jam vero eadem prædicandi energia in Paulo, multis aliis capitibus illustrior evadit. *Primo*, si spectemus inculta novalia, barbaras, inquam, gentes, quas ipse primus Evangelio subegit, erudivit, excoluit, expolivit. « Sic, inquit ipse *Rom.* XV, prædicavi Evangelium hoc, non ubi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem, sed sicut scriptum est: Quibus non est annuntiatum de eo, videbunt, et qui non audierunt, intelligent. »

Vis prædicationis Pauli efficaci ratione illustrata: Primo, ex eo quod ipse primus ad multas Evangelium detulerit.

Secundo, quod ipse amplissime Christi fidem a Jerusalem ad Illyricum usque, per omnes intermedias provincias propagarit. « Non audeo, inquit ibidem, aliquid loqui eorum quæ per me non efficit Christus in obedientiam Gentium, verbis et factis, in virtute signorum et prodigiorum, in virtute Spiritus Sancti: ita ut ab Jerusalem per circuitum usque ad Illyricum repleverim Evangelium Christi. » Inde ab Illyrico in Italiam et Hispaniam pergens, easdem aliasque provincias evangelizando peragravit. Imo vero S. Irenæus, lib. III, cap. 1, diserte asserit Paulum una cum Petro Romæ evangelizasse, ac Romanam Ecclesiam (quæ caput et matrix est omnium Ecclesiarum) fundasse.

Secundo, quod ipse amplissime Christi fidem a Jerusalem ad Illyricum usque, per omnes intermedias provincias propagarit.

Comparatio Pauli cum Elia.

Regiones a Paulo prædicatione peragratæ.

Denique tota Ecclesia Paulum quasi suum totiusque orbis doctorem colit et indigitat, atque antonomastice Apostolum nominat. Unde in Collecta de S. Paulo ita precatur: « Deus qui universum mundum S. Pauli Apostoli prædicatione docuisti. » Quare merito S. Paulum admiratur Chrysostomus, homil. 4 *De ejus Laudibus*: « Etenim, inquit, homo ignobilis (Paulus), abjectus, et circumforaneus, qui artem exercebat in pellibus, in tantum virtute progressus est, ut vix triginta annorum spatio Romanos et Persas et Parthos et Medos et Indos et Scythas et Ethiopas et Sauromatas et Saracenos, et omne prorsus humanum genus sub jugum mitteret veritatis. »

Tertio, quod divini spiritus vehementia æstuarit.

Tertio, ex sapientia et spiritu vehementi, quo afflatus et inflammatus Paulus ignes divinos ejaculabatur, eosque omnibus, etiam potentibus, principibus et sapientibus mundi aspirabat, et vel invitos accendebat, atque ad cœlestia rapiebat. « Sermo, inquit, noster non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis. » Difficile idipsum non potuit Lucianus Paulo coævus, sed Pauli et Christianorum hostis et sannio, qui in *Philopatro* ita Paulum pingit et ridet: « Quando autem Galilæus ille recalvaster, naso aquilino, qui in tertium usque cœlum per aerem ingressus, quæ optima et pulcherrima sunt, inde didicit, per aquam nos renovavit, in beatorum vestigia insistere fecit, et ex impiorum regionibus nos redemit. » Beatus Cyrillus, lib. III *Dialogorum de SS. Trinitate*, Paulum « Christi promptuarium » appellat, ex quo scilicet quaslibet Christi opes et dotes depromere possimus. Idem, lib. III *Contra Julian.*, asserit Paulum a Juliano Apostata vocatum esse magum: cui ipse respondet, Paulum hactenus vocari posse magum, quod sapienter incantarit Gentiles, eosque ad Christum traxerit conceinnitate et efficacia doctrinæ. Quo sensu Clemens Alexandrinus Christum vocat Pœonium medicum et incantatorem animarum.

Luciani de Pauli testimonium.

Pauli a Cyrillo vocatus promptuarius Christi: magus a Juliano.

De Elia ita scribit Ecclesiasticus, cap. XLVIII: « Surrexit Elias propheta quasi ignis, et verbum ipsius quasi facula ardebat. Qui dejecisti reges ad perniciem, et confregisti facile potentiam ipsorum, et gloriosos de lecto suo; qui audis in Sina judicium, qui receptus es in turbine ignis, in curru equorum igneorum. » Talis fuit Paulus. Cum rapiendus esset Elias in cœlum, obsecrabat eum Eliseus: « Obsecro, inquit, ut fiat in me duplex spiritus tuus. » Obsecravit, et impetravit: « Cumque pergerent, et incedentes sermocinarentur, ecce currus igneus et equi ignei diviserunt utrumque, et ascendit Elias per turbinem in cœlum. » Eliseus autem videbat et clamabat: « Pater mi, (quo raperis? tu qui es) currus Israel, et auriga ejus. » Pari modo Paulus quasi alter Eliseus, Christi Domini, quasi veri Eliæ, ascendentis in cœlum, duplicem videtur obtinuisse spiritum. E cœlo enim a Christo vocatus, imo ad cœlum raptus est Paulus; indeque rediit, quasi ignis, ut verbum ejus quasi facula arderet, ut merito illi pariter acclamare liceat: « Pater mi, currus Ecclesiæ, et auriga ejus! » Or solis universum orbem, quasi pater, charitatis visceribus, voce animoque complexus, tanquam auriga, Evangelii tui curru in cœlum subvexisti.

Effecta prædicationis Pauli.

Hoc ipsum, imo amplius asserit Chrysostomus, homil. 4 *De Laudibus S. Pauli*: « Sicut, inquit, radiis solis orientibus fugantur tenebræ, feræ latitant, recondunt se fures et latrones; sic prædicatione fulgente et Evangelium disseminante Paulo, fugabatur error veritasque remeabat; idololatria, ebrietates, comessationes, stupra, adulteria, aliaque dicta fœda defecerunt atque consumpta sunt, instar ceræ ignis vapore pereuntis, et instar palearum, quæ subito cremantur incendio. »

CAPUT VI.

De S. Pauli martyrio.

Causa mortis Pauli, quod una cum Petro Simonem Magum ejus Nero, cui Simon ob magicas præstigias erat gratus, in perseverit.

Sexto, nobilis fuit Pauli mors et martyrium multis nominibus. *Primo*, quod illud constantissimo subierit sub Nerone Cæsare, cujus crudelitas omnibus historiis celebratur. Rursum, quod Romæ passus sit in conspectu totius orbis. « Tunc, inquit Tertullianus, in *Scorpiaco*, cap. XV, Paulus civitatis Romanæ consequitur nativitatem, cum illic martyrii renascitur generositate. » Ad hæc, quod cum B. Petro, Apostolorum Principe, eodem anno et die occisus sit.

Altera mortis causa, quod pellicem Neronis detractum Christo et cœlum aliquæ rit.

Secundo, ex causa. Passim enim veteres tradunt Petrum et Paulum cum Simone Mago Romæ decertasse, ac de eo triumphasse, adeoque illum arte magica in cœlum evolantem suis precibus dejecisse, illique crura elisisse, ita ut sanguine ejus Nero, cui Simon ob magicas præstigias erat gratus, in deliciis, aspersus fuerit. Unde Suetonius, in *Nerone*, cap. XII, narrans a Nerone in theatro exhibitum spectaculum, quo Icarius hic exhiberetur volatus, sic ait: « Icarius primo statim conatu juxta cubiculum ejus decidit, ipsumque cruore respersit. » Hac de causa in Petrum et Paulum, quasi Simonis sui antagonistas, infensus Nero, eos ad necem persecutus est. Altera, et Paulo propria causa fuit, quam enarrat S. Chrysostomus, lib. I *Adversus Vitup. vitæ monasticæ*: « Paulus, inquit, pellicem Neronis, quam ille deperibat, cum induxisset fidei ac religionis sacramenta suscipere, persuaserat una incestum illum impurumque congressum declinare; hunc ille crimina objectans, corruptoremque nequam, flagitiosum ac nebulonem Paulum vocitans, primum conjecit in vincula; cum vero ut puellæ ejusmodi mollita atque consilia dare desineret, persuadere non posset, eumdem necavit. » Pro castitate ergo æque ac pro fide Paulus martyr occubuit.

Tertio, quod Paulus, præcisa cervice, pro sanguine lac profuderit, symbolum utique innocentiæ et castitatis, pro qua tuenda moriebatur. Hujus rei certus testis est S. Ambrosius, *serm.* 68, cum ait: « De Pauli cervice, cum eam persecutor gladio percussisset, dicitur fluxisse lactis magis unda, quam sanguinis, et mirum in modum sanctum Apostolum baptismi gratia, in ipsa cæde extitisse splendidum potius quam cruentum. Quid enim mirum, si abundat lacte nutritor Ecclesiæ, sicut ipse ad Corinthios ait: Lac vobis

potum dedi? » S. quoque Chrysostomus, orat. in *Principes Apostolorum* : « Beatus, inquit, Paulus, cui caput ense præcisum est, vir, cujus laudes verbis exprimi nequeunt : at cujusmodi ensis illius guttur, Dominicum, inquam, instrumentum, cœlo suspiciendum, et terræ tremendum, pervasit? qualis locus tuum, Paule, sanguinem excepit, qui lacteus apparuit in ejus veste, qui te percussit : qui quidem sanguis barbaricum illius animum reddens melle dulciorem, ut ipsa una cum sociis ad fidem traduceretur, ita effecit. » Nimirum in Paulo adimpletum est illud Jeremiæ : « Nazarei ejus candidiores nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores. »

Quarto, quod, ut ait hic Chrysostomus, Paulus suos carnifices, sua lactea nece, ad Christi fidem converterit. Addit *Martyrologium Romanum*, Beda, Usuardus et alii, Paulum cum duceretur ad mortem, tres milites apparitores convertisse, puta Longinum, Acestum et Megistum, ut habent acta SS. Nerei et Achillei, quos idem Nero martyrio affecit secunda julii, qua die eorum memoria in Menologiis et Ecclesia recolitur.

Deum militantes.

Quinto, quod resectum Pauli caput tres in terra quasi saltus dedit, et quolibet saltu e terra fontem elicuit, unum lactei, alios alterius saporis : cujus rei hanc dant causam, quod Pauli cervix recisa primo lac, deinde sanguinem dederit. Celebrimus est hic Romæ locus trium fontium, qui omnium peregrinorum concursu visitur.

Tres saltus dedit caput sanctum.

Memorabile est quod Jacobus de Vitriaco Cardinalis scribit in *Vita S. Mariæ Oigniacensis*, lib. II, cap. XI, scilicet S. Stephanum e cœlis lapsum interbisse martyrio S. Pauli, ejusque animam in cœlum transtulisse Deoque obtulisse : « Dicebat (S. Maria Oigniacensis rapta in extasim), inquit, cum de S. Stephano protomartyre caneret, quem paradisi rosarium appellabat, illi sub mortem oranti Dominum, pro munere declisse S. Paulum : et B. Paulo, peracto martyrio, e corpore excedenti S. Stephanum adfuisse, ejusque spiritum obtulisse Domino, atque dixisse : Domine, hoc ingenii et singulari munere tu me donasti? ego vero multiplici fructu auctum tibi illud reddo. »

Sexto, quod Pauli sepulcrum quasi nobilissimum victoriæ trophæum, totius orbis peregrinatione et Christianorum undequaque concursu celebretur uti pluribus dicam cap. VIII.

Porro S. Chrysostomus, S. Pauli studiosissimus atque ac peritissimus, loco jam citato asseverat Paulum occubuisse anno ætatis suæ sexagesimo octavo : quare eum occubuerit anno Neronis 13, et communior et verior habet Chronologorum sententia, sequitur eum occubuisse anno 34 a sua conversione, anno vero 36 a passione Christi : tot enim annos, scilicet 36, invenies, si ab anno Neronis 13 retrocedas, et computes ad annum Tiberii 18 quo passus est Christus : secundo autem anno a passione Christi conversus est Paulus. Rursum, si Paulus conversus ad Christum 34 annos laboravit pro Evangelio, et anno ætatis 68 occubuit, sequitur eum ad Christum esse conversum pariter anno ætatis suæ 34, ut totidem annos vixerit post conversionem, quod ante : si enim duplices annos 34, conficies 68, quæ est integra ætas vitæ S. Pauli. Alii volunt Paulum conversum esse anno ætatis 25, eo quod a Luca vocetur adolescens in lapidatione S. Stephani. Verum pro *adolescens* græce est νεανίας, id est juvenis, item homo audax, juvenili audacia et ferocia præditus, qualis erat Paulus anno ætatis 34. Quæ fuerit Pauli forma et statura, dicam II *Corinth.* X, 10.

Præterea quod scribit Nicephorus, lib. II, cap. XXXVI, Paulum tertio die e martyrio Neroni, uti ei prædixerat, apparuisse in visione, eique professum esse non esse aliam viam ad salutem, quam fidem in Jesum Christum : eaque visione mire consternatum fuisse Neronem. Porro de loco sepulcri S. Pauli divinitus designato, deque Orientalibus ejus corpus asportare volentibus, per tonitrua et fulgura deterritis, audi S. Gregorium, lib. III, *epist.* 30 : « De corporibus vero beatorum Apostolorum quid ego dicturus sum, dum constet quia eo tempore quo passi sunt, ex Oriente fideles venerunt, qui eorum corpora sicut civium suorum repeterent? Quæ ducta usque ad secundum urbis miliarium, in loco qui dicitur Catacumbas, collocata sunt. Sed dum ea exinde levare omnis eorum multitudo conveniens niteretur, ita eos vis tonitrui atque fulguris nimio metu terruit atque dispersit, ut talia denuo nullatenus attentare præsumerent. Tunc autem exeuntes Romani, qui hoc ex Domini pietate meruerant, eorum corpora levarunt, et in locis quibus anne sunt condita, posuerunt. »

Corpus sancti Pauli ad Catacumbas fulminee tectum.

Denique locus martyrii Pauli post eum ita nobilitatus est, ut plurimi Martyres ibidem cæsi sint, fueritque quasi communis Christianorum tumulus, ut jure Martyrium nuncupari possit. Avebant Christiani ibidem sanguinem profundere, ubi Paulus eorum doctor suum profuderat. Ut alios taceam, ibidem S. Zeno dux cum decem millibus militum, gloriosam pro Christo agonem et mortem obiit. Cum enim Diocletianus et Maximianus eos, quia Christiani erant, ad lutum, lapides et lateres convehendos in fabricam thermarum suarum damnassent; ea consummata, timentes ne ob numerum seditionem concitarent, omnes ad Agnas Salvias duci et capite plecti jusserunt. Celebrat Ecclesia eorum illum natalem in *Martyrologio* 9 julii. Quocirca ibidem locum monasterio suis adaptando delegit, et a Pontifice dono accepit S. Bernardus, in cujus præsentia Abbatem creavit eum, qui postea Summus Pontifex creatus, Eugenius III appellatus est, ad quem et scripsit libros *De Consideratione*. Ille ibidem vidit S. Bernardus, quasi alter Jacob, scalam ascendentium angelorum et descendentium : nimirum angeli tuentur locum, ubi Angelus ille cœlestis potius quam terrestris, puta S. Paulus, corpus pro Christo exuit, ac ad angelos evolavit. Loco ergo hoc civis sui, qui tot angelicos effecit homines, jure delectantur, et ad eum visendum colendumque, S. Bernardum omnesque Christianos invitarunt et invitant, in cujus rei memoriam ibidem sacellum ædificatum est, quod Scala cœli appellatur : ubi pro animabus e Purgatorio liberandis, Pontifices amplas indulgentias concesserunt. Hæc omnia templum, imo tria templa visitantibus, et tabellas juxta altare, in quibus hæc omnia descripta sunt, æque ac Annales Romanos legentibus, notissima et certissima sunt. Tribus enim templis locus hic S. Pauli decoratus et consecratus est : *primo*, S. Pauli; *secundo*, S. Vincentii et Anastasii; *tertio*, quod dicitur *Scala cœli*, ob visionem S. Bernardi quam jam recensui. Omitto basilicam imperatoriam, quam Constantinus Magnus non longe a loco martyrii, in honorem S. Pauli ædificavit, in qua corpus S. Pauli a S. Sylvestro Pontifice conditum est, de qua cap. VIII.

CAPUT VII.

De miraculis S. Pauli.

Septimo, miraculis maximis et plurimis Paulus excelluit. Pauca ex iis recenset Lucas in Actis; sed multa ex iis verbo perstringit dicens *Actor.* XIX, 11 : « Virtutesque non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli : ita ut etiam super languidos deferrentur a corpore ejus sudaria, et semicinctia, et recedebant ab eis langores, et spiritus nequam egrediebantur. » Addit Chrysostomus, hom. 8 in *epist. ad Rom.*, Paulum sua umbra non tantum morbos, æque ac Petrum depulisse, sed etiam mortuos suscitasse.

Umbra Pauli mortuos suscitavit.

Linguarum donum in Paulo.

Linguarum dono eminuit Paulus : licet enim illud in Pentecoste, utpote necdum conversus, cum cæteris Apostolis non acceperit, tamen postea speciatim a Christo infusum adeptus est : hoc enim ille, qui omnium gentium futurus erat doctor, necessarium erat ad evangelizandum tota Syria, Asia, Græcia, Macedonia, Achaia, Italia, Hispania. Unde ipse, I *Corint.* XIV, 18 : « Gratias, inquit, ago Deo meo, quod omnium vestrum lingua loquor.

Prophetiæ spiritus major fuit in Paulo : Christus enim qui Paulum primo sua præsentia convertit, *Actor.* IX, cum deinde per omnem viam et vitam ita direxit, ut non tam Paulus, quam Christus per Paulum omnia gessisse videatur. Ita Troade in Macedoniam per visionem eum evocavit, *Actor.* XVI, 9 : « Visio, inquit Lucas, per noctem Paulo ostensa est : Vir Macedo quidam erat stans, et deprecans eum, et dicens : Transiens in Macedoniam adjuva nos; ut autem visum vidit, statim quæsivimus proficisci in Macedoniam, certi facti quod vocasset nos Deus evangelizare eis. » Christus vero ita frequens apparuit Paulo, ut illi familiaris, in graviori quolibet casu occurreret et assisteret. Ita, *Actor.* XVIII, 9, Corinthi per visionem dixit Paulo : « Noli timere, sed loquere, et ne taceas; propter quod ego sum tecum : et nemo apponetur tibi ut noceat te; quoniam populus est mihi multus in hac civitate. » Ita Christo monente et adjuvante, periculum et insidias Judæorum Hierosolymæ evasit, *Actor.* XXII, 17 : « Factum est, inquit ipse, reverienti mihi in Jerusalem, et oranti in templo, fieri me in stupore mentis, et videre illum dicentem mihi : Festina, et exi velociter ex Jerusalem : quoniam non recipient testimonium tuum de me. Vade quoniam ego in nationes longe mittam te. » Rursum, *Actor.* XXIII, cum Hierosolymæ captus esset Paulus, « nocte assistens ei Dominus ait : Constans esto; sicut enim testificatus es de me in Jerusalem, sic te oportet et Romæ testificari. »

Christus Ecclesiæ parens fundissimus.

Christus Paulum muniit.

Pari modo in naufragio Adriatico, submisso angelo affuit ei, eumque, et propter ipsum 276 animas certo mortis periculo liberavit, *Act.* XXVII, 22 : « Nunc, inquit ipse, suadeo vobis bono animo esse : amissio enim nullius animæ erit ex vobis, præterquam navis. Astitit enim mihi hac nocte angelus Dei, cujus sum ego, et cui deservio, dicens : Ne timeas, Paule, Cæsari te oportet assistere : et ecce donavit tibi Deus omnes qui navigant tecum. » Sic cum sisteretur quasi reus Neroni, II *Timoth.* IV, 16 : « In prima, inquit, mea defensione nemo mihi affuit, sed omnes me dereliquerunt. Dominus autem mihi astitit et confortavit me, ut per me prædicatio impleatur, et audiant omnes gentes : et liberatus sum de ore leonis. »

Naufragio Paulo adest angelus.

Quid multa? unicus ille raptus in tertium cœlum, quem soli Paulo, nulli alteri Apostolorum vel Prophetarum, concessum legimus, luculentium perhibet testimonium prophetiæ et exstasibus Pauli. Rursum, plures alias revelationes habuisse Paulum, easque præsertim silentio, manifestum est ex eo quod ipse ait II *ad Corinth.* XII, 1 : « Veniam ad visiones et revelationes Domini. » Et post enarratum sui raptum : « Si, inquit, volnero gloriari, non ero insipiens : parco autem, ne quis me existimet supra id quod videt in me; et ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Satanæ, qui me colaphizet. »

Raptus in tertium cœlum.

Revelationes Paulo factæ.

Mortuos suscitavit Paulus, uti Eutychum adolescentem illum, *Act.* XX, qui in concione Pauli indormiens, lapsusque ex alto expiravit. Super quem Paulus incumbens eumque complexus dicit : « Nolite turbari, anima enim ejus in ipso est. » De suis hisce miraculis scribens I *ad Thessalonicenses* Paulus, statim initio : « Evangelium, inquit, nostrum non fuit ad vos in sermone tantum, sed et in virtute, et in Spiritu Sancto, et in plenitudine multa. » Et II *Cor.* XII, 12 : « Signa,

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON
Biblioteca Universitaria "A. Reyes"

inquit, apostolatus mei facta sunt super vos, in omni patientia, in signis, et prodigiis, et virtutibus... » Nox ut a Spiritu Sancto Paulus segregatus, designatus et missus est evangelizare Gentibus, cum Paphum pervenisset, primum edidit miraculum, quo suam vim et potentiam non tantum in homines, etiam magos, sed vel maxime in dæmones ostendit, eosque subegit et compescuit. Elymam magum, qui Paulum Proconsulem a fide avertebat, intuens Paulus dixit : « O plene omni dolo et omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis justitiæ, non desinis subvertere vias Domini rectas. Et nunc ecce manus Domini super te, et eris cæcus, non videns solem. Et confestim cecidit in eum caligo et tenebræ, et circuiens quærebat qui ei manum daret. Tunc Proconsul credidit, admirans super doctrina Domini, » *Act.* XIII, 10.

Viperam illæsus e manu excutit.

Lycaonii vero videntes miracula Pauli, stupefacti exclamaverunt eum esse Deum, *Act.* XIV. Pari modo Melitenses, cum vipera invasisset manum Pauli, *Act.* XXVIII, putarentque eum mox veneno ejus inflandum et enectum iri, videntes eum viperam excutere nihilque ab ea læsi, dicebant eum esse Deum et inviolabile numen.

Atque hic adverte memorabile continuumque miraculum, quod Deus insulæ Melitæ, sive Maltæ, ab eo tempore ob S. Pauli merita concessit; ut scilicet in ea insula serpentes et scorpiones, qui alibi sunt lethales, Pauli munere sint innoxii; adeoque ut quævis animalia venenata, etiam aliunde transportata, venenum in Melita ponant necendique facultate destituantur, quin et glebæ ejusdem insulæ contra venena antidotum præbeant, quam insulani gratiam sancti Pauli nominant, qua Paulus sinistram, quam deco quasi scelerato, quod a vipera invaderetur, opinionem conceperant Melitenses, in perpetuum abolevit, atque hospitii sui benevolentiam compensavit : nam ante hoc Pauli factum viperas aliosque serpentes in Malta, neque ac alibi noxius fuisse, patet ex eo quod insulani potabant Paulum a vipera correptum, mox extinguendum esse. Ita mihi Romæ narrarunt et asseverarunt nostri Patres Siculi, addentes hanc vim maxime sentiri in gleba, et frustis lapidis decisis ex carcere Melitensi, in quo transiens hospitatus fuit S. Paulus : quocirca eadem Romam afferuntur et distribuuntur, uti et mihi ab iisdem pars istius lapidis candidi instar cretæ, distributa et donata fuit.

Addit Alanus Copus, *Dialog.* III, cap. XXVIII, eos quos nasci contingit in festo Conversionis S. Pauli, puta 25 januarii, quæcumque eos orbis pars in lucem proferat, non horrere nec formidare angues; imo, quod majus est, sola saliva horum morsibus mederi. Idem asseverat, et ex certa experientia confirmat vir egregie doctus et exactus, Thomas Fazellus, *De Rebus Siculis*, decade I, lib. I, cap. I. Est genus hominum, qui se de cognatione Pauli temere et falso venditant; hi quæque angues contrectant, nec ab eis læduntur; verum compertum est istos contra anguium morsum antidotis efficacibus se præmunire.

Porro ostenta et prodigia a Paulo post mortem multa sunt edita. Pauca e multis afferam. S. Paulus cum S. Petro apparens Constantino Magno Imperatori curationem a lepra ei promisit, si curaret se baptizari a S. Sylvestro, et superstitionem omnem abjiceret, ac Christo templa ædificaret. Fecit imperata Constantinus, promissum præstitit Paulus, eumque sanum et purum sibi et suis restituit. Quare Constantinus insignem basilicam in gratiarum actionem nomine S. Pauli erexit. De qua cap. VIII. Ita ex monumentis Romanæ Ecclesiæ narrat Baronius in gestis Constantini.

S. Ambrosius, lib. VII, *epist.* 33, narrat sibi vigilanti apparuisse S. Paulum, et revelasse corpora SS. Gervasii et Protasii martyrum, dicendo : « Isti sunt qui monitis meis obtemperantes, prædia et divitias respuentes, secuti sunt Domini Jesu Christi vestigia, nihil terrenum, nihil carnale concupiscentes, in media hac Mediolanensi urbe per decem annos in Dei servitio perdurantes, ad hoc pertingere meruere, ut Christi martyres fierent. Quorum corpora in eo loco invenies, in quo stas et oras. Duodecim pedum altitudine terra coopertam arcam invenies, quam arcam superius exaltabis, et in nomine eorum ecclesiam fabricabis. » Quæ omnia reipsa explesse se narrat S. Ambrosius.

Insigne est quod refert S. Gregorius, lib. III *Dialog.*, cap. XXIX, de quodam Ariano Episcopo templum S. Pauli invadente, ab eo excusato : « Cum ad Spoletanam, inquit, urbem Longobardorum Episcopus (scilicet Arianus) venisset, et locum illic ubi solemnia sua ageret, non haberet, cepit ab ejus civitatis Episcopo ecclesiam petere, quam suo errori dedicaret. Quod dum valde Episcopus negaret, idem qui venerat Arianus beati Pauli Apostoli ecclesiam illic cominus sitam, se die altero violenter intraturum esse professus est. Quod ejusdem ecclesiæ custos audiens festinus cucurrit, ecclesiam clausit, seris munivit. Facto autem vespere lampades omnes extinxit, seque in interioribus abscondit. In ipso autem subsequentis lucis crepusculo Arianus Episcopus collecta multitudine advenit, clausas ecclesiæ januas effringere paratus : sed repente cunctæ simul portæ divinitus conexæ, abjectis longius seris, apertæ sunt, atque cum magno sonitu omnia ecclesiæ claustra patuerunt. Effuso desuper lumine, omnes quæ extinctæ fuerant lampades, accensæ sunt. Arianus vero Episcopus, qui vim facturus advenerat, subita cæcitate percussus est, atque alienis jam manibus ad suum habitaculum reductus. Quod cum Longobardi in eadem regione positi omnes agnoscerent, nequaquam ulterius præsumpserunt Catholica loca temerare. Miro enim modo res gesta est, ut quia ejusdem Ariani causa lampades in ecclesia beati Pauli fuerant exstinctæ, uno eodemque tempore et ipse

lumen perderet, et in ecclesiam lumen rediret. »

B. Gregorius Turonensis, lib. *De Gloria Martyrum*, cap. XXIX, narrat quemdam ex desperatione voluentem se strangulare, ac opem S. Pauli implorantem, ab eo fuisse liberatum, mentique et vitæ meliori redditum.

Alberto Magno torquenti se in quibusdam locis difficilibus S. Dionysii *De Ecclesiæ Hierarch.*, cum ea elucidare non posset, apparuit per visionem S. Paulus quasi Missam celebrans, ac post Missam duxit Albertum ad aquas profundas instar illarum Ezechielis, cap. XLVII, vers. 3, et ad domum Aaronis; cumque, eo aquas sicco pede transeunte, Albertus ab eo invitatus sequi, easque tranare non posset, evigilavit, ac resolutionem dubiorum suorum, mentem Apostolo illustrante accepit, uti ipsismet Alberti verbis narrat Ludovicus Castiglius, gravis auctor, in *Historia Ordinis S. Dominici*, part. I, lib. III, cap. XLVII. Illustra et mentem meam, o S. Paule, ut profundum hoc mare tuum, et S. Scripturæ oceanum intelligendo et explicando, penetrare ac permeare valeam.

De reliquiis S. Pauli missis in Gallias, quarum ope navigantes evaserunt naufragium, narrat idem Gregorius Turonensis, *De Gloria Martyrum*, cap. LXXXIII. Quin et catenæ et carcer Apostolorum etiamnum miraculis corruscant. Catenæ S. Petri integræ visuntur in basilica quam in earum honorem augustam extruxit Eudoxia Imperatrix. Sane sæpius eas vidi et collo imposui, ac semper ingenti devotionis et dulcedinis internæ spiritu perfundi me sensi. Catenarum S. Pauli, uti et scipiotus, sive baculi ejus viatorii pars ostenditur in basilica S. Pauli, ipso conversionis ejus die. Carcer Mamertinus ad radices Capitolii, in quem a Nerone conclusi fuere Petrus et Paulus, nunc in sacellum conversus, quotidie ab indigenis, uti et a Romipetis, ingenti concursu et veneratione visitur, ac spirat afflatque devotionem. Exstat in eo etiamnum aqua et fons quem S. Petrus orans per miraculum elicuit, ut S. Processum et Martinianum, custodes carceris, a se conversos, baptizaret : ex quo quotidie hauriunt peregrini, ac a febribus aliisque morbis liberantur.

Memorat Nicetas, lib. I, Andronicum Comnenum Imperatorem S. Paulo aureum erexisse imaginem, in templo quadraginta Martyrum, eamque ante mortem Andronici, quasi eam portenderet, lacrymatam esse; terserunt famuli lacrymas imaginis : illa uberiores profudit, quasi vivens in ea Paulus, ex visceribus misericordiæ, Imperatoris in se pii, licet alias impii, necem doleret et fleret.

CAPUT VIII.

De S. Pauli fama et gloria.

Octavo, quanta sit et fuerit Pauli fama et gloria, colligi potest, *primo*, ex iis quæ hactenus dicta sunt; *secundo*, ex eo quod, sicuti Moses Judæorum, ita Paulus Gentium habitus et vocatus sit legislator et doctor; *tertio*, quod Petrus et Paulus censeantur duo Ecclesiæ principes. Unde S. Augustinus, lib. *De Consensu Evangel.*, cap. X, affirmat olim moris fuisse, ut in qua tabula Christi effigies picta extaret, in eadem hinc inde Petrus et Paulus, quasi Apostolorum duces, appingerentur. Sic etiamnum videmus in altaribus Paulum Petro appingi, idque a dextris Petri, cujus rei varias causas afferunt illustrissimi Cardinales Bellarminus et Baronius.

Pulchre Venantius Fortunatus, lib. III *Carm.*, Paulum cum Petro ita comparat et combinat :

Cælorum portæ, læti duo lumina mundi,
Ore tonat Paulus, fulgorat arce Petrus.
Inter Apostolicos radianti luce coronas
Doctior hic monitis, celsior ille gradu.
Corda per hunc hominum reserantur, et astra per illum :
Quos docet ille stylo, suscipit ille polo.
Pandit iter cœlis hic dogmate, claviger alter
Est via cui Paulus, janua fida Petrus.
A facie hostili duo propugnacula præsunt,
Quos fidei turres Urbs, caput orbis, habet.

Unde S. Leo loquens de SS. Petro et Paulo, *serm.* I : « Duo, inquit, ista præclara divini germina seminis, in quantam sobolem germinarint, beatorum millia Martyrum protestantur, qui Apostolicorum æmuli triumphorum, urbem nostram purpuratis et longe lateque rutilantibus populis ambierunt, et quasi ex multarum honore gemmarum consorto uno diademate coronarunt. » Et de iisdem inferius : « In horum excellentia Patrum merito est excellentium gloriandum, quos gratia Dei in tantum apicem, inter omnia Ecclesiæ membra provexit, ut eos in corpore, cui caput est Christus, quasi geminum constituerit lumen oculorum : de quorum meritis atque virtutibus, quæ omnem loquendi superant facultatem, nihil diversum, nihil debemus sentire disceptum; quia illos et electio parea, et labor similes, et finis fecit æquales. »

Et S. Chrysostomus, hom. 32 *in epist. ad Rom.* : « Ego, inquit, Romam propterea diligo, tametsi et aliunde eam laudare queam, nempe a magnificentia, ab antiquitate, a pulchritudine, a divitiis, a bellis et triumphis. Sed relictis omnibus illis, ob id illam beatam prædico, quod erga illos Paulus, dum viveret, adeo fuit benevolus, adeo illos amavit, coram discerit, et postremo vitam finivit. Unde et civitas ista hinc facta est insignis, plusquam a reliquis omnibus, et sicut corpus magnum ac validum duos habet oculos illustres, Sanctorum videlicet illorum corpora. Non ita cœlum splendescit, quando radios suos sol ex sese dimittit, sicuti Roma duas illas lampades ubique terrarum effundens. Considerate quale spectaculum visura sit Roma in resurrectione : hinc rapietur Paulus, inde Petrus in occursum Domini. Propterea celebro hanc urbem, non

propter copiam auri, non propter columnas, neque propter aliam phantasiam, sed propter columnas illas Ecclesiæ. »

Reliquiarum Pauli cultus. Chrysostomus defenderat vehere et venerari sepulcrum Pauli.

Quarto, quod ad Paulum Paulique sacras reliquias venerandas, e toto orbe Christiani Romam confluant. Audi rursum Chrysostomum, *hom.* jam citata, ad Pauli sepulcrum suspirantem : « Quis mihi nunc dabit circumfundi corpori Pauli, affigi sepulcro, videre pulverem corporis illius quæ adhuc in Christo decrant implentis, stigmata illius gestantis, prædicationem Evangelii ubique seminantis, pulverem, inquam, oris illius, per quod Christus locutus est. » Et paulo post : « Vellem videre sepulcrum, quo recondita sunt arma justitiæ, arma lucis, membra nunc viventia, tunc vero cum in hac vita essent, mortua. »

Imperatores Petri et Pauli sepulcra venerantur.

Testatur S. Augustinus, serm. 28 *De Sanctis*, sub fine, et *epist.* 42, quod Christiani imperatores reddita jam pace Ecclesiæ, ad sepulcra hæc Petri et Pauli se venerabundi abjecerint, et ibi radicet gemmis diadematis, ubi fulgent beneficia flectentibus genua concesserit. « Nam et ipse ille, inquit Augustinus, purpura indutus peregre profecturus sepulcra illa complexurus, et fastu deposito contingit Sanctos, rogans ut sibi apud Deum patrocinentur; et tabernaculorum opificem et piscatorem patronos, etiam mortuos, deprecatur ille diadema gestans. » Ita Galla Placidia, Theodosii imperatoris uxor, epist. *ad Pulchriam Augustam* scripta, testatur se Romam ivisse non aliam ob causam, quam ut sacra Apostolorum limina viseret et venerarentur. Idem fecerant alii reges et principes. Unde S. Chrysostomus, hom. *Quod Christus sit Deus* : « Relictis, inquit, omnibus, ad sepulcra piscatoris et pellionis (scenopegi Pauli) currunt et reges et præsides et milites. Et in Constantinopoli reges nostri magnam gratiam putant, si non prope Apostolos, sed si vel extra eorum vestibula, corpora sua sepeliantur. » Et in II *ad Timoth.*, hom. 4 : « Nullus, inquit, ex Romanis regibus tanto in honore fuit, quanto hic est (Paulus); cæterum imperator foris alicubi jacet abjectus : hic autem velut vivens et regnans medium urbis tenet; longe imperatore clarior est et honoratior pellium sutor. » Quinimo, vigente et fervente persecutione, hæc sepulcra ex Oriente et Occidente, etiam cum capitis periculo, adibant certatim Christiani. Ita ex Perside venisse constat Marthan, Marium et Audifacem temporibus Claudii imperatoris ad limina Petri et Pauli, atque suæ peregrinationis præmium retulisse martyrium, quorum dies natalis sacris fastis ascriptus, in Ecclesia recolitur 19 januarii.

Porro solent fideles ad sepulcra SS. Petri et Pauli venerabundi, plane in terram se prosternere, pavimentum osculari, et toto quasi corpore proni eis supplicare. Neque id soli plebeii faciunt, sed et viri gravis ac Prælati : uti Cardinalem Baronium quotidie ea visitasse, ac supplicem toto corpore procubuisse humum deosculando vidit et laudavit tota Roma. Neque id recens et novum : vetus fuit ille fidelium mos. Romipetæ enim in terram procidui, limina Apostolorum osculabantur. Ita Prudentius in hymno S. Laurentii canit :

> Apostolorum ac Martyrum
> Exosculantur nomina.

Et in hymno S. Hippolyti :

> Oscula perpicax figunt impressa metallo.

Sidonius Apollinaris, lib. I, *epist.* 5, de se ita scribit : « Triumphalibus Apostolorum liminibus affusus, omnem protinus sensi membris male fortibus explosum esse languorem : post quæ cœlestis experimenta patrocinii, conducti diversorii parte susceptus, » etc. Idipsum docet S. Chrysostomus loco citato; quin et hom. 30 *in epist. ad Corinth.*, ait fideles solere januas et vestibula templi deosculari; et Cassiodorus, *Histor. Tripart.*, lib. IX, cap. XXX, et Fortunatus, lib. IV *De Vita sancti Martini* :

> Rursus Apollinaris prælati limina lambe,
> Fessus humi supplex.

Et Arator, *Histor. Apost.*, lib II, agens de Philippensi templo in honorem S. Pauli :

> Quam bene cancer erit : tota concurritur urbe,
> Qui primus nova tecta petat, quive oscula figat
> Postibus, et tacta sacretur parte cylindri.

Petrus Arvernus Venerabilis, lib. I *De Ecclesiis*, agens de liminibus Apostolorum : « Ab eisdem, ait, fidelibus dulcissime ac devotissime deosculantur. » Causam dat S. Hieronymus scribens nomine Paulæ et Eustochii ad Marcellam : quia in his « Petrus et Paulus, Christiani exercitus duces, sanguinem fudere pro Christo. » Quia et Paganos in gravi clade aut causa idipsum factitasse docet Arnobius, lib. I : « Cum per ornata supplices irent templa, cum deorum ante ora prostrati, limina ipsa converrerent oculis. » Et Tibullus :

> Non ego, si merear, dubitem procumbere templis,
> Et dare sacratis oscula liminibus.

Audi quid S. Gregorius scribat, lib III, *epist.* 30, Constantiæ Augustæ, quæ in honorem S. Pauli ecclesiam in palatio ædificaverat, ad eamque reliquias S. Pauli sibi mitti petebat : « Corpora, inquit, S. Petri et Pauli tantis in ecclesiis suis coruscant miraculis atque terroribus, ut neque ad orandum sine magno illuc timore possit accedi. Ego ad sacratissimum corpus S. Pauli aliquid meliorare volui; et quia necesse erat, ut juxta sepulcrum hujusmodi effodi altius debuisset, præpositus loci ipsius ossa aliqua, non quidem eidem sepulcro conjuncta, reperit : quæ quoniam levare præsumpsit, atque in alium locum trans-

ponere, apparentibus quibusdam tristibus signis, subita morte defunctus est. » Subdit S. Gregorius Orientales fideles voluisse tollere corpora SS. Petri et Pauli; sed per fulmina fuisse dispersos, uti cap. VII recensui, unde concludit : « Quis ergo nunc, serenissima Domina, tam temerarius possit existere, ut hæc sciens, eorum corpora non dico tangere, sed vel aliquatenus præsumat inspicere? » Denique ne Augustam vacuam dimittat : « De catenis, inquit, quas ipse S. Paulus collo et in manibus gestavit, ex quibus multa miracula in populo demonstrantur, partem aliquam vobis transmittere curabo, si tamen hanc tollere limando prævaluero. »

Quinto, Constantinus Imperator basilicam S. Paulo Apostolo, ex suggestione S. Sylvestri, inter viam Ostiensem et Tiberim erexit, et sanctum ejus corpus ita recondidit in ære et conclusit, sicut condiderat S. Petri in ejus basilica; atque ingentia eidem dona obtulit, quæ recenset Baronius anno Christi 324, p. 214 et 206. Imo, ipsemet Constantinus, epist. *ad Cathol.*, quæ habetur tom. I *Concil.*, ait se corpora Apostolorum Petri et Pauli in electro conclusisse : « Quia, inquit, electro nulla prævalet materia elementorum. » Unde Plinius asserit electrum esse pretiosius auro. Hanc basilicam postea Valentinianus Junior imperator amplissimam effecit anno Christi 386 : exstat Valentiniani hac de re rescriptum ad Salloslium, præfectum Urbis, lib. II *De Decur. urb. Roman.*, Cod. Theodos. Eamdem basilicam in expugnatione Romæ venerati sunt Gothi, ut eo confugientibus pepercerint : imo ipsimet Gothi S. Marcellam ejusque filiam Principiam, sanctissimas feminas atque cognatas, ad S. Pauli basilicam perduxerunt, ut custodirentur intactæ, uti refert S. Hieronymus, epist. 143 *ad Principiam*. Eadem basilica postea magnis donis ornata est a S. Gregorio et a Sergio Pontifice, qui et hospitium S. Pauli Romæ in ecclesiam convertit : quæ etiamnum exstat eisque vicina Collegio nostro Romano, ut multum mihi gratuler, quod in vicinia S. Pauli habitem, eamque assidue cominus quasi intuear; ac vocatur « ecclesia Beatæ Mariæ in via lata. » Plurima alia magnificentissima templa in Italia, Hispania, Germania, Gallia, Anglia, Belgio et aliis provinciis in honorem S. Pauli exædificata scimus.

Quin in S. Pauli memoriam, et trophæa mox a martyrio fusse erecta, pluta ecclesiam ab Anacleto Pontifice, eumque servientibus persecutionibus perdurasse, magisque inclaruisse, docet ex Eusebio et aliis Baronius anno Christi 106, in fine. Ex toi etiam præsis principum Romanorum titulis et trophæis, Dei providentia factum est, ut duæ ingentes columnæ marmoreæ remanserint, Antonini Imperatoris una, altera Trajani, utriusque victoriis et triumphis incisæ et celatæ, quibus duæ Ecclesiæ columnæ a Sixto V Pontifice imponerentur. Itaque columnæ Antonini eleva-

Gloria rerum a Paulo gestarum.

ex aurichalco coruscus insistit S. Paulus, Trajani S. Petrus. Utraque adeo est illustris, ut in orbe nihil sit simile, sive materiam spectes, sive altitudinem (Trajani enim est 128 pedum), sive cælaturam, sive amplitudinem, sive cochleam, qua ab imo ad culmen per 185 gradus introrsum ascenditur; sive culminis coronicem ejusque peribolum et cancellos, quæ tam vasta sunt, ut plures simul circumcirca inambulare et libere exspatiari possint. Pari modo obelis as Augusti Cæsaris S. Petro cessit, ac hodie ante ejus basilicam erectus instar trophæi vel pyramidis triumphalis consistit : unde a civibus D. Petri *Aguglia* nuncupatur. Ita S. Petrus Augustum et Trajanum, S. Paulus Antoninum suo solio dejecit. Nam et hic Antonino cognomento Pio, revera impio, in immensum fuit plentior; et ille Trajano fuit melior, Augusto felicior. Nimirum hæ sunt duæ columnæ, *Jachin* et *Boos*, quas Salomon ante templum erexit, III *Reg.* VII, 21. *Jachin* enim, id est directio et regimen, notat S. Petrum, Ecclesiæ principem et rectorem; *Boos*, id est fortitudo et fortis executio, notat S. Paulum, doctorem Gentium.

Denique S. Chrysostomus, hom. 8 *De Laudibus S. Pauli*, in fine tomi III, Paulum rerum gestarum gloria universos Patriarchas, Prophetas, Apostolos Sanctosque omnes antecelluisse asseverat « Cui, inquit, te, o sancte Paule, justorum veteris vel novi Testamenti audeam comparare? Omnium quippe virtutem quasi in arca quadam, sed eum multo prorsus cumulo endidisti. Denique, etiamsi totum contra te aliqu s sigillatim justorum appendat chorum, inveni t trutinam virtutum ponderibus a tua parte de ressam. Paulus vere secundus Abel; verum ne n semel, sed per dies singulos immolatur : Pau us alter Noe, sed absque arca insurgentes adve sus se undas impietatis enavigans : Paulus alter Abraham, non modo a patria vel gente, sed post vocationem suam, ab ipsa etiam vita prorsus abscissus : Paulus alter Isaac, sponte in hostiam colligatus : Paulus alter Jacob, quasi pro uno quodam totius mundi grege semper invigilans : Paulus alter Joseph, spirituali fame tabescenti mundo veritatis alimenta distribuens : Paulus alter Moses, qui omnes gentes a tyrannide diaboli reduxit ad Christum. » Non hic sistit S. Chrysostomus; audi plures et plura : « Paulus alter Aaron, totius mundi populis inunctus sacerdos : Paulus alter Phineas, impietatem Judæorum atque Gentilium, quasi fornicationem mentium uno fidei mucrone confodens : Paulus alter David, qui velut quemdam Goliath in certamen diabolum provocat : Paulus alter Elias, cælorius raptus in cœlos : Paulus alter Eliseus, qui Gentes ab interiore Ispræ pollutione purgavit : Paulus alter Ezechias, qui ad unam fidem Christi diversos populos attraxit : Paulus alter Josias, qui abominationes Gentilium dissipavit ac perdidit : Paulus alter Joannes, pro Christo capite trunca-

Abraham.
Isaac.
Jacob.
Joseph.
Moi.
Aaron.
Phinees.
David.
Elias.
Eliseo.
Ezechiæ.
Josiæ.

tos : Paulus alter Petrus, de cœlo vocatus ad Evangelium : Paulus alter Gabriel, qui Christi ortum cunctis gentibus nuntiavit : Paulus alter Michael, qui Christianorum dux esse sortitus est. Etiamsi angelorum, etiamsi justorum hominum circumvolem choros, non invenio comparationem, cui non cumulo meritorum Paulus occurrat. »

ORATIO AUCTORIS

AD D. PAULUM

Aspice nos ex alto, S. Paule : tu enim es deliciæ animæ nostræ. Suscipe has, exiguas licet, primitias operum nostrorum, imo tuorum, quas tibi toto animo offerimus et reddimus. Impetra clienti tuo majorem indies sapientiam, lumen et gratiam, ut stadium hoc biblicum decurrere, et utrumque Testamentum a te toto orbe prædicatum, tuamque ac Christi gloriam illustrare, ac sudore, quin et sanguine meo, obsignare valeam. Hanc lauream, hanc unam laborum meorum omnium mercedem, a te enixe efflagito. Fiat in me, obsecro, hic spiritus tuus duplex. Da nobis quoque multos, si non Paulos, certe Paulinos, qui Belgium hocce nostrum, Hollandiam, Frisiam, Zelandiam totumque septentrionem, quin et Indias, universumque orbem, quasi Soles, spiritu Apostolico illuminent, convertant et igne divino inflamment; atque in ultimo mundi die nos Christo nostro, cum magna fidelium messe sistas dicasque : Ecce ego et pueri mei, quos dedisti mihi, Domine, in signum et portentum orbi.

ARGUMENTUM
IN
EPISTOLAS S. PAULI.

Duplex epistolarum S. Pauli objectum.

Duplex objectum in genere spectant hæ epistolæ, doctrinam scilicet et mores Christianos : prior enim pars cujusque fere epistolæ dogmatica est, in qua res fidei docet Apostolus; posterior ethica, in qua instruit mores fidelium, idque varie et mixtim, more epistolico, et more Hebræorum. Ubi nota *primo :* Res et mysteria fidei quælibet quidem docet hic Paulus, maxime tamen tria inculcat, scilicet, *primo*, Christi œconomiam et gratiam, Christumque solum esse Redemptorem nostrum, a quo omnis gratia, justitia et salus æterna petenda et exspectanda sit; *secundo*, judaismum et cæremonias Judaicas abrogatas esse per legem novam Christi ; *tertio*, cavendas esse hæreses jam tum suppullulantes, quas sæpe hic perstringit et confutat. Missi enim sunt Apostoli post Christum, ut per orbem hæc de Christo Christique redemptione et salute promulgarent, explicarent, inculcarent, stabilirent, utpote nova omnia et orbi inaudita, necessaria tamen ad salutem.

Tria maxime mysteria Paulus in epistolis inculcat.

Quibus epistolis judaismum et hæreses impugnet Apostolus? Quibus dubia et errores dissolvat?

Unde nota *secundo :* Quibusdam epistolis Paulus maxime judaizantes impugnat, et opera cæremoniasque non Christianas, sed Judaicas. Id facit epistola *ad Romanos*, *ad Galatas*, *ad Philippenses*, *ad Hebræos*. Aliis, hæreses nascentes evellit, puta Simonis Magi, cum sua schole, id est Menandri, Saturnini, Basilidis, Gnosticorum, Carpocratis, quos etiam vivis coloribus depingit Judas et S. Petrus *epistola secunda*. Id facit epistola *ad Ephesios*, *ad Colossenses*, *ad Timotheum*. Reliquis privatim eos ad quos scribit, instruit, eorum dubia resolvit, eosque in fide et officio Christiano confirmat et perficit. Id facit epistolis *ad Corinthios*, *ad Thessalonicenses*, *ad Timotheum*, *ad Titum*, *ad Philemonem*. Hæc autem omnia præstat eximia et admirabili tum sapientia, tum efficacia et spiritu.

Qui, et quo tempore vixerint hæretici quos confutat Paulus?

Nota *tertio*, hos hæreticos primævos, quos jam nominavi, coævos fuisse Apostolis. Nam Epiphanius, lib. I, *hæres.* 23, et Philastrius, *hæres.* 37, docet Cerinthum, qui illis fuit posterior, illam quæstionem de servandis legalibus Mosis simul cum christianismo movisse Antiochiæ : cujus solvendæ causa coactum est primum Concilium Hierosolymitanum, *Actor.* xv ; eumdemque concitasse Hierosolymis seditionem in Paulum, quasi præputiatos pessimos adduxisset in templum : de qua *Actor.* xxii. Nec mirum, Cerinthum diu adhuc postea vixisse pervenisseque ad annum Christi 166, ut docet Cæsar Baronius. Nam et S. Polycarpus, Dionysius, Simeon, S. Joannes et alii ea ætate diu vixerunt. Paulus ergo adversus errores horum Novatorum, nec non et Philosophorum ac Poetarum, ex quibus maxime sua dogmata consarcinarat Simonis schola, scripsit epistolam *ad Ephesios*, *ad Colossenses*, *ad Timotheum*, *ad Titum*. Unde facile intelligitur, quo sensu accipienda sint ea quæ de cavenda philosophia, de falsa religione angelorum, de superstitioso delectu ciborum, deque eorum similibus inculcat : videlicet eo sensu hæc accipienda esse, quo illa adstruebant Simoniani, ut suo loco demonstrabitur. Sicuti vice versa cum opera elevat Paulus, ut eadem Christi attollat, opera intelligit illa, quæ lex vetus dictabat et præscribebat, qualia jactabant Judæi, quasi suis lustrationibus, cæremoniis, sacrificiis justificarentur, nec indigerent fide, gratia, redemptione, Sacramentis et præceptis Christi.

Contra Simoniacos, Nicolaitas, Philosophos et Poetas quorum scripta epistolæ Pauli confutant.

Quam Philosophiam, quamque operis justificantis Apostolus damnet?

Nota *quarto* : Posteriore epistolæ parte, Paulus virtutes Christianas et ethicam Christia-

Secunda

tos : Paulus alter Petrus, de cœlo vocatus ad Evangelium : Paulus alter Gabriel, qui Christi ortum cunctis gentibus nuntiavit : Paulus alter Michael, qui Christianorum dux esse sortitus est. Etiamsi angelorum, etiamsi justorum hominum circumvolem choros, non invenio comparationem, cui non cumulo meritorum Paulus occurrat. »

ORATIO AUCTORIS

AD D. PAULUM

Aspice nos ex alto, S. Paule : tu enim es deliciæ animæ nostræ. Suscipe has, exiguas licet, primitias operum nostrorum, imo tuorum, quas tibi toto animo offerimus et reddimus. Impetra clienti tuo majorem indies sapientiam, lumen et gratiam, ut stadium hoc biblicum decurrere, et utrumque Testamentum a te toto orbe prædicatum, tuamque ac Christi gloriam illustrare, ac sudore, quin et sanguine meo, obsignare valeam. Hanc lauream, hanc unam laborum meorum omnium mercedem, a te enixe efflagito. Fiat in me, obsecro, hic spiritus tuus duplex. Da nobis quoque multos, si non Paulos, certe Paulinos, qui Belgium hocce nostrum, Hollandiam, Frisiam, Zelandiam totumque septentrionem, quin et Indias, universumque orbem, quasi Soles, spiritu Apostolico illuminent, convertant et igne divino inflamment; atque in ultimo mundi die nos Christo nostro, cum magna fidelium messe sistas dicasque : Ecce ego et pueri mei, quos dedisti mihi, Domine, in signum et portentum orbi.

ARGUMENTUM
IN
EPISTOLAS S. PAULI.

Duplex epistolarum S. Pauli objectum.

Duplex objectum in genere spectant hæ epistolæ, doctrinam scilicet et mores Christianos : prior enim pars cujusque fere epistolæ dogmatica est, in qua res fidei docet Apostolus; posterior ethica, in qua instruit mores fidelium, idque varie et mixtim, more epistolico, et more Hebræorum. Ubi nota *primo :* Res et mysteria fidei quælibet quidem docet hic Paulus, maxime tamen tria inculcat, scilicet, *primo*, Christi œconomiam et gratiam, Christumque solum esse Redemptorem nostrum, a quo omnis gratia, justitia et salus æterna petenda et exspectanda sit; *secundo*, judaismum et cæremonias Judaicas abrogatas esse per legem novam Christi ; *tertio*, cavendas esse hæreses jam tum suppullulantes, quas sæpe hic perstringit et confutat. Missi enim sunt Apostoli post Christum, ut per orbem hæc de Christo Christique redemptione et salute promulgarent, explicarent, inculcarent, stabilirent, utpote nova omnia et orbi inaudita, necessaria tamen ad salutem.

Tria maxime mysteria Paulus in epistolis inculcat.

Quibus epistolis judaismum et hæreses impugnet Apostolus? Quibus dubia et errores dissolvat?

Unde nota *secundo :* Quibusdam epistolis Paulus maxime judaizantes impugnat, et opera cæremoniasque non Christianas, sed Judaicas. Id facit epistola *ad Romanos*, *ad Galatas*, *ad Philippenses*, *ad Hebræos*. Aliis, hæreses nascentes evellit, puta Simonis Magi, cum sua schole, id est Menandri, Saturnini, Basilidis, Gnosticorum, Carpocratis, quos etiam vivis coloribus depingit Judas et S. Petrus *epistola secunda*. Id facit epistola *ad Ephesios*, *ad Colossenses*, *ad Timotheum*. Reliquis privatim eos ad quos scribit, instruit, eorum dubia resolvit, eosque in fide et officio Christiano confirmat et perficit. Id facit epistolis *ad Corinthios*, *ad Thessalonicenses*, *ad Timotheum*, *ad Titum*, *ad Philemonem*. Hæc autem omnia præstat eximia et admirabili tum sapientia, tum efficacia et spiritu.

Qui, et quo tempore vixerint hæretici quos confutat Paulus?

Nota *tertio*, hos hæreticos primævos, quos jam nominavi, coævos fuisse Apostolis. Nam Epiphanius, lib. I, *hæres.* 23, et Philastrius, *hæres.* 37, docet Cerinthum, qui illis fuit posterior, illam quæstionem de servandis legalibus Mosis simul cum christianismo movisse Antiochiæ : cujus solvendæ causa coactum est primum Concilium Hierosolymitanum, *Actor.* xv ; eumdemque concitasse Hierosolymis seditionem in Paulum, quasi præputiatos pessimos adduxisset in templum : de qua *Actor.* xxii. Nec mirum, Cerinthum diu adhuc postea vixisse pervenisseque ad annum Christi 166, ut docet Cæsar Baronius. Nam et S. Polycarpus, Dionysius, Simeon, S. Joannes et alii ea ætate diu vixerunt. Paulus ergo adversus errores horum Novatorum, nec non et Philosophorum ac Poetarum, ex quibus maxime sua dogmata consarcinarat Simonis schola, scripsit epistolam *ad Ephesios*, *ad Colossenses*, *ad Timotheum*, *ad Titum*. Unde facile intelligitur, quo sensu accipienda sint ea quæ de cavenda philosophia, de falsa religione angelorum, de superstitioso delectu ciborum, deque eorum similibus inculcat : videlicet eo sensu hæc accipienda esse, quo illa adstruebant Simoniani, ut suo loco demonstrabitur. Sicuti vice versa cum opera elevat Paulus, ut eadem Christi attollat, opera intelligit illa, quæ lex vetus dictabat et præscribebat, qualia jactabant Judæi, quasi suis lustrationibus, cæremoniis, sacrificiis justificarentur, nec indigerent fide, gratia, redemptione, Sacramentis et præceptis Christi.

Contra Simoniacos, Nicolaitas, Philosophos et Poetas quorum scripta epistolæ Pauli confutant.

Quam Philosophiam, quamque operis justificantis Apostolus damnet?

Nota *quarto* : Posteriore epistolæ parte, Paulus virtutes Christianas et ethicam Christia-

Secunda

et ubi in epistolis Paulus docet ethicem?

num docet, non per continuos discursus et tractatus, uti fecit Aristoteles aliique in suis ethicis, sed per varias gnomas, sive breves sententias, sæpe sine ordine congestas : hic enim fuit mos veterum Hebræorum, ut patet in Proverbiis, Ecclesiaste, Ecclesiastico ; et Græcorum, ut patet ex Phocylide, Hesiodo, Theognide.

Quæ Pauli scripta ejus-que? Editio Syriaca epistolarum ejus antiquitas et auctoritas?

Nota *quinto* : Omnes hæ epistolæ, excepta epistola *ad Romanos* et *ad Hebræos*, de quibus suis locis agendum est, scriptæ sunt græce, utpote ad Græcos.

Nota *sexto* : Extat Syriaca versio epistolarum et totius novi Testamenti, in Bibliis Regiis, qua etiamnum utuntur Christiani S. Thomæ in India, Babylonii et Æthiopes Abyssini. Guido Fabricius, qui eam in Latinum vertit, tradit Syros putare eam esse S. Marci Evangelistæ. Sed quia veteres, ut S. Athanasius, Cyrillus, Clemens, Hieronymus et alii, imo et S. Damascenus, qui in Syria vixerunt, ejus non meminerunt, cum de Scriptura et Scripturæ editionibus variis tractant, hinc videtur, hisce Patribus eorumque ætate Syriaca hæc versio esse posterior. Quædam etiam habet, quæ doctis non admodum placent. Denique idiotismus hujus Syriacæ versionis non respondet Syriacæ linguæ, qua usus est Christus, Marcus et Apostoli, ut ostendam in procemio epistolæ *ad Hebræos*. Illud tamen contra Novantes notandum, in titulis capitum hujus Syriacæ versionis præfigi dies jejuniorum, festorum, commemorationes Sanctorum, preces pro mortuis, venerationem Crucis et alios sacros ritus, quos vel hinc patet non esse inventos a Romanis Pontificibus, sed acceptos ab Apostolis, utpote quos Asianæ et Syriacæ Ecclesiæ quasi a suis Apostolis acceptos etiamnum servant, uti faciunt et Africanæ Ecclesiæ Abyssinorum sive Æthiopum, ut testatur Damianus a Goez, libro *De Fide et Moribus Æthiopum*.

Jejunia, festa, cultus crucis et Sanctorum, preces pro mortuis, venerationem crucis et alios ritus sacros Romanis Pontificibus?

Epistolæ quo loco, ordine, et tempore scriptæ?

Nota *septimo* : Hic videtur esse ordo harum epistolarum. *Primo*, scripta est a Paulo epistola prior *ad Thessalonicenses*, Corinthi, anno Christi 52. *Secundo*, posterior *ad Thessalonicenses* scripta est Corinthi, anno Christi 53. *Tertio*, prior *ad Corinthios* scripta est Ephesi, anno Christi 57. *Quarto*, prior *ad Timotheum* in Macedonia, vel, ut communior habet sententia, Laodiceæ (qua de re dicam in procemio primæ *ad Timotheum*) scripta est anno Christi 57. *Quinto*, secunda *ad Corinthios* scripta est Nicopoli, anno Christi 58. *Sexto*, epistola *ad Galatas* scripta est anno 58. *Septimo*, epistola *ad Romanos* scripta est Cenchris apud Corinthum, anno Christi 58. *Octavo*, epistola *ad Titum* e Græcia scripta est anno Christi 58. *Nono*, secunda *ad Timotheum* Romæ scripta est anno Christi 59. *Decimo*, epistola *ad Ephesios* scripta est Romæ anno Christi 59. *Undecimo*, epistola *ad Philippenses* Romæ scripta est anno Christi 60. *Duodecimo*, epistola *ad Colossenses* Romæ scripta est anno Christi 60. *Decimo tertio*, epistola *ad Philemonem* scripta est Romæ anno Christi 60. *Decimo quarto*, epistola *ad Hebræos* scripta est Romæ anno Christi 60. Ita Baronius annalium Ecclesiasticorum fax et pharus : cui per omnia assentior, excepta epist. II *ad Timotheum*, de qua ibi in fine dicendum. Paulo aliter hasce epistolas ordinant Theodoretus, Salmeron et Pererius. Ubi nota, sex ultimas scriptas esse Romæ e vinculis, ideoque plenæ sunt spiritu (1).

(1) Alio ordine D. Pauli epistolas disponit Dr Hanneberg, *Einleitung in's alte und neue Testament*, Ratisbonæ, 1852, scilicet : Utraque *ad Thessalonicenses* scripta est Corinthi, ann. æræ vulg. 53; epistola *ad Galatas* scripta est Ephesi, ann. 57; prior *ad Corinthios*, ibidem, ann. 57 vel 58; epistola *ad Titum*, ibidem, ann. 58; posterior *ad Corinthios*, Nicopoli, ann. 59; epistola *ad Romanos*, Corinthi, eodem anno; prior *ad Timotheum*, Paulo ante Pauli Hierosolymam adventum, eodem anno; posterior *ad Timotheum*, Cæsareæ, ann. 60; epistola *ad Hebræos*, ibidem, ann. 61; reliquæ vero scriptæ sunt Romæ, ann. 61-2.

At præplacet ordo et computus Doctoris Sepp, opere cui titulus in vernacula, *La Vie de Notre-Seigneur Jésus-Christ*, tom. II; hunc si sequamur, sicut jam in *Actorum* chronologia secuti sumus, singulis epistolis id tempus adscribendum erit, scilicet. Priorem *ad Thessalonicenses* Corinthi scripsit Paulus, ann. 50; posteriorem vero ibidem, ann. 51 ineunte; epistolam *ad Titum* scripsit Ephesi eodem anno, sequenti autem epistolam *ad Galatas*, ibidem; anno 54 ineunte, ibidem, scripsit *ad Corinthios* priorem; posteriorem vero in Macedonia, anno 64, mense junii; *ad Romanos* scripsit ex Achaia, ineunte anno 55; *ad Ephesios*, et iterum *ad Timo-*

Visum hic fuit commodum fore lectori, si generalia quædam documenta, quasi canones qui facem præferant, epistolis Paulinis præmitterem.

Sterum cum jam Romæ captivus esset, ann. 56; *ad Philemonem* autem, *ad Colossenses* et *ad Philippenses* item in vinculis Romæ, ann. 57; tandem *ad Hebræos*, ann. 58 ineunte, paulo ante emissionem e vinculis. — Plura reperies in singularum Epistolarum Argumentis.

De ordine autem, non jam temporis, sed *loci* quo in bibliis epistolæ receptæ sunt, pauca addam. Num, ut nemini ignotum est, non ut in Evangeliis, ita etiam in epistolis, ordo temporum in bibliis servatus est. Porro, apposite monuerunt interpretes, primum locum obtinuisse epistolas integris cœtibus, iisque dignioribus, scriptas; cæteris postremum aut remotiorem adscriptum. Itaque primo stat loco epistola *ad Romanos*, quia Roma caput orbis totiusque Ecclesiæ sedes est. Quam sequitur utraque *ad Corinthios*, quorum urbs in Græcia primas tenebat. Jam venit epistola *ad Galatas*, genti, non urbi scripta; deinde epistola *ad Philippenses*, quia Philippi, ex loco *Act.* XVI, 12, prave intellecto, Colossis et Thessalonica præstare existimabantur. Timotheus Titum antecedit, utpote Pauli comes. Epistolam denique *ad Hebræos*, quia diu de ea dubitatum fuit, in ultimum locum rejecerunt.

De Paulinarum epistolarum *authentia*, vid. D. Glaire, *Introduction aux livres de l'Anc. et du Nouv. Testam.*, tom. VI, p. 4 seqq. Hanc *authentiam* ex internis argumentis egregie demonstravit, tum William Paley in *Horis Paulinis*, tum De Voisin, *Autorité des livres du N. Testament*.

Denique de epistolarum Pauli stylo et indole, vid. D. Glaire, op. cit. ibid. p. 38 seqq.; Thaleman, *Erudition de l'Apôtre S. Paul*; J.-E. Cellérier, *De l'origine antique et divine du Nouv. Testament*, p. 302 seqq., necnon ejusdem *Essai d'une introduction critique au N. T.*, pag. 406 seqq.; Bossuet, *Panégyrique de S. Paul.*

CANONES RERUM.

Primus.

Sit ergo primus canon : Ut quis sensum genuinum tum aliarum Scripturarum, tum maxime S. Pauli assequatur, vestigandus maxime est scopus et intentio ejus, videlicet quorsum, quibus, contra quos loquatur, an contra Judæos, an contra Gentiles, an contra Simonem. Spiritus enim ejus sublimis et acer in partem in quam inclinat, ita vehementer fertur, ut in extrema declinare videatur, alterumque extremum negare. Ita sæpe, in lib. *Retract.*, se purgat S. Augustinus, quod olim contra Manichæos, qui dicebant omnia bona a Deo bono, omnia mala a Deo malo, quasi fato, **non autem ab homine libere fieri**, scribens, ita liberum arbitrium prædicarit, ut gratiæ oblitus esse videatur. Contra postea, orto Pelagio, hoste gratiæ, ita gratiam extollit, ut liberum arbitrium deprimere videatur. Sic, cum judaizantes oppugnat Paulus, dicit circumcisionem nihil esse, et vetera sacramenta fuisse infirma et egena elementa, *Galat.* cap. IV, 9. Sic, ut charitatem extollat apud Corinthios in dono linguarum gloriantes, dicit sine charitate cætera dona omnia nihil esse, nihil prodesse, I *Corinth.* XIII, 2. Sic, ut supra Aaronem exaltet Melchisedech, dicit *ad Hebr.* VII, 1, eum fuisse sine patre, sine matre, sine genealogia. Non quod vere talis fuerit Melchisedech, sed quod derepente quasi talis, *Genes.* XIV, inducatur et proponatur. Sic, ut Judæos suis meritis præfidentes deprimat, provocet ad Dei misericordiam et prædestinationem, eamque exaggerans dicit : « Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei : cujus vult, **miseretur; et quem vult, indurat,** » *Rom.* IX, 16 et 18. Quæ omnia commode accipi debent, ut suis quibusque locis ostendam.

Secundus.

Hinc sæpe Paulus fidem Christi opponit non charitati, sed legi, id est gratiam opponit naturæ, Christum Mosi, sive opera facta viribus gratiæ Christi, per dictamen fidei, opponit operibus quæ fiunt viribus naturæ, per dictamen legis naturalis vel Mosaicæ. S. Paulus enim totus in eo est, ut Christum inculcet docetque eum unum esse hominum per mortem in cruce redemptorem, et talem ab omnibus credi oportere, ab eoque (non autem a Mose vel a natura) omnia quæ salutis sunt, exspectanda esse, qualia sunt gratia et opera ex gratia facta, Sacramenta ex præcepta **legis Evangelicæ : hoc enim tunc orbi erat novum** et incredibile. Ita passim Patres, et patet I *Cor.* II, 2. Hac de causa dicit subinde Paulus Christi justitiam nobis imputari, non formaliter, sed efficienter et meritorie, de quo *Rom.* IV, 5. Et Christum factum esse nobis sapientiam, justitiam, sanctificationem, redemptionem, I *Corinth.* I, 30. Sic dicit fidem Christi, vel passionis Christi justificare, scilicet objective; quia merita passionis Christi, quæ sunt objectum fidei, quod fide credimus, meruerunt nobis justitiam et meritorie nos justificant.

Tertius.

Hinc rursum sub fide non solam fidem, ut hæretici, sed ipsam charitatem omnemque gratiam a Christo manantem, quasi ramos in sua radice et causa complectitur. Ita Concilium Tridentinum, *sess.* VI, cap. VIII; et patet *Rom.* XII,

Omnes homines vult et quomodo?

3, et cap. XIV, vers. ult., et II *Thess.* I, 11, ubi sic ait : « Impleat (Deus) omnem voluntatem bonitatis et opus fidei in virtute. » Quis non videt hic Apostolum, præter fidem, opus fidei requirere? Ergo recte dicit, quod fides nos justificet, non sola (uti Lutherus addidit et pervertit), « quod absit ut sentiret vas electionis, » ait S. Augustinus, lib. *De Gratia et libero arbit.*, cap. VII; sed sicuti dicimus : Hæc arbor me aluit, scilicet eum pomis et fructibus suis : hic medicus me sanavit, scilicet per pharmaca, diætam, exercitia a se præscripta, quibus sanatus sum. Nam fides est quasi doctor indicans et præscribens opera spei, pœnitentiæ, charitatis, quibus justificamur. Imo hac ratione recte dici potest : Sola fides me justificat; sicuti recte dicitur : Solus hic medicus me sanavit. Est enim fides in suo genere adæquata causa justitiæ, sicut medicus salutis; et quia reliqua necessaria ad justitiam et salutem fides tacite in se includit, quasi in principio, ut patet toto cap. XI *ad Hebræos*.

Quartus.

Sacrificium crucis, quod unum nos habere ait Apostolus, opponit veteribus Aaronicis, non autem sacrificio Missæ; imo illud sub eo tacite complectitur, quasi unum et idem in substantia, licet modo diversum. Tam enim in Missa, quam in cruce idem principalis est sacerdos, scilicet Christus : eadem numero victima, scilicet corpus Christi : sunt etiam idem repræsentatione, quia Missa repræsentat, imo continet et applicat sacrificium crucis; sed actione et modo sacramentali et incruento, cum in cruce fuerit visibile et cruentum : quanquam, si metaphysice loquamur, hic modus sit differentia essentialis, et constituat aliam speciem ultimam sacrificii. Sicut *mincha*, quod in lege veteri farreum erat sacrificium, siccum et incruentum, differebat specie ab holocausto, quod cruentum erat et jugulatorium. Est tamen in Missa eadem victima, quæ fuit in cruce, ut dixi, et idem sacrificium in substantia saltem generica. Sacrificium enim novi Testamenti, quod est quasi genus, tam competit sacrificio Missæ, quam sacrificio crucis. Rursum, sacrificium Missæ idem est cum sacrificio crucis analogice, quia illud repræsentat; sicut imago qua imago, sive quoad repræsentationem, idem est cum suo exemplari. De quo plura in epistola *ad Hebræos*.

Sacrificium crucis, quod Apostolus dicit unum sacrificium novæ legis, et sub eo comprehendit sacrificium Missæ?

Quintus.

Propositiones generales negantes et affirmantes quem ad intelligendum?

Negantes propositiones generales absolute et sine alia superaddita conditione intelliguntur : ut, « nihil damnationis est iis qui sunt in Christo. » Affirmantes vero promissiones, benedictiones et regulæ nunquam absolute, sed commode et cum conditione intelligendæ sunt : scilicet, ut significent virtutem et naturam rei, itaque fore, quantum est ex parte rei, nisi quid aliud impediat, aut si cætera requisita adsint. Sic rursum sæpe salus tribuitur fidei, quia scilicet fides, quantum est ex parte sua, nata est producere hominem ad spem, timorem, inde ad pœnitentiam, charitatem, et tandem ad justitiam et salutem. Id ita esse patet ex eo quod aliquando salus tribuitur invocationi Dei, ut *Joel.* II, 32; aliquando spei, timori, charitati, ut I *Cor.* XIII, 2; *Luc.* VII, 47; alibi passim ad justitiam et salutem requiritur pœnitentia, ut *Luc.* XIII, 3, et II *Cor.* VII, 10. Alioquin enim nisi adhibeatur moderatio, concluditur pari modo, ad salutem nec baptismum, nec sacramenta requiri, et eum qui crediderit, salvum fore, etiamsi postea fiat infidelis. Ita S. Augustinus, lib. *De Fide et Operib.*, cap. XIV, tom. IV. Quem librum expresse conscripsit hoc fine, ut mentem Apostoli esse doceat hanc, scilicet, quod fides non excludat, sed requirat opera ex fide facta.

Sextus.

Quatuor sensus sacræ Scripturæ.

Quatuor sunt sensus sacræ Scripturæ, Litteralis, Allegoricus, Tropologicus vel Moralis et Anagogicus : quos Lyranus, prologo in Biblia, hoc carmine describit :

Littera gesta docet; quid credas (*scilicet de Christo et Ecclesia*) Allegoria;
Moralis, quid agas; quid speres, Anagogia.

S. Scriptura quatuor sensus.

v. g. Urbs Jerusalem, ait Eucherius, ad litteram significat urbem notam Judææ, allegorice Ecclesiam, tropologice animam fidelem, anagogice patriam cælestem. Hosce quatuor sensus diserte expressit Paulus *ad Galat.* IV, ubi sic ait : « Abraham duos filios habuit, unum de ancilla et unum de libera, » en sensus litteræ planus; « quæ sunt per allegoriam dicta : hæc enim sunt duo Testamenta, » en allegoria. « Sed quomodo tunc is qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum qui secundum spiritum; ita et nunc, » en tropologia. « Illa autem quæ sursum est Jerusalem, libera est, quæ est mater nostra, » en anagogia. Ubi nota, omnem Scripturam habere sensum litteralem, non autem semper alios; imo in novo Testamento vix est allegoria; in epistolis raro tropologia. Porro litteralis sensus est is quem primo littera significat, sive proprius sit, sive metaphoricus aut parabolicus : huic autem inniti debet allegoricus et tropologicus, eique apta proportione respondere, ut quasi ex ipso natus videatur. Sicut enim litteralis est is, quem verba primo significant; ita allegoricus est is, quem res per litteralem sensum significatæ significant. Quo ergo melius et plenius allegoria et tropologia respondet sensui litterali, eo magis apta et genuina est. Ita S. Hieronymus, in *Osee* I, ubi retractat quod alibi dixerat, sensum accommodatitium esse allegoricum, vel tropologicum.

Omnis Scriptura habet sensum litteralem, non semper alios.

Septimus.

Quæ de Christo vel corpore Christi dicuntur in

S. Scriptura; aliquando de solo capite, id est Christo; aliquando de solo corpore, id est Ecclesia; aliquando de utroque accipienda sunt; et solerter ex adjunctis discidendum est, quid de quo dicatur. Ita Augustinus ex Ticonio, lib. III *De Doctr. Christiana*, cap. XXXI et seqq.

Octavus.

S. Scriptura potest habere varias versiones, lectiones, sensus.

Sacra Scriptura potest habere varias versiones. Addit Leo Castrius, prologo *in Isaiam*, et varias lectiones etiam in Hebræo, intentas a Spiritu Sancto. Denique, potest eadem habere varios sensus canonicos, etiam litterales.

Primo, quod S. Scriptura possit habere varias versiones, patet *Matth.* XII, 19, ubi ex Isaia, juxta versionem Septuaginta de Christo dicitur, « non clamabit : » pro quo tamen noster Interpres in ipso *Isaia* XLII, 2, vertit, *non accipiet personam*. Sic pro eo quod, *Osee* XIII, 14, dicitur : « Ero mors tua, o mors; » Septuaginta et ex iis S. Paulus, I *Corinth.* XV, 55, vertunt, *ubi est, mors, victoria tua?* Sic versio Nostra discrepat sæpe a versione non tantum Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, sed et Septuaginta interpretum; quorum tamen versionem probavit et recepit Ecclesia, eaque usa est per quadringentos annos, scilicet donec nostram ex Hebræo versionem euderet S. Hieronymus.

Secundo, quod possit S. Scriptura habere varias lectiones, probatur ex *Genes.* XLVII, 31, ubi noster Interpres ex Hebræo vertit, *adoravit Israel Dominum conversus ad lectuli caput*; pro quo tamen Septuaginta et ex iis S. Paulus *ad Hebræos*, cap. XI, vers. 21, verterunt, *adoravit Israel fastigium virgæ ejus*. Cujus diversitatis non alia videtur fuisse causa quam quod noster Interpres in Hebr. legerit מטה *mitta*, id est *lectulum*; Septuaginta vero aliis punctis legerint מטה *matte*, id est *virgam*. Sic *ad Hebræos*, cap. XII, vers. 6, Paulus citans *Proverb.* III, 11, cum Septuaginta legit יאב *hieb*, id est flagellat; cum noster Interpres in Proverbiis legat יאב *heab*, id est sicuti pater; vertit enim, *quasi pater in filio complacet sibi*. Pro quo Septuaginta et Paulus vertunt, *flagellat omnem filium quem recipit*.

Tertio, quod possit S. Scriptura habere varios sensus, patet *Matth.* VI, 11, ubi noster Interpres vertit sic, *panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie*. Pro quo tamen idem Interpres, *Lucæ* XI, 3, vertit, *panem nostrum quotidianum da nobis hodie*. Utrobique enim in Græco eadem est vox ἐπιούσιον, quam Interpres in Matthæo, *supersubstantialem*, in Luca vero *quotidianum* vertit. Idem patet tum ex aliis S. Scripturæ locis, tum ex variis ejusdem loci Patrum expositionibus, commodis sæpe et litteralibus. Unde S. Augustinus, lib. XII *Confess.*, cap. XXXII : « Cum alius, inquit, dixerit : S. Scripturæ scriptor hoc sensit, quod ego; et alius : Immo quod ego : religiosius me arbitror dicere, Cur non utrumque potius, si utrumque verum est? et si quid tertium, et si quid quartum, et si quid omnino aliud verum quispiam in his verbis videt, cur non illa omnia videsse credatur, per quem Deus sacras Litteras, vera et diversa visuris multorum sensibus temperavit? »

Nonus.

D. Paulus frequenter ἀνθυποφορᾷ.

Solet Paulus frequenter tacitis objectionibus occurrere. Unde S. Hieronymus *ad Hedibiam*, epist. 150, *Quæst.* XI : « Paulus, inquit, solet quidquid alius objicere potest, per ἀνθυποφοράν, quam Quintilianus vocat *subjectionem*, antequam objiciatur, edisserere. » Ut *Rom.* I, 18, cum dixisset : « Revelatur ira Dei de cælo super eos qui veritatem Dei in injustitia detinent, » et vidisset sibi objici posse : Unde Gentiles veritatem Dei cognoverunt? subintulit : « Quia quod notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis manifestavit. » Rursum, quia hic alius objicere denuo poterat : Quomodo Deus se manifestavit Gentilibus, qui S. Scripturam non habuerunt? idipsum præoccupans resolvit et explicat subdens : « Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur : sempiterna quoque ejus virtus et divinitas. » Hac de causa Apostolus sæpe more Hebræo utitur interrogatione, idque ad emphasim : interrogando enim suspendit auditorem, suspendendo attentionem excitat.

Decimus.

Rursum, eadem de causa solet Apostolus, si forte in argumentatione quapiam, alia necessaria inciderit quæstio, in eam digredi, et postea ad præcipuum scopum reverti. Sic I *Timoth.* III, cum multa disputasset de Diaconis, ea occasione ad eorum uxores digreditur, ac paulo post rursum ad eosdem Diaconos redit.

Undecimus.

Quare Paulus totius Scripturæ laudat et veteris Testamentum?

D. Paulus, utpote in veteri lege et Testamento versatissimus, passim vel expresse, ut patet tota epistola *ad Hebræos*; vel tacite, alludit ad dicta et facta veteris Testamenti, ut ostendat Christum in Moso, Ecclesiam in Synagoga, et novum Testamentum in veteri fuisse significatum et adumbratum. Magnum enim Christo et veritati perhibet testimonium consensio utriusque Testamenti, sive consensio Mosis et Christi, Prophetarum et Apostolorum, ut docet Tertullianus passim contra Marcionem. Hac de causa Christus et Apostoli citant vetus Testamentum, ostenduntque illud novo prælusisse, Christique paranymphum egisse. Ita Paulus, I *Timoth.* III, cum Ecclesiam vocat columnam et firmamentum veritatis, alludit ad columnas templi Salomonici. Boos et Iachin. Idem facit sæpe alibi, ut in commentariis ostendam.

Duodecimus.

Non est in hisce epistolis requirenda semper et

connexio capitum et sententiarum in epistolis Pauli?

ubique connexio tam capitum quam sententiarum : quia more epistolico scripsit eas Paulus, quo scilicet amici ad amicos varia familiariter sine ordine sæpe et connexione perscribere solent. Id patet *ex* epistolis *ad Corinth.*, in quibus singulis sæpe capitibus novas materias pertractat, et quæstiones alias et alias a Corinthiis propositas resolvit, ut cap. VII resolvit quæstionem de virginitate et matrimonio; cap. VIII, de idolothytis; cap. XI, de Eucharistia; cap. XIV, de prophetia; cap. XV, de resurrectione.

Decimus tertius.

Duplex est prædestinatio, vocatio, electio: una ad gratiam, secunda ad gloriam. Rursum hæc secunda est duplex: una inchoata, altera completa et efficax. Tam illius quam hujus meminit S. Scriptura. Unde subinde vocatos, prædestinatos, dilectos, electos vocat, non eos qui proxime, absolute et efficaciter destinati sunt ad gloriam et beatitudinem, sed eos qui ad fidem et vitam christianismi destinati et vocati sunt, in quo qui perseverant, gloriam æternam assequuntur. Hæc enim prima et insignis est gratia, ac cæterarum fons, quam proinde omnibus epistolis admiratur et extollit Apostolus, opponitque vanæ fiduciæ, quam Judæi habebant in cæremoniis legis Mosis, Gentes in suis virtutibus moralibus. Sic *Ephes.* I, 3, omnes Christianos Ephesios vocat prædestinatos et electos ad gratiam et sanctitatem. Ait enim : « Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum, etc., in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo. » Et vers. 4 : « Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate. » Prædestinatio ergo hæc et electio proxime est ad adoptionem, gratiam et sanctitatem, non autem ad gloriam.

Hoc sensu omnes justi sunt electi et prædestinati, scilicet complete ad gratiam et justitiam, inchoate vero ad gloriam. Hinc Paulus Christianos passim vocat electos, dilectos et vocatos sanctos; id est electos, dilectos et vocatos ad sanctitatem. Hæc distinctio prædestinationis, sive electionis inchoatæ et completæ non est recens et novitia, ut aliqui putant, sed antiqua. Nam eam non quoad verba, sed quoad rem et sententiam tradit S. Thomas, I *part.*, Quæst. XXIV, art. 3, ubi docet aliquos scriptos esse in libro vitæ absolute et perenniter, alios tantum ad tempus, scilicet, quoad præsentem justitiam; et hos excidere posse, imo sæpe reipsa de libro vitæ deleri, juxta illud *Psal.* LXVIII : « Deleantur de libro viventium. » Nam scribi in libro vitæ, est esse prædestinatum et electum. Liber enim vitæ, est liber sive catalogus prædestinatorum et electorum. Jam scribi in hoc libro absolute, sive prædestinatio absoluta, quid est aliud quam prædestinatio completa? Et prædestinatio quoad præsentem justitiam, quid est aliud quam prædestinatio inchoata? Hinc S. Augustinus, lib. III *Contra duas epistolas Pelagian.*, cap. III, docet duplicem esse salutem, unam inchoatam per gratiam, alteram consummatam per gloriam. Salus inchoata ergo est præsens gratia et justitia: consummata, est ipsa gloria et beatitudo. Rursum S. Augustinus, lib. *De Prædest. Sanct.*, cap. X, non aliter prædestinationem a gratia distinguit, quam quod, inquit ipse, « prædestinatio est gratiæ præparatio, gratia vero ipsa donatio : » cum ergo gratia alia sit inchoata, alia completa, erit pariter prædestinatio alia inchoata, alia completa. Denique hanc distinctionem prædestinationis agnoscit Ecclesia, cum dominica I Quadragesimæ, in Collecta, quæ tribuitur S. Augustino, pro inchoate prædestinatis orat : « Ut omnium fidelium nomina beatæ prædestinationis liber ascripta retineat : » nec enim pro complete prædestinatis apte recteque oratur, ut retineantur manentque prædestinati, cum completa eorum prædestinatio includat et præsupponat eos semper mansuros esse prædestinatos. Est enim hæc Dei prædestinatio immutabilis

Decimus quartus.

Cum Apostolus ait nos « vocatos, prædestinatos, electos secundum propositum, » *propositum* vocat *decretum*, sive *beneplacitum* Dei, quo ex amore et favore liberali proposuit et decrevit homines peccato perditos revocare ad gratiam et salutem per Christum. Unde hoc propositum opponit debito justitiæ, vel naturæ, id est meritis nostris, ut plurius et fusius ostendam *Rom.* cap. VIII, vers. 18.

Decimus quintus.

Justificationem, bona opera, merita, salutem, beatitatem sæpe Apostolus tribuit gratiæ, vocationi, electioni, misericordiæ Dei, non quasi liberum arbitrium nihil hic agat, ut vult Lutherus : sic enim ageremus, vel potius ageremus ut bruta, imo ut stipites et trunci; et ridicule nobis Deus præciperet et prohiberet id quod in nostra non est potestate et arbitrio, atque tyrannice minaretur et infligeret transgressoribus pœnas æternas. « Virtus et vitium, ait Philosophus, in nostra est potestate. Quæ autem sunt in nostra potestate ea agere et non agere possumus. Et circa hæc versatur lex, laus, vituperium, pœna et præmium; ad ea enim quæ non sunt in nostra potestate, nemo hortatur, præcipit, punit; nemo de iis consultat, deliberat, eligit; sicut non eligimus famere, frigere, sed ea patimur. » Hæc et plura hac de re habet Aristoteles, lib. III *Ethic.*, cap. I, II, III, V. Tribuit ergo Sancta Scriptura opera nostra potius gratiæ, quam libero arbitrio : *primo*, quod primas et potissimas partes in ilo teneat Dei gratia, quæ liberum arbitrium prævenit et excitat, eique deinde cooperatur. *Secundo*, hoc sensu totum opus bonum dat gratiæ, quia etiam

Tres rationes, ob quas Scriptura opera potius gratiæ quam liberi arbitrii tribuit S. Scriptura.

cooperatio nostra manat a gratia Dei excitante, pendetque a gratia Dei cooperante. *Tertio*, quia tota dignitas operis supernaturalis est gratia : quod enim opus charitatis sit supernaturale et nobilissimum, Deoque gratissimum et meritorium vitæ æternæ, hoc habet a gratia, non a libero arbitrio. Ab eo enim habet tantum quod sit liberum, non coactum. Ita passim docet S. Augustinus contra Pelagianos, et diserte libro *De Spiritu et Littera*, cap. XXXIV, et Concilium Tridentinum, *sess.* V, cap. V; imo Apostolus II *Timoth.* cap. II, vers. 19 et 21.

Decimus sextus.

Obdurationis, reprobationis, damnationis secundæ hominis, etiamnum de Deo tribuendæ?

Perditionem, obdurationem, reprobationem, damnationem tribuit Paulus et S. Scriptura homini, idque primo et proprie : Deus enim ex se vult (cum sit ipsissima bonitas et clementia infinita) omnium hominum justitiam et salutem : hinc sæpe Judæos dicit reprobatos, quia Christum noluerunt recipere, nec in eum credere. Omne enim bonum ex Deo est, malum autem ex nobis. Ac rursum prædestinatio et vocatio opus est gratiæ Dei, quia omne opus et meritum prævenit. Reprobatio vero opus est justitiæ vindicativæ, quæ ex natura sua non prævenit, ut vult Calvinus, sed sequitur et supponit demeritum sive peccatum. Judex enim condemnans reum supponit peccatum rei. Et ex hoc capite subinde S. Scriptura reprobationem, obdurationem et perditionem, æque ac prædestinationem, vocationem et electionem tribuit Deo, quia scilicet Deus ob præcedentia demerita hominem obdurat et reprobat. Hinc ait : « Non volentis, non currentis, sed miserentis est Dei. Cujus vult, miseretur; et quem vult, indurat. Jacob dilexi, Esau autem odio habui. »

Ubi notandum, Scripturam hisce phrasibus tantum significare altissimam et generalissimam Dei providentiam circa omnia tam bona quam mala, nihilque in mundo extra eam esse aut fieri, ut Dei manum effugere possit; quin potius Deum sua providentia omnia, etiam peccata, complecti, stringere, regere et ordinare. Providentia tamen hæc Dei circa bona et mala in specie diversa et dispar est. Nam Deus bona proprie providet, prædestinat, intendit, excitat, promovet, protegit et coronat, mala autem ex certa scientia, singula cum suis circumstantiis statuit tantum permittere, cum tamen, si vellet, facile ea posset impedire; eaque jam facta ordinat ad bonum finem et justam pœnam, qua ea punit. Ita S. Augustinus, *Enchiridii* cap. XI et CX.

Decimus septimus.

Homo proprie, directe et active seipsum obdurat, excæcat, tradit in reprobum sensum : Deus tamen idem agere dicitur, non proprie et directe, ut vult Calvinus. Cæcitas enim mentis non tantum est simplex carentia lucis, sed affectus pravus, quo quis illustrationes divinas libere repellit, vel eis obicem ponit, ut nunquam a Deo illuminetur; ac consequenter cæcitas hæc grave est peccatum, ut docet Augustinus, lib. V *Contra Julian.*, cap. III; sic et duritia cordis, sive improbitas et malitia sensus, grave peccatum est. Indurat ergo et excæcat hominem Deus : *primo*, permissive; *secundo*, sensim gratiæ non sufficientiam; sed copiam solitam subtrahendo; *tertio*, dæmoni potestatem in hominem dando, qui sponte hominem tentat, et in omne scelus et cordis obstinationem impellit; *quarto*, objiciendo homini occasiones, scilicet indendo corpori et animo eas affectiones et cogitationes, alias bonas vel indifferentes, aut externa ea proponendo, v. g., species mulierum, opes, honores, plagas, quibus præscit hominem libero ruiturum in peccata, et se in iis obduraturum; licet Deus non hoc fine, sed alio bono ea homini objiciat et indat. Sic obduravit Pharaonem, plagas in Ægyptum immittendo, intendens ut iis humiliatus, resipisceret Pharao; quibus tamen ille sua culpa magis exacerbatus obduruit, et fortius Deo restitit. Et hoc tantum vult Augustinus, lib. V *Contra Julianum*, cap. III, cum ait Deum non tantum patientia, sed et potentia, id est plagis suis, obdurasse Pharaonem, ut docte et solide docet Bellarminus, lib. II *De Amiss. gratiæ*, cap. IV. Potuisset enim Deus aliis modis agere cum Pharaone, quibus præsciebat eum molliendum et flectendum fore; sed noluit : maluitque ob ejus superbiam et duritiem, plagis eum contundere, quibus tamen præsciebat eum magis se obduraturum.

Decimus octavus.

Loquitur Paulus, uti et alii scriptores hagiographi, aliquando perfectis, aliquando et statim transit ad imperfectos : hinc aliquando laudat, aliquando vituperat. Sic Corinthios laudat quasi sanctos, et tamen mox eorum (puta imperfectorum in eis) schismata, avaritiam, libidinem aliaque vitia redarguit. Pari modo aliquando blanditur, mox minatur; estque quasi mater, quæ ut pueris persuadeat et omnibus se accommodet, se in omnes partes vertit, ex amoris vehementia. Patent hæc *Galat.* cap. III, vers. 1, et cap. IV, vers. 19 et 20.

Decimus nonus.

Libertas Christiana, quam prædicant Apostoli, est exemptio, qua Christus nos exemit, non a servitute herili, non ab obedientia Decalogi, legum, Principum, Prælatorum, Superiorum; non ab operibus pœnitentiæ et satisfactionis, non ab obligatione votorum, ut volunt hæretici (quos damnat Concilium Tridentinum, *sess.* IX, canon. 19, 20, 21 : hæc enim irrationalis, animalis, carnalis, turpis, et contra omne naturæ jus, et contra omnem rectam rationem est libertas); sed a servitute tum legis veteris, tum

peccati, diaboli et vitiorum hic, tum concupiscentiæ, miseriæ et mortis in cœlo. Patet id I *Petri* II, 13, 16, 17; *Galat.* V, 13. De quo pluræ, II *Cor.* III, 17.

CANONES VERBORUM.

VIGESIMUS.

Apostolus græce scripsit, ideo sæpe græcizat; sed quia Hebræus erat, hinc sæpe hebraizat. Notandum enim quod Spiritus Sanctus per eum loquens, suo se organo attemperabat, uti facit naturam gratiæ subservire tum in angelo, tum in homine. Sic per sanctos scriptores ita accommode locutus est Spiritus Sanctus, ac si ipse suo nutu, conceptu, voce loquerentur et scriberent, ut patet II *Machab.* II, 27; *Luc.* I, 3. Hinc Apostolus elementia utitur non phalerata, nec verbosa Græcorum, sed simplici, gravi tamen ac nervosa Hebræorum. Unde in hisce epistolis phrases parum Græcas, quin et solœcismos, et plurimos hebraismos invenias: sic pariter Hebræam antiptosin reperies, II *Cor.* VIII, 23; *ad Ephes.* II, 2, et alibi; quia Hebræi casibus carent, et eodem nomine invariato per omnes casus utuntur. «Iste (Paulus scilicet, inquit S. Hieronymus, lib. II comment. *in epist. ad Ephes.*) qui solœcismos in verbis facit, qui non potest hyperbaton reddere sed sententiamque concludere, audacter sibi vindicat sapientiam. »

Quomodo scriptores Sancti se accommodaverint Spiritui Sancto.

VIGESIMUS PRIMUS.

Hinc sæpe Paulus per heterosin abstracta sumit pro concretis, ut *circumcisionem* pro circumciso, id est Judæo; *præputium* pro præputiato, id est Gentili; *electionem* pro electis; *dominationes* pro dominantibus; *virtutes et potestates* pro virtute et potestate præditis. Sic dicit quod Christus nobis factus est justitia, sanctificatio, redemptio, id est factus est nobis justificator, sanctificator redemptor, ut dicetur I *Cor.* I, 30. Ita Theophylactus, Anselmus et alii ibidem.

Frequens heterosis in epistolis Pauli.

VIGESIMUS SECUNDUS.

Hinc etiam per hebraismum sæpe omittit notas similitudinis, comparationis, causalitatis, atque quorumvis adverbiorum et conjunctionum vincula, ut patet I *Timoth.* I, 3, et alibi. Hæc enim Hebræi sæpe significant per litteras serviles, כ,ל,ב et similes, quas ipsi sæpe subaudiunt.

VIGESIMUS TERTIUS.

Verba activa Hebræorum sæpe passionem vel permissionem significant, scilicet cum sunt in conjugatione vel significatione *cal*. Sic dicit Paulus, *Roman.* XI, 32: « Concluxit Deus omnia in incredulitate: » *conclusit*, id est concludi permisit. Ita Theodoretus, Ambrosius, Anselmus, Theophylactus, ibid. Ratio est, quia permissio ejus, sine cujus nutu nil fieri potest, quædam est actio, non autem pura negatio. Sic ergo in Deo non negativum, sed positivum est decretum, quasi *placet* aulæ summi Regis, ut dicit Prosper, quo vult permittere peccata, sive quo nullum ta peccatum fieri posset. Ex cujus decreti vi in executione positive laxat Deus habenas male agere volenti voluntati: omnium enim voluntates Deus arctissime omnipotentiæ suæ manu tenet, quasi ligatas, ut nec aliud, nec alio modo, aut loco, aut tempore cogitare, aut velle, aut in ullum omnino motum erumpere possint, quam ipse positive voluerit permittere, imo effective etiam concurrere. Hoc enim spectat ad altissimam Dei circa res omnes, etiam illas, quæ peccata sunt, providentiam. Hoc ergo exprimit S. Scriptura per verba activa, ut inclinare, indurare, excæcare, tradere. Sicuti qui loorum manu tenet, et dimittit, si is aliquem occidat, dicitur tenens occidisse et immisisse loonem in hominem. Et hoc tantum vult S. Augustinus, lib. *De Gratia et lib. arbit.*, cap. XX et seq., ubi ait, Deus voluntatem Semei et aliorum vilio suo malam in hoc speciale peccatum inclinavit, id est inclinari permisit, ut psalleret David, non alteri. Aliter ergo permittit malum Deus, aliter homo; homo negative, Deus positive; homo sæpe cum peccato, quia tenetur impedire: Deus juste et sancte, quia summus omnium Dominus causas secundas sibi permittit, ut libertate sua in quamlibet partem utantur: vim enim naturæ inferret, si eas necessitaret ad bonum.

Quo decreto Deus voluerit in peccatis quibus verbis permissionem peccati Scriptura ranciata sæpe phrasi?

VIGESIMUS QUARTUS.

Eadem verba, imo et notæ causalitatis, v. g. *ut, quia, propter quod, propterea*, sæpe non causam, sed eventum et consecutionem significant. Sic enim vulgus antecedentem occasionem causam vocat, ut, « Blanda patrum segnes facit indulgentia natos. » Scriptura autem, quia familiariter loquitur, sæpe vulgi phrasi se accommodat. Ita Cyrillus, Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, *in Joan.* cap. XIII, vers. 38. Rursum causales particulæ, ut *propterea, ideo*, et similes, apud Paulum subinde redundant more Hebræo, et nullam causam reddunt, sed tantum præcedentia continuant cum sequentibus.

Notæ causales quot apud Paulum sunt?

VIGESIMUS QUINTUS.

Nihil Apostolo familiarius, quam enallage præpositionum, conjunctionum et adverbiorum. Sic more Hebræorum *in* sumit pro *per, ex, de, cum, propter, apud*; et per *in*, significat omne genus causæ: ut, « *in Christo*, quod singulis pene iterat versibus *ad Ephes.* I, jam significat per Christum, jam propter Christum, jam ex Christo, jam cum Christo, jam in Christo. Ita ibi Theophylactus. Sic τὸ *Domino* sæpe significat, in re vel negotio Domini, vel coram Domino, vel per Dominum, vel a Domino, vel propter Dominum, Domini amore et reverentia, ad gloriam Domini. Ex hac phrasi S. Pauli in regulis nonnullarum Religionum sæpe dicitur: « Omnes orationi incumbant cum omni diligentia in Domino, omnes invicem ament in Domino; omnes integre obediant, studiis vacent, sincere agant in Domino. »

Enallage frequens apud Apostolum.

Ubi τὸ *in Domino* est excitamentum virtutis et industriæ, idque quadrupliciter. *Primo*, quasi dicant: Sciant omnes se Domino servire, se Domini negotium agere, non hominis. *Secundo*, non pretio, non metu, non cupiditate, sed « in Domino, » id est unius Dei amore et reverentia, id agant. *Tertio*, ut servi in oculis domini, ita ipsi coram Domino serio id agant, Dominus eorum oculis obversetur. *Quarto*, finem spectent, non suam, sed unius Domini gloriam. Sic præpositionem κατὰ, quam noster Interpres sæpe vertit *secundum*, valde ample et varie accipit Paulus. Jam enim κατὰ capit pro διὰ, id est *per*, ut « Paulus Apostolus secundum (id est *per*) imperium, » vel præceptum « Dei, » *ad Titum* I, 3. Jam pro *in*, ut ibidem, vers. 4: « Tito filio secundum communem fidem, » id est in communi fide. Jam et frequenter per illam designat materiam, sive objectum, ut *secundum* idem sit quod *circa*, ut ibidem, vers. 1: « Fidem quæ secundum, » id est circa, « pietatem est » et versatur, ut scilicet pietatem doceat. Jam eamdem capit pro *ante*, vel *coram*, ut II *Cor.* cap. X, vers. 7: « Quæ secundum, » id est ante, « faciem sunt, videte. » Jam et sæpissime ac maxime proprie τὸ *secundum* accipit pro *juxta*, ut, « secundum Deum, secundum hominem loquor, secundum carnem, vel spiritum ambulant. » Jam τὸ κατὰ utitur pro *a* vel *ex*, denotatque per illud causam efficientem, ut *Coloss.* II, 8: « Ne quis vos decipiat per philosophiam secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum; » id est ne quis vos decipiat per philosophiam quæ manat non a Christo, sed a traditione et fictione hominum, qui de mundi elementis et auctoribus mira somniarunt. Denique τὸ *secundum* accipit pro *propter*, ut *ad Titum* III, 5: « Deus salvos nos fecit secundum, » id est propter, « misericordiam suam. » Pari modo voculas *tamen, sed*, et similes, sumit Paulus pro *imo, quinimo*. Sic vocem *enim*, non proprie, ut sit causalis, sed adversative pro *autem*, sumit *Galat.* II, 6. Idem facit Isaias, cap. XXVIII, vers. 11, quem locum citat Apostolus, I *Cor.* XIV, 21. Sic copulam *et* sumit Paulus pro *id est*, *Ephes.* I, 1; *Galat.* VI, 16; *Coloss.* II, 8.

Varia enallages exempla in ejus tolis Pauli.

Quomodo S. Augustinus Deum inclinasse ad Semei peccatum?

Τὸ *in Domino* quadrupliciter habet locum.

VIGESIMUS SEXTUS.

Conduplicat Paulus quædam ad majorem emphasim, maxime in gradibus comparationis, idque ut plurimum excessum significet; ut *Philippa.* cap. I, vers. 23: « Multo magis melius, » id est longe melius.

VIGESIMUS SEPTIMUS.

Apostoli et Evangelistæ consarcinant in unum testimonia ex lege veteri, cum tamen e variis locis petita sint, patet *Rom.* III, 11. Sic etiam citant subinde non verbotenus, sed eodem sensu. Denique, citant eadem juxta Septuaginta, quia Gentibus græce scripserunt, quibus Græca Septuaginta versio notior erat Hebraico textu.

VIGESIMUS OCTAVUS.

Utitur Paulus sæpe verbo *induendi*, ut dicat hominem induere opprobrium et ignominiam, induere Christum, induere gloriam, immortalitatem, virtutem. Ubi τὸ *induere* significat hominem Christo et virtuti Christianæ studere, eam possidere, eaque largiter uti, et quasi veste decora circumvestiri. Rursum, hominem gloria et immortalitate abundare, amicti et circumfundi. Alludit ad togam Hebræorum, et prætextam Romanorum: cum qua quasi virum et virilem animum, virtutem et decus induebant juvenes. Vide S. Hieronymum *ad Pammach.*, contra errores Joannis Hierosolymitani. De hac phrasi dicam plura *Rom.* XIII, in fine.

Verbum *induere* quid apud Paulum valeat? Unde assumptum?

VIGESIMUS NONUS.

Infinitivos per hebraismum sæpe Paulus sumit pro nominibus, aliquando pro verbis quorumlibet temporum et modorum. Rursum, sæpe imitatur Hebræos in eo quod, cum careant indicativo, pro eo utuntur participiis, ut I *Cor.* XII, 2: « Ad simulacra euntes, » id est ibatis. Similia sunt II *Cor.* X, 2, 4, 5, 12, 15. Subinde quoque Hebræi et Paulus per præteritum significat indicativum, ut *Psalm.* CXV: « Credidi, » id est credo, « propter quod locutus sum, » id est loquor: de quo dicam II *Cor.* IV, 13. Porro tritum est Hebræos, præsertim Prophetas, de futuris loqui per præteritum, quia ea quæ prædicunt, tam certo futura sunt, ac si jam essent præterita, et in altissima amplissimaque Dei præscientia jam sunt quasi præterita.

TRIGESIMUS.

Nomina, gerundia, infinitivos subinde active, subinde passive capiunt Hebræi; et ex iis Paulus, ut, « Christus factus est nobis justitia, » id est, justificator. Contra, II *Cor.* cap. V, vers. ult., dicit: «Nos efficeremur justitia,» id est justi sin Christo.» Ita Chrysostomus et Cyrillus, lib. XII *Thesauri*, cap. III. Sic Deus dicitur amor et timor noster, spes et patientia nostra, scilicet passive, id est objectum amoris, timoris, spei et patientiæ nostræ; sive is quem amamus et reveremur, in quem speramus, propter quem patimur. Pari modo sæpe ab iisdem Hebræis potentia vel actus sumi-

lur pro objecto, et contra. Sic enim Hebræi colo- ... vocant oculum, quia color oculo videtur et ... cipitur, estque objectum oculi : ut *Num.* XI, 7, ubi noster Interpres vertit, *erat* man *coloris* bdellii, hebraice est עין *habebat* man *ea*, id est oculum, bdellii. Et *Levitici* XIII, 55, pro eo quod nos habemus, *cum viderit non crevisse lepram*; hebraice est, *si lepra non mutaverit* עינו *eno*, id est suum colorem. Sic et Galli, Flandri aliæque gentes loquuntur ut dicant rem aliquam, puta, gemmam aut vestem, pulchrum habere oculum, obtutum, aspectum; volentes hac phrasi significare gemmam aut vestem pulchram habere formam aut speciem.

Trigesimus primus.

Ludunt Hebræi et Paulus, elegantiæ causa, vario sensu in iisdem vocibus. Sic *peccatum* nunc *proprie*, mox pro causa vel effectu peccati, scilicet concupiscentia, mox pro hostia pro peccato sumunt. Sic Paulus ait, II *Cor.* V, 21 : « Eum qui non noverat peccatum (Christum), pro nobis peccatum (id est hostiam pro peccato) fecit. » Ita S. Augustinus, *Enchirid.* cap. XLI. Estque antistasis, sive ejusdem verbi contraria significatio; qualis est, si dicam, « Amari jucundum est, » curetur, ne quid insit amari. » Sic Plautus, in *Eu-clione* : « Araneas, inquit, mihi ego illas servari volo. » Locuta erat anus de inani prorsus, præter araneas, domo; at senex araneas intelligit thesaurum, qui anum latebat.

Trigesimus secundus.

Verba hebræorum subinde actum inchoatum, subinde continuatum, subinde perfectum significant : inchoatum, ut *Rom.* II, 4 : « Benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit, » id est adducere conatur. Perfectum, ut II *Cor.* II, 14 : « Deus triumphat nos, » id est triumphare facit. Ita Ambrosius, et ex eo Anselmus ibi. Continuatum, ut *Joan.* XIV, 1 : « In me credite, » id est pergite credere, confirmate vos in fide mea. Jam pridem enim ante in Christum crediderant Apostoli.

Trigesimus tertius.

Sicut Christus multis parabolis, ita et Paulus, more suæ gentis, docet per similitudines et metaphoras. Sic sæpe Ecclesiam comparat ædificio, corpori, agro, arbori, Christum Adamo, peccatum fermento. Ita S. Hieronymus, *in Matth.* XVIII.

Trigesimus quartus.

Caro, ait S. Augustinus, epist. 146 *ad Consentium*, nunc proprie sumitur, nunc tropice : et tunc aliquando carnis corruptionem, aliquando concupiscentiam, aliquando homines carni deditos significat. Sic virtute præstantes, vocantur carnis expertes. « Vos, ait Paulus, *Rom.* VIII, 9, in carne non estis. » Et *Joan.* III, 6 : « Quod natum est ex carne, caro est, » id est carnale, animale est; « quod natum est ex spiritu, spiritus est, » id est spiritale est. Rursum, Apostolus subinde « carnem » vocat externam speciem et gratiam, eamque opponit spiritui, id est internæ gratiæ et efficaciæ. Sic dicit Judæos gloriari « in carne, » id est in carnali circumcisione et prosapia, quod sint filii Abrahæ. Sic « sapientes secundum carnem, et sapientiam carnis, » vocat sapientiam mundanam et sapientes mundi : hoc sensu ait se neminem nosse « secundum carnem, » id est externam speciem et carnalem cognationem, de quo plura II *Corinth.* X, 2. Ita S. Chrysostomus, Theophylactus, Anselmus et alii. Sæpius vero « carnem » vocat ipsam concupiscentiam : cujus causa est, *prime*, non quod proprie caro sit ipsa concupiscentia, aut fomes, incentrix et dictatrix peccati (nec enim caro peccati cogitationes et motus suscitat aut format), sed metonymice : quia caro est velut officina animæ, quæ in carne quasi figulus in luto, format suarum concupiscentiarum et turpitudinum idola, per quam ea peragit et consummat.

Secunda causa est quia caro motus concupiscentiæ juvat et fovet : effervescentia enim sanguinis irum concitat, motus et concitatio spirituum generationi subservientium suscitat libidinem : sic varii motus spirituum et sanguinis varias concupiscentias suscitant.

Tertio, caro non nuda, sed animata et informata anima concupiscente, dicitur concupiscentia : quia concupiscentia, sive anima concupiscens, carnem inhabitat, informat et cum ea unum efficit compositum.

Denique *quarto*, multi Philosophi censent, sicuti sensationes (quales sunt visio, auditio, perceptio, gustus et tactus), ita et concupiscentias motusque appetitus sensitivi esse tam in corpore et organo corporeo, puta oculo, aure, lingua, spiritibus, corde, etc., quam in anima : licet alii et forte subtilius ac verius, putent eas, utpote spirituales et animales, esse in sola anima : cum enim hæc sola præcise vivat et sentiat, sola quoque vitales et animales actiones elicit, ac consequenter sola quoque eas recipit : quod enim vitalium et animalium actionum est efficiens, idem earumdem est recipiens, sive subjectum. Ad has tamen actiones corpus per organa sua, per spiritus et sanguinem, disponit et adjuvat animam, et per sympathiam, similes passiones, sed corporales, in se suscitat et suscipit : ut v. g. cum in anima et appetitu sensitivo exurgit concupiscentia iræ et appetitus vindictæ (hic enim præcise non videtur esse in corpore, sed in sola anima), mox per consensionem quamdam naturalem et sympathiam corporis et animæ, ex anima redundat in corpus ira quædam quasi corporalis, scilicet effervescentia sanguinis et spirituum; et ita de aliis concupiscentiæ motibus, ut propter hanc sympathiam et similes utriusque motus recte concupiscentia tam in corpore, quam in anima esse dici possit, adeoque vocari caro, ut docte docet S. Cyprianus, in prologo tractatus *De Cardinalib. Operib. Christi.* « Hoc ipsum, inquit S. Cyprianus, quod dico carnis affectus, impropriè dico : quia hæc vitia propria animæ sunt, quæ sentit, et movet, et vivit, cui imputatur peccatum : quia ipsi datum est arbitrium, et judicium, et scientia, et potentia; per quæ possit improbare malum et eligere bonum. Corpore autem sic utitur anima, sicut faber malleo, vel incude, in qua format omnium turpitudinum idola, et fabricatur quælibet quarumcumque voluptatum simulacra. Non est caro dictatrix peccati, nec inventrix malitiæ, nec cogitatus format, nec disponit agenda; sed officina est spiritus, qui in ea et per eam quæcumque affectaverit, peragit et consummat; quod autem ipsa insensibilis sit, spiritu recedente dignoscitur, post cujus discessum nulli apta usui superest putredinis massa et paludis acervus : quidquid enim sentit, a natura corporis alienum probatur. »

Deinde explicat S. Cyprianus quomodo jam dictis non obstet, quod caro adversus spiritum concupiscere dicatur : « Quod vero, inquit, caro adversus spiritum, et spiritus adversus carnem contendere dicitur et repugnare, impropriè arbitror dictum : quia solius animæ iis ista est, quæ secum rixatur et cum proprio arbitrio litigat, certior in hujusmodi quæstionibus quid bonum sit, quid malum, quam in aliarum rerum inquisitionibus, quid verum sit, quid falsum. Sed desiderii sui veneno mens ebria corpus contumeliis applicat, et junctis complexibus ambo in mortiferas suavitates elapsi obdormiunt; cumque evigilaverint, sero pœnitentiam adducit confusio et inquinamentorum horror fœdatæ menti occurrit. Et in cæteris omnibus, quæ maligne patrata sunt, hujusmodi ultio peccatorem persequitur, et ipse libidinum labe crapulatus se convomit. »

Trigesimus quintus.

Opponit Paulus spiritum carni, interiorem hominem exteriori; legem mentis legi carnis et membrorum; legem Dei legi peccati, id est gratiam qua per Christum renovamur, virtutem ejusque motus et dictamen opponit concupiscentiæ, ejusque motibus et dictamini. Notandum est enim, quod concupiscentiam vocat nunc *carnem*, nunc *legem* (id est dictamen) *membrorum*, *carnis* et *peccati*, nunc *peccatum*; nunc *exteriorem hominem*, *terrenum* et *animalem*; nunc *hominem veterem*, nunc *corpus peccati*, id est peccato obnoxium, in peccatum proclive. Et contrario gratiam et spiritum vocat « legem mentis, legem Dei, hominem novum, novam creaturam, interiorem hominem et spiritualem, » cujus phrasis originem et causam assignabo *ad Romanos*. VII, 22 et 23 : ita Chrysostomus, Ambrosius, Theophylactus et clarissime Anselmus ibidem.

Trigesimus sextus.

Verba Hebræorum activa realia sæpe per mentalia exponenda sunt : ut *adduxit*, id est adducere voluit et prædestinavit, *Hebr.* II, 10. Sic *Jeremiæ* I, 10, dicitur : « Constitui te ut evellas et destruas, ædifices et plantes, » Gentes scilicet et regna, id est, ut illa evellenda et destruenda, vel ædificanda et plantanda prædicas et prophetes. Simile II *ad Timoth.* I, 9, et *ad Titum* I, 2.

Rursus Hebræi comparationem exprimunt per negationem, scilicet, ut id quod majus est, asserant; quod minus, negent. Patet *Matth.* IX, 13. Ita Chrysostomus et Euthymius ibid., et Augustinus, lib. X *De Civit.* V. Ut I *Cor.* XV, 10 : « Abundantius omnibus laboravi, non ego, sed gratia Dei, quæ in me est » (uti legunt Græci), id est in operibus supernaturalibus plus fecit gratia Dei, quam ego; et I *Cor.* III : « Neque, qui plantat est aliquid, neque qui rigat : sed qui incrementum dat Deus, » id est parum facit prædicator in conversione et perfectione animarum, si comparetur cum eo quod facit Deus interius, menti gratiam aspirando.

Trigesimus septimus.

Apostolus confuse subinde loquitur et rem ponit pro adjacentibus rei. Sic *Christum* sæpe vocat Christi fidem, gratiam, institutionem, baptismum, Ecclesiam, religionem, id est christianismum ipsum. Ut *Coloss.* II, 6 : « Sicut, inquit, accepistis Jesum Christum, » id est Christi fidem, doctrinam, religionem; « in ipso, » id est in fide et religione ipsius, « ambulate. » Et *Galat.* V, 2 : « Si circumcidamini, Christus (id est christianismus) vobis nihil proderit. » Sic passim ad baptizatos « induere Christum, » id est Christi virtutes, spiritum et mores, eosque esse, *vivere*, *ambulare in Christo*, id est in Christi fide et gratia.

Trigesimus octavus.

Apostolus, quia spiritu, sapientia, sensu et rebus turget, hinc ad verba non æque respicit. « Etsi imperitus (inquit ipse) sermone, sed non scientia; » et, « Prædicatio nostra, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis, » I *Cor.* II. Hinc sæpe sententias convolvit, alias et alias agglomerat, primas imperfectas relinquit et quasi alio abreptus, digreditur, multaque interloquitur, ac deinde ad primas et ad propositum redit. Patet id clare *Gal.* II, 6; *Ephes.* III, 1, 2 et 14. Rursum utitur crebra ellipsi, enallage, aposiopesi, hyperbatis, et id genus tropis qui interpreti suppleudi sunt, vel ordinandi. Causam dat S. Irenæus, lib. III, cap. VII : « Hyperbatis, ait, sæpe utitur Apostolus propter velocitatem sermonum suorum et impetum spiritus qui in eo est. » Porro ellipsis utitur, vel casus, vel propositionis, vel conjunctionis, vel verbi, vel integræ etiam sententiæ, ut cum

ait initio epist. *ad Rom.* : « Paulus Apostolus, servus Jesu Christi : » deest hic, et supplendum est, *opto*, vel *precor*, « ut multiplicetur gratia in vobis. »

Trigesimus nonus.

Hinc etiam utitur epitasi, id est vehementiori verbo, pro minus vehementi, ut *Rom.* IX, 13 : « Esau odio habui, » id est neglexi, postposui, minus amavi. Simile *Gen.* cap. XXIX, vers. 31 ; *Luc.* cap. XIV, vers. 26.

Quadragesimus.

Multa verba usurpat Paulus juxta phrasim et morem provinciæ suæ, puta Tarsi et Ciliciæ : erat enim ipse Tarsensis et Cilix, ut I *Cor.* IV, 3 : « Mihi pro minimo est, ut a vobis judicer, aut ab humano die. » Ubi *diem* posuit pro *judicio*, ex Cilicum phrasi : nam dies dici reis consuevit. Sic *ad Coloss.* II, 18, usus est verbo καταβραβεύειν, quod lingua Tarsensium significat insidiose alteri palmam præripere, ut annotavit S. Hieronymus, epist. 151 *ad Algasiam*, Quæst. X. Cilices enim Græce, sed corruptius quam alii Græci loquebantur. « Hisce, inquit Hieronymus, et aliis multis verbis usque hodie utuntur Cilices : nec hoc mirandum in Apostolo, si utatur ejus linguæ consuetudine, in qua natus est et nutritus, cum Virgilius, alter Homerus, apud nos patriæ suæ (Mantuæ et Mantuanæ linguæ) sequens consuetudinem, sceleratum frigus appellet, » *sceleratum*, id est horrendæ intensum, acerbæ et noxiæ ; quomodo et Galli nostri loquuntur cum aiunt : *Il fait meschamment froid*, id est scelerate, hoc est horrendo est frigidum.

Quadragesimus primus.

Apostolus subinde novas quasdam voces iisque nova significatione et sensu utitur. Hunc canonem tradit et exemplis illustrat Gregorius Nyssenus, orat. in illud I *Cor.* XV, *Tunc et ipse Filius subjectus erit ei qui subjecit sibi omnia* : « Solet, inquit Nyssenus, sapientia magni Pauli, ad id quod visum fuerit, libere ad arbitrium suum verbis uti et ad suæ sententiæ seriem verborum significationes adaptare, etiamsi ad aliquas alias mentis conceptiones usum dictionum trahat consuetudo. Nam unde sumpsit usum verbi ἐκένωσε, id est « exinanivit seipsum, » *Phil.* II ? et II *Cor.* XI : « Gloriationem meam nemo exinaniet aut evacuabit : » et *Rom.* IV : « Exinanita est fides ; » et I *Cor.* I : « Ne inanis reddatur crux Christi : ex quonam usu hæc traxit ad suum propositum ? Quis item judicabit eum quod dixerit ἐπιφύσησε ὑμῖν, id est cupidi eramus vestri, vestrique avidi ? per quam dictionem amoris habitum et effectum ostendit. Quomodo per dictionem μὴ περπερεύσατο, id est non ægili perpera, charitatem a fastu et superbia alienam demonstrat ? Studium item contentionis et ulciscendi cupiditas quo pacto per verbum ἐρθείας, ab eo significatur ? *Rom.* II, 8. Exercitium namque, et studium lanæ hoc nomine significatur : est enim ἔριθος, proprie ancilla quæ lanam tractat, et ἐριουργία, est ipsum lanificium. » Et post pauca, docet, cum Apostolus ait : « Tunc et ipse Filius subjectus erit ei, » pari modo per subjectionem hanc Filii, abusive intelligi non servilem ejus humilitatem, sed salutem, felicitatem, incorruptionem et regnum æternum, quod Filius a Patre, quasi illi unitus et gloriosissime subjectus, accipiet. Quomodo intelligendum quod Filius subjectus erit Patri?

Quadragesimus secundus.

Paulus, licet Græce scribat, subinde tamen utitur vocibus Romanis, easque ex Latinis Græcas facit, quia hæ voces usitatissimæ erant, non solum apud Latinos, sed etiam apud Græcos. Sic enim Græce scribens vocat *macellum*, colonium, *sicarios*, *semicactium*, *membrana*, *penulam*.

Quadragesimus tertius.

Scriptura et Paulus dicunt aliquando nos credere in Deum, aliquando nos credere Deo. S. Augustinus, *in Psal.* LXXVII, hæc duo distinguit : « Plus, ait, est credere in Deum quam credere Deo : nam et homini cuilibet pleramque credendum est, quamvis in eum non sit credendum. » Hoc juxta communem Latinorum phrasim verum est ; verum juxta phrasim Hebræorum, Pauli et Scripturæ hæc duo idem sunt. Idem enim est Hebræis האמין ב יהוה *haamin badonai*, id est credere in Deo, vel in Deum, et האמין ליהוה *haamin ladonai*, id est credere Deo. Hæc ergo tria apud Hebræos et in Scripturis idem significant, scilicet, credere Deo, credere in Deo et credere in Deum. Verbum enim *haamia*, id est credere, Hebræis significat contactum quemdam mentalem, quo mens quasi tangit sua credulitate et consensu rem creditam, illique adhæret. Verba autem contactus sæpe apud Hebræos cum *het*, id est *ch*, construuntur. Credere in Deum et Deo, quomodo differant?

Quadragesimus quartus.

Verba Hebræorum sæpe non actum, sed debitum, vel officium significant, ut *Hebr.* XIII, 17 : « Ipsi enim pervigilant, » id est pervigilare debent, « quasi rationem pro animabus vestris reddituri. » Sic Hebræi dicunt עשה אשר לא יעשה *asa ascer lo iease*, id est fecit quod non fiet, hoc est fecit quod fieri non debet, sive quod facere non licet.

Quadragesimus quintus.

Utitur Scriptura et Apostolus sæpe metalepsi, id est transumptione, ut *ad Philip.* II : « Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, » id est non ut rapinam studiose retinuit, defendit, ostentavit, jactavit æqualitatem suam cum Deo Patre, sed eam quasi Dominus sponte deposuit et celavit. Sic etiam utitur hypallage, ut *Isaiæ* I : « Cognovit bos præsepe domini sui, » id est cognovit bos dominum præsepis sui, sive dominum se alentem in præsepio (1).

(1) « In Epistolis interpretandis multo majorem difficultatem reperimus, quam in Evangeliis, quod ex ipsa rei natura oritur. Qui enim historiam scribit, iis scribit quibus ignota est ; adeoque omnia clare et simpliciter narrare debet : epistola vero est quasi colloquium cum amico absente, qui etiam partes suas agit, et ad cujus quæsita vel cogitata nobis præcognita respondemus ; quando ergo epistola est paulo longior, ita ut plura in ea capita tractentur, fieri vix potest, quin sæpe hæremus, nec percipientes quomodo scriptor ab uno ad alterum transeat, aut quis loquatur, an is qui scribit, an is cui scribitur. Præter hanc est et alia obscuritatis causa ipsi Paulo peculiaris, nimirum fervidum ingenium, multa eruditione judaica excultum, quæ fiebat, ut plura ipsi simul inciderent, et minute calamum præcurrente, sermo ejus non raro fieret abruptus. » Hæc Rosenmullerus. Cf. D. Glaire, op. cit., p. 99 et seqq.

INTERPRETES EPISTOLARUM S. PAULI.

E Græcis primus Origenes scripsit in epistolam *ad Romanos*. Fusus hic est, elegans, et in moralibus excellit, dogmata quædam habet a sana fide aliena. Unde S. Hieronymus, in epist. *ad Pammachium et Oceanum de Origene*, sic ait : « Laudavi interpretem, non dogmatisten ; ingenium, non fidem ; Philosophum, non Apostolum. » Secundus est Theodoretus, qui in omnes Pauli epistolas scripsit. Brevis hic est, planus et litteralis. Tertius est S. Chrysostomus. Excellit hic tum sensu litterali, tum morali, tum spiritu Paulino. S. Chrysostomum sequuntur, quasi discipuli, Theophylactus et Œcumenius, in quibus tamen quædam cavenda et suis locis monenda sunt : ut quod, *Rom.* IX, prædestinationem non tantum ad gloriam, sed etiam ad gratiam ex prævisis meritis factam esse, ex vers. 11, plane contra mentem Apostoli asserere et docere videntur. Theophylactus quoque Photii, Patriarchæ Constantinopolitani (utpote a quo creatus fuit Episcopus Bulgariæ), errorem secutus est, docetque Spiritum Sanctum procedere non a Filio, sed a solo Patre.

Theodoretus. Chrysost. Theophylactus. Œcumenius.

Inter Latinos, primo extant commentarii in omnes Pauli epistolas inscripti nomine S. Ambrosii, breves, sed graves passim. Verum notandum est eos non esse S. Ambrosii. Alibi impressi extant, nomine S. Athanasii, sed nec esse Athanasii, nec Ambrosii, patet *primo*, ex stylo, quodque hic auctor græce se nescire profiteatur, cum S. Ambrosius optime Græcam calluerit, uti indicant multa quæ ex Origene et Basilio mutuatus est. *Secundo*, quod nec S. Hieronymus, nec S. Augustinus eorum meminerint. *Tertio*, quod quædam habeant suspecta fidei : ut quod, I *Corinth.* VII, docent virum non ita constringi legibus matrimonii, sicut uxor constringitur ; virum enim posse facere divortium, uxorem non, qui est manifestus error, etiatu ipsimet S. Ambrosio aliis locis. Sic *ad Roman.* IV, vers. ult., docent eos, qui baptizati sunt ante Christi passionem, accepisse remissionem peccatorum, sed non fuisse justificatos. Rursum, *Rom.* VIII, 28, docent nos vocari ad gratiam secundum propositum, non Dei, sed nostrum : quod est Pelagianum, et contra mentem Apostoli. Sunt tamen hi commentarii veteris auctoris. Unde ipse, I *Timoth.* III, ait se hæc scribere Damaso regente Ecclesiam. Tempore Cassiodori, hi commentarii nomine Gelasii vulgabantur, ut patet ex Cassiodoro, lib. *De Divinis Lectionibus*, cap. VIII, non Gelasii Romani Pontificis, uti putavit Cassiodorus, qui Damaso posterior fuit, sed illius, ut videtur, Episcopi Cæsariensis, qui vixit ante Concilium Chalcedonense, et scripsit librum *De Duabus Naturis*.

Cæsarii. Ambrosius inscriptus ex vera sit. An hæc?

Olim hæc scribebatur Gelasio.

Alii hosce commentarios Remigio attribuunt : sed hic longe posterius vixit, scilicet anno Domini 880, fuitque Antisiodorensis Episcopus, cujus etiam alii in has epistolas exstant commentarii, prorsus ab his Ambrosianis diversi. Alii putant illorum auctorem esse illum qui scripsit *Quæstiones veteris et novi Testamenti*, tom. IV operum S. Augustini, quia in quibusdam cum eo consentit, sed stylo, gravitate, doctrina, methodo ab eo dissentit. S. Augustinus, lib. IV *Contra duas epistolas Pelagian.*, cap. IV, citat ex hoc commentario, in cap. V *ad Roman.*, explicationem illius sententiæ : « in quo omnes peccaverunt, » nomine S. Hilarii. Hinc putant Doctores Lovanienses, quos sequitur Salmeron, *disp.* XIX, et Cardinalis Bellarminus, lib. *De Scriptor. Eccles.*, in *Ambrosio*, Hilarium Diaconum urbis Romæ esse hujus commentarii auctorem, qui schismati Luciferi Calaritani adhæsit, et docuit rebaptizandos esse hæreticos. Unde S. Hieronymus scribens contra Luciferianos, eum vocat Deucalionem orbis.

Alii S. Hilario.

Hilarius Diaconus hæresis Luciferianæ fautor.

Dices : Quomodo ergo S. Augustinus eum sanctum vocat ? Respondeo : Forte deceptus fuit Augustinus nomine Hilarii, putavitque eum esse eumdem cum S. Hilario Pictaviensi Episcopo ; aut nomen *sancti*, more illius temporis accipit late pro quovis ministro Ecclesiæ. Sive ergo hic fuerit horum commentariorum auctor, sive quis alius, certe doctus est, litteralis, verbis brevis et sententiis gravis ; sed, ut dixi, infarta quædam habet quæ suspecta et erronea sunt.

Quomodo hic Hilarius sanctum vocet Augustinus.

Secundus est S. Hieronymus, qui scripsit in epistolam *ad Galatas*, *ad Ephesios*, *ad Titum* et *ad Philemonem*. Ubi adverte, solere S. Hieronymum in præfatione dicere, quos veteres secutus sit, ac deinde in commentario sæpe eorumdem [illegible]

Hieronymus.

Quid [illegible]

Commentarius S. Hieronymi?

res transcribere, nec refutare. Quare caute legendus est in hisce S. Hieronymus, atque Origeni aliisque quos in præfatione nominat, non autem ipsi Hieronymo hi errores tribuendi sunt. Rursum notandum hic est, inter opera S. Hieronymi, post commentarium in hasce quatuor epistolas, etiam alios extare commentarios breves in omnes epistolas S. Pauli. Sed certum est intuenti et conferenti priores cum hisce posterioribus, eos non esse S. Hieronymi. Unde et in ipsa præfatione Heliodoro ascribuntur : hic enim posteriorum auctor repit, nil habet Græci, vel Hebraei, cum Hieronymus æque sit, et tam Hebræis quam Græcis abundet. Adde videri auctorem hunc esse Pelagianum. Nam, in cap. v *ad Roman.*, negare videtur peccatum originale; tractatus enim illud Pauli: « Per unum hominem peccatum intravit in mundum, » sic explicat : Per Adam, inquit, intravit peccatum in mundum, » intravit, inquam, imitatione, non naturali traduce aut propagatione : » quia scilicet posteri Adæ peccatum sponte sua imitati sunt, non autem naturali propagatione ex Adamo peccatum aliquod contraxerunt : quæ expositio fuit Pelagii. Unde hic auctor cæmentito nomine S. Hieronymi plures decepit. Nam eum secuti sunt Sedulius, Primasius et Rupertus, adeoque commentarius Sedulii Scoti in epistolas Pauli idem esse hoc Hieronymiano esse videtur, resectis tantum pierisque, quæ manifestam Pelagii hæresim continebant. Sic et Primasii Uticensis, qui floruit sub Theodosio Imperatore fuitque S. Augustini discipulus, commentarius, ejusdem scripti, S. Hieronymo falso ascripti, non aliud quam lima et castigatio quædam est, licet per omnia non satis semper exacta et diligens.

Heliodorus.

Error Pelagii de peccato originali.

Sedulius, Rupertus.

Primasius Uticensis

Tertius S. Augustinus inchoavit commentarium in epist. *ad Romanos* : « Sed difficultate et prolixitate, inquit ipse, lib. I *Retract.*, cap. XXV, Apostoli territus, destiti. » Scripsit et in epist. *ad Galathas* et in reliquas sparsim, eaque collegit Venerabilis Beda. Hos secuti sunt alii post aliquot sæcula. Primus, qui cæteris aptius, peritius, sapidius scripsit, est S. Anselmus, Cantuariensis Archiepiscopus, Lanfranci discipulus et successor anno Christi 1080. Dubitat tamen Franciscus Ribera, in epist. *ad Hebræos*, an hi commentarii sint S. Anselmi; et in antiquis exemplaribus, Herveo monacho inscribuntur, teste Sixto Senensi in *Anselmo*. Nonnulla descripsit hic auctor ex commentario Ambrosiano, ut videre est in II *ad Corinthios*, cap. VIII.

Augustinus.

Beda.

Anselmus Cantuariensis.

Haymo Halberstatensis.

Haymo etiam, Halberstatensis Episcopus, in hasce epistolas breviter scripsit, simpliciter et clare anno Domini 830. Cum Primasio ita consentit, ut pene unus idemque utriusque videatur esse commentarius.

Thomas Aquinas.

Hos seculus D. Thomas, in easdem scripsit breviter, methodice et theologice, multamque materiæ legenti suggerit.

Petrus

Magister Sententiarum, Petrus Lombardus, ex Patribus more suo commentarium in hasce epistolas contexit : in quo hoc unum desideratur, quod Patrum loca non annotet aut designet. Huic similis est Glossa ordinaria, quam ex Patribus, tacitis locis, collegit Strabo, Rabani auditor. Sicut Anselmus Laodunensis, anno Domini 1110 (ut tradunt Sixtus Senensis et alii), auctor est Glossæ interlinearis, quæ multa breviter et punctim, sed docte et utiliter attigit. Huic Glossæ tum ordinariæ, tum interlineari adjunctus est Nicolaus Lyranus, ex Judæo Christianus, [illegible] suo tempore nobilis Scripturæ interpres. Scripsit etiam Hugo Cardinalis, qui subinde moralia puncta, eaque multa, sed brevia conglomerat e Scriptura.

Lombardus.

Glossa ordinaria, Strabo. Anselmus Laodunensis.

Nicolaus Lyranus.

Hugo Cardinalis.

E recentioribus præ aliis egregie scripserunt Cajetanus, Dionysius Carthusianus, Contarenus Cardinalis, Ambrosius Catharinus, Claudius Guillaudus, D. Hasselt, doctor Lovaniensis, qui apud nos Lovanii manuscriptus exstat; Titelmannus, Adamus Sasbout. Bene etiam Gagneius scripsit, sed immatura morte præventus, commentarium hunc quasi posthumum embryonem aliis formandum, limandum et edendum reliquit. Novissime in omnes epistolas scripsit per dubia et quæstiones P. Alfonsus Salmeron fuse et docte. In epistolam *ad Hebræos* scripsit Franciscus Ribera, singularis sacræ Scripturæ interpres, ultimamque hic quasi cycneam vocem edidit.

Cajetanus et reliqui recentiores.

Alfonsus Salmeron.

Franciscus Ribera.

In epist. *ad Romanos* scripsit *primo*, Dominicus Soto docte et theologice. *Secundo*, per quæstiones selectas, P. Pererius. *Tertio*, commentarium plenum et exactum, magno judicio edidit Cardinalis Toletus, qui Apostoli argumenta et rationes acri indagine rimatur, nectit et stringit. Multas hic habet novas expositiones, easque vestigare et adamare videtur.

Dominicus Soto, Pererius.

Toletus.

In epist. *ad Timotheum* et *ad Titum* fuse et docte scripserunt noster Magalianus et Ludovicus Soto Major; et ante hos Claudius Spenceus, qui in prolixas cum hæreticis nostri temporis disputationes interserit. Habet et Erasmus hic suas annotationes, grammaticales sæpe, quibus varias lectiones atque vim et significationem Græcæ dictionis expendit. Verum de nonnullis fidei articulis, uti de divinitate Filii, de descensu Christi ad inferos, de processione Spiritus Sancti a Patre et Filio, de peccato originali, de confessione sacramentali, dubie et ambigue loquitur, ovaque posuit quæ postea Lutherus et Ariani exclusernnt (1).

Magalianus, Ludovicus Soto Major, Spenceus.

Erasmus inculpatus tamen hæresis.

(1) Egregie in epistolas D. Pauli recentius commentati sunt Jansenius Gandavensis, P. Alexander, ord. Prædicatorum, Bernardinus Mansuet, quorum opera, ut optime nota, satis sit indigitare.

Estius in Paulo interpretando, via quidem et methodo optima usus, vim verborum nexumque sententiarum diligenter exquirit et invenit; justa tamen non caret reprehensione, tum quia sæpius et prolixe in quæstiones theologicas excurrit; tum quia Thomistarum optimis nimium faveat, totus est ut ipsum Paulum Thomistam faciat; tum quia durior est in explicandis Pauli locis de prædestinatione et reprobatione.

Ex hæreticis scripserunt multi, ac in primis Calvinus, Beza et Augustinus Marloratus, qui ex Luthero, Melanchthone, Brentio, Bullingero, Pomerano, Sarcerio, Petro Martyre et aliis *Catenam* confecit.

Ex omnibus Cornelii a Lapide commentariis primus dat commentario in S. Paulum Richardus Simon, *Histoire crit. des principaux commentateurs du Nouv. Testament*, cap. XLIV.

Joannes a Gorcum optimam epitomen ex Estii et Cornelii in Paulum commentariis conflavit, cujus præstantior editio Lovanii exiit, ann. 1734, hoc titulo : *Epitome commentariorum G. Estii et Corn. a Lapide in omnes D. Pauli Epistolas, per Johannem Gorcum, presbyterum, collecta.* Editio nova, D. Pauli textu et Estii præfationibus aucta, in-9°.

Vatablus Catholicus cum ab hæreticis correctus.

Vatablus Catholicus fuit, sed ejus scripta ab hæreticis excusa et depravata sunt : alioqui vir ipse fuit egregie doctus, tam in Hebræis, quam in Græcis. Acute litteram breviterque persequitur ; sed sæpe a nostro interprete diversus est. Habet enim ipse propriam versionem, vel potius versionem Tigurinam Leonis Hebræi.

UANL
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

COMMENTARIUS

IN EPISTOLAM

AD ROMANOS

ARGUMENTUM.

Duæ epistolæ hujus partes sunt. Prior, ab initio usque ad cap. XII, dogmatica est. Posterior, a cap. XII ad finem usque, ethica est, et mores instruit. In priore dogmatica, ut ait S. Augustinus et ex eo Anselmus, versatur et discutitur quæstio operum legis et gratiæ : an videlicet Judæis solis (ut ipsi jactabant), propter merita operum legis, data sit justitia et salus ; an vero omnibus omnino nationibus sine ullo operum legis aut naturæ merito, gratis a Deo concessum sit, ut per fidem in Christum et gratiam ejusdem justificentur, ac deinceps fidei et gratiæ cooperando, juste et sancte vivant, itaque salutem æternam assequantur. Hæc enim de re Judæi cum Gentibus contendebant, Gentibus philosophiam et virtutes moorales jactantibus, pro sua justitia : Judæis vero veteribilibus opera legis, et quod essent posteri Abrahæ, quibus promissus erat Messias et salus, ut, si ea potiri vellent Gentes, deberent circumcidi et fieri Judæi proselyti. Utrosque retundit hic Apostolus, ostendens quod Judæi contra legem Mosis, Gentes contra legem naturæ gravissime peccarint et utrique indigerint redemptore ; ac proinde utrisque gratis promissus sit Messias, ejus fide et gratia gratis justificentur.

Hæc autem totius epistolæ est distributio. Primis quinque capitibus reprimit Apostolus fastum tam Judæorum, quam Gentium, ostenditque tam hos, legem naturæ ; quam illos, legem Mosis violasse. Ideoque omnes esse sub peccato, et consequenter egere Salvatore Christo ; quodque ex fide et gratia Christi, non autem ex operibus legis vel naturæ justitia petenda et spectanda sit.

Secundo, cap. VI, docet, quomodo in justitia per Christum accepta progredi, vitiisque suis resistere debeant : nam, ut ait cap. VII, post justificationem manet in justo concupiscentia, quam vecit lex, sed comprimit et superat Christi gratia.

Tertio, cap. VIII, enumerat fructus quos capimus ex fide et justitia Christi.

Quarto, cap. IX, X et XI, docet Gentes vocatas ad electas esse ad justitiam, ab eaque rejectos esse Judæos ; eo quod Gentes Christo credere voluerint, Judæi vero noluerint, sed justitiam in lege Mosis, non autem in fide Christi quæsierint, eamque sibi quasi Abrahæ posteris, jure hereditario debitam arrogarint.

Quinto, cap. XII, transit ad mores hortaturque ad exercitia Christianarum virtutum, ac denique, cap. XVI, salutationibus epistolam claudit (1).

Nota *primo* : Scripta est hæc epistola post utramque *ad Corinthios*, ut recte annotavit S. Chrysostomus et patet ex I *Corinth.* cap. XVI, 2, ubi collectam fieri hortatur Paulus pro pauperibus Hierosolymitanis : hac vero epistola *ad Romanos*, cap. XV, 25, collectam illam jam factam esse significat. Ponitur tamen hæc epistola ab Ecclesia primo loco, vel ob præeminentiam Romanæ Ecclesiæ, ut censet Catharinus. Unde S. Irenæus, lib. III, cap. I, tradit S. Paulum cum S. Petro Romæ evangelizasse, et cum eo Romanam fundasse Ecclesiam, sicut et eamdem cum eodem suo sanguine et martyrio consecravit. Vel, ut opinatur S. Augustinus, epist. 103 *ad Sixtum*, eo quod gratiam fidei commendet, quæ caput est et initium gratiarum. Vel, ut vult Theodorctus, ob exactam omnis generis doctrinam.

(1) Hæc Rosenmullerus : « Sunt totius epistolæ partes tres. I. Præfatio, cap. I, 1-17. II. Tractatio, cujus iterum duæ sunt sectiones, dogmatica et parænetica. Et in dogmatica quidem parte, primis 11 capitibus procurrente, totus in eo est, ut ostendat, non ex observatione Judaismi, sed ex observatione Christianismi, et quidem solius christianismi salutem æternam hominis sperandam esse, ita ut Judaismo amplius non sit opus ; religione veteri Mosaica impietatem humanam, inter Judæos Ethnicosque prorsus eamdem, non potuisse tolli, nec felicitatem veram restitui, itaque novam ad felicitatem hujus et futuræ vitæ perveniendi viam et rationem, positam esse a Deo in doctrina Jesu Christi ; ab hac sola certam salutis spem omnibus, Judæis Gentibusque esse repetendam, nec in hac re tribuendum esse quidquam majorum meritis, aut legis Mosaicæ observationi, sed soli benevolentiæ Dei per Jesum Christum luculenta quadam ratione hominibus declaratæ. Altera hujus epistolæ parte, parænetica, universa vitæ Christianæ præcepta commendantur, cap. XII, 1 — XV, 14. III. Peroratio, seu epilogus, qua continentur scriptionis excusatio, apostolatus commendatio, adventus promissio, intercessionis petitio, ad finem cap. XV. Caput XVI aliorsum pertinere videtur. » Cf. Bible de Vence, *Préface sur l'épître aux Romains* ; Bauerberg, *Einleitung*, etc., p. 614 sequ.

Nota *secundo* : Probabiliter Salmeron, tom. I, prolegomeno 35, in fine, censet hanc unam Pauli epistolam latine esse scriptam. *Primo*, quia eam Apostolus scribit Latinis : ipse enim ex dono linguarum sibi infuso etiam latine norat. *Secundo*, quia ejus amanuensis fuit Tertius, cap. XVI, 22, quod nomen Latinum est. Dices : Cur ergo toties hic græcizat ? Respondeo : Quia hactenus inter Græcos versatus erat, ideoque in Græcum erat proclivior.

Contra Bellarminus, lib. II *De Verbo Dei*, cap. VII, et communiter alii, omnes Pauli epistolas, præter unam ad Hebræos, græce scriptas esse contendunt. Certe S. Chrysostomus et Græci Græcum textum quasi autographum sequuntur. Idem facit et Syrus. Adde, Paulum hac epistola Judæo et Barbaro non opponere Romanum, sed Græcum, cap. I, vers. 14 et 16. Scribit enim ex Græcia, ubi inter Græcos agens Græcæ linguæ jam assueverat, ideoque scribit græce etiam ad Romanos, quia his, uti et aliis, lingua Græca tum erat familiaris et elegans, ut dicam cap. I, vers. 16. Perinde ergo hic facit Paulus, atque si Franeus vel Belga aliquis ex Francia in Belgium ad Lovanienses vel Antuerpienses scriberet francice. *Tertio*, idipsum confirmat, quod hæc epistola græcismis abundet, quodque Latinus noster textus ex Græco ad verbum, imo ad litteram et apicem sæpe expressus videatur, ut quod cap. I, 31 habetur : « Sine affectione, absque fœdere, sine misericordia, » quis non videt ex Græcis verbis ἀστόργους, ἀσυνθέτους, ἀνελεήμονας, ad apicem esse expressum ? Nam si latine scripsisset Paulus, latine et clare dixisset : *Inhumanos, fœdifragos, immisericordes*. Similes græcismos videbimus cap. I, 7, 8, et deinceps : ita ut hæc epistola plane stylo et phrasi Græca scripta esse videatur.

Quarto, hic videtur esse sensus et consensus interpretum tam Græcorum, quam Latinorum. Omnes enim provocant, eum lectio est dubia, ad textum Græcum, quasi ad Pauli autographum. Quod si textus Græcus sit ambiguæ et variæ significationis, variant quoque in expositione interpretes : nil tale fit in Latino : v. *g. Rom.* cap. I, vers. 1, Græcum *ἀφωρισμένος* Chrysostomus et Græci vertunt, *qui declaratus est* ; noster vero interpres et Latini vertunt et legunt, *qui prædestinatus est*. Utrumque enim significat Græcum *ἀφωρισμένος*. Quod si Paulus latine scripsisset, *qui prædestinatus est*, nulla foret hic lis, nulla varietas, nullum dubium ; causa pro Latini foret decisa. Latini omnes Græcos ad Latinum a Pauli autographum provocarent : quod tamen nemo hactenus fecit (1).

Addo tamen, probabile esse Græcum Pauli autographum mox a Tertio, vel alio interprete, quem, ut alibi dixi, Paulus semper ad manum habebat, conversum esse in Latinum sermonem, itaque Romanis et Latinis esse transmissum ; hoc enim suadent rationes prioris sententiæ Salmeronis. Atque hac de causa, nimirum ob duritiem et obscuritatem interpretis, putavit Diodorus Tarsensis hanc epistolam præ aliis tam hiulce et obscure esse conscriptam, ut dicam cap. XVI, 22. Pari modo S. Marcus suum Evangelium, quod Romæ latine conscripserat, fertur Aquilejæ in Græcum transtulisse, cujus originale Venetiis etiamnum asservatur, uti testatur Petrus Episcopus Aquilejensis in *Catalogo*, lib. IV, cap. LXXXVI. Sic et Irenæum, quem utpote Græcum græce scripsisse omnes consentiunt, mox a quoplam familiari ejus interprete in Latinum esse conversum opinantur nonnulli, inter quos est Fevardentius, præmio *in Irenæum* : hoc enim suadere videtur styli illius Latini vetustas et gravitas.

Denique scripta est hæc epistola anno Christi 58, ut ait Baronius (2), Corinthi, missa per Phœben, ut habent Biblia Græca, Syra et Latina legita in fine epistolæ, cum jam S. Petrus Roma pulsi Claudii abiisset in Britanniam ; tunc nimirum Paulus Romanos pastore destitutos, et inter se de quæstionibus jam dictis tumultuantes confirmavit, docuit et in concordiam redegit. Unde mirum non est, quod Paulus hac epistola Petrum, utpote Roma absentem, non salutet (3).

(1) Insuper, ait Dom Calmet, Apostolus scribit *his qui erant Romæ*, hoc est non solum Latino-Romanis, sed etiam omnibus Christianis ex quavis nations Romæ degentibus. *Hist. générale des auteurs sacrés*, tom. I, p. [illegible].

(2) Rectius, anno 55 ineunte, ait Sepp. Vid. Chronicon *Actuum Apostolorum* tom. XVII præfixum ; et Sepp, op. cit., tom. II, p. 847.

(3) De *consilio* Pauli in scribenda hac *ad Romanos* epistola pauca dicam. Videtur nempe Paulus per Aquilam et Priscillam, et plures alios Claudii imperatoris edicto Roma expulsos, quibus Corinthi et Ephesi familiariter usus fuerat, certus factus esse de rebus Christianorum Romanorum. Paulus vero per eumdem Aquilam, aliquanto post Romam redeuntem, fortassis etiam per Christianos in Macedonia, Achaia, Asia ipsi familiariores factos, et Romam proficiscentes, atque insignia ejus in religionem merita narrantes ac prædicantes, Romanis innotuit. Præcipua causa, cur Apostolus hanc ad eos epistolam scriberet, fuisse videtur hæc, quod in eorum cœtu, qui mixtus erat ex hominibus, ante susceptionem Christianæ religionis, partim Judaismo, partim idolorum cultui addictis, lites ortæ essent, quas componere studuit. Porro causæ distidiorum hæ fere fuerunt : *Judæo-Christiani* opiniones Judaicas, imprimis pharisaicas cum doctrina Christiana conjungere solebant, et existimabant beneficia Messiæ majori jure ad suum populum, quam ad exteras gentes pertinere, *Rom.* IV, 17 ; II, 17 ; III, 2, 29 ; X, 12. Quia etiam de lege Mosaica ipsa, sicut non Gentilibus concessa, valde gloriabantur, censebantque propter hujus legis et rituum sacrorum observationem, ut et propter merita majorum, Abrahami, etc., Deum ipsis fore propitium ; Gentiles contra, utpote lege destitutos, nec ab Abrahamo genus ducentes, nec ritibus sacris initiatos, tanquam homines profanos esse contemnebant, nisi et ipsi jugum legis Mosaicæ imponi sibi paterentur. *Ethnico-Christiani* vero Christianos ex Judæis, tanquam homines superstitiosos, omnique Dei misericordia indignos valde contemnebant. Inde vero altercationes et scandala enata erant, quæ a Paulo passim carpuntur. Denique præter istam doctrinæ et opinionum varietatem, etiam vitæ plurimorum Christianorum varia vitia, vel jam corrupta erat, vel certe facile corrumpi poterat. Itaque Paulus partim Judaicas opiniones refutat, partim odia et rixas pellere studet.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Paulus commendans suum apostolatum et Evangelium, salutat Romanos, eosque visere et eis prædicare exoptat.

Hinc secundo, vers. 16, docet Evangelium et fidem Christi esse virtutem Dei in salutem omni credenti : justum enim ex fide vivere.

Unde tertio, vers. 18, docet Ethnicos ante Christum, licet Deum ex creaturis agnoverint, non tamen eum, sed idola coluisse, indeque a Deo traditos in reprobum sensum, in abominanda, quæ hic recenset, scelera evolvisse. Docet ergo omnes ante Christum peccatis et iræ Dei fuisse obnoxios; ut inde concludat omnes egnisse Evangelio, fide et gratia Christi Redemptoris.

1. Paulus, servus Jesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Evangelium Dei, 2. quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis, 3. de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem, 4. qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri : 5. per quem accepimus gratiam et apostolatum ad obediendum fidei in omnibus Gentibus pro nomine ejus, 6. in quibus estis et vos vocati Jesu Christi : 7. omnibus qui sunt Romæ, dilectis Dei, vocatis sanctis. Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo. 8. Primum quidem gratias ago Deo meo per Jesum Christum pro omnibus vobis : quia fides vestra annuntiatur in universo mundo. 9. Testis enim est mihi Deus, cui servio in spiritu meo in Evangelio Filii ejus, quod sine intermissione memoriam vestri facio, 10. semper in orationibus meis : obsecrans, si quomodo tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos. 11. Desidero enim videre vos, ut aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis ad confirmandos vos : 12. id est simul consolari in vobis, per eam quæ invicem est, fidem vestram atque meam. 13. Nolo autem vos ignorare, fratres : quia sæpe proposui venire ad vos (et prohibitus sum usque adhuc), ut aliquem fructum habeam et in vobis, sicut et in cæteris gentibus. 14. Græcis ac Barbaris, sapientibus et insipientibus debitor sum : 15. ita (quod in me) promptum est et vobis, qui Romæ estis, evangelizare. 16. Non enim erubesco Evangelium. Virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Judæo primum, et Græco. 17. Justitia enim Dei in eo revelatur ex fide in fidem : sicut scriptum est : Justus autem ex fide vivit. 18. Revelatur enim ira Dei de cœlo super omnem impietatem et injustitiam hominum eorum qui veritatem Dei in injustitia detinent : 19. quia quod notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis manifestavit. 20. Invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur : sempiterna quoque ejus virtus, et divinitas : ita ut sint inexcusabiles. 21. Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum; dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. 23. Et mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentium. 24. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam : ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis : 25. qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium; et coluerunt, et servierunt creaturæ potius quam Creatori, qui est benedictus in sæcula. Amen. 26. Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. Nam feminæ eorum immutaverunt naturalem usum, in eum usum qui est contra naturam. 27. Similiter autem et masculi, relicto naturali usu feminæ, exarserunt in desideriis suis in invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes, et mercedem, quam oportuit, erroris sui in semetipsis recipientes. 28. Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia : tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt, 29. repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones, 30. detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obedientes, 31. insipientes, incompositos, sine affectione, absque fœdere, sine misericordia. 32. Qui cum justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni sunt morte : et non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.

Vers. 1. Pauli Romanum nomen unde desumptum? quid significet?

1. PAULUS. — De hoc nomine multi hic multa afferunt.

Primo, aliqui putant hoc nomen esse Græcum, et *quietem*, vel potius *quietum* significare, deducique ἀπὸ τοῦ παύειν, id est *a quiescendo*. Sicut e contrario Saulus (ait Ambrosius) significat inquietudinem : σεῖσις enim Græcis idem est quod *commotio*. Nam Saulus inquietus fuit, turbator et persecutor Ecclesiæ.

Secundo, S. Hieronymus, in *Nominib. Hebraicis*, vult nomen *Paulus* esse Hebræum et significare *mirabilem* : hoc enim significat Hebræum פלא *pele*, unde Paulus. Alii Paulum interpretantur *operarium*, a radice פעל *paal*, id est operatus est.

Tertio, alii censent nomen *Paulus* esse mixtum ex Hebræo et Græco et significare os tubæ, vel potius os tibiæ, quasi conflatum sit ex פה *pe*, id est *os*, et αὐλὸς, id est *tibia*. Rursum S. Damasus, in *Carmine de S. Paulo*, putat Paulum in baptismo mutasse nomen Sauli in *Paulus*. Sed contra facit, quod post cap. IX *Actor.*, ubi Paulus baptizatur, semper vocetur Saulus, usque ad cap. XIII. Ergo post baptismum diu Sauli nomen retinuit : non ergo in baptismo nomen Pauli assumpsit. Denique Origenes putat Paulum fuisse binominem, et in circumcisione illi tam Pauli quam Sauli nomen impositum esse, sicuti Matthæus vocatus est Levi.

Nomen Pauli Romanum, quando, et qua occasione assumptum?

Verum respondeo et dico : Verius est, *Paulus* esse nomen Latinum et Romanum. Rursum Saulum assumpsisse hoc nomen Pauli, *Actor.* XIII, 9, ubi cum Barnaba segregatus est et designatus Apostolus Gentium, scilicet, mox ut cœpit prædicare Gentibus, puta Paulo, Proconsuli Cypri, in quem primo e Gentibus incidit eumque convertit : ut enim illi et aliis Gentibus Paulus quasi Romanus civis, etiam nomine suo facilius se insinuaret, Paulus, inquam, qui omnibus omnia fieri cupiebat, ut omnes lucrifaceret; propterea hac occasione Sergii Pauli, ut dixi, nomen Judaicum Sauli, levi mutatione unius litteræ, mutavit in nomen Romanum Pauli.

Id ita esse ex eo conjicitur, quod usque ad apostolatum suum ad Gentes et conversionem Sergii Pauli, semper vocetur Saulus, vel Saul, a Saule primo rege suæ tribus Benjamin, quia inter Judæos agebat : post illam vero Sergii Pauli conversionem semper vocetur Paulus, quia deinceps inter Romanos et Gentes, quasi Gentium doctor et Apostolus agit. Ita S. Augustinus, lib. VIII *Confess.*, cap. IV; S. Hieronymus, in epist. *ad Philemonem*, Beda et Salmeron hic, et Lorinus in cap. IX *Actor.*, vers. 18.

Non ergo Sergius Paulus Saulo suum Pauli nomen ex amicitia imposuit, ut aliqui volunt; sicut Josephus fatetur se Flavii nomen accepisse a familia Flavia Titi et Vespasiani : cum potius Sergius Paulus, quasi catechumenus et discipulus a Paulo nomen accipere debuerit, quasi a magistro suo : sicuti S. Cyprianus Cæcilii nomen a Cæcilio presbytero, a quo baptizatus est, assumpsit : sed tantum occasione illius Pauli, qui nomen sibi affine gerebat, quemque primo e Gentibus convertit Paulus, sponte inter Gentes nomen Pauli assumpsit.

Hinc patet etymon Pauli esse Latinum, et Paulum idem esse quod parvum, pusillum, modicum. Unde et a parva statura Pauli nomen adhæsisse familiæ Æmiliæ, auctor est Sigonius in *Nominibus Romanis*, quasi dicat Paulus : Ego olim Judæis fui Saulus, nunc vobis Romanis Romanus sum Paulus : olim ante christianismum altus et superbus eram, quasi alter Saul; nunc Christianus effectus parvus sum Paulus; parvus, inquam, tum corpore, tum magis animi demissione. Ita S. Thomas et S. Augustinus, lib. *De Spirit. et Litt.*, cap. VII. Et *in Psalm.* LXXXII : « Paulus, inquit, primo Saulus, postea Paulus, id est primo superbus, postea humilis. Saul enim, unde dictum est nomen Sauli, nostis quia rex superbus et infrœnis fuit. Non quasi aliqua jactantia nomen sibi mutaverit Apostolus; sed ex Saulo factus est Paulus, ex superbo modicus. Paulum enim modicum est. » Et lib. I *De Verbis Domini*, serm. 13 : « Tu es ipse Paulus, in te parvus, in Domino magnus; in te infirmus, in Domino firmissimus. Eris exaltatus, quia non es ingratus. »

Recentiorum Pauli elogia.

Quare quod S. Hieronymus, loco jam citato, Pauli nomen censet esse nomen victoriæ et triumphi, licet a parte rei vere hoc nomen ita

scipi possit; tamen hæc non est vera hujus nominis ratio ex mente et intentione Pauli, qui, ut dixi, Pauli nomen non tam sublimitatis, quam familiaritatis et humilitatis studio assumpsit. Ascribam hic verba S. Hieronymi, quia pulchra sunt : « Uti Scipio, inquit, subjecta Africa, Africani sibi nomen assumpsit, et Metellus, Creta subjugata, Cretici cognomentum reportavit, et imperatores nunc usque Romani ex subjectis gentibus Adiabenici, Parthici, Sarmatici nuncupantur; ita et Paulus, ad prædicationem Gentium missus, primo Ecclesiæ spolio proconsule Sergio Paulo, victoriæ suæ trophæa rétulit erexitque vexillum, ut Paulus diceretur e Saulo. » Aptius S. Augustinus, serm. 25 *De Sanctis*, tom. X : « Patitur, inquit, Paulus quod fecerat Saulus. Saulus lapidavit, Paulus lapidatus est. Saulus Christianos virgis afferit, Paulus pro Christo quinquies quadragenas una minus accepit. Saulus persecutus est Ecclesiam Dei, Paulus subnissus est in sporta. Saulus vinxit, Paulus vinctus est. Et dum Paulus stavicns querit minuere numerum Christianorum, etiam ipse accessit ad numerum Confessorum. »

Apostolus igitur, ut ipsemet ait, « præsentia corporis fuit infirma. » Fuit enim nomine et corpore humilis, id est parvus; sed ingenio, animo, virtute et factis magnus. « Animus enim non mensuratur corpore, » sed corpus transcendit. Pulchre et vere Sapiens, *Eccli.* XI, 3 : « Brevis, πρῶτα, id est *parvus*, in volatilibus est apis, et initium (πρῶτον *primus, principatum*) dulcoris habet fructus illius. » Ita corpore parvus, sed animo celsus fuit S. Hieronymus, ut habet ejus Vita apud Bibliopegiram et alios. Idem de se innuit S. Augustinus, hom. *De Transfigur. Domini* : « Quæso, inquit, per hominum, ne vos hominis fastus offendat, dummodo qualibet occasione, de cordibus vestris peccatorum sordes abstergat. » Et *serm.* 6 inter commun. : « Obsecro, ait, vos fratres, etc., ut orelis pro me exiguo et pusillo, » etc. S. Antoninus, memoriæ portentum, æque ac sanctitatis et miraculorum, ab exigua statura nomen accepit : vocabatur enim Antonius. Nimirum ut ait Poeta,

Major in exiguo regnavit corpore virtus.

Et e contrario :

Nulla in tam vasto corpore mica salis.

Parvi sunt magnanimi, etiam mur?

Et Cicero : « Valentissimo quisque corpore longissime abest a sapientia. » Experientia docet communiter in parvo corpore magnos inesse animos. Virtus enim unita fortior est seipsa divisa. Virtes autem animæ in corpore parvo unitur, in magno dividitur et dispergitur. Atque hac de causa naturaliter parvis quam magnis facilior est magnanimitas, difficilior humilitas. Eleganter et cordate S. Gregorius Nazianzenus, scribens *ad Nicobulum*, qui Alypianæ uxori suæ Gorgoniæ, Gregorii sororis, filiam, exiguam staturam exprobrabat, ita rescribit, *epist.* 123 : « Alypianam apud nos cavillis incessis ut parvam et tua proceritate indignam, o magne et vaste ac gigantine tum forma, tum robore. Nunc demum intelligo animum mensuræ subjici, ac rupes margaritis præstantiores esse, corvosque luscinilis augustiores. Tu vero magnitudine tua et cubitis fruere. » Deinde subdit : « Quod si hoc quoque adjicias, eam orationis causa curvam esse, ac per ingentes mentis agitationes, perpetnam cum Deo consuetudinem habere; quid hic de tua sublimitate corporisque mæ ura te jactabis? Vide tempestivum silentium, loquentem audi, quam non incompta sit animadverte, quam ut femina fortis ac strenua, quas rei domesticæ utilitates afferat, quam viri amans, ac tum illud Lacenis dices : Certe animus in mensurum minime cadit, atque extremum hominem oculos conjectos in fulgurum habere oportet. Ita eam ut parvam deridere desines, et tuum conjugium faustum ac felix judicabis. »

Servus Jesu Christi. — « Servus, » scilicet honorarius, qui hebraice vocatur משרת *mescaret*, id est minister, de quo plura dicam *Philip.* cap. I, vers. 1.

Vocatus Apostolus, — id est vocatus ad apostolatum, vocatione Apostolus. Græce enim non est participium κεκλημένος, *id* est vocatus, appellatus; sed nomen κλητός, id est vocatitius. Unde Syrus vertit קריא ושליחא *karia vaschelicha*, id est vocatitius et Apostolus, *q. d.* Evocatus Deique Apostolus. Ita S. Chrysostomus. Sic Hispani gloriantur quod sint *criados del Rey*, id est servi Regis, evocati a fisco, vocatitii Regis. Unde, teste Hesychio, *vocatus* dicitur nobilis. Alludit ad *Isaiæ* XLVIII, 12, ubi pro eo quod nos habemus : « Audi, Israel, quem ego voco, » hebraice est מכראי *mecorai*, id est *vocale mi*, uti vertunt Aquila, Symmachus, Vatablus et alii : Israel enim typus fuit S. Pauli et fidelium. Vide ibi dicta (1). Rursum alludit hic Paulus per nomen Hebræum et Syrum *scelicha*, id est Apostolus, ad prius suum nomen regium Saul. Saul enim hebraice significat vocatum et postulatum, scilicet a Deo ad regnum, sicut Saulus hic noster ex eadem tribu Benjamin est vocatus et postulatus ad apostolatum : estque paronomasia Hebraica, *q. d.* Paulus : Qui olim fui Saulus vel Saul; nunc sum *scelicha*, id est vocatus ad legationem et munus Apostolicum. Pari modo in voce *karia*, id est vocatus, alludit ad duodecim principes vocatos a Deo et Mose, ut duodecim tribubus præessent, *Num.* I, 16, uti ibi dixi. Quare parerga hic est Anselmi expositio, qua censet Paulum se non Apostolum, sed vocatum Apostolum nuncupare ex studio humi-

Paulus vocatione et merito Apostolus, non factus appellatione.

(1) Simplicius : Vocatus Apostolus, id est, constitutus Apostolus, cui munus Apostolicum est demandatum, vocatus ab ipso Christo, non ut alii, honorem sumens mendax, I Cor. I, 1.

litatis, *q. d.* Ego non voco me Apostolum, sed ab aliis vocatus et dictus sum Apostolus : quomodo S. Bernardus ex humilitate non Abbas, sed vocatus Abbas Clarevallis dici et nuncupari voluit : repugnat enim huic expositioni textus Græcus, ut patet ex dictis.

Nota *primo* : Actor. IX, vocatus est a Christo Paulus Apostolus, id est legatus, missus a Christo per totum orbem evangelizare et docere Gentes, fundare et regere Ecclesias Christi, de quo plura dicam, vers. 5.

Paulus et aliititulo Apostoli gaudent, præter duodecim a Christo vocatos *Matth.* X

Nota *secundo* : Præter duodecim Apostolos, qui *Matth.* X, a Christo in terris vivente vocati et missi sunt prædicare regnum Dei, nomen Apostoli extensum quoque est ad Paulum, Barnabam, Silam, Lucam, Marcum aliosque, qui pene idem officium sunt sortiti, quod primi illi duodecim a Christo vocati. Unde S. Hieronymus, in *cap.* I *ad Tit.*, vers. 1, Apostoli titulum in Paulo et Apostolicam dignitatem suspiciens, inquit : « Quod ait Paulus de se, Apostolus autem Jesu Christi, tale mihi videtur, quale si dixisset. Præfectus prætorio Augusti Cæsaris, magister exercitus Tiberii. Ut enim judices sæculi hujus, quo nobiliores esse videantur, ex regibus quibus serviunt et ex dignitate qua intumescant, vocabula sortiuntur; ita et Apostolus grandem inter Christianos sibi vindicans dignitatem, Apostolum se Christi titulo prænotavit, ut ex ipsa nominis auctoritate lecturos terreret, indicans omnes qui in Christo crederent, debere sibi esse subjectos. » Apostoli enim a Christo in totum orbem et in omnes fideles auctoritatem et imperium acceperunt.

Paulus in apostolatu tum vocatus a Deo, tum factus.

Nota *tertio* : Paulus hoc Apostoli nomine, quasi titulo numeris dignitatis et professionis, se initio epistolarum, suis insinuare solet. Sicut enim reges et principes præfantur : Nos Albertus, Dei gratia Archidux Austriæ, Dux Brabantiæ, etc.; ita Paulus : « Ego Paulus, Dei gratia et vocatione Christi Apostolus; » non autem per me, vel amicos, vel potestatem laicam in apostolatum intrusus; hoc enim proprium est pseudo-apostolorum et hæreticorum, ut docet S. Cyprianus, lib. *De Unitate Ecclesiæ* : « Si sunt, ait, qui se ultro apud temerarios convenas sine divina dispensatione prædicent, qui se præpositos sine ulla ordinationis lege constituunt (nota nomen Ordinationis, quæ sane non a magistratu, sed a Christo Jesu, ejusque vicariis Episcopis, manuum impositione ritu veteri in sacramento Ordinis suscipitur), qui, nemine episcopatum dante, Episcopi sibi nomen assumunt. » Imo S. Paulus, *Hebr.* V, 4 : « Nec quispiam, inquit, sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tanquam Aaron. » Et Jeremias de falsis prophetis, se per amicos aut reges intrudentibus, sic ait carpens et culpans eos, cap. XXIII, 21 : « Non mittebam Prophetas, et ipsi current; non loquebar ad eos, et ipsi prophetabant. » Sicut enim magistratus est ordinare civilia et civicos præfectos; ita Episcoporum est ordinare sacra et sacros Præsules : hic enim est hierarchicus ordo Ecclesiæ a Deo institutus. « Scriptum est, ait Ambrosius, lib. V, epist. 33 *ad Marcellinam sororem* : Quæ Dei, Deo; quæ Cæsaris, Cæsari; ad Imperatorem palatia pertinent, ad sacerdotem Ecclesiæ : publicorum tibi mœnium, o Imperator, jus commissum est, non sacrorum. » Et Hosius Constantio : « Tibi, inquit, Deus imperium commisit; nobis quæ Ecclesiæ sunt, credidit. »

Segregatus in Evangelium Dei, — tanquam in rem arduam et sublimem, quæ omnem naturæ modum et rationem transcendat. Alludere rursum videtur Spiritus Sanctus ad etymon Hebræum nominis Pauli. Sicut enim *Saul*, vel *Szulus*, significat vocatum et postulatum ad munus Apostolicum, ita פלא *pele* (unde Paulus), significat arduum, excellentem, mirabilem, ideoque a vulgo segregatum. Idem innuit Græcum ἀφορισμένος; ἀφορίζειν enim significat secernere aliquid et segregare tanquam eximium, puta tanquam organum electum, quale fuit Paulus. Unde et medici ἀφορισμοὺς vocant sententias selectas, raras et eximias. Sic Christus, *Isaiæ* IX, 6, vocatur פלא *pele*, id est admirabilis, eximius, segregatus. Et angelus nuntians Manue Samsonis ortum, *Judicum* XIII, 18 : « Quid quæris, inquit, nomen meum, quod est mirabile, » hebraice, quod est פלא *pele*.

Nomen Pauli significat hebraice excellentem, mirabilem, admirandum.

2. Quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo, — *q. d.* Non novum, non nuper inventum, aut ex meo alte-rinsve hominis cerebro fabricatum est Evangelium, sed ab æterno a Deo institutum et decretum, ideoque jam olim per omnes sanctos Prophetas promissum tanquam res rara, mira, salutifera, divina, certissima et verissima; utpote quæ confirmata est et corroborata tot sæculorum tempore : temporis enim filia est veritas, ait Cicero, lib. II *De Oratore* (1).

3. Qui factus est ei ex semine David secundum carnem. — factus, Valla et Erasmus vertunt, *qui genitus est*, vel *natus est*. Sed melius vertit noster interpres, *qui factus est* : Græce enim non est γενόμενος, vel γεννηθεὶς a γένεσις, id est *gigno*; sed γενόμενος a γίνομαι, id est *fio*. Unde S. Cyrillus, lib. XI *Thesauri*, sub medium, dicit totam SS. Trinitatem dici et esse ἄγενητον, id est increatam, infectam, sive non creatam, non factam; solum vero Patrem esse et dici ἀγέννητον, id est ingenitum, et ita Patres Christum hic non natum, sed factum interpretantur; ut Tertullianus, *Contra Praxeam*; Irenæus, lib. III, cap. XXXII; S. Augustinus, lib. II *De Trinit.*, cap. V. Vox enim *factus* magis significat humanam naturam Christi contra Marcionem, illaroque Christum non e cœlo in Virginem intulisse, ut voluit Valentinus; sed in Virgine, et

Marcionis. Vox judaica. Ebionis hæresis

(1) Hoc addit Apostolus propter judaizantes, qui calumniabantur, Mosen et Prophetas ab Apostolo contemni, suaque privari auctoritate.

Christus ex Virgine formatam, idque non ex copula viri, ut voluit Ebion ; sed virtute Spiritus Sancti, factam et productam accepisse : ita ut Christus est ἀπάτωρ, id est sine patre, secundum humanitatem, sicut est ἀμήτωρ, id est sine matre, secundum deitatem.

4. QUI PRÆDESTINATUS EST FILIUS DEI. — « Qui prædestinatus est, » Græce ὁρισθέντος, quod apte et plane Syrus et Græci vertunt, *qui declaratus et cognitus est Filius Dei*. Ita Chrysostomus, Theophylactus, Œcumenius, Origenes, Theodoretus; imo Toletus sic exponit Latinum *prædestinatus*, sive *definitus*, scilicet non quoad rem, sed quoad notitiam hominum, ut *prædestinatus* idem sit quod *certificatus*, *certo cognitus hominibus*, *q. d.* Christus demonstratus et declaratus est præ aliis Sanctis, qui sunt filii Dei adoptivi, quod ipse solus sit Filius Dei naturalis. Sed hoc est torquere Latinum verbum *prædestinatus* et *prædemonstratus*, vel declaratus. Quare hoc sensu melius Ambrosius subaudit hic verbum *declarari*, dum sic exponit : Christus, latens in incarnatione, prædestinatus est, ut declararetur Filius Dei in resurrectione. *Secundo*, rectius et profundius noster Interpres, quidquid obstrepat Calvinus, Græcum ὁρισθέντος vertit, *qui prædestinatus est*, et ita legunt S. Irenæus, lib. III, cap. XXXII; Hilarius, lib. VII *De Trinit.* ; Augustinus, lib. *De Prædest. Sanctorum*, cap. XV; Ambrosius et alii. Græcum enim ὁρίζειν, licet apud profanos sæpe significet *declarare*, tamen auctore S. Dionysio, lib. *De Divinis Nomin.*, cap. V, passim in Scriptura significat *definire*, *constituere*, *prædestinare*, ut *Actor.* II, 23 : « Hunc definito consilio et præscientia Dei traditum, » Græce est ὡρισμένῃ βουλῇ, *Actor.* X, 42 : « Ipse est qui constitutus est judex vivorum et mortuorum, » Græce ὡρισμένος κριτής. *Act.* XVII, 26 : « Definiens statuta tempora, » Græce ὡρισμένους καιρούς.

Adde : Etiamsi Origenes, Hieronymus, Tertullianus, Cyrillus, Theodoretus, Chrysostomus, Œcumenius legant in Græco ὁρισθέντος, quod est ad verbum, *destinatus est*, scilicet, ab æterno : quod in re idem est cum eo quod noster Interpres vertit, *prædestinatus est*, tamen alii, ut Ambrosius, Augustinus, Irenæus locis jam citatis, et Epiphanius, *hæresi* 54, in fine, et Athanasius, lib. III *De Assumpt. hominis*, clare legunt in Græco προωρισμένος : hoc autem ad verbum idem est quod *præaestinatus est*, non autem *prædeclaratus est*. Sic enim hic verti non posse patet ex sequentibus ; vox enim *præ* falsum induceret sensum.

Expositio Origenis. Ubi nota : Putat Origenes Christum solum dici ὁρισθέντα, id est *destinatum*, quia antequam nasceretur homo, erat Deus Deique Filius : nos vero dici προορισθέντας, id est *prædestinatos*, quia non eramus antequam nasceremur. Sed hæc distinctio subtilior est, quam verior et solidior ; *destinatus* enim hic idem est quod *prædestinatus*, ut jam dixi. Quare non recte Origenes hunc locum sic exponit, *q. d.* Paulus : Christus existens Filius Dei, destinatus est ut sit princeps et primogenitus ex mortuis, scilicet, ut in eos virtutem divinam exerceat eisque det Spiritum sanctificationis et vivificationis.

Sensus ergo Apostoli est, *q. d.* Homo Christus, qui factus est ex semine David, seu cui data est essentia et existentia humanæ naturæ, prædestinatus est ad hoc, ut subsisteret in persona Filii Dei ; id est prædestinatus est Jesus ad hoc, ut scilicet qui futurus erat secundum carnem filius David, idem secundum hypostasin esset Filius Dei : hoc est, prædestinatum est, ut hic homo, qui dicitur Jesus, estque filius David, esset simul Filius Dei, quia scilicet prædestinatum est, ut hic homo assumeretur a Filio Dei, illique hypostatice uniretur, ita ut idem esset homo et Deus, sive filius hominis et Filius Dei. Ita S. Augustinus, *De Prædestin. Sanctor.*, cap. XV ; Anselmus, Concilium Toletanum XI, cap. I, et passim Scholastici, III *part.*, *Quæst.* XXIV.

Dices : Pronomen *qui* refert Filium Dei, qui præcessit. Filius autem Dei non est prædestinatus, ut fieret Filius Dei, quia semper fuit Filius Dei. Ita Calvinus.

Christus materialiter prædestinatus ut Filius Dei.

Respondeo : Pronomen *qui* refert Filium Dei, non formaliter, sed materialiter, scilicet non quatenus est Filius Dei, sed quatenus factus est secundum carnem ex semine David, uti præcessit, id est refert hunc hominem Christum, qui assumptus est a persona Verbi, estque Filius Dei. Ille enim homo non fuit ab æterno Filius Dei, sed prædestinatus est Filius Dei, sicut in tempore factus est Filius Dei.

Attributa Deitatis et humanitatis quomodo Scripturæ tribuat Christo?

Ubi nota, S. Scripturam de Christo ita loqui, ut jam de ejus divinitate loquatur, mox ad ejus humanitatem transeat, rursum ad divinitatem redeat. Hinc fit, ut Christo det attributa quæ Deo sunt propria, et mox eidem tribuat alia quæ non-nisi in hominem cadunt. Id clare videre est *Hebr.* I, 2, ubi sic loquitur Apostolus : « Novissime diebus istis locutus est (Deus) nobis in Filio, quem constituit hæredem universorum. » Ecce hic loquitur de Filio, ut homo est ; et mox loquitur de eodem, uti Deus est. Subdit enim : « Per quem fecit et sæcula, qui cum sit splendor gloriæ : » ac rursum redit ad eumdem Filium qua homo est, cum statim subjungit : « Purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram majestatis in excelsis. »

Christi prædestinatio, ejusdem finis et exemplar nostræ.

Dices *secundo* : Hic homo non tantum Christi naturam humanam, sed et personam, quæ Verbum est, includit ; et relativum *qui*, non potest referre naturam humanam : quia sic dicendum esset, *quæ* ; ergo refert personam : atqui in Christo non fuit alia persona, quam divina Verbi ; hæc autem non potuit prædestinari ad unionem Verbi. Sic enim prædestinatum esset, ut idem cum eodem, sive ut idem cum seipso uniretur : quod est impossibile. Unde passim Doctores dicunt,

solam naturam humanam prædestinatam et elevatam esse ad hanc unionem cum Verbo. Est hoc argumentum Toleti, quo probare contendit *prædestinatus* hic debere exponi per *declaratus*.

Respondeo : Relativum *qui* refert naturam humanam Christi in concreto, id est hunc hominem, non subsistentem, sed existentem ex semine David. Licet enim idem materialiter subsistat in persona Filii Dei, uti præcessit ; tamen in nova hac propositione, mens inde, puta ab hac subsistentia et persona Verbi, præscindit, et tantum in subjecto *hic homo* hominem existentem, non autem subsistentem sive personatum concipit, donec accedat prædicatum *Filius Dei*. Sic fit in omni propositione essentiali ; nam in ea semper subjectum re idem est cum prædicato, sed conceptu distinctum et quasi præcisum ; ut homo est animal, leo est brutum.

Christi non tantum natura, sed et persona prædestinata dici potest.

Respondeo *secundo* : Pronomen *qui* referre potest personam hujus hominis, seu hoc suppositum humanitatis Christi confuse, abstrahendo ab eo, quod idem sit suppositum divinum Filii Dei : licet enim in re idem in Christo sit suppositum humanitatis et divinitatis, tamen in conceptu nostro, quem per enuntiationem hanc exprimimus, unum ab altero seorsum concipi, itaque quasi separari et præscindi potest ; ut scilicet idem hoc suppositum in subjecto concipiam tantum eatenus, quatenus est suppositum humanitatis ; in prædicato vero idem concipiam, quatenus est suppositum divinitatis, sive Filii Dei ; ut sensus sit, prædestinatum est ut persona Christi hominis esset non humana, uti est aliorum hominum, sed ut eadem esset cum persona Filii Dei. Ita subtiliter et erudite docet Franciscus Suarez, III *part.*, *Quæst.* XXIV. Et hoc sensu patet, Christi non tantum naturam humanam, sed et personam in confuso, sive in abstracto esse prædestinatam, ut ibidem docet Suarez et D. Thomas.

In unione hypostatica declaratur Patris et Spiritus Sancti potentia.

Denique notat D. Thomas, III *part.*, *Quæst.* XXIV, et Scholastici, hanc Christi prædestinationem fuisse medium, finem et exemplar nostræ prædestinationis : quia, ut Augustinus, *De Prædest. Sanct.*, cap. XV, ait : « Ea gratia fit ab initio fidei suæ homo quicumque Christianus, qua gratia homo ille ab initio suo factus est Christus. De ipso spiritu et hic renatus est, de quo ille natus. Eodem spiritu fit in nobis remissio peccatorum, quo factum est ut ille nullum habeat peccatum : » scilicet tam Christo, quam cuilibet Christiano id datur sine ullis alicujus meritis, ex mera Dei gratia.

Christus per Spiritum Sanctum ex mortuis et resurrectione facta declaratus est Filius Dei.

IN VIRTUTE SECUNDUM SPIRITUM SANCTIFICATIONIS EX RESURRECTIONE MORTUORUM JESU CHRISTI DOMINI NOSTRI. — *Primo*, S. Chrysostomus et Græci hæc sic explicant, *q. d.* Declaratus est Christus esse Filius Dei, *primo*, in, id est *ex*, virtute miraculorum ; *secundo*, quia dabat Spiritum Sanctum ; *tertio*, ex resurrectione ex mortuis, quia inde quasi mortis Dominus resurrexit.

Secundo, Theodoretus et Toletus sic explicant, *q. d.* Christus declaratus est Filius Dei, per virtutem a Spiritu Sancto et sanctificante Apostolis collatam, qua miris signis et factis resurrectionem Christi confirmarunt : hoc autem factum est, postquam ipse Dominus a mortuis resurrexit. Huc pertinet Ambrosii expositio : Christus, inquit, prædestinatus est per Spiritum Sanctum, ut manifestaretur esse Filius Dei, in virtute qua resurrexit a mortuis.

Verum noster Interpres, ut dixi, vertit, non *declaratus*, sed *prædestinatus est*. Hujus ergo nostræ versionis hic est sensus : Christus « prædestinatus est Filius Dei in virtute, » id est cum potentia divina (Græce enim est δύναμις, non ἀρετή, et in ponitur pro *cum* ; sic enim sæpe sumunt Hebræi ב pro עִם), ut scilicet, licet esset Filius Davidsecundum carnem fragilem et infirmam, haberet tamen tam potentiam, quam hypostasin divinam : nimirum ut per hanc potentiam, hic homo unitus Verbo faceret *miracula*, remitteret peccata, sanctificaret homines : quam potentiam habuit *secundum*, id est *per*, et a natura divina, qua est « Spiritus sanctificationis, » id est fons omnis sanctitatis ; vel planius, a Spiritu Sancto, qui totum hoc unionis hominis cum Deo opus in Christo peregit, eumque ita sanctificavit, ut illi virtutem dederit omnes homines sanctificandi, quæ potentia Spiritus Sancti maxime se ostendit, maximeque patuit «ex resurrectione » ex mortuis, id est in resurrectione, qua Christus se et alios mortuos suscitavit. Unde de ea tunc dixit Christus, *Matth.* XXVIII : « Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. » Et Joannes, *Apocal.* V : « Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem et divinitatem et sapientiam. » Ita S. Augustinus et passim interpretes.

Aliqui etiam sic explicant : Christus prædestinatus est, ut esset Filius Dei, « in virtute, » id est in unione hypostatica, quæ opus fuit præstantissimum virtutis et potentiæ tum Dei Patris, tum Spiritus Sancti, sive sanctificantis : per quam potentiam unionem ipse Deus et Spiritus Sanctus resurrectionem mortuorum induxit, facitque ut Christus et alii Christiani a morte corporis ad vitam beatam, pecatores vero a morte peccati ad vitam gratiæ resurgerent. Hæc expositio subtilior est ; sequitur tamen et cohæret cum priori, quæ planior et solidior est. Ubi nota *primo*, hic esse ellipses : supplenda enim sunt verba, *habuit*, *potuit*. Vide *can.* 37.

Nota *secundo*, resurrectionem, græce ἀνάστασιν, hic tam passive, qua Christus resurrexit, quam active, qua Christus se et alios resurgere fecit, capi posse. Ita Ambrosius.

Nota *tertio* hebraismum, « Jesu Christi Domini nostri, » id est, ipsius vel sua : Hebræi enim, pro pronomine demonstrativo, sæpe repetunt nomen antecedens. Addit ergo hic Paulus τὸν *Jesu Christi*, tum ut exprimat docetque hoc nomen esse proprium Filii Dei, de quo locutus est ; tum quia hoc

dulcissimum Salvatoris nomen in deliciis, ac consequenter in corde et ore semper habebat (1).

Denique S. Anselmus et ex eo Salmeron, probabiliter, plane et facile ita hunc locum explicant, ut Christus dicatur hic « prædestinatus esse Filius Dei, » non simpliciter et absolute, sed cum addito, scilicet, « in virtute resurrectionis, » id est prædestinatus esse ut resurgeret; « in virtute, » id est in potentia, gloria et majestate immortalitatis: ut tunc quasi plene et perfecte videretur regenerari et renasci Filius Dei gloriosus et immortalis, *q. d.* Paulus : Prædestinatum et definitum est a Deo, ut Christus homo esset Filius Dei, non in infirmitate et humilitate, qualis initio nascens, vivens et moriens apparuit, sed in virtute et gloria resurrectionis; ut scilicet, resurgeret a mortuis essetque Filius Dei immortalis, et gloriam deitatis per corpus ostenderet : quod factum est per Spiritum Sanctum et sanctificantem; qui sicut in incarnatione animam Christi per gratiam et gloriam, ita in resurrectione corpus Christi per immortalitatem et gloriam, ac consequenter totum Christum plene et perfecte sanctificavit. « Christus, inquit Anselmus, qui prædestinatus est secundum carnem (quoniam Deus ab æterno prædestinavit, ut Verbum ejus caro fieret, quam et resuscitans glorificaret), prædestinatus est ut sit Filius Dei in virtute immortalitatis et potentiæ, de qua post resurrectionem ait : Data est mihi omnis potestas in cielo et in terra. » Nam cum de eadem ipse dicat, quod sunt filii Dei, quia sunt filii resurrectionis, cur non ipse magis, qui « secundum divinitatem naturaliter est semper Dei Filius, in resurrectione secundum humanitatem factus esse dicatur Filius Dei? » Unde et Pater, resuscitans Filium, dixit ei : « Filius meus es tu, ego hodie genui te, » *Act.* XIII, 33. Hic sensus planus et speciosus apparet, evadituque difficultates de prædestinatione Christi paulo ante allatas; sed nonnihil coarctat, deflectit et enervat generalia Apostoli verba, scilicet, quod Christus sit Filius Dei non absolute, sed in virtute et gloria resurrectionis, quodque tunc tantum habuerit Spiritum sanctificationis, quem ei absolute hic tribuit Apostolus. Explicatio ergo prior jam allata, licet paulo difficilior, magis tamen genuina, et ex mente phrasique Apostoli, magisque sublimis, solida et universalis esse videtur.

5. PER QUEM ACCEPIMUS GRATIAM ET APOSTOLATUM AD OBEDIENDUM FIDEI IN OMNIBUS GENTIBUS PRO NOMINE EJUS. — Maldonatus in notis ejus manuscriptis quas vidi Romæ, censet esse hendiadyn : « gratiam et apostolatum, » id est gratiam apostolatus, et recte. Hinc et ex vers. 1 omnium pene epistolarum S. Pauli, cum S. Chrysostomo et Origene, nota contra Calvinum et Erasmum, apostolatum non tantum significare legationem et missionem, aut missionis et legationis functionem, ut sonat ejus etymon, sed etiam significare officium, potestatem et dignitatem primam et summam in Ecclesia. Sicut enim jam Legatus Summi Pontificis vocatur Nuntius, vel Legatus Apostolicus; estque hæc magna dignitas : ita pariter Apostoli dicebantur et reipsa erant legati Christi, *Matth.* XXVIII, 19, atque hoc ipso obtinebant auctoritatem summam in Ecclesia. « Pro Christo legatione fungimur, » inquit Paulus II *Corinth.* V, 20. Apostoli ergo erant primi a Christo Christi vices gerebant, et Christi personam repræsentabant : sicut regis legatus regem ipsum repræsentat. Licet Apostoli omnes subditi essent S. Petro, quasi ergo Apostoli omnes subditi essent S. Petro, quasi Pontifici et capiti Ecclesiæ, eique obedire debebant : tamen parem cum eo potestatem habebant : *Primo*, toto orbe prædicandi Evangelii, « ad obediendum fidei in omnibus Gentibus, » id est ut obediatur fidei ab omnibus gentibus, scilicet, ut Apostoli sua prædicatione inducant omnes Gentes, ut se submittant, credant et obediant Evangelio. Ita S. Chrysostomus et alii. *Secundo*, fundandi ubique Ecclesias, id est creandi Episcopos et Presbyteros, instituendi ritum sacrorum et Sacramentorum, totumque ordinem Ecclesiæ dispondendi. *Tertio*, mandandi, prohibendi, puniendi quosvis fideles. Adde *quarto*, scribendi libros canonicos. Unde Paulus hunc dignitatis et potestatis suæ titulum suis præfigit epistolis, dicens : « Paulus vocatus Apostolus; » ut jam faciunt Legati Pontificis, dicendo : « Nos Octavius Dei gratia Legatus Apostolicus. »

Apostolatus ad omnes gentes missus dicentis Ecclesia contra Calvinum et Erasmum.

Apostoli omnes, licet essent subditi Petro, tamen in quatuor punctis pares erant ei potestatem habebant.

Dices : Si in hisce quatuor muniis Apostoli omnes pares erant S. Petro, quomodo ergo Petrus erat eorum et Ecclesiæ totius caput?

Declaratur in quo consistebat Petri superioritas.

Respondeo : quia S. Petrus poterat aliis Apostolis quasi superior præcipere; et, si errarent, Petri erat eos corrigere; et, si dissiderent, ejusdem erat lites eorum dirimere, onera insuper et provincias eumque distribuere. Ita S. Cyprianus, lib. *De Unitate Eccles.* Sic *tacentes*, sive episcopatus, non tantum est functio, sed etiam est ipsa dignitas episcopalis, sive præsulatus. Unde *Psal.* CVIII dicitur : « Episcopatum ejus accipiat alter, » ubi hebraice est, פקדתו *pekuddato*, id est præfecturam ejus accipiat alter.

PRO NOMINE EJUS. — Aliqui hæc referunt ad *obediendum*. Unde Syrus vertit, *ut omnes Gentes obediant fidei nomini ejus*. Verum aptius hæc referas ad *accepimus apostolatum*, *q. d.* Nomine et vice Christi apostolatum accepimus, et legatione fungimur. Ita Ambrosius, vel, ut Chrysostomus et Theophylactus : « Accepimus apostolatum pro nomine ejus, » id est pro gloria et fide nominis Christi propaganda et divulganda.

6. IN QUIBUS ESTIS ET VOS VOCATI JESU CHRISTI. — « Vocati, » id est vocatitii, quasi famuli vel filii Jesu Christi. Sic vers. seq. : « Vocatis sanctis, » inquit, id est vocatis ad sanctitatem, vocatis ad Christianismum, ut sint sancti. Omnes enim Christiani vocatione sunt sancti, quia vocati sunt ad sanctimoniam; et, si vocationi suæ respondere velint, debent studere sanctitati, esseque sancti. Vide dicta, vers. 1.

7 OMNIBUS QUI SUNT ROMÆ. — Est hic hyperbaton et perturbatus ordo. Hæc enim verba referenda sunt ad prima capitis : « Paulus servus Jesu Christi; » unde aliqui omnia a vers. 2 huncusque per parenthesin intercipiunt et legunt. Vide *can.* 37. Deinde subintelligendum hic est verbum *optat*, vel *orat*, *q. d.* « Optat Paulus ut omnibus qui sunt Romæ, gratia et pax, » subintelligo rursum, *adimpleatur*, vel *multiplicetur*; aut certe cum ait, « Paulus omnibus qui sunt Romæ, » subaudi, *scribit hanc epistolam* (1).

GRATIA VOBIS ET PAX A DEO PATRE NOSTRO, ET DOMINO JESU CHRISTO. — Notat Tertullianus, lib. V *Contra Marcion.*, cap. V, quod Judæorum, quos Christus secutus est, hæc erat salutatio : שלום לכם *schalom lachem*, pax vobis, id est omnia prospera et fausta sint vobis. Apostolorum vero hæc erat salutatio : « Gratia et pax vobis, » eo quod gratiæ per Christum allatæ prænuntiatores essent. Idem secuti Pontifices Romani et concionatores, virique Religiosi in suis concionibus et epistolis præmittunt gratiam, pacem; Pontifices etiam Apostolicam benedictionem.

Modus salutandi religiosus, etc.

Gratia Dei liberalis et efficax.

Nota secundo : « Gratia » non est tantum benevolentia et favor Dei (ut vult Beza), sed et quod ex eo, utpote non inani, sed liberali et efficaci, sequitur, scilicet gratia et omne Dei beneficium gratuitum, quo homo dirigitur ad salutem : qualia sunt fides, spes, charitas, virtutes, earum augmenta, remissio peccatorum, illuminationes intellectus, impulsus voluntatis ad piam vitam, bona opera, in iis perseverantia et ipsa denique vita æterna.

« Pax » vero hic intelligitur illa, quam habet anima justa cum Deo; item pax conscientiæ, ut conscientia olim cogitationes suorum peccatorum et terrore iræ Dei perturbata, jam peccatis per gratiam Dei remissis in quiete sit, et quieta Deo serviat.

Moraliter notat S. Chrysostomus, in II *Timoth.* I, 1, Pauli salutationes non tantum esse signa benevolentiæ, sed et causas benedictionis et gratiæ. « Sufficit, inquit Chrysostomus, sola Pauli salutatio gratia implere eum, qui ita salutatur. » Sanctorum enim salutationes sunt lactæ preces et benedictiones, potentes et efficaces, quæ a Deo impetrant ea bona, quæ Sancti iis quos salutant, apprecantur : unde Christus, *Matth.* X, jussit Apostolis, ut hospitibus sua salutatione bene precentur et benedicerent : « Intrantes, inquit, dominum, salutate eam, dicentes : Pax huic domui. » Et ne verbalem tantum ac cæremonialem hanc salutationem putes, subdit ejus fructum et efficaciam, dicens : « Et si quidem fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super eam. » Tanti est a Sanctis salutari. Ita B. Virgo sua salutatione Elisabetham et Joannem Baptistam replevit Spiritu Sancto, *Lucæ* I, 44. Vide hic quam potens quamque optanda et ambienda sit Sanctorum salutatio.

Roma nunquam caruit hæresi.

8. PRIMUM QUIDEM GRATIAS AGO DEO. — D. Nazianzenus, in *Apologetico*, τάξις, inquit, ἄρχεται παντὸς ἄρχομαι καὶ λόγου, καὶ πράγματος, ἀπὸ θεοῦ τὰ ἄρχεσθαι, καὶ εἰς θεὸν ἀναπέμπεσθαι, Ordo, inquit, optimus incepti et sermonis et negotii est, a Deo incipere, et in Deum desinere, ut Deo canamus : « A te principium, tibi desinet (2). »

PER JESUM CHRISTUM, — tanquam mediatorem nostrum, a quo fides, gratia et omnia bona, pro quibus Deo gratias agimus, nobis proveniunt, ait Ambrosius; et tanquam summum sacerdotem nostrum, cujus oblatione omnia nostra grata sunt Patri, ait Origenes : ac consequenter et nostra gratiarum actio grata est Patri per Christum, qui tanquam Pontifex illam Patri offert.

PRO OMNIBUS VOBIS : QUIA FIDES VESTRA ANNUNTIATUR IN UNIVERSO MUNDO. — *q. d.* Gratias ago Deo, cujus gratia est fides vestra. Quod enim Christo credideritis; non per vos, sed per gratiam Dei effectum est. Rursum gratias ago Deo, quia ejus gratia factum est, ut fides vestra, id est fama, excellentia et constantia fidei vestræ, quod scilicet vos, qui Romæ estis rerum domini, credideritis Evangelio, in eoque generose persistatis et proficiatis : vulgetur toto orbe Romanis subjecto, sive ubicumque nomen Romanorum est celebre, ait Chrysostomus et Theodoretus.

Hanc Pauli de Romanis sententiam et laudem, non tantum ad præsentes et illius ævi Romanos, sed et ad posteros eorum pertinere docet Hieronymus, lib. III *Contra Ruffin.*, cap. IV : « Ad Romanos, ait, Apostolico ore laudatos perfidia non habet accessum, » nec a tempore S. Hieronymi hucusque habuit : nunquam enim fluctenus ad nostra usque tempora hæresis Romam, sicut alias urbes occupavit. Vere Tertullianus, lib. *De Præscript. adversus hæreticos*, cap. XXXVI : « Hales, ait, Romam, unde nobis quoque auctoritas præsto est : statu felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt. »

Quare S. Hieronymus, in præfat. lib. II *in epist. ad Galatas* : « Vultis, inquit, scire, o Paula et Eustochium, quomodo Apostolus unamquamque provinciam suis proprietatibus denotarit; usque hodie eadem vel virtutum vestigia permanent vel errorum. Romanæ plebis laudatur fides : ubi ali-

(1) *Omnibus qui sunt Romæ, Deo dilectis.* Alii post *Romæ* delent comma.

(2) Quæ nunc sequuntur ad vers. 17, pertinent ad præfationem, et continent captationem benevolentiæ. Vox *primum* h. l. non esse ordinis particula, respicies *secundum*, sed intentionis, significans *imprimis*, videtur.

(1) Τὸ *Jesu Christi Domini nostri* commodius in Græco connectitur cum verbis ἐφ' ᾧ τὸ ὄνομα αὐτοῦ, quibus exordiuntur comma 5, ut interjecta vers. 3-4 parenthesi sint includenda. Hinc in versione Vulgata oritur difficultas, quis verba *de Filio suo* et *Jesu Christi Domini nostri* vario pertantur casu, quod in Græco non reperitur.

quando tanto studio et frequentia ad ecclesias et ad Martyrum sepulcra concurritur? ubi sic ad similitudinem cœlestis tonitrui reboat Amen, et vacua idolorum templa quatiuntur? Non quod aliam habeant Romani fidem, nisi hanc quam omnes Christi Ecclesiæ, sed quod devotio in eis major sit, et simplicitas ad credendum. »

Amplius vero quippiam dicit S. Cyprianus, nimirum hæc prophetice dicta esse a S. Paulo, prævidente Romanorum futuris sæculis in fide constantiam. Sic enim ait epist. 57 *ad Cornelium*, ubi ejus et populi Romani, tempore persecutionis Decii, fidei robur collaudat : « Dum apud vos unus animus et una vox est, Ecclesia omnis Romana confessa est; claruit, fratres charissimi, fides, quam de vobis B. Apostolus prædicavit, et præconio futurorum merita vestra contestans, dum parentes laudat, filios provocabat. »

Ulterius progreditur S. Chrysostomus hic, urgetque τὸ *annuntiatur*, cum ait Paulus : « Fides vestra annuntiatur in universo mundo, » quod scilicet sicut Ecclesia Romana, Petro et Paulo prædicante, crediderat, ita instar illius quasi matricis, cæteræ Ecclesiæ et nationes credere deberent, quod illa credidisset. « Non dixit Paulus, inquit Chrysostomus : Manifestatur, sed, Annuntiatur fides vestra; planum faciens, quod dictis nihil addendum vel demendum esset. Angeli seu nuntii hoc est opus, ea sola quæ dicuntur, deferre : ob quod sacerdos angelus vocatur, quod non sua ipsius, sed ea tantum nuntiat, quæ ab eo acceperit, a quo delegatur : quanquam Petrus sibi prædicavit; sed illius facta, sua esse ducit Paulus. »

Romanus Catholicum alios se- quidem- bat.

Hinc « Romanus » apud veteres, non tantum orthodoxos, sed et hæreticos, idem erat quod Catholicus. Sic Jocundus Arianus ad Theodoricum regem : « Si Armogasten, inquit, gladio peremeris, Romani martyrem prædicabunt; » Romani, id est Catholici. Ita refert Victor Uticensis in persecutione Wandalica, ubi et alium martyrem commemorat, qui ab eisdem Arianis de fide rogatus, respondit, « Romanus sum; » Romanus, id est Catholicus. Pari modo Ricemer Gothus et Arianus scribit ad Ligures : « Si est Catholicus, est Romanus. » Theodosius quoque Imperator, in epistola *ad Acacium Beroensem* : « Decet, ait, vos probatos sacerdotes esse Romanæ religionis. » Cujus nomenclaturæ æque ac præeminentiæ et constantiæ Romanæ Ecclesiæ vera ac justa causa est, quod S. Petrus suum episcopatum Antiochia Romam transtulerit, et in Romana Ecclesia cum episcopatu, primatum quoque ipsum ipsamque petram fidei et Ecclesiæ constituerit et collocarit; idque « divino consilio, » inquit S. Leo, serm. 1 *De Nativ. S. Petri et Pauli*, nimirum ut Evangelium et fides a Roma, quasi a capite et arce imperii citissime per totum orbem diffunderetur et diffusa conservaretur. Erat enim Roma ἔπαυλις τῆς οἰκουμένης, quasi epaulæ et compendium totius orbis : omnium enim nationum inquilini versabantur Romæ : unde Polemon apud Galenum vocat populum Romanum δῆμον τῆς οἰκουμένης.

Alii veteres Romam compellant σχολαστικήν, virtutum domicilium, mundi caput, urbium regina, mater et nutrix heroum, patria legum, terrarum dea gentiumque, communis nostra patria, patria omnium, quæ, ut canit Poeta, *Æneid.* VI,

> Imperium terris, animos æquavit Olympo.
> Tu regere imperio populos, Romane, memento.

Unde et apposite Roma, Græce ῥώμη, robur, hebraice vero sublimitatem et celsitudinem a radice רוּם *rum*, id est altus, excelsus fuit, significat, ut annotavit S. Hieronymus, lib. II *Contra Jovinian.*, ubi sic Romam alloquitur : « Te alloquar, quæ scriptam in fronte blasphemiam Christi confessione delesti, urbs potens, urbs orbis domina, urbs Apostoli voce laudata, interpretare tuum vocabulum : Roma aut fortitudinis nomen est apud Græcos, aut sublimitatis juxta Hebræos. »

Ab Ecclesia Romana veritatem fidei et Apostolicas traditiones suscipiendas.

Quocirca ab Ecclesia Romana, quasi a matrice, veritatem fidei et traditionis Apostolicæ petendam esse docet S. Irenæus, lib. III, cap. VI : « Quoniam, inquit, valde longum est in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones; maximæ et antiquissimæ, omnibus cognitæ, a gloriosissimis duobus Apostolis Petro et Paulo Romæ fundatæ et constitutæ Ecclesiæ, eam quam habet ab Apostolis traditionem et annuntiatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem malamque sententiam, præterquam oportet colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his qui sunt undique conservata est ea, quæ est ab Apostolis traditio. »

9. TESTIS ENIM MIHI EST DEUS, CUI SERVIO IN SPIRITU MEO, etc. — Ostendit hic Paulus suum eximium in Romanos affectum, ut ita facilius se suaque deinceps iis insinuet et instillet. Hic autem affectus causa erat excitans Paulum, ut gratias ageret Deo pro fide Romanorum. Hanc enim causam significat vox causalis *enim*.

CUI SERVIO, — quem (Deum) colo latria; Græce enim est ᾧ λατρεύω, quod verbum usu Ecclesiæ significat cultum soli Deo, quasi omnium Domino debitum. Ita S. Augustinus, lib. X *De Civit.*, cap. I. Pari modo δουλεία Sanctis datur, usu theologico : neque vero dulia elidit latriam, sed potius eam includit. Sicut enim amor proximi non impedit, imo includit et refertur ad amorem Dei; ita et dulia et honor Sanctorum refertur ad honorem Dei; ut is, qui mirabilis est in Sanctis suis, in iis honoretur; perinde ac rex honoratur,

dum principes ejus et amici honorantur, honore scilicet inferiori, quam est honor, quo rex in sua persona honoratur.

Nota « cui (scilicet Deo) servio, » Græce λατρεύω, magna nimirum reverentia et sollicitudine; ideoque subdit dicens : « in spiritu meo; » nam λατρεύω dictum volunt a λάω, quæ particula auget in compositione, et τρέω, quod est tremere.

IN SPIRITU MEO, — *q. d.* Servio Deo Deumque colo spiritu et mente, non cæremoniis Judaicis. Sic enim Christus jussit Patrem adorari in spiritu et veritate, *Joan.* IV, 23 : ita Origenes, Chrysostomus, Theophylactus.

Secundo, non male alii per τὸ πνεῦμα, sive spiritum, hic spiritum vitalem intelligunt, *q. d.* Paulus : Ego vitam et omnes spiritus meos, sudorem et sanguinem Deo impendo, ad ultimum usque spiritum Deo deservio, pro eoque laboro et decerto.

10. QUOMODO TANDEM ALIQUANDO PROSPERUM ITER HABEAM IN VOLUNTATE (id est, per voluntatem) **DEI VENIENDI AD VOS**, etc.

12. ID EST, SIMUL CONSOLARI IN VOBIS, PER EAM QUÆ INVICEM EST FIDEM. — Pro *simul consolari*, Græce est συμπαρακληθῆναι, id est, ut simul consolationem et lætitiam capiamus, per mutuam fidei communicationem. Ita Chrysostomus et Theodoretus.

Secundo, aptius Origenes τὸ *simul consolari*, refert ad τὸ *confirmandum*, *q. d.* Desidero videre vos ut confirmem vos instruendo et docendo in fide Christi; et hæc mea confirmatio fiat mutua consolatio nostra, ex communi fide mea et vestra, jam per me aucta et confirmata. Colligitur hic sensus ex versu seq. Unde etiam patet, melius nostrum Interpretem τὸ συμπαρακληθῆναι vertere, « simul consolari, » quam Bucerus et Beza, qui vertunt, « mutuo exhortari; » nec enim Apostolus exhortationem accipere, sed dare volebat Romanis, ut ait vers. seq. Quo simul tacite premit fastum Romanorum, ait Chrysostomus, et insinuat eos sua instructione et monitis indigere : consolationem autem Romanis et dare, et vicissim ab eis accipere volebat (1).

Bucerus et Beza vertunt, exhortari.

14. GRÆCIS AC BARBARIS, SAPIENTIBUS ET INSIPIENTIBUS DEBITOR SUM. — « Barbarus » est vox Græca, et a Græcis per onomatopœiam facta. Barbarus ergo a Græcis sapientiæ et eloquentiæ deditis, dictus est omnis is qui alia quam Græca lingua loqueretur et hac ratione etiam Romani Græcis erant Barbari : unde Paulus hic qui hactenus inter Græcos egerat, Græcorum more et phrasi, Græcis opponit Barbaros. Sic et Cicero, lib. II *De Divinat.*, gentes omnes dividit in Græcos et Barbaros. Unde et Plautus in prologo *Asinariæ*, Latinam linguam barbaram vocat. De quo rursum dicam I *Corinth.* XIV, 11.

(1) Vers. 12 Paulus mitigat et mollit quod prius dixerat, ne suspicarentur se a Paulo tanquam infirmos contemni. Ego vicissim a vobis fructum, gaudium et solamen percipiam, ut in amicorum congressibus fieri solet.

Notant hic Chrysostomus et Theophylactus modestiam Pauli, qua ait : « Debitor sum, » *q. d.* Debitum irrecusabile evangelizandi mihi incumbit. Creditum enim et demandatum est mihi a Deo hoc munus prædicandi. Unde I *Corinth.* IX, 16, ait : « Væ mihi, si non evangelizavero! »

15. ITA (QUOD IN ME) PROMPTUM EST ET VOBIS EVANGELIZARE, — *q. d.* Itaque quod ad me attinet, promptitudo mihi adest; et ut Syrus vertit, מְרַחֲפָא *merchappat*, satago evangelizare vobis.

16. NON ENIM ERUBESCO EVANGELIUM, — uti erubescunt Judæi, qui Evangelium de Christo crucifixo et Salvatore contemnunt, habentque pro scandalo; et Gentiles qui illud idem rident quasi stultitiam, I *Corinth.* I, 23. Tertullianus, lib. V *Contra Marcion.*, cap. XIII, legit : « Non enim me pudet Evangelii (2). »

Hanc vocem Pauli generose æque ac congrue usurpavit perillustris Palatinides, Paulus Kostka, frater B. Stanislai Kostka, uti refertur in ejus Vita; qui parentibus demortuis, hæres amplorum et nobilium dominiorum, fratrem secutus, omnia sua Christi amore contempsit et in pauperes erogavit : quin et hospitalem domum, inter alia, extruxit et dotavit, in qua ipse inter pauperes vivere, mori et sepeliri voluit, ut Christum pauperem ejusque Evangelium, quod beatos prædicat pauperes, quam proxime pauper sequeretur, vetus S. Paulæ Romanæ exemplum æmulatus, ideoque suo inter eos sepulcro inscribi jussit : « Non erubesco Evangelium. » Significans vitam sibi inopem, licet mundo ignobilem, ultro delectam, quod scholæ et libro Christi, non mundi, se addixisset : nec rubori sibi, sed splendori ducere, quod cœlestis Magister re et oratione optabile et gloriosum demonstrarat, imo fecerat. Quocirca apud Principes Poloniæ magnam sanctitatis famam obtinuit, eosque simili pio Evangelicæ paupertatis et perfectionis sensu perstrinxit. Præclare enim S. Ambrosius, lib. I *Offic.*, cap. XXX : « Neminem, inquit, debet pudere, si ex divite pauper fiat, dum largitur pauperi; quia Christus pauper factus est, cum dives esset, ut nos sua inopia ditaret. » Digna ergo principe Christiano vox : « Non erubesco Evangelium. »

VIRTUS ENIM DEI EST IN SALUTEM OMNI CREDENTI, — *q. d.* Evangelium, id est non ipsa vox vel Græce enim est δύναμις, per quam Deus potenter in credentibus operatur salutem, id est fidem, justitiam et vitam æternam.

Objicit Lutherus : Ergo fides sola salvat et justificat. Respondeo, nego consequentiam. Fides

(2) Imo honori mihi duco prædicare Evangelium; nam *non erubesco* per μέλλω hic dictum est.

enim operatur salutem non se sola et immediate, sed per spem, pœnitentiam, bona opera, Sacramenta, ad quæ hominem excitat. Vide *canonem* 3.

Nota hic obiter, hanc Apostoli sententiam extendi quoque posse ad salutem corporis; est enim generaliter vera : nam Evangelium est virtus et causa instrumentalis salutis et vitæ non tantum futuræ, sed et præsentis, idque non solum voce, sed etiam scripto. Nam, ut docet S. Augustinus, tract. 7 *in Joannem*, Evangelii scriptus codex, cum ægrotis applicatur, morbos eorum sanat. « Cum caput, inquit, tibi dolet; laudamus, si Evangelium ad corpus tibi apponeris et non ad ligaturam curreris. » Rationem dat D. Thomas, II II, *Quæst.* XCVI, art. 4 : « Verbum Dei, inquit, non est minoris efficaciæ, quam reliquiæ Sanctorum, sed reliquiis utimur ad salutem; ergo pari modo, imo majori, ad eamdem licet uti verbo Dei scripto, sive Evangelio. »

Mira gestanti et spiritui Evangelium S. Joannis unde fluxerit?

Atque hinc orta est consuetudo fidelium, ut Evangelium S. Joannis contra venena, veneficia, morbos aliaque incommoda gestent et circumferant. Verum Apostolus proprie non de corporali, sed de spirituali salute hic loquitur, quam conciliat Evangelium non solum voce et prædicatione, quod proprie hic intendit Apostolus, sed etiam scripto. Hinc de S. Cæcilia canimus : « Virgo gloriosa semper Evangelium Christi gerebat in pectore. » Nimirum ut per illud conciliaret sibi fortitudinem ad martyrium, atque ad maritum, aliosque fidei hostes ad fidem convertendos : quod et factum est. Hinc etiam in Vita S. Barnabæ Apostoli legimus, illius corpus repertum fuisse sub Zenone Imperatore in Cypro, habens ad pectus Evangelium S. Matthæi, ipsius Barnabæ manu scriptum : videtur enim Barnabas Evangelium hoc secum sepelizi voluisse, ut illud haberet quasi pignus cœleste resurrectionis Evangelio promissæ. Verum Apostolus, ut dixi, de Evangelii non scriptura, sed prædicatione hic loquitur.

Cæcilia et Barnabas Evangelium scripsit habebant in pectore.

JUDÆO PRIMUM (quia primum ac potissime a Christo et Apostolis, *Matth.* X, 5, annuntiatum est Evangelium Judæis, quibus promissus erat Christus) ET (id est *deinde*) GRÆCO, — id est Gentili : quia enim Græci post Alexandrum latissime linguam cum regno propagarunt, hinc Græcus idem est quod Gentilis. Ita S. Augustinus, *epist.* 200.

Nota : Copula *et* hic significat *deinde*, vel *secundo*; opponiturque enim « *primum*. Vide *Can.* 25 (1).

17. JUSTITIA ENIM DEI IN EO (Evangelio) REVELATUR. — Quæres quænam hic intelligatur *justitia Dei*.

Respondent Origenes, Ambrosius et Chrysostomus, intelligi illam qua Deus in se justus est, scilicet qua juste retribuit justis præmium, impiis et injustis supplicium, ut vult Origenes; aut, ut Ambrosius, qua in se justus, id est verax est in promissis; aut, ut Chrysostomus, qua in se justus, id est bonus est et benignus hominibus propter Christum.

Secundo, Theodoretus : Justitia Dei, inquit, est illa, qua Christus ex rigore justitiæ Deo Patri pro nobis satisfecit.

Tertio, genuine et aptissime, S. Augustinus, lib. *De Spiritu et Litt.*, cap. IX : Justitia Dei, inquit, est justitia divina, non Judaica, non philosophica, qua scilicet nos Deus justificat per Christum, quæque nos revera in oculis Dei justos facit : hæc justitia revelatur et clare docetur in Evangelio Christi. Simili modo sumitur « salus, » *Psal.* III, 9, ubi dicitur, « Domini est salus, » qua scilicet salvos nos facit, *q. d.* Domini est salvare et dare nobis salutem.

EX FIDE IN FIDEM. — *Primo*, S. Anselmus hoc tripliciter exponit : *primo*, ex fide unius Dei, in fidem Trinitatis; *secundo*, ex fide primi adventus Christi ad salvandum, in fidem secundi adventus ejus ad judicandum; *tertio*, ex fide humanitatis Christi in fidem divinitatis.

Secundo, S. Augustinus, lib. *De Spiritu et Litt.*, cap. XI : Ex fide, inquit, prædicantium, in fidem audientium et credentium.

Tertio, S. Thomas : « Ex fide in fidem, » id est, ait, per fidem Christi in omni ætate necessariam ad salutem, *q. d.* Ex fide patrum, in fidem nepotum.

Quarto, S. Ambrosius : Ex fide, inquit, promittentis Dei, in fidem hominis credentis Dei promissis.

Quinto, Theodoretus et Œcumenius : Ex fide, inquiunt, rerum præteritarum in Christo, in fidem rerum futurarum in nobis.

Sexto, aptius Origenes, Chrysostomus, Theodoretus et Toletus : Ex fide, inquiunt, veteris Testamenti obscura, in claram fidem novi Testamenti, ad quam vetus illa nos ducit quasi pædagogus.

Septimo, Beda : Ex fide, ait, hic obscura, in fidem, id est in claram visionem in cœlis. Sic et S. Augustinus, lib. II *Quæst. Evang.*, cap. XXXIX.

Octavo, et aptissime, Theophylactus, Œcumenius, Adamus et Pererius : « Ex fide, » inquiunt, incipiente et imperfecta, « in fidem » proficientem, perfectam, charitate formatam, similive modo augescentem, vel in se intrinsece, vel extrinsece per charitatem in virtutes alias, quas fides excitat, *q. d.* In Evangelio revelatur vera justitia, quam est et proficit ex fide in fidem, id est, quæ incipit, alitur, augescit per fidem indies crescentem, donec credentem ad salutem perducat, quæ Evangelii est virtus, uti præcessit. Et hic sensus optime cohæret ei quod sequitur : « Sicut scriptum est, justus autem ex fide vivit; » ut ibi patebit : estque hebraismus hic simplicissimus et crebrimus. Sic enim Hebræi significant rei profectum et augmentum, per geminationem rei mediante præpositione *in*; ut *Psal.* LXXXIII : « Ibunt de virtute in virtutem, » id est, ibunt in profectum et augmentum omnis virtutis. » Simili sensu, II *Cor.* II, 16, vocatur « odor mortis in mortem, et odor vitæ in vitam. » Et cap. III, vers. ult. : « Transformamur, inquit, a claritate in claritatem, » id est in majorem claritatem. Sic in hac epist., cap. VI, 19 : « Exhibuisti, inquit, membra vestra servire iniquitati ad iniquitatem, » id est ad incrementum iniquitatis, ut de scelere rueretis in scelus. Eadem phrasis alibi passim occurrit.

Allegorice legitur Habent de Christo.

Fides viva facit diligere.

SICUT SCRIPTUM EST (*Habacuc* II, 4) : JUSTUS AUTEM EX FIDE VIVIT, — *q. d.* Vita gratiæ, qua vivit justus, *primo*, incipit a fide sola; *secundo*, crescit et perficitur fide, licet non sola, sed crescente ad fidem vivam gratiæ et charitatis, per observationem mandatorum, ut ea facias, quæ fides jubet. Nam alioquin implicat vivere sine vita, aut fide viva. Sicut ergo dicitur *Proverb.* IV, 23, quod ex corde vita procedit, id est quod homo ex corde vivat et vitam hauriat, quia scilicet cor est radix vitæ, estque in homine primum vivens et ultimum moriens; per hoc tamen non excluduntur cerebrum, pulmo, jecur, stomachus et cætera, quin ex iis quoque vivat et vitam suam hauriat homo : ita pariter dicitur quod justus ex fide vivat, quia fides est initium, radix et quasi cor vitæ spiritualis gratiæ; per hoc tamen non excluduntur spes, charitas aliæque virtutes, quin ex iis quoque vivat justus. Vide *can.* 2 et 3.

Locus Habacuc cap. II illustratus.

Citat hic Paulus Habacuc prophetam, qui cum cap. I, graviter questus fuisset de prosperitate impiorum, quod scilicet impii Chaldæi in victoriis et imperiis essent fortunatissimi, ideoque populo Dei, id est Judæis, tyrannice dominarentur, quodque Deus populum suum pium et fidelem, adeoque res humanas negligere videretur; respondet ei Deus, cap. II, se brevi ostensurum suam providentiam et judicium, missurum scilicet se Cyrum, qui Babylonios impios subigat et evertat, Judæos pios liberet et salvet, ut recte ibidem annotavit Antonius Guevara, et patet ex vers. 3 et seq. Sub Cyro vero allegorice intelligit Christum, eumque hic præcipue significare intendit Spiritus Sanctus, qui Babylone, id est regno impietatis et diaboli everso, inde veros spirituales Israelitas, id est fideles Christianos, eruet et salvabit : « Si moram, inquit *Habacuc* II, 3, fecerit, exspecta illum : quia veniens veniet (scilicet Deus justus judex et vindex, tam impiorum, puta Babyloniorum, quam piorum et fidelium, puta Judæorum, per Cyrum, et longe verius per Christum), et non tardabit. Ecce qui incredulus est, non erit recta anima ejus in semetipso : justus autem in fide sua vivet. » Hæc enim verba allegorice de Christo explicat S. Paulus, *Hebr.* X, 37, dum eos ad constantiam in fide ex Christi secunde ad judicium adventu, adhortatur : « Adhuc modicum, inquit, et qui venturus est (Græce ὁ ἐρχόμενος, veniet, » etc. Solet enim Christus dici ἐρχόμενος, id est venturus, ut vertit noster Interpres : ut patet *Apoc.* I, 4; *Matth.* XI, 3; *Joan.* I, 15; *Actor.* XIX, 4.

Fides et confidentia in Deum allegorice Trojana.

Hinc sequitur, *primo*, Habacuc loqui de fide generatim, qua Deo quavis in re credimus, quæque proprie credebant Judæi Deo per Habacuc aliosque Prophetas, promittenti liberationem e captivitate Babylonica per Cyrum. Hæc enim fide in Deum, quilibet justus pie, juste, sancte, pacate et divine vivere incipit, pergit et proficit; dum in quavis tribulatione et miseria, hac fide et spe in Deum, vitam animæ sustentat, conservat et adauget. Dicit ergo : « Justus ex fide vivit, » *q. d.* Qui incredulus et injustus est, Deo displicet, ac consequenter vera, recta, pacata et felici vita fidei, gratiæ, justitiæ præsentis et gloriæ futuræ non vivet, quia me habet infensum; et quia non in Deo, sed in hominibus et in humanis præsidiis, rebusque creatis spem metumque suum ponit et deficit; hinc inquietus erit, misere vivet, imque semper agitabitur : fidelis autem et justus, qui credidit Deo meisque hisce ex Deo prophetiis de liberatore Cyro et ejus antitypo Christo, hic vivet vita recta, suavi, quieta, felici, sancta et imperturbata; quia in Deo, qui vera est vita, Deoque promissis per fidem et spem defixus, Deo charus Deoque curæ erit.

Vita et beatitudo ex fide Christi.

Sequitur *secundo*, quod Apostolus hanc sententiam Prophetæ, « Justus ex fide vivit, » recte applicet fidei in Christum : tum quia fides vera est illa, quam sanxit et instituit Deus; jam autem Deus sanxit fidem veram esse fidem in Christum redemptorem; tum quia fides de Cyro repræsentabat allegorice fidem de Christo. Intendit enim Spiritus Sanctus per Cyrum, Cyrique liberationem repræsentare Christum, Christique redemptionem qua suis fidelibus Christus vitam, justitiam, gratiam et gloriam impertit; adeo ut in Christo verissima sit hæc sententia, « Justus ex fide (Christi) vivit. »

Allegorice legitur Habent de Christo.

Sequitur *tertio*, perinde esse, sive legas absolute cum Paulo, « Justus ex fide vivit; » sive legas, « in fide sua, » uti habent Hebræi, Aquila, Symmachus et Theodotion; sive legas, *in fide mea*, uti vertunt Septuaginta; legerunt enim ipsi in Hebræo אמונתי *emunati*, cum alii legant אמונתו *emunato*, id est in fide sua. Nam fides quæ in ipsa fides est, nostra est subjective, quia nobis inhæret; Dei vero est objective, quia Deum habet pro objecto. Credit enim Christum esse redemptorem, quia Deus hoc dixit et revelavit.

Fides nostra est subjective, Dei objective.

Sequitur *quarto*, Habacuc loqui de vita non corporis, sed animæ; non naturali, sed supernaturali, gratiæ scilicet et justitiæ, qua justus, quamdiu tenus justus est, vivit. De illa enim hanc Propheta

Vita spiritualis, qua opponitur

(1) « Hoc et sequenti commate 17, ait Rosenmullerus, continetur primaria thesis quam in dogmatica hujus epistolæ parte tractat Apostolus, quæ est hæc : *Religionem Christianam esse auxilium efficacissimum perducendi quoscunque homines, qui eam suscipiant, sive sint Judæi, sive Pagani, ad veram felicitatem et æternam salutem, hac ad eam rem quæ esse antehac Judaismo.* »

Deus promittitur.

sententiam explicat S. Paulus hic, imo Propheta ipse : opponit enim hæc duo, scilicet « vivere, » quod tribuit justo et fidei, et « non habere rectam animam, » sive displicere Deo, quod tribuit incredulo et injusto : ait enim : « Qui incredulus est, non recta erit anima ejus in semetipso, » pro quo Septuaginta vertunt, *non placebit* (id est displicebit) *anima mea* ; *justus autem in fide sua vivet*. Ergo a contrario per vivere intelligit habere animam rectam, qua placeas Deo ; ita scilicet, ut exinde a Deo tanquam amico et benevolo audeas sperare opem, liberationem et salutem, tum corporalem per Cyrum, tum potius spiritualem per Christum.

Justitiam, conservationem, incrementa vitæ et vitæ æternæ hominum per fidem.

Sequitur *quinto*, Habacuc et Apostolum loqui tam de inchoatione vitæ supernaturalis, seu de prima justificatione, quam de secunda justificatione, seu de incremento justitiæ et vitæ spiritualis, uti patebit *ad Hebræos* x, 38.

Est enim hæc sententia, « Justus ex fide vivit, » generalis et universalis, pertinens tum ad Judæos, quam ad Christianos ; tam ad peccatores, qui primo justificantur, quam ad eos qui jam justificati sunt. Omnis enim horum vita spiritualis incipit, conservatur et crescit per fidem. Licet ergo Habacuc hanc sententiam ad litteram applicet Judæis in Babylone captivis, credentibus Deo promittenti Cyrum liberatorem ; tamen affert eam quasi generalem sententiam, et commune quoddam axioma aut proverbium : quod proinde recte a Paulo Christianis quoque applicatur. Adde, Judæos illos fuisse typos Christianorum. Rursum, Judæos, per fidem illam suam dictam, non tantum conservatos esse in vita gratiæ et justitiæ acceptæ, sed per eamdem fidem inchoasse et disposuisse se ad hanc vitam, si necdum erant justificati. Credendo enim et sperando in Deum liberatorem et protectorem, sensim accedebant ad Deum, seque disponebant ad Dei gratiam et amicitiam, præsertim accedente fide Christi, qui per Cyrum hic adumbrabatur. Quare recte Paulus hanc sententiam tam justis jam, quam justificandis adhuc applicat. Simili modo applicat utrisque illud *Genes.* xv : « Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam, » ut dicam cap. IV, vers. 3.

Vivere in sua fide est perseverare in fide inchoata.

Denique cum in Hebræo dicitur, « Justus in fide sua vivit, » ז׳ *sua* significat causam tam inchoantem, quam conservantem vitam ; sensus enim est : Justus in fide sua vivere pergit, uti in eadem vivere cœpit. Sic dicimus : Animal chloro suo vivit, id est vivere pergit, uti cœpit, illic homo in sua turpitudine vivit, id est vivere pergit in eadem turpitudine, in qua vivere cœpit ; eadem, inquam, generice, licet in individuo, imo in specie alia et alia sæpe sit turpitudo, in qua vivere pergit, ab ea, in qua vivere cœpit. Eodem modo, « Justus in fide sua vivit, » id est justus, uti cœpit, ita pergit vivere in eadem fide, eadem, inquam, quoad objectum formale et genericum, quod est credere Deo, licet quoad objecta materialia et specifica, alia sæpe sit fides quæ inchoat, alia quæ continuat vitam gratiæ et justitiæ. Fides enim quæ inchoat justitiam, proprie et proxime est fides in Christum redemptorem ; fides vero quæ justitiam continuat et auget, quælibet alia potest esse fides, uti hic erat fides, qua Judæi credebant Deo promittenti libertatem per Cyrum. Generice ergo verum est, « Justus in sua fide vivit, » id est justus credens et sperans in Deum incipit vivere spiritualiter, incipit habere rectam animam, qua placeat Deo : ac rursum pergens et proficiens in hac sua fide et spe in Deum, pergit pariter et proficit in vita spirituali, in rectitudine et justitia animæ, in gratia et amicitia Dei, ut magis magisque Deo placeat (1).

Fides generice et formaliter, diverso conceptu materialiter specifice.

18. REVELATUR ENIM IRA DEI DE CŒLO SUPER OMNEM IMPIETATEM ET INJUSTITIAM HOMINUM EORUM, QUI VERITATEM DEI IN INJUSTITIA DETINENT (2). —

(1) Rosenmolleri hæc est totius vers. 17 interpretatio : *Nam per illud* (Evangelium) *manifestatur beneficium divinum* (salus per Messiam), *quod tribuitur propter fidem credentibus, ut* (in hac etiam re valeat illud quod) *scriptum est : Pius per fidem* (promissis) *salvabitur*. Est igitur in his verbis allogia commatis 16 ; causa nempe indicatur, cur religio Christiana agnoscenda sit pro efficacissimo salutis adjumento. *Justitia*, ut Hebr. צדקה, sæpe significat *favorem*, *beneficium*. Intelligitur illud beneficium quo Deus credentibus peccata remittit gratis, propter Christum, non ob legis Mosaicæ observationem, seu hominum salus et redemptio per Messiam. Genitivus *Dei* indicat eum a quo proficiscatur et tribuatur illud beneficium. *Fidem*, quæ ex parte hominis requiritur, esse fiduciam in promissionibus divinis reponendam ; patet ex loco Habacuc, qui statim adfertur (conf. *Rom.* III, 22 seqq.). Opponitur portioni Judæorum, qui se propter sua merita et Judaismi observationem, consequi posse *justitiam Dei* putabant ; quæ optimo in sequentibus refellitur. *Credentibus*, seu *in credentes* ; sic *Gal.* III, 22, *fides* sumitur pro *credentes*, ad similitudinem vocum ἀκροβυστία et περιτομή. *Salvabitur*, seu *felix*, *salvus erit*, quod *vivere* ex hebraismo sæpe notat. Locus est *Habac.* II, 4. Quod ibi Propheta de liberatione Judæorum Deo confisorum ab invasione Babylonica scripsit, id potiori jure de salute æterna, quam Deus omnibus Christo credentibus collaturus est, dici potest.

(2) Incipit hic ipsa *tractatio*. Et primo quidem Apostolus describit totius fere generis humani contagionem moralem, seu prolapsionem in vitæ morumque depravationem pessimam. Itaque scelerum et flagitiorum accusantur atque convincuntur *a*) Pagani inde a vers. 18 usque ad finem cap. I ; *b*) Judæi, cap. II, quos illis nihil meliores esse dicitur, cap. III, 1-19 ; *c*) utrique, cap. III, 20-28. Argumentatur Apostolus *enthymemate rhetorico* illius formæ, quæ est ex consequentibus, ita : Neque Pagani religione *naturali*, neque Judæi *Mosaica*, ad incundam vitæ rectitudinem et perfruendam salutem flecti potuerunt : ideo *Revelatione Dei*, melior, et procurandæ generi humano saluti accommodatior ratio, perquam opitabilis, et quam omnes ingredi antur dignissima est. Exornat autem ita argumentationem, ut *primo* generaliter moneat, Deum connectere mala cum sui contemptu eorum hominum, qui veritatem, quam edoceri potuissent, reprimant atque infirment ; *deinde* doceat quoque dedisse Deum paganis certa adminicula tum *cognitionis*, tum *actionis* ; proxime admoviisse ipsis et sui cognoscendi

« Enim » ponitur pro *autem*, et γάρ pro δέ, ait Maldonatus in *Notis manuscript*. Verum melius proprie et causaliter accipias. Nam probat hic Apostolus id quod dixit, scilicet quod Evangelium sit virtus Dei in salutem omni credenti, quodque justitia Dei in eo reveletur : id est, probat Christum Christique Evangelium et fidem, necessaria esse ad justitiam et salutem. Quod hoc probare intendat, patet ex voce causali *enim*, quæ significat eum hic afferre rationem et causam eorum quæ immediate ante dixerat, *q. d.* Recte dixi justitiam verum revelari per Christi Evangelium, illudque esse virtutem Dei in salutem : quia e contrario revelatur tum in eodem Evangelio, tum experientia, tum maxime revelabitur in die judicii impietas et injustitia hominum infidelium ; revelabitur, inquam, omnes homines, qui fide Evangelii destituti fuerunt, veritatem Dei in justitia detinuisse, ideoque esse peccatores, impios et injustos, ac consequenter Dei iræ et vindictæ æternæ obnoxios esse. Ita S. Chrysostomus, Theodoretus et Œcumenius.

Impii, incredulii, injusti, veritatem Dei eludentes.

Judæi incredibili et Pagani, veritatem Dei in injustitia detinent.

Est hæc sententia Apostoli, quasi thesis ejus generalis, primumque principium, ex quo probat omnes homines, utpote peccatores, indigniisse Christo redemptore, Christique Evangelio et fide. Hanc autem thesim probat inductione ; scilicet omnes Judæos sine Christi fide, veritatem Dei in injustitia detinuisse, esseque peccatores probat cap. seq. ; omnes vero Gentes, veritatem Dei in injustitia detinuisse, esseque peccatores iræ Dei obnoxios, probat hic versibus seq., ex eo quod omnes coluerint idola ; omnes, inquam, non solum simplices et plebeii, sed etiam sapientes et Philosophi, quos maxime et acerrime hic insectatur. Indeque cap. III, vers. 23, concludit, omnibus tam Judæis quam Gentibus ad justitiam et salutem omnino opus esse fide et gratia Christi, qui est scopus totius hujus discursus Paulini, adeoque totius hujus epistolæ.

QUI VERITATEM DEI IN INJUSTITIA DETINENT. — Nota : Non ait : Qui veritatem Dei in errore et ignorantia detinent, licet et hoc verum fuerit ; nam homines ante Christum multos errores Deo affinxerunt, uti Deum esse corporeum, agere fato, non curare res humanas ; sed ait Paulus : « Qui veritatem Dei detinent in injustitia, » quia scilicet homines plerique ante Christum, licet agnoscerent veritatem Dei, scilicet unum esse Deum verum, opificem et rectorem universi ; tamen hunc Deum non coluerunt, sed justum et Deo debitum cultum creaturis et idolis injustissime dederunt. Ergo quasi incarcerarunt veritatem eamque detinuerunt sceris iniquæ voluntatis, ne exiret ad

Errores hominum circa Deum, ante Christum.

Deris iniquæ voluntatis intempestive retinent Gentiles cognitatis veritatis.

pieque reverendi, et rectum a pravo discernendi facultatem atque occasionem, I, 19, 20, 22 ; II, 14, 15, 26, 27 ; *tandem* vero ostendat, eos nihilo tamen magis ab idolatria et vita turpissima coerceri aut avocari potuisse. Sic nexum constituit Winterberg in *Periculo exeget. II in cap. VII ad Rom.*, pag. 92.

Lumen naturæ Dei cognitio seu potius status.

Manifestum est in illis. — « In illis, » id est illis, in illorum mente, intellectu, conscientia. Syrus vertit דיד יקוהה דאלהא גלית להון *didûta dalaha galia lehoun*, id est, *cognitio Dei patefacta est in ipsis*, idque, ut recte ait Chrysostomus, hom. 9 *ad Popul.*, non per angelos, non per Prophetas, non per Evangelistas ; sed quia invisibilia attributa Dei creatoris a creatura intellecta conspiciuntur. Ita etiam Patres mox citandi. Solus fere Anselmus, cum aliquot recentioribus, addit Deum hanc veritatem, sive seipsum Gentilibus manifestasse per lumen non tantum naturale, sed etiam supernaturale, quasi sine lumine supernaturali et sine fide non potuerint Gentiles per solum lumen naturæ agnoscere unum esse Deum verum. Sed hoc est præter mentem Apostoli et Patrum, qui asserunt Deum Gentilibus se manifestasse per creationem et res creatas. Ex illis enim Gentiles per lumen naturæ Deum creatorem agnoscere potue-

Sine lumine supernaturali potuerunt venire in cognitionem unius Dei, omnia Ante Deum creata.

Ex creaturis po-

(1) Vers. 19, *Quod notum est Dei*, id est cognitio Dei, nam amat Paulus adjectiva neutrius generis loco substantivorum. Alii vertunt τὸ *cognoscibile Dei*, id est, quod de Deo ex natura cognosci potest

runt et debuerunt. Addunt aliqui, « in illis, » id est, inquiunt, in ipsorum anima et mente, adeoque toto homine maxime relucet et cognoscitur Dei virtus et majestas; est enim homo speculum et imago Dei. Sed hoc arctius est. Subdit enim Apostolus a creatura qualibet generatim cognosci posse creatorem.

20. INVISIBILIA ENIM IPSIUS A CREATURA MUNDI PER EA QUÆ FACTA SUNT, INTELLECTA CONSPICIUNTUR, SEMPITERNA QUOQUE EJUS VIRTUS ET DIVINITAS. — Quæres, quænam sunt hæc *invisibilia* Dei, et quæ est Dei *virtus* et *divinitas*?

Respondet *primo* Origenes : Dei « invisibilia, » inquit, sunt angeli; « virtus » Dei est potentia, qua Deus regit omnia; « divinitas » est essentia Dei, quæ continet universa. Verum de angelis hic nullus est sermo, sed tantum de Deo: præcessit enim, « Quod notum est Dei; » et sequitur : « Sempiterna quoque ejus (scilicet Dei) virtus et divinitas. »

Secundo ergo, S. Thomas hæc tria sic explicat et distinguit : « Invisibilia, » inquit, Dei est essentia divina invisibilis, quæ cognoscitur per viam negationis; « virtus » Dei est potentia Dei, quæ cognoscitur per viam causalitatis; « divinitas » est esse ultimum finem et summum bonum, quo omnia tendunt, quod cognoscitur per viam excellentiæ. Verum hæc subtilior quam solidior est expositio : nam divinitas non est aliud, quam essentia divina.

Tertio, S. Ambrosius, lib. II *De Spiritu Sancto*, cap. II, et Cyrillus, lib. I *Thesauri*, cap. V, et Anselmus hic sic explicant : « Invisibilia » est Pater invisibilis, « virtus » est Filius, « divinitas » est divina bonitas, quæ tribuitur Spiritui Sancto. Sed hoc est accommodatitium : nam ad litteram, certum est Philosophos ex creaturis non cognovisse SS. Trinitatem; atque sine fide, lumine ac revelatione supernaturali eam non posse cognosci; data tamen fide, potest homo in creaturis advertere vestigia quædam et quasi umbras SS. Trinitatis. Quod ergo Platonici de Deo et Dei Verbo obscure et tenuiter cognoverunt, quodque dixit Trismegistus : « Monas genuit monadem, et in se reflexit ardorem, » *q. d.* Pater genuit Filium, et se reflexe amando spiravit Spiritum Sanctum, id totum a Mose et Hebræis didicerunt, ut docet Eusebius, lib. X *De Præparat. Evangel.*, cap. I; lib. XIII, cap. X : hinc et Plato vocatus est Moses Atticus.

Dico ergo : « Invisibilia » Dei sunt attributa Dei spiritualia, ut esse æternum, immensum, omniscium, optimum, maximum; « virtus » Dei est potentia, per quam Deus omnipotens omnium rerum causa est efficiens, regens et providens; « divinitas » est essentia Dei et majestas, scilicet Deum esse primum ens perfectissimum, a quo omnia pendent, a quo omnia bona expetuntur, et mala omnia avertuntur; Deum esse ultimum finem omnium rerum et operum, maxime humanorum, ideoque colendum esse latria, precibus, votis, sacrificiis, gratiarum actione.

Potentia et virtus Dei inter attributa maxime relucet in creatione.

Ubi nota : « Virtus » quasi potentia Dei connotatur quoque inter invisibilia Dei : est enim æque ut alia, attributum Dei; eam tamen præ aliis hic exprimit Paulus, quia inter alia maxime relucet et resplendet illa in creatione et rebus creatis. Sic, *Marci* XVI, 7, dicit angelus mulieribus : « Ite, dicite discipulis ejus, et Petro; » non quod Petrus non esset discipulus, sed quod inter discipulos Christi quasi primus emineret.

Dices : I *Corinth.* I, 21, dicitur contrarium hujus sententiæ, quod scilicet mundus in sapientia Dei Deum non cognoverit.

Respondeo : Loquitur ibi Paulus de practica cognitione Dei, quæ conjuncta est cum Dei amore et cultu, non autem de speculativa.

Secundo : Etiam speculative non cognovit mundus multa Dei attributa, quia mentem ab eo avertit et vitiis excæcavit : cognoscere tamen illa potuit et debuit.

A CREATURA MUNDI PER EA QUÆ FACTA SUNT, INTELLECTA CONSPICIUNTUR. — Per *creaturam mundi*, Anselmus intelligit hominem, qui dominus est, participium, nodus et vinculum omnis creaturæ. Homo enim ex seipso, suisque partibus et potentiis tam corporis quam animæ, vel maxime cognoscere potest creatorem suum Deum.

Secundo, plurius, generalius et melius Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus et S. Augustinus, tract. 2 *in Joan.*, per *creaturam mundi* accipiunt fabricam et creationem mundi, aut potius res ipsas creatas in mundo, sive mundum ipsum, qui est creatura Dei. Utrumque enim significat Græcum κτίσις, scilicet tam creaturam resque creatas, quam ipsam creationem.

Nota : Vox *intellecta* significat opus esse discursu, collatione et illatione, ut per opera sensibilia resque creatas ascendamus ad cognoscenda invisibilia Dei. Et hoc est quod *Sapient.* XIII, 5, dicitur : « A magnitudine speciei et creaturæ cognoscibiliter (græce ἀναλόγως, id est per *analogiam*) poterit creator horum videri. » Syrus vertit, מסתכלין *tesachala*, id est intellecta conspiciuntur et videntur, quæ oculis corporis sunt invisibilia. Pulchra paronomasia idipsum insinuant Græca; habent enim, τὰ ἀόρατα καθορᾶται, id est invisibilia videntur, scilicet per creaturas, quasi διὰ κτίσεως, id est per speculum.

Illine patet primo, Deum esse non esse per se notum, scilicet ex ipsis terminis : sicut cognitis terminis, per se notum est, unum et duo facere tria; sed ad hoc, ut quis scilicet cognoscat Deum esse, opus esse discursu, scilicet ex iis quæ facta sunt, colligendo ipsum factorem Deum. Ita Scotus et D. Thomas I *part. Quæst.* II, art. 1. Unde S. Bernardus, serm. 31 *in Cant.* : « Tanta hæc, inquit, formarum varietas, atque numerositas specierum in rebus conditis; quid, nisi radii sunt deitatis? monstrantes quidem quia vere sit, a quo sunt non tamen definientes prorsus quid sit : ita quod de ipso sit, vides, sed non ipsum. Cum autem de eo quem non vides, cætera vides, scis indubitanter existere quem oportet inquirere : ut inquirentem non frandet gratia, ignorantem negligentia non excuset. Verum hoc videndi genus commune. In promptu enim est juxta Apostolum, omni utenti ratione invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspicere. » Hinc idem, lib. *De Interiori domo*, cap. XII et XIII, docet quod speculum ad videndum Deum sit animus intuens seipsum : « Frustra, inquit, oculum cordis erigit ad videndum Deum qui nondum idoneus est ad videndum seipsum. Prius enim necesse est ut cognoscas invisibilia spiritus tui, quam possis esse idoneus ad cognoscenda invisibilia Dei. Et si non potes cognoscere te, non præsumas apprehendere ea quæ sunt supra te. Præcipuum et principale speculum ad videndum Deum, est animus intuens seipsum.

Quænam Dei attributa discursu naturali cognosci possint?

Secundo, ex hoc loco, et ex *Sapient.* XIII, 5, patet naturali lumine cognosci posse Deum esse unum, esse liberum, habere providentiam non tantum in universali, sed eujusque hominis in particulari. Tali enim soli agendæ sunt gratiæ ab unoquoque, quod hic urget Apostolus, vers. seq. Ita S. Chrysostomus, Ambrosius, Beda, Anselmus et S. Dionysius, cap. VII *De Divin. Nomin.*, et S. Augustinus *De Spiritu et Litt.*, cap. XII.

Liber divinitatis est mundus, in quo non tantum studuit S. Antonius, sed etiam Gentiles Philosophi.

Idam experientia ipsa didicerunt et docuerunt ipsimet Gentiles : nam Trismegistus dixit mundum esse librum divinitatis et speculum divinorum, in quo nimirum Deus seipsum, quasi Apelles summus, clare expressit et depinxit. In hoc libro non solus studuit S. Antonius, ut de eo testatur Athanasius, aliique eremi incolæ : nec solus S. Bernardus, S. Franciscus aliique Sancti; sed etiam Plato, Socrates, Aristoteles omnesque Philosophi. Idem agnovit et docuit Orpheus, cum ait : « Mundi machina est musicæ et admirabilis consonantia, prædicans et laudans Deum; cœli enim enarrant gloriam Dei. » Hæc etiam est musica cœlorum, quam prædicabat Pythagoras. Unde Philo, lib. *De Unitate Dei, et duplici templo*, mundum vocat Dei templum : « Dei, inquit, templum alterum, summum verumque existimandum est, mundus scilicet hic universus, cujus sacrarium sit cœlum, in tota rerum natura præstantissimum; donaria vero sint sidera; sacerdotes et ædituі sint potestates angelicæ, ratione sinceritatis unitati similes : alterum vero templum est manufactum, » etc. Vide hæc de re pulchre disserentem S. Chrysostomum, hom. 9 *ad Popul.*, et S. Basilium, in princip. *Parabol. Salomonis*; Anselmum hic; Bernardum, initio lib. V *De Consider.*; auctorem *Soliloq.*, cap. XXXI, tom. IX operum S. Augustini, et Prosperum, lib. *De Vocat. Gent.* cap. I, qui liber falso adscribitur S. Ambrosio : « Quod est, inquit Prosper, testimonium, quod semper Domino deservivit, et nunquam de ejus

Musica Pythagoræ est consonantia et concentus cœli et elementorum.

bonitate ac potestate conticuit, nisi ipsa totius mundi inenarrabilis pulchritudo, et inenarrabilium beneficiorum ejus dives et ordinata largitio? per quam humanis cordibus quædam æternæ legis tabulæ præbebantur, ut in paginis elementorum, et voluminibus temporum, communis et publica divinæ institutionis doctrina legeretur. Cœlum ergo, mare, terra et omnia quæ in eis sunt, consono speciei suæ ordinationisque concentu protestabantur gloriam Dei, et prædicatione perpetua majestatem sui loquebantur auctoris : et tamen maximus hominum numerus hanc vocem non intellexit, » etc. Hinc vere et pie S. Augustinus : « Cœli, inquit, et terra clamant, Domine, ut amemus te; » et, « Fecistis nos, Domine, ad te, et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te. » Ita ipse, lib. I *Confess.* I.

Cœlum et terra docent creatorem Deum.

21. CUM COGNOVISSENT DEUM, NON SICUT DEUM GLORIFICAVERUNT, AUT GRATIAS EGERUNT (Deo pro mundi fabrica, suisque ac rerum omnium ad suum usum creatione et conservatione), SED EVANUERUNT (græce ἐματαιώθησαν, id est, vani et inanes facti sunt) IN COGITATIONIBUS. — Græce διαλογισμοῖς, id est disquisitionibus et discursibus, quos ex creaturis de Deo creatore fecerant; quia scilicet, iis relictis, ad vana idola, quæ non erant Deus, colenda deflexerunt. Ita S. Chrysostomus, Origenes, Theodoretus. Vers. 21.

Sapientiam hujus mundi stultitia et vanitas.

Secundo, « evanuerunt » in sua cogitatione et cognitione Dei, quia finem et fructum cognitionis Dei, qui est actio (de qua re pulchre S. Bernardus disserit serm. 36 *in Cantica*) honesta et cultus Dei, non sunt assectati. Hinc « et obscuratum est insipiens cor eorum, » adeoque stulti facti sunt, quia veram sapientiam, quæ in praxi et pietate consistit, respuerunt, et stultissime idola pro diis habuerunt et coluerunt.

Fructus cognitionis Dei actio honesta.

Tertio, ex S. Augustino Anselmus, « evanuerunt, » inquit, id est superbierunt hac Dei cognitione. Sed primus sensus est optimus, et hoc loco genuinus. Ita enim scipsum explicat Paulus, vers. 23.

23. MUTAVERUNT GLORIAM INCORRUPTIBILIS DEI, IN SIMILITUDINEM IMAGINIS CORRUPTIBILIS HOMINIS, ET VOLUCRUM, etc. — *q. d.* Hi sophi, cæci et stulti, gloriosum divinitatis nomen, adorationem et confessionem, quæ Deo immortali præstare et exhibere debebant, converterunt et collocaverunt « in similitudine (Græcum enim ἐν ὁμοιώματι potest proprie capi pro *in similitudine*), vel, « in similitudinem (capiendo ἐν pro εἰς, uti sæpe capitur), sive assimilationem « imaginis hominis, » id est in imaginem hominis, non naturalem, sed arte factam et assimilatam, *q. d.* Idola pro Deo coluerunt hi sophi. Ita S. Chrysostomus, Theophylactus et Œcumenius. Quare non recte Erasmus et Beza sic exponunt, « in similitudinem » vel *assimilationem* : quia, inquiunt, Gentiles assimilarunt Deum incorporeum rebus corporeis, puta homini, bobus, [illegible], quia in horum Vers. 23.

Sophi idola pro Deo colunt.

simulaveris, quasi in imagine, Deum coluerunt.

Ubi nota: Multi Gentiles putabant ipsa idola ignea et lapidea esse deos; aliqui tamen sapientiores, uti Philosophi, sciebant ipsa idola non esse deos, et tantum in idolis ipsis deos ipsis repræsentari: verumtamen omnes tam hi, quam illi, non Deum verum in idolo, quasi in imagine, ut vult Calvinus, sed ipsa idola, uti Deum vel Numen aliquod adorarunt, et adoranda crediderunt; idque, quia putabant idolum esse corpus Dei, aut esse simulacrum Dei, Deumque similem esse idolo, et similia habere membra, aut esse locum et sedem Dei, cui quasi naturaliter adhæreret et præsens esset Deus. Denique censebant omnes idolum habere aliquid numinis, ut eum ad illud irent, ad deos ire se putarent, ait Cicero, lib. I *De Natura Deorum*; idque quia videbant idolum loqui et oracula dare. Excipe hic paucos Gentilium sapientissimos, qui idola colebant non ex animo, sed metu legum suarum, et ut populum metu deorum in officio continerent, ut testatur ibidem Cicero.

Peccarunt ergo *primo*, quia dæmonem quasi animam idoli pro Deo coluerunt, eumque ex falsis oraculis, malis consiliis, et sua propria confessione, aliisque circumstantiis, non Deum, sed dæmonem esse agnoscere potuerunt et debuerunt.

Peccarunt *secundo*, quia ipsa idola quasi aliquid esset Dei, adoraverunt, placarunt, invocarunt; hoc enim, quidquid neget Calvinus, clarissimum est ex *Psal.* CXIII, *Baruch.* VI, et *Sapientiæ* XIV. Idem expresse docent Patres, Tertullianus, Lactantius, Justinus, Athanasius, Athenagoras, Cyprianus et alii, qui passim rident Gentiles, quod lapides et ligna pro diis colant, ut etiamnum faciunt Indi et Japones. Nil ergo idolo cum imagine Christianorum, quæ nihil habet numinis, sed nudam rationem imaginis, quæ est repræsentare suum prototypon, ut docent S. Basilius et Damascenus.

Nota *secundo*: Licet Catharinus de Socratis et Platonis salute bene speret et existimet, tamen Xenophon et Plato docent Socratem diis Græcorum sacrificasse, et inter alia gallum Æsculapio. Sic Plato eosdem colendos censuit, quod lex Gentium ita juberet, uti testatur Eusebius, lib. XIII *De Præpar. Evang.*, cap. VIII et XI. Sic et Seneca sacrificia laudat, non quasi diis placita, sed quia legibus jussa, uti testatur S. Augustinus, lib. VI *De Civit.*, cap. X. Idem Plato, in *Epinomide*, divinum cultum tribuit cœlis, astris et dæmonibus. Denique Trismegistus dæmonum simulacra colenda esse docet, ut beneficium, inquit S. Augustinus, lib. VIII *De Civit.*, cap. XXIII. Eadem colenda esse ob metum legum politicarum docuit Cicero, lib. I *De Natura Deorum*. En quo labitur humana, etiamsi docta, infirmitas et cæcitas, si Deum deserat et a Deo deseratur, ut merito in eos hic ita detonet Apostolus.

VOLUCRUM, ET QUADRUPEDUM, ET SERPENTIUM. — Nam aves, serpentes, feles, crocodilos, imo alia, porros et herbas, quin et stercutium, cloacinam, pestem, febrem, aliaque his absurdiora veteres pro diis coluisse, fuse docet S. Augustinus, lib. III *De Civit.*, cap. XII, et lib. IV, cap. X et seq., et lib. XVIII, cap. XV. Unde et Juvenalis satyra penultima Ægyptios, quod sua cæpe colerent quasi numina, ita ridet:

> Porrum et cæpe nefas violare ac frangere morsu.
> O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis
> Numina!

24. PROPTER QUOD TRADIDIT ILLOS DEUS IN DESIDERIA CORDIS EORUM, IN IMMUNDITIAM. — « Propter quod, » *q. d.* Sicut illi gloriam Dei serpentibus, aliisque immundis et ignominiosis creaturis tradiderunt, ita etiam Deus tradidit illos immunditiæ, « ut contumeliis afficiant, » græce τοῦ ἀτιμάζεσθαι, id est ut ignominia afficiant « corpora sua. » Nota: Deus hos ita tradidit, non proprie immittendo, vel impellendo eos ad mala, ut vult Calvinus: hæc enim blasphemia est nimis evidens et atrox in Deum, ejusque infinitam bonitatem et sanctitatem; sed tradidit eos Deus in peccata, quia permisit eos suæ concupiscentiæ, dæmoni et occasionibus peccati, ut fornicatione et adulterio corpus suum dedecorarent. Unde *Psal.* LXXX, Dominus idem explicans ait: « Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis. » Sic S. Augustinus, lib. V *Contra Julian.*, cap. III, et *De Grat. et Lib. arbit.*, cap. XXI, docet Deum tradere peccatores in prava desideria, quando non solum non apponit gratiam, sed etiam ponit occasiones et offendiculа peccandi (licet alio et pio fine), in quæ eos per suam malitiam gravius ac turpius impacturos prævidet, non autem prædefinit, prædeterminat vel impellit. Talis occasio sunt opes, honores, deliciæ, quibus impios Deus cumulat, ut iis bene utantur; scit tamen id eos non facturos, sed iis ad peccata abusuros. Vide *can.* 14 et 15.

Objicit Beza: Deus quasi judex tradit impios carnifici, scilicet peccato; ergo non tantum permittit, sed positive tradit eos peccato.

Respondetur: Aliter permittit homo peccata, aliter Deus: homo negative, Deus positive: quia Deus voluntates omnium hominum arctissime omnipotentiæ suæ manu, quasi lupum vel ferum fune constrictas tenet, quam positive laxare debet, ut male agere possit. Unde recte hæc laxatio et permissio dicitur actio et traditio, maxime quando fit a Deo, ut vindice, ad puniendum præcedens peccatum, ut dixi *can.* 21.

Hinc docent Theologi peccata sequentia præcedentium peccatorum esse pœnas. Ita Magister Sententiarum, in II, dist. 36, et Augustinus, lib. V *Contra Julian.*, cap. V, ubi sic ait: « Crimina criminibus vindicantur, et supplicia peccantium non tantum sunt tormenta, sed et vitiorum incrementa. » Et in *Psalm.* LVII, in illud, *Supercecidit ignis*: « Inter primum, ait, peccatum apostasiæ et ultimam pœnam iguis æterni, media quæ sunt, et peccata sunt, et pœna peccati. » Et paulo superius, in illud ejusdem psalmi, *Iniquitatem manus vestræ concinnant*, docet quamdam esse peccatorum inter se colligationem, et velut catenam, in qua alia sint causa sequentium peccatorum, alia pœnæ præcedentium, qua de re vide quoque S. Gregorium, lib. XXV *Moral.*, IX.

25. COMMUTAVERUNT VERITATEM DEI IN MENDACIUM, — id est in mendax falsum idolum; τὸ ψεῦδος enim Græcis est res vana, inanis, umbratica, fallax et mendax; sicque idola mentiuntur se esse deos, suntque mendaces umbræ deorum: de quo plura dicam I *Cor.* VIII.

26. PROPTEREA TRADIDIT ILLOS DEUS IN PASSIONES IGNOMINIÆ. — Græce, εἰς πάθη, id est in libidines pathicas et pudendas, ut nimirum contra naturam non tantum masculi et pathici pueri cum masculis; sed, ut sequitur, et fœminæ cum feminis omnes naturæ et honestatis limites transcendentes commixtæ sint. Ita Ambrosius, Theodoretus, Anselmus et alii. Dicitur hæc præpostera et vesana libido πάθος, non tantum quia in ea activæ libidini præpostera ut passiva respondet; sed etiam quia hæc passio ita vehemens est, ut homo illi immersus, adeo ab ea absorbeatur, ut potius pati quam agere videatur, sitque instar equi equæ adhinnientis et ad eam furentis. Jam vero Gentiles, non tantum plebeios, sed et Philosophos, ac nominatim Socratem, infami hoc pæderastiæ vitio laborasse, tradit Philo, lib. II *De Vita contemplat.* Quin et Laertius, in Vita Socratis, tradit eum in judicio, quo ad mortem damnatus est ducentis octoginta sententiis, accusatum fuisse *primo*, quod Deos patrios respueret et nova dæmonia induceret; *secundo*, quod contra fas et jus juvenes corrumperet. Idem vitium Platoni ascribit Laertius, Gellius, lib. XVIII, cap. II, et lib. XIX, cap. XI, et Plutarchus, lib. *De Educandis liberis*, ante finem: licet Cardinalis Bessarion, Platonis propugnator, eum ab hoc vitio purgare conetur, lib. IV *Calumniatorem Platonis*, cap. II. Addit S. Chrysostomus, Socratem et alios Philosophos non tantum pœderastiam fecisse, sed et eam quasi honestam laudasse et legibus sanxisse, statuisseque ut illam exercere possent liberi, non autem servi; quasi pœderastia non servos, sed liberos tantum deceat, sitque et ipsa ars libera et liberalis. Talia monstra quoque ab hæresi nata nostra vidit et probavit ætas. Contra hos fulminat hic S. Chrysostomus et Patres sæpe.

Denique ut videas verissimam esse hanc Apostoli sententiam, atque Philosophos fuisse impurissimos et spurcissimos, audi ex uno Diogene Laertio, seriatim singulorum hac de re emblemata.

Periander, inquit, Cratea propria matre sua abusus est, lib. I.

Socrates Alcibiadi in deliciis fuit, lib. II.

Theodorus ait sapientem publice absque pudore et suspicione scortis congressurum.

Phædon captus ab hostibus, infami se quæstui addixit.

Stilpo, præter uxorem, Micarete pellice utebatur.

Menedemus notatur nimium familiaris fuisse amasio Asclepiadis.

Anaxippus, lib. IV *De Antiquis deliciis*, ait Platonem captum fuisse amore Stellæ astrologi et Dionis: alii Phædrum addunt, alii etiam Alexim. Plura de eo habet Laertius, lib. III.

Bion Borysthenites Theodotæ et Philetæ, scortis, palam congrediebatur: item duos adolescentes, Demetrium et Myrieanum Locharem, turpiter amavit. Unde et ab Aristone Chio, Corruptor juvenum dictus est. Idem adoptabat juvenes, ut eis abuteretur, lib. IV.

Aristoteles Hermiæ concubinam amavit, eique sacrificavit, lib. V.

Demetrius Phalereus, qui 360 statuis æreis honoratus est, a Cleone turpiter est perpessus.

Anthistenes dicebat sapientem formosissimis quibusque mulieribus congressurum, lib. VI.

Diogenes dicebat debere esse communes mulieres et filios.

Zeno uxores communes in republica statuebat, lib. VII.

Chrysippus, in libro *De Republica*, congredi jubet matribus, filiabus et filiis.

Eudoxius fuit in deliciis Theomedonti medico, lib. VIII. lib. VIII.

Epicurus Leontiam et Themistam meretrices, et Pithoclem, formosum adolescentem, in deliciis habebat, lib. X.

Eant nunc politici et naturalistæ nostri, Philosophos hosce ut viros probos prædicent, eosque ut sanctos et beatos canonizent, quos infandæ veneris mancipia Asmodeus auctoravit, Orcoque addixit. Præclare S. Bernardus, contra Petrum Abailardum platonizantem, epist. 109 *ad Innocentium Pontificem*: « Ubi, inquit, dum multum sudat, quomodo Platonem faciat (Abailardus) Christianum, se probat Ethnicum. »

FEMINÆ EORUM IMMUTAVERUNT NATURALEM USUM, IN EUM USUM QUI EST CONTRA NATURAM. — Nota, diabolico invento feminas instar virorum cum feminis active congredi. Docet id et plura Seneca, *epist.* 95: « Feminæ, ait, cum virorum licentiam æquaverint, corporum quoque virilium vitia æquaverunt: non minus pervigilant, non minus potant, cibo et mero viros provocant, libidine vero nec maribus cedunt, pati natæ. Dii illas denique male perdant, adeo perversum commentæ genus impudicitiæ, viros ineunt. » Græcis hæ feminæ Tribades dictæ, id est fricatrices, quarum meminit Tertullianus, lib. *De Pallio*. Unde τριβάδικὰ ἀσήμως dicitur, tribadum illa inepta et nefaria libido, cujus inventrix creditur fuisse Phila-

Pathica libido qualis?

Status et alii Philosophi omnium infamia pæderastia.

Sunt hæresibus nostri temporis coæquandæ hæc mala.

Diogenes lib. I.

Lib. II.

Lib. III.

Lib. IV.

Lib. V.

Lib. VI.

Lib. VII.

Lib. VIII. lib. VIII.

Lib. X.

nis, et ob hanc male audiit Sappho. De his agit impurissimus Lucianus, dialog. *Clonarium et Laenio*. Hinc invitus licet scripsi ad hoc, ut sciant confessarii quanta sit libidinum vorago, sciantque feminas quoque, ut viros, peccatum mollitiei committere, ut Galenus, medici et experientia docet : et sicut illud in se exercent, ita et in alios idem exercere modis infandis.

MERCEDEM (quam oportuit) ERROR IS SUI IN SEMETIPSIS RECIPIENTES. — Pro *mercedem*, græce est ἀντιμισθίαν, id est recompensationem, sive mercedem pro meritis; ut quia contra naturæ ordinem cum ignominia creatoris, eo relicto ad creaturæ idololatriam se converterunt, hac de causa juste a Deo permissi sint naturæ ordinem pariter in actu generationis invertere, et pudenda libidine se dedecorare. Ita Anselmus.

Porro idololatriam esse causam libidinis et obscœnitatis, docet quoque Sapiens, cap. IV, vers. 12 : « Initium, inquit, omnis fornicationis est exquisitio idolorum, et adinventio illorum corruptio vitæ est; » idque primo, quia idola iis cæremoniis colebantur, quæ ad omnem obscœnitatem homines impellerent, ut patet ex sacris Priapi, Veneris, Bacchi. Et hoc permittente Deo in supplicium idololatriæ, ut ait hic Paulus. *Secundo*, quia idololatræ, ut ait hic Ambrosius : « Deum incuriosum colentes, atque per hoc negligendum, magis hebetati sunt, et ad omnia mala admittenda facti promptiores. » Exardescit enim concupiscentia, cum vindicem non timet Deum. Quis autem timeat Deum ligneum, aut saxeum? *Tertio*, quia, ut ait S. Athanasius, orat. *Contra idola* : « Idololatria instituta est desiderio eorum qui stupris et propudiis pleni, figmentis repræsentantur. » Jupiter enim adulter cum ut Deus colitur, quis non putet licere, imo pulchrum esse adulterari, quod ea in re deo suo similis sit? Addit S. Athanasius : « Et pene omnes civitates omnibus libidinibus scatent, ob immanitatem morum quam in suis diis conspiciunt; neque est in hoc genere deorum quem castum appelles. Olim certe Phœnissæ mulieres ante idola prostituebantur, dedicantes numinibus suum quæstum, persuasæ meretricatu ea propitiari, ac prosperitatem rerum inde nasci. » Idem factitarunt virgines Babylonicæ, Syræ, Medæ, Persicæ, Lydiæ et aliæ, uti dixi *Baruch* VI, 42. Pergit S. Athanasius : « Viri quoque, abdicato sexu, nec se amplius mares esse ferentes, mulierum naturam affectaverunt, tanquam ita honorifica grataque matri deorum facturi essent. Omnes autem in turpissimis vivunt, et certamen inter se pravitatis suscipere videntur, et, ut dixit S. Paulus, Mulieres eorum mutaverunt usum. »

Hinc patet infidelitatis, impietatis et hæresis pœnam esse monstrosas libidines, atque hujus rei causa est : *Primo*, quia ubi non est fides, ibi non est gratia Dei; ubi non est gratia Dei, ibi non est castitas, sed omnis concupiscentia : ut meritc dixerit Lutherus, concubitum homini tam necessarium esse, quam cibum, et passim apud Novantes personat hoc axioma, castitatem esse impossibilem, quia vere Luthero et hæreticis impossibilis est. Vere ergo dixit S. Hieronymus, lib. II *Comment. in Oseæ* cap. IX : « Difficile est invenire hæreticum qui diligat castitatem, etiamsi eam verbis commendet et præ se ferat. »

Secundo, quia hæresis et infidelitas oritur ex superbia, superbiæ autem pœna est libido, sicut humilitatis præmium est castitas. Unde efficacissimum remedium ad castitatem, est humilitas. Hæc enim justa est Dei ordinatio, ut si mens Deo, et iis, quibus debet, se subdat, etiam sibi subditum habeat corpus suum : sin Deo Deique vicariis subdi nolit, etiam corpus suum sibi sentiat rebello, ut pulchre docet Gregorius, lib. XXVI *Moral.*, XII : « Sic, sic, inquit, elati justa fuerant retributione feriendi, ut, quia superbiendo se hominibus præferunt, luxuriando usque ad jumentorum similitudinem devolvuntur; homo enim cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, etc. Intus ergo videt Deus, quod mentem elevat, et ideirco permittit foris invalescere, quod deponat; ergo per humilitatis custodiam servanda est munditia castitatis. Si enim spiritus pie sub Deo premitur, caro illicite supra spiritum non levatur : et contra. Unde et primus ille inobediens Adam, mox ut superbiendo peccavit, pudenda contexit. » Ita virgo illa, de qua Palladius in *Lausiaca*, cap. XXXIV, a dæmone superbiæ obsessa, deserta fuit ab angelo temperantiæ, et turpiter lapsa.

28. SICUT NON PROBAVERUNT (græce ὡς οὐκ ἐδοκίμασαν, id est non placuit eis, non est eis visum, non curaverunt) DEUM HABERE IN NOTITIA (id est, ait Ambrosius, credere Deum res nostras curare; vel, ut alii, Deum habere præ oculis, ut illi placere et servire intenderent. Verum simplicius et magis proprie S. Chrysostomus, Theodoretus et Toletus sic explicant, *q. d.* Sicuti non curarunt Deum verum vere nosse, ut recte de eo sentirent, sed idolis adhæserunt, eaque pro Deo agnoverunt et coluerunt; ita pariter juste) TRADIDIT ILLOS DEUS IN REPROBUM SENSUM, UT FACIANT EA QUÆ NON CONVENIUNT. — Nam, ut docet S. Gregorius, lib. XXV *Moral.*, IX : « Qui errant in Dei cognitione, juste traduntur ut errent pariter in agendis; » qui mentem et rationem ab errore non servant, exponunt se pecuniis cogitationibus et vitiis, tum quia, errante duce, errant comites : cognitio autem est dux actionis; tum quia recedentes a Deo, recedunt a virtute et gratia; tum quia ubi non est cognitio Dei et timor, ibi dominatur effrenis concupiscentia.

Nota : « Reprobum sensum » vocat Paulus improbam et perversam mentem, quæ probat non probanda, et probanda improbat ac reprobat (hoc enim est Græcum ἀδόκιμος), v. g. quæ judicat et probat mollitiem, fornicationem, vindictam,

ebrietatem esse appetenda et sectanda; ac tandem, cum mens per consuetudinem peccandi est excæcata, judicat hæc ipsa vix esse peccata, eaque licita.

Tota hujus loci elegantia consistit in paronomasia et antithesi verbi δοκιμάζειν, et epitheti ἀδόκιμον, *q. d.* Quia reprobarunt Dei notitiam et cultum, hinc traditi sunt in reprobam et perversam mentem : ἀδόκιμον ergo significat eos non expertes fuisse judicii, ut vertit Beza (hoc enim minus est malum, et sæpe naturale), sed pravo, distorto et perverso fuisse judicio, quo scelera infanda judicabant esse licita et honesta.

VERS. 29. Vitia quæ enumerantur ex idololatriis oriuntur.

29. REPLETOS (id est, ut repleantur : pendet enim ut *repletos* a verbo *tradidit*, *q. d.* Hoc ipso, quo tradidit eos Deus in reprobum sensum, factum est ut replerentur, fuerintque repleti) OMNI INIQUITATE, DOLO ET MALIGNITATE. — Pro *malignitate*, græce est κακοηθείας, quod, ait Aristoteles, vitium est, quo omnia in deteriorem partem accipiuntur : alii *morum asperitatem* vertunt; sed hanc significat vox *compositis*, quæ sequitur. Syrus *fraudem* vertit.

VERS. 30.

30. DEO ODIBILES. — θεοστυγεῖς, id est Deo odibiles, vel Dei osores, a quibus Deus abhorret, vel qui execrantur Deum. S. Cyprianus, *epist.* 68, legit *Deo abhorrentes*, στυγεῖν enim abhorrere significat; unde Styx, palus inferni, ita dicta est ab horrore.

ELATOS. — ὑπερηφάνους, id est gloriosos et jactabundos.

31. INCOMPOSITOS. — ἀσυνθέτους, id est inciviles, barbaris moribus, ab omni societate et conversatione honesta alienos, turbulentos, qui non possunt in civitate aut familia cum aliis componi. Ita ex Demosthene Suidas. Œcumenius vertit, *separantes se ab omnibus*, id est omnes odio prosequentes et adversantes.

Mirum Græcorum vitium.

SINE AFFECTIONE. — ἀστόργους, id est inhumanos, qui neminem, aiunt Theophylactus, Œcumenius et Syrus, amant, nec habent amicum. Sic in India versus Peru, Indi quidam sunt Uri nuncupati, qui ita fugiunt homines, ut rogati qui sint, respondeant se non esse homines, sed Uros, ut refert oculatus testis Josephus Acosta, lib. II *De Novo orbe*. Talis erat ille, de quo Satyricus, « nec amat, nec amatur ab ullo. » Rursum ἀστόργους, verti potest, *sine pietate*, hoc est impios in parentes et cognatos.

ABSQUE FOEDERE, — id est fœdifragos. Denique hic Apostolus synathroesmum, per rerum congeriem, ut ostendat quantum malum sit Dei ignorantia et neglectus, atque in quot quantaque scelera Gentiles per hunc Dei neglectum inciderint.

SINE MISERICORDIA, — id est immisericordes et crudeles, qui hebr. vocantur אכזרי *achzari*. Syrus vertit, cum quibus *nullum est fœdus, nulla charitas, nulla pax*, nulla denique *misericordia in eis*. Hi ergo sunt fructus idololatriæ, infidelitatis et reprobi sensus hæresis.

32. QUI CUM JUSTITIAM DEI COGNOVISSENT, NON INTELLEXERUNT (noluerunt intelligere, considerare, et practice sibi persuadere), QUONIAM QUI TALIA AGUNT, DIGNI SUNT MORTE : ET NON SOLUM QUI EA FACIUNT, SED ETIAM QUI CONSENTIUNT FACIENTIBUS. — Kemnitius, Valla, Erasmus et Faber hic volunt corruptum esse nostrum textum, quia Græca sic habent : οἵτινες τὸ δικαίωμα τοῦ θεοῦ ἐπιγνόντες ὅτι οἱ τὰ τοιαῦτα πράσσοντες ἄξιοι θανάτου εἰσίν, οὐ μόνον αὐτὰ ποιοῦσιν, ἀλλὰ καὶ συνευδοκοῦσι τοῖς πράσσουσιν, id est, *qui cum justitiam Dei cognovissent*, videlicet, *quod qui talia agunt digni sunt morte, non solum ea faciunt, sed etiam facientibus consentiunt*. Hoc enim consentire majus et pejus est, quam facere. Fit enim ex malitia, cum facere sæpe ex mera infirmitate promanet. Ita quoque legunt et explicant S. Chrysostomus, Theophylactus et Œcumenius. Verum variare et olim variasse exemplaria Græca patet ex Œcumenio, Origene et quibusdam manuscriptis. Rursum nostro interpreti per omnia consentit Ambrosius, Sedulius, Haymo, Anselmus, Hesychius, lib. VI in *Levit.* XX; Symmachus Papa, in *Apologet. contra Anastasium Imper.*, et S. Cyprianus, lib. I, *epist.* 4. Denique nostra lectio planior et facilior est intellectu, ideoque verisimilior. Videtur enim Apostolus hic taxare Philosophos sapientiores, qui idolorum cultum, aliaque vitia jam dicta, licet mala esse scirent, nec passim ea facerent et perpetrarent, illa tamen ab aliis facta probarunt, vel dissimularunt, sive metu legum, sive amore suæ placendi et timore eisdem displicendi. Vide dicta vers. 23.

Textus hic immerito exulat a Kemnitio.

007694

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Idem docet de Judæis, quod cap. I docuit de Gentibus, scilicet eos esse in peccatis, et egere fide et gratia Christi.

Primo ergo redarguit Judæos, qui ex data sibi lege Gentiles quasi peccatores condemnabant, cum ipsi eadem patrarent. Unde docet Deum justum judicem cuique tam Judæo, quam Gentili redditurum secundum opera.

Hinc secundo, vers. 13, asserit non auditores, sed factores legis justificari, atque non solos Judæos, sed et Gentes habere legem a natura sibi inditam.

Tertio, vers. 17, arguit Judæos quod ex lege sua alios doceant, non seipsos; quodque faciant eadem quæ in aliis carpunt.

Quarto, vers. 25, docet circumcisionem veram esse, non externam, sed internam, quæ consistit in observatione legis; quæ est circumcisio cordis in spiritu, non littera; coram Deo, non coram hominibus.

1. Propter quod inexcusabilis es, o homo omnis, qui judicas. In quo enim judicas alterum, teipsum condemnas : eadem enim agis quæ judicas. 2. Scimus enim quoniam judicium Dei est secundum veritatem in eos qui talia agunt. 3. Existimas autem, o homo, qui judicas eos qui talia agunt, et facis ea, quia tu effugies judicium Dei? 4. An divitias bonitatis ejus, et patientiæ, et longanimitatis contemnis? ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? 5. Secundum autem duritiam tuam, et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, et revelationis justi judicii Dei, 6. qui reddet unicuique secundum opera ejus : 7. iis quidem, qui secundum patientiam boni operis, gloriam, et honorem, et incorruptionem quærunt, vitam æternam : 8. iis autem, qui sunt ex contentione, et qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira et indignatio. 9. Tribulatio, et angustia in omnem animam hominis operantis malum, Judæi primum, et Græci : 10. gloria autem, et honor, et pax omni operanti bonum, Judæo primum, et Græco : 11. non enim est acceptio personarum apud Deum. 12. Quicumque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt : et quicumque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur. 13. Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur. 14. Cum enim Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex : 15. qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, 16. in die, cum judicabit Deus occulta hominum, secundum Evangelium meum per Jesum Christum. 17. Si autem tu Judæus cognominaris, et requiescis in lege, et gloriaris in Deo, 18. et nosti voluntatem ejus, et probas utiliora, instructus per legem, 19. confidis teipsum esse ducem cæcorum, lumen eorum qui in tenebris sunt, 20. eruditorem insipientium, magistrum infantium, habentem formam scientiæ et veritatis in lege. 21. Qui ergo alium doces, teipsum non doces : qui prædicas non furandum, furaris : 22. qui dicis non mœchandum, mœcharis : qui abominaris idola, sacrilegium facis : 23. qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras. 24. (Nomen enim Dei per vos blasphematur inter Gentes, sicut scriptum est). 25. Circumcisio quidem prodest, si legem observes : si autem prævaricator legis sis, circumcisio tua præputium facta est. 26. Si igitur præputium justitias legis custodiat, nonne præputium illius in circumcisionem reputabitur? 27. et judicabit id quod ex natura est præputium, legem consummans, te, qui per litteram et circumcisionem prævaricator legis es? 28. Non

enim qui in manifesto, Judæus est : neque quæ in manifesto, in carne, est circumcisio : 29 sed qui in abscondito, Judæus est : et circumcisio cordis in spiritu, non littera : cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est.

Judæi eadem quibus Gentes vitiis implicati.

1. PROPTER QUOD INEXCUSABILIS ES, O HOMO OMNIS, QUI JUDICAS. IN QUO ENIM ALTERUM JUDICAS, TEIPSUM CONDEMNAS, etc. — *q. d.* Quia Gentes, quæ non intellexerunt gravitatem et supplicia peccatorum, uti præcessit in fine cap. præcedent., ob peccata tamen, quæ faciunt, aut quibus consentiunt, dignæ sunt morte; hac de causa multo magis vos, o Judæi, qui intellexistis ex lege Mosaica gravitatem peccatorum, et pœnas quas Deus peccatoribus intentat; quique Gentes ob peccata sua judicatis et condemnatis, et tamen eadem facitis et perpetratis, digni estis morte. Taxavit Apostolus, cap. præced., Gentes Gentiumque scelera, quibus veritatem Dei in injustitia detinuerunt; hic eadem, imo potiori de causa taxat Judæos. Nam, ut dixi cap. præced., vers. 18, proposuit thesim, quod scilicet sine fide et gratia Christi omnes sint peccatis et iræ Dei obnoxii : illam ibidem probavit ostendendo Gentes fuisse et esse in peccatis et ira Dei : hic eamdem probat, idem ostendendo in Judæis, indeque concludit, cap. III, omnes tam Gentes, quam Judæos indigere Christo Christique fide et gratia, ut justificentur et salventur. *Secundo*, probabiliter Maldonatus in *Notis manuscriptis* : Respicit, ait, Paulus ad vers. 20 et 21, cap. I : « Ita ut sint inexcusabiles, » etc. *q. d.* Cum Deus eos qui se cognoverunt, sed non sicut Deum glorificaverunt, tradiderit in passiones ignominiæ, eos, inquam, qui veritatem detinent in injustitia; sequitur eos inexcusabiles esse cum aliis male agentes damnant : ipsi enim similia, imo pejora et fœdiora faciunt; sed mutat personam tertiam in secundam, quia convertit se ad eos, eosque alloquitur et redarguit, ad majorem emphasim. Adhuc enim generatim culpat Apostolus omnes fide et gratia Christi destitutos, tam Gentiles quam Judæos, ut patet vers. 9, usque ad vers. 17, ubi se convertit ad Judæos.

Ira Dei violatis, et peccatorum tolerantia.

4. AN DIVITIAS BONITATIS EJUS, ET PATIENTIÆ, ET LONGANIMITATIS CONTEMNIS? — « Divitias bonitatis » vocat exuberantem Dei benignitatem. Sic passim per catachresin *divitias* sumit Paulus pro copia et abundantia, ut cap. XI, vers. 33 : « O altitudo divitiarum sapientiæ! » Sic alibi vocat « divitias gloriæ, divitias gratiæ, » etc. Et profani τὸν πλοῦτον pro ἀφθονίᾳ capiunt. « Divitias bonitatis Dei, inquit Origenes, ille agnoscere potest, qui considerat quanta in terris mala quotidie homines gerant, et quomodo pene omnes declinantes et simul inutiles facti latam et spatiosam perditionis ambulant viam : si quis consideret quanti in Deum quotidie blasphemant, et in cœlum extendunt linguas suas. Jam quid de fraudibus, de sacrilegiis et piaculis dicam? Si quis ergo hanc bonitatem Dei, et sustentationem ejus, et patientiam contemnit, ignorat quod per hæc ad pœnitentiam provocatur, sed nos non dissolvat hoc, et tardos ad conversionem faciat : quia rursus patientiæ ejus et sustentationis certa mensura est. » Vide Plutarchum, lib. *De Sera Numinis vindicta*; ubi illud Euripidis de Deo pertractat : « Cunctatur; talis est enim Numinis natura (1). »

AD POENITENTIAM TE ADDUCIT? — Græce εἰς μετάνοιάν σε ἄγων, id est ad pœnitentiam te agit et impellit? « Adducit » ergo, id est adducere cupit et conatur, et quantum in se est adducit. Vide *can.* 32.

Gentis cujusdam publica hypocrisis.

5. SECUNDUM DURITIAM TUAM, ET IMPŒNITENS COR, THESAURIZAS TIBI IRAM. — « Thesaurizas, inquit Bernardus, serm. *De Triplici misericordia*, tibi thesauros iræ, pro prorogatis thesauris misericordiæ, quos contemnis, et evacuas in te misericordiam Dei. » Pulchre S. Augustinus, in *Psal.* C, ad illa verba, « Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine, » ex hoc Apostoli loco docet jam tempus esse misericordiæ, futurum autem tempus esse judicii.

Nota : « Cor durum est, inquit Origenes, cum mens humana velut cera frigore iniquitatis obstricta, signaculum imaginis divinæ non recipit. » Egregie vero idipsum depingit S. Bernardus, lib. I *De Consider. ad Eugenium* : « Quid est, inquit, cor durum? idipsum est quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, minis non cedit, flagellis induratur; ingratum ad beneficia est, ad consilia infidum, ad judicia savum, invorecundum ad turpia, impavidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad divina; præteritorum obliviscens, præsentium negligens, futura non providens. Ipsum est, cui præteritorum, præter solas injurias, nihil omnino non prætergit, præsentium nihil non perit, futurorum nulla nisi forte ad ulciscendum prospectio seu præparatio est : et, ut in brevi cuncta horribilis mali mala complectar, ipsum est, quod nec Deum timet, nec hominem reveretur. »

Nota *secundo* : *Iram* vocat hic Apostolus ultionem, quæ more thesauri collecta deprometur, et universa in peccatores in die judicii effundetur. Simile dat S. Hieronymus : « Sicut, inquit, qui paulatim arcum intendit, tempus dat alteri ut fugiat; qui si fugere nolit, tanto fortius sagitta emissa configitur, quanto majori tempore arcus intensio fuit facta : sic Deus, qui laneos habet

(1) Vers. 4, *q. d.* Apostolus : Tu alios omnes crudeliter damnas, dum Deus omnes benignitatis suæ divitias in te effudit, nec tantum peccanti breves indicias concedit, sed longa potentia te invitat.

UANL

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

parceret Deus; non autem Gentibus; aut si Judæos bene agentes præmiaret, non autem Gentes, vel contra, non faceret contra justitiam distributivam, nec peccaret, quia libertate et pure dominii sui uteretur; nec enim cuipiam aliquid debet, ac consequenter nec ordinem, nec indifferentiam personarum in gratiarum suarum distributione servare tenetur, sicut in regni et republicæ officiis distribuendis ordinem et indifferentiam hanc servare tenetur princeps et magistratus. Qua de re plura dicam II *Timoth.* IV, 8. Vide et S. Augustinum, *epist.* 95, et Fulgentium, *De Gratia Christi*, cap. XXI.

Vers. 12. 12. QUICUNQUE ENIM SINE LEGE (scripta scilicet et Mosaica, uti fuerunt Gentiles) PECCAVERUNT, SINE LEGE PERIBUNT. — Id est sine sententia legis Mosaicæ, quæ mortem suis transgressoribus intentat, damnabuntur : sed mitius quam Judæi, quia punientur juxta severitatem legis, non scriptæ et Mosaicæ, sed tantum naturalis, in quam cognitam peccaverunt. Ita Œcumenius. Probat hic Apostolus, quod non sit personarum acceptio apud Deum, quodque Deus indifferenter tribuitet et punit operantem malum, sive is Judæus sit, sive Græcus, ut dixit vers. 9.

Gravius amplificatione detrectant, contrale-gem scriptam, quæ tamen naturalem hanc.

Vers. 13. 13. NON ENIM AUDITORES LEGIS JUSTI SUNT APUD DEUM, SED FACTORES LEGIS JUSTIFICABUNTUR. — Nota, *justificari* tripliciter in Scriptura sumi : *Primo*, significat ex peccatore fieri justum; *secundo*, ex justo fieri justiorem; *tertio*, modo loquendi, justum vel justiorem censeri et pronuntiari. Omnibus hisce modis hic capitur (est enim indefinita et generalis hæc Apostoli sententia), sed maxime *tertio*, nam *justificari* opponit hic Apostolus *damnari et perire*, sive condemnari, vers. præced. *Primo* ergo « factores legis justificabuntur, » quia opera fidei, timoris, spei, pœnitentiæ, quæ fiunt ex legis præscripto, peccatorem disponunt et præparant ad justitiam, itaque dispositive et meritorie de congruo ex pœnitente faciunt justum eumque justificant.

Justificari tripliciter in Scriptura sumi.

Secundo, quia opera charitatis omnisque virtutis, quæ fiunt ex præscripto legis, si fiant a justo ex charitate aut gratia, de condigno merentur justitiæ augmentum, atque justitiam justi conservant et augent.

Solo fide non sufficit ad justificationem, sed requiritur observantia bonæ actionis.

Tertio, denique, quia eadem declarant operantem esse justum. Qui enim facit justitiam sive opera justa, hic est justus et ab omnibus habetur justus.

Nota, Apostolum supponere hæc opera fieri ex fide et gratia Christi; ait enim de tota legis observatione, deque operibus vere bonis. Deoque acceptis ad vitam æternam, quæ non possunt esse, nisi nascantur ex fide, ut patebit cap. III, in fine. Tantum enim Apostolus hic probare intendit, solam legis notitiam non sufficere ad justitiam, sed insuper ad eam requiri bonam actionem et observantiam legis. Quod valde notandum est contra hæreticos, qui solam fidem volunt justificare. Calvinus, ut hoc Apostoli telum effugiat, respondet Apostolum loqui tantum de justitia politica, ut scilicet, quis videatur justus coram hominibus : ad hanc enim requiri opera externa.

Verum hoc falsum esse patet ex ipsis Apostoli verbis, quibus ait de hisce justificatis : « Justi sunt apud Deum. » Deus ergo (non autem homines, ut vult Calvinus) judicabit eos esse justos, eo quod legem et justa opera legis fecerint, quibus facti sunt justi vel justiores revera apud Deum et in oculis judicioque Dei ; ac consequenter Deus non nude credentibus, sed bonum operantibus reddet quasi mercedem gloriam, et vitam æternam, ut dixit Apostolus vers. 7 et 10. « Justificari ergo apud Deum, » est apud Deum justum fieri, et justum declarari. Apostolus enim τὸ *justificari* hoc versu exponit per τὸ *justum fieri*; cum ergo dicat : non credentes, sed factores legis justificari, patet justitiam non ex fide, qua quis credit, sed ex operibus, quibus facit legem, homini obvenire.

Calvini hæresis de fide sine operibus justificante.

Secundo, idem patet ex eo quod, ut fatetur Beza in cap. III, vers. 20, justitiæ Dei repugnet, ut aliquem pro justo habeat, qui vere justus non sit ; prius ergo factor legis justificari, id est justus fieri, debet, quam a Deo justus declarari possit.

Dices, eum justum fieri et factum esse per fidem præviam operibus, quam fidem et justitiam per fidem jam acceptam postea justus per opera bona declarat et demonstrat : ita ut justificatio proprie fiat per fidem, declaratio vero justificationis postea fiat per opera bona. Verum hoc dici negant. *Primo*, quia, ut dixi, Apostolus pro eodem habet *justificari* et *fieri justum*, ergo cum ait : « Factores legis justificabuntur, » τὸ *justificabuntur* non tantum significat : justi declarabuntur, sed etiam significat : Revera justi fient et erunt.

Triplex argumentum, quo probatur, non per solam fidem, sed per opera homines justificari.

Secundo, hanc responsio ex diametro repugnat verbis Apostoli ; ait enim : « Non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur. » Subsumo, atqui dum quis tantum pure credit per fidem, est tantum auditor, non factor legis : ergo si credens, hoc ipso quo credit, sine operibus, imo ante opera, justificatur, verum erit quod auditor legis, non autem factor legis justificetur, cujus contrarium directe hic asserit Apostolus.

Tertio, quia Judæi credebant Deo et legi ; et tamen contra eos hanc sententiam interquit Apostolus, dicens : « Non auditores, sed factores legis justificabuntur. » Ergo clarum est ex mente Apostoli, non per solam fidem, sed per opera fidei nos justificari.

Objectio-nibus re-spondetur.

Objicit Beza, loco jam citato : Si ex operibus justificamur, ergo Deus non justificat nos, sed ipsi nos facimus justos per opera nostra. Respondeo : *Primo*, idem posse inferri ex fide spe-

culi Beæ, hoc modo : Si credendo Christum pro me esse passum, hoc ipso justificor; ergo justifico me ipsum, hoc enim credere meum est : nam credere est actus non Dei, sed hominis credentis.

Respondeo ergo *secundo*, negando consequentiam ; non enim homo, sed Deus homini præparanti se ad justitiam, atque pœnitenti gratis infundit justitiam : homo ergo pœnitens dicitur se *disponere* ad justitiam ; Deus autem solus proprie dicitur eum justificare. Quod si homo jam justus sit, tum per bona opera meretur quidem augmentum justitiæ, id est charitatis et gratiæ ; sed illud ipsum solus Deus justo infundit, ac consequenter et hunc proprie solus Deus magis justificat.

Ex dictis patet, perperam Calvinum et Bezam hunc locum Apostoli sic exponere, quasi in se quidem verus sit, sed tamen contineat conditionem et rem impossibilem, *q. d.* Apostolus : Si quis facere posset legem, hic justificaretur ; verum, quia nemo potest facere legem, utpote cum omnes sint peccatores, hac de causa quærenda est alia justificatio, ut scilicet justificemur non ex operibus, sed ex fide Christi, per quam justitia Christi nobis applicetur et imputetur : itaque fiamus justi, non justitia operum nobis inhærente, sed justitia Christi nobis imputata. Hæc enim sunt tria principia et axiomata Calvini. *Primum* : « Impossibile est nobis præstare quæ lex jubet. » *Secundum* : « Promissio legalis annexa conditioni impossibili nihil probat. Talis est : Si sis factor legis, justificaberis. » *Tertium* : « Qui præ aliis multum progressi sunt (inquit Calvinus, lib. III *Instit.*, cap. XIX, sect. 4) in via Domini, si legem Domini intuecantur, quidquid tentant aut meditantur operis, maledictum esse vident. » Equidem talem esse Calvini ejusque sequacium progressum in via Domini facile credierim. Verum hæc expositio perversa, violenta, inepta et blasphema est, planeque evertit et pervertit sententiam et mentem Apostoli. Nam *primo*, Apostolus hic nostram justitiam non in auditu, nec in fide, sed in factura et impletione legis fidei, constituit, uti jam ostendi ; ergo si nulla, imo impossibilis est hæc justitia, quæ consistit in observatione legis, nulla prorsus erit in homine justitia, eritque justitia hominis impossibilis.

Id rursum plane patet ex iis quæ dixit Paulus in præced. vers. 5, 6, 9, ad quos hic respicit et refert sese : ibi enim dixit, quod Deus reddet unicuique secundum opera, scilicet, quod iis qui sunt secundum patientiam boni operis, reddet vitam æternam ; quodque gloria, honor et pax sit omni operanti bonum. Si enim bono operi et bene operanti quasi merces redditur gloria et vita æterna, ergo in bono opere sita est justitia : nam vita æterna nonnisi justitiæ est merces et præmium.

Secundo, hæc propositio : « Factores legis justificabuntur, » non est conditionalis, ut patet, sed assertiva ; sicuti ergo, si dicas : Non spectatores, sed luctatores et victores in agone coronabuntur, recte ex hac propositione inferam, aliquos posse esse victores, posseque luctari et vincere in agone ; ita pariter, cum ait Apostolus : « Non auditores, sed factores legis justificabuntur, » recte inde sequitur aliquos posse esse factores legis, posseque facere et implere legem. Unde et subdit Apostolus hic, quod « Gentes naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt. »

Tertio, si hæc Apostoli propositio est conditionalis, habens conditionem impossibilem, ergo est impossibilis, significatque rem impossibilem. Nam cum conditio est impossibilis, etiam id quod hanc conditionem requirit, est impossibile. Ut si dicam : Homo habens alas volare potest ; hæc propositio est quidem conditionate vera, absolute tamen est falsa et impossibilis. Nam cum conditio, scilicet habere alas, sit homini impossibilis, impossibile quoque homini est volare, quod hanc conditionem, scilicet alas, requirit. Pari ergo modo justitia homini erit impossibilis, cum conditio, quam requirit hic Apostolus, scilicet factura legis, sit homini impossibilis, secundum Calvinum ; ac consequenter, secundum Calvinum, hæc Apostoli propositio : « Factores legis justificabuntur, » simpliciter et absolute erit falsa.

Quarto, dicere quod homini, etiam per gratiam Christi adjuto, legem implere sit impossibile, est ingens blasphemia in Deum et in Christum : hoc enim reipsa est dicere Deum esse tyrannum, utpote qui præciplat nobis impossibilia ; legem enim Dei, sive quam præcipit Deus implere, secundum Calvinum nobis est impossibile. Rursum, hoc ipsum est dicere Christum non sufficienter nos redemisse, Christique gratiam esse infirmam et inefficacem ad implendam legem, et ad superandum peccatum.

Vere et christiane S. Augustinus, et ex eo Concilium Arausicanum et Tridentinum, sess. VI, cap. XI : « Deus, inquit, impossibilia non jubet, sed jubendo monet et facere quod possis, et petere quod non possis, et adjuvat ut possis. »

14. CUM ENIM GENTES, QUÆ LEGEM NON HABENT, NATURALITER EA, QUÆ LEGIS SUNT, FACIUNT, EJUSMODI LEGEM NON HABENTES, IPSI SIBI SUNT LEX. — Occurrit hic Paulus tacitæ objectioni : Quomodo Gentes, si legem non habent, possunt contra legem peccare? Respondet eas aliam habere legem naturaliter inditam, quam faciunt, et contra quam peccant. Itaque sibi ipsi sunt lex, id est instar legis, qua damnantur. Redit enim ad vers. 12, quasi ad scopum hujus capitis et præcedentis, scilicet, ut probet tam eos, qui sub lege, quam eos, qui sine lege vixerunt, id est tam Judæos, quam Gentiles peccatores esse et opus habere fide et gratia Christi.

Dices : Quomodo Gentes naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt?

Respondet privo Zuinglius : Numa, inquit,

Cato, Scipio et similes Gentiles probi et justi sine fide Christi salvi facti sunt naturaliter, id est virtute legis naturalis quam servabant. Sed Lutherus hoc arguit ut Pelagianum, et recte : id enim docuit hic Origenes, qui semina jecit pelagianismi, et ipse Pelagius, epist. *ad Demetriadem* : ne proinde hæc ejus expositio damnata est a Concilio Milevitano, *can.* 5.

Secundo, S. Thomas, et moderni Andreas Vega, lib. VI *in Concil. Trident.*, cap. XXI, volunt Apostolum loqui de Gentibus, quæ cognitionem quidem Dei, boni et mali tantum habent naturalem ; sed tamen in voluntate habent supernaturale gratiæ auxilium quo legem totam impleant et Deo placeant. Verum hoc aperte oppugnat Michael Medina, lib. IV *De Recta fide*, cap. VII. Nam certum est ex Apostolo, *Hebr.* XI, 6, et ex toto cursu fidei, atque ex Concilio Tridentino, *sess.* VI, *can.* 3, sine fide et cognitione supernaturali impossibile esse legem implere et justificari, ac Deo placere.

Hinc cognitionem supernaturalem impossibile est justificari.

Tertio, Lyranus censet Apostolum loqui de Gentibus, quibus Evangelium necdum erat prædicatum, habentibus fidem supernaturalem unius Dei, sed non Christi, qui servantes legis naturalis præcepta salvabantur. Verum et hoc falsum est. Nam semper fides saltem implicita Christi et observatio legis charitatis, quæ est supernaturalis, fuit necessaria ad salutem.

Lyrani explicatio rejicitur.

Quarto, Commentarius adscriptus S. Ambrosio hunc locum explicat de Gentibus fidelibus. Hæ, inquit, faciunt legem, id est credunt in Christum naturaliter, quia recta ratio naturalis testatur eis fidem Christi, tot miraculis et signis testatam, esse amplectendam. Sed hoc contortum est, nec satisfacit : quia licet Gentes sic crederent naturaliter, tamen naturaliter non implerent legem ; quod tamen hic asserit Apostolus.

Quinto, melius S. Augustinus, *De Spirit. et Litt.*, a cap. XXVI ad XXX ; Prosper, *Contra Collat.*, XXII ; Fulgentius, *De Gratia Christi*, cap. XXVI, Anselmus et Pererius putant Apostolum loqui de Gentibus conversis ad fidem Christi, quæ naturaliter, id est non ex lege Mosaica, sed natura per Christi gratiam (quæ naturæ conformis est : sicut enim vitium est contra naturam, ita virtus et gratia est secundum naturam illique conformis) sanata, reparata et roborata, legem implent ; de his enim immediate ante dixit : « Factores legis justificabuntur. » Et vers. 10 : « Gloria et pax omni operanti bonum, Judæo primum et Græco. » De his etiam agit vers. 26 et 28.

Hinc refertur et Salmeronis expositio : loqui scilicet Apostolum de Gentibus ante Christum pie et sancte in lege naturæ Deo servientibus, per fidem et gratiam Dei ; quales fuerunt Job, Jethro, Melchisedech, Naaman Syrus et alii.

Sexto, planius et plenius ad litteram Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Œcumenius, Primasius, Sedulius, Haymo, Cyprianus, lib. III *ad Quirinum*, cap. XCIX ; Hieronymus *ad Algas.*, Quæst. VIII (S. Augustinus etiam, cap. XXVIII jam citato, expositionem hanc admittit, licet priorem præferat), D. Soto, Cajetanus et passim recentiores, accipiunt hunc locum Apostoli de Gentibus in gentilismo viventibus ; itaque debere accipi patet, ex voce *naturaliter et quæ legem non habent*, scriptam scilicet Mosis, vel Christi (nam Gentes ad Christum conversæ habent legem Evangelicam, quæ plenior et perfectior lex est, quam fuerit lex Mosis data Judæis), sed tantum conscientiæ legem et vermem accusantem et defendentem habent. Idipsum *secundo*, patet ex eo quod hic Apostolus probare velit tam Gentes, quam Judæos egere gratia et fide Christi : ergo tam hos, quam illos intelligit, qui sine fide Christi sunt, *v. d.* Nolite superbire, o Judæi, contra et supra Gentes, propter legem Mosaicam, quasi auditores legis justificentur : Gentes enim non habentes scriptam legem, illam naturaliter habent inditam, quæ eos dirigit et impellit, ut pleraque opera legis naturalis perficiant naturaliter, id est ductu, lumine et virtute naturæ (1).

Dices cum S. Augustino : Paulo ante dixit Apostolus, « Factores legis justificabuntur ; » atqui Gentes sine fide non possunt justificari : ergo cum eas vocat factores legis, non intelligit illas sine fide, sed conversas ad fidem.

Respondeo : « Factores legis, » scilicet totius, « justificabuntur ; » Gentes autem licet faciant ea legis quæ facilia sunt, ut honorare parentes, dare eleemosynam, cavere furta et cædes, non tamen possunt totam legem facere et implere sine fide et gratia Christi, tum quia legem fidei, spei, charitatis, et alias quæ supernaturales sunt, per naturam et naturæ vires implere non possunt ; tum quia etiam difficiles leges naturæ, ut, Non concupisces, diliges Deum magis quam te et alias quasvis, si ingruat gravis tentatio, sine ope et viribus gratiæ implere non possunt. Nam gravi tentationi diu suis viribus resistere nequeunt, sed ad hoc egent gratia Dei. Ubi diligenter attende : Non dicit Apostolus, Gentes facere, vel implere legem ; sed « ea quæ legis sunt, » id est aliqua, puta faciliora, legis præcepta facere : cum vero ait, justificari eos, qui faciunt, non dicit « ea quæ legis sunt, » sed legem, scilicet totam et integram. Hoc autem fieri nequit sine fide et gratia Christi.

Gentiles sine fide Christi possunt aliqua legis præcepta implere, non tamen omnia.

Interdum legem facientes justificabuntur.

15 et 16. QUI OSTENDUNT OPUS LEGIS SCRIPTUM IN CORDIBUS SUIS, TESTIMONIUM REDDENTE ILLIS CONSCIENTIA IPSORUM, ET INTER SE INVICEM COGITATIONIBUS (ita legendum est cum S. Cypriano et Bibliis Romanis, non *cogitationum*, uti legunt alii) ACCUSANTIBUS, AUT ETIAM DEFENDENTIBUS, IN DIE CUM

(1) Igitur cum φύσει h. l. opponatur νόμῳ, non significat ingenium prava educatione corruptum, sed sanam naturæ rationis, cujus facultas hominі agnata est. Sic τὸ δίκαιον φύσει, et τὸ δίκαιον θέσει distinguit **Aristoteles**, ac jurisperiti jus naturale ac civile.

JUDICABIT DEUS OCCULTA HOMINUM, SECUNDUM EVANGELIUM MEUM, PER JESUM CHRISTUM. — Pro *cogitationibus*, græce est λογισμῶν, id est ratiocinationibus, vel disceptationibus, « accusantibus, » scilicet hominem, etiam Gentilem, cum male agit (ut quod pollutio sit peccatum, dictat homini naturaliter conscientia : quia de ea juvenes erubescunt, unguntur, et in aliis judicant illam esse rem a ratione et naturali honestate et pudore abhorrentem, fœdam et turpem), et « defendentibus » hominem, cum bene agit : quibus scilicet cogitationibus et disceptationibus conscientia utitur, ut hominem bene aut male egisse convincat, quæ conscientia testis est omni exceptione major, Gentes habere legem menti inditam ; isque testis maxime apparebit « in die judicii, » ubi propria conscientia, vel excusabit, vel accusabit quemque apud Deum, qui judicabit « per » hominem « Jesum Christum. » Ita Theophylactus.

Nota hic insigne documentum morale. In basilica cordis humani Deus tribunal constituit, legesque in ejus tabulis incidit digito suo, rationem creavit judicem, conscientiam actorem, testes cogitationes, quæ vel accusant vel defendunt ipsum hominem reum. Hoc enim hisce verbis clare significat Paulus. Et hoc voluit Menander, cum dixit : Βροτοῖς ἅπασι συνέδριον ἐστι θεός, id est, Mortalibus cunctis conscientia est Deus, id est instar et vice Dei. Et Psaltes, *Psal.* IV, 6, cum ait : « Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine. » Hinc ad judicium hoc ipsius hominis causas Deum retulisse legimus : nam Davidi proposita est causa propria sub specie litis alienæ, et rogatus judicium tulit contra seipsum sententiam dicens : « Vivit Dominus, quoniam filius mortis est vir qui hoc fecit, » II *Reg.* XII, 5. Et ab Achab simili stratagemate exorta est adversus seipsum mortis damnatio, illis verbis pronuntiata : « Hoc est judicium tuum, quod ipse decrevisti, » III *Reg.* XX, 40. Et quorsum ista, rogabis, ænigmata ? ne sciret humani cordis vafrities delictum suum elevaret, et Dei justitiam criminaretur, data opera est, ut ipse reus peccati gravitatem liber ab affectu examinans, contra seipsum pro meritis supplicium decerneret. Atque hoc sibi voluit Deus, cum protestatur : « Tibi soli peccavi, etc., ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris, » id est, ego me fateor graviter deliquisse, et hac confessione tua resplendeat justitia, et obtrectatorum ora claudantur.

Merito fidelis David delictum suum palam fatetur ; audet enim aliquando cor humanum sagax Deo ipsi mentiri velle, ut videre est apud Jeremiam, cap. II, vers. 23 : « Quomodo dicis : Non sum polluta, post Baalim non ambulavi ? vide vias tuas in convalle, » etc. Et iterum, vers. 33 : « Quid niteris bonam ostendere viam tuam ? Ego judicio contendam tecum, eo quod dixeris : Non peccavi, » etc. Et Petrus ait *Act.* V, 3 : « Cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto ? » Et Achaz ad Isaiam, cap. VII, vers. 12 : « Non petam, inquit, et non tentabo Dominum. » De Deo se bene mereri dixit impius Achaz, quod nolit illum tentare, cum revera illi potius diffidat. Et Saul gloriatur I *Reg.* XV, 20, dicens : « Imo audivi vocem Domini, et ambulavi in via, per quam misit me Dominus, etc. Tulit autem de præda populus oves et boves, ut immolet Domino, » etc. Sed infra se prodit : « Peccavi timens populum, et obediens voci eorum. » Has ergo larvatas et mendaces conscientiæ excusationes revelat et dispellit Deus, cum conscientiam sibi ipsi ob oculos ponit, ut ipsa se accuset et condemnet, quod maxime faciet in die judicii, ideoque addit Apostolus dicens : « In die, cum judicabit Deus occulta hominum. » Ita Prado, in cap. VIII *Ezechiel.*

Jam si ita conscientia nostra nosipsos, imo seipsam accusabit in die judicii, cogita quomodo te accusabunt dæmones tui jurati hostes. Audi S. Augustinum in *Conc. ad catechum.*, tom. VI : « Præsto erit adversarius diabolus, recitabuntur verba professionis nostræ. Et si talis inventus fuerit quisque, ut debitor ex hac vita migret : exultabit ille adversarius in conspectu severissimi judicis, superiorem se esse declamans, agensque talem causam apud talem judicem : Æquissime, inquiet, judex judica ; justitia et judicium præparatio sedis tuæ. Judica meum esse, qui tuus esse noluit ; meus est, mecum damnandus est. Post renuntiationem, ut quid invasit pannos meos ? Quid apud eum impudicitia faciebat, cui ipse renuntiaverat ? Quid intemperantia, quid avaritia, quid ira, quid cætera mea ? Postremo, æquissime fugientem a me, confugientem ad te, postea cum meis quibus renuntiaverat, apprehendi, invasorem detinui. In ipsa quodammodo mea possessione a me apprehensus est. Quid in theatro faciebat renuntiator turpium voluptatum ? Thesaurizavit sibi iram in die iræ. Hæc omnia mea post renuntiationem invasit, meus esse voluit, et mea concupivit judicia ; judica æquissime, quoniam quem tu non dedignatus es tanto pretio liberare, ipse mihi se postmodum voluit obligare. Poteritne os aperire is, qui post professionem suam talis inventur, ut juste diabolo addicatur ? » Unde concludit : « Videte quid agatis, filii mei, fratres mei, videte quid agatis, quomodo hanc professionem vestram custodiatis. Contestamur vobis ipsum judicem, omnesque potestates cœlestes, quæ et nos audiunt admonentes, et vos excipiunt profitentes, ne in vacuum gratiam recipiatis ; sed corde integro, tota virtute renuntiate tam damnosam diaboli hereditatem. »

SECUNDUM EVANGELIUM MEUM, — secundum quod de die judicii ejusque pœnis et præmiis evangelizare et docere soleo, edoctus a Christo : ait Theophylactus.

Hinc disce, contra hæreticos ad Evangelium pertinere, non solum prædicationem fidei gra-

tiæ et salutis per Christum promissæ, sed etiam iosa judicii, quo Deus reddet unicuique secundum opera sua, ut hic ait Apostolus.

17. SI AUTEM TU JUDÆUS COGNOMINARIS, ET REQUIESCIS IN LEGE. — Supple ex præced. : Et tamen ipsam legem non facis, nec observas ; gravius hac de causa damnaberis, *q. d.* Si tu, o Judæe, gloriaris, quod sis Judæus, quodque legis sis peritus, ita ut in doctrina legis conquiescas, et tamen legem ipsam non facis, non imples, merito sane acerbius punieris. Pro *si autem*, legit noster Interpres εἰ δέ. Sic etiam legit Origenes, Ambrosius et Theophylactus. Jam legunt Græce ὦσι, *esse*, ita quoque legunt Theodoretus et Œcumenius, et sic sententia independens est et absoluta.

18. ET PROBAS UTILIORA. — Græce : τὰ διαφέροντα, quod alii vertunt, *examinas ea quæ discrepant*. Sed noster Interpres planissime Theophylacto vertit, *probas utiliora* : quia, ut recte Budæus annotavit, διαφέρειν aliquando idem est, quod συμφέρειν, id est utile esse.

19 et 20. CONFIDIS TEIPSUM ESSE DUCEM CÆCORUM, etc. HABENTEM FORMAM SCIENTIÆ ET VERITATIS IN LEGE. — « Habentem formam, » Græce μόρφωσιν, id est formationem, formulam, regulam agendorum et credendorum, *q. d.* Putas, o Judæe, te habere in lege, quæ alios doceas eamdem legem, scientiam et cultum Dei, ut eos ad virtutem et pietatem efformes, ita Theophylactus.

21. QUI ERGO ALIUM DOCES, TEIPSUM NON DOCES : QUI PRÆDICAS NON FURANDUM, FURARIS. — Pulchre et vere S. Prosper : « Bene, inquit, docere et male vivere, quid aliud est quam se sua voce damnare ? » Et S. Bernardus, lib. II *De Consider. ad Eugen.*, ante medium : « Monstrosa, inquit, res est gradus summus, et animus infimus ; sedes prima, et vita ima ; lingua magniloqua, et manus otiosa ; sermo multus, et fructus nullus ; vultus gravis, et actus levis ; ingens auctoritas, et nutans stabilitas : facies rugosa, et lingua nugosa. » Idem Bernardus, serm. 3 *in Vigil. Nativ. Domin.*, damnat eam doctrinam, quæ operibus bonis destituitur, « olamque veram esse scientiam docet eam, quæ vitam componit et mores emendat : « Scientia, inquit, ista in primo gradu operatur pœnitudinem et dolorem, ut risum in luctum, cantum in planctum, gaudium in mœrorem convertat : et incipiant tibi displicere, quæ vehementer ante placuerant, et illa specialiter horreas, quæ specialiter et appetebas. Sic enim scriptum est : Quia qui addit scientiam, addit et dolorem, ut veracis et sanctæ scientiæ sit dolor subsequens argumentum. In secundo vero gradu operatur correctionem, ut jam non exhibeas membra tua arma iniquitatis peccato, sed coerceas gulam, jugules luxuriam, superbiam deprimas et facias servire corpus sanctitati, quod iniquitati ante servierat. Pœnitudo enim sine correctione non proderit, sicut Sapiens ait : Unus ædificans, et unus destruens, quid prodest ei nisi labor ? qui enim baptizatur a mortuo, et iterum tangit eum, nihil proficit lavatio ejus. Sed quia hæc diutius haberi non possunt, nisi circa se multa circumspectione mens indefessa vigilet et attendat, in tertio gradu operatur sollicitudinem, ut jam sollicitus incipiat ambulare cum Deo suo et ex omni parte scrutetur, ne vel levissima re, tremendæ illius majestatis offendatur aspectus. In pœnitudine accenditur, in correctione ardet, in sollicitudine lucet, ut interius et exterius renovetur. »

Doctrina bonis operibus destituta, damnabilis.

In Vitis Patrum, lib. V, cap. X, ait Abbas Pastor : « Si quis docet aliquid et non facit quod docet, similis est puteo, qui omnes ad se venientes satiat et sordes delet ; seipsum autem purgare non potest, sed omnis spurcitia et immunditia in eo est. »

22. QUI ABOMINARIS IDOLA, SACRILEGIUM FACIS, — dum scilicet avaritia victus, res idolis consecratas, vel dæmonibus immolatas, contra legem usurpas, ait S. Chrysostomus et Theophylactus ; vel etiam dum vota violas, aut res sacras suffuraris, aut vendis et profanas. Hoc enim est sacrilegium, et qui hoc facit, est sacrilegus.

23. CIRCUMCISIO QUIDEM PRODEST, SI LEGEM OBSERVES. — « Circumcisio prodest, » non per se ad justificandum saltem adultos ; sed quia facit te esse ex populo Dei signato, cui Deus credidit sua eloquia, ut ait Paulus, cap. seq., vers. 2. Erat enim circumcisio *primo*, signum distinctivum populi Dei ab aliis populis, qui verbi Dei ac cultus divini, veræque religionis et pietatis erat hæres.

Secundo, erat signum rememorativum peccati originalis, quod per generationem in posteros transfunditur : hæc enim generatio, et consequenter transfusio peccati originalis fit membro illo, quod circumcidebatur.

Tertio, circumcisio erat signum præfiguralivum Messiæ, pariter et participativum : nam circumcisis primo Messias et Evangelium, uti promissum, ita et revelatum est.

Quarto, erat signum commonitorium circumcisionis spiritalis, ut scilicet vitia a corde suo resecarent.

26. SI AUTEM PRÆVARICATOR LEGIS SIS, CIRCUMCISIO TUA PRÆPUTIUM FACTA EST, — *q. d.* Si legem violes, licet circumcisus sis, perinde tamen es, ac si præputium haberes et gentilismum induisses. Reprimit hic Paulus arrogantiam Judæorum gloriantium de sua circumcisione, ita Theophylactus.

SI IGITUR PRÆPUTIUM (id est præputiatus Gentilis) JUSTITIAS LEGIS CUSTODIAT, NONNE PRÆPUTIUM ILLIUS IN CIRCUMCISIONEM REPUTABITUR ? — *q. d.* Si Gentilis legem custodiat, tunc incircumcisio illi non oberit, sed reputabitur potius ac si esset circumcisus, quia custodia legis tantum, imo amplius illi valebit, quam Judæo valeat circumcisio : quia, ut Theophylactus ait, vera circumcisio est præcisio non carnis, sed peccatorum, sive est ipsa actio vera et bona præcisa a vitiis ; præputium vero est mala et turpis actio.

Nota, « præputium » hic posteriore loco capi proprie pro incircumcisione, priore vero capi pro præputiato, id est Gentili. Sic etiam capitur vers. 27, et sæpe inferius. Per hebraismum enim ponitur abstractum pro concreto. Vide *Can.* 21. Adde, quod Judæi ad majorem Gentilium detestationem, vocabant eos non præputiatos, sed « præputium ; » se vero ad majorem honorem vocabant non circumcisos, sed « circumcisionem, » ut patet *Ephes.* II, vers. 11.

Nota *secundo* : Præcepta moralia vocantur hic *justitiæ*, Græce δικαιώματα, id est justificationes legis, quia præscribunt id quod æquum et justum est, quodque hominem justum facit, ut dixi *Psalm.* CXVIII, in initio.

27. ET JUDICABIT (id est, damnabit) ID QUOD EX NATURA EST PRÆPUTIUM (id est, ex genere et nativitate præputiatus, sive Gentilis ; sic *Galat.* II, 15, dicitur : « Nos natura, » id est, genere et prosapia, « Judæi »), LEGEM CONSUMMANS (puta, si legem faciat et consummet), TE, QUI PER LITTERAM ET CIRCUMCISIONEM (id est te, qui habes litteram legis et circumcisionem, et tamen) PRÆVARICATOR LEGIS ES.

Nota græcismum, *per litteram*, id est, habens litteram. Sic enim sumitur a Græcis διά. Simile est 1 *Timoth.* II, 15 : « Salvabitur per filiorum generationem, » id est salvabitur filios generans, « si permanserit in fide, » etc.

Secundo, tamen et melius τὸν per proprie hic capias : quia littera nuda legis sine Christi gratia irritat concupiscentiam et peccatum, ut ait Paulus cap. VII, vers. 13. Hinc II *Cor.* III, 6 et 7, ait, litteram legis occidere, et Mosis ministerium in legislatione vocat « ministrationem mortis et condemnationis : » hinc rursum, I *ad Corinthios* XV, 56, dicit quod « virtus peccati » sit *lex*. Sic ergo Judæus per litteram, sive legem, quasi occasionem incitantem, prævaricator est legis.

Nota *secundo* : Solet Apostolus legem Mosaicam vocare γράμμα, id est *litteram*, vel *scripturam*.

Primo, quia illa lex a Deo in tabulis lapideis fuit scripta.

Secundo, quia lex hæc indicabat Christum et ad eum homines deducebat : sicut scriptura et littera indicat conceptum scribentis, ipsamque rem quæ scribitur.

Tertio, quia lex nuda et a Christo separata erat, quasi γράμμα, id est quasi mortua quædam scriptura, quæ ad salutem parum, vel nihil proderat ; quia videlicet morbum, puta peccatum et concupiscentiam in visceribus nostris latentem indicare duntaxat, non autem sanare poterat : quin vero eamdem magis irritabat et acuebat, uti jam dixi. Hæc de causa litteræ huic Apostolus opponit spiritum et gratiam Christi animas vivificantem.

28. NON ENIM QUI IN MANIFESTO JUDÆUS EST (per externam et publicam Judaismi observationem et professionem) : NEQUE QUÆ IN MANIFESTO, IN CARNE, EST CIRCUMCISIO. — Subaudi, hic vere apud Deum Judæus placens Judæus, hæc vera Deoque placens circumcisio est.

29. SED QUI IN ABSCONDITO JUDÆUS EST, — qui scilicet in corde et spiritu, per legis observantiam, fidem et gratiam, Christum (qui scopus est legis, quemque lex tota clamat et profitetur) confitetur. Subaudi, hic vere apud Deum Judæus est, et filius Abrahæ spiritalis. Alludit ad nomen patriarchæ Judæ (ab hoc enim, utpote patriarcha, omnes posteri dicti sunt Judæi, non autem a Judâ Machabæo, ut aliqui opinati sunt) ; hebraice enim dictus est יְהוּדָה *Jehuda*, id est confitens, sive laudans, scilicet Deum, *Genes.* cap. XXIX, XXXV et XLIX, vers. 8. Sic a Juda natus Judæus est confitens Deum, in Christo, quasi Messia a Deo misso, qui tum ex Deo, tum ex Juda et Judæis natus est : juxta promissa Judæ facta, *Genes.* XLIX, 10.

Judæus significat hebraice confitens et laudans Deum.

ET CIRCUMCISIO CORDIS, — quæ cor, id est mentem, circumcidit a vitiis et passionibus, scilicet, hæc vera et Deo grata est circumcisio. Vide S. Cyprianum, tractatu *De Circumcisionis ratione*, tom. III.

Triplex genus circumcisionis cordis.

IN SPIRITU, NON LITTERA. — *Primo*, Toletus sic explicat, *q. d.* Hæc circumcisio cordis fit « in spiritu, » id est, in anima per præcisionem vitiorum ; « non littera, » id est, non in corpore, cujus circumcisio jussa est littera legis.

Secundo, hæc cordis circumcisio fit spiritu, id est secundum sensum spiritalem legis, non autem litteralem, qui est de circumcisione carnali. Ita S. Augustinus.

Tertio, hæc circumcisio cordis fit « spiritu, » id est gratia adjuvante et sanante, non « littera » docente et minante, id est fit per gratiam, non per legem. Ita S. Augustinus, *De Spir. et Litt.*, cap. VIII. Hoc tertium magis genuinum est, magisque ex mente ac phrasi Apostoli. Sic enim ipse loquitur II *Cor.* III, 6.

Quarto, concinnius ad Græca Maldonatus, τὸ *in spiritu, non littera*, refert non ad τὸ *circumcisio* (hæc enim non fit in littera, sed in carne), sed ad τὸ *Judæus*, *q. d.* Non qui scripta legit, legisque littera, sed qui animo et spiritu Judæus est. Judæum enim esse vocat legem habere. Id constat ex relativo ὦ, id est *cujus*, uti jam dicam.

CUJUS (scilicet Judæi, non autem circumcisionis : Græcum enim ὦ, cum sit masculinum, Judæum respicit, non circumcisionem) LAUS NON EX HOMINIBUS, SED EX DEO EST, — *q. d.* Talis absconditi, interni et spiritalis Judæi laudator est Deus cardiognostes. Ita Œcumenius. Vel *secundo*, « cujus laus est, » cujus laus quæritur et exspectatur a Deo, *q. d.* Qui se Deo interius, non autem hominibus exterius probare et placere contendit, qui

non ab hominibus, sed a Deo laudari cupit et quærit, hic vere Judæus est spiritalis, eo sensu quem dixi vers. 28.

Cur Deus circumcisionem instituerit, cum alia parte corporis humani?

Hinc tropologice S. Hieronymus (vel potius Paulinus, ut vult Erasmus; aut certe Maximus Taurinensis, ut vult Marianus), epist. *ad Ternasiam*, de vera circumcisione, quæ extat tom. IV operum S. Hieronymi, quærit cur Deus, non in aure, digito aliave patenti corporis parte, sed in membro, quod absconditum est, circumcisionem instituerit. Et respondet, hancque dat causam : « Illud, inquit, figuravit Dominus, quod postmodum monstravit, ne justitiam nostram coram hominibus faceremus; sed in occulto, coram eo solo, cui soli nihil est occultum, et quem solum remunneratorem bonorum novimus esse factorum. Unde non in carne palam, sed in occulto cordis Judæi esse debemus, non littera, sed spiritu. Nam littera oculis subjacet nostris, spiritus nobis carnalem refugit aspectum, ut laus juxta Apostolum ex Deo, non ex hominibus acquiratur. »

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ex dictis cap. I et II concludit omnes homines, tam Judæos, quam Gentiles, esse sub peccato, et egere gratia Christi.

Primo ergo, ne Judæos offendat, dicit eos præcellere Gentibus in eo quod Judæis credita sint eloquia et promissa Dei, quæ Deus fideliter adimplet, etiamsi nonnulli eorum fuerint et sint increduli : est enim Deus verax; omnis autem homo mendax.

Secundo, vers. 9, æquat Judæos Gentibus, in eo quod omnes sint sub peccato, idque multis Scripturæ testimoniis probat.

Tertio, vers 20, docet eosdem a peccato liberari et justificari, non ex operibus legis, in quibus gloriabantur Judæi, sed ex fide in Christum propitiatorem.

1. Quid ergo amplius Judæo est? aut quæ utilitas circumcisionis? 2. Multum per omnem modum. Primum quidem, quia credita sunt illis eloquia Dei; 3. quid enim si quidam illorum non crediderunt? Numquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit? Absit. 4. Est autem Deus verax : omnis autem homo mendax, sicut scriptum est : Ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris. 5. Si autem iniquitas nostra justitiam Dei commendat, quid dicemus? Numquid iniquus est Deus, qui infert iram? 6. (secundum hominem dico.) Absit. Alioquin quomodo judicabit Deus hunc mundum? 7. Si enim veritas Dei in meo mendacio abundavit in gloriam ipsius : quid adhuc et ego tanquam peccator judicor? 8. et non (sicut blasphemamur, et sicut aiunt quidam nos dicere) faciamus mala ut veniant bona : quorum damnatio justa est. 9. Quid ergo? præcellimus eos? Nequaquam. Causati enim sumus, Judæos et Græcos omnes sub peccato esse, 10. sicut scriptum est : Quia non est justus quisquam : 11. non est intelligens, non est requirens Deum. 12. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. 13. Sepulcrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant : Venenum aspidum sub labiis eorum. 14. Quorum os maledictione et amaritudine plenum est : 15. Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. 16. Contritio et infelicitas in viis eorum : 17. et viam pacis non cognoverunt. 18. Non est timor Dei ante oculos eorum. 19. Scimus autem, quoniam quæcumque lex loquitur, iis qui in lege sunt, loquitur; ut omne os obstruatur, et subditus fiat omnis mundus Deo : 20. quia ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo. Per legem enim cognitio peccati. 21. Nunc autem sine lege justitia Dei manifestata est : testificata a lege et Prophetis. 22. Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi in omnes et super omnes qui credunt in eum : non enim est distinctio. 23. Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei. 24. Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, 25. quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum, 26. in sustentatione Dei, ad ostensionem justitiæ ejus in hoc tempore : ut sit ipse justus, et justificans eum, qui est ex fide Jesu Christi. 27. Ubi est ergo gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? Factorum? Non : sed per legem fidei. 28. Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus legis. 29. An Judæorum Deus tantum? nonne et Gentium? immo et Gentium. 30. Quoniam quidem unus est Deus, qui justificat circumcisionem ex fide, et præputium per fidem. 31. Legem ergo destruimus per fidem? Absit : sed legem statuimus.

Vers. 1. Judæi præ Gentilibus excellentia.

1. QUID ERGO AMPLIUS JUDÆO EST? — Occurrit hic Apostolus objectioni, *q. d.* Si vera sunt quæ dixi cap. II de inani Judæorum lege et circumcisione, quodque Deus Gentilem æque ac Judæum præmiet, si servet legem, et puniat, si eam non servet : ergo in nullo videtur Judæus præcellere Gentilem. Respondet, negando id ex dictis suis sequi. Ostendit ergo hic, in quibus Judæus præcellat Gentilem.

Nota : pro *quid amplius*, græce est τί τὸ περισσόν, id est quid eximium Judæo est? quid magni, quid insigne et illustre habet Judæus præ Gentili? περισσὸν enim aliquando supervacaneum, aliquando ἐξαίρετον, id est selectum et eximium significat.

2. AUT QUÆ UTILITAS CIRCUMCISIONIS? MULTUM, — scilicet utilis est circumcisio, multumque amplius habet Judæus, quam Gentilis.

PER OMNEM MODUM, — id est omnino, omnimode.

PRIMUM QUIDEM, QUIA CREDITA SUNT ILLIS ELOQUIA DEI. — Aliqui putant τὸ *primum* tantum esse exordium sententiæ sermonis.

Secundo, Origenes censet τὸ πρῶτον esse principium enarrationis et enumerationis, quasi Apostolus in sequentibus multa Judæorum privilegia enumeret; quod tamen nusquam apparet.

Judæi præcellunt Gentibus in posse et esse. Scripturæ Veteris et eloquium Dei.

Unde *tertio*, optime S. Ambrosius : *primum*, inquit, id est præcipuum, primarium, et unum e primis est, quod Deus illis, Judæis scilicet, tanquam populo præ aliis selecto, et circumcisione distincto, quasi depositarii et custodibus credidit velut depositum « eloquia sua, » id est, ut Chrysostomus et Theodoretus, legem suam; et ut alii, Scripturas sacras, in iisque promissiones et pacta divina, futurorumque mysteriorum prædictiones : hæc enim sunt eloquia vetera Dei. Unde græce est λόγια, *q. d.* oracula, teste Hesychio; hæc enim primitus Judæis a Deo sunt revelata illisque scripto per Prophetas tradita : ita ut illa non nisi per Judæos ad Gentiles devenerint. Hæc ergo eloquia Dei solum affert Apostolus, quibus Judæus præcellit Gentilem; licet plura alia afferre potuisset, ut divinam erga Judæos benevolentiam, protectionem et beneficentiam, veram fidem et religionem, miracula, sacramenta, sacrificia, sanctos Prophetas, judices, reges, Messiam eis promissum, et ex eis natum, atque his similia : hæc, inquam, afferre hic potuisset Apostolus; sed noluit, quia hæc omnia vel explicite, vel implicite continentur in eloquiis *Dei*. Unde subdit Apostolus :

Vers. 3. Deus fidelis in promissis suis, licet homo sit infidelis.

3. QUID ENIM SI QUIDAM ILLORUM NON CREDIDERUNT? NUMQUID INCREDULITAS EORUM FIDEM DEI EVACUABIT? — Occurrit novæ objectioni : Quomodo credita sunt Judæis eloquia Dei, cum multi eorum iis non crediderint? Respondet : Esto aliqui non crediderint, Deus tamen ex parte sua credidit eis sua eloquia ac promissa, eaque fideliter adimplevit : nec enim hominum incredulitas vel infidelitas evacuare vel enervare potest Dei fidem, id est fidelitatem, ut scilicet Deus non stet promissis, quæ fecit patribus, maxime de Messia ex Judæis nasciturо, omnesque fideles justificaturo, in eloquiis S. Scripturæ ipsis creditæ. Hic vides per *eloquia Dei* complecti Apostolum promissa Dei.

Nota : Objicit sibi hanc Judæorum incredulitatem Apostolus, ut quasi aliud agens, pungat et perstringat eorum infidelitatem, qua Christo et Evangelio credere noluerunt.

Nota *secundo* : pro *evacuabit*, græce est καταργήσει, id est otiosam, evanidam, inefficacem, irritam reddet. Respondet enim Hebræo פֹּרֵר *para*, vel הֵפִיר *hephir*. De quo plura *Galat.* V, 4.

4. ABSIT. EST AUTEM DEUS VERAX, OMNIS AUTEM HOMO MENDAX. — VOX *autem* ponitur hic pro *enim*, ut vertit Syrus; vide *can.* 25. Dat enim causam, cur incredulitas hominum Dei fidem evacuare non possit; quia scilicet Deus est verax, omnis autem homo mendax. Græca pro *est*, significantius habent γινέσθω, id est *sit*, *q. d.* Absit, quin potius sit et statuatur Deus verax, uti omnis homo est mendax. Unde Salmeron putat nostrum Interpretem verbisse *esto*, et pro eo jam corrupte legi, *est*. Verum S. Augustinus, Ambrosius, Cyprianus, epist. *ad Cornelium*, et passim Latini tam codices, quam interpretes, constanter legunt *est*, non *esto*.

Veritas et fidelitas describitur.

EST DEUS VERAX. — Nota : Veracitas virtus est inclinans hominem, ut in verbis veritatem custodiat, opponiturque mendacio. Fidelitas vero virtus est inclinans, ut pacta, et id quod promissum est, servetur et impleatur. Omnis ergo fidelitas

non ab hominibus, sed a Deo laudari cupit et quærit, hic vere Judæus est spiritalis, eo sensu quem dixi vers. 28.

Cur Deus circumcisionem instituerit, cum alia parte corporis humani?

Hinc tropologice S. Hieronymus (vel potius Paulinus, ut vult Erasmus; aut certe Maximus Taurinensis, ut vult Marianus), epist. *ad Ternasiam*, de vera circumcisione, quæ extat tom. IV operum S. Hieronymi, quærit cur Deus, non in aure, digito aliave patenti corporis parte, sed in membro, quod absconditum est, circumcisionem instituerit. Et respondet, hancque dat causam : « Illud, inquit, figuravit Dominus, quod postmodum monstravit, ne justitiam nostram coram hominibus faceremus; sed in occulto, coram eo solo, cui soli nihil est occultum, et quem solum remunneratorem bonorum novimus esse factorum. Unde non in carne palam, sed in occulto cordis Judæi esse debemus, non littera, sed spiritu. Nam littera oculis subjacet nostris, spiritus nobis carnalem refugit aspectum, ut laus juxta Apostolum ex Deo, non ex hominibus acquiratur. »

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ex dictis cap. I et II concludit omnes homines, tam Judæos, quam Gentiles, esse sub peccato, et egere gratia Christi.

Primo ergo, ne Judæos offendat, dicit eos præcellere Gentibus in eo quod Judæis credita sint eloquia et promissa Dei, quæ Deus fideliter adimplet, etiamsi nonnulli eorum fuerint et sint increduli : est enim Deus verax; omnis autem homo mendax.

Secundo, vers. 9, æquat Judæos Gentibus, in eo quod omnes sint sub peccato, idque multis Scripturæ testimoniis probat.

Tertio, vers 20, docet eosdem a peccato liberari et justificari, non ex operibus legis, in quibus gloriabantur Judæi, sed ex fide in Christum propitiatorem.

1. Quid ergo amplius Judæo est? aut quæ utilitas circumcisionis? 2. Multum per omnem modum. Primum quidem, quia credita sunt illis eloquia Dei; 3. quid enim si quidam illorum non crediderunt? Numquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit? Absit. 4. Est autem Deus verax : omnis autem homo mendax, sicut scriptum est : Ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris. 5. Si autem iniquitas nostra justitiam Dei commendat, quid dicemus? Numquid iniquus est Deus, qui infert iram? 6. (secundum hominem dico.) Absit. Alioquin quomodo judicabit Deus hunc mundum? 7. Si enim veritas Dei in meo mendacio abundavit in gloriam ipsius : quid adhuc et ego tanquam peccator judicor? 8. et non (sicut blasphemamur, et sicut aiunt quidam nos dicere) faciamus mala ut veniant bona : quorum damnatio justa est. 9. Quid ergo? præcellimus eos? Nequaquam. Causati enim sumus, Judæos et Græcos omnes sub peccato esse, 10. sicut scriptum est : Quia non est justus quisquam : 11. non est intelligens, non est requirens Deum. 12. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. 13. Sepulcrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant : Venenum aspidum sub labiis eorum. 14. Quorum os maledictione et amaritudine plenum est : 15. Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. 16. Contritio et infelicitas in viis eorum : 17. et viam pacis non cognoverunt. 18. Non est timor Dei ante oculos eorum. 19. Scimus autem, quoniam quæcumque lex loquitur, iis qui in lege sunt, loquitur; ut omne os obstruatur, et subditus fiat omnis mundus Deo : 20. quia ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo. Per legem enim cognitio peccati. 21. Nunc autem sine lege justitia Dei manifestata est : testificata a lege et Prophetis. 22. Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi in omnes et super omnes qui credunt in eum : non enim est distinctio. 23. Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei. 24. Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, 25. quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum, 26. in sustentatione Dei, ad ostensionem justitiæ ejus in hoc tempore : ut sit ipse justus, et justificans eum, qui est ex fide Jesu Christi. 27. Ubi est ergo gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? Factorum? Non : sed per legem fidei. 28. Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus legis. 29. An Judæorum Deus tantum? nonne et Gentium? immo et Gentium. 30. Quoniam quidem unus est Deus, qui justificat circumcisionem ex fide, et præputium per fidem. 31. Legem ergo destruimus per fidem? Absit : sed legem statuimus.

Vers. 1. Judæi præ Gentilibus excellentia.

1. QUID ERGO AMPLIUS JUDÆO EST? — Occurrit hic Apostolus objectioni, *q. d.* Si vera sunt quæ dixi cap. II de inani Judæorum lege et circumcisione, quodque Deus Gentilem æque ac Judæum præmiet, si servet legem, et puniat, si eam non servet : ergo in nullo videtur Judæus præcellere Gentilem. Respondet, negando id ex dictis suis sequi. Ostendit ergo hic, in quibus Judæus præcellat Gentilem.

Nota : pro *quid amplius*, græce est τί τὸ περισσόν, id est quid eximium Judæo est? quid magni, quid insigne et illustre habet Judæus præ Gentili? περισσὸν enim aliquando supervacaneum, aliquando ἐξαίρετον, id est selectum et eximium significat.

2. AUT QUÆ UTILITAS CIRCUMCISIONIS? MULTUM, — scilicet utilis est circumcisio, multumque amplius habet Judæus, quam Gentilis.

PER OMNEM MODUM, — id est omnino, omnimode.

PRIMUM QUIDEM, QUIA CREDITA SUNT ILLIS ELOQUIA DEI. — Aliqui putant τὸ *primum* tantum esse exordium sententiæ sermonis.

Secundo, Origenes censet τὸ πρῶτον esse principium enarrationis et enumerationis, quasi Apostolus in sequentibus multa Judæorum privilegia enumeret; quod tamen nusquam apparet.

Judæi præcellunt Gentibus in posse et esse. Scripturæ Veteris et eloquium Dei.

Unde *tertio*, optime S. Ambrosius : *primum*, inquit, id est præcipuum, primarium, et unum e primis est, quod Deus illis, Judæis scilicet, tanquam populo præ aliis selecto, et circumcisione distincto, quasi depositarii et custodibus credidit velut depositum « eloquia sua, » id est, ut Chrysostomus et Theodoretus, legem suam; et ut alii, Scripturas sacras, in iisque promissiones et pacta divina, futurorumque mysteriorum prædictiones : hæc enim sunt eloquia vetera Dei. Unde græce est λόγια, *q. d.* oracula, teste Hesychio; hæc enim primitus Judæis a Deo sunt revelata illisque scripto per Prophetas tradita : ita ut illa non nisi per Judæos ad Gentiles devenerint. Hæc ergo eloquia Dei solum affert Apostolus, quibus Judæus præcellit Gentilem; licet plura alia afferre potuisset, ut divinam erga Judæos benevolentiam, protectionem et beneficentiam, veram fidem et religionem, miracula, sacramenta, sacrificia, sanctos Prophetas, judices, reges, Messiam eis promissum, et ex eis natum, atque his similia : hæc, inquam, afferre hic potuisset Apostolus; sed noluit, quia hæc omnia vel explicite, vel implicite continentur in eloquiis *Dei*. Unde subdit Apostolus :

Vers. 3. Deus fidelis in promissis suis, licet homo sit infidelis.

3. QUID ENIM SI QUIDAM ILLORUM NON CREDIDERUNT? NUMQUID INCREDULITAS EORUM FIDEM DEI EVACUABIT? — Occurrit novæ objectioni : Quomodo credita sunt Judæis eloquia Dei, cum multi eorum iis non crediderint? Respondet : Esto aliqui non crediderint, Deus tamen ex parte sua credidit eis sua eloquia ac promissa, eaque fideliter adimplevit : nec enim hominum incredulitas vel infidelitas evacuare vel enervare potest Dei fidem, id est fidelitatem, ut scilicet Deus non stet promissis, quæ fecit patribus, maxime de Messia ex Judæis nasciturо, omnesque fideles justificaturo, in eloquiis S. Scripturæ ipsis creditæ. Hic vides per *eloquia Dei* complecti Apostolum promissa Dei.

Nota : Objicit sibi hanc Judæorum incredulitatem Apostolus, ut quasi aliud agens, pungat et perstringat eorum infidelitatem, qua Christo et Evangelio credere noluerunt.

Nota *secundo* : pro *evacuabit*, græce est καταργήσει, id est otiosam, evanidam, inefficacem, irritam reddet. Respondet enim Hebræo פֹּרֵר *para*, vel הֵפִיר *hephir*. De quo plura *Galat.* V, 4.

4. ABSIT. EST AUTEM DEUS VERAX, OMNIS AUTEM HOMO MENDAX. — VOX *autem* ponitur hic pro *enim*, ut vertit Syrus; vide *can.* 25. Dat enim causam, cur incredulitas hominum Dei fidem evacuare non possit; quia scilicet Deus est verax, omnis autem homo mendax. Græca pro *est*, significantius habent γινέσθω, id est *sit*, *q. d.* Absit, quin potius sit et statuatur Deus verax, uti omnis homo est mendax. Unde Salmeron putat nostrum Interpretem verbisse *esto*, et pro eo jam corrupte legi, *est*. Verum S. Augustinus, Ambrosius, Cyprianus, epist. *ad Cornelium*, et passim Latini tam codices, quam interpretes, constanter legunt *est*, non *esto*.

Veritas et fidelitas describitur.

EST DEUS VERAX. — Nota : Veracitas virtus est inclinans hominem, ut in verbis veritatem custodiat, opponiturque mendacio. Fidelitas vero virtus est inclinans, ut pacta, et id quod promissum est, servetur et impleatur. Omnis ergo fidelitas

est veracitas, non contra; sæpe tamen, ut hic, pro eodem sumuntur.

Homo est vanitas, nihil et mendacium.

OMNIS AUTEM HOMO MENDAX. — Hebraice psalmus CXV, quem hic citat Paulus, habetur כל אדם כזב *col adam coseb*; quod *primo*, Theodoretus vertit, *omnis homo deficit, q. d.*, ait Theodoretus et Euthymius in *Psal.* CXV : « Nihil est stabile in rebus humanis; sed universa vanitas, omnis homo vivens, » *Psal.* XXXVIII, 6.

Illine *secundo*, Aquila vertit, *omnis homo est mendacium*. Sic et Hieronymus (lequnt hi in Hebræo alio puncto כזב *casab*, pro *coseb*), id est, ut explicat Hieronymus in *Psal.* CXV : « Omne quod in hac vita videmus, omne quod intelligimus, mendacium est, » id est umbra et imago, et sæpe error est. In Deo enim solo et cœlo est veritas, stabilitas, æternitas. Vel, ut alii explicant, « Omnis homo est mendacium, » id est omnis homo est res nihili, futilis, vana et indigna, cujus Deus curam suscipiat; ut idem sit, quod dicitur *Psal.* XXX, vers. 23 : « Ego dixi in excessu mentis meæ, projectus sum a facie oculorum tuorum, » *q. d.* Videtur mihi David in hac mea trepidatione, quod oblivisearis mei, o Domine, quia sum homo mendax, id est vanus, nihili. Unde huic mox opponit dicens : « Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum, » *q. d.* Licet homo sit tam vilis, tamen eos qui sancti sunt, non negligit Deus, sed caros habet et curat.

Homo larva veritatis.

Tertio, Symmachus vertit, *omnis homo mentitur*. Quod S. Basilius, in *Psal.* CXV, sic explicat : Quia David, inquit, coram Achis coactus est se simulare stultum, et quasi mentiri; hinc ait : Omnis homo cogitur subinde mentiri, uti ego hic cogor; vel, ut idem Basilius, « Omnis homo mentitur, » id est, spem datam et de se conceptam fallit; sicut seges mentitur, cum spem et laborem agricolæ fallit, *q. d.* Homo tantum habet mendacem speciem et larvam veritatis. *Quarto*, optime noster interpres vertit, « Omnis homo mendax, » id est ex naturæ corruptæ vitio et proclivitate, habitu etiam et consuetudine quivis homo potens et pronus est ut mentiatur, et fidem datam fallat : rursum, homo sæpe, id quod dicit, nescit; et quod promisit, obliviscitur, vel per infirmitatem implere non potest, itaque reipsa mentitur. Hinc S. Augustinus, in *Sententiis*, num. 322 : « Nemo, ait, habet de suo nisi peccatum et mendacium. Si quid autem habet homo veritatis atque justitiæ, ab illo fonte est quem debemus sitire in hac eremo, ut ex eo quasi quibusdam guttis irrorati non deficiamus in via. »

Nota : Citat hic Apostolus *Psal.* CXV, ubi dicitur : « Ego dixi in excessu, » id est, ut explicat S. Basilius, in exstasi et raptu mentis; vel potius, ut ex Hebræo vertunt Hieronymus, Augustinus et Aquila, *in stupore*, pavore et perturbatione mentis (hoc enim est חפזון *chippazon*) : « Omnis homo mendax, » *q. d.* Ego David, cum essem in tot malis, ut in me oriretur diffidentia salutis et regni promissi, ex præcipitatione animi perturbati, dixi : « Omnis homo mendax. » Ecce enim Samuel promisit mihi regnum, Saul filiare, amici et milites, quibus in castris præfui, suam promiserunt mihi fidem et opem; et ecce ego miser et pauper hic pereo, omnes me deseruut, et fidem mihi datam fallunt, Saule me persequente.

Dices : Ergo hæc verba non sunt Scriptura sacra, nec Spiritus Sancti, sed Davidis agitati malo et falso diffidentiæ spiritu; quia vere evasit rex postea, hominesque non mendaces, sed veraces expertus est.

Respondeo : Verum est, scilicet hæc verba non esse Spiritus Sancti, quatenus dicta sunt a Davide; sed tamen quatenus illa ipsa hic dicuntur et confirmantur a S. Paulo, eatenus sunt Spiritus Sancti, qui hæc verba Davidis hic sua facit, quia a parte rei vera sunt eo sensu, quem paulo ante dedi. Adde, etiam quatenus dicta sunt a Davide, esse Scripturam sacram hactenus, quia nimirum Spiritus Sanctus, *Psal.* CXV, testatur Davidem ea dixisse, sicut in Evangelio testatur Judæos dixisse de Christo, « Dæmonium habet, » etiamsi animo turbido, imo maligno, idipsum dixerint.

Nota *secundo* : Loquitur Paulus hic de homine secundum statum naturæ corruptæ. Sic enim est mendax : nam per gratiam homo fit quasi Deus, et desinit esse homo et mendax, ait S. Hieronymus et S. Augustinus in *Psal.* CXV.

Ex natura corrupta quatuor pullulant in homine propensiones ad malum.

Nota *tertio* hic morale documentum. Ex natura corrupta, quatuor maxime in homine pullulant propensiones ad malum : *prima* est ad voluptatem et libidinem; *secunda* est ad excellentiam, et ad excusandum peccata; *tertia* est propensio ad vana, curiosa et caduca bona; *quarta* est propensio ad mentiendum et fallendum, ubi res propria agitur. Unde Aquila vertit, *omnis homo est mendacium*, id est, ita sæpe mentitur, ut videatur totus consutus ex mendaciis, fraudibus et vanitatibus. Hinc videas perperam ex hoc loco probare Lutherum, omne opus hominis justi, etsi sanctum, peccato aliquo infectum esse esseque peccatum. Stulte Lutheri hæc est : « Facilius, inquit, est verum dicere, quam bonum agere; » atqui nequit homo verum dicere, quia omnis homo mentitur, ut ait hic Apostolus : ergo nequit quoque homo bonum agere. Sed et fallit et fallitur Lutherus; nec enim semper major propositio ipsius est vera : nam furi in equuleo, martyri in tormentis difficillimum est fateri et profiteri veritatem; illudque illi longe difficilius est, quam dare eleemosynam, orare, aut aliud opus bonum facere. Deinde in minori assumit ipse falsum : non enim dicit Apostolus omnem hominem semper mentiri, sed tantum, omnem hominem esse mendacem.

Probatur contra Lutherum, omne opus hominis justi esse peccatum.

SICUT SCRIPTUM EST. — Probat quod « Deus sit verax, omnis autem homo mendax, » ex *Psal.* L, 6, ubi dicitur : « Ut justificeris in sermonibus tuis. » *Ut* significat hic non intentionem, sed eventum : homicidii et adulterii Davidis, *q. d.* Peccavi. Domine; sed parce et miserere mei, atque ita fiet, ut per peccata mea, quæ condonas, justus et verax ostendaris, o Deus, in tuis promissis : ita Theodoretus, et hunc esse sensum mox clarius patebit.

Hæc verba litteraliter sunt Davidis : allegorice tantum et accommodatitie convenient Christo.

ET VINCAS CUM JUDICARIS. — *Primo*, S. Hieronymus in *Psalm.* L, et Gregorius in *Psalm.* IV *Pœnit.*, hoc de Christo sic explicant, *q. d.* Tu solus inter omnes judicatos, o Christe, a peccato immunis, injuste adjudicatus crucl vincis; quia a morte gloriosus resurgis, et judices tuos æternæ morti adjudicabis. « Judicatus, ait S. Gregorius, Dominus vicit, quia unde in passione succubuit, inde majorem sui gloriam resurgendo manifestavit. Judicatus vicit, quia quorum ad tempus judicium moriendo subiit, eos justo judicio condemnatos æterna morte mulctavit. » Verum hic sensus non est litteralis, sed allegoricus, vel potius accommodatitius : ad litteram enim sunt hæc verba Davidis pœnitentis et petentis a Deo veniam sui peccati, uti patet ex titulo *Psal.* L.

Secundo, Theodoretus, Euthymius et Jansenius in *Psalm.* L, sic hæc explicant, *q. d.* David : In judicio, quo me homicidii, o Domine, per Nathan arguis, fateor me a te vinci, et homicidii, adulterii ac ingratitudinis reum peragi et damnari. Hic sensus satis convenit Davidi *Psal.* L, sed non bene cohæret hic apud Paulum cum præcedentibus. Vult enim per hunc versum *Psal.* L Paulus probare, quod Deus sit in promissis verax, et omnis homo mendax.

Tertio, Hesychius et Didymus, in catena Græcorum, in *Psal.* L, sic exponunt : « Ut vincas in sermonibus tuis, » quibus dixisti, o Domine, omnes declinasse et esse peccatores. Cum enim ego David insolentius contra hos de mea virtute et constantia gloriatus sim, dicens, *Psal.* XXIX : « In virtute mea non movebor in æternum; » jam lapsus in cædem Uriæ agnoseo me fragilem peccatorem, atque pristinæ meæ gratiæ et constantiæ non me, sed te auctorem fuisse. Verum Paulus hic agit de victoria non humanæ arrogantiæ, quam Deus contundit et vincit, subtrahendo suam potentiam et gratiam, sed de victoria fidelitatis Dei, qua Deus nostram infidelitatem et ingratitudinem vincit et superat. Ut patet ex vers. 3 et 4.

Quarto, aptissime et congruentissime tam Davidi, quam Paulo hæc sententia sic explicanda est, *q. d.* Fateor ego David, me coram te, o Domine, peccasse; sed parce, et promissa mihi olim a te facta restitue, indeque fiet, ut vincas, et reipsa evertas judicia hominum, qui censent et mentiuntur te non staturum promissis, quibus tum cuivis pœnitenti veniam (ita S. Gregorius), tum mihi Davidi proprie regnum perpetuum in Salomone et Messia filiis promisisti. Promissis, inquam, non conditionatis : nam hæc non servata conditione evacuant et irrita fieri posse constat, salva fide et veritate promittentis; sed absolutis, ita S. Thomas, scilicet ut homines hanc tandem sententiam ferant : Justus est hic Deus, qui sua pacta servat, etiam his (puta mihi Davidi meisque posteris) a quibus post pacta injuria afficitur. Sicque ergo David mendax et fallax ostendor; atque ex me meoque hoc exemplo et similitudine, quivis alius homo mihi similis pariter mendax, id est Deo infidelis et peccator; Deus vero verax et fidelis ostenditur : hoc enim probare intendit Apostolus.

5. SI AUTEM INIQUITAS NOSTRA JUSTITIAM DEI COMMENDAT, QUID DICEMUS? NUMQUID INIQUUS EST DEUS, QUI INFERT IRAM? 6. SECUNDUM HOMINEM DICO. — Occurrit hic Apostolus objectioni hominum insipientium. Unde ait : « Secundum hominem dico, » id est ea hic oppono et objicio, quæ homo non sapiens, sed carnalis objiciat. Scilicet, si Davidis et nostra iniquitas in causa est, ut Dei justitia et fidelitas erga nos magis illustretur; ergo iniquus videtur Deus, si nos iniquos puniat, et non potius præmiet, quasi auctores, ut ejus justitia magis eluceat. Respondet Apostolus : V

Illustratio divinæ gloriæ tantum per accidens peccato. Vers. 7.

ABSIT, — scilicet ut iniquus sit Deus, utque iniquitas nostra per se, et natura sua Dei commendet justitiam. Hæc enim illustratio gloriæ et justitiæ Dei per accidens ex peccato sequitur. Unde subdit Apostolus dicens (1) :

7. SI ENIM VERITAS DEI IN MEO MENDACIO ABUNDAVIT IN GLORIAM IPSIUS, — ut nonnulli colligunt ex eo quod dixi : « Ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris, » *q. d.* Si mendacium et peccatum per se cedit in gloriam veracitatis et fidelitatis Dei, qua hominibus, licet peccatoribus et ingratis, promissa sua servat Deus,

QUID ADHUC ET EGO TANQUAM PECCATOR JUDICOR? — et non potius laudor, tanquam illustrator gloriæ divinæ (2)?

8. ET CUR NON FACIAMUS MALA, UT VENIANT BONA? SICUT BLASPHEMAMUR (id est sicut calumniamur), ET SICUT AIUNT QUIDAM NOS DICERE, — quasi docea- Vers. 8. Ad calumniam Dei peccatum et arbitrium satura non ordinatur peccata.

mus mendacia et peccata nostra natura sua in gloriam Dei cedere, illiusque fidelitatem et misericordiam provocare et commendare. Si enim hoc verum esset, utique peccandum esset, et injustus esset Deus ulciscens peccatum. Ita passim interpretes cum Theophylacto. Videntur hi vecordes hujus calumniæ occasionem sumpsisse ex eo, quod sæpe doceret Apostolus, superabundasse gratiam Dei, ubi abundavit hominum

(1) « Alioquin quomodo Deus judicabit hunc mundum? » etiam Paganos. Si objectio hæc (vers. 5 proposita) valeret, Deus nullum hominem punire posset, nec Judæum, nec Ethnicum. Juste autem puniri Paganos a Deo, ipsi Judæi concedunt. Ergo per instantiam respondet, et Judæos ipsorum gladio jugulat Paulus.

(2) Juxta alios, Paulus hoc vers. in persona Pagani hominis loquitur : Si tu Judæus, inquit, inpunitatem speras, ego Paganus sadens ratione impunitatem sperare possum. Nam per idololatriam occasio datur Deo vero ostendendi se solum esse verum Deum, gentium autem Deos nihil esse.

iniquitas, et eam cessisse in laudem gratiæ et justitiæ Dei.

Quorum (scilicet tam ita sentientium, quam nos calumniantium) DAMNATIO JUSTA EST. — Hi enim perinde syllogizant, et perinde faciunt, atque si quis de viro pio et patiente ita concluderet : Hic vir miræ est patientiæ, omnia tolerat, omnia dissimulat : ergo vexemus eum, milleque injurias ei irrogemus, ut ejus patientiam exerceamus et illustremus. Hic enim est paralogismus et perversa argumentatio : nam tam virtus et gloria hujus viri ex injuriis protervorum, quam gloria Dei ex peccato nostro, non per se, et natura sua provenit, sed per sapientiam viri sancti, et per sapientiam Dei, qui malum ordinare novit ad bonum misericordiæ vel justitiæ suæ, ut docet S. Augustinus in *Enchirid.*, cap. XCVI, et lib. III *De Gen. ad litter.*, cap. XXIV. « Deus, ait S. Augustinus, rerum optimus est conditor, et peccatorum justissimus ordinator. » Idem docet S. Dionysius, *De Divin. Nominib.*, cap. IV, ubi agit de malo, sub finem : et Boetius, lib. IV *De Consol.*, prosa 6, ubi sic ait : « Divina est vis cui mala quoque bona sunt, cum eis competenter utendo, alicujus boni eliciat effectum. Ordo enim quidam cuncta complectitur, ut quod ab assignati ordinis ratione discedit, hoc idem licet in aliutu, tamen in ordinem redigatur, ne quid in regno providentiæ liceat temeritati. »

Sapientia ordinat peccata ad bonum electorum vel justitiæ.

Nulla mala sunt minima peccatorum maxime eligibile, ut gravissima peccata evitentur.

Nota hic cum Cajetano nullum peccatum, nec minimum quidem venire, medium esse eligibile, aut faciendum, ut peccata etiam gravissima evitentur.

Dices : S. Gregorius, lib. XXXII *Moral.*, cap. XX, videtur contrarium docere. Ait enim : « Dum mens inter minora et maxima peccata constringitur, si nullus omnino sine peccato evadendi aditus patet, minora semper elevantur. »

Respondeo : S. Gregorius loquitur de scrupulosis et perplexis. His enim si videatur se peccaturos quidquid agant, eligant minus, scilicet id quod eis minus malum esse videtur, si facultas doctos consulendi, aut alia ratio modum conscientiæ perplexum dissolvendi, non suppetat.

Vers. 9. 9. QUID ERGO? PRÆCELLIMUS EOS? — Judæi Ethnicos, quasi ob merita nostra, legem, aut circumcisionem pro eis vocati sumus ad fidem et justitiam Christi? Redit enim hic Paulus ad propositum suum, quod tetigit vers. 2. Respondet, « Nequaquam » præcellimus nos Judæi ipsos Gentiles.

CAUSATI ENIM SUMUS, — id est causam antea attulimus; unde Græca clarius habent, προῃτιασάμεθα, præcausati sumus.

Vers. 10 et 11. Versus sequentes ex variis ad Apostolo, e quibus

10 et 11. SICUT SCRIPTUM EST : QUIA NON EST JUSTUS QUISQUAM, NON EST INTELLIGENS, NON EST REQUIRENS DEUM. — Docet S. Hieronymus, præfat. in lib. XVI *Comment. in Isaiam*, sumptos esse hos versus sequentes, quos hic citat Paulus, ex variis locis Scripturæ, ex *Psal.* XIII, 1; *Psal.* LII, 3; *Psal.* V, 11; *Psal.* CXXXIX, 4; *Psal.* IX, 7; *Isaiæ* LIX, 7; *Prov.* I, 16; atque omnes hi versus ita separati, ex hoc loco Apostoli, qui omnes hic jungit, simul translati sunt in *Psal.* XIII Latinæ versionis, etiam in editione Romana, sed sub eodem versu. Pari modo simul omnes habentur in Syra et Ægyptia versione *Psal.* XIII, et in codice Anglicani psalteri Hebraici (quem citat Arias in *Apparatu*, et Lindanus, lib. I *De Optimo genere interpret. S. Script.*) inventi sunt omnes hebraice in *Psal.* XIII. Sed codicis illius Anglicani auctoritas et antiquitas est incerta. Nam passim hi versus in Hebræo non extant *Psal.* XIII, sed sparsim in Scripturæ locis jam citatis. Vide Franciscum Lucam in *Notis ad Psal.* XIII.

Sententia sibi invicem contraria.

Nota 1° significant hi versus corruptionem hominis et naturæ, per fidem et gratiam non sanatæ, ut mox fusius ostendam : hæc enim omnis peccato est subdita, non cuivis, sed una huic, altera alteri. Quod enim particulatim cap. I de Gentibus, et cap. II de Judæis probavit Apostolus, scilicet omnes esse sub peccato, hic more rhetorum generatim, per complexionem et exaggerationem concludit et amplificat.

Corruptio naturæ per gratiam Christi non sanatæ.

NON EST JUSTUS QUISQUAM, NON EST INTELLIGENS; NON EST REQUIRENS DEUM.

Nota *primo* : Citat hic Apostolus quædam non quoad verbum, sed quoad sensum. Nam 1° *non est justus*, et, ut Græca addunt οὐδὲ εἷς, id est, *ne unus quidem*, nusquam scriptum est hisce verbis, sed aliis æquivalentibus, puta his : « Non est qui faciat bonum, non est intelligens, non est requirens Deum. » Itaque videtur Apostolus omnes sequentes Scripturæ versus, in quibus particulatim hominum peccata enarrat, una generali sententia quasi synopsi et argumento complexus, dicens et præmittens : « Non est justus quisquam, » eamque deinde quasi in partes dividit, dicens : « Non est intelligens, non est requirens Deum. » Licet enim hæc verba de quolibet impio a Psalte, *Psal.* XIII, dicta esse videantur; tamen 2° *non est intelligens* proprie convenit Gentilibus, qui idola coluerunt, et Deum verum non agnoverunt : 3° vero *non est requirens Deum* proprie competit Judæis, qui Deum quidem agnoverunt, sed Dei legem et voluntatem non requisiverunt, nec observarunt, et hoc videtur hic velle Paulus, *q. d.* Quidam non intelligunt, nec cognoscunt Deum, quales sunt Gentiles : quidam vero Deum cognoscunt, sed Dei mandata non requirunt, nec custodiunt, quales sunt Judæi; atque ideo nec Judæus, nec Gentilis, adeoque nemo justus est inter filios hominum.

Gentiles et Judæi in quibus hic tantur?

Nota *secundo* : Citat hic Paulus *Psal.* XIII, 2, ubi sic dicitur : « Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, ut videat, si est intelligens aut requirens Deum, » *q. d.* Quæsivit Deus an quis hominum esset intelligens aut requirens Deum : et quantumcumque quæserit, neminem tamen invenit. Nam, uti præcessit ibidem, « non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. » Unde et Paulus non verba, sed sensum reddens vertit, « non est intelligens, non est requirens Deum. » Vocula enim *si*, quæ est in *Psal.* XIII, Hebræis sæpe negantis est, idemque valet quod *non*. Id patet in juramentis Hebræorum, ut : « Hæc mihi faciat Deus, si steterit caput Elisei super ipsum, » IV *Reg.* VI, 31, id est, Juro quod non stabit caput Elisei super ipsum, juro quod demam Eliseo caput. Sic hic : « Prospexit, ut videat, si est intelligens aut requirens Deum, » idem est, ac si dicat : Prospexit et vidit Deus, quod non est intelligens quisquam, aut requirens Deum.

An de solis atheis hæc Davidis verba sint intelligenda?

Quæres, an hæc Psaltis verba, « Non est intelligens, non est requirens Deum, » de omnibus omnino hominibus, an tantum de certo hominum genere dicta sint? Genebrardus, Jansenius et alii, in *Psal.* XIII, volunt illa dicta esse de solis atheis, quasi Apostolus suam universalem propositionem, scilicet omnes esse peccatores, probet tantum per exemplum atheorum, qui maxime sunt peccatores, uti omnem hominem esse mendacem, probavit per exemplum Davidis, vers. 4. Nam de solis atheis dicitur ibidem, vers. 1 : « Dixit insipiens in corde suo : Non est Deus, » hebraice אֵין אֱלֹהִים *sin Elohim*, non est Elohim, id est, non est Deus judex et vindex bonorum et malorum; et, ut Chaldæus vertit, *non est potestas Dei in terra*. Elohim enim Dei non essentiam significat, sed providentiam, qua Deus mundum regit, judicat, punit, vel præmiat. Homines enim qui negant hanc Dei providentiam, sine Numinis aut vindicis metu, ruunt in omnia scelera, quæ ibi deinceps enarrat Psaltes, ut notant Chrysostomus et Theodoretus in *Psal.* XIII.

Verum respondeo et dico, cum Salmerone, Toleto et aliis, hæc Psaltis verba non de solis atheis, sed de quibusvis hominibus intelligenda esse. Patet id clare ex hoc Apostoli, qui verus est Davidis interpres, loco. Nam ex hisce Psaltis verbis Apostolus hic plene et adæquate totoque conatu probare intendit, omnes omnino homines esse sub peccato. Illud autem non plene, nec adæquate ex iis probaret, si illa de solis atheis intelligenda essent. Responderet enim Judæi Paulo hæc Psaltis verba objicienti, Davidem de idololatris et atheis loqui, ad se ista non pertinere, utpote qui sint jurati atheorum hostes, itaque rueret nervus et vis argumenti Paulini. Unde Paulus, ut hoc elidat, vers. 19, ait : « Scimus autem quoniam quæcumque lex loquitur, iis qui in lege sunt, loquitur. »

Secundo, id patet ex ipso Psalte, qui clare initio psalmi insinuat se non de atheo tantum, sed de quovis insipiente loqui. « Dixit, inquit, insipiens. » *Insipiens* autem phrasi Davidis et Sapientis est quivis impius, qui insipienter Deum sua concupiscentiæ, et æterna bona caduca, quæ adamat, posthabet et postponit. Unde de talibus mox subdit : « Non est qui faciat bonum usque ad unum. » Primus ergo insipiens fuit Adam pater noster, qui insipienter credidit Evæ et serpenti, adeoque uno pomo se et nos omnes perdidit; indeque nos omnes insipientes facti et nati sumus.

Describit ergo Psaltes, *Psal.* illo XIII, insipientiam et corruptionem humanæ naturæ omniumque hominum, si sola eorum natura peccato vitiata, sine Dei gratia illam reparante et restaurante, consideretur. Tali enim statu homines in omnia peccata proclives ruunt, adeoque tandem eo deveniunt, ut vel explicite, vel implicite dicant : Non est Deus judex et vindex malorum, ut scilicet licentius et magis impune peccent.

Tertio, idipsum patet ex eo quod tam hoc *Psal.* XIII, 1, quam alibi Psaltes opponat hunc statum insipientiæ et corruptionis humanæ naturæ, statui gratiæ, quo Deus naturam lapsam sanat, redimit, reparat et justificat. Ait enim : « Quoniam Dominus in generatione justa est. Quis dabit ex Sion salutare Israel? Cum averterit Dominus captivitatem plebis suæ, exultabit Jacob et lætabitur Israel. » Quod ergo dicit Psaltes, *Psal.* XIII, 1 : « Dixit insipiens in corde suo : Non est Deus, » proponit hoc non quasi argumentum et scopum totius psalmi, sed quasi extremum et summum malorum, ad quod tandem pervenit hominum insipientia. Unde versibus seq. gradus peccatorum explicat, quibus sensim eo conscendunt homines. Aliter respondet et explicat illum versum Salmeron : Omnis, inquit, insipiens, id est impius et peccator, hoc ipso quo peccat, in corde suo implicite et virtualiter dicit : « Non est Deus : » quia ita libere et impudenter in Deum peccat, ac si Deus peccatum ejus non videret, vel punire non posset, aut non vellet, adeoque ac si Deus judex et vindex non esset : atque hinc expositioni favet, quod ita se explicare videatur Psaltes, vers. 2, dicens, ut hic vertit Paulus : « Non est intelligens, non est requirens Deum. »

Vers. 12. 12. OMNES DECLINAVERUNT (hebraice סָר *sar*, id est recesserunt, scilicet a Deo), SIMUL INUTILES FACTI SUNT. — Hebraice נֶאֱלָחוּ *neelachu*, id est computruerunt, fœtuerunt; Chaldæus vertit *obterpuerunt*, indeque inutiles facti sunt, nullos ferentes bonos fructus fidei et bonorum operum, sed tantum malos, vanos, putidos et fœtidos gulæ, luxuriæ, superbiæ aliorumque scelerum.

NON EST QUI FACIAT BONUM, NON EST USQUE AD UNUM. — « Unum, » scilicet Christum, qui excipitur, quique solus per se facit bonum, ait S. Augustinus, p. 13. Verum hic sensus non respondet Hebræo in *Psal.* XIII; ibi enim hebraice habetur אֵין גַּם אֶחָד *en gam echad*, hoc est, non est quidem unus, id est nullus est.

Unde *secundo*, Cajetanus sic exponit : Non est qui faciat per omnia bonum, ut nunquam peccet saltem venialiter. Sic et Chrysostomus, in *Psal.* XIII, qui hanc sententiam nimis laxe extendit etiam ad B. Virginem, quam in Christi passione

Reprobi in peccato.

putat ipse defectum et deliquium fidei cum Apostolis circa Christum Christique resurrectionem passam fuisse. Verum hic jam est error : totius enim Ecclesiæ sensus et consensus est, B. Virginem nunquam ne venialiter quidem peccasse, uti declarat Concilium Tridentinum, *sess.* VI, can. 23.

Tertio, S. Thomas censet hic esse hyperbolen : « non est unus, » sive nullus est, id est pauci sunt qui faciant bonum.

Quarto, Ambrosius putat Psalterm loqui non de pius, sed de impiis : horum enim nullus est bonus. Sed hoc non satisfacit; quia Apostolus ex hoc Psalmi versu probat neminem esse pium et bonum, sed omnes omnino homines esse sub peccato et ira Dei.

Sine Christi gratia nemo potest bene facere.

Quinto ergo, hic est genuinus hujus loci sensus : « Non est qui « ex se, sine Dei, id est Christi, gratia « faciat bonum » absolute, tale scilicet, ut inde bonus et justus coram Deo dici, dignusque Dei gratia aut æterna gloria censeri possit : quia omnes peccato Adæ corrupti et concupiscentia infecti, in peccata varia proclives declinant. Ita S. Augustinus in *Psal.* XIII. Hinc ergo non sequitur, omnia opera infidelium esse mala et peccata, sed tantum esse inepta ad justitiam et gratiam Dei promerendam. Hoc enim hic vocatur *bonum*.

13. SEPULCRUM PATENS EST GUTTUR EORUM, — *q. d.* Quilibet homines peccato et concupiscentia corrupti, instar sepulcri patentis, spurca, tetra, fœtida, dolosa, maledicta exhalant, proloquuntur et eructant. Guttur eorum, quasi sepulcrum patens, fœditatem, putorem et abominationem lethalem mortui cordis, quasi cadaveris intus sepulti, semper exhalat. Addit S. Augustinus, in *Psal.* XIII, per *sepulcrum patens* significari voracitatem cibis inhiantis gulæ.

VENENUM ASPIDUM SUB LABIIS EORUM, — *q. d.* fidem homines labia et os venenata habent, ut vix aliud in eos quibus irati et offensi sunt, proferant, quam contumelias et maledicta, quin et verbis addant verbera et cædes. Unde subdit Apostolus : « Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. »

14. CONTRITIO ET INFELICITAS IN VIIS EORUM, — *q. d.* Viæ, gressus et conatus eorum eo tendunt, ut alios et sese invicem conterant miserosque faciant. Patet ex Hebræo. Aliter Theophylactus : « Contritio et infelicitas, » inquit, est peccatum, quia peccatum conterit et infelicem facit animam. De corruptione humanæ naturæ, tam quoad animam, quam quoad corpus, vide S. Augustinum, lib. XXII *De Civit.*, cap. XXII.

Vers. 19. Ei versus spectant ad Judæos et Gentiles.

19. SCIMUS AUTEM QUONIAM QUÆCUMQUE LOQUITUR, HIS QUI IN LEGE SUNT, LEX LOQUITUR. - Est occupatio, *q. d.* Ne dicas, o Judæe, hos versus, qui omnes homines de tam gravibus peccatis arguunt, de solis Gentilibus loqui. Nam hi versus sunt versus legis, puta Psalmis et Prophetarum, qui non tam Gentilibus, quam iis qui in lege sunt, id est Judæis, loquuntur, eorumque vitia increpant et castigant. Ita S. Chrysostomus et Theophylactus.

Triplex hujus loci sensus.

UT OMNE OS OBSTRUATUR (ut nemo audeat se a peccato excusare), ET SUBDITUS FIAT OMNIS MUNDUS DEO. — Pro *subditus*, græce est ὑπόδικος, id est *condemnationi* (δίκη enim causam, crimen, condemnationem, vindictam et pœnam significat) *obnoxius*. Ita Syrus, Chrysostomus et Theophylactus, *q. d.* S. Scriptura versibus jam citatis ita omnes de peccatis redarguit, ut omnis homo qui est in mundo, fateri debeat se coram Deo reum esse, seque Dei iræ et vindictæ obnoxium et subditum esse, ob crimina in Deum admissa : unde S. Augustinus, lib. *De Gratia Christi*, cap. VIII, legit, « ut reus fiat omnis mundus Deo. » *Secundo*, Ambrosius : « ut mundus, inquit, subditus, » id est prostratus et supplex, « fiat Deo, itaque ad suorum peccatorum indulgentiam et Dei gratiam pervenire queat. » Addit *tertio* Theophylactus : « ut mundus » inquit, ὑπόδικος, id est condemnatus, hoc est, libertate ac fiducia carens, et indigus opis alienæ, agnoscat se egere Dei gratia et clementia. Sed primus sensus maxime proprius et genuinus est.

Vers. 20. Omnis homo.

20. QUIA EX OPERIBUS LEGIS NON JUSTIFICABITUR OMNIS CARO (omnis homo, est synecdoche) CORAM ILLO. — Est occupatio altera, *q. d.* Excipies iterum, o Judæe, et obtendes dicendo : Esto sim peccator, et in peccata incidam; tamen habeo opera legis, aspersiones, lustrationes et sacrificia pro peccato, quibus peccatum expiem. Respondet Apostolus, hæc opera posse quidem purgare et expiare carnem et irregularitatem externam, sive carnalem et politicam, non tamen posse animam purgare et justificare a peccato : tum quia sacra Scriptura omnes omnino homines etiam qui sub lege sunt, post omnes hasce suas lustrationes, peccati condemnat; tum quia lex et opera legis tantum indicium et demonstratio, non autem expiatio sunt peccati.

Opera et lustrationes legis antiquæ inhibeant fiducia ad diuturnas pœnas.

Nota : Cum Apostolus asserit hic neminem justificari ex operibus legis, veteris intellige, seu iis quæ præscribit lex vetus, seclusa fide et gratia Christi, idque patet ex eo, quod vers. 22 et passim opponat hæc opera fidei Christi : cum ergo fidem Christi justificantem iis opponit, non excludit, sed potius includit in fide opera facta ex fide. Sic enim pari modo sub lege includit opera legis, seu quæ facienda dictat lex. Ita S. Augustinus, lib. *De Gratia et Lib. arbitr.*, cap. VII. Vide *Can.* 2 et 3.

Fides charitate formata, non speculativa mere, sed practica.

PER LEGEM COGNITIO PECCATI. — Lex docet quid faciendum sit, quid cavendum, quid virtus sit, quid vitium et peccatum. Hinc de ea dicitur, *Prov.* VI : « Mandatum lucerna est, et lex lux et via vitæ. » Unde et hebraice vocatur תורה *thora*, id est doctrina et institutio.

Nota : pro *cognitio*, græce est ἐπίγνωσις, id est agnitio. Differunt autem *cognitio* et *agnitio* : nam

cognoscimus nova, agnoscimus vetera. Lex ergo non erat proprie *cognitio*, sed agnitio peccati. Quia jam ante legem a Mose latam, cognoscebant homines peccatum per lumen et legem naturæ. Verum quia hæc lex sensim obscurabatur in homine, hinc Deus per Mosen tulit legem clare explicantem, quid licitum et peccatum. Unde per legem hanc Mosis agnoverunt rursum Judæi peccatum, quod antea cognoverant, licet obscure per lumen naturæ (1).

Lex naturæ sensim obscurata, per legem Mosis declarata.

Vers. 21.

21. NUNC AUTEM SINE LEGE (id est, ut Theodoretus et Ambrosius, lege veteri cessante), JUSTITIA DEI (id est justificatio, qua nos Deus a peccatis absolvit, infundendo nobis suam justitiam, id est gratiam, charitatem aliasque virtutes, per Christi Evangelium) MANIFESTATA EST (quæ olim ante tot sæcula) TESTIFICATA (est) A LEGE ET PROPHETIS (2). — Ili enim quasi testes divini et certissimi hanc justitiam per Christum dandam prænuntiarunt et asseverarunt : ita S. Augustinus, lib. *De Spir. et Litt.*, cap. IX et XI : « Non dixit Apostolus, inquit Augustinus : Justitia hominis, vel, Justitia propriæ voluntatis; sed : Justitia Dei, non qua Deus justus est, sed qua induit hominem, cum justificat impium, » etc. Unde idem præclare, *sententia* 320 : « Qui, ait, dedit legem, ipse dedit et gratiam : sed legem per servum suum misit, cum gratia ipse descendit : ut quia lex ostenditi peccata, non tollit, volentes suis viribus legem exequi, nec valentes, cogantur ad gratiam, quæ et impossibilitatis morbum et inobedientiæ aufert reatum. »

Gratia præveniens, et justificans data.

22. JUSTITIA AUTEM (*autem*, id est, *inquam*, vide *can.* 25) DEI (quæ proponitur et datur) PER FIDEM JESU CHRISTI IN OMNES (dum scilicet omnibus offertur) ET SUPER OMNES (dum scilicet omnibus reipsa datur, et desuper infunditur) QUI CREDUNT IN EUM, — scilicet « qui credunt, » non ut dæmones, fide nuda et inani, sed, ut amici, fide charitate formata : « credunt, » inquam, Christo, ita ut illi ejusque præceptis obediant. Sive « qui credunt » fide humili, efficaci et obedienti, ut faciant mandata, quæ fides docet implenda esse. Sic vulgo dicitur duci exercitus : Si credas huic consiliario, obtinebis victoriam, scilicet si credas practice, id est si juxta ejus præcepta aciem et bellum in-

Quid per gratiam Dei hic intelligat Apostolus? triplex.

(1) « Per legem cognitio peccati, » id est, quilibet intuenda lege hac ducitur, ut venia sibi opus esse sentiat, et fateri cogatur causam venire et justificationis non quærendam esse in manca legis observatione, sed potius relinqui causam culpæ. Omnes igitur, optimi etiam homines laborant imperfectione morali, et venia egent.

(2) Hactenus descripsit Apostolus totius generis humani depravationem, atque ostendit, neque Paganos religione naturali, neque Judæos lege Mosaica justificari et salvari potuisse. Redit jam ad argumentum quod cap. I, 17, leviter tantum attigerat, nempe religione Christiana monstrari viam ad veram justitiam ac salutem. Nunc autem, ait, nullo respectu ad legem, justitia Dei, id est, via ad consequendam peccatorum veniam et salutem, monstratur, promissa in lege et Prophetis.

Vers. 23.

23. OMNES ENIM PECCAVERUNT, ET EGENT GLORIA DEI. — « Egent, » græce ὑστεροῦνται, quod Syrus vertit, *destituuntur*; Chrysostomus, *carent*. Proprie vertas, *posteriores sunt gloria*, id est gratia Dei gloriosa et munifica, qua justificentur; nec eam viribus naturæ assequi possunt; sed egent alia priori et præveniente Dei gratia, qua ad justificationem se præparent, ideoque gratis justificantur. Utraque enim gratia, et præveniens et justificans, gratis datur; præveniens tamen per opera pœnitentiæ ad justificationem præparat hominem et disponit. Ita Œcumenius, Theodoretus et S. Augustinus, *De Spir. et Litt.*, cap. IX.

Omnes dicunt gloriæ, id est gratiæ, quam ad sensus gloria.

Nota : Cum ait Apostolus : « Omnes egent gloria Dei, » Cyrillus, lib. *De Recta fide*, per *gloriam* intelligit Christum, qui est gloria Patris hoc ipso, quo est redemptor et justificator noster, *q. d.* Paulus : Omnes egent Christo redemptore.

Secundo, S. Chrysostomus sic vertit et explicat: Omnes, inquit, peccaverunt et destituuntur gloria Dei, quia ad peccatorem non gloria, sed dedecus et confusio pertinet. Unde aliqui gloriam hic proprie accipiunt, beatam scilicet, quam pro gratia vitaque bene acta rependet justis Deus in cœlis. Hæc enim destituuntur et indigent peccatores.

Tertio, alii, ut dixi, magis genuine ad mentem Apostoli, per *gloriam* hic accipiunt gratiam, qua glorificatur Deus. Unde S. Hieronymus, lib. VI *in Isaiam*, sub finem, et S. Augustinus, lib. I *De Peccat. meritis*, cap. XXVII, citantes non tam verba, quam sensum Apostoli, legunt, *Omnes egent gratia Dei*. Quamquam omnes hi sensus eodem fere tendunt. Nam Christi gratia est gloria quædam inchoata, sicut gloria est gratia consummata. Egemus enim Christo et gratia Christi ad hoc, ut per eam, gloriam, qua indigemus ut bene beateque semper vivamus, in cœlis adipiscamur.

Hæc est ergo sententia, quam quasi judiciaiter audita utraque parte, ex ore Dei pronuntiat Paulus, qua utramque partem, scilicet tam Judæos quam Gentiles, et prosternit et condemnat, *q. d.* Vos, o Judæi, arroganter contra Gentes insolescitis, vosque justos ex lege reputatis : vos vicissim Gentes, Judæos quasi recutitos contemnitis, et ob morales virtutes vobis justitiam arrogatis : ego vestram utrimque causam, justitiam, vitam et mores examinavi cap. I et II, atque ex allegatis et

pronatus judico : Omnes tam Judæi, quam Gentes peccaverunt, et egent gratia Dei.

Stimulus ad retundendam hominum superbiam.

Hæc sententia sternit omnium hominum superbiam, omnium cristas dejicit, omnesque peccati condemnat, omnes peccatores iræ Dei obnoxios pronuntiat, omnes mendicos et egentes Dei gratia, omnes supplices Deo facit; ut nonnisi ad Dei gratiam, clementiam, misericordiam et indulgentiam provocare et appellare possint. Qui ergo propriæ virtutis aut sapientiæ opinione inflatus fumet, audiat hanc Dei sententiam : « Omnes peccaverunt, et egent gloria Dei, » sibique eam applicans, dicat : Ergo et ego peccavi, ergo et ego peccator sum, et egeo magna et gloriosa Dei gratia et misericordia : ut quid ergo superbiam? ut quid tumeam? quid sapientiæ, virtutis, honoris et laudis mihi arrogabo? Præsertim si considerem illud, quod ait S. Augustinus, lib. I, homil., *hom.* 23, tom. X : « Nullum est peccatum quod fecit homo, quod non possit facere alter homo, si desit rector, a quo factus est homo. » Rursum, si considerem quod, sicut in peccato conceptus et natus sum, ita pariter in peccatis vivo, et in peccatis moriar : peccator ergo in mundum veni, peccator vivo, peccator moriar.

Vers. 24. 24. JUSTIFICATI (id est, ut justificentur fiantque justi, et sint justificati) GRATIS. — Pendent enim hæc verba ab eo quod præcessit, « Omnes egent gloria Dei. » Hinc et Græce est participium præsentis temporis, δικαιούμενοι, quod more Hebræo ponitur pro indicativo δικαιοῦνται, quo carent Hebræi. Unde clare vertit SYRUS, *justificantur autem gratis*. Simplicius tamen vertas, *ut justificentur gratis*, tum quia in Græco non est *autem*; tum quia, ut dixi, pendent hæc verba a præcedentibus, et Hebræorum participia sæpe capiuntur pro subjunctivo. Noster interpres ad verbum vertit, *justificati*, scilicet per participium præteritum, quia Latini carent participio præsenti in verbis passivis, quale hic est *justificati* : coguntur ergo uti participio præterito pro præsenti.

Varietas lectionum aliarum.

GRATIS, — id est sola fide, ait Beza; sed perperam : nam *gratis* idem est quod sine meritis præcedentibus fidem, aut etiam sequentibus. Gratis enim dare significat gratuito dare sine merito : gratia enim et gratuitum opponitur merito. Unde cum dixisset Paulus : « Justificati gratis, » explicans subdit, « per gratiam ipsius. » Ubi alludit ad Hebræum חִנָּם *chinnam*, quod a תְּחִנָּה *techinna*, sicut Latinum *gratis* a gratia deducitur. Itaque vox *gratis*, in hac significatione non excludit dispositiones (spei, timoris, doloris de peccatis admissis, propositi novi de vita emendanda) prævias ad justificationem, quas alibi requirit Scriptura (sic enim et ipsa fides prævia excludenda foret), sed merita sola excludit : ita Concilium Tridentinum, sess. VI, cap. VIII. Sic dives dicitur pauperem gratis adoptare in hæredem, etiamsi requirat ab eo, ut prius bonos mores et disciplinas addiscat : quia hæc non meriti, sed dispositionis locum obtinent. Par enim est ut futurus filius talis tantique viri ad hoc apposite per bonos mores et disciplinas sese disponat. Vide *Can.* 8.

Dispositiones prævia ad justificationem non excludunt a gratis, imo prærequiruntur.

Gratis ergo justificamur, ut dicamus cum Apostolo : « Gratia Dei sum id quod sum; » et cum Jeremia et Psalte : « Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti; Misericordias Domini in æternum cantabo; » et cum Isaia, cap. I, 9 : « Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen (tropologicum gratiæ), quasi Sodoma fuissemus, et quasi Gomorrha similes essemus. »

PER GRATIAM IPSIUS (quam nanciscemur) PER REDEMPTIONEM QUÆ (facta) EST IN CHRISTO JESU, — id est per Christum Jesum. Hebræum enim ב, id est *in*, significat *per*, vel *propter*. Vide *Can.* 25.

Nota τὸ *per redemptionem*. Hinc enim inferebat Marcion : ergo homo non est creatura Dei, sed diaboli. Nemo enim emit quod suum est; Deus autem emit et redemit hominem. Ita refert Epiphanius, *hæresi* 42. Respondet Origenes, homil. 6 *in Exod.* : « Omnes, ait, creatione eramus Dei, sed pretio peccatorum vendidimus et tradidimus nos dæmoni : ideo pretio sanguinis Christi liberati a potestate dæmonis, dicimur non tam empti, quam redempti. »

Nova Marcionis hinc inferentis, hominem esse creaturam diaboli.

Vers. 25. 25. QUEM (Christum) PROPOSUIT DEUS PROPITIATIONEM PER FIDEM IN SANGUINE IPSIUS (1). — « Propitiationem : » ita legunt Biblia Romana. Græcum ἱλαστήριον verti potest cum Theophylacto, *propitiatorium*, ut alludat Paulus ad propitiatorium, sive tabulam auream tegentem arcam (hanc enim Septuaginta, quos sequi solet Paulus, vocant ἱλαστήριον), quæ erat quasi thronus clementiæ Dei, ex quo propitiatus dabat responsa, indeque hebraice vocatur כַּפֹּרֶת *capporet*, id est placatorium, reconciliatorium, propitiatorium, eraque figura Christi propitiatoris, *Exodi* XXV, 17 : ita Theodoretus, Theophylactus, Origenes; *q. d.* Paulus : Pro veteri typico propitiatorio, dedit jam Deus antitypum verum propitiatorium, ipsum scilicet Christum.

Unde *secundo*, clarius *propitiatio* hic idem est, quod propitiator (ita Syrus, vide *can.* 21), scilicet victima propitians et placans Deum hominibus, idque « per fidem in sanguine ipsius, » id est, per fidem sui sanguinis et passionis, *q. d.* Qui fide credunt Christum passum et mortuum esse, itaque factum esse propitiatorem pro peccatis nostris, his voluit Deus Christum esse propitiatorem. Ita Anselmus. Vel plenius sic, *q. d.* Propitiationis vel reconciliationis Christi voluit nos Deus participes fieri per fidem, qua credimus eum esse nos-

(1) Vers. 25 et 26 : Quem (Christum) Deus proposuit expiatorem, per fidem in ejus morte collocandam, ut ostenderet justitiam et amorem suum, in eo quod credentibus remisit peccata olim ab ipsis commissa, pro sua lenitate : ut appareat, inquam (repetit enim quod dixerat, ut sæpe solet, ubi quid altius vult infigere animis), eum esse justum ac benignum, et absolvere quemlibet credentem in Jesum.

trum propitiatorem, qua fide excitamur in spem veniæ, amorem Dei et peccatorum detestationem, itaque disponimur ad justificationem : ita Concilium Tridentinum, sess. VI, cap. II et VI. Pulchre S. Anselmus, lib. *Cur Deus homo*, cap. IX : « Quid, ait, misericordius intelligi valet, quam cum peccatori damnato æternis tormentis, et unde se redimat non habenti, Deus Pater dicit : Accipe unigenitum meum, et da pro te; et ipse Filius : Tolle me, et redde pro te? »

Nihil ergo hic habent hæretici pro fide speciali justificante, qua scilicet certissime credam mihi, mihi, inquam, in particulari et in individuo per Christum esse remissa peccata; itaque hoc ipso, quod id credo, peccata mihi remitti meque justificari, ut ipsi volunt. Nil enim tale dicit hic Apostolus; sed verba ejus generalia sunt : « Per fidem, ait, in sanguine ipsius, » id est per fidem passionis Christi.

Aliter Chrysostomus, Theodoretus, Ambrosius et Toletus, τὸ *in sanguine* referunt ad *propitiatorem*, *q. d.* Christus sanguine non animalium aut alieno, sed suo factus est propitiator. Sed hi frajiciunt et interjicinnt τὸ *per fidem*. Prior ergo sensus planior est. Adde, tunc vertendum esset, *in sanguine suo*, non *ipsius*, ut vertit Noster. Alioqui si Græca solum spectes, et phrasim Apostoli, sensus hic S. Chrysostomi probabilior est : solet enim Apostolus verba trajicere, ut dixi *Can.* 38.

AD OSTENSIONEM JUSTITIÆ SUÆ. — Refert hæc verba ad *quem proposuit Deus propitiationem*, ad hoc scilicet, ut per eum ostenderet justitiam suam. Jam per *justitiam* hic Theodoretus intelligit bonitatem : hanc enim vel maxime ostendit Deus in Christo.

Secundo, Ambrosius per *justitiam* accipit fidelitatem, qua Deus, sicuti hanc propitiationem et justitiam per Christum dandam nobis promisit, ita et reipsa præstitit et exhibuit.

Tertio, Origenes *justitiam* Dei interpretatur justam peccati vindictam, qua Deus noluit gratis remittere peccata, sed pro peccato voluit justum pretium sanguinis Christi sibi persolvi. Verum quia hæc ostensio justitiæ Dei consistit in remissione peccatorum et justificatione nostra, ut sequitur : hinc

Quarto, magis genuine Chrysostomus, Augustinus, Anselmus *justitiam* hic proprie accipiunt, uti et paulo ante capitur, hoc sensu, *q. d.* Proposuit nobis Deus propitiatorem Christum, hoc fine, ut scilicet divitias justitiæ, qua Deus in se justus est, ostenderet, communicando nobis peccatoribus eamdem justitiam; ostenderet, inquam, se esse illum, qui justificat peccatores per Christum, suamque esse hanc justitiam, non hominum. Hæc enim justitia in lege veteri non erat ostensa, nec manifestata. Hunc esse sensum patet ex eo, quod paulo post vers. 26 ita se explicet Apostolus, dicens : « Ut sit ipse (Deus) justus, et justificans eum qui est ex fide Jesu Christi. »

Nota, in hisce Apostoli verbis notari et designari omnes causas justificationis. Nam *prima* causa efficiens est Deus; *secunda*, meritoria est Christus; *tertia*, instrumentalis est sanguis Christi; *quarta*, applicans est fides; *quinta*, formalis est remissio peccatorum per gratiam sanctificantem; finalis denique, est ostensio justitiæ Dei.

PROPTER (id est, ad) REMISSIONEM PRÆCEDENTIUM DELICTORUM, — scilicet Adæ et aliorum ante Christum; vel *propter*, id est *per* remissionem. Græce enim διά cum accusativo apud Atticos significat *per*, *q. d.* Christus omnia etiam præcedentia peccata abolevit; jam ergo amplius non est peccandum post tantum amorem et pretium nobis exhibitum : sat vitiis, sat veneri ventrique datum, nunc vivite Christo.

Nota : pro *remissionem* græce est πάρεσιν, quod *primo*, condonationem significat. Ita explicat Anselmus, Origenes et noster interpres, ut πάρεσιν idem sit quod ἄφεσιν. Παρίημι enim quandoque significat aliquid de suo remittere et transilire, id est condonare, ut notat Budæus.

Secundo, πάρεσις significat tabem, corruptionem, virium remissionem et debilitatem; ita explicat S. Chrysostomus et Theodoretus, *q. d.* διὰ πάρεσιν, id est, propter tabem præcedentium delictorum, ut scilicet antiqua et quasi tabida peccata et vitia aboleret, et mundum quasi languidum et paralyticum sanaret; hac de causa venit Christus Christique justitia in mundum.

Tertio, S. Augustinus, *De Spirit. et Litt.*, cap. III, et Ambrosius, pro πάρεσιν legunt πρόθεσιν, id est propositum. Jam per *propositum præcedentium delictorum*, intelligunt ipsi benignam Dei voluntatem et beneplacitum, sive εὐδοκίαν, qua placuit Deo peccatoribus subvenire, eosque a præteritis suis delictis liberare. Verum primus sensus clarissimus et planissimus est.

26. PRÆCEDENTIUM DELICTORUM (quæ fuerunt) IN SUSTENTATIONE DEI, — *q. d.* Quæ delicta Deus sustentavit, id est toleravit, diu exspectavit, donec Christus veniret eaque expiaret, itaque ostenderet justitiam veram in hoc tempore gratiæ, eamque credentibus daret : ita Anselmus.

UT SIT IPSE JUSTUS, ET JUSTIFICANS EUM, QUI EST EX FIDE JESU CHRISTI. — « Justus, » id est fidelis in promissis; vel potius « justus, » id est sanctus et rectissimus. Adeo odit peccatum Deus, ut ideo Filium dederit in mortem, ut pro peccato ex justitia satisfaceret, et a peccato homines ad sanctitatem et rectitudinem suam originalem, in qua a Deo conditi erant in paradiso, traduceret; itaque ipse justus suam justitiam nobis communicaret, nosque justificaret per Christum : vide dicta vers. 25.

27. UBI EST ERGO GLORIATIO TUA? — qua, o Judæe, gloriaris et arrogas tibi ex circumcisione, sacrificiis aliisque operibus legis Mosaicæ, justitiam.

EXCLUSA EST. PER QUAM LEGEM? FACTORUM? NON;

SED PER LEGEM FIDEI. — Nota ex S. Augustino, lib. *De Spirit. et Litt.*, cap. XIII, et passim contra Pelagianos : Lex factorum est ea, quæ jubet quid sit faciendum ; lex fidei est ipsa fides, quæ impetrat gratiam faciendi quod lex jubet.

Lex factorum est lex vetus ; lex fidei est lex nova.

Lex factorum continet præceptum ; lex fidei, auxilium.

Lex factorum dat lucem, **ut sciamus** ; lex fidei dat virtutem, ut faciamus.

Lege factorum dicit Deus : Fac quæ jubeo ; lege fidei dicimus : Da quod jubes.

Lex factorum est ea, quæ externa opera et facta, eaque multa præscribit ; lex fidei est ea, quæ actiones interiores ordinat, inter quas prima est fides et amor.

Denique quod hic dicit Apostolus, justitiam quærendam esse ex lege fidei, non autem ex lege factorum, idem est cum eo quod dixit cap. II, vers. 29, circumcisionem cordis fieri spiritu, non littera.

28. ARBITRAMUR. — Græce λογιζόμεθα, id est colligimus et ratiocinamur.

ERGO. — Græce οὖν, id est *igitur* : est enim hæc omnium hactenus dictorum conclusio, *q. d.* Igitur ex dictis colligimus et concludimus, « justificari hominem per fidem sine operibus legis. »

JUSTIFICARI HOMINEM PER FIDEM. — Lutherus addit *solam*, *q. d.* Apostolus : Sola fide sine ullis operibus justificamur. Cumque Catholicus quidam hoc ei objiceret, eumque quasi falsarium argueret, Lutherus ita respondit, ut patet tom. IV operum Germanic. Lutheri, quæ excusa sunt Wittembergæ, anno Christi 1551, fol. 475, pag. 2 : « Doctor Martinus Lutherus vult sic habere, et dicit Papistam et asinum rem esse unam. Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas. Nolumus enim Papistarum scholares esse, sed judices. Lutherus ita vult, et ait se Doctorem super omnes doctores totius Papatus. » Audisti Luciferum Lutheri ore loquentem. Dico ergo, Apostolus ait nos justificari per fidem, non solam, sed tanquam radicem, fundamentum et initium justificationis : ita Concilium Tridentinum, sess. VI, cap. VIII ; « per fidem, » inquam, talem, quæ ad spem, pœnitentiam et charitatem se diffundat, ut patet *Galat.* V, 6 ; I *Cor.* XIII, 3. Adde, justitiam ab Apostolo fidei præ aliis virtutibus tribui, eo quod fides clare ostendat homines justificari, non propria virtute aut merito, sed Christi, in quem credentes salvi fiunt. Hæc enim initio Ecclesiæ maxime inculcanda erat mundo.

Ubi nota : Cum Apostolus hic passim fidem ab operibus separat et distinguit, opera intelligit legis, non solum cæremonialia et judicialia, ut volunt Ambrosius et Theophylactus, sed et moralia, sive decalogi (ut recte docet S. Augustinus, *De Spirit. et Litt.*, cap. IV), solo legis dictamine, et solis naturæ viribus facta. Sub fide vero gratiam, spem, charitatem cæterasque virtutes Christianas collocat et complectitur. Id ita esse patet *primo*, ex cap. XII, vers. 3, ubi gratias, dona, virtutes quas Deus variis varie distribuit, vocat Paulus « mensuram fidei, » quam cuique Deus dividit. Idem clare patet ex epist. S. *Jacobi*, cap. II, vers. 21 et seq., ubi sic ait : « Abraham pater noster, nonne ex operibus justificatus est, offerens Isaac filium suum super altare ? Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius ; et ex operibus fides consummata est ? et suppleta est Scriptura dicens : Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam. » Quid clarius contra Novantes, qui ex sola fide hominem justificari volunt, dici posset ?

Secundo, idipsum patet ex scopo Apostoli. Tantum enim vult Apostolus hic probare necessitatem fidei et gratiæ Christi, ex eo quod opera sive legis, sive naturæ, sine hac fide et gratia Christi non potuerint nos a peccato justificare ; alioquin enim gratis mortuus esset Christus. Hoc autem non sequitur, si dicamus justificari nos ex operibus factis ex gratia Christi, quia illa habemus a Christo ; unde de illis, non in nobis, sed in Christo gloriamur, imo per illa magis illustramus fidem et gratiam Christi. Ita Patres et S. Augustinus, *De Fide et Operib.*, cap. IV. Agit enim Apostolus contra Judæos, qui jactabant opera non fidei, sed legis. Vide *Can.* 2 et 3.

Dices : Non videtur Apostolus hic agere contra Judæos ; nam Judæi habuerunt ante Christum fidem Christi venturi, et ex ea justificati sunt.

Respondeo : Ita est ; sed, cum Christus venit, tunc Judæi hanc fidem in Christum amiserunt, et sine fide Christi, quem recipere noluerunt, asseruerunt sibi deberi justitiam ex operibus legis, puta ex circumcisione, sacrificiis aliisque lustrationibus et observantiis legis ; itaque a justitia et salute exciderunt. Unde solerter annotavit S. Augustinus, loco jam citato, quod S. Jacobus timens ne quis ex S. Paulo erraret putaretque solam fidem justificare, scripserit suam epistolam hoc fine, ut doceat opera requiri ad justificationem. Cum ergo S. Paulus negat opera justificare, intelligit opera legis et naturæ, quæ fiunt per legem et naturæ vires, seclusa fide et gratia Christi. Cum vero S. Jacobus asserit opera justificare, opera intelligit facta ex fide et gratia Christi. Atque, ut ait S. Augustinus, lib. LXXXIII *Quæst.*, cap. LXXVI, Paulus intelligit opera quæ fidem præcedunt, Jacobus vero intelligit opera quæ fidem sequuntur.

Paulus loquitur de operibus ante fidem, Jacobus de operibus post fidem.

Licet vero Paulus generatim loquatur de operibus cujuslibet legis, etiam naturalis et decalogi, ut patet vers. 20 : « Per legem, ait, cognitio peccati ; » et cap. II, vers. 12, 13 et 14, ubi ait factores legis, non auditores justificari, et Gentes naturaliter facere ea quæ legis sunt : tamen, cum ait nos justificari per fidem sine operibus legis, per *opera legis* præcipue accipit opera cæremonialia et lege cæremoniali præcepta, qualia sunt circumcidere præputium, lustrare se aqua lustrali, offerre victimas pro peccato, etc. Nam loquitur de ea lege quæ opponitur fidei, fidei autem proprie opponitur non decalogus, sed lex cæremonialis, quia figura erat, sicut fides est veritas : figura autem et veritas opponuntur. Id patet ex hoc versu, ubi fidem opponit operibus legis, illique, non his, justificandi vim tribuit ; et vers. 30 : « Unus, ait, est Deus, qui justificat circumcisionem (circumcisum) ex fide, et præputium (præputiatum Gentilem) per fidem ; » et vers. 31 : « Legem ergo destruimus per fidem ? absit : sed legem statuimus. » Ex quibus omnibus liquet, Apostolum præcipue agere hic de lege, quæ tanquam umbra et figura opponitur fidei, tanquam veritati et corpori ; ac consequenter « opera legis » vocari ab eo opera legis cæremonialis potius quam naturalis et decalogi. Ita Maldonatus. Vult enim nos justificari per fidem, non per circumcisionem, aliasque cæremonias et sacrificia legis veteris, quibus se justificari putabant Judæi.

29. AN JUDÆORUM DEUS TANTUM ? NONNE ET GENTIUM ? — Est novum argumentum, quo probat Paulus ex absurdo nos justificari, non ex operibus legis, sed ex fide Christi : quia scilicet si ex operibus legis justificaremur, ergo justitia alligata esset legi Mosaicæ et Judæis, ac consequenter Deus videretur tantum Judæorum habere curam, esseque Judæorum Deus tantum, non Gentium, quod est absurdum.

Vers. 30. 30. UNUS EST DEUS (Judæorum et Gentium), QUI JUSTIFICAT CIRCUMCISIONEM (id est circumcisos, puta Judæos) EX FIDE, ET PRÆPUTIUM (id est præputiatos, puta Gentiles : vide *can.* 21) PER FIDEM.

31. LEGEM ERGO DESTRUIMUS PER FIDEM ? — Occurrit objectioni Judæorum dicentium : Tu, Paule, justitiam adimis legi, eamque arrogas fidei, ergo legem destruis per fidem. Respondet Paulus :

ABSIT : SED (potius) LEGEM STATUIMUS. — Quia lex statuitur et confirmatur ex eo quod illa quæ lex illa significabant et promittebat, per Evangelium (quod fidem hic appellat Paulus) completa sunt. Messias enim in lege nova adimplevit, et adimplendo quasi stabilivit et confirmavit quidquid Moses præfiguravit in lege veteri.

Nota : Opponit Paulus verbum ἱστάνω (quod respondet Hebræo הקים *hakim*), id est statuo, stabilio, facio ut aliquid stet, alioqui vacillans et casurum, verbo καταργέω (quod respondet Hebræo הפיר *hephir*), id est destruo, aboleo, irritum facio, *q. d.* Ego per Evangelium adeo legem non destruo, non dejicio, ut eam per hoc stare faciam, stabiliam et confirmem. Evangelium enim est confirmatio, ratificatio, obsignatio legis et Prophetarum. Præclare S. Prosper, in *Sententiis* excerptis ex S. Augustino, quæ habentur in fine tom. III S. Augustini, num. 44 : « Lex, ait, data est ut gratia quæreretur, gratia data est ut lex impleretur. Neque enim suo vitio non impleba-tur, sed vitio prudentiæ carnis, quod vitium per legem demonstrandum, per gratiam sanandum fuit (1). »

Evangelium est confirmatio et obsignatio legis et Prophetarum.

(1) Ostendit Paulus ab hoc commate 31 usque ad cap. IV, 25, doctrinam Apostolicam de fide non repugnare doctrinæ veteris Test., sed potius cum ea optime consentire : Per *legem* h. l. intelligitur doctrina quæ in sacris libris veteris Testam. continetur ; *fides* vero est doctrina de fide.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit probare exemplo Abrahæ, non per opera legis aut naturæ, sed per fidem Christi, omnes justificari. Ita Origenes et Œcumenius.

Primo ergo urget illa verba Genes. XV : Credidit Abraham Deo ; et reputatum est illi ad justitiam.

Secundo, vers. 10, *docet hæc verba dicta esse Abrahæ ante datam ipsi circumcisionem, quam postea Abraham accepit, ut esset signaculum justitiæ jam acceptæ per fidem : indeque concludit nos pari modo, non per circumcisionem aut legem, sed per fidem justificari.*

Tertio, vers. 13, *docet non per legem, sed per fidem nos amplecti et participare benedictionem, id est justitiam et salutem Abrahæ ejusque semini gratuito promissam, adeoque omnes ea, qui Abrahæ fidem imitantur, sive ii Gentiles sint, sive Judæi, veros esse Abrahæ filios et hæredes.*

Quarto, vers. 18, *exaggerat Abrahæ fidem, quod contra spem in spem crediderit se senem ex Sara anu et sterili generaturum Isaac, et semen a Deo promissum ; indeque vers.* 23, *infert hanc Abrahæ fidem nobis imitandam esse, si justificari et salvari velimus.*

1. Quid ergo dicemus invenisse Abraham patrem nostrum secundum carnem ? 2. Si enim Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum. 3. Quid

SED PER LEGEM FIDEI. — Nota ex S. Augustino, lib. *De Spirit. et Litt.*, cap. XIII, et passim contra Pelagianos : Lex factorum est ea, quæ jubet quid sit faciendum ; lex fidei est ipsa fides, quæ impetrat gratiam faciendi quod lex jubet.

Lex factorum est lex vetus ; lex fidei est lex nova.

Lex factorum continet præceptum ; lex fidei, auxilium.

Lex factorum dat lucem, **ut sciamus** ; lex fidei dat virtutem, ut faciamus.

Lege factorum dicit Deus : Fac quæ jubeo ; lege fidei dicimus : Da quod jubes.

Lex factorum est ea, quæ externa opera et facta, eaque multa præscribit ; lex fidei est ea, quæ actiones interiores ordinat, inter quas prima est fides et amor.

Denique quod hic dicit Apostolus, justitiam quærendam esse ex lege fidei, non autem ex lege factorum, idem est cum eo quod dixit cap. II, vers. 29, circumcisionem cordis fieri spiritu, non littera.

28. ARBITRAMUR. — Græce λογιζόμεθα, id est colligimus et ratiocinamur.

ERGO. — Græce οὖν, id est *igitur* : est enim hæc omnium hactenus dictorum conclusio, *q. d.* Igitur ex dictis colligimus et concludimus, « justificari hominem per fidem sine operibus legis. »

JUSTIFICARI HOMINEM PER FIDEM. — Lutherus addit *solam*, *q. d.* Apostolus : Sola fide sine ullis operibus justificamur. Cumque Catholicus quidam hoc ei objiceret, eumque quasi falsarium argueret, Lutherus ita respondit, ut patet tom. IV operum Germanic. Lutheri, quæ excusa sunt Wittembergæ, anno Christi 1551, fol. 475, pag. 2 : « Doctor Martinus Lutherus vult sic habere, et dicit Papistam et asinum rem esse unam. Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas. Nolumus enim Papistarum scholares esse, sed judices. Lutherus ita vult, et ait se Doctorem super omnes doctores totius Papatus. » Audisti Luciferum Lutheri ore loquentem. Dico ergo, Apostolus ait nos justificari per fidem, non solam, sed tanquam radicem, fundamentum et initium justificationis : ita Concilium Tridentinum, sess. VI, cap. VIII ; « per fidem, » inquam, talem, quæ ad spem, pœnitentiam et charitatem se diffundat, ut patet *Galat.* V, 6 ; I *Cor.* XIII, 3. Adde, justitiam ab Apostolo fidei præ aliis virtutibus tribui, eo quod fides clare ostendat homines justificari, non propria virtute aut merito, sed Christi, in quem credentes salvi fiunt. Hæc enim initio Ecclesiæ maxime inculcanda erat mundo.

Ubi nota : Cum Apostolus hic passim fidem ab operibus separat et distinguit, opera intelligit legis, non solum cæremonialia et judicialia, ut volunt Ambrosius et Theophylactus, sed et moralia, sive decalogi (ut recte docet S. Augustinus, *De Spirit. et Litt.*, cap. IV), solo legis dictamine, et solis naturæ viribus facta. Sub fide vero gratiam, spem, charitatem cæterasque virtutes Christianas collocat et complectitur. Id ita esse patet *primo*, ex cap. XII, vers. 3, ubi gratias, dona, virtutes quas Deus variis varie distribuit, vocat Paulus « mensuram fidei, » quam cuique Deus dividit. Idem clare patet ex epist. S. *Jacobi*, cap. II, vers. 21 et seq., ubi sic ait : « Abraham pater noster, nonne ex operibus justificatus est, offerens Isaac filium suum super altare ? Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius ; et ex operibus fides consummata est ? et suppleta est Scriptura dicens : Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam. » Quid clarius contra Novantes, qui ex sola fide hominem justificari volunt, dici posset ?

Secundo, idipsum patet ex scopo Apostoli. Tantum enim vult Apostolus hic probare necessitatem fidei et gratiæ Christi, ex eo quod opera sive legis, sive naturæ, sine hac fide et gratia Christi non potuerint nos a peccato justificare ; alioquin enim gratis mortuus esset Christus. Hoc autem non sequitur, si dicamus justificari nos ex operibus factis ex gratia Christi, quia illa habemus a Christo ; unde de illis, non in nobis, sed in Christo gloriamur, imo per illa magis illustramus fidem et gratiam Christi. Ita Patres et S. Augustinus, *De Fide et Operib.*, cap. IV. Agit enim Apostolus contra Judæos, qui jactabant opera non fidei, sed legis. Vide *Can.* 2 et 3.

Dices : Non videtur Apostolus hic agere contra Judæos ; nam Judæi habuerunt ante Christum fidem Christi venturi, et ex ea justificati sunt.

Respondeo : Ita est ; sed, cum Christus venit, tunc Judæi hanc fidem in Christum amiserunt, et sine fide Christi, quem recipere noluerunt, asseruerunt sibi deberi justitiam ex operibus legis, puta ex circumcisione, sacrificiis aliisque lustrationibus et observantiis legis ; itaque a justitia et salute exciderunt. Unde solerter annotavit S. Augustinus, loco jam citato, quod S. Jacobus timens ne quis ex S. Paulo erraret putaretque solam fidem justificare, scripserit suam epistolam hoc fine, ut doceat opera requiri ad justificationem. Cum ergo S. Paulus negat opera justificare, intelligit opera legis et naturæ, quæ fiunt per legem et naturæ vires, seclusa fide et gratia Christi. Cum vero S. Jacobus asserit opera justificare, opera intelligit facta ex fide et gratia Christi. Atque, ut ait S. Augustinus, lib. LXXXIII *Quæst.*, cap. LXXVI, Paulus intelligit opera quæ fidem præcedunt, Jacobus vero intelligit opera quæ fidem sequuntur.

Paulus loquitur de operibus ante fidem, Jacobus de operibus post fidem.

Licet vero Paulus generatim loquatur de operibus cujuslibet legis, etiam naturalis et decalogi, ut patet vers. 20 : « Per legem, ait, cognitio peccati ; » et cap. II, vers. 12, 13 et 14, ubi ait factores legis, non auditores justificari, et Gentes naturaliter facere ea quæ legis sunt : tamen, cum ait nos justificari per fidem sine operibus legis, per *opera legis* præcipue accipit opera cæremonialia et lege cæremoniali præcepta, qualia sunt circumcidere præputium, lustrare se aqua lustrali, offerre victimas pro peccato, etc. Nam loquitur de ea lege quæ opponitur fidei, fidei autem proprie opponitur non decalogus, sed lex cæremonialis, quia figura erat, sicut fides est veritas : figura autem et veritas opponuntur. Id patet ex hoc versu, ubi fidem opponit operibus legis, illique, non his, justificandi vim tribuit ; et vers. 30 : « Unus, ait, est Deus, qui justificat circumcisionem (circumcisum) ex fide, et præputium (præputiatum Gentilem) per fidem ; » et vers. 31 : « Legem ergo destruimus per fidem ? absit : sed legem statuimus. » Ex quibus omnibus liquet, Apostolum præcipue agere hic de lege, quæ tanquam umbra et figura opponitur fidei, tanquam veritati et corpori ; ac consequenter « opera legis » vocari ab eo opera legis cæremonialis potius quam naturalis et decalogi. Ita Maldonatus. Vult enim nos justificari per fidem, non per circumcisionem, aliasque cæremonias et sacrificia legis veteris, quibus se justificari putabant Judæi.

29. AN JUDÆORUM DEUS TANTUM ? NONNE ET GENTIUM ? — Est novum argumentum, quo probat Paulus ex absurdo nos justificari, non ex operibus legis, sed ex fide Christi : quia scilicet si ex operibus legis justificaremur, ergo justitia alligata esset legi Mosaicæ et Judæis, ac consequenter Deus videretur tantum Judæorum habere curam, esseque Judæorum Deus tantum, non Gentium, quod est absurdum.

Vers. 30. 30. UNUS EST DEUS (Judæorum et Gentium), QUI JUSTIFICAT CIRCUMCISIONEM (id est circumcisos, puta Judæos) EX FIDE, ET PRÆPUTIUM (id est præputiatos, puta Gentiles : vide *can.* 21) PER FIDEM.

31. LEGEM ERGO DESTRUIMUS PER FIDEM ? — Occurrit objectioni Judæorum dicentium : Tu, Paule, justitiam adimis legi, eamque arrogas fidei, ergo legem destruis per fidem. Respondet Paulus :

ABSIT : SED (potius) LEGEM STATUIMUS. — Quia lex statuitur et confirmatur ex eo quod illa quæ lex illa significabant et promittebat, per Evangelium (quod fidem hic appellat Paulus) completa sunt. Messias enim in lege nova adimplevit, et adimplendo quasi stabilivit et confirmavit quidquid Moses præfiguravit in lege veteri.

Nota : Opponit Paulus verbum ἱστάνω (quod respondet Hebræo הקים *hakim*), id est statuo, stabilio, facio ut aliquid stet, alioqui vacillans et casurum, verbo καταργέω (quod respondet Hebræo הפיר *hephir*), id est destruo, aboleo, irritum facio, *q. d.* Ego per Evangelium adeo legem non destruo, non dejicio, ut eam per hoc stare faciam, stabiliam et confirmem. Evangelium enim est confirmatio, ratificatio, obsignatio legis et Prophetarum. Præclare S. Prosper, in *Sententiis* excerptis ex S. Augustino, quæ habentur in fine tom. III S. Augustini, num. 44 : « Lex, ait, data est ut gratia quæreretur, gratia data est ut lex impleretur. Neque enim suo vitio non impleba-tur, sed vitio prudentiæ carnis, quod vitium per legem demonstrandum, per gratiam sanandum fuit (1). »

Evangelium est confirmatio et obsignatio legis et Prophetarum.

(1) Ostendit Paulus ab hoc commate 31 usque ad cap. IV, 25, doctrinam Apostolicam de fide non repugnare doctrinæ veteris Test., sed potius cum ea optime consentire : Per *legem* h. l. intelligitur doctrina quæ in sacris libris veteris Testam. continetur ; *fides* vero est doctrina de fide.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit probare exemplo Abrahæ, non per opera legis aut naturæ, sed per fidem Christi, omnes justificari. Ita Origenes et Œcumenius.

Primo ergo urget illa verba Genes. XV : Credidit Abraham Deo ; et reputatum est illi ad justitiam.

Secundo, vers. 10, *docet hæc verba dicta esse Abrahæ ante datam ipsi circumcisionem, quam postea Abraham accepit, ut esset signaculum justitiæ jam acceptæ per fidem : indeque concludit nos pari modo, non per circumcisionem aut legem, sed per fidem justificari.*

Tertio, vers. 13, *docet non per legem, sed per fidem nos amplecti et participare benedictionem, id est justitiam et salutem Abrahæ ejusque semini gratuito promissam, adeoque omnes ea, qui Abrahæ fidem imitantur, sive ii Gentiles sint, sive Judæi, veros esse Abrahæ filios et hæredes.*

Quarto, vers. 18, *exaggerat Abrahæ fidem, quod contra spem in spem crediderit se senem ex Sara anu et sterili generaturum Isaac, et semen a Deo promissum ; indeque vers.* 23, *infert hanc Abrahæ fidem nobis imitandam esse, si justificari et salvari velimus.*

1. Quid ergo dicemus invenisse Abraham patrem nostrum secundum carnem ? 2. Si enim Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum. 3. Quid

enim dicit Scriptura? Credidit Abraham Deo : et reputatum est illi ad justitiam. 4. Ei autem, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. 5. Ei vero, qui non operatur, credenti autem in eum qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam secundum propositum gratiæ Dei. 6. Sicut et David dicit beatitudinem hominis, cui Deus accepto fert justitiam sine operibus : 7. Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. 8. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum. 9. Beatitudo ergo hæc in circumcisione tantum manet, an etiam in præputio? Dicimus enim quia reputata est Abrahæ fides ad justitiam. 10. Quomodo ergo reputata est? in circumcisione, an in præputio? Non in circumcisione, sed in præputio. 11. Et signum accepit circumcisionis, signaculum justitiæ fidei, quæ est in præputio : ut sit pater omnium credentium per præputium, ut reputetur et illis ad justitiam : 12. et sit pater circumcisionis, non iis tantum qui sunt ex circumcisione, sed et iis qui sectantur vestigia fidei : quæ est in præputio patris nostri Abrahæ. 13. Non enim per legem promissio Abrahæ, aut semini ejus, ut hæres esset mundi : sed per justitiam fidei. 14. Si enim qui ex lege, hæredes sunt, exinanita est fides, abolita est promissio. 15. Lex enim iram operatur. Ubi enim non est lex, nec prævaricatio. 16. Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini, non ei qui ex lege est solum, sed et ei qui ex fide est Abrahæ, qui pater est omnium nostrum, 17. (sicut scriptum est : quia patrem multarum gentium posui te), ante Deum, cui credidit, qui vivificat mortuos, et vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt. 18. Qui contra spem in spem credidit, ut fieret pater multarum gentium, secundum quod dictum est ei : Sic erit semen tuum. 19. Et non infirmatus est fide, nec consideravit corpus suum emortuum, cum jam fere centum esset annorum, et emortuum vulvam Saræ. 20. In repromissione etiam Dei non hæsitavit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo : 21. plenissime sciens quia quæcumque promisit, potens est et facere. 22. Ideo et reputatum est illi ad justitiam. 23. Non est autem scriptum tantum propter ipsum, quia reputatum est illi ad justitiam; 24. sed et propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum, qui suscitavit Jesum Christum Dominum nostrum a mortuis, 25. qui traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram.

1. QUID ERGO DICEMUS INVENISSE ABRAHAM? — *q. d.* Quam justitiam, an fidei, an operum legis dicemus Abraham invenisse, id est accepisse? et, ut Syrus, adeptum esse? hoc enim Hebræis est מצא *matsa*, id est invenire. Sic dicitur *Luc.* I, et alibi : « Invenisti gratiam apud Deum, » id est nacta et adepta es Dei favorem et benevolentiam (1).

2. SI ENIM ABRAHAM EX OPERIBUS JUSTIFICATUS EST, HABET GLORIAM, SED NON APUD DEUM, — *q. d.* Si Abraham tantum habet eam justitiam, quæ ex operibus est legis aut naturæ, seclusa fide, sane ea parva est et politica, tantum habens gloriam et laudem justitiæ apud homines, qui opera externa vident et mirantur; non autem apud Deum, qui internam mentem et fidem videt et æstimat, in eaque collocat veram justitiam. Hisce tribus primis capitis versibus nonnulla supplenda sunt; ea ergo sic supple et connecte : « Quid ergo dicemus Abraham patrem nostrum invenisse secundum carnem? » (sic enim græca habent, ut verbum *invenisse* in Latino trajiciendum sit et jungendum cum τὸ *secundum carnem*), quasi dicat : Quid fructus invenit, id est adeptus est Abraham ex circumcisione carnis, et ex cæremoniis nudam carnem tangentibus? subaudi, nihil. Hujus responsionis mox causam reddit vers. 2, dicens : « Si enim Abraham ex operibus (ex circumcisione sui et suorum) justificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum : » hoc est, si enim ex operibus carnis jam dictis justitiam consecutus esset, habuisset gloriam, sed non apud Deum, jam autem certum est eum etiam apud Deum gloriam habuisse, scriptum est enim : « Credidit Abraham Deo, et reputatum est ei ad justitiam. » Ergo non ex operibus carnis, sed quia credidit, id est ex fide, justitiam consecutus est. Hinc ergo patet Apostolum maxime de operibus cæremonialibus loqui. Possunt tamen generatim opera accipi,

(1) Vers. 1. Quid, exempli gratia, Abrahamum dicemus consecutum esse secundum carneam, id est, ob *opera externa*, ut sunt circumcisio, oblationes, sacrificia; vel, ut sit Allioli, ob meram legis adimpletionem? Vers. 2. Si enim, id est, sane, profecto, si Abrahamus, etc.

quæcumque solis natur.æ viribus sine fide et gratia Christi sunt facta, uti communiter exponunt interpretes, sicut dicam vers. 4 et 5, hæc enim a negotio justificationis excludit Apostolus.

3. QUID ENIM DICIT SCRIPTURA? — Probat Paulus ex Scriptura, *Genes.* XV, quod Abraham justitiam et gloriam apud Deum adeptus sit, non ex operibus legis, sed ex fide.

CREDIDIT ABRAHAM DEO — promittenti sibi et Saræ conjugibus, senibus, sterilibus, infirmis et impotentibus ad generandum, semen, id est posteritatem, tum carnalem ex Isaac, tum spiritualem ex Christo, credentium et Christianorum. Unde hoc credere « reputatum est illi ad justitiam, » quia hic actus fidei in Abrahamo fuit valde heroicus, ut patebit vers. 18.

Mira fides Abrahami.

ET REPUTATUM EST ILLI AD JUSTITIAM.—*Genes.* XV, 6, in Hebræo habetur ויחשבה לו צדקה *vajachsebeha lo tsedaka*, id est, *et reputavit illam*, scilicet fidem, *Deus illi ad justitiam* : non quasi justitia Christi, id est Christo inhærens, per fidem imputetur Abrahæ et nobis, nosque justos formaliter non efficiat, sed denominet, uti fingunt Novantes. Sic enim dixisset Scriptura : Imputavit Deus Abrahæ justitiam Christi; jam autem contrarium dicit, scilicet quod Deus ipsi Abrahæ fidem, non Christi, sed ipsiusmet Abrahæ, imputarit ad justitiam.

Error Novatium, qui dicunt nos Christi justitia justificari.

Sensus ergo hujus phrasis est : Fides tam Abrahæ quam nostra, quæ ex natura sua, uti actus est hominis, non est justitia, nec justitiam parere aut producere potest, a Deo tamen acceptatur ad justitiam tam Abrahæ, quam nobis tribuendam; ut scilicet propter hanc fidem, Deus Abrahæ et nobis justitiam largiatur et infundat, reputetque nos justos, amicos et filios suos. Et hoc est, quod subdit Apostolus vers. 5 : « Secundum propositum gratiæ Dei, » id est secundum gratiosam, benevolam et liberalem Dei voluntatem, quæ statuit, ut per actum fidei formatæ, id est per contritionem, gratia justitiaque detur sine operibus, id est sine merito operum : reputari enim dicitur pro tali, quod in se tale non est, uti voluntas pro facto reputari dicitur. Ita Concilium Tridentinum, sess. VI. Ubi nota plane aliud est imputare fidem ad justitiam, vel pro justitia, aliud imputare justitiam, ut patebit vers. 6.

Gratia justitiaque quando et quomodo detur sine operibus.

Alii sic explicant, *q. d.* Paulus : Abrahæ fides reputata est ei pro justitia, scilicet inchoata, id est pro via et dispositione ad justitiam.

Fides justitia inchoata est.

Verum quia S. Jacobus, cap. II, 23, addit : « Et amicus Dei appellatus est, » hac de causa, justitia hic non inchoata, sed completa accipienda videtur.

Abraham justus per fidem mortua justificatus est; sicut peccator per fidem justificatur.

Dices : Abraham jam erat justus, et per hoc credere, tantum factus est justior et sanctior; quomodo ergo concludit Apostolus : Si Abraham ex fide factus est justior, ergo necesse est ut impius et peccator per fidem pariter justificetur fiatque justus? Alia est enim ratio primæ, alia secundæ justificationis : alioque modo justificantur peccatores, alio justi, dum fiunt justiores.

Respondent aliqui, negando Abraham fuisse justum : ita Anselmus et S. Augustinus, præfat. in *Psal.* XXXI. Verum Abraham jam tum fuisse justum, sat patet *Genes.* XV, 1; *ad Hebræos* XI, 8, et idipsum docent passim alii interpretes.

Unde respondet *secundo* Pererius, esse hic argumentum a minori ad majus : Si Abraham jam justus adeptus est augmentum justitiæ non per opera legis, sed per fidem, qua credidit Deo promittenti magnam seminis posteritatem, *Genes.* XV, ergo multo magis initium justitiæ, seu primam justificationem, adipisci non possumus viribus naturæ, sed gratiæ tantum et fidei jam in Christum et per Christum propositæ, uti vers. 5 et sequenti explicat Paulus. Hæc expositio est probabilis.

Tertio et optime, respondet Toletus : hæc verba, ' *credidit Abraham*, etc., referenda esse non tantum ad immediate præcedentia, sed ad omnia antecedentia, *Genes.* XII et XIII. Vult enim Scriptura Abrahamum, qui pater est credentium et justorum, statuere exemplar justificationis, tum impii, ut docet hic Paulus, vers. 5, tum justorum, ut docet Paulus, vers. 20 et seq., et Jacobus, cap. II, vers. 23. Vult ergo sacra Scriptura dicere et asserere, Abrahamum tam primo justificatum esse per fidem, cum primo Deo credidit, quam secundo justificatum esse, hoc est, justiorem factum esse, et in justitia accepta crevisse, per fidem, qua secundo et deinceps Deo dicenti, loquenti, promittenti et præcipienti credidit.

Nota in Abrahamo non fuisse fidem nudam, sed sperantem, diligentem, invocantem, obedientem, et vestitam charitatis et obedientiæ operibus, quibus Deum vocantem secutus est, peregrinans tanto tempore per tot labores in Chanaan, quibusque postea obtulit Deo filium suum Isaac in holocaustum, ut docet S. Jacobus, II, 23; et Paulus, *Hebr.* XI, 8; et Moses, *Genes.* cap. XII, vers. 4 et seq.

Fides Abrahami fuit sperans, diligens, invocans, obediens.

Dices : Abraham hic sua fide non credidit in Christum, sed in Deum promittentem sibi semen: quomodo ergo ex hac Abrahæ fide, qua ipse justificatus est, infert hic Apostolus ad justificationem nostram requiri fidem in Christum?

Respondeo, Abraham etiam in prima sua justificatione credidisse in Christum. Hoc enim patet in Genesi non exprimat Moses, tamen ex hoc aliisque Pauli locis, atque ex Evangeliis idipsum certo constat. Passim enim Evangelistæ et Paulus docent neminem post lapsum potuisse justificari sine fide in Christum propitiatorem. In secunda vero justificatione non est necesse, quod Abraham actu explicite crediderit in Christum, uti nec jam idipsum in secunda nostra justificatione necessarium est.

Abraham in prima justificatione credidit in Christum.

Rursum ex fide Abrahæ in Deum promittentem semen, recte infert Apostolus fidem nostram in Christum, quia fides jam requisita a Deo ad justitiam, est fides in Christum; Genes. autem XV, Deus

ab Abrahamo tantum requisivit et exegit fidem seminis sui.

Christus præsignatus et secum ferus Abrahæ.

Adde Abrahamum, dum credidit hoc semen, implicite credidisse in Christum, qui primus, imo principium et finis erat in hoc semine Abrahæ promisso.

Denique credere ex tam impotentibus parentibus, Abrahamo scilicet et Sara, nasciturum tale semen, tum carnale, tum spirituale, quod credidit Abraham, arduus fuit fidei actus et amplissimus, omnia alia credenda tacite complectens. Unde recte proponitur tam a Mose, quam a Paulo quasi exemplar fidei, etiam primo justificantis.

Quæres, an Paulus hic de eadem justificatione loquatur, de qua loquitur Jacobus, cap. II, vers. 23, cum ait Abraham ex operibus justificatum esse. Negat Toletus et alii nonnulli : putant enim Paulum loqui de prima justificatione, quæ non est ex operibus, id est ex merito operum : Jacobum vero loqui de secunda justificatione, seu de justitiæ augmento; hoc enim meremur per opera nova.

Verum melius censent alii, tam Paulum quam Jacobum de utraque justificatione, prima scilicet et secunda loqui.

Paulus et Jacobus loquuntur de prima et secunda justificatione Abrahæ.

Primo, quia uterque producit justificationis Abrahæ exemplum : hæc autem justificatio Abrahæ, tam prima, quam secunda accipi debet, ut paulo ante ostendi.

Secundo, quia Jacobus profert exemplum Raab, quæ impia erat et meretrix. Ergo cum ipse sit eam adeptam esse justitiam, primam intelligit. Fuse idipsum ex testimonio S. Augustini et aliorum Doctorum probat Gabriel Vasquez, tom. II, in I II, disp. 210, cap. VIII. Paulus ergo etiam excludit a justificatione opera, intelligit opera viribus naturæ facta, ut dixi cap. III, vers. 30. Jacobus vero dum ad justificationem requirit opera, intelligit opera ex fide et gratia facta : hæc enim ad utramque justificationem requiruntur; quia tam acquirendæ, quam augendæ justificationis in hoc æqua est ratio, sed in modo est differentia : ad primam enim justificationem opera tantum disponunt, secundam vero merentur non quatenus sunt opera hominis, vel naturæ, sed quatenus fiunt ex fide et gratia Christi (sic enim non hominis, sed Christi Deique sunt opera). Unde sub fide ea Paulus complectitur.

Prima et secunda justificatio est gratuita.

Atque hæc est causa, cur tam secunda, quam prima justificatio dicatur fieri gratis. Sicut enim gratis facti sumus justi, ita gratis quoque magis justificari dicimur, eo quod gratis fidem et gratiam, qua meremur secundam justitiam, id est justitiæ augmentum, accepimus : « Quid enim aliud, ait S. Augustinus, Deus dum nostra opera, quam sua dona coronat? » Quo sensu Apostolus quoque vitam æternam, quam tamen meremur, vocat gratiam, cap. VI, vers. ult.m. Denique hinc docent Theologi, actum fidei esse meritorium in homine justificato, uti fuit in Abrahamo.

4. ET AUTEM QUI OPERATUR, MERCES NON IMPUTATUR SECUNDUM GRATIAM, SED SECUNDUM DEBITUM. 5. ET VERO QUI NON OPERATUR (id est qui non affert sua opera suæ naturæ viribus facta, nec ex iis quærit aut sperat justitiam, quasi mercedem iis debitam), CREDENTI AUTEM IN EUM QUI JUSTIFICAT IMPIUM, REPUTATUR FIDES EJUS AD JUSTITIAM (id est hic per fidem justificatur, ut dixi vers. 3) SECUNDUM PROPOSITUM (id est liberale decretum) GRATIÆ DEI. — De hoc proposito plura dicam cap. VIII, vers. 28. Hæc est argumentatio Apostoli : Abraham justificatus est gratis per fidem, quia scilicet credidit Deo, qui sua gratia justificat impium; non autem, quia bene suo marte operatus est, aut quia suis bonis operibus meritus est hanc justitiam : ergo et nunc hæc justificatio impiis et peccatoribus obtingit, non ex eorum operibus et meritis, sed gratis ex fide Christi, quem Deus proposuit nobis redemptorem et propitiatorem. Nam quod datur per fidem et gratiam, non merces est, sed gratia : quod vero datur pro operibus sive pro merito operum, merces est, non gratia. Cum ergo justificatio Abrahæ et nobis obtingat gratis per fidem, sequitur eam non obtingere ex operibus, ut operum et meritorum nostrorum sit merces.

Vers. 4. Vers. 5. Justitia per fidem non est ex operibus, sed gratuita.

6. SICUT ET DAVID DICIT (*Psal.* XXXI, 1) BEATITUDINEM HOMINIS (græce μακαρισμον, id est beatificationem, scilicet justificationem, illius hominis esse, id est beatum et justum esse hominem illum), CUI DEUS ACCEPTO FERT (græce λογιζεται, id est censet, reputat, ascribit) JUSTITIAM (hoc est, quem Deus censet et reputat esse justum) SINE OPERIBUS, — id est, non ex virtute aut merito operum, sed ex propria sua gratia.

Vers. 6.

Cur Paulus hic utatur verbo imputandi?

Nota hæc tria idem esse Apostolo, scilicet reputari, imputari et accepto ferre justitiam, eumque hac phrasi uti, quia potissimus effectus justitiæ est Deo placere, Deo esse gratum et acceptum, a Deo reputari pro amico, justo et sancto. Deus enim justificans gratuito remittit peccata et acceptat hominem ad suam amicitiam, ideoque infundit homini inhærentem justitiam, sicut rex munificus, quem Equitem sibi socium creat, dat ei vellus aureum : idque vel ex eo patet, quod vers. 3, 4, 5, dicit Apostolus fidem, quæ homini utique inhæret, imputari, id est acceptari, ad justitiam; et operanti mercedem imputari, id est computari pro debito; quia revera omnium judicio et computu debetur operario merces, operi promissa. Unde Budæus : λογιζεσθαι, inquit, verbum est arithmeticum, sicut ἀριθμεῖν, musicorum, ἀναλογίζεσθαι, geometrarum : λόγος enim rationem et computum significat. Sicut ergo merces, quæ computatur et numeratur fossori aut messori, non per heri imputationem vel æstimationem, sed per propriam laboris computationem, rationem et æstimationem, est merces; ita pariter justitia a Deo nobis computata et annumerata non per solam computantis imputationem, sed per scipsam, suamque intrinsecam rationem, computatum, æstimatur, et reipsa est vera et realis justitia.

Gratia non tantum peccatorum remissio, sed infusio ex justitiæ.

Contra Novatores, non imputatur nobis justitia Christi, sed nec fides.

Quid sit λογιζεσθαι, id est, imputare justitiam?

Peccata vere homini peccatori inhærent, cum imputatur illi justitia, sicut justitia.

Secundo, idipsum patet ex eo quod, vers. 8, simili modo dicit Apostolus, peccata imputari homini. Certum est enim, teste Calvino, peccata revera inhærere homini peccatori. Sic violatio voti dicitur reputari in peccatum, *Deuter.* XXIII, 21; et *Deut.* XXIV, 15, detentio mercedis alienæ dicitur reputari in peccatum. Constat autem hæc non tantum reputari, sed etiam revera in se esse peccata. Nec enim Deus, qui juste judicat, in peccatum reputare et quasi peccatum punire potest opus aliquod, quod vere in se non est peccatum. Unde evidens est, hanc justitiam, quam Deus nobis reputat, imputat et computat, non esse justitiam Christi nobis imputatam : hæc enim homini est extrinseca; justitia autem nostra nobis est intrinseca et inhærens, sicut et peccatum, dum peccamus, nobis intrinsecum est, intimeque inhæret.

Dicitur tamen hæc justitia nobis a Deo reputari vel imputari, quia Deus in homine vere reputat, imputat et æstimat id quod in homine est et existit, non autem id quod in eo non est, sed inesse putatur et fingitur. Est enim Deus verissimus æstimator ac ponderator omnis justitiæ et peccati, virtutis et vitii. Imputare ergo Deum alicui justitiam, est Deum æstimare eum esse justum, quia scilicet ei Deus condonavit peccata, et justitiam inhærentem infudit.

Dices : Si ita est, cur ergo Paulus idipsum hic clare non expressit? cur non dixit inhærere nobis justitiam, potius quam reputari?

Respondeo : Paulus toties hic utitur verbo imputandi, quia eo usus erat Moses in fide Abrahæ : hæc enim Abrahæ, ut ait Moses, reputata est ad justitiam. Hoc enim fidei et justificationis Abrahæ exemplum hic perurget Apostolus, ideoque verbis Mosis mordicus insistit : Abrahæ autem non dicitur imputata justitia Christi, sed fides propria, ut patet ex ipsis Mosis et Pauli verbis.

Nil ergo habent hic Novantes pro sua justitia imputativa Christi : imo potius contrarium hinc evincitur. Fides enim Abrahæ non fuit imputata illi in se, quasi hæc fides Christo, vel aliqui alteri fuerit propria; Abrahæ vero fuerit a Deo imputata, quia hæc fides Abrahæ fuit propria, non aliena, non imputata, illique vere et proprie inhæsit; sed fides hæc dicitur illi imputata ad justitiam, quia ratione et respectu fidei quam Deus acceptavit, tribuit ei et donavit justitiam. Λογιζεσθαι enim, a λογος, significat cum ratione, vel ob rationem aliquam aliquid æstimare. Sic hic Deus æstimavit, acceptavit, habuit Abraham justum, et acceptando fecit eum justum justitiamque inhærentem ei infudit, respectu et ratione fidei illius, quia scilicet ipse credidit Deo promittenti rem tam novam, arduam, naturaliter impossibilem et incredibilem : quod ita Deo placuit, ut eum ad suam amicitiam acceptarit, eumque gratia et justitia sua dignatus sit. Atque hæc est causa, cur

Moses in justificatione Abrahæ usus sit verbo חשב *chasab*, sive λογιζεσθαι, id est æstimare, imputare.

7. BEATI QUORUM REMISSÆ SUNT INIQUITATES, — gratuita nimirum condonatione, non meritis operum : hoc enim vult probare Paulus, et hoc proprie est remittere offensas et peccata, scilicet gratis ea condonare.

Calvinus et Lutherani non pervertant hunc locum contra missarum sacrificium.

ET QUORUM TECTA SUNT PECCATA. — « Tecta, » non quasi peccata in justo maneant et lateant, ut vult Calvinus; vel quod Deo dissimulante non imputentur ad pœnam, ut vult Lutherus. Hoc enim non patitur perspicax et integra Dei justitia. Sed « tecta, » id est obliterata, obruta; ita ut non sint, nec existant amplius, quomodo tegitur humus terra injecta, et nuditas tegitur vestibus, et macula atræ teguntur et auferuntur albo colore inducto. Ita se explicat David, *Psal.* L, cum ait : « Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor. » Quod enim sic omnino tectum est, ut nec a Deo videatur, hoc omnino non est. Ita S. Augustinus, lib. I *Contra duas epistol. Pelagian.*, cap. XIII : « Tecta, ait, sunt peccata, non quasi ibi sint cooperta et vivant, sed tecta sunt et abolita sunt. Si texit peccata Deus, noluit advertere; si noluit advertere, noluit animadvertere, noluit punire, noluit agnoscere; noluit ignoscere; « si ignovit peccata, ergo sustulit. Sic et Nazianzenus, orat. *in S. Lavacrum*, et Gregorius, *in Psal. II pœnitentialem*, dicunt peccata tegi a Deo in justificatione, eo modo, quo vulnera a medico tegi ur emplastro, per quod plane curantur et abolentur, ita ut nusquam appareant. Origenes quoque hic et Theodoretus, in *Psal.* XXXI, dicunt tegere peccatum, significare peccatum ita stirpitus eradicare, ut ne vestigium quidem remaneat.

Templorum quomodo peccata tegantur?

Notat Origenes hic et S. Ambrosius, lib. II *De Pœnitent.*, cap. V, peccatum per pœnitentiam remitti, sed per bona opera tegi. Unde et S. Gregorius, hom. 4 *in Ezech.* : « Peccata, inquit, tegimus, cum bona facta malis actibus superponimus : quando ergo abdicamus mala quæ fecimus, et eligimus bona quæ faciamus, quasi tegumen ei rei superducimus, quam erubescimus videre. » Ille sensus tropologicus est.

Omnia peccata revelabuntur in die judicii.

Secundo, S. Hieronymus, *in Psal.* XXXI, dicit peccata tegi, quia peccata, inquit, quæ hic delata sunt per pœnitentiam, in die judicii non manifestabuntur, sed tegentur et celabuntur. Verum hoc sane accipi debet; nam in die judicii omnia cujusque opera revelabuntur et judicabuntur. Unde et peccata, licet per pœnitentiam remissa, tunc manifestabuntur (hoc enim exigit publicum, plenum et exactum tam de peccatis, quam de eorumdem pœnitentia, Dei Christique judicium). Dicuntur tamen tegenda, quia per pœnitentiam tecta et condonata declarabuntur; itaque pœnitenti non ad ignominiam, sed ad laudem et gloriam cedent.

Tertio, Gregorius Nazianzenus, orat. *in S. Bap-*

crimina, censet peccata tegi tunc, cum ea remittuntur, sed ita ut eorum reliquiæ et habitus pravi in anima adhuc remanèant; remitti vero peccata tunc, cum plane peccatum cum suo habitu et radice ex anima evellitur et expugnatur.

Quarto, alii apud Ambrosium in *Apologia David*, cap. IX, dicunt peccata remitti per baptismum, tegi vero per confessionem et pœnitentiam. Idem Ambrosius, *ibid.* cap. XXIII, asserit peccata remitti ratione gratiæ, tegi ratione charitatis, deleri ratione sanguinis Christi.

Peccata remittuntur per Dei condonationem, tegi vero per infusionem gratiæ.

Quinto, et genuine, peccata dicuntur remitti per Dei condonationem, tegi vero per infusionem justitiæ, id est gratiæ et charitatis : hæc enim sunt vestes spirituales et pulcherrimæ, quibus anima nuditas per peccatum inducta tegitur et ornatur. Hæc est enim stola illa prima, qua indutus est filius prodigus, *Luc.* XV; hæc enim est vestis nuptialis, de qua dicit Christus, *Matth.* XXII: « Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? »

Vers. 8. 8. BEATUS VIR, CUI NON IMPUTAVIT DOMINUS PECCATUM. Nota : *non imputavit* non sic esse accipiendum, quasi homo peccet, et tamen Deus ei hoc peccatum non imputet, hoc enim implicat. Sensus ergo est : Beatus est vir cui Deus peccatum condonavit, et consequenter non amplius illud ei imputat; quemque deinceps Deus protegit ne faciat peccatum, quod illi imputet : ratio enim peccati in eo sita est, quod sit offensa Dei, quodque illud Deus nobis imputet ad culpam et pœnam, maxime æternam. Dico *æternam* : nam remissa culpa, justam satisfactionem exigit Deus pro pœna temporaria, quam vult peccantem luere. Cui ergo Deus offensam non imputat ad culpam, hoc ipso eamdem illi condonat et aufert. Ita B. Justinus, in fine *Dialogi contra Tryphon.* : « Beatus, inquit, cui non imputabit Dominus peccatum, hoc est, cui pœnitenti peccata remittet : non autem sicut prædicatis vosmetipsos fallentes, etiamsi peccatores fuerint, modo Deum noverint, non imputabit eis Deus peccata. »

Deus non vult putare peccata, vel non imputare peccata, vel peccati reatum.

Notat Nazianzenus, oratione *in S. Baptisma*, Deum tunc non imputare peccatum, quando opus in se vitiosum non deputat culpæ, ob ignorantiam vel rectam intentionem operantis.

Remittere, tegere, non imputare peccata, quomodo differant.

Secundo, S. Augustinus, lib. *De Diligendo Deo*, cap. XII, asserit quod remittere peccata, sit ea non ulcisci; tegere vero peccata, sit eadem non improperare; non imputare autem peccata, sit plane et ex corde illa condonare, cum scilicet Deus eum qui peccavit, ita diligit ac si nunquam peccasset.

Justi aliquando peccant?

Tertio, Origenes : Peccata, inquit, remittuntur, cum ab iis peccator per pœnitentiam se avertit; teguntur, cum bonis operibus obruuntur; non imputantur, cum omnis peccati radix ex animo evellitur. Idem habet quoque Nazianzenus supra.

Quarto, Lyranus : Peccata, inquit, non imputare, est ea non deputare ad æternam pœnam, sed remittere et condonare tam culpam, quam pœnam æternam.

Quinto, S. Hieronymus, *in Psal.* XXXI : Peccata, inquit, remittuntur per baptismum, tegnntur per charitatem, non imputantur per martyrium.

Deum non imputare aliquando peccata quæ tamen manent, ut in justis.

Sexto et genuine, Deum non imputare alicui peccatum, est aliquem non habere peccatum : ex eo enim quod quis peccatum non habeat, sed vitet et caveat, sequitur quod Deus illi peccatum imputare non possit. Ponit enim hic Psalles duas beatitudines hominis justi. Prior est, de qua dicit : « Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata, » *q. d.* Beati sunt qui a peccatis sunt expurgati, justificati et charitatis stola tecti et amicti. Posterior, cum mox subdit : « Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum, » *q. d.* Beatus, imo beatior est, qui postquam a peccatis expurgatus est, juste deinceps vivit, omnique studio vitat peccata, ita ut nihil mali faciat, quod ei Deus in peccatum imputare possit.

9. BEATITUDO ERGO HÆC IN CIRCUMCISIONE TANTUM MANET, AN ETIAM IN PRÆPUTIO? — Græce non est verbum *manet*, sed tantum ἐπὶ τὴν περιτομὴν ἢ καὶ ἐπὶ τὴν ἀκροβυστίαν, id est, in circumcisionem, an etiam in præputium; supple, cadit et convenit hæc beatitudo? *q. d.* Justitia hæc, quæ, teste Davide, nos beat, quæque inchoata est beatitudo, an ad solos circumcisos, puta Judæos, manavit, an etiam ad præputiatos, puta Gentiles? Interrogatio hæc Apostoli, more Hebræo, non interrogatio, sed acris et vehemens est assertio et conclusio, *q. d.* Ex citatis Davidis verbis, « Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum, » clare concludere potestis, o Judæi, quod hæc ejus beatitudo et justitia non ad solos circumcisos, sed etiam ad Gentiles pertineat, tum quia verbum ejus indefinita sunt et generalia, tamque viro Gentili, quam Judæo conveniunt; tum quia dicit beatitudinem et justitiam nostram sitam esse, non in operibus legis, sed in liberali clementia et condonatione Dei, qui gratis nobis remittit peccata. Justificatio ergo opus est non legis, quam vobis arrogatis, o Judæi, sed gratiæ, quæ communis est omnibus, tam Gentibus quam Judæis.

Justificatio est remissio peccatorum Gentibus, non minus ac Judæis, sed a gratia.

DICITUS ENIM, QUIA REPUTATA EST ABRAHÆ FIDES AD JUSTITIAM. — Est secunda ratio, qua probat Paulus justitiam non ad solos Judæos, sed etiam ad Gentiles pertinere : hanc enim suam conclusionem, quæ totius epistolæ est scopus, non tantum Davidis, sed et Abrahæ testimonio probat. Est autem hæc Apostoli ratiocinatio : Abraham ante legem, imo ante circumcisionem justificatus est, non ex circumcisione aliisque operibus legis, utpote quæ nondum erant, sed ex fide : unde et circumcisionem postea accepit, ut esset signum justitiæ acceptæ per fidem : ergo justitia hæc non est ex lege et circumcisione, nec pro lege et circumcisione sola, sed pro omnibus qui fidem Abrahæ sectantur.

10. QUOMODO ERGO REPUTATA EST? IN CIRCUMCISIONE, AN IN PRÆPUTIO? NON IN CIRCUMCISIONE, SED IN PRÆPUTIO. — « Quomodo, » id est, in quo statu, circumcisionis scilicet, an præputii, judaismi, an gentilismi, ut hic se explicat Apostolus, *q. d.* Circumcisione erat Abraham, an præputiatus, cum justificatus est? certum est, quia præputiatus erat : ergo justitia Abrahæ non tantum pertinet ad vos, o Judæi, sed etiam ad præputiatos Gentiles. Rursum ergo Abraham est justificatus, non ex circumcisione, nec ex operibus legis, ex quibus vos, o Judæi, dicitis petendam esse omnem justitiam, sed ex fide et gratia quæ communis est tam incircumcisis quam circumcisis. Vides hic Apostolum passim tantum velle a justificatione excludere opera et cæremonias legis, non autem opera quæ manant ex fide et gratia Christi.

Abraham adhuc præputiatus, justificatus est ex operibus legis.

Vers. 11. 11. ET SIGNUM ACCEPIT CIRCUMCISIONIS SIGNACULUM JUSTITIÆ FIDEI, QUÆ EST IN PRÆPUTIO. — Prosequitur suam assertionem Apostolus, facileque eam probat, *q. d.* Adeo Abraham non est justificatus in, vel ex circumcisione, ut circumcisionem post justitiam acceperit, ad hoc ut esset signum justitiæ, quam adeptus est ipse per fidem ante circumcisionem, cum adhuc esset præputiatus.

Abraham accepit circumcisionem post justitiam in eorum justitiæ.

Cujus rei signum fuerit circumcisio. Primo. Secundo.

Nota, ex *Genes.* XVII, circumcisionem primario fuisse signum fœderis, quod pepigit Deus cum Abraham, quo sanxit in semine ejus, scilicet Christo, benedicendas esse omnes gentes.

Secundo, circumcisio fuit signum distinguens Abrahæ posteros ab aliis gentibus.

Tertio.

Tertio, circumcisio, ut ait hic Apostolus, fuit « signaculum justitiæ fidei, » id est fuit sigillum, quo claudebatur et occultabatur quasi secretum ingens, justitia fidei revelanda per Christum, inquit Origenes.

Quarto, et proprie ad mentem Pauli hic, S. Chrysostomi, Theodoreti, Theophylacti, Œcumenii, Augustini, lib. II *De Nuptiis et Concupisc.*, cap. II; Cyrilli, lib. IV *in Joan.* LI, circumcisio erat *signaculum*, græce σφραγὶς, quod respondet Hebræo חותם *chotam*, id est *sigillum* justitiæ, quo scilicet testificabatur Deus Abrahæ justitiam certam esse ac legitimam, justitiam, inquam, adeptam ante per fidem, cum adhuc esset præputiatus.

Ita promissio Abrahæ sic-cumcisio fuit signum justitiæ accipiendæ.

Ubi nota : Licet in Abrahamo ita se res habuerit, in posteris tamen ejus secus fuit : nam in iis circumcisio non fuit signaculum justitiæ acceptæ, sed potius accipiendæ.

QUÆ EST IN PRÆPUTIO. — Addit hoc, ut significet Abrahamum per præputium designatum fuisse patrem omnium gentium (habemus habent præputium), id est ipsum præputium significasse eum fore patrem omnium gentium, sicut circumcisio significavit eum patrem fore Judæorum, utpote pariter circumcisorum. Vide simile cap. VI, vers. 4, et cap. VII, vers. 4.

UT SIT (Abraham) PATER OMNIUM CREDENTIUM PER PRÆPUTIUM, — id est omnium in præputio manentium, omnium præputiatorum, puta omnium Gentilium, ut eorum fides eis reputetur ad justitiam, et ex fide sua illi quoque justificentur, sicut Abraham ex fide sua justificatus est.

Abrahæ pater omnium credentium, ipse ab illis quoque coluntur.

Nota 1. Abraham dicitur pater Gentilium credentium, non naturalis et carnalis, sed spiritualis et mysticus : quia scilicet iis omnibus illustre fidei exemplum dedit. Rursum, quia posteris ejus secundum fidem et spiritum, iis scilicet, qui fidem Abrahæ imitaturi essent, promissa est a Deo benedictio, justitia et salus; haneque promissionem primus inter omnes patres a Deo accepit Abraham, et nomine omnium posterorum acceptavit : omnium, inquam, tam Gentilium, quam Judæorum. Nam Abraham, cum hanc promissionem accepit, incircumcisus erat et Gentilis.

12. ET SIT PATER CIRCUMCISIONIS, NON IIS TANTUM QUI SUNT EX CIRCUMCISIONE, SED ET IIS QUI SECTANTUR VESTIGIA FIDEI, QUÆ EST IN PRÆPUTIO PATRIS NOSTRI ABRAHÆ. — *q. d.*, ait Anselmus : « Et sit pater circumcisionis, » id est circumcisorum, puta Judæorum; et non tantum horum, sed etiam omnium credentium, licet circumcisi non sint qui sectantur fidem Abrahæ : ut sit repetitio prioris sententiæ, complectens utrosque Abrahæ posteros, scilicet, Gentiles, et Judæos credentes, quorum pater spiritualis est Abraham.

Vers. 12.

Triplex hujus loci expositio.

Secundo, S. Chrysostomus, Theophylactus, Œcumenius et Toletus sic exponunt, *q. d.* Ut Abraham sit « pater circumcisionis, » id est circumcisorum, non eorum qui tantum exteriorem habent in carne circumcisionem, sed eorum qui cum carnis circumcisione sectantur quoque vestigia fidei Abrahæ. Si enim hanc ejus fidem non sectentur, licet carne circumcisi sint, non censebuntur Abraham habere patrem. Nam, ut ait Apostolus, cap. IX, vers. 8 : « Non qui filii carnis, hi filii Dei, sed qui filii sunt promissionis, æstimantur in semine. » Verum his sensus non satis verbis Apostoli respondet, planeque invertit et trajicit voculam *tantum*.

Abraham pater, id est, auctor circumcisionis.

Tertio ergo, plane et genuine, *circumcisionem* proprie videtur hic accipere Apostolus, non autem metonymice, pro ipsis circumcisis. Sic enim dicere debuisset : Et sit pater credentium per Abrahæ circumcisionem, sicuti dixit : « Ut sit pater credentium per præputium; » jam autem ita non loquitur, sed mutat phrasim dicens : « Et sit pater circumcisionis. » *Pater* ergo, id est auctor et institutor circumcisionis, *q. d.* Abraham accepit signum circumcisionis, ut scilicet esset ipse signaculum justitiæ acceptæ per fidem, cum adhuc esset præputiatus. Unde factum est, ut Abraham fuerit pater credentium Gentilium, fuerit quoque *pater*, id est auctor et institutor *circumcisionis*; circumcisionis, inquam, quæ fuit signum fœderis inter Deum et Abraham, ejusque posteros initi, quo scilicet testabatur Deus se patrem fore, protectorem et amicum Abrahæ ejusque posterorum, quodque eos benediceret, justificaret et salvaret, sicuti benedixerat, justificaverat et salvaverat Abrahamum.

Circumcisio signum fuit non solis Judæis, sed etiam Gentilibus.

Porro circumcisio tale fuit signum, « non iis tantum qui sunt ex circumcisione, » id est, non solis Judæis, « sed et iis (Gentilibus) qui sectantur vestigia fidei, quæ est (id est, quæ fuit et apparuit in præputio patris nostri Abrahæ, » cum scilicet Abraham adhuc esset præputiatus et Gentilis. Illisce enim verbis explicat Apostolus cur Abrahamo incircumciso circumcisio data sit in signaculum justitiæ, nimirum ut significaret quod, sicut Abraham ante circumcisionem est justificatus et benedictus per fidem, sic et omnes qui Abrahæ fidem imitarentur, etiamsi circumcisi non essent, justificandi et benedicendi forent per fidem. Paulus, inquit Cyrillus, lib. IV in *Joan.*, cap. XI : « In signum fidei, quam in præputio habuit Abraham, ei circumcisionem datam asseruit ; voluit enim vocationem et justitiam fidei, etsi legali mandato priorem et superiorem ostendere, ut facilius persuaderet Hebræis ne justitiam fidei, prævaricationem legis putarent, sed reditum quemdam atque recursum in priorem hominis statum. »

Per circumcisionem intelligit totam legem Apostolus ceremonias et opera comprehendens.

Ubi nota, sub circumcisione Apostolum intelligere totam legem veterem omnesque legis cæremonias et opera, quia circumcisio horum omnium initium erat et professio : sicuti jam baptismus est professio Christianismi totiusque legis Evangelicæ. Dum ergo Apostolus circumcisionem a justitia Abrahæ et posterorum excludit, hoc ipso omnia legis opera omnesque cæremonias a justitia excludit. Sicut vers. 4, ἐργαζόμενον vocavit eum qui circumcisionem aliasque legis cæremonias observat, ita nunc πίστιν et πιστεύοντα, vocat eum qui credit habetque fidem et opera moralia, etiamsi cæremonialia non habeat.

Vers. 13. 13. NON ENIM PER LEGEM PROMISSIO ABRAHÆ (1). — Supple, *contigit*, sed ante legem et ante circumcisionem ; hanc enim accepit *Gen.* XVII, promissionem vero accepit *Gen.* XII, licet ea repetita sit post circumcisionem, *Gen.* XXII. Promissio vero hæc est, quæ sequitur : « Ut hæres esset mundi. » Probat Apostolus hic id, quod præcessit, scilicet Abraham patrem esse omnium credentium, etiam præputiatorum, et consequenter justitiam nobis obtingere non per circumcisionem et legem legisque opera, sed per fidem. Probat autem idipsum ex promissione facta Abrahæ, hoc argumento : Abrahæ promissa fuit benedictio, id est justitia et salus omnium gentium, non per legem et circumcisionem, sed ante eam, ex eo, quia credidit Deo ; ergo posteri Abrahæ hujus promissionis, benedictionis et justitiæ participes quoque fient, non per opera legis, sed per fidem. In fide enim, non in lege hanc justitiam constituere voluit Deus ; et in fide, non in lege, imo ante legem justitiam hanc accepit Abraham, ut esset exemplar posterorum, significans eos, non ex lege, sed ex fide pariter justificandos esse.

Justitia non per legem, sed circumcisionem, sed per fidem.

UT HÆRES ESSET MUNDI, — ut scilicet in semine ejus benedicerentur omnes Gentes. Hæc enim est promissio facta Abrahæ, *Gen.* XXII, 18, ut nimirum Abrahæ fides, benedictio et filius, scilicet Christus, omnes Gentes sibi subigeret, sicque regnum Christi per omnes gentes dilataretur, uti dicitur *Psal.* II, 8 : « Postula a me, et dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ. » Ita Chrysostomus, Theophylactus. Sic ergo Abraham hæres est mundi, quia totum mundum habet pro filiis, et sic quasi universo mundo potitur, sed per filium suum, puta per Christum, perque « justitiam fidei, » id est fide acceptam. Hæc enim fides et justitia Abrahæ et Christi pervasit et occupavit omnes gentes, et hæc est promissio, benedictio et hæreditas Abrahæ, scilicet Ecclesia toto orbe diffusa, quæ est regnum fidelium, in quo rex est Christus, pater et patriarcha est Abraham.

Abraham hæres est mundi per filios et per Christum.

Nota hic justam et amplam mercedem fidei et obedientiæ Abrahæ. Abraham enim credidit et obedivit Deo se evocanti ex Ur Chaldæorum, atque pro Deo parvam, quam in Ur habebat, hæreditatem deseruit, sed pro ea accepit hæreditatem totius Chananææ, imo totius mundi. Tam liberalis est Deus, tamque magnifice suos remuneratur.

14. SI ENIM QUI EX LEGE, HÆREDES SUNT : EXINANITA EST FIDES, ABOLITA EST PROMISSIO. — « Hæredes, » scilicet et promissionis et benedictionis Abrahæ jam dictæ.

Nota : Τὸ *hæredes* capi potest vel active et proprie, vel passive, ut idem sit quod ipsa possessio hæreditaria, scilicet populus Christo et Abrahæ in hæreditatem promissus, uti præcessit. Aptius tamen priori modo, scilicet active, capitur. Urget et perurget Apostolus tam hic, quam *Galat.* III, 18, justitiam nobis obtingere ex fide, non ex lege et legis operibus : quia si per legem obtingeret, non per fidem, sequeretur ingens absurdum, scilicet fidem et promissionem Abrahæ esse abolitam et abrogatam ; Abrahæ enim promissa est benedictio, non ex lege, utpote ante legem, sed ex fide, quia scilicet credidit Deo promittenti. Rursum, si ex lege datur justitia, ergo non ex promissione : pugnant enim lex et promissio, lex et fides (fides enim respondet promissioni, estque promissionis acceptatio et applicatio), quia promissio libera est et liberalis, quodque promissum est, datur liberaliter, gratuite et ex gratia ; quod vero ex lege et operibus legis datur, id datur non gratuite, nec ex gratia, sed ex justitia et merito operum (1).

Promissio Abrahæ nobis exhibetur per Christum.

Si non ex lege, non ex fide, non promissio Abrahæ nobis obtingit. Si ex lege, non ex promissione, sed abrogata.

(1) Sensus est : si Abrahamus et posteri ejus propter observantiam legem acceptasset bona promissa, non amplius *fidei* ex parte hominum, et *gratiæ* ex parte Dei sanus honor et sua vis constare potuisset, sed merito quodammodo fuisset locus.

15. LEX ENIM IRAM OPERATUR. — Hic versus non videtur directe cohærere cum præcedenti, remotus ergo ad vers. 13, more Hebræo, est referendus (1). Reddit enim causam cur Abrahæ non potuerit promissio, id est promissa salus et justitia, per legem obtingere : quia scilicet tantum abest ut lex hæreditatem promittat, ut potius iram operetur. Est hæc nova ratio probans per legem non obvenire nobis justitiam, quia scilicet lex non justitiam, sed iram operatur : quia nimirum lex causa et occasio est, non benedictionis, non justitiæ, non hæreditatis, sed prævaricationis et consequenter maledictionis, iræ et vindictæ divinæ : si enim non esset lex, non esset prævaricatio legis ; et quia lex quasi per antiperistasin, concupiscentiam accendit : nam semper nitimur in vetitum, intellige, nisi lex jungatur fidei et gratiæ quæ legem adjuvet et concupiscentiam reprimat : quod intendit Apostolus. Scopus enim est ostendere necessitatem fidei et gratiæ Christi, ad eamque Judæos omnesque homines deducere, ut justitiam et salutem assequantur.

Lex non justificat, sed iram operatur.

Vers. 16. 16. IDEO EX FIDE, UT SECUNDUM GRATIAM FIRMA SIT PROMISSIO. — Deducit et concludit hunc versum Apostolus ex vers. 14, *q. d.* Ex lege non potest accidere nobis hæreditas et justitia Abrahæ : sic enim abolenda esset fides et promissio Dei ; ergo ex fide ea nobis obvenit, puta per Christum, non per Mosen, idque « ut secundum gratiam firma sit promissio : » vel, ut habent Græca, Syrus et quidam Latini codices manuscripti, *ut secundum gratiam*, ut *firma sit promissio*, *q. d.* Ideo ex fide obtingit nobis justitia, ut illa sit nobis gratuita, sitque ex gratia, non ex debito et justitia, uti ita consequenter firma sit promissio, qua Deus, uti per gratiam liberaliter promisit, ita per gratiam gratuito et liberaliter præstat et donat nobis hanc justitiam.

Nota : Cum ait Apostolus : « Ut firma sit promissio, » non intelligit promissionem remissionis peccatorum in particulari, qua hæreticus credit fide divina sibi remissa esse peccata per fidem et pœnitentiam ; nam nil tale habent verba Apostoli, sed hoc est glossema, quod apponunt Novantes ; glossema, inquam, Aurelianense, quod textum evertit. Nam, ut alia taceam, nemini certo constat ut talem actum fidei divinæ, vel pœnitentiæ habeat : potest enim credere fide naturali, non divina, et agi spiritu naturæ, vel dæmonis, putans se agi Spiritu Sancto. Quin vero sine speciali Dei revelatione constare nemini potest, se credere fide divina : multo minus certo constare potest culpam per talem actum, qui sibi incertus est, sibi remissa esse peccata.

Promissio Abrahæ nobis exhibetur per Christum.

Loquitur ergo Apostolus de promissione facta Abrahæ in genere, scilicet quod in semine ejus benedicerentur, id est justificarentur et salvarentur omnes gentes, non tantum Judæi ex eo carnaliter nati, sed et Gentes, quæ spiritualiter ex eo per fidem nascuntur ; quia Abraham quasi patrem in fide imitantur. Tantum enim vult dicere, hanc benedictionem, id est justitiam per fidem, non tantum promissam esse Judæis, filiis Abrahæ carnalibus, sed et Gentilibus, filiis spiritualibus ; non autem vult dicere, mihi, tibi, isti in particulari promissam esse justitiam : sed tantum in genere et nonnisi sub conditione, et per consequentiam hujus syllogismi : « Omnibus, qui credunt et fidem Abrahæ imitantur, promissa est benedictio, id est justitia ; atqui ego credo ; ergo mihi promissa est justitia. » Ubi major est de fide : verum minor non est certa de fide, sed tantum certa certitudine quadam morali et conjecturali, ac consequenter nec consequens est de fide, sed tantum conjecturale.

Abrahæ posteritas imitatione tantum, non propagatione carnis, sed spiritus et fidei.

FIRMA SIT PROMISSIO OMNI SEMINI (posteritati Abrahæ), NON EI QUI EX LEGE EST SOLUM (non soli Judæo), SED ET EI (Gentili) QUI EX FIDE EST ABRAHÆ, (qui Abrahæ patris fidem quasi genuinus ejus filius consectatur) QUI PATER EST OMNIUM NOSTRUM, — tam Gentilium, quam Judæorum. Est, inquam, pater propagatione non carnis, sed fidei et spiritus. Nam dum Abrahæ fidem imitamur, tunc ipse Abraham per Christum suam justitiam, gratiam et spiritum in nos quasi filios suos transfundit, nosque sibi adsciscit et adoptat.

17. SICUT SCRIPTUM EST (*Genes.* XVII), QUIA PATREM MULTARUM GENTIUM POSUI TE. — « Posui, » id est ponam et constituam te : more enim prophetico ob certitudinem rei futuræ ponitur præteritum pro futuro.

ANTE DEUM CUI CREDIDIT. — *Primo*, Œcumenius hæc verba refert ad : *sicut scriptum est*, *q. d.* Sicut scriptum est ante Deum, id est coram Deo, cui nos fides commendat ; vel, sicut scriptum est ex persona Dei.

Secundo, Origenes sic explicat : « Ante Deum, » id est a Deo Abraham factus est pater noster.

Tertio, Anselmus : « Ante Deum, » inquit, quia Abraham per fidem factus est pater, quæ fides Dei oculis patet, non hominum.

Quarto, S. Chrysostomus, Theodoretus et Theophylactus Græcum κατέναντι, exponunt e regione, ex adverso, id est ad exemplum et similitudinem. Hanc enim sibi ex adverso opponunt et proponunt pictores, cum eam exprimere volunt, *q. d.* Paulus : Ad exemplum et similitudinem Dei, qui universalis est omnium pater, Abraham pariter factus est pater multarum gentium.

Quinto, alii sic explicant : « Posui te patrem ante Deum, » id est patrem spiritualem per generationem et cognationem spiritualem, quæ coram Deo locum habet, et Deo nos gratos reddit. Sed hoc alienius et obscurius est.

Sexto, ergo planissime : « Posui te patrem ante Deum, » id est in præscientia et decreto divino, immobili, certo et irrevocabili ; necdum enim

(1) Bene tamen comma 15 cum præcedenti cohæret, si γὰρ vertas, non enim, sed quia potius.

Abraham actu erat pater multarum gentium, sed tantum in præscientia et prædestinatione Dei. Unde explicans subdit Paulus : « Qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt. » Ita S. Augustinus in *Psal.* CV.

Quid per mortuos intelligat Paulus, quadrupliciter exponitur.

QUI VIVIFICAT MORTUOS. — « Mortuos, » id est peccatores, ait Anselmus : sed hoc mysticum est.

Secundo, Ambrosius : « Mortuos, » inquit, id est ad generandum invalidos, senes, imbecilles, pene enectos et mortuos, quales erant Sara et Abraham, cum generarunt Isaac.

Tertio, S. Chrysostomus : Propeie, inquit, Deus vivificat mortuos, cum nos a morte resuscitat. Hisce enim verbis Paulus commendat Dei omnipotentiam, *q. d.* Sicut Deus potest suscitare mortuos, ita potest facere, ut Gentes natæ in paganismo, spirituaiiter renascantur per fidem, fiantque filii Abrahæ, idque credidit Abraham, cum credidit Deo dicenti : « Patrem multarum Gentium posui te. »

Quarto, Toletus putat Apostolum hic respicere ad fidem Abrahæ, qua jussus immolare filium Isaac, credidit quod Deus eum a se immolatum, a morte suscitaret. Verum de hac Abrahæ fide non agit hic Paulus, nec Moses *Genes.* XVII, sed tantum de fide, qua credidit Abraham Deo primo promittenti, sibi ex Sara nasciturum esse Isaac, ut patet ex verbis Apostoli, maxime sequentibus, et ex *Genes.* XVII : nam immolatio Isaac præcepta fuit postea, *Genes.* cap. XXII. Tertius ergo sensus S. Chrysostomi magis litteralis et appositus esse videtur. Addit tamen ad Isaac, quem Abraham immolavit, credens posse Deum illum a mortuis suscitare, ut explicat idem Paulus *Hebr.* XI, 19; quæ suscitatio signum erat suscitationis Christi, cujus fide nos eramus justificandi, ut ait vers. 24. Licet enim, *Genes.* XVII, necdum reipsa immolatus et suscitatus esset Isaac, erat tamen immolatus et suscitatus in præscientia et prædestinatione Dei; atque per eum Abraham futurus erat pater multarum gentium.

Quinto-plex sensus horum verborum.

ET VOCAT EA QUÆ NON SUNT, TANQUAM EA QUÆ SUNT. — *Primo* : Deus, ait Anselmus, vocat *Gentes*, « quæ non sunt, » quia viles erant et nihili, utpote infideles, a Deo primo ente remotissimæ, ut sint nobiles et fideles, adhærentes Deo primo enti.

Secundo, Ambrosius : Deus, ait, vocat Gentes « quæ non sunt » semen, ut sint semen et populus Abrahæ.

Tertio, Pererius : Deus, ait, ab æterno homines qui non erant, elegit ac prædestinavit ad vitam æternam, quasi actu essent et quasi fuissent ab æterno.

Dei præscientia clarius et distincte.

Quarto, alii sic explicant, *q. d.* Paulus : Deus ita clare et distincte videt ea quæ non sunt, sed longe post futura sunt, sicuti videt et cognoscit ea quæ jam actu sunt. « Vocat » ergo, id est videt et cognoscit, ut ea vocare possit. Hinc dicitur *Eccli.* XXIII : « Domino Deo antequam crearentur, omnia sunt agnita; sic et post perfectum respicit omnia. »

Quinto, planissime et optime, Deus « vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt, » quia Deus æquale habet imperium in ea quæ non sunt, atque in ea quæ sunt, et ea quæ non sunt facit ut sint : v. g. hic facit, ut Gentes, quæ non erant, sint filii Abrahæ.

Ubi nota : Dei *vocare* est creare et facere; omnia enim possibilia cum nondum actu sunt, sunt tamen et latent in omnipotentia Dei quasi in virtute et semine, et cum Deus suo jussu illa inde evocat, hoc ipso facit ut sint : Dei enim dicere et vocare est efficax, idemque est, quod nostrum facere. Ita S. Chrysostomus. Unde Græcum καλεῖν τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα, verti potest, *qui vocat ea quæ non sunt, quasi sint*. Ita S. Augustinus *in Psal.* CV. Sic Deus e tenebris et thesauris suæ potentiæ vocat (uti loquuntur Prophetæ) famem, gladium, siccitatem, dum facit ut sint, denique illa quasi famulos et lictores orbi et hominibus immittit. Inde enim sumpta est metaphora : quasi Deus evocans famem, pestem, gladium, dicat : Tu fames quasi satelles veni et puni tales impios homines; tu gladio lictor adesto, vade, pleete Flandriam; tu grando adesdum, percelle Franciam. Hoc significat Hebræum קרא *kara*, id est vocavit. Sic « stellæ, inquit Baruch, cap. III, 34, lumen dederunt in custodiis (id est, stationibus et excubiis : stellæ enim sunt quasi milites Dei, ad ejus obsequium semper excubantes) suis : vocatæ sunt et dixerunt (non verbo, sed facto et reipsa), adsumus. » Atque hinc dicitur Deus *sebaoth*, id est *exercituum*, quia omnes angeli, stellæ creaturæ quævis, etiamsi non existentes, sunt exercitus Deo ad nutum obsequentes et pro eo dimicantes.

Dei vocare est creare et facere.

Deus in ordinem arduis, in gravibus tentationibus et tribulationibus.

Omnes creaturæ etiam nondum existentes quasi exercitus Deo famulantes ab eo evocantur.

Deum Sarra nunc dubitat?

18. QUI (Abraham) CONTRA SPEM (naturæ et naturalis potentiæ generativæ) IN SPEM (id est in rem speratam gratiæ et promissionis divinæ) CREDIDIT, UT (quod scilicet) FIERET PATER MULTARUM GENTIUM. — Nota : Sicuti sperare desperata, est sperare contra spem, sic et credere futura, quorum nulla est spes, est credere contra spem, quod scilicet sem Abrahæ et sterili Sarræ nasciturus Isaac, quia idipsum promisit Deus. Ita Theophylactus, Anselmus et Theodoretus.

Vers. 18.

Nota, quantam fidem et spem exegerit Deus ab Abrahamo, et quantam præstiterit Abraham, ut merito pater fidei et spei appelletur : nimirum, ut contra spem in spem crederet, ut speraret et crederet ea, quæ naturaliter erant impossibilia, ut contra omne medicorum et physicorum judicium, supra naturæ vires, ad Deum deique promittentis omnipotentiam heroica fide se erigens, certissimo sibi persuaderet, ex sterili et anu Sara nasciturum sibi prolem a Deo promissam; hacque fide meruit et impetravit non tantum prolem hanc, sed omnem Dei benedictionem. Adeo grata

Abraham pater fidei et spei.

Constantia fidei Abrahæ laudanda in rebus et arduis fidei.

fuit Deo hæc fides et spes in se : unde eam in Abrahamo, quasi in speculo nobis imitandam hic proponit, idque *primo*, in rebus et articulis fidei quæ nostrum captum et naturæ vim transcendunt, v. g., jubet Deus credi se esse Deum unum in essentia, et tamen trinum in personis : jubet credi Christi corpus realiter esse præsens in Eucharistia, etiamsi visus et sensus aliud nobis dicant. Hic fidelis contra spem naturæ credet in spem divinæ omnipotentiæ, ut transcendat exilitatem dictaminis oculorum, aurium, phantasiæ et judicii naturalis, et in Deum se erigens firmissime credat id quod ipse, qui est prima et infallibilis veritas, quæ nec mentiri, nec fallere potest, dixit : nimirum, « Ego et Pater (pariter et Spiritus Sanctus) unum sumus : Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur; Hic est sanguis meus, » etc.

Secundo, et magis ad mentem Apostoli, in rebus arduis, in gravi tentatione et tribulatione, in persecutione, in infamia, in morbis, morte, et martyrio, in apostolatu ad Indos, Anglos, Hollandos, capessendo, si quis ad eos mittatur, et naturalis sum infirmitatis conscius trepidet, contra spem in spem credat; cogitet homini Christiano multa supra naturam esse facienda et toleranda; cogitet gratiam superare et transcendere naturam; cogitet Deum, qui olim misit et mittendo fecit Apostolos et Prophetas, se quoque mittere et mittendo facturum Apostolum, dicatque : Omnia possum, non in me, sed in eo qui me confortat. Hac spe subnixi et roborati Apostoli orbem subegerunt Christo; hac spe Martyres omnia supplicia et tyrannos vicerunt; hac spe tenerrimæ virgunculæ SS. Agnes, Agatha, Febronia aliæque innumeræ, carnem et mundum, omniaque diaboli tentamenta et tormenta superarunt. Hæc spes multis deest, ideoque humi repunt, nec ad magna assurgunt : radix hujus mali est debilitas fidei, quia non vive apprehendunt et credunt, sibique plane persuadent Deum esse omnipotentem, Deum neminem sinere tentari supra vires, Deum esse suorum fidelissimum protectorem, Deum nostri curam gerere magis, quam pater, mater, etc. Et sane non parva est injuria Dei, tam parvam de ejus bonitate, potentia, providentia et paterna cura habere opinionem; cum moneat Sapiens, « Sentite de Domino in bonitate, » *q. d.* Bene, pie, sancte sentite de Dei providentia, clementia aliisque attributis; non male et impie cum Epicureis et Atheis, non timide et contracte cum timidis et pusillanimibus. Vult enim Deus haberi a nobis optimus et clementissimus, æque ac potentissimus; honori sibi ducit cum talis qualis revera est, a nobis creditur, speratur, colitur : sicut rex vult haberi a suis clementissimus, quodque in omnes regali utatur munificentia. Magnum ergo gratissimumque obsequium, reverentiam ac honorem Deo deferimus, cum magna ab eo speramus, cum magnam in eo, quibusvis in rebus quamvis arduis, collocamus fiduciam, ac tum magna largitur, tum magna operatur. Quis enim operavit in eum, et confusus est?

Vere in rebus arduis, in gravibus tentationibus et tribulationibus.

S. Bernardi ad spem exhortatio.

Vide quanta fecerit Deus per Athanasios, Gregorios, Vincentios, Laurentios : imo per teipsum subinde; modica ergo fidei, in hac tentatione, in hac difficultate, quid dubitas, quid trepidas? Deus adest, Deus regit et pascit te. Sane Christiano, præsertim generoso, et ad magna anhelanti, excitanda maxime est spes, ut etiam sæpe contra spem in spem credat; sciatque spem nunquam esse nimis magnam, nec tanta sperari a Deo, quin Deus plura a se sperari velit, itaque faciet admiranda supra vires, supra naturam. « Nescitis, inquiebat S. Ignatius, quantas vires habeat spes in Deum. Spes quæ videtur, non est spes. » S. Xaverius una spe adeo armarat se, ut in rebus difficillimis nihil timeret nisi diffidentiam de Dei ope; hac spe invasit Indiam solo Deo nixus, hac spe totum Orientem evangelizando percurrit; hac spe undecim annis, quibus ibi vixit, quanta, quam stupenda, supra vires, supra humanam prudentiam aggressus est et feliciter ad Dei gloriam perfecit?

Vere S. Bernardus, serm. 15 in Psalm. *Qui habitat* : « Sperate in eo (Deo), inquit, omnis congregatio populi : quamcumque enim locum calcaverit pes vester, vester erit : pes vester utique spes vestra est, et quantumcumque illa processerit, obtinebit. Si tamen in Deum tota figatur, ut firma sit, et non titubet. Quid timeat aspidem aut basiliscum? quid leonis rugitus, aut draconis sibilos expavescat? Quoniam in me speravit, liberabo eum; porro liberatum, ne iterum egeat liberari, protegam eum et conservabo, si tamen cognoverit nomen meum, ne sibi tribuat quod liberatus est, sed nomini meo det gloriam. »

S. Augustinus vero in illud Psal. 102, *Quoniam secundum altitudinem cœli a terra corroboravit misericordiam suam super timentes se*, etc., pulchre exemplo cœli terram longe superantis et transcendentis declarat, quam Dei cura et providentia circa nos transcendat omnem cogitationem et spem, ac consequenter, quantum in eam spem nostram erigere et dilatare debeamus. « Confirmavit, inquit, Dominus misericordiam suam super timentes se, secundum quid? secundum altitudinem cœli a terra. Quid dixit? si aliquando potest cœlum abscedere a protectione terræ, aliquando poterit Deus non protegere timentes se. Attende : cœlum ubique atque undique protegit terram, et nulla pars terræ est quæ non cœlo protegatur. Peccant homines sub cœlo, faciunt omnia mala sub cœlo, cœlo tamen proteguntur. Inde lux ad oculos, inde aer, inde spiritus, inde pluvia ad terram propter fructus, inde omnia misericordia a cœlo. Tolle auxilium cœli a terra, statim deficiet : sicut ergo protectio cœli permanet super terram, sic protectio Dei permanet super timentes eum. Times Deum? supra te est protectio ipsius. Sed forte flagellaris, et putas quia desertus

te Deus : si deseruit protectio cœli terram? Quoniam secundum altitudinem cœli a terra confirmavit misericordiam suam Dominus super timentes eum. Sicut miseretur pater filiorum, sic misertus est Dominus timentibus eum. Jam sæviat quantum vult, pater est; sed afflixit nos, sed contrivit nos : pater est. »

SECUNDUM QUOD DICTUM EST EI : SIC ERIT SEMEN TUUM. — Citat Apostolus *Gen.* XV, 5, ubi Dominus dicit ad Abraham : « Suspice cœlum, et numera stellas, si potes : sic erit semen tuum, » scilicet, sicut stellæ cœli (uti addunt hic aliqui Latini codices), *q. d.* Posteritas tua, o Abrahame, tum ad litteram carnalis Judæorum, tum potius allegorice credentium et Christianorum, erit instar stellarum, *primo*, innumera et maxima; *secundo*, sublimissima et cœlestis; *tertio*, constans, ordinatissima et æterna; *quarto*, potentissima; *quinto*, famosissima; *sexto*, splendidissima et gloriosissima, maxime post resurrectionem : « Qui enim docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad justitiam eruditi multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates, » *Dan.* XII, 3. Atque hæc alludit Ecclesia, cum canit pro defunctis : « Signifer tuus Michael repræsentet eas in lucem sanctam, quam olim Abrahæ promisisti, et semini ejus. »

Excitata vis generandi prolibus divinitus Abrahæ nec in senio.

19. ET NON INFIRMATUS EST FIDE, NEC CONSIDERAVIT CORPUS SUUM EMORTUUM. — Græce νενεκρωμένον, id est mortificatum, viribus effectum et ad gignendam sobolem ineptum.

Dices : Quomodo ergo postea Abraham genuit filios ex Cetura?

Respondet Augustinus, Quæst. XXXV *in Genesim*, fuisse Abrahæ corpus emortuum respectu Saræ vetulæ, non autem respectu Ceturæ junioris.

Secundo, respondet S. Thomas, vere Abraham tunc fuisse impotentem præ senio ad generandum ex qualibet femina, sed divino miraculo redditum ei fuisse virtutem, qua ex Sara, Cetura et quacumque alia proles suscitare et generare posset. Prior explicatio est verior, uti ostendi *Gen.* XVII, 17.

VERS. 20. 20. IN REPROMISSIONE ETIAM DEI NON HÆSITAVIT. — Græce διεκρίθη, id est non dijudicavit, non disquisivit, quomodo scilicet id fieri posset.

Dices : Abraham, *Gen.* XV, 8, audita hac Dei promissione, illam signo confirmari petit et cupit, dicens : « Unde scire possum, quod possessurus sim eam (Chananæam)? » Ergo videtur hæsitasse et dubitasse Abraham de Dei promissione.

Respondeo : Abraham ibi non dubitat de re et substantia promissionis divinæ; nam paulo ante ibidem vers. 6, dicitur : « Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam. » Sed tantum modum illius in executione servandum cognoscere, et ejus quod crediderat similitudinem aliquam sibi ostendi exoptat. Ita S. Augustinus, Chrysostomus et Theodoretus in *Genes.* XV.

Secundo, ut Rupertus et Tostatus ibidem, hisce verbis cupit et rogat Abraham, ut Deus promissum suum confirmet, nec ullus posterorum demeritis illud irritet et revocet.

Tertio, petit Abraham signum, inquit Cajetanus, ibidem non sibi, sed posteris, ut scilicet ipsi firmius idipsum crederent, quod jam firmiter credebat Abraham. Hinc patet, [illegible] justificantem non esse fiduciam, quæ est in voluntate, sed esse assensum et actum intellectus : quia per hanc fidem, ut hic ait Paulus, Abraham « non consideravit corpus suum emortuum, et plenissime scivit quia quæcumque promisit Deus, potens est et facere. » Deinde actum ejus non vocat fidere, sed credere Deo promittenti posteritatem.

Dices : Quomodo ergo ait Paulus de hac fide Abrahæ, quod « non hæsitavit diffidentia? » hæc enim opponitur fiduciæ.

Respondeo : « Diffidentia » hic idem est quod incredulitas, Græce enim est ἀπιστία. Unde Syrus vertit, *nec de promissione Dei dubitavit tanquam expers fidei*. Eodem sensu accipitur diffidentia *ad Ephes.* V, 6. De quo plura ibidem.

21. DANS GLORIAM DEO, PLENISSIME SCIENS QUIA QUÆCUNQUE PROMISIT DEUS, POTENS EST ET FACERE. — Pro *plenissime sciens*, Græce est πληροφορηθείς, id est plenissime persuasus, de quo plura dicam cap. XIV, vers. 5, *q. d.* Abraham dedit gloriam Deo Deumque glorificavit sua fide, scilicet, hoc ipso, quo plane sibi persuasit Deum sua promissa, quantacumque, et posse et velle implere. Ille enim glorificat Deum, qui de Deo Deique potentia et fidelitate, ut par est, sentit, credit et prædicat.

Nota : Cum ait Paulus : « Potens est et facere, » est miosis significans, et potens est, et faciet; utrumque enim credidit Abraham, de qua phrasi plura dicam II *Cor.* IX, 8. Ubi adverte, dicit Paulus : « Potens est, » non autem, Verax est, aut, Sapiens, vel Fidelis est, quia potentia divina præ aliis Dei attributis in rebus arduis proponenda est humanæ infirmitati, ut naturam et omnia hominum auxilia transcendens, in Deum Deique potentiam se erigat, ab eaque certo speret opem, et rem promissam. « Ideo, inquit Fulgentius, lib. I *ad Monimum*, in Dei promissis nulla est fabulas, quia in faciendis nulla omnipotentis difficultas. » Hinc Patres docent, in tentationibus et rebus afflictis ac difficilibus, non ad homines, sed ad orationem et Deum confugiendum esse, ut anchoram spei jaciamus, non in mare, sed in cœlum, sicque animæ nostræ navem ab omni turbinum et tempestatum æstu tutam et fixam fore.

22. REPUTATUM EST ILLI AD JUSTITIAM. — *q. d.* Ob tam heroicam fidem Abraham justificatus est.

23. NON EST SCRIPTUM TANTUM PROPTER IPSUM, QUIA (quod) REPUTATUM EST ILLI AD JUSTITIAM : 24. SED ET PROPTER NOS, QUIBUS REPUTABITUR (nostra fides ad justitiam) CREDENTIBUS (si credamus) IN EUM, QUI SUSCITAVIT JESUM CHRISTUM DOMINUM NOSTRUM A MORTUIS. — *q. d.* Abraham datur et proponitur nobis in exemplar justificationis; ac proinde sicut ipse, ita et nos non ex circumcisione, lege et Mose, sed ex fide et Christo justitiam quærere et consequi debemus.

Fides resurrectionis Christi maxime necessaria.

Nota : Hic et alibi inculcat Apostolus fide credendam esse resurrectionem Christi, quia hic erat articulus mundo tunc incredibilis, et quia hic articulus maxime est necessarius, et compendium quasi cæterorum : nam qui eum credit, credit Jesum esse Christum et Messiam, Deum et hominem, salvatorem mundi, qui pro peccatis nostris et salute nostra mortuus est et resurrexit. Tertio, quia fides et spes resurrectionis maxime nos excitat ad bene et christiane vivendum, omniaque dura tolerandum.

25. QUI TRADITUS EST (tum a Juda et Judæis, tum potius a Patre æterno, in mortem et crucem) PROPTER DELICTA NOSTRA, ET RESURREXIT PROPTER JUSTIFICATIONEM NOSTRAM. — Nota : Christus in passione sua omne meritum, pretium et lytrum redemptionis nostræ consummavit; unde per suam resurrectionem non meruit nostram justificationem.

Per resurrectionem Christus non meruit nostram justificationem.

Dices : Quomodo ergo hic dicitur, quod « Christus resurrexit propter justificationem nostram? »

Respondet Commentarius Ambrosio ascriptus, sensum Apostoli esse, *q. d.* illi qui baptizati sunt ante passionem Christi, solum tunc remissionem peccatorum acceperunt; post resurrectionem vero Christi et missum Spiritum Sanctum fuerunt justificati. Sed hic est error, qui satis arguit hos commentarios non esse Ambrosii. Respondeo ergo cum Francisco Suarez, III *part.*, *Quæst.* LVI, præpositionem *propter* quatuor causas hic posse significare, *primo*, materialem seu objectivam. Ita Cajetanus et Adamus, *q. d.* « Christus surrexit propter justificationem nostram, » quia scilicet per fidem resurrectionis, qua credere cœpimus Christum esse Dei Filium et redemptorem mundi, perducti sumus ad justificationem, et quia Christus ipse resurrectione sua fidem suæ passionis et deitatis roborando, spemque nostram acuendo, justificationem nostram procuravit.

Facienda propter significat hic quatuor causas.

Secundo, ut S. Anselmus, Origenes et S. Thomas, præpositio *propter* significare potest causam exemplarem; *q. d.* Christus mortuus est, ut nos ejus exemplo moriamur delictis; et resurrexit, ut nos resurgamus ad novitatem vitæ : resurrexit ergo Christus ad hoc, ut nobis daret typum et exemplar resurrectionis animæ.

Humanitas Christi ejusque resurrectio est instrumentum justificationis nostræ.

Tertio, τὸ *propter* potest significare causam efficientem; nam, ut docet D. Thomas, III *part.*, *Quæst.* LVI, art. 2, resurrectio humanitatis Christi est instrumentum divinitatis ejusdem, efficiens justificationem nostram : instrumentum, inquam, non physicum, ut volunt aliqui : resurrectio enim, quæ per tot sæcula transiit, quomodo physice jam agere, influere et operari potest? sed morale, quia scilicet destinavit Deus resurrectionem Christi ad nostram justificationem, decrevitque nos non justificare, nisi post illam, et quasi per illam, sicut rex qui promisit subditis, per coronationem filii sui, certa privilegia, nonnisi post eam, et quasi per eam ea elargitur; et hoc sensu dicitur *Joan.* VII, 39 : « Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus. »

Resurrectionis meritalis divinitatis, efficiens nostræ justificationis.

Propositio propter significat causam quasi meritoriam.

Quarto, et optime præpositio *propter* significat causam quasi meritoriam : Christus enim officium suum et meritum passionis in resurrectione, quasi in termino suo absolvit : resurrectio enim fuit terminus et complementum passionis, meritorum et totius œconomiæ Christi. Unde resurrectio et passio censentur unum opus redemptionis, et una actio moralis Christi completa, qua simul et semel meruit Christus tam remissionem peccatorum, tum justificationem nostram : sed ob similitudinem apposite Apostolus tribuit remissionem passioni, quasi satisfactioni; resurrectioni vero justificationem, quia per resurrectionem, quam suis meritis et virtute propria adeptus est Christus, factus est plenus redemptor et justificator : utpote victor mortis, et consequenter victor regni peccati et injustitiæ, quod mortis erat causa, tuncque simul suum induxit regnum vitæ, sanctitatis et justitiæ. Unde post resurrectionem misit Spiritum Sanctum justificatorem, misit et Apostolos, qui vi verbi sui et sanctis Sacramentis a se institutis nos justificarent.

Passio tribuitur satisfactio, resurrectioni justificatio.

Adde, nisi Christus resurrectione sua mortem vicisset, imbellis et inefficax fuisset ad vincendum et debellandum omnino peccatum, quod mortis est causa, quodque morti quasi effectui suo adstrictum et colligatum manet, ac consequenter imbecillis et impotens fuisset Christus ad justificandum nos. Unde Syrus vertit, *resurrexit ut justificet nos.* Qua de re plura dicam I *Cor.* XV, 17.

Denique τὸ *propter* significat causam finalem eamque mutuam. Nam et Christus resurrexit hoc fine, ut mitteret Apostolos et Spiritum Sanctum, qui nos justificarent, et vicissim finis nostræ justificationis est, ut laudetur et celebretur resurrectio Christi, sive Christus resurgens, qui ejus causa est et auctor. Christus ergo moriens et resurgens, nosque secum suscitans, fuit phœnix; cui proinde recte illud phœnicis ænigma attribuas :

Vita mihi mors est, morior si compero natus.
Sed prius est fatum, lætus quam lucis origo.
Sic soles manes ipsos mihi dico parcales.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hactenus docuit Paulus, nos justificari non per legem, sed per fidem Christi : nunc ostendit, quanta sit tum excellentia et celsitudo, tum utilitas hujus justitiæ, quam Christus nobis attulit.

Primo ergo recenset sex fructus hujus justitiæ, quos enumerabo vers. 2, ex quibus fit ut gloriemur non tantum in spe beatitudinis, sed etiam in tribulationibus, quia charitas Dei et Christi diffusa est in cordibus nostris.

Secundo, vers. 12, opponit et præponit gratiam Christi peccato Adæ, docetque, quod, sicuti per unius Adæ inobedientiam peccatores facti sumus et morti obnoxii, ita per Christi obedientiam, justitiam et vitam æternam obtineamus.

Tertio, vers. 20, docet legem inter Adamum et Christum subintrasse, ut abundaret delictum, idque ad hoc, ut ubi abundavit delictum, ibi abundet et gratia Christi.

1. Justificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum : 2. per quem et habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus, et gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. 3. Non solum autem, sed et gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiam operatur; 4. patientia autem probationem, probatio vero spem. 5. Spes autem non confundit : quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. 6. Ut quid enim Christus, cum adhuc infirmi essemus, secundum tempus pro impiis mortuus est? 7. Vix enim pro justo quis moritur : nam pro bono forsitan quis audeat mori. 8. Commendat autem charitatem suam Deus in nobis : quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus, 9. Christus pro nobis mortuus est : multo igitur magis nunc justificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum. 10. Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus : multo magis reconciliati, salvi erimus in vita ipsius. 11. Non solum autem : sed et gloriamur in Deo per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem nunc reconciliationem accepimus. 12. Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. 13. Usque ad legem enim peccatum erat in mundo : peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset. 14. Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ, qui est forma futuri. 15. Sed non sicut delictum, ita et donum : si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit. 16. Et non sicut per unum peccatum, ita et donum : nam judicium quidem ex uno in condemnationem : gratia autem ex multis delictis in justificationem. 17. Si enim unius delicto mors regnavit per unum, multo magis abundantiam gratiæ, et donationis, et justitiæ accipientes, in vita regnabunt per unum Jesum Christum. 18. Igitur sicut per unius delictum in omnes homines, in condemnationem; sic et per unius justitiam in omnes homines, in justificationem vitæ. 19. Sicut enim per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi; ita et per unius obeditionem, justi constituentur multi. 20. Lex autem subintravit ut abundaret delictum. Ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia, 21. ut sicut regnavit peccatum in mortem, ita et gratia regnet per justitiam in vitam æternam : per Jesum Christum Dominum nostrum.

1. JUSTIFICATI ERGO EX FIDE, PACEM HABEAMUS AD DEUM PER DOMINUM NOSTRUM JESUM CHRISTUM. — « Pacem habeamus : » ita legunt Biblia Romana, Origenes, Chrysostomus, Theodoretus, Ambrosius, Theophylactus; sed Syrus et Græce habent ἔχομεν, id est *habemus pacem*. Hoc enim apte infert Apostolus ex præcedentibus, *q. d.* Ut Ambrosius et Toletus explicant, *pacem*, id est reconciliationem et amicitiam cum Deo habemus, ex eo quod jam sumus justificati per fidem Christi. Verum, legendo cum Romanis aliisque, non *habemus*, sed *habeamus pacem, primo* Œcumenius et Anselmus hunc dant sensum, *q. d.* Paulus : Cum jam simus justificati per Christum, hinc par est ut omnes pacem in Christo servemus, nec Judæi cum Gentibus de justitia, deque prælatione contendere pergant. Sed huic sensui repugnat vox *ad Deum*, quæ significat Apostolum loqui de pace, quam habemus non cum hominibus, sed cum Deo.

Unde *secundo*, S. Chrysostomus et Theodoretus sic explicant, *q. d. Pacem*, id est amicitiam cum Deo in justificatione acceptam, *habeamus*, id est conservemus. Hoc valde litterale videtur.

Tertio, et maxime genuine, ad mentem Pauli sic exponemus, *q. d.* Cum jam simus justificati per fidem et gratiam Christi, uti hactenus demonstravi, *pacem habeamus*, id est pacate et tranquillo simus animo, nullam posthac metuentes Dei vindictam et condemnationem; simus animo a terroribus quos ingerere solet mala conscientia, libero, læto et sereno, utpote jam reconciliati cum Deo, denique amici et filii. Pax ergo hæc est tranquillitas, serenitas et fiducia justæ et bonæ conscientiæ, orta non ex certitudine fidei divinæ, qua quis certissime credat sibi per Christum remissa esse peccata, ut volunt Novantes; sed ex conjecturis et signis, quæ moralem quamdam certitudinem dant, nos esse justos : cum conscientia scelerum remissione et venia in baptismo, aut Pœnitentiæ sacramento, uti confidit, accepta, nullius peccati sibi jam conscia, mentem non angit aut mordet; sed placida et pacata studet puritati et sanctimoniæ, spem et amorem in Deum et cœlestia defigens, rectaque tendens ad beatitudinem et gloriam æternam. Pax hæc conscientiæ ingens est bonum, ut merito dixerit S. Tiburtius martyr : « Omnis nobis vilis est pœna, ubi pura comes est conscientia. » De quo plura 1 *Tim.* 1, 5. Rursum hæc pax est sensum impenetrabile, quo omnia hostium tela excipimus et elidimus. Audi S. Leonem, serm. 6 *De Nativit. Christi* : « Totus mundus in maligno positus est; et, insidiante diabolo et angelis ejus, hoc innumeris tentationibus laboratur, ut hominem ad superna nitentem aut adversa terreant, aut secunda corrumpant; sed major est qui in nobis est, quam qui adversus nos est; et pacem cum Deo habentibus, ac semper Patri cum toto corde dicentibus : Fiat voluntas tua, nulla prævalere certamina, nulli possunt nocere conflictus. » Quocirca subdit : quia « consensum animi carnis concupiscentiis denegantes, inimicitias quidem adversus nos ejus, qui peccati est auctor, commovemus, sed inexpugnabilem cum Deo pacem gratiæ ipsius serviendo firmamus, ut regi nostro non solum obedientia subjiciamur, sed etiam judicio copulemur. » Quocirca « ipse jam pro nobis omnia bella conficiet : ipse qui dedit velle, donabit et posse, ut simus cooperatores operum ejus, et propheticum illud cum fidei exultatione dicamus : Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo? Dominus defensor vitæ meæ, a quo trepidabo? »

Loca moralia de tranquillitate conscientiæ contra Novatus.

2. PER QUEM ET HABEMUS ACCESSUM PER FIDEM IN GRATIAM TUAM — justificationis et remissionis peccatorum, ex qua pax ista sequitur (1).

Nota : τὸ *et* hic non tam copulativum est quam explicativum et causale, idemque valet, quod *utpote*, *q. d.* Justificati habeamus pacem per Jesum Christum, utpote per quem accessum habemus ad gratiam istam. Ita S. Chrysostomus.

IN QUA STAMUS, — id est constanter perseveramus, Græce ἑστήκαμεν, id est erecti consistimus, firmi permanemus.

GLORIAMUR IN SPE. — *in* ἐπὶ, id est *sub spe*, vel *propter spem*, seu quia speramus gloriam præparatam filiis Dei : Græce deest τῆ *filiorum*.

Nota : Primus fructus et excellentia justitiæ est pax, vers. 1. Secundus est spes gloriæ, vers 2. Tertius est, magnitudo animi et lætitia in adversis ob spem gloriæ. « Et facere et pati fortia, non Romanum, ut aiebat Scevola, sed Christianum est. » Quartus est, quod per eam efficimur Deo amici et dilecti per charitatem, vers. 5. Quintus est, quod per eam a Deo adoptamur in filios, eoque patre gloriamur, vers. 11. Sextus est, merces vitæ æternæ, vers. ultimo. Sex fructus et excellentia justitiæ.

3. NON SOLUM AUTEM (scilicet gloriamur in spe ista, inquit Theophylactus), SED ET GLORIAMUR IN TRIBULATIONIBUS, — quas propter Christum, aut pro Christo, et vita Christiana patimur, reputantes eas esse insignia Dei dona et beneficia, quibus nos ipse donat, perficit ac promovet ad patientiam omnemque virtutem, ac præsertim ad spem certam futuræ gloriæ (2). Hanc enim causam dat ipse Apostolus, cum subdit : « Scientes quod tribulatio patientiam operatur. » Eamdem causam dat S. Bernardus, serm. 17 *in Psalm.* XC : « Siquidem, inquit, in tribulatione spes gloriæ, imo et ipsa in tribulatione gloria continetur, sicut spes fructus in semine, sic et ipse fructus in semine est. » Addit secundam : quia Deus promittit dicitque,

(1) Commatis 2 sensus est : Per quem etiam potestatem accipimus fide fruendi hujus beneficii, quo Dei favore perfruimur, etc. *Gloriamur*, tum quia felicitas sperata cum honore conjuncta est, tum ut spes nostra eleganter oppugnatur inepiis Judæorum gloriationibus, II, 17, 23; III, 27.

(2) Occurrit Paulus tacitæ objectioni : vos gloriamini spe felicitatis a Deo promissæ, interim affligimini, vexamini, dedecore et contumeliis afficimini. Respondet Apostolus, etc.

« Cum ipso sum in tribulatione. » Hoc est quod S. Martinus diabolo Christum se mentienti, et apparenti in gloria, respondit : « Christus suis in hac vita nonnisi in cruce apparet : » ita Sulpitius in ejus Vita. Jam quis non aveat, quis non gaudeat esse ubi Christus, ubi Deus est? « Bonum, ait S. Bernardus ibidem, mihi, Domine, magis tribulari, dummodo ipse sis mecum, quam regnare sine te, epulari sine te, sine te gloriari. Bonum in tribulatione magis amplecti te, in camino habere te mecum, quam esse sine te vel in cœlo. Quid enim mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram? » Præclare S. Augustinus in *Sentent.*, num. 226 : « In præsenti, ait, vita, et delicie temporales dulces sunt, et temporales tribulationes amare sunt. Sed quis non bibat tribulationis poculum, metuens ignem gehennarum? Et quis non contemnat dulcedinem sæculi, inhians bonis vitæ æternæ? »

SCIENTES QUOD TRIBULATIO PATIENTIAM OPERATUR. — « Operatur, » ut causa non efficiens, sed materialis, scilicet ut occasio, objectum et excitamentum patientiæ : de quo vide Chrysostomum in moruli *homil.* 9. Simili modo et sensu vulgo dicitur, quod tortores martyribus, et impii pios quos vexant, fabricant coronam in cœlis. Loquitur enim Paulus de justis constantibus et cordatis, qui ex tribulatione robustiores et perfectiores evadunt, non de timidis et levibus, qui tribulationi cedunt et succumbunt. Addit hic notatque S. Chrysostomus Deum in hoc statu lapso, quo concupiscentia diffluimus, necessario immisisse nobis tribulationes ad eam castigandam et stringendam. Sicut enim silvestres aves cicurantur cavea, equi indomiti freno, canes loro : sic per tribulationes homo alias incompositus et indomitus fit mitis, patiens, flexilis, obediens Deo.

Unde notat Hugo Cardinalis Apostolum hic innuere, patientiam esse veluti terram fructiferam, quam tribulatio operatur, id est arat, colit, ut fructum ferat meritorum, eo sensu, quo *Gen.* II Adam dicitur positus in paradiso, ut operaretur illum. Hinc patet, quam alacri animo excipienda sit quævis tribulatio, utpote quæ velut diligens agricola, nostram patientiam, quasi tellurem exerceat, ut uberem meritorum segetem proferat.

4. PATIENTIA AUTEM (operatur) PROBATIONEM, — quia scilicet nos nostramque virtutem probat, ut fornax probat aurum. Secundo et melius « patientia » operatur « probationem, » id est terminum probationis, experimentum scilicet (hoc enim significat Græcum δοκιμή, quod non active, sed passive tantum capitur), ut sit probatus et exploratus animus patientis, paleatque quanti Deum et cœlestia faciat (utpote pro quibus tanta tam generose patitur), ac consequenter quam laudabilis et excelsus sit. Ita Cajetanus et Toletus. Aliter ergo sumit probationem S. Jacobus, cap. I, cum e contrario ait, quod probatio fidei patientiam operatur, scilicet pro ipsa tribulatione et persecutione, quæ hominem exercet et probat : hæc enim operatur et excitat patientiam eo sensu, quem paulo ante dedi. Quocirca S. Augustinus, in *Sententiis* (quas ex eo excerpsit S. Prosper et habentur in fine tomi III S. Augustini), num. 486 : « Non queratur, ait, homo quando in his quæ juste habet, patitur aliquas adversitates. Per amaritudinem enim inferiorum docetur amare meliora, ne viator tendens ad patriam stabulum præ modo diligat. »

PROBATIO VERO (operatur) SPEM, — id est spei robur et vigorem. Ita S. Chrysostomus et Anselmus : nam alioqui simpliciter spes præcedit et operatur patientiam et probationem. Hinc contra Novantes nota : Licet spes primario Dei ope et gratia nitatur, secundario tamen bonis quoque operibus patientiæ, et aliis ex gratia factis nititur. Tria hæc spem roborant, ait Bernardus in *Sententiis* : Primum, est humilitas collata sapientiæ; secundum, firmitas constantis patientiæ; tertium, veritas inspirationis occultæ.

Spes in Deo virtute nititur bonorum operum. Tria spem roborant.

5. SPES AUTEM NON CONFUNDIT. — οὐ καταισχύνει, id est non solet pudefacere, quia scilicet sperantem non frustratur, nec fallit, sed eum certo perducit ad assecutionem rei speratæ a Deo. Secus se habet spes fallax, quam collocamus in hominibus, quæ sæpe fallit, ideoque puderem affert : ita Theophylactus et Anselmus. Quid enim sunt spes mortalium, nisi (ut aiebat Plato) somnia vigilantium, aut potius desiderantium? « Spes, inquit S. Bernardus, serm. 37 *in Cant.*, non confundit, quia infundit certitudinem; per hanc enim ipse Spiritus testimonium perhibet spiritui nostro, quod simus Filii Dei. » Vere S. Augustinus in illud Psalmi XXX, *Odisti observantes vanitates supervacue : ego autem in Domino speravi* : « Ego, inquit, qui non observo vanitatem, in Domino speravi. Speras in pecunia, observas vanitatem; speras in honore et sublimitate aliqua potestatis humanæ, observas vanitatem; speras in aliquo amico potente, observas vanitatem. In his omnibus cum speras, aut tu expiras, et ea hic dimittis; aut cum vivis, omnia pereunt, et in spe tua defecis. Istam vanitatem commemorat Isaias, dicens : Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos fœni. Aruit fœnum, et flos ejus decidit : verbum autem Domini manet in æternum. Ego autem, non quomodo illi qui sperant in vanitates et observant, sed in Domino speravi, qui non est vanitas, » sed ipsa veritas et stabilitas.

Idem in illud Psalmi IX, *Sperent in te qui noverunt nomen tuum* : « Ne sperent, inquit, in his rebus, quæ temporis volubilitate præterfluunt, nihil habentes, nisi Erit et Fuit. Quoniam quod in illis futurum est, cum venerit, fit statim præteritum, et quod exspectatur cum cupiditate, amittitur cum dolore. In Dei autem natura non erit aliud, quasi nondum sit, aut fuit, quasi jam non sit; sed est tantum id quod est, et ipsa est æternitas. Desinant igitur sperare et diligere temporalia, et

se ad æternam spem conferant, qui cognoscunt nomen ejus, qui dixit : Ego sum qui sum. »

D. Bernardus ultra ad spem excitat.

Egregie vero, ex hac Apostoli fundamento, quod scilicet spes non confundat, S. Bernardus omnes ad spem in Deum excitat, serm. 9 in Psal. *Qui habitat* : « Quoniam, inquit, tu es, Domine, spes mea, altissimum posuisti refugium meum. Quidquid agendum sit, quidquid declinandum, quidquid toleradum, quidquid operandum, tu es, Domine, spes mea. Hæc una mihi omnium promissionum causa, hæc tota ratio meæ exspectationis. Prætendat alter meritum, sustinere se jactet pondus diei et æstus, jejunare se bis in sabbato dicat, postremo non esse sicut cæteros homines glorietur : mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam. Speret qui vult in incerto divitiarum. Ego vero, ne ipsa quidem nisi abs te victui necessaria spero, nimirum verbo tuo confidens, in quo abjecí omnia. Nempe tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor. »

In quolibet particulari casu sperandum a Deo.

Deinde in particulari quolibet casu sperandum esse in Deo, ita docet : « Si mihi præmia promittuntur, per te obtinenda sperabo. Si insurgant adversum me prælia, si sæviat mundus, si fremat malignus, si caro adversus spiritum concupiscat, in te ego sperabo. Qui dicit : Quoniam tu es, Domine, spes mea, jactet cogitatum suum in Domino, sciens quod emutriendus sit ab illo, sicut scriptum est : Omnem sollicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. Ut quid enim, si hæc sapimus, ut quid cunctamur abjicere omnino spes miseras, vanas, inutiles, seductorias, et huic uni tam solidæ, tam beatæ spei, tota devotione animi inhærere? » Et causam hujus soliditatis spei assignans, subdit : « Si quid illi impossibile, si quid vel difficile est, quæro aliud in quo speres : sed verbo omnia potest. Quid facilius dictu? An vero de facilitate jam non dubitas, sed ipsa tibi est suspecta voluntas? quando in se speranti desit illa majestas, quæ tam studiose monet in se sperare? plane non derelinquit sperantes in se. Adjuvabit eos, ait, et eruet eos a peccatoribus. Quære, quibus meritis? quia speraverunt in eo. Duleis causa, attamen efficax et irrefragabilis. Quis speravit in eo, et confusus est? »

Atque hic est acer stimulus, qui sanctos heroes excitavit, et etiamnum excitat ad audendum magna, ad res heroicas arduasque fortiter pro Deo vel aggrediendas, vel sustinendas. Sciebant enim se non confundendos, quia spes non confundit. De his S. Bernardus, serm. 32 *in Cant.* : « Jam vero, inquit, magni patris familias, seu regiæ majestatis schema apparere existimo his, qui accedentes ad cor altum, de majori spiritus libertate, et puritate conscientiæ magnanimiores facti, consueverunt audere majora. » Dat exempla : « Talis erat Moyses, qui audebat dicere Deo : Si inveni gratiam in oculis tuis, ostende mihi teipsum. Talis Philippus, qui sibi et suis condiscipulis Patrem flagitabat osteudi. Talis et Thomas, qui nisi suam manu tangeret vulnus et fossum latus, credere recusabat. Pusilla fides, sed de magnitudine animi miro modo descendens. Talis quoque David, qui et ipse dicebat Deo : Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea : faciem tuam, Domine, requiram. Tales itaque magna audent, quoniam magni sunt; et quæ audent obtinent, juxta verbum promissionis ad ipsos, quod est istius modi : Quemcumque locum calcaverit pes vester, vester erit. Magna siquidem fides magna meretur : et quatenus in bonis Domini fiduciæ pedem porrexeris, eatenus possidebis. » Et paulo inferius : « Igitur istius modi magnis spiritibus magnus occurrit sponsus, et magnificabit facere cum eis, ita ut dicat qui ejusmodi est : Quia fecit mihi magna qui potens est. Regem in decore suo videbunt oculi ejus præsentem se ad speciosa deserti, ad flores rosarum, et lilia convallium, ad amœna hortorum, et irrigua fontium, ad delicias cellariorum, et odoramenta aromatum, postremo ad ipsa secreta cubiculi. Beatus qui implevit desiderium suum ex ipsis. »

QUIA CHARITAS DEI DIFFUSA EST IN CORDIBUS NOSTRIS PER SPIRITUM SANCTUM, QUI DATUS EST NOBIS. — Quæres, quænam hic intelligatur *charitas Dei*? S. Chrysostomus, Theophylactus, Ambrosius, Cajetanus et Toletus respondent, quod charitas Dei sit charitas, quæ est in ipso Deo, qua Deus nos diligit : hæc diffusa, vel, ut Græce est, ἐκκέχυται, id est *effusa* a est in cordibus nostris. » Quia in iis efficit charitatem, gratiam omniaque dona et virtutes Spiritus Sancti. Huic sensui valde favent sequentia, maxime vers. 8. Simili modo vulgo dicitur : Liberalitas regis effusa est in hunc principem; q. d. Paulus : Spes non confundit, quia Dei, in quem speramus, charitas et liberalitas in nos effusa et profusa est, quia scilicet jam non per legis, sed per fidei justitiam accepimus ex Dei charitate Spiritum Sanctum, quo sumus effecti divinæ consortes naturæ, Deo amici, chari, dilecti, ab eoque omnibus gratiis et virtutibus dotati et ditati. Si autem antequam tales essemus, Deus dedit pro nobis Filium suum in mortem; multo magis jam postquam tales sumus effecti, dabit nobis quasi amicis et filiis suis, tanquam pater amantissimus, ea quæ speramus et postulamus ab eo, quæque ipse filiis suis promisit.

Primo per charitatem Dei significat qui infunditur, quia qua est in ipso Deo.

Secundo, S. Augustinus, *De Spiritu et Litt.*, XXXII; S. Bernardus, *epist.* 107, Anselmus et passim Doctores Scholastici, imo Concilium quoque Tridentinum, *sess.* VI, cap. VII, « charitatem Dei » hic intelligunt non eam, quæ est in ipso Deo increata et æterna, sed eam quæ est in nobis a Deo creata et donata in tempore, quam scilicet Deus nobis infundit, ut eum diligamus : illa enim proprie diffundi vel effundi dicitur, q. d. Paulus : Spes æternorum non confundit nos, quia chari-

tatem habemus, qua Deum diligimus summusque Dei amici : Deus autem amicos suos in se sperantes non confundet, imo vero fisdem diligentibus se hæc sperata æterna bona præparavit : tam vocula *enim* dat causam præcedentium, cur scilicet spes non confundat.

Nota : Verbo *effundi*, innuit Paulus charitatem ad omnes motus et actus animæ perficiendos se extendere : ita S. Thomas.

Tertio, plenissimus erit sensus, si charitatem Dei utramque accipias, scilicet creatam et increatam ; et de utraque hunc locum explicat Origenes, Theodoretus, Œcumenius et D. Thomas, *q. d.* Paulus : Charitas Dei increata effudit se per charitatem creatam a se diffusam et effusam in cordibus nostris ; ideoque spes, quam habemus in Deum, nos non confundet, nec pudefaciet, eo sensu, quem jam dedi.

Nota quod ait Paulus : « Per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. » Illinc enim patet, in justificatione non tantum gratiam Spiritus Sancti, sed et ipsum Spiritum Sanctum quasi primum Dei donum nobis dari ; non solum enim Spiritus Sanctus nobis charitatem et dona sua communicat, sed et per ea in nobis ipse Spiritus Sanctus inhabitat : licet enim antea ipse in anima fuerit per essentiam, potentiam, præsentiam ; datur tamen rursum animæ, dum illa justificatur, ut sit in ea novo modo, scilicet quasi in templo suo, eamque per charitatem sanctificet faciatque participem sui amoris. Est enim ipse primus et increatus amor.

Hinc refellitur error Magistri Sententiarum, lib. I *Sent.*, dist. 16 et 17, docentis charitatem quæ in nobis est, non esse qualitatem creatam et infusam, sed esse ipsummet Spiritum Sanctum, qui per se solum sine habitu charitatis infuso operatur in nobis et nobiscum actum amoris ; nam Apostolus asserit hic charitatem diffundi in cordibus nostris : Spiritus autem Sanctus diffundi non potest, nisi per charitatem aliaque dona creata et infusa.

Secundo, quia Apostolus distinguit hic charitatem a Spiritu Sancto, tanquam effectum a sua causa, ut enim : « Charitas Dei diffusa est per Spiritum Sanctum ; » ergo charitas alia et diversa est a Spiritu Sancto. Sicuti lux effusa in hac domo per lampadem, alia est a lampade lucem diffundente.

Dices : S. Augustinus, lib. *De Trinitate*, cap. VII et VIII, et alibi, dicit charitatem, qua nihil melius est, esse Deum nosque Deum diligere charitate, quæ Deus est. Hæc sententia Magistro Sententiarum errandi occasionem dedit.

Respondeo, Augustinum loqui more Platonicorum : fuit enim ipse ante conversionem Platonicus. Platonici autem hac phrasi utebantur, ut dicerent nos esse bonos bonitate Dei, amantes amore Dei, sapientes sapientia Dei, nos verum cognoscere veritate incommutabili, quæ Deus est, qua phrasi tantum significare volebant quod bonitas, amor, sapientia, veritas, quibus sumus formaliter boni, amantes, sapientes, veri, sint participatio quædam bonitatis, amoris, sapientiæ et veritatis increatæ, quæ est in Deo, non autem quod per amorem, sapientiam, bonitatem, quæ est in Deo, simus formaliter amantes, sapientes, boni : hoc enim est impossibile. Est ergo metonymia in hac phrasi ; cum enim dicitur : Charitas nostra Deus est, sensus est : Charitas nostra creata manat a charitate increata, quæ est Deus ipse ; et sic charitas nostra non formaliter, sed originaliter, causaliter et participative est ipse Deus.

Rursum, ex hoc Apostoli loco probari potest, justitiam esse qualitatem et donum nobis inhærens. Hoc enim insinuat verbum, *effunditur in cordibus nostris*, et τὸ *per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*. Ita Concilium Tridentinum, loco jam citato. Unde S. Augustinus, lib. III *De Doctrina Christ.*, cap. X : « Charitatem, inquit, voco animi motum ad fruendum Deo, propter ipsum ; et se atque proximo, propter Deum. » Et lib. *De Moribus Ecclesiæ* : « Virtus, inquit, illa (charitas sive dilectio) quæ ipsius animi nostri rectissima affectio est, si in alio est, favet ut conjungamur Deo ; si in nobis est, ipsa conjungit. » Insuper S. Augustinus, *Sententia* 348, ex hoc loco docet multos Christianos per unum Spiritum Sanctum et unam charitatem fieri unum unitate dilectionis : « Multorum, ait, hominum multæ sunt animæ et multa sunt corda : sed ubi per dilectionem fidemque adhærent Deo, una anima et unum cor fiunt. Si ergo charitas Dei diffusa in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis, tantam unitatem multarum animarum et multorum cordium facit ; quanto magis in Patre, et Filio, et Spiritu Sancto, æterna et incommutabilis unitas manet, ut indifferens Trinitas, unus Deus, unum lumen et unum principium. »

DIFFUSA EST, — tum in baptismo, tum in operibus pœnitentiæ, charitatis aliarumque virtutum, quibus vel *primo*, vel magis justificamur ; tum proprie et peculiariter in impositione manuum, ait S. Augustinus, lib. VI *Contra Julian.*, cap. XI, puta in sacramento Confirmationis : in eo enim datur et diffunditur robur et plenitudo Spiritus Sancti. Nota hunc Augustini locum : ex eo enim contra Novantes patet, Confirmationem conferre gratiam, imo plenitudinem gratiæ, ac consequenter esse Sacramentum legis novæ. Hæc enim impositio manuum non est Ordinatio, sed Confirmatio : quia hæc charitatis diffusio, quæ per eam fit, non solis Clericis, sed omnibus Christianis competit. Omnibus enim Christianis loquitur hic Apostolus, qui olim mox a baptismo sacramentum Confirmationis suscipiebant, cum soli Clerici Ordinationem susciperent.

Porro hanc charitatem in nobis diffundit Spiritus Sanctus, ut per eam facilem et suavem reddat legem jugumque Christi. Audi S. Augustinum in *Sententiis*, num. 222 : « Omne præceptum Dei leve est amanti. Nec ob aliud intelligitur dictum : Onus meum leve est, nisi quia per Spiritum Sanctum diffunditur charitas in cordibus nostris, ut diligendo liberaliter faciamus : quia quod quis timendo facit, serviliter facit. Nec est animus rectus, quando mallet, si fieri posset, id quod rectum est non juberi. »

6. UT QUID ENIM CHRISTUS, CUM ADHUC INFIRMI ESSEMUS, SECUNDUM TEMPUS PRO IMPIIS MORTUUS EST ? — Est occupatio. Dicet enim quis : Quomodo sequitur, Amicitia et charitas Dei diffusa est in cordibus nostris : ergo spes non confundit. Sequelam hanc probat hic Apostolus eo modo quo dixi ex Chrysostomo jam paulo ante vers. præced.

Nota : *Infirmos* vocat hic Apostolus peccatores : hi enim infirmi sunt ex morbo peccati et consequenter impotentes ad opera salutis, ipsamque salutem sibi accersendam. Ita Theodoretus.

SECUNDUM TEMPUS. — Græce κατὰ καιρὸν, id est opportune, opportuno tempore ; cum scilicet, ut ait S. Hieronymus, *ad Algasiam*, epist. 151, quæst. II et VII : « Omnia plena essent infidelitate et peccato, et maxime egerent redemptione et medico. » Vel, ut Theodoretus : « Cum tempus a Patre præscriptum esset expletum. » Sic et Theophylactus (1). Vel, ut Sedulius : « Cum ultima esset mundi ætas. » Sic enim Hebræi dicunt כעת *kett*, id est secundum tempus, pro eo quod nos dicimus, *Hoc tempore*, *hac ætate*.

Aliter id explicat Ambrosius et S. Anselmus : « Secundum tempus, » inquiunt, id est, ad tempus, breve scilicet, mortuus est Christus, quia tertio die resurrexit.

Aliter quoque Chrysostomus, qui hæc nectit cum τὸ *infirmi* ; *q. d.* Cum infirmi essemus secundum tempus, id est, pro eo tempore quo eramus infirmi ; quando scilicet tempus erat infirmitatis et legis, non gratiæ, tunc mortuus est Christus : sed primus sensus germanior est, magisque congruit phrasi Græcæ et menti Paulinæ.

7. VIX ENIM PRO JUSTO QUIS MORITUR : NAM PRO BONO FORSITAN QUIS AUDEAT MORI. — S. Hieronymus, *ad Algasiam*, epist. 151, quæst. VII, quinque hujus loci affert sensus.

Primus est Marcionis, qui duos faciens deos, unum veteris Testamenti, secundum novi, illam aiebat hic vocari *justum* et severum, pro quo nulli vel pauci mortem subeunt ; hunc vero *bonum* et benignum, pro quo plurimi Martyres mortui sunt.

Secundus est Arii, afferentis *justum* esse Christum, *bonum* esse Patrem.

Tertius est aliorum, quos postea secutus est Euclerius, in *Quæst. novi Testamenti*, dicentium *justum* esse legem veterem : hæc enim erat lex justitiæ. *Bonum* vero esse Christum et legem Evangelii : hæc enim est lex bonitatis et clementiæ, unde et plurimos habet Sanctos ac Martyres.

Quartus est eorum qui censent eumdem hic vocari *justum* et *bonum*, Christum scilicet.

Quintus, qui S. Hieronymo placet, est, « pro justo et bono, » id est pro justitia et re bona, *v. g.* pro tuenda veritate, vix et raro se morti quis objicit.

Sextus est commentarii Ambrosiani, *justum* esse virum perfectum, *bonum* esse simplicem et innocentem, cujus commiseratione facilius quis pro eo moriatur.

Septimus est Cajetani, *justum* esse virtute præditum, *bonum* esse excellentem sanctitate et religione.

Octavus est S. Thomæ, eumdem esse *justum* et *bonum*, hoc sensu, *q. d.* Vix pro justo quis moritur. Dixi *vix*, quia fieri potest ut aliquis pro bono, id est justo, moriatur, *q. d.* Vix sunt ; sunt tamen aliqui, qui pro viro bono et justo morti se exponant.

Nonus est aliorum, qui sic explicant, *pro justo*, id est pro justitia, *vix* aliquis ; *pro bono* viro, id est pro utilitate propria, nonnulli mori audent.

Decimo, optime et maxime genuine Catharinus hunc vocari virum sanctum, *bonum* vero eum qui beneficus est, quique beneficentia sua multorum amorem sibi conciliat : ut τὸ ἀγαθὸν, ponatur pro ἀγαθοποιῷ, vel ἀγαθοποιοῦντι, sic enim ponitur et sumitur I *Reg.* XXV, 15 ; *Psal.* LXXXII, 1 ; *Galat.* V, 22 (ubi *bonitas*, quæ est fructus Spiritus Sancti, idem est quod beneficentia) ; I *Reg.* XXIX, 6 ; *Prov.* XXII, 9, in Hebræo, ubi sic dicitur, טוב עין *tob ain*, id est bonus oculo ; hoc est, ut noster interpres vertit, « pronus ad misericordiam, benedicetur. » Sic Codrus, Decii, Samson et alii pro patria sua sibi bona, id est beneficia, mortem oppetierunt. Sic et Leonides, rex Lacedæmonum, cum trecentis in castra Xerxis irrupturus, cum ab Ephoris rogaretur, num quid vellet : « Ego, inquit, nomine tenus vado quasi pro Græcis pugnaturus, sed reipsa pro patria moriturus. » Et ad suos : « Prandete, ait, commilitones, quasi apud inferos cœnaturi ; » itaque in hostes irrumpens et fortissime dimicans occubuit (2).

Nota : Pro *audeat*, Græce est τολμᾷ, id est *sustineat*.

8. COMMENDAT AUTEM CHARITATEM SUAM DEUS IN

(1) Et quidem recte. Igitur κατὰ καιρὸν hic omnino cum *mortuus est* construendum est, et indicat *statu tempore*.

(2) Hoc versu magnitudinem charitatis divinæ erga nos laudat Apostolus, eamque ratione admodum popolari illustrat : Inter homines insanitum est, ut quis moriatur pro justo (id est, viro bono : Christus autem mortuus est pro nobis peccatoribus). Pro viro bono (benefico, qui magnis nos affecit beneficiis), forsitan quis animum inducat appetere mortem.

Veris lectio et explicatio hujus versus verborum, occurrit tempus.

Vers. 7. Optime hujus loci sensum explicat D. Hieronymus. Primus, Marcionis.

Tertius, Euclerii.

Quartus, eorum.

Quintus, Hieronymi.

Sextus, Ambrosiani.

Septimus, Cajetani.

Octavus, D. Thomæ.

Nonus, aliorum.

Decimus, Catharini et Vatablii.

NOBIS (in nos, erga nos) : QUONIAM CUM ADHUC PECCATORES ESSEMUS, CHRISTUS PRO NOBIS MORTUUS EST. — Ecce hæc est charitas Dei et Christi in nos, de qua egit vers. 5 et deinceps, *q. d.* Inter homines nullus est tantæ charitatis, ut pro viro justo mori velit, pauci vero et rari sunt, qui pro benefactoribus suis mortem subeant; atqui Christus ex charitate sua et Patris *in* nos, pro nobis, iisque injustis, et malefactoribus peccatoribusque mori voluit : ergo Christus longe omnem omnium hominum charitatem superat et transcendit.

Christi charitas major omnium charitatibus.

Vide hic et obstupesce immensitatem amoris Dei et Christi. Objectum amoris est homo : nec homines quid amant nisi quia pulchrum, sapiens, urbes, delicatum, nobile et in summa bonum. Quid in nobis, Domine, boni invenisti, quid pulchri quod amares? Fœdi eramus, insipientes, mendici, putidi, viles, miseri et miserabiles. Fœdos amavi, inquit, ut pulchros efficerem : inimicos amavi, ut amicos facerem; insipientes amavi, ut sapientes redderem; mendicos amavi, ut divites; viles, ut nobiles; miseros, ut beatos et gloriosos efficerem. Hæc est celsitudo et nobilitas amoris divini, qua omnes creatos amores transcendit, ut objectum non inveniat, sed amando creet. Ratio enim amandi in Deo petitur et fundatur non in objecto amato, sed in ipso Deo amante. Ideo enim amat, ut sua bona malis communicet, ut suum amorem in hostes transfundat, eosque ex hostibus faciat amicos, imo filios et hæredes, uti docet S. Dionysius, lib. *De Divin. Nomin.* Porro hunc Dei amorem facit admirabilem et stupendum, quod non angelum, non Seraphinum, sed seipsum dederit pro nobis vilissimis terræ vermiculis : dederit autem non quomodocumque, sed in mortem et crucem. Poterat nos mille modis redimere et salvare, sed ut divinum et immensum amorem in nos ostenderet, voluit seipsum pro nobis dare lytrum, omnemque sanguinem, spiritum et vitam pro nobis profundere. O amor, quantum amasti nos! o amor! o stupor!

9. SALVI ERIMUS AB IRA PER IPSUM. — « Ab ira, » id est a justa vindicta, qua Deus punit et punict peccatores, maxime in die judicii. Ita S. Augustinus, lib. III *De Trinit.*, cap. XVI. Clara est hæc ratiocinatio Apostoli.

10. SI ENIM CUM INIMICI ESSEMUS, RECONCILIATI SUMUS DEO PER MORTEM FILII EJUS : MULTO MAGIS RECONCILIATI, SALVI ERIMUS IN VITA IPSIUS. — « In vita, » qua scilicet ipse Christus, postquam a morte resurrexit, jam vivit vita beata et gloriosa. Hæc est argumentatio Apostoli : Si Christus dignatus est mori pro nobis, et moriens per mortem suam reconciliavit nos Deo Patri; multo magis ipse jam vivens in gloria, perficiet opus, quod cœpit, atque salvabit nos jam reconciliatos sibi et Patri, atque quasi mediator efficiet resurrectionem animæ et corporis nostri : jam enim nullus el mortis aut passionis est labor, estque in summa gloria, potestate et amore nostri, ita ut sine ulla sui fatigatione aut molestia, unico verbo et nutu, idipsum efficere possit : ita Œcumenius. Totus hic Apostoli discursus eo tendit, ut probet spem electorum et probatorum non confundere : ad hoc enim probandum inducit et exaggerat charitatem Dei erga nos. Vide S. Augustinum, lib. XIII *De Trinit.*, cap. X.

11. NON SOLUM AUTEM, — *q. d.* Non solum gloriamur in spe gloriæ, nec in solis tribulationibus, ut dixi vers. 3; eo enim redit post longam parenthesin. Vide *Can.* 38.

SED ET GLORIAMUR IN DEO (id est, gloriamur et prædicamus Deum nos habere patrem, amicum, familiarem, tutorem, protectorem, ac supra modum dilectorem, ait S. Chrysostomus, idque per merita Domini nostri Jesu Christi), PER QUEM NUNC RECONCILIATIONEM ACCEPIMUS. — Aliter Anselmus : « Gloriamur, ait, in Deo, » in eo quod considerantes nos cum illo futuros in gloria. Denique Theodoretus hæc ad proxime præcedentia refert, *q. d.* Paulus : Non tantum in futuro speramus salutem, sed etiam in præsenti in Domino gloriamur. Verum prima Chrysostomi expositio magis est ex mente et spiritu Apostoli.

12. PROPTEREA SICUT PER UNUM HOMINEM PECCATUM IN HUNC MUNDUM INTRAVIT (1). — « Propterea, » quia scilicet tanta charitate, uti jam ostendi, nos Christus amavit, ut sua morte reconciliaret nos Patri. Pergit enim hic Apostolus ostendere magnitudinem charitatis Christi erga homines, *q. d* « Propterea, » id est, jam ut amplius declarem charitatem Christi in homines, propterea dico eum esse secundum Adam, eumque propter charitatem et beneficia in homines collata magis nostrum esse parentem, quam fuerit Adam, cum hic mortis, Christus vero vitæ sit auctor filiis suis omnibus.

SICUT PER UNUM HOMINEM PECCATUM IN HUNC MUNDUM INTRAVIT. — Est ἀνακόλουθον. Deest enim altera similitudinis sive collationis pars, eaque supplenda est hoc modo : Ita per unum hominem, puta Christum, fuit justitia in mundum ingressa, et per justitiam vita, itaque vita in omnes pertransiit : in quo omnes justificati et vivificati sunt, quicumque ex Christo per baptismum et gratiam renati sunt : hæc enim supplenda esse patet ex vers. 15 et seq.; imo, ut recte annotavit Origenes et Cajetanus, ipsemet Apostolus post longum hyperbaton, quo more suo alio abripitur, hæc eadem supplet et explet vers. 18. Simili-

(1) Ostendit jam Paulus, vers. 12-21, beneficium, de quo hactenus disputaverat, pertinere non ad fidelis tantum, sed ad omnes omnino homines, et hanc felicitatem nos debere soli Jesu Christo, lege, circumcisione omnique merito nostro exclusis. Illustrat rem totam, instituens comparationem Christi cum Adamo, qui quodammodo *solus auctor* peccati et pœnarum haberi potest. Quemadmodum nempe peccatum ab uno ad omnes transiit, sic quoque redemptio per unum omnibus contigit.

ter facit *ad Ephes.* III; ubi sententiam vers. 1 inchoatam, post longam digressionem tandem explet et perficit vers. 14. Vide *can.* 38. Aliter hæc adaptat Salmeron, scilicet, ut hæc pendeant a præcedentibus, *q. d.* Paulus : « Propterea » (ut scilicet gloriemur de Christo, et per Christum) reconciliationem accepimus per Christum : sicuti e contrario peccatum, mortem et damnationem per unum hominem, puta Adamum, accepimus et incurrimus. Sed hæc magis difficilis et implexa est præcedentium revocatio et subintellectio. *Per unum*, Erasmus vertit, *propter unum*. Sed perperam, et contra omnes interpretes : Græcum enim διὰ cum genitivo significat *per*, non *propter*.

Quæres, quis est hic unus homo?

Per unum hominem hic intelligitur Adam.

Respondet Ambrosius esse Evam. Sed patet ex sequentibus non esse Evam, sed Adamum : hunc enim Paulus opponit Christo. Licet enim prima Eva peccarit, tamen Adam primaria fuit causa, uti generationis, ita et peccati originalis, ejusque propagationis : quia in ipso quasi capite constituta fuit nostra innocentia et justitia originalis. Unde valde verisimilis est sententia eorum qui sdstinent, Adamo non peccante, licet Eva peccaret, non transfundendum fuisse peccatum originale. Ita I II, *Quæst.* LXXXI, art. 5, sentiunt multi cum D. Thoma : licet aliqui contrarium teneant probabiliter, dicentes sub Adamo etiam Evam accipi. Erant enim Adam et Eva una caro, et quasi una persona : unde videtur consequi quod tam sola Eva peccante, quam solo Adamo peccante, peccatum originale ex ea contraxissent omnes ejus posteri.

An, si peccasset Eva tantum, omnes homines peccatum contraxissent?

PECCATUM INTRAVIT. — Pelagiani negantes peccatum originale, uti et Anabaptistæ, Faber et Zuinglius (quibus viam hic stravit Erasmus), docent peccatum hic vel metonymice accipi, pro pœna peccati, id est morte, quam solam dicunt in omnes pertransisse, vel secundo, peccatum ipsum pertransisse dicunt non propagatione, sed imitatione, quia omnes deinceps peccantes post Adam, etiam inscii ipsum secuti et reipsa imitati sunt. Unde Commentarius S. Hieronymo adscriptus, qui non est Hieronymi, sed Pelagii : « Peccatum, ait, intravit in mundum, » per Adamum; intravit, inquam, exemplo vel forma, quia scilicet Adam omnibus dedit peccati exemplum et formam. Verum hæ expositiones, vel potius evasiones et effugia cum verbis Pauli consistere nequunt; nam, ut recte annotavit S. Augustinus, lib. *De Peccat. meritis*, cap. VIII, IX et X, Apostolus dicit peccatum intrasse, et per peccatum mortem : ergo per peccatum non intelligit morem, sed peccatum proprie dictum, quod est causa mortis.

Pelagiani negabant peccatum originale.

Faber et Zuinglius errore damnatum, quo peccatum, sed tantum pœnam peccati transisse in omnes homines, defendunt impugnatur.

Peccatum non solo imitatione intravit in mundum.

Secundo, quia Apostolus ait peccatum intrasse per Adam, sicut justitia intravit per Christum; atqui justitia in mundum per Christum intravit, non imitatione, nec in solo effectu suo, sed proprie per se, perque propagationem et communicationem Christi : ergo pari modo peccatum in mundum intravit per Adamum.

Non vana remittitur prior evidenti.

Tertio, ut omittam Indos et alios Paganos, qui Adami peccatum, de quo nihil audierunt, imitati fuisse vere dici non possunt : Apostolus docet omnes homines peccasse in Adamo; ergo et infantes in Adamo peccarunt : infantes autem nullum habere possunt peccatum actuale : ergo necessum est ut habeant peccatum originale propagatum ex Adamo.

Quarto, quia Concilium Milevitanum, *can.* 2, docet hunc Apostoli locum debere intelligi de peccato originali, quod generatione transfunditur. Respondet Erasmus Concilium Milevitanum fuisse particulare, ideoque se ejus decretis non teneri. Sed errat : nam approbatum est hoc Concilium ab Innocentio I, ut patet ex ejus epistola ad illud Concilium; et idem decretum iisdem verbis renovavit Concilium Tridentinum (quod fuit œcumenicum), *sess.* V, can. 4.

Dices : S. Chrysostomus ad hunc versum et ad vers. 29, ait nos ex Adamo peccatores et inobedientes nasci et esse, non proprie, sed improprie, scilicet peccatores, id est supplicio obnoxios, et mortis reos, puta mortales, passibiles, miseros.

S. Chrysostomus evidenter docet peccatum originale inhærens cuique homini.

Respondeo : Vult S. Chrysostomus dicere nos ex Adamo nasci peccatores, non proprie, id est non proprio actu, sed alieno, scilicet Adæ, ex quo reatum peccati originalis contrahimus, quo sumus rei et obnoxii morti. Nam S. Chrysostomum credidisse et docuisse peccatum originale inhærens cuique homini, patet tum ex aliis ejus locis, tum maxime ex homilia ipsius 40 in I *ad Corinth.*

Theodoreti expositio refellitur priori simili.

Secunda, priori non absimilis hujus loci expositio est et Theodoreti, qui asserit peccatum Adæ in posteros transisse non propagatione, sed occasione et incitatione; quia scilicet ex peccato Adæ omnes nascimur mortales, miseri, cupidi, indeque fit, ut in multa peccata labamur. Unde patet Theodoretum hic peccatum non proprie capere, sed metonymice, ut nimirum peccatum idem sit, quod propensio et proclivitas ad peccandum, scilicet ut peccatum idem sit, quod concupiscentia.

Verum hæc expositio iisdem argumentis quibus prior refellitur. Porro argumentum Theodoreti est hoc : Quia, inquit, Apostolus vers. 19 ait peccatum hoc transisse in multos, non autem in omnes, uti dixisset; si peccatum ipsum originale intellexisset : ergo per peccatum intelligit promitatem ad peccandum; non enim omnes, sed multi proni sunt ad peccatum. Verum hæc ratio debilis et nulla est : nam multi hic, uti et alibi, idem sunt, quod omnes. Ita enim explicat ipse Apostolus, vers. 12 et 18. Nota tamen Theodoretum credidisse peccatum originale, ut patet cap. XII in *Epitome decretorum divinorum*, ubi illud confitetur et adstruit.

Non vana remittitur prior evidenti ad peccandum transivit ad posteros.

Tertio, Cajetanus docet hic tantum Apostolum

dicere, quod omnes Adæ posteri incurrant debitum, seu necessitatem contrahendi peccatum originale et mortem : non autem quod de facto omnes incurrant ipsum peccatum ; nam probabile, inquit, est beatam Virginem non incurrisse peccatum originale : rursum probabile est non omnes Adæ posteros incurrisse mortem : nam Core, Dathan et Abiron vivi descenderunt ad inferos.

Non tantum necessitas peccandi, sed et peccatum ipsum in omnes homines pertransiit, contra Cajetanum.

Sed certum est hunc Apostoli locum intelligi debere non tantum de necessitate contrahendi peccatum originale, sed etiam de ipso peccato originali, quod de facto omnes contrahunt. Velit enim dicere, omnes Adæ posteros de facto hoc peccatum ex Adamo trahere et incurrere. Ita enim hunc locum intelligit et intellexit semper Ecclesia, quæ in Concilio Arausicano, Milevitano, Tridentino, sess. V, can. 2, 3, 4, ex hoc Apostoli loco probat et definit, omnes homines, etiam parvulos, peccatum originale contrahere. Idque patet ex ipsis verbis Apostoli : ait enim ipse, non necessitatem peccandi, sed peccatum ipsum mundum intrasse, et per peccatum mortem, additque : « Et ita in omnes homines mors pertransiit, » scilicet, sicut peccatum in omnes homines pertransiit ; atqui non tantum necessitas moriendi, sed et ipsa actualis mors in omnes pertransit : ergo pari modo non tantum necessitas peccandi, sed et ipsum peccatum actu in omnes pertransit.

Respondet ad argumentum Cajetani.

Ad argumentum Cajetani respondeo, privilegium et exceptionem unius beatæ Virginis, vel pauconum aliorum, de quibus alibi dicendum est, non infirmare legem generalem. Nulla est enim lex tam generalis, quæ non patiatur exceptionem.

Error Beati potest. non natura, contra Philosophos.

ET PER PECCATUM MORS, ET ITA IN OMNES HOMINES MORS PERTRANSIIT. — Errat ergo Seneca, et cum eo Philosophi, quorum hæc est communis sententia : « Mors homini natura est, non pœna ; » imo vero « mors homini pœna est, non natura, » ut hic docet Apostolus, et Sapiens cap. II : « Deus, inquit, creavit hominem inexterminabilem, » id est, immortalem et incorruptibilem, græce ἐπ' ἀφθαρσίᾳ, id est immortalitati, vel ad immortalitatem, ut scilicet esset immortalis, si vellet Deo obedire et persistere in sua innocentia. « Invidia autem diaboli » peccatum intravit, et per peccatum « mors introivit in orbem terrarum. » Male ergo Cicero naturam, quod in homines crudelis esset, eosque morbis et morti addiceret, accusavit. Male rursum Pythagoras, et ex eo Origenes, peccata quæ anima, antequam corpori conjungeretur, in cœlo commisisset, mortis et ærumnarum hominis causam esse censuerunt.

Pulchre de iis S. Augustinus, lib. V *Contra Julianum*, cap. XI et XV, sic ait : « In libro tertio de *Republica* Tullius hominem dicit, non ut a matre, sed tanquam a noverca natura editum in vitam, corpore et nudo, et fragili, et infirmo ; animo autem anxio ad molestias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad libidines. In quo tamen inesset tanquam obrutus quidam igneus ingenii et mentis. » Hæc Cicero. Post hæc subdit Augustinus : « Neque hoc iste auctor dixit male viventium moribus effectum, sed naturam potius accusavit. Rem vidit, causam nescivit : latebat enim eum cur esset grave jugum super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ ; cum enim sacris Litteris eruditus non esset, ignorabat originale peccatum. » Et mox de Hortensio et aliis paulo altius assurgentibus subdit : « Qui nos ob aliqua scelera suscepta in vita superiore pœnarum inendarum causa natos esse dixerunt, aliquid vidisse videntur ; ut verum sit illud, quod est apud Aristotelem, simili nos affectos esse supplicio, atque eos, qui quondam, cum in prædonum latrocinorum manus incidissent, crudelitate exercitata necabantur, quorum corpora viva cum mortuis, adversa adversis accommodata quam aptissime colligabantur : sic nostros animos cum corporibus copulatos, ut vivos cum mortuis esse conjunctos. » Verum hic et alibi docent scripturæ peccatum primi parentis Adæ causam esse mortis ipsius et omnium posterorum, ac consequenter omnium quoque ærumnarum hujus vitæ.

Peccatum, mors, ærumnæ, mors æterna, omnium et singulorum, tractata.

Ubi nota *primo* : Simul cum peccato introivit mors in hominem, ut, sicuti lictores immittuntur in domos et bona reorum, mox ut peccarunt, ita mors immissa sit in homines reos, eosque sensim arrodat et consumat. Dum ergo vivimus, mortem (puta mortis principia et causas) gerimus in visceribus, quæ non cessat nobis morbos et ærumnas procreare, donec plane nos mortificet et absumat. Hinc Apostolus ait : « Corpus mortuum est propter peccatum : » *mortuum*, id est mortis necessitati et ærumnis ita obnoxium, ut videatur non tam esse vivum quam mortuum cadaver. Magna ergo animæ pœna est quod huic cadaveri sit alligata, et cum eo quasi lacessere ad mori debeat, ut aiebat Hortensius apud S. Augustinum.

Quamdiu vivimus, mortem gerimus, et alimus in visceribus mortis.

Nota *secundo* : Effectus et quasi filia peccati est mors : peccatum enim suum lictorem procreat, culpa parit pœnam, crimen parens est et causa mortis. Unde S. Jacobus, cap. I, 15 : « Concupiscentia, inquit, cum conceperit, parit peccatum ; peccatum vero, cum consummatum fuerit, generat mortem. » Ubi adverte : mater peccati est ipsa concupiscentia habitualis, pater est ipsa libera voluntas ; semen matris est fœditas et delectatio, quam ingerit concupiscentia ; semen patris est ipse consensus voluntatis in fieri ; proles est peccatum in ipso facto esse ; proles hæc vel est imperfecta, ut embryo et fœtus incompletus : talis est peccatum veniale ex indeliberatione commissum ; vel est proles omnino formata : talis est peccatum mortale deliberatum et consensu voluntatis consummatum ; nepos vero hujus patris et matris est mors tum præsens tum futura et

Effectus et filia peccati est mors.

æterna gehennæ. Hinc *Job* XVIII, 13, dicitur : « Consumat brachia illius (impii) primogenita mors. »

Primogenita mors, quid significet in Scripturis habet.

Quæres, quænam hic dicitur « primogenita mors? » S. Gregorius superbiam intelligit, quia ipsa est initium peccati ; ipsa enim fuit prima mors angeli et animæ hominis. *Secundo*, Philippus presbyter et Beda, in *Job* cap. XVIII, accipiunt diabolum, quia ipse invexit mortem in orbem terrarum, et ipse suæ mortis inventor est. Sic capitur mors *Apocal.* XX, vers. 14. *Tertio*, Lyranus intelligit mortem præcocem et præmaturam. *Quarto*, Hebræi intelligunt morbum, qui impium primo corripiet. Vatablus et Titelmannus intelligunt morbum gravissimum et lethalem. *Quinto*, subtiliter Pineda et Mercerus accipiunt mortem non vulgarem, sed maxime acerbam, funestam et violentam, qualis est mors juvenum et divitum : quomodo *Isaiæ* XIV, vers. 30, « primogeniti pauperum » vocantur maxime pauperes.

Primogenita filiarum, quia filia est prima pueris, ejusque et amor haeres.

Verum sapidior, plentior magisque genuinus videtur esse sensus, quem dat Chaldæus, ut mors proprie dicta ipsiusmet peccatoris et peccati vocetur *primogenita*, id est primæva filia, princeps et regina : quia ipsa quasi ex jure primogenituræ, in regno peccati, quasi patris sui hæres successit et dominatur : *primogenita* enim refertur ad τὸν *illius*, scilicet impii, et ad impietatem in impio inclusam, cujus primogenitam filiam Baldad apud Job mortem vocat, optatque ut, sicut impietas impio dominata est, sic eidem dominetur mors, quæ est filia et hæres impietatis, idque ex asse, ut quam late patet regnum impietatis, tam late pateat et regnum mortis, *q. d.* Mors, quæ prima per peccatum invecta est in mundum, adeoque quasi primogenita peccati filia, in regno peccati princeps successit et imperat, illa, inquam, mors devoret eum, scilicet impium et instar viperæ matrem suam, hoc est peccatum et peccatorem consumat. Unde vers. seq. illud ita explicans subdit : « Calcet super eum quasi rex interitus. » Sic sumitur « primogenitus » *Psal.* LXXXVIII, 23 : « Et ego, inquit Deus, primogenitum ponam illum (Salomonem, et ejus antitypum Christum) excelsum præ regibus terræ, » *q. d.* Deus : Salomon et Christus in Israele et regno meo succedent, et latissime imperabunt, tanquam primogeniti mei, qui sum Rex regum et Dominus dominantium, filii. Vere dixit ille : « Tria potentia sunt, mas, Mars, mors ; sed potentissima est mors. Sicut enim Mors imarem, ita mors Martem domat. »

Locus moralis de gravitate unius culpæ peccati.

Denique moraliter, vide hic quantum malum sit peccatum, quod generat tot morbos, mortemque ipsam, tum præsentem, tum æternam. Vis scire quid sit peccatum ? intuere tantum unicum Adæ peccatum, et considera quot millionum hominum morbos, fames, ærumnas, neces, hoc unum peccatum pepererit ; quam multi et parvuli et adulti propter illud damnentur ; quod Dei Filius ad illud expiandum mori debuerit ; et videbis quantum malum sit unum peccatum mortale, dicesque, cum te voluptas ad peccatum sollicitat : Ego tantillo pretio mortem et æternum pœnitere non emo.

IN QUO OMNES PECCAVERUNT. — « In quo, » supple, non peccato, sed uno homine. Græcum enim ᾧ est masculinum, ἁμαρτία vero est femininum. Ita S. Augustinus, lib. *De Peccat. meritis*, cap. X, qui et rationem addit : « Quia, inquit, omnes homines fuerunt ille unus homo, scilicet Adam ; » quod intellige, non formaliter, sed originaliter, radicaliter, seminaliter et repræsentative, quia scilicet omnes homines in primo illo homine, quasi radice, parente et principio suo contenti, censi et comprehensi fuerunt, quodque Adam fecit, omnes ejus posteri facisse censentur. Adam enim quasi pater et princeps omnes suos posteros repræsentabat, sicut rex repræsentat regnum, et magistratus repræsentat civitatem. Ita Origenes, Chrysostomus, Theophylactus, Œcumenius e passim Patres Græci et Latini.

Perperam Erasmus, Theodoretus et Pelagiani, τὸ ἐφ' ᾧ vertunt, *quatenus, in quantum*, eo quod scilicet in Adamo omnes peccaverint. Quam expositionem S. Augustinus, lib. VI *Contra Julian.*, XV, ait esse novam et falsam. Nec mirum aut rarum est, ἐπί cum dativo significare *in*, nam *in* quandoque ad *Hebr.* IX, 17, ἐπὶ νεκροῖς, idem est etiam, teste Erasmo, quod *in mortuis*. Simile est hic vers. 14. Sic dicunt Græci, ἐφ' ἵππῳ, ἐφ' ὕδατι, *in equo, in aqua*. Et patet legenti Paulum et Lucam, eos indifferenter uti ἐπί, *in*, pro ἐν. Imo ἐπί cum dativo etiam causam significat, conditionem et pactum. Sic Xenophon, ταῦτα, inquit, ἐπαινοῦσι ἐπὶ τῷ κέρδει, id est hæc facere lucri causa. Sic passim dicunt Græci, ἐπὶ τῷ μισθῷ, id est pro mercede, ex pacto mercedis. Sic pariter hic τὸ ἐφ' ᾧ accipi potest, *q. d.* Paulus : Cujus, scilicet Adami, causa et pacto, quod ipse cum Deo iniverat, omnes peccaverunt. Et licet vertas et legas, *quatenus omnes peccaverunt*, sat adhuc ex eo colligitur, peccatum originale ; quomodo enim omnes homines, etiam infantes peccaverunt, nisi per unum hominem et patrem suum, scilicet Adamum ?

Perperam Erasmus, Theodoretus et Pelagiani, τὸ ἐφ' ᾧ vertunt, *quatenus, in quantum*, eo quod scilicet in Adamo omnes peccaverint. Quam expositionem S. Augustinus, lib. VI *Contra Julian.*, XV, ait esse novam et falsam. Nec mirum aut rarum est, ἐπί cum dativo significare *in*, nam *in* quandoque ad *Hebr.* IX, 17, ἐπὶ νεκροῖς, idem est etiam, teste Erasmo, quod *in mortuis*. Simile est hic vers. 14. Sic dicunt Græci, ἐφ' ἵππῳ, ἐφ' ὕδατι, *in equo, in aqua*. Et patet legenti Paulum et Lucam, eos indifferenter uti ἐπί, *in*, pro ἐν. Imo ἐπί cum dativo etiam causam significat, conditionem et pactum. Sic Xenophon, ταῦτα, inquit, ἐπαινοῦσι ἐπὶ τῷ κέρδει, id est hæc facere lucri causa. Sic passim dicunt Græci, ἐπὶ τῷ μισθῷ, id est pro mercede, ex pacto mercedis. Sic pariter hic τὸ ἐφ' ᾧ accipi potest, *q. d.* Paulus : Cujus, scilicet Adami, causa et pacto, quod ipse cum Deo iniverat, omnes peccaverunt. Et licet vertas et legas, *quatenus omnes peccaverint*, sat adhuc ex eo colligitur, peccatum originale ; quomodo enim omnes homines, etiam infantes peccaverunt, nisi per unum hominem et patrem suum, scilicet Adamum ?

Peccatum originale, actuale, habituale, quid sit.

Nota *primo* : Sicut in peccato actuali actus peccati transit, sed relinquit post se habituale peccatum, scilicet maculam in anima, quæ non est quid physicum, sed moralis quædam turpitudo et quasi nota et infamia ex peccato admisso relicta, scilicet est moralis aversio a Deo, et offensa Dei, ex qua homo moraliter consetur aversus a Deo, et Dei hostis ; Deusque illi infensus, et ex qua denominatur peccator, esique reus coram Deo, iræque Dei obnoxius et pœna dignus ; sicuti qui regem offendit aliquo actu rebellionis, post actum adhuc censetur rebellis, hostis, reus, iræque et vindictæ regis subjectus, donec rex illi condonet : ita originale peccatum partim actuale est, scilicet est actus inobedientiæ Adami, quo pomum vetitum [illegible] partim vero est habi-

tuale, scilicet est macula cuique homini propria, quam quisque nascendo contrahit ex Adami illo primo peccato. Unde errant Albertus Pighius et Catharinus, dum peccatum originale non inhærens cuique, sed tantum primum ipsum Adæ peccatum esse voluerunt cuique imputatum ad culpam et pœnam. Hic enim error satis refellitur ex dictis vers. 12.

Ubi adverte, juxta hanc sententiam Pighii de peccato Adæ nobis imputato, pari modo hæreticos docere Christi justitiam similiter nobis non inhærere, sed tantum imputari. Verum ex ipsismet Lutheri, Calvini et aliorum passim Novantium sententia, potius contrarium colligimus et concludimus hoc modo : Adam vere transfudit in nos concupiscentiam et peccatum, ut ipsimet Novantes sentiunt et docent ; ergo et pari modo, Christus vere et proprie transfundit in nos justitiam inhærentem.

Nota *secundo* : Actus ille inobedientiæ Adami jam dictus partim personalis fuit et proprius, ac inhærens ipsi Adamo, et hic est ei remissus per pœnitentiam, ut dicitur *Sapient.*, x, 2 ; partim generalis fuit et communis totius naturæ humanæ, omniumque Adæ posterorum. Hi enim ille actu Adamo actualiter peccante, in eo quasi capite, fonte et seminario contenti, et quasi conclusi, originaliter idem peccatum commiserunt : quod enim Adam egit et comedit, nos censemur egisse et comedisse ; quia voluntas nostra posita fuit a Deo summo omnium Domino in voluntate Adami, tanquam communis omnium parentis : sic ergo Adam peccans omnes nos eo *in* peccato infecit. Et sic peccatum originale nobis voluntarium est voluntate aliena : dicitur tamen et proprium, tum quia Adæ voluntas censebatur nostra et propria, tum quia cuique proprie inhæret ejus macula habitualis, quam post se reliquit et transfudit actus Adami.

Nota *tertio* : Hic actus Adæ non qua personalis, sed qua toti hominum generi et naturæ fuit communis, scilicet quatenus eodem actu nos originaliter, cum nondum essemus, peccavimus in Adamo et per Adamum, causa est ut, cum ex Adam nascimur, aversi a Deo et maculati, ac peccatores nascamur. Commentum enim frivolum est id, quod fingit Magister Sententiarum in II, disp. XXXI, scilicet qualitatem quamdam morbidam carni et semini Adæ inhærentem fuisse, quæ deinde infecerit et indies successive inficiat animas prolium et posterorum ejus peccato originali. Nec enim qualitas corporea parere potest peccatum spiritale in anima.

Multo major error est Tertulliani, putantis animam filii esse ex traduce, id est traduci et produci ab anima parentis, sicque simul trahere ab ea peccatum originale ; ut enim omittam hoc esse contra philosophiam et damnatum in Concilio Lateranensi, sub Leone X, *sess.* VIII, ubi definitur animas singulas singulis hominibus creari et infundi a Deo, huic Tertulliani sententiæ obstat, quod anima filii trahit hoc peccatum a parente, etiam tunc cum parens justificatus est ab originali, omnique alio peccato : quomodo ergo peccatum hoc a parentis anima, in qua amplius non est, ad animam filii traduci potest.

Hinc nota *quarto* : Aliud est in Adamo peccare, aliud est peccatum Adami in omnes pertransire, sive omnes ex Adamo peccatum contrahere : illud enim actuale fuit, hoc vero habituale est, et cuique proprium ac inhærens peccatum originale, ut dixi. Cum ergo ait Paulus, *in quo*, scilicet Adamo, *omnes peccaverunt*, sensus est, quod actus ille Adami, quo ipse peccavit, omnibus imputetur et censeatur omnium fuisse proprius, indeque fit, ut quilibet Adæ filius necessitatem peccati hujus ex Adamo, una cum natura sua trahat, et necessario, cum nascitur, peccator nascatur, nisi a Dei gratia et misericordia præveniatur. Sic B. Virgo in Adamo peccavit et hanc necessitatem contrahendi peccatum originale incurrit : sed peccatum ipsum originale de facto in se non contraxit, nec habuit : quia a gratia Dei fuit præventa primo conceptionis suæ instanti, quæ peccatum omne ab ea exclusit.

13. (1) USQUE AD LEGEM ENIM PECCATUM ERAT IN MUNDO. — Nota, *peccatum* hic vocat quodlibet peccatum, scilicet primum originale et quodvis actuale, quod ex eo secutum est, quod est regnum peccati. Hic Apostolus probat id, quod dixit, scilicet omnes homines in Adamo peccasse, adeoque probat ipsum peccatum originale. Probat autem hoc argumento : ante legem datam peccatum, et peccati reatus ac corruptio erat in mundo : licet enim peccatum tunc non imputaretur, id est vix reputaretur, vix æstimaretur ab hominibus, solam naturam et concupiscentiam suam sequentibus, nec legem quæ peccati fœditatem ostenderet, habentibus, tamen peccatum tunc fuisse in mundo, clare demonstrat ipsa mors omnium hominum : nam effectus, pœna et comes individua peccati est mors. Cum ergo mors etiam ante legem regnaverit et extenderit se in omnes homines, sequitur peccatum quoque, quod mortis est causa, in omnes homines regnasse et se diffudisse.

(1) Versus 13 et 14 parenthesi includendi videntur, itaque exponendi : Nam (ab Adamo) usque ad (Mosis) legem peccatum fuit in genere humano ; peccatum autem non imputabatur nisi ex lege existente (a qua sit discessum). Atqui regnavit mors (pœna peccatis originali ab Adamo usque ad Mosen, in eos etiam qui non peccarunt sicuti Adamus, qui typus est futuri : ita Rosemullerus. Rectius et clarius Allioli hanc locum ita interpretatur : omnes per Adamum sunt peccatores, omnes, inquam, sive ante, sive post Mosis legem vixerint. Quamvis ante Mosen peccata contra legem, nondum existentem, non possent imputari, peccatores tamen erant homines, ratione sive peccati originalis, sive peccatorum actualium contra legem naturalem. Hic omnium reatus ex eo imprimis declaratur, quod mors, quæ est pœna peccati, *omnes*, etiam infantes, attigerit.

Occurres et excipies, ante legem fuisse quidem peccatum in mundo, verum non originale, sed actuale, quod quisque fecerat et commiserat. Hanc exceptionem disjicit et elidit Apostolus, dicens :

14. SED REGNAVIT MORS AB ADAM USQUE AD MOYSEN, ETIAM IN EOS QUI NON PECCAVERUNT IN SIMILITUDINEM PRÆVARICATIONIS ADÆ. — *q. d.* Ante Mosen et legem, uti mors, ita et peccatum hoc commune fuit etiam iis qui non peccarerunt in similitudinem prævaricationis Adæ, id est iis qui non peccaverunt actu, sicuti peccavit Adam legem prævaricando, puta infantibus. Ita Theophylactus, Theodoretus, Anselmus, Chrysostomus et S. Augustinus, lib. I *De Peccatorum meritis*, XI ; relinquitur ergo peccatum originale fuisse in infantibus, et in mundo etiam ante legem. Cur enim infantes tunc æque ac jam moriuntur, nisi ob peccatum, non actuale, quod perpetrare non possunt, sed originale, quod ex Adamo contraxerunt?

Aliter hæc explicat Toletus, *q. d.* Paulus : Erat quidem peccatum actuale in mundo ante legem, sed non imputabatur ad pœnam certam, verbi gratia mortis. Hæc enim tantum statui solet per legem, non naturalem, sed positivam divinam vel humanam, quæ tunc necdum erat : ergo cum videamus ante legem a Deo peccato statutam fuisse certam pœnam, scilicet mortis, omnes enim etiam ante legem ob peccatum mortui sunt, hinc sequitur, adeoque mors ipsa indicat, quod ante legem in mundo fuerit peccatum aliquod, non actuale, uti jam probavi, ergo originale, cui a Deo juste decreta et inflicta est certa pœna mortis. Verum hic sensus plus satis remotus, obscurus et implexus videtur.

Nota : *qui non peccaverunt* : ita enim legendum est cum Græcis et Latinis. Male enim Origenes et Ambrosius tollunt negationem, *non*, leguntque affirmative, *qui peccaverunt*.

IN SIMILITUDINEM PRÆVARICATIONIS ADÆ. — S. Chrysostomus hæc refert ad *regnavit mors*, *q. d.* « Regnavit mors in similitudinem prævaricationis Adæ, » id est regnavit mors in nos, quia nascimur similes Adæ prævaricanti, puta peccatores.

Secundo, alii sic explicant, *q. d.* Regnavit mors etiam in eos qui non peccarunt contra legem aliquam positivam sibi datam a Deo, uti peccavit Adam, sed tantum peccarunt contra legem naturæ.

Tertio, planius, ut dixi, similitudo hæc prævarications Adæ sita est in actu et peccato actuali, quo peccavit Adam, legem sibi datam a Deo prævaricando. Sensus ergo est, mors regnavit in eos « qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ, » id est mors regnavit etiam in eos qui non peccarunt actu, uti fecit Adam, puta in infantes ; ex morte enim infantium recte colligit Apostolus eorumdem peccatum, quod cum non possit esse actuale, sequitur debere esse originale contractum ex Adamo.

ADÆ, QUI EST FORMA FUTURI. — *q. d.* Qualis fuit Adam, tales post se genuit filios, puta peccatores, mortales, miseros, inquit S. Augustinus, lib. I *De Peccatorum meritis*, cap. XI.

Secundo et magis genuine, sic exponas : Adam fuit forma, typus et figura Christi venturi, *q. d.* Uterque, scilicet tam Christus, quam Adam, fuit pater noster, sed in contrarium, uti recte ostendit S. Augustinus, lib. II *De Nuptiis et Concupiscentia*, cap. XXVII. Nam *primo*, sicut Adam solus sine concubitu maris et feminæ, ex terra non maledicta, sed pura et integra est formatus ; ita Christus ex sola purissima Virgine est natus. *Secundo*, sicut Adam solus totam posteritatem peccando perdidit, ita Christus solus moriendo reparavit.

Hinc recte adverterunt docti quidam et sapientes viri, causam, cur Deus nostram voluntatem, meritum et demeritum posuerit in voluntate Adæ, præter summum Dei dominium et libertatem, qua quidvis potest facere et statuere, hanc fuisse : ut scilicet Adam hac ratione esset typus Christi, in cujus manu et voluntate Deus ponere volebat nostram salutem, ut ille pro nobis mereretur gratiam et gloriam, sicut Adam nobis meritus est reatum et pœnam. Antequam enim peccaret aut crearetur Adam, Deus ab æterno per præscientiam conditionatam omnia futura præsciebat et prævidebat, et secundum eam absolute voluit et decrevit Adamum et omnia Adami esse propter Christum, esseque typum Christi rerumque a Christo gerendarum. Deus enim in Christo omnem suam sapientiam et gloriam ostendere voluit, ideoque statuit et decrevit ut Christus esset omnium non tantum electorum, sed et operum suorum principium, exemplar et finis, ut *Coloss.* I, 15 et seq.

Fuit ergo non tantum in ipsa executione, sed etiam in ipso decreto divino mutua contradependentia Adæ et Christi. Nec enim Adam futurus fuisset pater omnium hominum ea ratione, ut suam vel justitiam vel peccatum in eos transfundere posset, nisi hoc ipso simul fuisset typus et figura Christi, qui omnium Dei filiorum futurus erat parens : nec vicissim Christus incarnatus et natus fuisset in mundo nisi Adam peccasset, nosque perdidisset, uti verior et communior habet Theologorum sententia.

Nota hic, sacram Scripturam uti aliquando allegoriis in contrarium sensum. Sic Osee, cap. I et III, jussus est a Deo fornicariam accipere in uxorem, ut significaret filios Israel fornicaturos, id est relicto Deo, Synagoge marito, idolis adhæsuros eaque adoraturos : ubi pium Osee factum, et legitimum ejus cum fornicaria matrimonium significat impium Judæorum idololatriam.

Pari modo, multi Patres explicant allegoria Davidis adulterium, per castum amorem Christi, scilicet quod David permissus sit a Deo adulterium committere cum Bethsabee, ut significaret Christum exarsurum amore Ecclesiæ ex Gentibus et idololatris congregandæ. Hanc enim allego-

Qui non peccaverunt actu, ut infantes, etiam tenentur in peccatum originale.

Typica locum Scripturæ allegoria.

Christus et Adam ex contrariis comparati.

Causa cur Deus omnes nostram voluntatem posuerit in Adamo, est, ut Adam typus Christi.

Christus principium, exemplar et finis omnium operum Dei.

Adam et Christi mira inter se dependentia.

Deus allegoriis in Scriptura uti in contrarium sensum.

riam assignat S. Augustinus, lib. XXII *Contra Faustum*, cap. XXVII, et S. Ambrosius, *Apologiæ David* cap. III. Similemque afferunt Angelomus, Eucherius et Rupertus in lib. II *Reg.*, cap. XI. Sic ergo et hic Adam dicitur forma, sive typus Christi in genere, non specie, quia contrario modo se habuerunt Christus et Adam : hic mortis, Christus vero vitæ et salutis fuit parens. Sed in ipsa contrarietate est similitudo quædam proportionis et propagationis, uti paulo ante ostendi.

15. SED NON SICUT DELICTUM, ITA ET DONUM. — « Delictum, » Græce παράπτωμα. Ita vocat Paulus ipsum Adami casum, ruinam et offensam : ex qua quasi causa manat effectus, scilicet ἁμαρτία, id est peccatum originale, quod est macula et reatus singulis ex Adamo natis inhærens. Huic delicto et offensæ opponit χάρισμα, δικαίωμα, χάρισμα, id est gratiam, donationem et gratuitum beneficium Christi, scilicet ejus redemptionem, satisfactionem, meritum gratiæ et remissionis peccatorum; ex quo, quasi causa, manat effectus τὸ δίκαιωμα et δικαίωσιν, id est donum gratiæ et justitiæ nobis inhærens.

Secundo, Adæ delictum dicitur παράπτωμα, *q. d.* Non casus, sed quasi casus, non ruina, sed pene ruina, non lapsus, sed offensio. Præpositio enim παρὰ imimit rem, cui in compositione jungitur, *q. d.* Parvus fuit et exiguus casus et ruina Adæ præ reparatione et gratia Christi, quia bona et beneficia Christi longe potiora et efficaciora sunt peccato Adæ, sicuti paupertas Iri comparata cum divitiis Crœsi, eam sublevare et ditare parantis, parva vel nulla est.

SI ENIM UNIUS DELICTO MULTI MORTUI SUNT : MULTO MAGIS GRATIA DEI ET DONUM IN GRATIA (per gratiam) UNIUS HOMINIS JESU CHRISTI IN PLURES ABUNDAVIT. — *Multi*, id est omnes : dicit tamen potius *multi* quam *omnes*, ut multitudinem posterorum significet, quia omnes possunt esse pauci, ait S. Augustinus, *q. d.* Paulus : Si per unius Adæ delictum omnes ejus posteri reatum et pœnam mortis, tam præsentis quam æternæ incurrerunt, scitote longe majus fuisse beneficium quod Christus nobis exhibuit; nam longe majora bona et dona nobis contulit gratia Christi, quam Adam abstulerit, scilicet tot gratias et dona Spiritus Sancti, quæ Christus contulit Apostolis, Martyribus, Doctoribus, Eremitis, Episcopis, Virginibus aliisque filiis novi Testamenti, quibus caruit Adam, ac tandem ipsam gloriam et immortalitatem ejusque dotes maximas, plurimas et diversissimas. Vide S. Chrysostomum hic, de Christi gratiarum thesauro (1).

(1) Οἱ πολλοὶ cum articulo multitudinem, omne genus humanum, designat. Nota, oppositionem hic non esse inter *multitudinem*, sed inter *mortem* et *gratiam Christi superabundantem*. Cæterum, per quinque versus idem fere repetitur, variatis quidem verbis, at re semper eadem manente. Notandum etiam a quibusdam interpretibus primam partem versuum 15 et 16 interrogative

Alii sic explicant, *q. d.* Paulus : *Multo magis*, id est multo majori potentia, virtute, robore sua dona nobis contulit Christus, quam Adam eadem abstulerit, quia difficilius est construere, quam destruere. Hinc recte Doctores inferunt cum S. Leone, serm. 12 *De Passione*, quod valor meritorum et satisfactionis Christi longe excedat demerita Adæ : idque non acceptione divina, sed ex rigida justitia et valore ipsorum operum, quem habebant per *se*, ex dignitate personæ operantis et patientis : sic enim peccatum Adæ, per se sua indignitate et gravitate ex summa æquitate et justitia iram Dei, pœnasque præsentes et æternas merebatur.

Vide meritum Christi longe excellit demerita Adæ.

Nota : Pro *in plures*, Græce est εἰς τοὺς πολλούς, in multos, id est in omnes jam dictos, *q. d.* Sicut Adam omnibus nocuit, ita Christus omnibus profuit, sed amplius quam ille nocuerit. Ita Theophylactus.

16. ET NON SICUT PER UNUM PECCATUM (supple, Adam infecit omnes), ITA ET DONUM, — supple, Christi ab uno tantum peccato liberat, sed a multis, quæ posteri peccato Adæ addiderint et addent. Ita Theophylactus. Hæc est secunda dissimilitudo Adæ et Christi. Græca habent ὡς δι' ἑνὸς ἁμαρτήσαντος, *sicut per unum peccantem*, supple, mors venit in mundum : et sic legit Augustinus, lib. I *De Peccat. meritis*; sed idem est sensus.

Vers. 16. Adam non una peccata manefecit. Christus non libe-rat ab omnibus peccatis.

NAM JUDICIUM QUIDEM EX UNO IN CONDEMNATIONEM, GRATIA AUTEM EX MULTIS DELICTIS IN JUSTIFICATIONEM. — *Judicium*, Græce κρίμα, id est *reatus*, scilicet fluxit ex uno peccato Adæ, in κατάκριμα, id est in condemnationem : ut omnes, etiam parvuli, essent obnoxii condemnationi, id est pœnæ damni, etsi non sensus, ut docent plerique Scholastici. E contrario beneficium et gratia Christi ex multis delictis processit ad justificationem, ut scilicet non ab uno, sed a multis, imo ab omnibus peccatis nos justificaret. Opponit Paulus χάρισμα καὶ κρίμα, id est gratiam et reatum : rursum δικαίωμα καὶ κατάκριμα, id est justificationem et condemnationem. Hinc S. Augustinus, lib. II *De Nuptiis et Concupiscentia*, cap. XXVII, docet peccatum originale sufficere ad condemnationem.

Infantibus ob pœnæ unius reatum debitis obnoxiis dimittuntur.

17. MULTO MAGIS ABUNDANTIAM GRATIÆ, ET DONATIONIS, ET JUSTITIÆ ACCIPIENTES, IN VITA REGNABUNT PER UNUM JESUM CHRISTUM. — *In vita regnabunt*, *q. d.* Adam invexit regnum mortis, Christus vero eminentius, et gratia, justitia bonisque omnibus abundantius invexit regnum vitæ, in quo nos reges fecit, ut vitam hic gratiæ divinam, et postea sine morte æternam et gloriosam adipiscamur in cœlis. Ita Theophylactus.

Nota : Non dicit Paulus, *vita regnavit*, sicut dixit, *mors regnavit*, quia suavius et gloriosius sonat, *justificati regnabunt in vita per Christum*,

sumi : *Nonne vero par est ratio peccati et doni, seu beneficii divini? et : Nonne sic se habebat donum, ut illa mors per unum qui peccavit, veniens?*

quam si dixisset. Vita regnabit in justificatis per Christum. Præclare S. Bernardus, epist. 190 *ad Innocentium Pontif. contra errores P. Abælardi*, qui docebat Christum esse nostrum doctorem, non redemptorem : « Si gratia, inquit, venumdatus sum, gratis non redimor? Quod si dixerit : Pater tuus addixit te, respondebo : Sed frater meus redemit me. Cur non aliunde justitia, cum aliunde reatus? Alius qui peccatorem constituit, alius qui justificat a peccato. Alter in semine, alter in sanguine. Sed justitia, inquiet, sit cujus est : quid ad te? Esto. Sed sit etiam culpa cujus est : quid ad me? »

In Christo fuit vera obedientia, et Christus hoc fuit præceptum a Patre moriendi, et sic redimendi nos.

18. SICUT PER UNIUS DELICTUM IN OMNES HOMINES (supple, reatus pertransit) IN CONDEMNATIONEM : SIC ET PER UNIUS (Christi) JUSTITIAM (Græce δικαίωμα, id est *meritum*, quod est causa nostræ justificationis et justitiæ) IN OMNES HOMINES, — supple, donum et beneficium Christi pertransiit, scilicet in omnes qui a Christo spiritaliter descendunt, et baptismo in illo renati sunt. Nam Paulum proprie loqui de gratia justificante, non præveniente, patet tum ex vers. seq., tum quia Christum opponit Adamo, qui omnibus ex se natis efficax est causa damnationis, sicut Christus omnibus ex se renatis efficax est causa justificationis et immortalitatis.

Nota : δικαίωμα, id est meritum Christi, distinguit hic Apostolus a δικαίωσις, id est a justificatione, et a δικαιοσύνη, id est a justitia. Hæc enim tertia est in nobis, prima vero est in Christo, secunda autem effective quidem est in Christo, quasi agente, sed subjective est in nobis, quasi eam recipientibus. Id ita esse constat ex oppositione τοῦ δικαιώματος et τοῦ παραπτώματος. Παράπτωμα enim Apostolus vocat delictum, et offensam Adæ transfusam in posteros : ergo δικαίωμα illi oppositum vocat obedientiam et justitiam Christi in posteros ejus, puta in credentes transfusam. Unde quod hoc loco vocat δικαίωμα, vers. 13 vocat ὑπακοὴν, id est obedientiam. Lege vers. 19, qui hunc explicat.

IN JUSTIFICATIONEM VITÆ, — qua a morte peccati ad vitam gratiæ et gloriæ revocamur. Patet vers. 16 : ita S. Augustinus, lib. *De Peccat. meritis*, cap. XV.

Aliter hæc explicat Toletus. Putat enim *justificationem vitæ* hic appellari actionem et operationem, qua Deus ex justitia et merito Christi justi omnes homines, etiam reprobos, a morte sucitabit ad vitam perpetuo duraturam, non ipsorum merito ac justitia, sed Christi, ut dixi; verum nusquam sic accipitur justificatio vitæ.

19. SICUT PER INOBEDIENTIAM UNIUS HOMINIS (Adæ) PECCATORES CONSTITUTI SUNT MULTI (omnes Adæ posteri), ITA ET PER UNIUS (Christi) OBEDITIONEM JUSTI CONSTITUENTUR MULTI, — omnes scilicet, qui ex Christo per fidem et gratiam renascuntur.

Adverte hic, quis et quantus fuerit fructus unius obedientiæ, et unius inobedientiæ. Ex hoc loco recte Doctores inferunt concludunt que hoc modo : In Adamo fuit vera inobedientia, ergo et in Christo fuit vera et proprie dicta obedientia, quæ præcepto Superioris se subjicit et conformat, ac consequenter datum fuit Christo præceptum a Patre moriendi, et sic redimendi nos. Hoc enim fuit objectum obedientiæ Christi, cui Christus obedivit.

Nota : Ab Apostolo affertur hic triplex antithesis et dissimilitudo inter Adam et Christum.

Primo, Adam omnes perdidit, Christus omnes reparavit.

Secundo, Adam unicum peccatum ad posteros transmisit, Christus ab omnibus peccatis actualibus eosdem liberat.

Tertio, Adam unum malum, quod nullo modo intendi potest, scilicet peccatum originale, propagavit; Christus abundantiam gratiarum effudit. His adde, uberiorem et potentiorem esse gratiam Christi quam fuerit peccatum Adæ.

Quarto, quia Adæ peccatum tantum pœnam damni in nos induxit; Christus et a pœna damni, et a pœna sensus, quæ actualibus peccatis debetur, nos liberat. Rursus ex Adamo trahimus concupiscentiam, sed per Christum illa facta est materia magnæ tam luctæ, quam victoriæ et triumphi : eamque per gloriam in cœlo Christus extirpabit.

Quinto, per Adam amissa est gratia, qua homo perseverare posset; per Christum datur gratia crebrior et uberior, ut in tanta infirmitate, inter tot hostes fortior stet, et actu perseveret. Ita S. Augustinus, toto lib. *De Bono perseverantiæ*.

Sexto, per Adam omnes morimur temporaliter; per Christum resurgemus ad vitam tum animæ, tum etiam corporis immortalem et gloriosam.

Septimo, non peccatum Adæ, sed gratia Christi se extendit ad 6. Virgineum, quæ est mare gratiarum, et plus habet gratiæ, quam omnes homines simul. Addit Pererius, Suarez et alii, etiam ad angelos Christi gratiam se extendisse eosque per merita Christi justificatos esse, ad quos peccatum Adæ pertingere non potuit.

Octavo, licet Adam actu plures inficiat, quam ex Christo renascantur : Christi tamen gratia quoad sufficientiam et oblationem se extendit ad omnes, non tantum ex Adamo genitos, sed quoquo modo producibiles, v. g. si Deus eos de novo crearet.

Nono, per Adamum reducti sumus quasi ad statum puræ naturæ; per Christum elevati sumus ad statum magis spiritualem et sublimiorem, quam in quo Adam fuit conditus, et ad vitam plane cœlestem.

Decimo, per Adam facti sumus similes bestiis, per Christum angelis, imo natura nostra in Christo et B. Virgine exaltata est super omnes angelorum choros.

Undecimo, Adam privavit nos ligno vitæ; Christus dat panem, qui de cœlo descendit, et dat vitam æternam, puta seipsum totum, Deum scilicet

Christus dedit nobis Eucharistiam.

et hominem, in cibum dat nobis in Eucharistia.

Christus dat virtutes.

Duodecimo, Adam privavit nos gratia justitiæ originalis; Christus dat copiam gratiarum et virtutum: *primo*, quia dat virtutes, quæ non fuissent in statu innocentiæ, scilicet patientiam, pœnitentiam, martyrium, virginitatem, apostolatum et virtutes religiosas. *Secundo*, harum et aliarum omnium majorem quam fuisset in statu innocentiæ, dat copiam, intensionem et continuum augmentum.

Necesse est nasci ex Christo ad participandam ejus justitiam.

Nota *secundo* : Sicut in Adam omnes peccavimus, sic in Christo omnes justificati sumus, id est juste pro peccatis satisfecimus, et meriti sumus justitiam : sed sicut ad contrahendum peccatum originale necesse est ex Adamo naturaliter nasci, ita ad justitiam Christi participandam, necesse est ex eo nasci spiritualiter per baptismum.

Nota *tertio*, hinc sequi contra hæreticos, quod, sicut inobedientia et peccatum Adæ realiter inhæret nobis, non autem tantum imputatur nobis, ita

Justitia Christi nobis inhæret.

quoque, imo magis inhæreat nobis gratia Christi, non autem tantum imputetur nobis : alioqui enim longe efficacius esset peccatum Adæ quam gratia Christi, quæ peccatum tollere non posset, sed tantum abscondere.

Vers. 20.

20. LEX AUTEM SUBINTRAVIT UT ABUNDARET DELICTUM (1).—Nota vocem «subintravit,» *q. d.* Obiter, et quasi furtim ad tempus breve, scilicet usque ad adventum Evangelii, intravit lex in mundum, ut esset Judæorum quasi pædagogus ad Christum. Græcum παρεισῆλθε significat «ait Budæus, irrepere et fallere introeundo et se insinuando. Sic hic lex quasi latenter se insinuavit, et, ut noster

Lex lata ut abundet delictum.

interpres vertit, *subintravit*, directe quidem ad hoc, ut dissolutos hominum mores restringeret, illosque duceret ad Christum, qui eos sanaret : sed indirecte ad id quod sequitur, scilicet, «ut abundaret delictum,» *q. d.* Unde factum est, ut

Ut, non abundaret delictum, sed consequentia ad consequens.

abundaret delictum. Vocula enim *ut* consequentiam significat, non causam. «Nitimur enim in vetitum semper, cupimusque negata.» Vide cap. XXIV.

«Lex, inquit S. Augustinus *in Psal.* CII, ideo data est, ut crescente peccato, humiliarentur superbi, humiliati confiterentur, confessi sanarentur.» Idem, tract. III *in Joan.* : «Lex, inquit, minabatur, non opitulabatur; jubebat, non sanabat; languorem ostendebat, non auferebat.» Quare minus genuine S. Ambrosius, epist. 71 *ad Irenæum*, «subintravit,» inquit, lex, quia quasi furtivo intravit, ut succederet legi naturali, quæ in mentibus hominum erat obscurata. Nec enim legis naturalis mentionem hic fecit Apostolus, nec ob eam solam instaurandam data fuit lex Mosis.

Dices : Lex publice tanta pompa in Sina rogata est et accepta, ergo non furtim intravit.

Lex latenter intravit in animam.

Respondeo : Nego consequentiam, quia Deus Hebræos ex Ægypto media nocte, quasi latenter eduxit in desertum Sina, ibique nil tale exspectantibus legem promulgavit.

Alii vertunt, lex *prætera intravit*, *q. d.* Præter morbum ex Adamo contractum, accessit lex, quæ morbum auxit.

Occurrit hic Apostolus objectioni. Dicet enim aliquis : Dixisti, Paule, vers. 13 : *Usque ad legem peccatum erat in mundo* : ergo post legem, et per legem Mosaicam ablatum est peccatum : ad quid enim aliud data est lex? Respondet Paulus, adeo per legem non esse ablatum peccatum, ut magis per eam sit auctum, vitio quidem hominum, sed occasione accepta ex lege, quæ multiplicavit præcepta, nec tamen hominibus infirmis vires dedit ad ea implenda.

Peccatum per legem magis auctum.

Notat hic Apostolus tres mundi status : *primus* fuit ab Adam ad Mosen; *secundus* a Mose ad Christum; *tertius* a Christo ad finem mundi : in *primo* regnavit peccatum et mors; in *secundo* lex, quæ peccatum auxit; in *tertio* gratia, quæ peccatum et mortem sustulit.

Tres mundi status.

Unde Apostolus hic quasi comœdiam instituit in tres scenas distinctam, et per prosopopœiam, cuique scenæ suam personam, quasi choragum, assignat, quæ quasi rex dominetur et regnet : tres ergo reges hic, qui inter se confligunt, sunt peccatum, lex, gratia, sive Adam, Moses et Christus; quorum quisque suum habuit regnum et regnandi tempus et spatium.

Tres reges : peccatum, Adam, Moses, Christus.

Pulchre quatuor hominis status inter se comparat S. Augustinus, lib. LXXXIII *Quæst.*, Quæst. LXIX : «Prima, inquit, est actio ante legem, secunda sub lege, tertia sub gratia, quarta in pace. Ante legem actio est, cum peccatum ignoramus, et sequimur carnales concupiscentias. Sub lege est actio, cum jam prohibemur a peccato, et tamen consuetudine ejus victi peccamus. Tertia actio est, cum non vincimur delectatione consuetudinis malæ, sed per gratiam ei resistimus. Quarta actio, cum omnino nihil est in homine, quod resistat spiritui. In prima ergo actione, quæ est ante legem, nulla pugna est cum voluptate. In secunda, quæ est sub lege, pugnamus, sed vincimur. In tertia pugnamus et vincimus. In quarta non pugnamus, sed perfecta et æterna pace requiescimus.»

Quatuor hominis status inter se comparati.

Notanda hic est sententia D. Thomæ, de triplicis legis fine, respectu tripliciun hominum. «Circa finem legis, inquit, sciendum est, quod in populo Judæorum tria fuerunt hominum genera, sicut et in quolibet alio populo : scilicet duri, id est peccatores et rebelles, proficientes et perfecti. Quantum igitur ad duros, lex fuit data in flagellum, et quantum ad præcepta moralia, ad quorum observantiam cogebantur per pœnæ comminationem, ut patet *Levit.* XX, et quantum

Triplex legis finis respectu tripliciun hominum.

(1) Quid vero lex, dicere poterat Judæus? Si ita se res habet, ut Christus sit causa vitæ, sicut mortis Adamus, quid ergo egit lex Mosis? Respondet Paulus : Lex autem insuper accessit, ut atrocitas peccati eo magis appareret (nam Hebræis sæpissime dicitur *esse* quod apparet); vel, ut sumendo *subintrare*, *eo eventu*, *ut numerus peccatorum multiplicaretur*.

ad cæremonialia, quæ id o sunt multiplicata, ne liceret eis diis alienis; in cultum superaddere, *Ezech.* XX : In manu valida et brachio extento, et in furore effuso regnabo super vos. Sed proficientibus, qui dicuntur mediocres, lex fuit in pædagogum, secundum illud *Galat.* III : Lex pædagogus noster fuit in Christo. Et hoc quantum ad cæremonialia, quibus ad justitiam promovebantur. Perfectis autem fuit, quantum ad cæremonialia quidem in signum, secundum illud *Ezech.* XX : Sabbata mea dedi eis, ut essent signum inter me, etc. Quantum ad moralia vero in solatium, secundum illud quod cap. VII ait Paulus : Condelector legi Dei secundum interiorem hominem.»

Duo regna, unum mortis, in quo regnavit Adam et peccatum; alterum vitæ, in quo regnat Christus Christique gratia, quæ prius regnum mortis evertit. Inter hæc duo subintravit lex, ut faceret quasi interregnum, sed frustra : nam lex regnum peccati potius auxit, quam suspendit. Unde necesse fuit venire Christum, qui sua gratia regnum peccati et mortis exscinderet. Præclare S. Augustinus, in *Sententiis*, num. 194 : «Rationalis anima, inquit, est domina corporis sui, quæ inferiori non bene imperabit, nisi superiori se Deo tota charitatis subjectione servierit.»

Duo regna : peccatum et vita, quæ inter se volunt succedere interregnum.

UBI AUTEM ABUNDAVIT DELICTUM, SUPERABUNDAVIT GRATIA. — *Ubi*, id est, postquam in mundo, occasione legis invaluit peccatum; postquam mundus ad summum malorum et peccatorum venerat in statu legis, tunc mox venit Christus, quasi medicus potentissimus et clementissimus, qui abundantiam et efficaciam gratiæ suæ ostendit in

21. UT SICUT REGNAVIT PECCATUM IN MORTEM (portrahens scilicet peccatorem in mortem corporalem et æternam), ITA ET GRATIA REGNET PER JUSTITIAM IN VITAM ÆTERNAM,—ut scilicet per justitiam assequamur vitam æternam, ad quam justitia dat jus, *q. d.* Gratia Christi superabundavit ad hoc, ut mortis et peccati regno destructo, regnum justitiæ et æternæ vitæ instauraretur, et longe lateque propagaretur per Christum. Vide sic duo

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hoc capite, de more, Apostolus post dogmata, ad mores dogmatibus conformes transit, hortaturque fideles, ut justitiæ per Christum acceptæ servandæ et augendæ studeant.

Primo ergo, docet nos in baptismo Christo consepultos, complantatos, et commortuos esse peccato, ut deinceps in novitate vitæ ambulemus, sicut Christus semel mortuus, ad novam vitam, non amplius moriturus resurrexit, ut et nos quandoque cum eo ad gloriam resurgamus.

Secundo, vers. 12, docet in Christianis non debere regnare peccatum, ut obediant concupiscentiis ejus, utpote qui per Christi gratiam liberati sunt a peccato, et servi effecti justitiæ; itaque par esse, ut membra sua tradant in obsequium justitiæ ad vitam, quæ prius tradiderant immunditiæ ad mortem.

Nam, ut ait vers. ultimo : Stipendia peccati, mors : gratia autem Dei, vita æterna.

1. Quid ergo dicemus? Permanebimus in peccato ut gratia abundet? 2. Absit. Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo? 3. An ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus? 4. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem : ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus. 5. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus : simul et resurrectionis erimus. 6. Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, et ultra non serviamus peccato. 7. Qui enim mortuus est, justificatus est a peccato. 8. Si autem mortui sumus cum Christo, credimus quia simul etiam vivemus cum Christo : 9. scientes quod Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. 10. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel : quod autem vivit, vivit Deo. 11. Ita et vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo in Christo Jesu Domino nostro. 12. Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus. 13. Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato : sed exhibete vos Deo, tanquam ex mortuis viventes : et membra vestra arma justitiæ Deo. 14. Peccatum enim vobis non

Christus dedit nobis Eucharistiam.

et hominem, in cibum dat nobis in Eucharistia.

Christus dat virtutes.

Duodecimo, Adam privavit nos gratia justitiæ originalis; Christus dat copiam gratiarum et virtutum: *primo*, quia dat virtutes, quæ non fuissent in statu innocentiæ, scilicet patientiam, pœnitentiam, martyrium, virginitatem, apostolatum et virtutes religiosas. *Secundo*, harum et aliarum omnium majorem quam fuisset in statu innocentiæ, dat copiam, intensionem et continuum augmentum.

Necesse est nasci ex Christo ad participandam ejus justitiam.

Nota *secundo* : Sicut in Adam omnes peccavimus, sic in Christo omnes justificati sumus, id est juste pro peccatis satisfecimus, et meriti sumus justitiam : sed sicut ad contrahendum peccatum originale necesse est ex Adamo naturaliter nasci, ita ad justitiam Christi participandam, necesse est ex eo nasci spiritualiter per baptismum.

Nota *tertio*, hinc sequi contra hæreticos, quod, sicut inobedientia et peccatum Adæ realiter inhæret nobis, non autem tantum imputatur nobis, ita

Justitia Christi nobis inhæret.

quoque, imo magis inhæreat nobis gratia Christi, non autem tantum imputetur nobis : alioqui enim longe efficacius esset peccatum Adæ quam gratia Christi, quæ peccatum tollere non posset, sed tantum abscondere.

Vers. 20.

20. LEX AUTEM SUBINTRAVIT UT ABUNDARET DELICTUM (1).—Nota vocem «subintravit,» *q. d.* Obiter, et quasi furtim ad tempus breve, scilicet usque ad adventum Evangelii, intravit lex in mundum, ut esset Judæorum quasi pædagogus ad Christum. Græcum παρεισῆλθε significat «ait Budæus, irrepere et fallere introeundo et se insinuando. Sic hic lex quasi latenter se insinuavit, et, ut noster

Lex lata ut abundet delictum.

interpres vertit, *subintravit*, directe quidem ad hoc, ut dissolutos hominum mores restringeret, illosque duceret ad Christum, qui eos sanaret : sed indirecte ad id quod sequitur, scilicet, «ut abundaret delictum,» *q. d.* Unde factum est, ut

Ut, non abundaret delictum, sed consequentia ad consequens.

abundaret delictum. Vocula enim *ut* consequentiam significat, non causam. «Nitimur enim in vetitum semper, cupimusque negata.» Vide cap. XXIV.

«Lex, inquit S. Augustinus *in Psal.* CII, ideo data est, ut crescente peccato, humiliarentur superbi, humiliati confiterentur, confessi sanarentur.» Idem, tract. III *in Joan.* : «Lex, inquit, minabatur, non opitulabatur; jubebat, non sanabat; languorem ostendebat, non auferebat.» Quare minus genuine S. Ambrosius, epist. 71 *ad Irenæum*, «subintravit,» inquit, lex, quia quasi furtivo intravit, ut succederet legi naturali, quæ in mentibus hominum erat obscurata. Nec enim legis naturalis mentionem hic fecit Apostolus, nec ob eam solam instaurandam data fuit lex Mosis.

Dices : Lex publice tanta pompa in Sina rogata est et accepta, ergo non furtim intravit.

Lex latenter intravit in animam.

Respondeo : Nego consequentiam, quia Deus Hebræos ex Ægypto media nocte, quasi latenter eduxit in desertum Sina, ibique nil tale exspectantibus legem promulgavit.

Alii vertunt, lex *prætera intravit*, *q. d.* Præter morbum ex Adamo contractum, accessit lex, quæ morbum auxit.

Occurrit hic Apostolus objectioni. Dicet enim aliquis : Dixisti, Paule, vers. 13 : *Usque ad legem peccatum erat in mundo* : ergo post legem, et per legem Mosaicam ablatum est peccatum : ad quid enim aliud data est lex? Respondet Paulus, adeo per legem non esse ablatum peccatum, ut magis per eam sit auctum, vitio quidem hominum, sed occasione accepta ex lege, quæ multiplicavit præcepta, nec tamen hominibus infirmis vires dedit ad ea implenda.

Peccatum per legem magis auctum.

Notat hic Apostolus tres mundi status : *primus* fuit ab Adam ad Mosen; *secundus* a Mose ad Christum; *tertius* a Christo ad finem mundi : in *primo* regnavit peccatum et mors; in *secundo* lex, quæ peccatum auxit; in *tertio* gratia, quæ peccatum et mortem sustulit.

Tres mundi status.

Unde Apostolus hic quasi comœdiam instituit in tres scenas distinctam, et per prosopopœiam, cuique scenæ suam personam, quasi choragum, assignat, quæ quasi rex dominetur et regnet : tres ergo reges hic, qui inter se confligunt, sunt peccatum, lex, gratia, sive Adam, Moses et Christus; quorum quisque suum habuit regnum et regnandi tempus et spatium.

Tres reges : peccatum, Adam, Moses, Christus.

Pulchre quatuor hominis status inter se comparat S. Augustinus, lib. LXXXIII *Quæst.*, Quæst. LXIX : «Prima, inquit, est actio ante legem, secunda sub lege, tertia sub gratia, quarta in pace. Ante legem actio est, cum peccatum ignoramus, et sequimur carnales concupiscentias. Sub lege est actio, cum jam prohibemur a peccato, et tamen consuetudine ejus victi peccamus. Tertia actio est, cum non vincimur delectatione consuetudinis malæ, sed per gratiam ei resistimus. Quarta actio, cum omnino nihil est in homine, quod resistat spiritui. In prima ergo actione, quæ est ante legem, nulla pugna est cum voluptate. In secunda, quæ est sub lege, pugnamus, sed vincimur. In tertia pugnamus et vincimus. In quarta non pugnamus, sed perfecta et æterna pace requiescimus.»

Quatuor hominis status inter se comparati.

Notanda hic est sententia D. Thomæ, de triplicis legis fine, respectu tripliciun hominum. «Circa finem legis, inquit, sciendum est, quod in populo Judæorum tria fuerunt hominum genera, sicut et in quolibet alio populo : scilicet duri, id est peccatores et rebelles, proficientes et perfecti. Quantum igitur ad duros, lex fuit data in flagellum, et quantum ad præcepta moralia, ad quorum observantiam cogebantur per pœnæ comminationem, ut patet *Levit.* XX, et quantum

Triplex legis finis respectu tripliciun hominum.

(1) Quid vero lex, dicere poterat Judæus? Si ita se res habet, ut Christus sit causa vitæ, sicut mortis Adamus, quid ergo egit lex Mosis? Respondet Paulus : Lex autem insuper accessit, ut atrocitas peccati eo magis appareret (nam Hebræis sæpissime dicitur *esse* quod apparet); vel, ut sumendo *subintrare*, *eo eventu*, *ut numerus peccatorum multiplicaretur*.

ad cæremonialia, quæ id o sunt multiplicata, ne liceret eis diis alienis; in cultum superaddere, *Ezech.* XX : In manu valida et brachio extento, et in furore effuso regnabo super vos. Sed proficientibus, qui dicuntur mediocres, lex fuit in pædagogum, secundum illud *Galat.* III : Lex pædagogus noster fuit in Christo. Et hoc quantum ad cæremonialia, quibus ad justitiam promovebantur. Perfectis autem fuit, quantum ad cæremonialia quidem in signum, secundum illud *Ezech.* XX : Sabbata mea dedi eis, ut essent signum inter me, etc. Quantum ad moralia vero in solatium, secundum illud quod cap. VII ait Paulus : Condelector legi Dei secundum interiorem hominem.»

Duo regna, unum mortis, in quo regnavit Adam et peccatum; alterum vitæ, in quo regnat Christus Christique gratia, quæ prius regnum mortis evertit. Inter hæc duo subintravit lex, ut faceret quasi interregnum, sed frustra : nam lex regnum peccati potius auxit, quam suspendit. Unde necesse fuit venire Christum, qui sua gratia regnum peccati et mortis exscinderet. Præclare S. Augustinus, in *Sententiis*, num. 194 : «Rationalis anima, inquit, est domina corporis sui, quæ inferiori non bene imperabit, nisi superiori se Deo tota charitatis subjectione servierit.»

Duo regna : peccatum et vita, quæ inter se volunt succedere interregnum.

UBI AUTEM ABUNDAVIT DELICTUM, SUPERABUNDAVIT GRATIA. — *Ubi*, id est, postquam in mundo, occasione legis invaluit peccatum; postquam mundus ad summum malorum et peccatorum venerat in statu legis, tunc mox venit Christus, quasi medicus potentissimus et clementissimus, qui abundantiam et efficaciam gratiæ suæ ostendit in

21. UT SICUT REGNAVIT PECCATUM IN MORTEM (portrahens scilicet peccatorem in mortem corporalem et æternam), ITA ET GRATIA REGNET PER JUSTITIAM IN VITAM ÆTERNAM,—ut scilicet per justitiam assequamur vitam æternam, ad quam justitia dat jus, *q. d.* Gratia Christi superabundavit ad hoc, ut mortis et peccati regno destructo, regnum justitiæ et æternæ vitæ instauraretur, et longe lateque propagaretur per Christum. Vide sic duo

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hoc capite, de more, Apostolus post dogmata, ad mores dogmatibus conformes transit, hortaturque fideles, ut justitiæ per Christum acceptæ servandæ et augendæ studeant.

Primo ergo, docet nos in baptismo Christo consepultos, complantatos, et commortuos esse peccato, ut deinceps in novitate vitæ ambulemus, sicut Christus semel mortuus, ad novam vitam, non amplius moriturus resurrexit, ut et nos quandoque cum eo ad gloriam resurgamus.

Secundo, vers. 12, docet in Christianis non debere regnare peccatum, ut obediant concupiscentiis ejus, utpote qui per Christi gratiam liberati sunt a peccato, et servi effecti justitiæ; itaque par esse, ut membra sua tradant in obsequium justitiæ ad vitam, quæ prius tradiderant immunditiæ ad mortem.

Nam, ut ait vers. ultimo : Stipendia peccati, mors : gratia autem Dei, vita æterna.

1. Quid ergo dicemus? Permanebimus in peccato ut gratia abundet? 2. Absit. Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo? 3. An ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus? 4. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem : ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus. 5. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus : simul et resurrectionis erimus. 6. Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, et ultra non serviamus peccato. 7. Qui enim mortuus est, justificatus est a peccato. 8. Si autem mortui sumus cum Christo, credimus quia simul etiam vivemus cum Christo : 9. scientes quod Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. 10. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel : quod autem vivit, vivit Deo. 11. Ita et vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo in Christo Jesu Domino nostro. 12. Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus. 13. Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato : sed exhibete vos Deo, tanquam ex mortuis viventes : et membra vestra arma justitiæ Deo. 14. Peccatum enim vobis non

dominabitur : non enim sub lege estis, sed sub gratia. 15. Quid ergo? peccabimus, quoniam non sumus sub lege, sed sub gratia? Absit. 16. Nescitis quoniam cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis ejus, cui obeditis, sive peccati ad mortem, sive obœdientiæ ad justitiam? 17. Gratias autem Deo, quod fuistis servi peccati, obedistis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in quam traditi estis. 18. Liberati autem a peccato, servi facti estis justitiæ. 19. Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestræ : sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, et iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem. 20. Cum enim servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ. 21. Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est. 22. Nunc vero liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam. 23. Stipendia enim peccati, mors. Gratia autem Dei, vita æterna, in Christo Jesu Domino nostro.

1. QUID ERGO DICEMUS? PERMANEBIMUS IN PECCATO ET GRATIA ABUNDET? — Est prolepsis, qua Apostolus occurrit quorumdam objectioni. Dicet enim quis : Si, o Paule, verum est, quod dixisti cap. superiori, in fine : « Ubi abundavit delictum, superabundavit gratia; » ergo peccata peccatis addenda sunt, ut gratia Dei magis abundet.

Respondet Paulus, *Absit* : ita Patres. Unde patet peccatum hic proprie accipi, licet aliqui metonymice pro fomite peccati accipiant (1).

Vers. 2. Duplex hominis mortificatio.

2. QUI ENIM MORTUI SUMUS PECCATO, QUOMODO ADHUC VIVEMUS IN ILLO? — Nota : *Is peccato* potest hic accipi dupliciter, scilicet *primo*, ut sit ablativi sensus, idemque sit « mortui peccato, » quod mortui per peccatum, quomodo loquitur Apostolus, Ephes. II, 5; *secundo*, ut *is peccato*, sit dativi casus, et tunc mori peccato, idem est quod renuntiare peccato, abdicare peccatum. S. Chrysostomus utroque modo hic accipit, unde duplicem affert expositionem. *Primo*, « qui mortui sumus peccato, » id est, inquit, qui vitam spiritualem per peccatum amisimus. Vel *secundo*, qui peccato deleto amplius et non obedimus, sed illi jam renuntiavimus, illudque abdicavimus. Verum secundus hic sensus potior est, magisque genuinus; opponitur enim directa antithesi ei, quod subdit Apostolus, *quomodo adhuc vivemus in illo?*

Nota : Vivere justitiæ, vel peccato, est operationes vitæ circa justitiam vel peccatum, seu opera peccati vitalia facere et exercere, scilicet cum homo rationalis per voluntatem, amorem, desiderium, gaudium obedit, delectatur, sequitur, fruitur concupiscentiis et appetitibus, qui sunt contra legem Dei, nec divinæ, sed suæ voluntati indulget. Sic e contrario peccato mortuus dicitur, cum hæc opera vitæ, hos amores non habet, sed a se præscindit et abdicat. Mors enim est plena derelictio, et separatio, ac præcisio. Sicut ergo Religiosi mortui debent esse mundo, ut non delectentur, nec misceant se rebus mundanis, ita omnes Christiani mortui debent esse peccato. Vide dicta *Galat.* VI, 14.

Nota : Hoc cap. peccatum et peccati fomitem considerat Apostolus, quasi dominum quemdam, aut regem in homine tunc regnantem, quando pravis ejus motibus et desideriis obsequitur : persistit enim in prosopopœia, de qua dixi cap. præced., vers. 20.

3. QUICUMQUE BAPTIZATI SUMUS IN CHRISTO JESU, IN MORTE IPSIUS BAPTIZATI SUMUS. — *Baptizati in Christo*, id est baptizati in virtute, nomine, meritis non Joannis, sed Christi : ita Origenes et Anselmus.

In Christo sumus duplicem baptismi.

Secundo Pererius, *in Christo*, inquit, id est per Christum. Sed Græca habent εἰς Χριστόν, in Christum, et ita legit Tertullianus, lib. *De Resurrect. carnis*, *q. d.* Paulus : Per baptismum estis inserti in Christum quasi rami in novam arborem, et facti estis de ejus corpore, mystico scilicet, quod est Ecclesia. Ex hoc loco et similibus putarunt nonnulli validum esse baptismum, si quis hac forma baptizet : « Ego te baptizo in nomine Christi, » omisso nomine Patris et Spiritus Sancti. Ita censent Magister, in IV, dist. III; Adrianus, *ibid.*, *Quæst.* 1, art. 2; Cajetanus, III *part.*, *Quæst.* LXVI, art. 6. Idem videtur sensisse ut privatus Doctor, Nicolaus I Pontifex respondens ad consulta Bulgarorum. Ait enim : « Si profecto, si in nomine Trinitatis, vel tantum in nomine Christi, sicut in Actis Apostolorum legitur, baptizati sunt, rebaptizari non debent. » Idem docet S. Ambrosius, lib. I *De Spiritu Sancto*, cap. III, et Beda in *Actor.* X.

An baptismus in nomine solius Christi valeat?

Secundo, S. Thomas, III *part.*, *Quæst.* LXVI, art. 6, censet Apostolos ex Dei dispensatione baptizasse in nomine Christi, ad numen ejus illustrandum; nunc autem id non licere, nec valere baptismum, nisi conferatur exprimendo tres personas SS. Trinitatis.

Verum alii Patres et Doctores passim censent non valere, nec unquam valuisse baptismum, ubi nominantur singulæ personæ SS. Trinitatis. Citat eos Suarez, III *part.*, *Quæst.* LXVI, art. 6. Imo idipsum definivit Pelagius Pontifex, cap. *Si revera de consecrat.*, dist. 4, ubi talem qui baptizatus est in nomine Domini, id est Christi, dicit esse rebaptizandum in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Idem asseverat Zacharias Pontifex eadem dist., cap. *In Synodo Anglorum*. Cum ergo ait Paulus nos baptizari in Christo, et Lucas in *Actis*, in nomine Jesu, intellige, *in Christo*, id est, *primo*, in auctoritate, virtute et meritis Christi; *secundo*, in baptismo a Christo instituto, qui confertur in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti; *tertio*, in nomine Christi, sed non solo; *quarto*, probabile est Apostolos addidisse in baptismo hæc verba, *Jesu Christi*, dicendo : Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii ejus Jesu Christi, et Spiritus Sancti. Hoc enim plurimum conducebat ad illustrandum novum hoc nomen Christi apud Judæos et Gentes, præsertim cum sic Christus poneretur cum Patre et Spiritu Sancto, auctor sanctificationis. Ita S. Basilius, lib. *De Spiritu Sancto*, cap. XII, aperte asserit in baptismi forma nullam trium personarum posse omitti; et ideo cum Paulus ait nos baptizari in Christo, vel in Spiritu Sancto, cæteras quoque personas intelligendas esse. « Siquidem, inquit, Christi appellatio, totius deitatis est professio : quippe quæ simul declarat et Deum (Patrem) qui unxit, et Filium qui unctus est, et Spiritum Sanctum qui est unctio, sicut a Petro in *Actis* didicimus : Jesum Nazarenum, quem unxit Deus Spiritu Sancto; item in *Isaiæ* cap. LXI : Spiritus Domini super me, eo quod unxit me. Et Psalles, *Psal.* XLIV : Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis, ultra participes tuos. »

IN MORTE. — Græce εἰς τὸν θάνατον, in mortem, id est in similitudinem et representationem mortis Christi baptizati sumus. Qui enim baptizantur et aquis immerguntur, Christum mortuum et sepultum representant allegorice, idque ut tropologica similitudine significent, sicut Christus mortuus est vitæ temporali, ita se mori peccato, ait S. Chrysostomus, per baptismum, quo peccata merguntur et sepeliuntur : mori, inquam, peccato, tum per vim et efficaciam baptismi, ut ait S. Augustinus, *Enchir.* LI (ubi hinc probat infantes habere peccatum originale, quia scilicet baptizantur); tum per propositum sanctum novæ vitæ, quod concipit baptizatus : ita Tertullianus, lib. *De Pœnitentia*.

Probat hic Apostolus nos mortuos esse peccato, nec illi vivere debere, ex eo quod per baptismum inserti sumus Christo, ut vivamus vita Christi et Christiana : hæc enim ex diametro peccato repugnat.

4. CONSEPULTI SUMUS CUM ILLO PER BAPTISMUM IN MORTEM. — Probat Apostolus nos esse mortuos peccato, ex mystica baptismi sepultura : unde ait, *consepulti sumus*, *q. d.* Nos tanquam mortui peccato sepulti sumus in baptismo, sicut Christus mortuus corporaliter traditus est sepulturæ, nemo enim sepelitur nisi mortuus. Ritus ergo baptismi, scilicet trina mersio allegorice repræsentat tres dies sepulturæ Christi, et tropologice repræsentat sepulturam et mortem peccati. Unde ex hac causa et repræsentatione, in die sepulturæ Christi, scilicet sabbato sancto, solemnis baptismus celebrari solet. Vide Damascenum, lib. IV *De Fide*, cap. X.

Baptismus jubetur ut præsens sepultura Christi, peccatoris.

Nota hic dissimilitudinem inter sepulturam Christi et baptismum. Christus enim prius mortuus est, quam sepultus : hæc vero baptismi sepultura, quia Sacramentum est, mortem peccati prior et anterior, non tempore, sed natura, ut recte advertit Pererius et Toletus, et hoc est quod ait Paulus : « Consepulti sumus in mortem, » *q. d.* Cum Christo in baptismo quasi sepelimur, ad hoc ut moriamur peccato : hanc enim peccati mortem affert et inducit hæc sepultura baptismi. Hinc moraliter Patres monent nos, ut semper ante oculos habeamus professionem, quam facimus in baptismo, dicentes : « Abrenuntio Satanæ, » et consequenter peccato.

Dissimilitudo inter sepulturam Christi et baptismi.

« Ingressus es, inquit S. Ambrosius, lib. *De iis qui mysteriis initiantur*, cap. II, regenerationis sacrarium, repete quid interrogatus sis, recognosce quid responderis. Renuntiasti diabolo et operibus ejus, mundo et luxuriæ ejus ac voluptatibus, tenetur vox tua non in tumulo mortuorum, sed in libro viventium. Præsentibus angelis locutus es : non est fallere, non est negare. » Et S. Augustinus, lib. IV *De Symbolo ad Catech.*, cap. I, tom. IX : « Exclusus est, inquit, inimicus de cordibus vestris; huic vos renuntiare professi estis, in qua professione non hominibus, sed Deo et angelis ejus conscribentibus dixistis : Renuntio. Renuntiale non solum vocibus, sed et moribus; non tantum sono linguæ, sed et actu vitæ; nec tantum labiis sonantibus, sed et operibus pronuntiantibus. Scitote vos cum callido, antiquo et veterroso inimico suscepisse certamen : non in vobis post renuntiationem inveniat opera sua, non jam vos attrahat in servitutem suam : deprehendens enim et detegeris, Christiane, quando aliud agis, et aliud profiteris : fidelis in nomine, aliud demonstras in opere, non tenens promissionis tuæ fidem : modo ingrediens ecclesiam orationes fundere, post modicum in spectaculis cum histrionibus impudice clamare. Quid tibi cum pompis diaboli, quibus renuntiasti? » Hinc etiam baptizatis sacerdos dat vestem candidam, quasi tesseram puritatis et innocentiæ, dicens : « Accipe hanc vestem candidam, sanctam et immaculatam, quam perferas sine macula ante tribunal Christi,

Moralia de abrenuntiatione Satanæ et peccati, quam faciunt Christiani in baptismo.

Baptizatis sacerdos dat vestem candidam.

(1) Sequitur tractationis dogmaticæ altera pars, qua respondetur ad varias objectiones, quæ doctrinæ superiori opponi poterant, et fortassis etiam solebant. Et hoc quidem cap. VI prolixe demonstrat Paulus, hac doctrina hominibus non dari occasionem et licentiam peccandi; esse potius illius hanc vim, ut ad mentis et vitæ emendationem monstret viam, atque ad eam incitet hominesque permoveat.

ut habeas vitam æternam. » Qua de re ita Lactantius canit in *Carmine paschali* :

Candidus egreditur niveis exercitus undis,
Atque vetus vitium purget in amne novo.
Fulgentes animas vestis quoque candida signat,
Et gregis de nivco gaudia pastor habet.

Quare pathetice Muritta Diaconus, apud Victorem Uticensem, lib. III *Persecution. Wandal.*, ad Elpidophorum apostatam et carnificem tam suum quam aliorum orthodoxorum, expandens et ventilans lintea illa, quibus Elpidophorum olim e sacro fonte susceperat : « Hæc, inquit, sunt linteа, Elpidophore, ministet erroris, quæ te accusabunt, dum majestas venerit judicantis, custodiente diligentia mea ad testimonium tuæ perditionis, ad demergendum te in abysso pulei sulphuratis. Hæc te immaculatum cinxerant de fonte surgentem. Hæc te aerius persequentur flammantem gehennam cum coperis possidere, quia induisti te maledictionem sicut vestimentum, scindens atque amittens veri baptismatis et fidei sacramentum. Quid facturus es, miser, cum servi patris familias ad cœnam regiam congregare cœperint invitatos? Tunc te aliquando vocatum, terribiliter indignatus, exutum stolam Rex conspiciet nuptialem, dicetque tibi : Amice, quomodo huc venisti, vestem non habens nuptialem? Non video quod contuli, non nosco quod dedi. Perdidisti militiæ chlamydem, quam in tela virgineorum membrorum decem mensibus texi, et tenticulas crucis, quas extendens aqua mundavi, et purpura mei sanguinis decoravi, non conspiciunt oculi mei; characterem non video Trinitatis; talis non poterit interesse epulis meis : ligate eum pedibus et manibus, » etc.

UT QUOMODO CHRISTUS RESURREXIT A MORTUIS PER GLORIAM PATRIS, ITA ET NOS IN NOVITATE VITÆ AMBULEMUS. — *Per gloriam Patris*, id est per divinam virtutem; vel, ut Theodoretus et Theophylactus, per propriam divinitatem suam; eadem enim est gloria, sive gloriosa divinitas Patris et Filii.

Secundo et aptius Cajetanus, ut plenior sit comparatio inter Christum et nos, sic explicat, *per gloriam Patris*, id est, inquit, per vitam gloriosam et immortalem, quam Christus resurgens accepit a Patre, *q. d.* Christus resurrexit ad hoc, ut gloriosam et divinitati convenientem vitam ageret, qualis decet Filium Dei. Unde congruum est, ut et nos baptismo resurgentes novam vitam dignam filiis Dei agamus, idque continuo et constanter in ea pergendo et proficiendo : hoc enim significat verbum, *ambulemus*.

Posset *tertio*, Græcum διὰ verti *propter*, vel ut Syrus vertit, *in gloriam Patris*. Valde enim glorificatus est Pater in resuscitatione et resurrectione Christi. Præclare S. Augustinus in *Enchiridio*, cap. LIII : « Quidquid, inquit, gestum est in cruce Christi, in sepultura, in resurrectione tertia die, in ascensione in cœlum et sede ad dexteram Patris, ita gestum est, ut ils rebus non tantum *mystice* dictis, sed etiam gestis, configuraretur vita Christiana, quæ hic geritur. Nam, propter ejus crucem dictum est : Qui Jesu Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis; propter sepulturam : Consepulti sumus cum Christo per baptismum in mortem; propter resurrectionem : Ut quemadmodum Christus resurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus; propter ascensionem sedemque ad dexteram Patris : Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est ad dexteram Dei sedens; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. »

5. SI ENIM COMPLANTATI FACTI SUMUS SIMILITUDINI MORTIS EJUS, SIMUL ET (supple, complantati similitudini) RESURRECTIONIS ERIMUS. — Excitat hic Apostolus ad novitatem vitæ, per spem resurrectionis.

Nota : Pro *complantati*, græce est σύμφυτοι, quod non est participium, sed nomen, quasi dicas, *consitili*. Jam sensus est, si Christo insiti sumus, perinde ac rami inseruntur arbori, ut ex ea succum sugant et hauriant, sic ut ex morte Christi, cujus similitudinem gessimus in baptismo, tanquam e radice similem quamdam peccati mortem sugamus, ut nimirum per mortem Christi, in qua baptizati sumus, mortui simus peccatis; si, inquam, ita inseramur Christo, participes quoque erimus resurrectionis Christi. Ergo τῇ *similitudini* ex hebraismo accipitur pro *in similitudinem*, id est in conformationem mortis Christi. Posset tamen cum Syro sic accipi : *similitudini*, id est, per similitudinem, vel in similitudine, puta in baptismo, quæ est similitudo et repræsentatio mortis et sepulturæ Christi.

Verum antithesis sequens primum sensum exposcit; nam pari modo tacite subdit Apostolus, quod aliquando complantati et insiti erimus Christo, similitudini, id est ad similitudinem, resurrectionis ejus, ut nimirum ex Christo quasi resurgente, similem nos ipsi resurrectionem sugamus et participemus. Persistit Paulus in metaphora plantæ. Sic enim sacra Scriptura Christum vocat virgultum et vitem, nos palmites, et Christus in nobis dicitur crescere, nosque in Christo dicimur adolescere, esseque arbores frugiferæ, quas ministri Christi dicuntur plantare et rigare. Dicit ergo : Sicut ramus in arbore insitus, moriente quasi hiemem arbore, illi pariter etiam ipse commoritur, et rursum arbore tempore veris quasi resurgente, una quoque ramus resurgit: sic qui Christo coinsitus, peccato commoritur, in hieme hujus vitæ et passionis : et hic Christo quoque in vere illo universali resurrectionis, cum novum cœlum et nova terra repullulasceni, consurget ad gloriam. ita Origenes. Unde et Tertullianus, lib. *De Carnis resurrect.*, cap. XLVII, sic legit : « Si enim consati sumus simulacro mortis Christi, simul et resurrectionis erimus; » illudque su-

explicat : « per simulacrum (per repræsentationem) enim morimur in baptismo, sed per veritatem resurgemus in carne, sicut et Christus. »

Sensus ergo est, *q. d.* Paulus : Sicut mortis et passionis Christi in hac vita consortes facti sumus, ita pariter et resurrectionis Christi in futura vita consortes fiemus : nam et huic insiti sumus, utpote cujus, eque ac mortis Christi, in baptismo gessimus similitudinem. Nam sicut immersione, quæ fit in baptismo, configuramur Christo mortuo et sepulto; ita vicissim emersione ex aquis baptismi, configuramur Christo resurgenti : quod si autem resurrectionis Christi participes futuri sumus, fierique debemus; ergo pariter in novitate vitæ, quam resurrectio Christi significat, quamque resurrectio nostra postulat et prærequirit, ambulandum nobis est.

Pulchre Nazianzenus, orat. I *in Pascha* : « Heri, inquit, cum Christo in crucem agebar, hodie simul cum illo glorificor; heri commoriebar, hodie simul vivificor; heri consepeliebar, hodie simul resurgo, » etc. Et Tertullianus, lib. *De Corona militis*, cap. XIV : « Christus, inquit, favos post fella gustavit, nec antea Rex gloriæ a cœlestibus est salutatus, quam rex Judæorum proscriptus in cruce : minoratus, primum a Patre modicum quid citra angelos, ita gloria et honore coronatus est. » Ita et nos, si hic fella gustemus, postea favos cum Christo gustabimus.

Aliter hæc explicant Toletus et Adamus; nimirum, ut complantari resurrectioni Christi, sit idem quod in novitate vitæ ambulare, uti præcessit, *q. d.* Paulus : Si tanquam surculi quidam insiti sumus Christo per baptismum, sic ut similitudinem mortis ejus in nobis habeamus, moriendo peccatis, erimus quoque hoc ipso complantati, sive insiti, vel ingenerati similitudini resurrectionis ejus : quæ similitudo posita est in novitate vitæ, ut nimirum sicut Christus ad novam et beatam vitam resurrexit, ita quoque nos ad novitatem vitæ resurgamus et in ea vivamus et ambulemus. Verum si hoc voluisset Apostolus, dixisset potius, *simul et resurrectionis sumus*; jam autem non dicit *sumus*, sed *erimus* : unde magis genuine et proprie videtur spectare futuram resurrectionem.

Nota vim præpositionis σύν, id est cum, in Græcis Apostoli vocibus, σύμφυτοι, συνδέκτισθαι, συμφυεῖσθαι, συμβιβάζειν, συμπάσχειν, συμφερεσθαι, συμβασιλεύειν, συνδεδεμένοι, id est complantati sumus, consepulti, concrucifixi, conviventes, compatientes, conformati, conregnantes, conglorificati Christo : σύν enim significat *primo*, similitudinem nostram in his cum Christo.

Secundo, significat causam omnium horum in nobis esse hanc, quod scilicet simus uniti Christo, quasi rami arbori, ita ut hæc omnia quasi succum arboris Christi a Christo Christique cruce et passione sugamus.

Tertio, σύν significat effectum et fructum quem Christus a nobis requirit, ut scilicet hæc conemur cum Christo in nobis perficere, Christumque in hisce assidue imitari et prosequi, ut cum ipso pariter glorificemur.

6. HOC SCIENTES, QUIA (quod) VETUS NOSTER HOMO SIMUL CRUCIFIXUS EST. — Refer τὸ *hoc scientes*, ad omnia præcedentia, sed maxime ad τὸ *mortui sumus*, et ad τὸ *complantati facti sumus similitudini mortis ejus, ut in novitate vitæ ambulemus*, *q. d.* Debemus mortui esse peccato, et in novitate vitæ ambulare, *hoc scientes*, id est, cum sciamus (per hebraismum enim ponitur participium pro verbo) quod vetus noster homo crucifixus sit (1).

Nota : *Vetus homo*, inquit D. Thomas, *primo*, est macula ex actu peccati relicta; *secundo*, est ipsa consuetudo peccandi; *tertio*, est concupiscentia; *quarto* et clarius Toletus : *Vetus homo*, inquit, dicitur is qui peccatum et concupiscentias, nascendo ex veteri Adamo, traxit et sequitur, puta, vetus vita, veteres mores, vetus in concupiscentiis et peccatis, instar veteris Adami, vivendi ratio, uti pluribus dicam cap. VII. Hic ergo jam dictus vetus homo crucifixus est cum Christo, *primo*, per repræsentationem; baptismo enim repræsentamus crucem Christi, et vitiorum, scilicet nos cum Christo esse crucifixos, et crucifixisse nostra vitia; *secundo*, per efficientiam, quia scilicet virtute Christi in cruce mortui, quæ baptismo nobis applicatur, peccata nostra deleta sunt. Crux enim peccatorum nostrorum est mors et destructio.

Vetus homo crucifixus est cum Christo, triplici ratione.

UT DESTRUATUR CORPUS PECCATI. — *Primo*, Origenes, Chrysostomus, Ambrosius, Anselmus et Toletus : « Corpus peccati, » inquiunt, est tota peccatorum massa, quæ quasi unum est corpus in hominis veteris, cujus membra sunt libido, avaritia, fornicatio cuilibet Christiano mortificanda, ut ait Apostolus *Coloss.* III, 5. Hanc peccatorum massam vocat Apostolus « corpus peccati, » ut persistat in metaphora crucis, de qua dixit : *Vetus noster homo crucifixus est* : non enim accidentia, nec spiritus, sed corpora hominum crucifixi solent.

Corpus peccati, tota peccatorum in.

Nota hic peccata non tegi per justitiam imputativam, sed omnino mori et deleri in baptismo per gratiam et justitiam infusam, ut hic coactus fatetur Calvinus sui oblitus.

Secundo, idem Origenes sic explicat, *ut corpus peccati*, id est corpus in peccato conceptum, nutritum et peccare solitum, *destruatur*, non substantia, sed qualitate, id est enervetur : hoc enim est Græcum καταργηθῇ. Unde et Tertullianus, lib. *De Resurr. carnis*, cap. XLVII, sic legit et explicat :

(1) Pergit Paulus ex cruce, morte et resurrectione Christi multas sumere similitudines, et eis aptare allegorica loquendi genera. Adjungit prosopopeiam, qua delectatur plurimum. Veterem illam sentiendi consuetudinem dicit, ad similitudinem Christi cruci affigendam esse; sicut cruci affixus non sine gravi dolore moritur, ita illa vitiosa natura non sine dolore vi sua privatur.

« Ut evacuetur corpus delinquentiæ, per emendationem vitæ, non per interitum substantiæ. »

Tertio, Theodoretus sic legit, *ut corpus nostrum evacuetur peccato*, id est, ut peccatis sit vacuum; verum primus sensus Apostoli menti et phrasi magis est conformis.

7. QUI ENIM MORTUUS EST, JUSTIFICATUS EST A PECCATO. — Causam dat cur ultra non debeamus servire peccato : Quia, inquit, qui conformatus Christo crucifixo, et morti Christi in cruce morientis, mortuus est peccato, seu vitæ veteri, hic « justificatus, » id est absolutus est prorsus a peccato, ut non debeat habere cum eo commercium : sicut homo mortuus absolutus est ab hujus vitæ negotiis, ut iis se miscere non debeat, nec possit.

Secundo, S. Basilius, lib. *De Baptismo* : « Qui, inquit, mortuus est, hic justificatus, id est purgatus est a peccato per justitiam a Deo datam et infusam. »

Tertio, specialius et profundius, juxta primum sensum S. Chrysostomus et Theodoretus sic explicant, tanquam aliudat Paulus ad servum, qui dum vivit, servituti astringitur, sed in morte ab eadem absolvitur et liberatur : hanc enim metaphoram servi, vers. 16 et seq., urget Apostolus, *q. d.* Sicut servus mortuus, per mortem justificatus, id est absolutus et liberatus est a jure et dominio heri, puta a servitute, ita ut herus in eum nullum herile habeat jus vel imperium : pari modo et nos a servitute peccati justificati, id est liberati et absoluti sumus hoc ipso quo eidem mortui sumus per baptismum, ut proinde amplius peccato vacare et servire non debeamus.

8. SI MORTUI SUMUS CUM CHRISTO, CREDIMUS QUIA SIMUL ETIAM VIVEMUS CUM CHRISTO. — « Simul vivemus, » in vita nimirum futura, beata et æterna. Ita Origenes, Chrysostomus, Theodoretus et Anselmus. *Secundo*, Toletus : « Credimus, inquit, id est confidimus, quod simul cum Christo in nova vita gratiæ vivemus, id est vivere pergemus. » Sed prior sensus planior est : Apostolus enim more concionatoris, identidem Christianis proponit præmium æternæ vitæ, ut nos ad bonam sanctamque vitam alliciat et excitet, ideoque ab anagoge baptismi, salit ad tropologiam, puta a resurrectione salit ad mortificationem vitiorum, et novitatem vitæ; et mox ab ea ad resurrectionem redit, idque facit secundo et tertio, sed aliis et aliis verbis. Nam hanc baptismi anagogem sive resurrectionem proposuit vers. 5, et eamdem hoc vers. 8, et rursum vers. 9 et 11, aliis verbis inculcat. Rursum eidem tropologiam de novitate vitæ præposuit vers. 4, et iterum subnexuit vers. 6, 7, 9, 11 et seq.

Idem faciendum est cuivis ecclesiastæ, ut scilicet misceat præmia cum virtutibus, utque suis auditoribus jam cœlum et cœlestes coronas, jam fugam vitiorum et Christianos mores, quibus cœlestes coronæ æquitatur, proponat.

9. SCIENTES QUOD CHRISTUS RESURGENS (Græce ἐγερθείς, id est suscitatus, vel qui resurrexit, est enim præteriti temporis) EX MORTUIS JAM NON MORITUR, MORS ILLI ULTRA NON DOMINABITUR. — Pendent hæc a præcedentibus, *q. d.* Si mortui sumus peccato, credimus quia simul etiam vivemus cum Christo, in vita scilicet beata et immortali. Scimus enim Christum, postquam resurrexit a mortuis, talem vitam jam vivere, nec amplius moriturum, imo mori non posse. Cum ergo vita nostra beata post resurrectionem similis et conformis sit futura vitæ Christi, sequitur nos quoque tunc amplius non morituros, imo mori non posse. Ex quo discursu tacite Christianis colligendum reliquit Apostolus, eos utpote jam mortuos peccato, et traductos in novitatem vitæ, adeoque ordientes hic beatam vitam, et tendentes ad gloriosam immortalitatem, constanter in hac via vitaque sancta persistere debere, ut in mortem peccati non recidant, sed sanctam et felicem immortalitatem per constantiam vitæ pire et Christianæ repræsentent atque inchoent. Infert Origenes ex eo quod ait Apostolus : « Mors illi ultra non dominabitur, » ergo mors antea, puta in cruce, dominata est Christo. Porro Origenes per mortem intelligit diabolum; sed clarum est ex præcedentibus mortem proprie hic accipi. Mors ergo quasi dominus et rex hic inducitur, quæ Christo omnibusque hominibus fuit dominata, sed per Christum dominio hoc suo est spoliata.

Error Origenis putantis mortem, et diabolum, Christo dominatum.

10. QUOD ENIM MORTUUS EST PECCATO, MORTUUS EST SEMEL. — S. Hilarius, lib. IX *De Trinit.*, putat τὸ *quod* esse relativum, sicque vertit et legit, « quod mortuum est, peccato mortuum est semel; quod autem vivit, vivit Deo, » *q. d.* Mortuum est Christi corpus semel propter peccatum, sed vivit et vixit, vivetque semper ejus divinitas; et ita vertendum esse contendit Faber Stapulensis, qui nostrum taxat interpretem, quod vertat *mortuus*, non *mortuum*. Verum nostrum Interpretem defendit Erasmus, et alii passim, imo et Beza. Græcum enim ὅ, id est *quod*, pro ὃν capitur, vel certe subaudiendum est ΧΡΙΣΤΟΣ, *q. d.* ΧΡΙΣΤΟΣ ὅ, id est in eo quod mortuus fuit, vel quantum ad mortem Christi attinet, semel ipse peccato mortuus est : aptius enim dicitur Christus mori et vivere, quam corpus Christi; ne scilicet videatur cum Nestorio separare in Christo corpus et nominem a deitate.

Vers. 10.

Fabulæ Beza; puta homines vitiis deditos et vitiorum amore captos, contumeliosos, etc.

Patet lectio Erasmi Nostra lectio rejicitur.

PECCATO MORTUUS EST SEMEL. — Hilarius, lib. IX *De Trinit.*, et Œcumenius : « Peccato, » inquiunt, id est corpore, puta corporaliter, mortuus est semel Christus. Corpus enim dicitur « peccatum » metonymice, quia peccati est subjectum. Simili sensu vocatur « caro peccati, » licet in Christo tantum fuerit similitudo carnis peccati : vel ut Pererius explicat, « mortuus est Christus peccato, » id est vitæ passibili et mortali, quæ talis est in corpore hoc peccatis subdito.

Triplex hæresis vocabulum et explicat.

Secundo, S. Ambrosius, serm. 18 in *Psal.* CXVIII, vers. 7 : Mortuus, inquit, est Christus « peccato, » id est peccatori, puta propter peccatores.

Tertio et optime, S. Chrysostomus et Theodoretus, mortuus est Christus « peccato, » id est propter peccatum, ad peccatum in nobis mortificandum et abolendum; hanc enim vim habet *lamed* dativi Hebræis. Aliter ergo Christus mortuus dicitur peccato, aliter nos; Christus effective, nos subjective; Christus semel *actus*, est mortuus, nos autem *vasi* nominaliter, quasi semper mortui peccato esse et permanere debeamus.

QUOD AUTEM VIVIT, VIVIT DEO. — « Vivit Deo, » id est divinitate et anima, ita Œcumenius.

Secundo, S. Chrysostomus et Toletus : « Vivit Deo, » id est per Dei virtutem.

Tertio et optime, Christus jam post resurrectionem « vivit Deo, » id est apud Deum, et similem Deo vivit vitam, cœlestem, divinam, beatam, immortalem. Rursum, « vivit Deo, » id est ad Dei gloriam, ut Deum perpetuo laudet et celebret : sicut enim mortuus est propter peccatum, sic vivit propter Deum et Dei gloriam.

11. ITA ET VOS EXISTIMATE VOS MORTUOS QUIDEM ESSE PECCATO, VIVENTES AUTEM DEO. — Quis sit mortuus peccato, pulchre et minutim explicat S. Prosper, lib. *De Vita contemp.*, cap. XXI : « Quid est, inquit, mori peccato, nisi damnandis operibus omnino non vivere, nihil concupiscere carnaliter, nihil ambire? Ut sicut qui mortuus est carne, nulli jam detrahit, nullum aversatur, despicit, nullius pudicitiam callida circumventione corrumpit, nemini violentus existit, neminem calumniatur aut opprimit, non invidet bonis, aut insultat afflictis, non luxuriæ carnis inservit, non vinolentiæ deditus in se bibendi sitim bibendo magis ac magis accendit, non odiorum facibus inardescit, non compendia injusta sectatur, non potentibus aut divitibus adulatur, non inquieta curiositate raptatur, non domestice sollicitudinis cura distenditur, non officiosis occurrentium salutationibus delectatur, nec superborum injuriis fatigatur; non sum superbia inflat, non ambitio vertose præcipitat, non vana gloria turpiter jactat, non desiderium gloriosæ opinionis inflammat, non distentio alieni actus illaqueat, non ad societatem turpium turpitudinis amor invitat, non rabies insani furoris exigitat, non sumptuosarum deliciarum studium mactat, non ardor animosæ contentionis exanimat. » Deinde alio schemate per epiphata singulorum vitiorum propria idipsum prosequitur, dicens : « Quem non facit impudentem audacia, iniquum injustitia, ferum inclementia, varium inconstantia, pertinacem contumacia, insanum vesania, deliciosum gula, rebellem inobedientia, vanum jactantia, incidelem perfidia, lascivum facilitas, sævum crudelitas, manducatorem turpis edacitas, impatientem metallitas, mobilem mobilitas, vanum spiritualis nullanitas, iracundum animositas, suspiciosum perversitas, verbosum vanitas, injuriosum malignitas : qui remotus est prorsus a superiorum illecebris, remotus ab immunditiis et inimicitiis, remotus ab insidiis alienis, remotus a rapinis vel occultoribus vel apertis, remotus a mendaciis sive perjuriis, postremo remotus ab omni genere flagitiorum atque facinorum, quibus ornatiter vivantes, Deum offendant : sicut, inquam, carne mortuus nec facere ea potest, quæ dixi, nec pati, ita et his, et talibus vitiis omnino non vivant, qui viventes Deo, carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifigunt. »

Vers. 11.

A vita gratiæ non vel reluctando ad mortem peccati.

VIVENTES AUTEM DEO, — ut scilicet spiritu Dei, sive vita spirituali et divina, puta vita gratiæ, non peccato, sed Deo servientes, vivatis, id est vitam hanc gratiæ in baptismo acceptam conservetis; τοὺς enim *viventes* hic significat autem, non inchoatum, sed continuatum, juxta can. 32. Unde ait, « existimate, » id est reputate, cogitate, perpendite, resolvite, concludite, et omnino decernite, vos Deo deinceps semper debere et velle vivere.

IN CHRISTO, — id est, *per Christum*; vel, ut Toletus, *ad similitudinem Christi*, quia ita vivit, ut amplius non moriatur, *q. d.* Pari modo, nec vos amplius mori debetis per peccatum. Sæpe Hebræi sumunt ב, id est *in*, pro ב similitudinis, ut *in Christo* idem sit, quod *instar Christi*.

12. NON ERGO REGNET PECCATUM IN VESTRO MORTALI CORPORE, UT OBEDIATIS CONCUPISCENTIIS EJUS. — « Peccatum » intellige, proprie dictum. Sic enim accipit peccatum Apostolus vers. 1, 2, 6, 7, 10 et 11.

Vers. 12.

Peccatum non tam personificat, quam personificatum dominatur.

Notat S. Chrysostomus et Theodoretus non dici : Non tyrannizet quasi invitis vobis peccatum : quia peccatum in nobis regnare non potest, nisi nobis volentibus, illudque sponte acceptantibus, ac consequenter nobis invitis imperare et tyrannizare non potest.

Peccatum personificat et concupiscentiæ.

Alii, non improbabiliter (1), metonymice capiunt hic « peccatum, » ut idem sit, quod fomes peccati et concupiscentia. Unde notant S. Augustinus, in *Psal.* XXXV, et Gregorius, lib. XIV *Moral.*, cap. IX, non dicere Apostolum : *Non sit*, non *habitet* : hoc enim est impossibile; sed, *Non regnet in vobis peccatum*, ut scilicet illi vos subjiciatis, ejusque desideriis et concupiscentiis obedatis, ut sequitur.

Perperam ergo Beza sic explicat *non regnet peccatum*, *q. d.* Apostolus : Peccato et concupiscentiæ reluctetur spiritus, attamen illam non vincat. Sed perperam, ut dixi; nam si in hac lucta spiritus non vincit carnem et concupiscentiam, ergo concupiscentia ipsa vincit et regnat. Nimirum fallitur Beza, nec videt quod aliud est esse vel existere peccatum, aliud, vincere peccatum et concupiscentiam. Est quidem in homine caro et concupiscentia, et in hac vita plane exturpari

Futilis Bezæ explicatio.

(1) Imo prorsus.

nequit, sed tamen in justo vincitur et supprimitur a dominante ratione et spiritu.

Nota τὸ *mortali*, cum ait Apostolus : « In vestro mortali corpore, » stimulum dat ad pugnam et ad resistendum concupiscentiis, quia scilicet hæ fluxæ et evanidæ sunt, unaque cum mortali hoc corpore intermorituræ. Unde notat hic S. Chrysostomus breve in hac vita et corpore, peccati æque ac luctæ contra peccatum esse tempus, cum victoriæ et gloriæ sit æternum et immensum : « Quid ergo, o homo, longa hic, quid solida gaudia quæris? breve est et caducum, quidquid hic vides. » Dicit ergo Apostolus : « Per Christum, gratia ejus quasi rex regnat in mentibus fidelium : ergo in iis non regnet peccatum. » Graviter et eloquenter S. Leo, serm. 1 *De Quadragesima* : « Si, inquit, mens rectori suo subdita, et supernis muneribus delectata, terrenæ voluptatis incitamenta calcaverit, et in suo mortali corpore regnare peccatum non sinerit, ordinatissimum tenebit rallo principatum, et munitiones ejus nulla spiritualium nequitiarum labefactabit illusio : quia tunc est vera pax hominis, et vera libertas, quando et caro animo judice regitur, et animus Deo præside gubernatur. »

Breve tempus certaminis et luctæ, æternum victoriæ et gloriæ.

13. SED NEQUE EXHIBEATIS MEMBRA VESTRA ARMA INIQUITATIS PECCATO. — « Arma, » id est instrumenta servientia peccato : sic enim Hebræi vocant כְּלֵי חָמָס *kele chamus, vasa, id est, arma iniquitatis*, quomodo vocantur Simeon et Levi, *Genes.* XLIX, 5.

In anima duplex et contrarium regnum.

Nota, in anima duplex et contrarium esse regnum peccati et justitiæ. Peccatum ad regni sui dilatationem utitur membris nostris, quasi armis, dum manu ad verbera, lingua ad detractiones, oculis ad curiositatem abutitur. Contra fit in regno justitiæ, dum illa, manu ad eleemosynam, lingua ad Dei laudem, oculis ad studium utitur. Hac de causa Apostolus membra nostra vocat arma tam peccati quam justitiæ.

SED EXHIBETE VOS DEO, TANQUAM EX MORTUIS VIVENTES. — *q. d.* Quin potius ita vivite, ut ostendatis vos ex morte peccati resuscitatos esse ad vitam gratiæ. Videtur enim Paulus respicere ad vers. 11.

Secundo et plenius, *q. d.* Servite Deo, uti facere oportet eos, qui semel peccato mortui in baptismo, jam vivant justitiæ et Deo, in nova vita Christiana, ad quam cum Christo et instar Christi resurrexerunt. Hunc esse sensum patet ex antecedentibus.

Tertio, aliqui sic explicant, *q. d.* Ita exacte, timorate et fervide servite Deo, ac si a morte naturali ad vitam revocati essetis. Cogitate quam pie et sancte vixerint, Deoque servierint qui in morte ad Dei tribunal rapti, ejus rigorem, æque ac inferorum pœnas, et cœlitum gloriam spectarunt, ac deinde vitæ sunt restituti. Cogitate quantam pœnitentiam egerit S. Diethelmus, quam narrat Venerab. Beda, lib. V *Hist. Ang.*, lib. XIII, qui causam tantæ austeritatis rogatus, non aliud respondebat quam : Austeriora vidi, frigidiora vidi. Similia habet Beda, *De Sancto Furseo*, lib. III, cap. XIX. Cogitate quales cruciatus sponte subierit S. Christina mirabilis, a morte rediens ad vitam, quæ se injiciebat in fornaces ardentes, in stagna gelidissima, in rotas molendinorum, ut cum iis volveretur et laceraretur, etc., idque ad hoc, ut animas (quarum horrendas pœnas in raptu viderat) e Purgatorio liberaret, uti refert Cardinalis Jacobus a Vitriaco in ejus Vita. Vos ergo hosce imitamini, ac oculis fidei mentisque spectate mortis horrorem, judicii terrorem, gehennæ acerbitatem, æternitatis immensitatem, ac ita vivite, quasi ea oculis, æque ac ipsi, spectassetis, et a morte ad vitam rediissetis : certo enim certius illa vos manent, uti certa fides vos docet. Hic sensus pius est, sed accommodatitius potius quam genuinus, uti patet ex dictis.

14. PECCATUM ENIM VOBIS NON DOMINABITUR, — id est *dominari nequit*; τὸ « enim dominabitur » sumitur per hebraismum δυνατικῶς, sive pro modo potentiali. Occurrit Paulus objectioni huic : Quomodo possumus servire justitiæ, non peccato, cum imbecilles sumus ad resistendum peccato ejusque tentationibus; et hactenus totus mundus, adeoque nos ipsi servierimus peccato? Respondet Apostolus : Licet peccatum in mundo, tempore Adæ, et tempore legis Mosaicæ dominatum sit, vobis tamen, o Christiani, qui per baptismum mortui estis peccato, et gratia Christi roborati, peccatum dominari non potest : intelligo, per se et jure suo, uti dominatum fuit ante Christum, nisi videlicet vos ipsi sponte gratiam Christi abjiciatis, et dedatis vos peccato. Unde explicans causamque assignans, subdit Apostolus.

Peccatum per se et suo jure dominari non potest in Christianos.

NON ENIM SUB LEGE ESTIS, SED SUB GRATIA, *q. d.* — Peccatum iis qui sub gratia sunt, dominari nequit, nisi ipsi libere se peccato subjiciant; iis vero qui sub lege sunt, non sub gratia, quasi jure hæreditario ab Adamo hucusque præscripto dominatur peccatum. Licet ergo peccatum fideles, qui sunt sub gratia, oppugnet, eisque bellum moveat, tamen iis suo nutu et imperio dominari nequit, quin vero facile ab iisdem per gratiam Spiritus Sancti vinci et domari potest. Præclare S. Leo, serm. 7 *De Jejunio decimi mensis* : « Fremit, inquit, adversarius, et cruentas inimicitias ad quietas convertit insidias, ut quos vincere fame et gelu, flammis ferroque non poterat, otio tabefaceret, cupiditatibus irretiret, ambitione inflaret, voluptate corrumperet. Sed iis malis, atque aliis omnibus destruendis habet acies Christiana potentes munitiones, et arma victricia, Deo scilicet instruente milites suos, ut spiritu veritatis mansuetudo iram, largitas avaritiam, benignitas extinguat invidiam. Commutante etenim dextera Excelsi corda multorum, rediit in novitatem vetustas, et ab iniquitatis famulis ministri prodiere

justitiæ. Subegit luxuriam continentia, humilitas arrogantiam propulsavit; et qui impudicitia sorduerant, castitate nituerunt. »

Secundo, Maldonatus, in *Notis manuscript.*, sic explicat : « Non estis sub lege, » id est *non accepistis spiritum servitutis*, ut dicit cap. VIII, *sed spiritum adoptionis filiorum Dei*. Itaque non debetis permittere ut quidquam aliud vobis dominetur. Atque ita sequitur, « Quid ergo? peccabimus? (1) »

15. QUID ERGO? PECCABIMUS, QUIA NON SUMUS SUB LEGE, SED SUB GRATIA? — Occurrit novæ objectioni. Objiciet enim quis : Dixisti, o Paule, nos non esse sub lege, sed sub gratia, ideoque peccatum nobis non posse dominari, ergo licenter et impune legem transilire et peccare possumus, atque indulgere nostris concupiscentiis et peccatis, quia liberi sumus, et quidquid faciamus, peccatum nobis dominari nequit; sed nos potius peccato et concupiscentiis dominabimur, si pro libito eas accersamus, vel repellamus. Hoc enim est argumentum libertinorum etiam modernorum. Respondet Paulus : « Absit, » quia licet simus sub gratia, non sub lege, tamen legem aspernari aut prævaricari non licet; sed potius per gratiam legem adimplere debemus. Rursum, licet peccatum nobis per se et suo jure dominari nequeat, tamen nobis dominari potest, et de facto dominabitur, si sponte nos illi addicamus, et quasi servos ejus dominio subjiciamus. Et hoc est quod subdit Apostolus dicens :

Argumentum modernorum libertinorum pro libertate ab omni lege transgrediendi.

16. NESCITIS QUONIAM CUI EXHIBETIS VOS SERVOS AD OBEDIENDUM, SERVI ESTIS EJUS CUI OBEDITIS, SIVE PECCATI (quod ducit) AD MORTEM, SIVE OBEDITIONIS (quæ ducit) AD JUSTITIAM. — Proponit hic Apostolus duos reges, eosque sibi invicem opponit : *prior* rex est peccatum, sive inobedientia divinæ legis : hujus servi sunt omnes peccatores, qui illi obediunt, quorum stipendium et finis est mors; *posterior* rex est obeditio, sive obedientia Dei et legis divinæ, puta Evangelii : hujus servi sunt omnes fideles, qui Evangelio obediunt; horum stipendium, fructus et finis est justitia et vita æterna. Hæc est quasi major propositio Apostoli, sub qua tacite hanc minorem subsumendam, et hanc conclusionem inferendam relinquit : Atqui, o fideles Christiani, in baptismo renunciastis peccato, et devovistis vos servos Christo et fidei, ad obediendum Evangelio; ergo non estis servi peccati, nec peccato servire debetis, sed Christo et obedientiæ, *id* est fidei et Evangelio.

Deus regnet, inobedientia et inobedientia.

Nota : Lex Christi dicitur lex obedientiæ, quia licet homines obedire Deo, et (quod proprie hic spectat Apostolus) fidei, Christo, Evangelio, Præ-

(1) Quum verba *lex* et *gratia* sibi opponuntur, prius regem Mosis, posterius Evangelium designat. Igitur sensus est : Non amplius legi Mosaicæ obstricti estis, quæ jubet, minatur pœnas; sed Evangelio, eoque libentius Deo obsequi debetis, quod nos jam non per minas et ænas, sed per promissiones allicit, imo sibi per Spiritu Sanctum charitate devincit.

latis, Principibus, facitque sibi subditos, flexiles et obedientes, uti experientia constat, et confitentur ipsi quoque Ethnici principes moderni in Japone et India.

17. GRATIAS AUTEM DEO, QUOD FUISTIS (esse desistis) SERVI PECCATI, OBEDISTIS AUTEM EX CORDE IN EAM FORMAM DOCTRINÆ, IN QUAM TRADITI ESTIS. — Græce εἰς ὃν παρεδόθητε τύπον διδαχῆς. *q. d.* Obedistis doctrinæ Evangelicæ, in quam quasi in typum immissi estis a Deo et Apostolis, ut illi, quasi formæ et typo vos apprimatis et conformetis. Sicuti enim charta typis typographorum impressa in se exprimit typorum litteras, et doctrinam litteris contentam; ita pariter vos vestra obedientia Evangelicæ doctrinæ, quasi formæ, typo et normæ recte vivendi vos apprimentes et conformantes, vita vestra et moribus eamdem exprimitis et repræsentatis.

18. LIBERATI AUTEM A PECCATO, SERVI FACTI ESTIS JUSTITIÆ. Pendet hæc sententia a præcedenti, scilicet, « gratias autem (ago) Deo, quod fuistis servi peccati, » eamque continuat et explet.

19. HUMANUM DICO, PROPTER INFIRMITATEM CARNIS VESTRÆ : SICUT ENIM (*q. d.* humanum enim est ut sicut) EXHIBUISTIS MEMBRA VESTRA SERVIRE IMMUNDITIÆ ET INIQUITATI AD INIQUITATEM, ITA NUNC EXHIBETE MEMBRA VESTRA SERVIRE JUSTITIÆ, IN SANCTIFICATIONEM. — Tertullianus, lib. *De Resur. carn.*, XLVII, legit : « Sicut exhibuistis membra vestra famula immunditiæ et iniquitati, ita et nunc exhibete membra vestra famula justitiæ in sanctificium. »

Tanto remissius exigo humanam, quanto gravius dicendum videbatur.

Sensus est : Ego a vobis, o Romani Christiani, rem exigo humanam, id est æquam, moderatam et facilem (similis phrasis est II *Reg.* VII, 14; et I *Cor.* X, 13), ut scilicet, tantum tantoque conatu obeatis justitiæ « in sanctificationem, » id est, ut in dies magis magisque sanctificemini, quanto olim studuistis « iniquitati ad iniquitatem, » ita scilicet, ut ex una iniquitate rueretis in aliam, fioretisque semper sceleratiores, *q. d.* Majora a vobis, o fideles, possem exigere cum *Baruch.* cap. IV, vers. 28, ubi sic ait : « Sicut fuit sensus vester, ut erraretis a Deo, decies tantum iterum conversentes requiretis eum; » verum ego ex humanitate, non tantum, non amplius, sed par studium, requiro.

Quanto quis sceleratus est vitio.

Pulchre hæc explicat ex S. Augustino S. Anselmus : « Sicut, inquit, ad peccandum vos nullus cogebat timor, sed ipsius libido voluptasque peccati; sic ad juste vivendum non vos supplicii metus urgeat, sed ducat delectatio charitasque justitiæ. Sicut ergo ille iniquissimus est, quem ne pœnæ quidem temporales deterrent ab immundis operibus sordidæ voluptatis; ita justissimus ille est, qui ne pœnarum quidem temporalium timore revocatur a sanctis operibus humanissimæ charitatis. »

Pulchra exhortatio, qua eadem Anselmus et Origenes tantum servire justitiæ, quantum quis servivit iniquitati.

Et Origenes : « Pudorem, inquit, hisce verbis auditoribus incutit Apostolus, ut hoc saltem obsequium impendant justitiæ, quod prius impen-

derunt iniquitati, quasi dicat : Currebant prius pedes vestri ad effundendum, nunc autem ad liberandum sanguinem currant. Protendebantur manus prius ut aliena diriperent, nunc protendantur ut propria largiantur. Circumspiciebant prius oculi alienum ad concupiscendum, nunc circumspiciant pauperes ad miserendum, et unius cujusque membri ministerium, quod exhibuit vitiis, aptet virtutibus, et actum quem exhibuit immunditiæ, ad castitatem nunc sanctitatemque convertat. »

Videtur hanc *justitiam* hic pro omnibus simul virtutibus nominasse ; sicut e contrario *iniquitatem* pro omnibus simul vitiis posuisse. Opponit enim Apostolus a vers. 12 hucusque regnum justitiæ et regnum peccati, sive iniquitatis et injustitiæ. Quare nimis arcte aliqui per *iniquitatem* et *injustitiam* intelligunt adulterium : per *immunditiam*, alias libidines, quæ sine proximi injuria fiunt ; per *sanctitatem* et *justitiam* intelligunt castitatem. Moraliter vide quoque S. Gregorium, lib. XIX *Moral.*, cap. XXV, et Bernardum, *Tractatu de Vita solitaria*. Nimirum multi, ut luxuriæ, luxui, ebrietati serviant, ad omnia patienda fortes sunt : post conversionem ad virtutem vires sibi deesse causantur.

Apostolus de tentationibus post conversionem.

Alii cum Syro sic explicant : « Humanum dico, » id est *legitur hominum more*, ut ad vestrum captum me demittam, utendo nomine servitutis et libertatis in rebus spiritualibus (1).

Alii volunt hæc esse verba, quasi præmollientis, et veniam petentis, quia de rebus inhonestis loquturus erat ; sed primus sensus jam datus est genuinus.

20. CUM ENIM SERVI ESSETIS PECCATI, LIBERI FUISTIS JUSTITIÆ. — « Justitiæ, » id est a justitia ejusque pulcherrimo statu, *q. d.* Cum serviretis peccato, expertes fuistis justitiæ : subtraxistis enim vos dominio justitiæ, et quasi omni lege soluti, in peccata ruistis. Ita Anselmus, quem vide. Dat enim Apostolus hic causam cur sub peccato servierint iniquitati in iniquitatem ; curque fuerint effusi in omnia scelera, quia scilicet omnino expertes erant justitiæ, ac proinde quasi omni freno soluti, currebant ad omnes voluptates vetitas. Rursum opponitur hæc sententia illi, vers. 18, « Liberati a peccato, servi facti estis justitiæ. »

Objicit Beza : Ili peccatores sunt servi peccati, eique mancipati, ergo non habent liberum arbitrium : « Miror, ait, qua fronte Sophistæ sutim audeant tueri liberum arbitrium, liberum sane justitiæ, servum autem peccati. » Insulse, quasi liberum vocetur arbitrium quod peccato servit. Itaque

Respondeo cum S. Bernardo, lib. *De Gratia et Libero arbitr.* : Triplex est libertas, naturæ, gratiæ,

(1) Ita et S. Chrysostomus : *Humanum loquor*, id est, ait, dicam de iis rebus humana concludendi ratione, exemptis desumptis ab iis rebus, quæ in consuetudine positæ sunt.

gloriæ. *Prima* opponitur necessitati naturali, facitque liberum arbitrium ; *tertia* opponitur morti et ærumnis hujus vitæ, facitque beatum ; *secunda* opponitur peccato, facitque justum et sanctum. De ea, non autem de prima aut tertia hic agit Apostolus. Alludit enim ad servos Hebræos septem annis servientes, *Exodi* XXI, 2. Peccatores enim sponte sua et voluntaria obedientia addicunt se peccato, quasi domino, ut hic docet Apostolus : sicuti vice versa, iidem sponte sua addicunt se justitiæ, quasi dominæ, cum gratia Dei adjuti ad justitiæ regnum libere se transferunt.

Hæc justitiæ libertas, ut ait Anselmus, libertas est et dicitur, propter recti facti justitiam, et quia liberaliter operatur : eadem tamen etiam est servitus, propter præcepti obedientiam. Sic servi boni libere et libenter serviunt dominis suis ; adeoque omnes et boni et mali in servitute sua servant liberum arbitrium : quidni ergo idipsum servent homines, sive justitiæ, sive peccato serviant ? Moraliter : Peccatores servi sunt suarum cupiditatum. Vide dicta *Exodi* cap. XXIII, vers. ultim.

22. HABETIS FRUCTUM VESTRUM IN SANCTIFICATIONEM, — continuam scilicet, ut eatis de sanctitate in sanctificationem, ut indies magis magisque sanctificemini. Est hebraismus. « In sanctificationem, » id est ipsam sanctificationem, ejusque continuationem et incrementum, habetis pro fructu justitiæ, quia scilicet justitia facit et parit hunc fructum, ut qui eam habet, pure sancteque vivat, sancta et præclara faciat opera, et continuis virtutum operibus se magis sanctificet, quibus promereatur et aliquando adipiscatur quasi finem et mercedem vitam æternam.

23. STIPENDIA ENIM PECCATI, MORS. GRATIA AUTEM DEI, VITA ÆTERNA IN CHRISTO, — id est, *per Christum*. « Stipendia, » Græce ὀψώνια, quod significat id quod cum pane comeditur, vel quasi ὀψώνιον, pretium quod vesperi datur : quod apte respondet ei quod præcessit, « Finem vero vitam æternam. »

Secundo, ὀψώνιον, ait Nazianzenus, *orat.* 23, quæ inscribitur de suis sermonibus *ad Julianum*, tributorum exactorum, significat τὰ βασιλέων ἀντίσιτα, καὶ τὰς ὑπαρχούσας ἐκ νόμου τοῖς ἐξιοῦσι δωρεάς, id est regium commeatum, et dona quæ ex lege dignitatibus tribuebantur ; et, ut ait Theophylactus, ὀψώνιον significat *cibarium* quod militibus ab imperatore datur. Sic hic peccatum servientibus sibi quasi cibarium, scilicet vile stipendium, dat mortem. Unde passim omnes ὀψώνιον hic vertunt, *stipendium*, sive, ut Syrus, ܐܓܪܐ *tegureta*, id est *merces*, melius sane quam Erasmus, qui vertit *meteorementum*.

GRATIA (id est *gratuitum Dei donum*, est) VITA ÆTERNA. — Tertullianus, lib. *De Resurrect. carnis*, cap. XLVII, legit *donativum Dei vita æterna*. Donativum est donum quod ab imperatore militi donatur.

Nota : Apostolus hic describit duplex regnum, Dei et peccati : in utroque sunt arma membra nostra ; milites et servi illius sunt homines justi, hujus impii ; hujus stipendium est mors, illius vita æterna. Unde *secundo*, apta antithesis ejus quod præcessit : « Stipendia peccati mors, » exigebat ut pari modo diceret : « Stipendium vero justitiæ est vita æterna, » perinde ac alibi eamdem vocat coronam justitiæ ; maluit tamen dicere : « Gratia Dei est vita æterna, » quia hæc epistola contra Judæos et Gentiles operibus legis vel naturæ pro fidentes, necessitatem gratiæ Christi passim inculcat ; et quia dissimilis est hic ratio peccati et justitiæ : peccato enim non gratis, sed quasi stipendium omnino debitum redditur mors et damnatio ; non sic justitiæ meritis redditur vita æterna. Hæc enim merita manant ex gratia, quasi semine et radice : gratia, inquam, indignis collata, unde et ipsa vocari possunt, et reipsa sunt gratia. Ita S. Augustinus, *epist.* 105. Unde idem S. Augustinus primam gratiam, vocat gratiam ; vitam vero æternam, vocat gratiam pro gratia : et « Deus cum coronat nostra merita, quid aliud coronat quam sua dona ? » ait ex S. Augustino Cœlestinus Papa *ad Episcopos Galliæ*, cap. XII, et Concilium Tridentinum, *sess.* VI, cap. XVI.

Peccatum ex natura sua mortem, mortis gratia tantum accessoria.

Merita hominis non sunt condigna præmio vitæ æternæ.

Secundo, vita æterna dicitur *gratia*, quia licet operibus ex gratia factis debeatur vita æterna, tamen, si labor noster nude spectetur, ipsa est gratia, quia non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam : ita Theodoretus. Gratia ergo est vita æterna, quia exiguis operibus, laboribus et passionibus obtinetur. Sicuti si rex pauperem adoptaret in filium, hac lege, si vellet sibi obedire, diceretur eum adoptare ex gratia.

Tertio, vita æterna dicitur *gratia*, quia gratuita sua ordinatione Deus decrevit et præmisit justorum operibus vitam æternam, sine qua promissione vita hæc non esset eis debita. Adde, Apostolum vitam æternam noluisse vocare stipendium, quia Græce est ὀψώνιον, scilicet vile et cibarium stipendium : hoc autem non convenit excellentissimo præmio justitiæ, quod est vita æterna.

Sensus ergo Apostoli est hic : Sicuti peccatum hominem ducit ad mortem, quasi ad finem et stipendium suum ; ita gratia, quæ nos a peccato liberat facitque servos Dei justitiæ et sanctitatis, ducit nos ad vitam æternam, quasi ad finem, terminum et coronam suam : hoc enim est quod paulo ante dixit, quodque hic urget Apostolus : « Habetis, inquit, fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam. » Gratia ergo est vita æterna, non in se, et formaliter ; sed finaliter, quia finem et coronidem habet vitam æternam. Est metonymia.

Vita æterna datur ex gratia.

Errant Pelagiani, Jesuitæ et Remonstrantes.

Hinc contra Eunomium, Begardos et Beguinas, patet homines solo naturæ lumine solisque naturæ viribus non posse videre Deum et beari ; absque enim vita æterna non esset gratia.

Nota : Præmium Beatorum non vocatur deliciæ, non opes, non honores, sed « vita æterna. » *Primo*, quia hæc directe opponitur stipendio et supplicio Adæ et peccatorum, quod est mors æterna ; *secundo*, quia hæc vita includit quasi radix omne bonum : nec enim vita in tormentis, vita dicitur, sed mors potius ; ergo hæc vita vitalis est, et perfecta qua animalis, qua humana, qua angelica, qua divina est. Vivit ibi memoria, recordatione omnium præteritorum. Vivit ibi intellectus, cognitione et visione Dei. Vivit ibi voluntas, fruitione omnis boni. Pari modo vivunt ibi appetitus concupiscibilis, irascibilis, et sensus omnes, suisque fruuntur deliciis. Includit ergo hæc vita omnes delicias, opes, honores, et omnium vitarum, sensuum, potentiarum oblectamenta.

Præmium Beatorum non vocatur deliciæ, non opes, non honores, sed vita æterna.

Ob duas rationes præmium Beatorum vocatur vita æterna.

Secundo, vita hæc non est mille annorum, non mille millionum annorum, sed est æterna. Æterna enim esse debet, ut sit beata. Audi S. Augustinum, lib. LXXXIII *Quæst.*, Quæst. XXXV : « Quid, ait, est aliud beate vivere, nisi æternum aliquid cognoscendo habere ? Æternum est enim de quo solo recte fiditur, quod amanti auferri non potest, etc. Omnium enim rerum præstantissimum est quod æternum est. Et propterea id habere non possumus, nisi ea re qua præstantiores sumus, id est mente. » Et mox : « Et quoniam id quod amatur, affieiat ex se amantem necesse est, fit ut sic amatum quod æternum est, æternitate animum afficiat. Quocirca ea demum vita beata, quæ æterna est. Quid vero æternum est, et quod æternitate animum afficiat, nisi Deus ? » Unde Christus ait, *Joan.* XVII : « Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum. » Quid est æternitas ? est *duratio* semper præsens, est unum perpetuum hodie, quod non transit in præteritum aut futurum. Quid est æternitas ? est ævum ævorum, ait S. Dionysius, cap. X *De Divinis nominibus*, quod non interit, sed eodem modo semper se habet. Quid est æternitas ? est circulus, cujus centrum est semper, circumferentia nunquam, quia nunquam, nullove tempore claudi aut terminari potest. Quid est æternitas ? est stabilis immutabilitas et immortalitas. Quamdiu durabit æternitas ? semper ; post mille annos, post centum millia annorum, post mille milliones annorum, necdum finis, necdum medium, necdum principium æternitatis ; sed ejus mensura est semper : quamdiu durabit semper, tamdiu durabit æternitas. Quamdiu cœlum erit cœlum, quamdiu terra erit terra, quamdiu Deus erit Deus, qui tempus ab ævo ire jubet, stabilisque manens dat cuncta moveri, tamdiu durabit æternitas, tamdiu beati erunt beati, tamdiu damnati erunt damnati : sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Quid est æternitas ? est axis stabilis et immobilis circa quem volvitur rota mundi, temporis et sæculorum omnium. Quid est æternitas ? est inter-

minabilis vitæ tota simul et perfecta possessio, inquit Boetius, lib. V *De Consolatione*, prosa 6 : « O chara veritas, vera æternitas, æterna felicitas, Deus meus ! » ait S. Augustinus. O æternitas, æternitas ! quam longa es æternitas ! quam raro versaris in mentibus hominum ! Si hanc sæpe cogitaremus, quam leve videretur et momentaneum quidquid est tribulationis nostræ, quam nihil esset arduum, quam alacres essemus ad omne bonum ! quam bene expenderemus momentum hoc, unde pendet æternitas nostra ! Merito Regius Propheta : « Cogitavi, inquit, dies antiquos, et annos æternos in mente habui. » Nam « durum, quod cruciat, æternum : felix, quæ beat, æternitas. A morte pendent : mors a vita : hæc a momento ; elige. Vixisse semel, periisse semel, æternum est. »

Locus mirabilis pro considerazione æternitatis.

Æterna vitæ admiranda felicitas.

Hanc æternam vitam, et hujus vitæ bona ac felicitatem pulchre describit S. Augustinus, lib. XXII *De Civit.*, cap. XXX : « Quanta, inquit, erit illic felicitas, ubi nullum erit malum, nullum latebit bonum, vacabitur Dei laudibus, qui erit omnia in omnibus ! Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Omnia membra et viscera incorruptibilis corporis proficient in laudibus Dei. Vera ibi gloria erit, ubi laudantis nec errore quisquam, nec adulatione laudabitur. Verus honor, qui nulli negabitur digno, nulli deferetur indigno, sed nec eum ambiet ullus indignus, ubi nullus permittetur esse nisi dignus. » Mox præmium Beatorum essentiale describit : « Præmium virtutis erit ipse qui virtutem dedit, et qui seipsum, quo melius et majus nihil possit esse, promisit. Quid est enim aliud quod per prophetam dixit : Ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi plebs : ego ero quæcumque ab omnibus honeste desiderantur, et vita, et salus, et victus, et copia, et gloria, et honor, et pax, et omnia bona ? Sic enim et illud recte intelligitur : Erit Deus omnia in omnibus ; ipse finis erit desideriorum nostrorum. Atque id etiam beata civitas illa magnum in se bonum videbit, quod nulli superiori ullus inferior invidebit, sicut in corpore non vult oculus esse, qui est digitus, cum membrum utrumque contineat totius carnis pacata compago. » Deinde inferius : « Quantum, inquit, attinet ad scientiam rationalem, erit anima mémor præteritorum malorum suorum : quantum autem ad experientis sensum, prorsus immemor : carebunt enim præteritis malis, ita ut penitus deleantur de sensibus eorum. Ibi perficietur : Vacate et videte, quoniam ego sum Deus. Ibi vacantes in sabbato requiei videbimus, quoniam suavis est Dominus, quoniam ipse est Deus, quo plені erimus, quando ipse erit omnia in omnibus. »

Scientia rationalis qualis in vita beata ?

Audi et auctorem libri *De Spiritu et anima*, tom. III operum S. Augustini, cap. LX, hanc vitam compellantem : « Non est in te corruptela, nec defectus, nec senectus, nec ira ; sed pax perennis, gloria solemnis, lætitia sempiterna, solemnitas continua. Vere tantum gaudium et exultatio, flos et decus juventutis, et perfectæ salutis. Non est in te heri, nec hesternum, sed est idem hodiernum. Tibi salus, tibi vita, tibi pax est infinita, tibi Deus omnia. Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei ; sicut enim lætantium omnium habitatio est in te. Nullus in te timor, tristitia nulla : desiderium omne transit in gaudium, dum præsto est quidquid optatur, et quidquid desideratur, abundat. » Et infra : « Ipsi vero qui redempti fuerint a Domino, quam devote confitebuntur, et dicent : Quam bonus Israel Deus ! quoniam in sæculum misericordia ejus. Lætitia siquidem sempiterna erit in eis, et exaltationes Dei in gutture eorum in æternum, et in sæculum sæculi, in perpetuas æternitates. Beati omnes, qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen : cum videbimus te in te, et nos in te, et te in nobis visione continua et felicitate perpetua. »

Gaudia vitæ æternæ.

Modus Beatorum.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Quod cap. præcedenti dixerat, nos non esse sub peccato, ex eo quod non simus sub lege, sed sub gratia, fusius hic probat exemplo uxoris, quæ solvitur a lege viri, si is moriatur. Pari enim modo legem nobis, et nos legi mortuos esse docet.

Inde, vers. 7, docet quod lex, licet in se sancta sit, per occasionem tamen, nimirum indicando et vetando peccatum, magis illud in homine prono in vitia auxerit.

Tertio, hac occasione, vers. 14, transit ad concupiscentiam, quæ ex peccato et lege est reliqua, docetque viros etiam justos, licet invitos, eamdem pati, et contra eam assidue luctari.

1. An ignoratis, fratres (scientibus enim legem loquor), quia lex in homine dominatur, quanto tempore vivit ? 2. Nam quæ sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi : si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri. 3. Igitur, vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro : si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri : ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro. 4. Itaque, fratres mei, et vos mortificati estis legi per corpus Christi : ut sitis alterius, qui ex mortuis resurrexit, ut fructificemus Deo. 5. Cum enim essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti. 6. Nunc autem soluti sumus a lege mortis, in qua detinebamur, ita ut serviamus in novitate spiritus, et non in vetustate litteræ. 7. Quid ergo dicemus ? lex peccatum est ? Absit. Sed peccatum non cognovi, nisi per legem : nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret : Non concupisces. 8. Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat. 9. Ego autem vivebam sine lege aliquando. Sed cum venisset mandatum, peccatum revixit. 10. Ego autem mortuus sum : et inventum est mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem. 11. Nam peccatum occasione accepta per mandatum, seduxit me, et per illud occidit. 12. Itaque lex quidem sancta, et mandatum sanctum, et justum, et bonum. 13. Quod ergo bonum est, mihi factum est mors ? Absit. Sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem : ut fiat supra modum peccans peccatum per mandatum. 14. Scimus enim quia lex spiritualis est : ego autem carnalis sum, venumdatus sub peccato. 15. Quod enim operor, non intelligo, non enim quod volo bonum, hoc ago : sed quod odi malum, illud facio. 16. Si autem quod nolo, illud facio ; consentio legi, quoniam bona est. 17. Nunc autem jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. 18. Scio enim quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum. Nam velle adjacet mihi : perficere autem bonum non invenio. 19. Non enim quod volo bonum, hoc facio : sed quod nolo malum, hoc ago. 20. Si autem quod nolo, illud facio : jam non ego operor illud, sed quod habitat in me, peccatum. 21. Invenio igitur legem, volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adjacet. 22. Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem : 23. video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. 24. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus ? 25. Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Igitur ego ipse mente servio legi Dei ; carne autem, legi peccati.

Hoc capite identidem dicit urgetque Apostolus, quod nos, Christiani, non simus sub lege, quod S. Chrysostomus intelligit de lege cæremoniali : « Quia, inquit Chrysostomus, non sumus sub

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

minabilis vitæ tota simul et perfecta possessio, inquit Boetius, lib. V *De Consolatione*, prosa 6 : « O chara veritas, vera æternitas, æterna felicitas, Deus meus ! » ait S. Augustinus. O æternitas, æternitas ! quam longa es æternitas ! quam raro versaris in mentibus hominum ! Si hanc sæpe cogitaremus, quam leve videretur et momentaneum quidquid est tribulationis nostræ, quam nihil esset arduum, quam alacres essemus ad omne bonum ! quam bene expenderemus momentum hoc, unde pendet æternitas nostra ! Merito Regius Propheta : « Cogitavi, inquit, dies antiquos, et annos æternos in mente habui. » Nam « durum, quod cruciat, æternum : felix, quæ beat, æternitas. A morte pendent : mors a vita : hæc a momento ; elige. Vixisse semel, periisse semel, æternum est. »

Locus mirabilis pro considerazione æternitatis.

Æterna vitæ admiranda felicitas.

Hanc æternam vitam, et hujus vitæ bona ac felicitatem pulchre describit S. Augustinus, lib. XXII *De Civit.*, cap. XXX : « Quanta, inquit, erit illic felicitas, ubi nullum erit malum, nullum latebit bonum, vacabitur Dei laudibus, qui erit omnia in omnibus ! Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Omnia membra et viscera incorruptibilis corporis proficient in laudibus Dei. Vera ibi gloria erit, ubi laudantis nec errore quisquam, nec adulatione laudabitur. Verus honor, qui nulli negabitur digno, nulli deferetur indigno, sed nec eum ambiet ullus indignus, ubi nullus permittetur esse nisi dignus. » Mox præmium Beatorum essentiale describit : « Præmium virtutis erit ipse qui virtutem dedit, et qui seipsum, quo melius et majus nihil possit esse, promisit. Quid est enim aliud quod per prophetam dixit : Ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi plebs : ego ero quæcumque ab omnibus honeste desiderantur, et vita, et salus, et victus, et copia, et gloria, et honor, et pax, et omnia bona ? Sic enim et illud recte intelligitur : Erit Deus omnia in omnibus ; ipse finis erit desideriorum nostrorum. Atque id etiam beata civitas illa magnum in se bonum videbit, quod nulli superiori ullus inferior invidebit, sicut in corpore non vult oculus esse, qui est digitus, cum membrum utrumque contineat totius carnis pacata compago. » Deinde inferius : « Quantum, inquit, attinet ad scientiam rationalem, erit anima mémor præteritorum malorum suorum : quantum autem ad experientis sensum, prorsus immemor : carebunt enim præteritis malis, ita ut penitus deleantur de sensibus eorum. Ibi perficietur : Vacate et videte, quoniam ego sum Deus. Ibi vacantes in sabbato requiei videbimus, quoniam suavis est Dominus, quoniam ipse est Deus, quo plені erimus, quando ipse erit omnia in omnibus. »

Scientia rationalis qualis in vita beata ?

Audi et auctorem libri *De Spiritu et anima*, tom. III operum S. Augustini, cap. LX, hanc vitam compellantem : « Non est in te corruptela, nec defectus, nec senectus, nec ira ; sed pax perennis, gloria solemnis, lætitia sempiterna, solemnitas continua. Vere tantum gaudium et exultatio, flos et decus juventutis, et perfectæ salutis. Non est in te heri, nec hesternum, sed est idem hodiernum. Tibi salus, tibi vita, tibi pax est infinita, tibi Deus omnia. Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei ; sicut enim lætantium omnium habitatio est in te. Nullus in te timor, tristitia nulla : desiderium omne transit in gaudium, dum præsto est quidquid optatur, et quidquid desideratur, abundat. » Et infra : « Ipsi vero qui redempti fuerint a Domino, quam devote confitebuntur, et dicent : Quam bonus Israel Deus ! quoniam in sæculum misericordia ejus. Lætitia siquidem sempiterna erit in eis, et exaltationes Dei in gutture eorum in æternum, et in sæculum sæculi, in perpetuas æternitates. Beati omnes, qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen : cum videbimus te in te, et nos in te, et te in nobis visione continua et felicitate perpetua. »

Gaudia vitæ æternæ.

Modus Beatorum.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Quod cap. præcedenti dixerat, nos non esse sub peccato, ex eo quod non simus sub lege, sed sub gratia, fusius hic probat exemplo uxoris, quæ solvitur a lege viri, si is moriatur. Pari enim modo legem nobis, et nos legi mortuos esse docet.

Inde, vers. 7, docet quod lex, licet in se sancta sit, per occasionem tamen, nimirum indicando et vetando peccatum, magis illud in homine prono in vitia auxerit.

Tertio, hac occasione, vers. 14, transit ad concupiscentiam, quæ ex peccato et lege est reliqua, docetque viros etiam justos, licet invitos, eamdem pati, et contra eam assidue luctari.

1. An ignoratis, fratres (scientibus enim legem loquor), quia lex in homine dominatur, quanto tempore vivit ? 2. Nam quæ sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi : si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri. 3. Igitur, vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro : si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri : ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro. 4. Itaque, fratres mei, et vos mortificati estis legi per corpus Christi : ut sitis alterius, qui ex mortuis resurrexit, ut fructificemus Deo. 5. Cum enim essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti. 6. Nunc autem soluti sumus a lege mortis, in qua detinebamur, ita ut serviamus in novitate spiritus, et non in vetustate litteræ. 7. Quid ergo dicemus ? lex peccatum est ? Absit. Sed peccatum non cognovi, nisi per legem : nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret : Non concupisces. 8. Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat. 9. Ego autem vivebam sine lege aliquando. Sed cum venisset mandatum, peccatum revixit. 10. Ego autem mortuus sum : et inventum est mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem. 11. Nam peccatum occasione accepta per mandatum, seduxit me, et per illud occidit. 12. Itaque lex quidem sancta, et mandatum sanctum, et justum, et bonum. 13. Quod ergo bonum est, mihi factum est mors ? Absit. Sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem : ut fiat supra modum peccans peccatum per mandatum. 14. Scimus enim quia lex spiritualis est : ego autem carnalis sum, venumdatus sub peccato. 15. Quod enim operor, non intelligo, non enim quod volo bonum, hoc ago : sed quod odi malum, illud facio. 16. Si autem quod nolo, illud facio ; consentio legi, quoniam bona est. 17. Nunc autem jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. 18. Scio enim quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum. Nam velle adjacet mihi : perficere autem bonum non invenio. 19. Non enim quod volo bonum, hoc facio : sed quod nolo malum, hoc ago. 20. Si autem quod nolo, illud facio : jam non ego operor illud, sed quod habitat in me, peccatum. 21. Invenio igitur legem, volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adjacet. 22. Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem : 23. video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. 24. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus ? 25. Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. Igitur ego ipse mente servio legi Dei ; carne autem, legi peccati.

Hoc capite identidem dicit urgetque Apostolus, quod nos, Christiani, non simus sub lege, quod S. Chrysostomus intelligit de lege cæremoniali : « Quia, inquit Chrysostomus, non sumus sub

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ceremoniis legis, ideo non sumus sub lege. » Sed hæc expositio non est ad mentem Apostoli hoc loco : nam, ut patet vers. 7 et seq., loquitur Apostolus etiam de lege naturali et decalogo. Unde nota, aliud est lege teneri, aliud esse sub lege. Nam lege veteri morali, id est decalogo, tenemur, sed non sumus sub illa, id est sub ejus statu et dominio, quod est hominem obligare, nec tamen dare gratiam ad eam implendam, ut quasi servus ea teneatur, et captivus possideatur, et tanquam reus ab ea damnetur. Ab hoc enim legis statu nos gratia Christi liberat, quæ charitatis dat spiritum, ut quæ lex jubet, faciamus sponte, libenter, amore virtutis, non timore pœnæ.

Christiani non sunt sub lege veteri, id est pœnis ejus tenentur.

Vers. 1. Dominatus legis qualis?

1. AN IGNORATIS QUIA LEX IN HOMINE DOMINATUR, QUANTO TEMPORE VIVIT? — « Dominatur » jubendo, terrendo, reum faciendo, accusando, condemnando : hic enim est dominatus legis. » Quanto tempore vivit, » scilicet ipsa lex, inquit Origenes et Ambrosius. *Secundo*, « quanto tempore vivit, » scilicet ipse homo : ita S. Chrysostomus, Theodoretus, S. Augustinus, lib. LXXXIII *Quæstionum*, *Quæst.* LXVI; S. Thomas, Theophylactus et Œcumenius. Sed eodem uterque hic sensus redit. Toletus hæc arctat ex sequentibus ad legem matrimonii : sed nihil est quod cogat generalem Apostoli sententiam arctare ad unam matrimonii legem : quod enim de ea subjicit Apostolus, non per modum plenæ et adæquatæ explicationis, sed per modum exempli subjicit.

Vers. 2. Exemplum obligationis legis in proprio conjugio.

2. NAM QUÆ SUB VIRO EST MULIER, VIVENTE VIRO, ALLIGATA EST LEGI. — Ex unica lege matrimonii apposite, ut statim ostendam, probat Apostolus ea quæ in genere de lege dixerat. Nota *primo* : pro *quæ sub viro est*, græce est unica vox, ὑπάνδρος, *q. d. Subnixa*. Nota *secundo*, « alligata est legi, » scilicet matrimoniali præcipienti fidem et obedientiam marito. S. Ambrosius legit : « vivente viro, alligata est legi; » alii vertunt, « viventi viro alligata est lege. » Ita Græca, Syrus et Erasmus. Tertullianus, lib. *De Monogamia*, cap. XIII, legit : « viventi viro vincta est. » Sed eodem hæc omnia redeunt : nam uxor hoc ipso, quo legi matrimoniali, etiam marito, quamdiu is vivit, alligata est.

Sensus allegoricus inclusus.

Apostolus hoc capite pulchra utitur metaphora vel potius allegoria : nimirum peccatum, mors et lex, quæ occasionaliter peccatum et mortem fovet, est maritus; anima nostra est uxor; proles sunt opera mala; hoc marito mortuo, transiit anima ad secundum maritum, nupsitque Deo, et peperit proles bonorum operum. Ita S. Augustinus, *Quæst.* LXVI jam citata, et lib. XV *Contra Faustum*, cap. VIII. Idem docet Theophylactus, hancque esse mentem et phrasim Apostoli, patet ex vers. 4 et seq.

Lex matrimonii legalis

SI MORTUUS FUERIT VIR EJUS, SOLUTA EST A LEGE VIRI, — scilicet a lege matrimonii, qua sub viri potestate mulier tenebatur. Græce est ἀπὸ τοῦ νόμου τοῦ ἀνδρός : quod potest etiam verti *a lege viro*, quia lex matrimonialis est quasi legalis uxoris maritus, sicut vicissim maritus uxori est quasi lex viva.

Maritus uxori.

Vers. 4. Tripus hujus loci sensus.

4. ITAQUE, FRATRES MEI, ET VOS MORTIFICATI ESTIS LEGI PER CORPUS CHRISTI. — VOX *itaque* significat hanc esse conclusionem, quam Apostolus deducit ex exemplo uxoris jam allato. Hæc enim est argumentatio Apostoli : Uxor, marito mortuo, soluta est vinculo et lege mariti; atqui lex, quæ erat quasi maritus noster, jam mortua est, et esse desiit per Christum : ergo nos pariter lege liberati et soluti sumus, nec sub lege, sed sub gratia degimus.

Nota : cum ait Apostolus : « Vos mortificati estis, » est hypallage, *q. d.* Lex quæ erat quasi maritus vester, jam per Christum mortificata et mortua est, quia scilicet in vobis mortuum est et esse desiit legis illud imperium, quo lex minatur, accusat, terret, damnat et punit, de quo dixi vers. 1. Hæc enim de causa lex homines vitiosos pejores facit, quia dat eis occasionem prævaricationis et contemptus; contrarium facit gratia, contra quam hic legem distinguit Apostolus.

Sensus D. Augustini.

Hinc *secundo*, lex, id est legis reatus et prævaricatio, quam lex per litteram, cui gratia defuit, faciebat occasionaliter et objective, mortua est, ait S. Augustinus, lib. XV *Contra Faust.*, cap. VIII. Verum Apostolus prudenter et caute, ne Judæos offendat, si dicat legem esse mortuam, et ut ab utroque conjuge mortuo (per Christum enim sicuti lex nobis, ita nos legi mortui sumus) dissolutum ostendat matrimonium; hac de causa non dicit : Lex mortua est; sed dicit : Vos quasi uxores mortificati mortuique estis, et soluti lege, quasi marito jam mortuo, quia Christo jam vivitis et ei in Evangelica gratia servitis : ita Chrysostomus, Œcumenius, Ambrosius, Anselmus.

Aliter Toletus : Homo, inquit, quoad naturam est uxor, hujus maritus fuit homo vetus, cujus lex erat lex vetus : hoc mortuo, successit alter hujus uxori maritus, scilicet homo novus, cujus lex est lex fidei et Christi. Sed hoc est obscurius et alienius : nam Apostolus uxoris hujus maritum facit non hominem novum aut veterem, sed ipsam legem.

Nota : cum Apostolus dicit : « Nos mortuos esse legi per corpus Christi, » intellige immolatum in cruce, per corporalem Christi passionem et mortem. Per hanc enim mortua est lex vetus nobis, et nos legi.

Lex non dominatur amplius nobis.

Alii : « per corpus Christi, » inquiunt, id est quia incorporati estis Christo per baptismum. Verum prior sensus planior est et simplicior. Hic est ergo discursus Apostoli : Lex non dominatur homini, nisi quasi vivens viventi; atqui vos non vivitis, sed estis mortui legi, et lex vobis per Christi crucem et mortem mortua est : ergo non estis sub lege, id est sub dominatu legis.

Christiani et autem mortui sunt ei (Christo), ergo lex eis non dominatur.

UT SITIS ALTERIUS, QUI EX MORTUIS RESURREXIT. — Hic clare patet, Apostolum, uti dixi, distinguere duo matrimonia unius hominis et animæ quasi uxoris. Prius cum veteri homine, ut vult Toletus, vel potius cum lege dominante veteri homini. Hic prior hominis maritus (puta lex) mortuus est et mortificatus in passione corporis Christi. Unde idem homo et anima secundum matrimonium iniit cum homine novo, id est cum Christo resurgente, quia illi per baptismum incorporatus, et cum eo quasi factus est una caro. Ex hoc matrimonio novas proles concepit : unde sequitur :

Primum matrimonium inter hominem et animam.

UT FRUCTIFICEMUS DEO, — id est, ut vivas proles ex hoc cum Christo matrimonio pariamus Deo, scilicet opera fidei, spei, charitatis et aliarum virtutum : quæ ex semine, id est gratia Christi et Dei concepimus, ut illa Christo et Deo quasi eorum parenti offaramus.

5. CUM ESSEMUS IN CARNE, — cum scilicet carnalibus desideriis astricti teneremur, inquit Anselmus.

PASSIONES PECCATORUM, — id est passiones incitantes ad peccata, puta affectus vitiosi.

QUÆ PER LEGEM ERANT, — id est quæ acuebantur et excitabantur occasione legis.

OPERABANTUR IN MEMBRIS NOSTRIS, UT FRUCTIFICARENT MORTI, — ut scilicet fructus peccatorum parerent, qui nos ducerent ad mortem æternam.

6. NUNC AUTEM (per Christi crucem et mortem) SOLUTI SUMUS A LEGE (quæ erat occasio peccati, et consequenter) MORTIS, IN QUA DETINEBAMUR. — « Soluti sumus, » græce κατηργήθημεν, id est *enervati sumus* : quod opponit Apostolus τῷ ἐνηργῆσθαι, id est intimæ et efficacissimæ operationi passionum, vers. præced. Est hypallage, « enervati sumus, » id est *enervata in nobis est lex*, quia lex vires et nervos suos, scilicet dominium et jus quasi maritale, quod in nos habebat, amisit. Simili modo *Galat.* v, 4, dicit : « Evacuati estis a Christo, » id est Christus Christique redemptio vobis facta est per judaismum vacua, cassa et inutilis.

Nota : pro *mortis*, noster interpres in Græco legit θανάτου; jam legunt ἀποθνήσκοντι, id est *mortui sumus*, scilicet legi, in qua detinebamur. Alii legunt ἀποθανόντες, scilicet νόμῳ, id est *mortua lege*, in qua detinebamur.

ITA UT SERVIAMUS (Deo et Christo) IN NOVITATE SPIRITUS, ET NON IN VETUSTATE LITTERÆ, — non in veteri vivendi genere, animali et carnali, cujus magistra est legis littera, non gratia. Ita Anselmus. Lex enim homini vetustatem suam indicabat quidem et vetabat, sed adeo non auferebat, ut per occasionem etiam eamdem auxerit : magis enim refricabat, irritabat et incitabat veteres concupiscentiæ affectus.

Lex vetustatem vetabat, non autem vetabat.

Vers. 7. Refutatur Lutheri et Calvini error diversimode detorti.

7. QUID ERGO DICEMUS? LEX PECCATUM EST? ABSIT. — Crebras hic Apostolus interjicit occupationes, lisque gaudet. Talis est hic : poterat enim quis ex eo quod Paulus, vers. 5 et 6, legem vocaverat legem mortis, dixeratque passiones peccatorum per legem esse et excitari, objicere : Ergo lex ipsa est peccatum. Quod enim est causa peccati et mortis, hoc peccatum est. Respondet Apostolus : « Absit. » Non enim lex in se peccatum est (1).

Præveniebat concupiscentiam peccato originali reliquam, id est motus appetitus sensitivi et voluntatis inordinatos, qui præveniunt rationem et liberum voluntatis assensum, hic prohiberi. « Mandatur, ait Calvinus in cap. XX *Exod.*, præcepto, *Non concupisces*, ne quis impurus appetitus animos nostros incitet. Hinc perspicitur quibus præstigiis fascinarit Satan scholas omnes Papales, in quibus personat axioma istud, concupiscentiam in baptizatis non esse peccatum, quia stimulus est ad virtutem. » Et in cap. VI *Levit.* : « Quamvis, inquit, neque adulteri, neque fures, neque homicidæ simus; nemo tamen est quem non reatu constringat ultimum legis præceptum, Non concupisces. »

SED PECCATUM NON COGNOVI, NISI PER LEGEM : NAM CONCUPISCENTIAM NESCIEBAM (esse peccatum), NISI LEX DICERET : NON CONCUPISCES. — Nota : Concupiscentia in Decalogo vetatur speciali præcepto, scilicet nono et decimo, ex eo quod plerique existimarent sexto præcepto : *Non mœchaberis*; et septimo : *Non facies furtum*, vetari tantum actum externum, internum autem non esse vetitum aut cavendum. Quin et post datam legem Josephus, lib. XII *Antiq.*, cap. XIII, et Judæi alii, quos corrigit Christus, *Matth.* v, 12 et 28, idem putasse videntur : unde præceptum, « Non concupisces, » sic explicabant, quod illo non vetaretur concupiscentia mere interna, sed tantum conatus et machinatio exterior ad eam explendam, et ad faciuus opusque perpetrandum. Verum hic conatus et hæc machinatio, et inchoatio est et pars quædam operis; unde eodem præcepto vetatur, quo ipsum opus, puta sexto et septimo.

Actus interior peccati supra actum externum sæpe volitum.

Adde, ut demus illa seorsim vetari præcepto nono et decimo, nihilominus certum et clarum est illa non tam vetari ideo, quod exterius se prodant, quam quia a mala voluntate prodeunt. Voluntas enim in se mala et vetita, virus malitiæ suæ actui externo instillat, eamque propria hæc verba significant et prohibent, cum dicitur : « Non concupisces. » Unde colligas omnem alium voluntatis motum præceptis aliis adversantem, iisdem pariter vetari. Si enim hic concupiscentia, ad quam naturaliter maxime proclives sumus, tanquam mala et illicita vetatur, ergo multo magis actus voluntatis, quo volumus id quod lege vetitum est, ipsa lege vetatur.

Voluntas interior mala prohibetur hoc præcepto, *Non concupisces*.

Hæretici, Lutherus et Calvinus in alio sunt extremo. Putant enim concupiscentiam peccato originali reliquam, id est motus appetitus sensitivi et voluntatis inordinatos, qui præveniunt rationem et liberum voluntatis assensum, hic prohiberi. « Mandatur, ait Calvinus in cap. XX *Exod.*, præcepto, *Non concupisces*, ne quis impurus appetitus animos nostros incitet. Hinc perspicitur quibus præstigiis fascinarit Satan scholas omnes Papales, in quibus personat axioma istud, concupiscentiam in baptizatis non esse peccatum, quia stimulus est ad virtutem. » Et in cap. VI *Levit.* : « Quamvis, inquit, neque adulteri, neque fures, neque homicidæ simus; nemo tamen est quem non reatu constringat ultimum legis præceptum, Non concupisces. »

Refutatur Lutheri et Calvini error diversimode detorti.

Præveniebat concupiscentiam peccato originali reliquam, id est motus appetitus sensitivi et voluntatis inordinatos, qui præveniunt rationem et liberum voluntatis assensum, hic prohiberi. « Mandatur, ait Calvinus in cap. XX *Exod.*, præcepto, *Non concupisces*, ne quis impurus appetitus animos nostros incitet. Hinc perspicitur quibus præstigiis fascinarit Satan scholas omnes Papales, in quibus personat axioma istud, concupiscentiam in baptizatis non esse peccatum, quia stimulus est ad virtutem. » Et in cap. VI *Levit.* : « Quamvis, inquit, neque adulteri, neque fures, neque homicidæ simus; nemo tamen est quem non reatu constringat ultimum legis præceptum, Non concupisces. »

Verum hæc esse falsa, et præcepto *Non concupisces* vetari, non deliberatam et involuntariam, sed tantum voluntariam et liberam concupiscentiam, sive consensum voluntatis in illicita, patet

Primum argumentum ex Hebræo contra

(1) Nec peccati magistra, sed arguit tantum homines et convincit malefactorem, quod ostendit Paulus vers. 7-12.

primo, quia pro *non concupisces*, in Hebræo est verbum חמד *chamad*, quod non significat concupiscere, vel habere concupiscentiam, quæ naturæ nostræ vitium est; sed nude significat tantum appetere et desiderare; unde et rebus cœlestibus tribuitur. Concupiscentia autem, quæ naturæ vitium est et morbus, proprie significatur nomine תשוקה *teseuka*, et nomine בצע *betsa*. Cum ergo dicitur: *Non concupisces*, significatur, ut patet ex Hebræo *chamad*, et prohibetur tantum libera voluntatis appetentia ad sibi vendicandum rem alienam vel illicitam.

Secundo, idipsum patet ex eo quod præceptum hoc, uti et cætera, non detur brutis, non pueris, sed creaturæ rationali, ratione et libera voluntate utenti, quæ sola legis est capax, solaque potest legem implere vel transgredi. Hi autem motus concupiscentiæ rationem et libertatem prævenient, nec magis sunt humani actus, aut in potestate, ratione et arbitrio hominis, quam iidem sint in potestate equi, canis, leonis, alteriusve bruti. Sicut ergo leoni imperari nequit, ne irascatur; cani, ne ringat; equo, ne adhinniat; sic nec homini imperari potest, ne primos similes concupiscentiæ motus sentiat, et qui eos puniret, tyrannus esset. « Peccatum enim (inquit S. Augustinus, lib. I *Retr.*, cap. XV, estque hic communis hominum et naturæ sensus) ita in sua essentia includit voluntarium, ut, si hoc desit, desinat esse peccatum. » Unde Apostolus, vers. 17 et seq.: « Jam, inquit, non ego operor illud, » *q. d.* Ts *concupiscere* non est actus meus, quia non est humanus et liber: unde mihi imputari, vitio verti, aut puniri non potest: sed potius quia, ut idem ait vers. 10, 22, 25, « condelector, consentio, mente servio legi; » hinc hic motus actus, utpote mentis rationalis et liberæ, censeri debet, quod scilicet mente detestando motus concupiscentiæ legi contrarios, legi ipsi adhærem et obediam.

Tertio, id patet ex eo quod Paulus, cap. præced., vers. 12, et S. Scriptura alibi ita se explicet: ut *Eccli.*, XVIII, 30: « Post concupiscentias tuas non eas; » et S. Jacobus, cap. I, vers. 15, concupiscentiam et tentationem non peccatum esse, sed peccatum parere, si videlicet pater peccati, consensus voluntatis, accedat, diserte asserit.

Quarto, ita hoc præceptum explicant omnes Patres. Vide Chrysostomum, homil. 12 *in Matth.*; Cyrillum, lib. III *Contra Julian.*, sub medium; Basilium, *De Constit. monast.*, cap. II; Nyssenum, lib. *De Octo Beatitud.*; Ambrosium, lib. I *Offic.*, cap. XXI; Hieronymum, *ad Eustoch., de custod. virg.*; Prosperum, lib. II *De Vita contemplat.*, cap. III, et lib. III, cap. IV; Gregorium, lib. XXI *Moral.*, cap. III; Augustinum, lib. I *Contra duas epist. Pelag.*, cap. X et XIII, et lib. VI *Contra Julian.*, cap. XI, et lib. II *De Peccat. meritis*, cap. IV, XXXIII et XXXIV: ita denique explicat et definit Concilium Tridentinum, *sess.* V.

Dices: Augustinus, epist. 200 *ad Asellicum*, dicit hoc præceptum, « Non concupisces, » in hac vita non impleri, sed in ea nos tantum tendere et contendere ad locum, in quo illud compleamus, puta ad cœlum. Idem docet lib. I *De Nuptiis et Concup.*, cap. XXIII et XXIX, et lib. *De Spiritu et Litt.*, cap. ultim.

Respondeo: D. Augustinus in explicatione hujus præcepti jungit sensum litteralem et anagogicum: litterali enim sensu hic præcipitur, ut concupiscentias et desideria prava non sequamur, sed iis resistamus, eaque sensim omnino evellere et eradicare conemur, eoque conari possumus et debemus in hac vita; anagogico vero sensu præcipitur, ut nulla omnino in nobis talia desideria sint: quo modo hoc præceptum, uti et omnis alia anagoge Scripturæ, non ad præsentem vitam, sed ad futuram in cœlo pertinet. Sic ergo hoc non præcipitur hic, ut in hac vita impleatur; sed præsentis luctæ erit merces, fietque tunc cum Deus mandabit virtuti suæ, et omni ex parte præcipitabit peccatum et mortem in infernum. Vult ergo dicere S. Augustinus præcepto, *Non concupisces*, nobis præcipi, ut per virilem et constantem in hac vita luctam contra concupiscentiam, eo tendamus et connitamur, ut scilicet mereamur omnino ab ea liberari in cœlo, utque ibi plenissime impleatur in nobis illud *non concupisces*: ut scilicet nec consentiamus, nec sentiamus motus concupiscentiæ. Simili modo explicat S. Augustinus præceptum dilectionis Dei, lib. *De Spiritu et Litt.*, cap. ultim.

8. Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. — Quæres, quidnam his vocetur et sit *peccatum*? Respondet *primo*, Œcumenius, Ambrosius et Methodius apud Epiphanium, *hæresi* 64, peccatum hic esse diabolum.

Secundo, S. Chrysostomus vult esse socordiam: socors enim ex lege accipit occasionem augendi concupiscentiam.

Tertio, Anselmus putat *peccatum* hic esse concupiscentiam, sive peccati fomitem: hic enim quasi sopitus et canis dormiens, occasione legis sibi adverse excitatus et irritatus, exarsit in omnis generis pravos motus, iræ scilicet, superbiæ, gulæ et cæterorum vitiorum (1).

Quarto, Hieronymus, *ad Algasiam*, Quæst. VIII, censet *peccatum* hic esse legis objectum, seu id quod lege prohibetur.

Quinto et optime, Toletus proprie hic accipi *peccatum*. Sic enim paulo ante illud accepit Apostolus, et sensus est, *q. d.* Homo in statu peccati peccatum ipsum occasione legis auxit. Peccatum enim nisi deleatur, in nova peccata hominem per

(1) Recte, ut videtur. Notum est illud Ovidii, *Amor.* II, XIX, 3:

Quod licet, ingratum est; quod non licet, acrius urit.

Et ibid. III, IV, 17:

Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata.

trahit, quia vires gratiæ et bonorum habituum, quibus peccato resistimus, homini vel adimit, vel imminuit, et sui delectationem animo ingerit, idque magis data lege, per quam peccatum, quasi canis dormiens, ut dixi, excitatus exarsit in omnem concupiscentiam: ideoque lex peccati et mortis causa, vel potius occasio fuit: quod docere et probare hic intendit Apostolus.

Sine lege enim peccatum mortuum erat. — *Primo*, Theodoretus et Cajetanus sic explicant, *q. d.* Paulus: Ante legem, puta in statu innocentiæ, « peccatum mortuum erat, » id est *non erat*. Sed quid hoc facit ad rem et rhombum?

Secundo, Ambrosius: « Peccatum, » inquit, id est *diabolus* mortuus erat; quia quasi dormiens, utpote securus de homine peccatore quem possidebat, parum curabat eum ulterius sollicitare et trahere ad peccatum: sed hoc longe remotius est.

Tertio et optime, « sine lege peccatum mortuum, » id est *sopitum erat*: per legem enim excitatum revixit, ut dixi vers. præced.

9. Ego autem vivebam sine lege aliquando. — *q. d.* Ego aliquando legem non cognoscebam, quando nimirum nondum poteram habere usum rationis, et tamen motus concupiscentiæ sentiebam, qui tamen defectu rationis peccata non erant. Ita S. Augustinus, lib. VI *Contra Julian.*, cap. XI, et S. Hieronymus *ad Algas.*, Quæst. VIII. Vel potius, « ego vivebam sine lege, » nimirum tunc, cum adolescere K:perem et peccare, nec tamen legem Mosis edoctus essem: tunc enim vivebam quasi exlex, ac consequenter peccatum non curabam, non agnoscebam, non æstimabam; hinc ad illud non multum incitabar.

Secundo, S. Chrysostomus, Œcumenius, Toletus hic, et S. Augustinus, lib. I *Contra duas epist. Pelagian.*, cap. IX; S. Ambrosius, lib I *De Jacob et vita beata*, censent Apostolum loqui in persona eorum, qui ante Mosen et legem vixerunt. Sed prior sensus planior est, et aptior verbis Apostoli.

10. Sed cum venisset mandatum (in notitiam meam, hinc) peccatum (quasi per antiperistasin legis se intendit, et) revixit, (et per illud) ego mortuus sum: (itaque) inventum est mihi mandatum, quod (datum) erat ad vitam (mihi demonstrandam et procurandam), hoc esse (cedere mihi) ad mortem.

11. Peccatum, occasione accepta, per mandatum seduxit me (in suas partes me dolose traxit) et per illud occidit, — infigens animæ vulnus culpæ lethalis, per exardescentem occasione legis concupiscentiam, uti dixi vers. 8. In verbo *seduxit* alludit ad primorum parentum seductionem, quæ occasione mandati facta est, cum serpens tentaret diceretque: « Cur præcepit vobis Dominus? » Gen. III, 2.

Itaque lex quidem sancta, et mandatum sanctum, et justum, et bonum. — Id est mandata legis sancta, justa et bona sunt: « sancta, » quia præscribunt quomodo Deus sancte coli debeat; « justa, » quia præscribunt ut proximum non lædas, sed ei quod suum est tribuas; « bona, » quia præscribunt ea, quibus quisque in se bonus sit, ac bonis moribus virtuteque præditus. Et quia hæc tria apposite fiunt per triplicia legis veteris præcepta, scilicet per cæremonialia, quibus sanctus cultus et religio erga Deum; per judicialia, quibus justitia erga proximum; per moralia, quibus bonitas et continentia erga seipsum præscribuntur.

Hinc S. Thomas, I II, *Quæst.* XCIX, art. IV, putat hic mandatum legis vocari « sanctum, » propter præcepta cæremonialia; « justum, » propter judicialia; « bonum, » propter moralia, et forte eo etiam respexit Apostolus; proprie tamen videtur agere de quolibet particulari legis mandato: hoc enim significat Græcum ἐντολή, ut sic distinguat mandatum a lege, quasi partem a toto. Respicit enim ad mandatum, *non concupisces*, quod paulo ante citavit, *q. d.* Hoc mandatum, *non concupisces*, et quodvis aliud in se *sanctum* est, quia facit hominem purum, castum, sanctum; et *justum* est, quia hominem cohibet, ne injuste alienam uxorem aut rem concupiscat; et *bonum* est, quia hominem bonum facit omnesque animi vires et motus bene et rite ordinat ac componit.

13. Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? — *q. d.* Objicies: Ergone mandatum, quod erat bonum in seipso, mutatum est, factumque mihi *mors*, id est causa et occasio peccati, et consequenter mortis? Respondet: Absit: non fuit hæc mutatio vitium et culpa ipsius mandati, sed peccati et hominis mandato abutentis.

Peccatum, ut appareat peccatum (ut robur et vires peccati manifestentur), per bonum (per mandatum, occasionaliter) operatum est mihi mortem (animæ præsentem et æternam): ut fiat supra modum peccans peccatum per mandatum. — S. Hieronymus *ad Algas.*, Quæst. VIII, legit « ut fiat peccantius peccatum. » S. Augustinus, lib. I *ad Simplic.*, Quæst. I, legit, « ut fiat supra modum peccator peccatum. » Græce enim est ἁμαρτωλὸς ἡ ἁμαρτία, quasi dicas sceleratum scelus, vel peccatrix peccantia, id est malitia peccati ingens et exuberans, *q. d.* Inde apparet ingens peccati vis et malitia, quod per rem bonam, puta per legem, magis malitia ejus increverit, quodque per eamdem hominem magis invaserit et occiderit. Est prosopopœia: peccatum enim hic inducitur quasi persona, quæ habeat artem peccandi et peccata fingendi, suggerendi, machinandi, eamque exerceat, uti faciunt lenones et lenæ. Cave hic commentarium S. Hieronymo adscriptum, qui negat traducem peccati originalis (1).

Ut appareat peccatum. — Maldonatus, in *Notis*

(1) Vers 13. « Ut fiat supra modum, » etc., id est, ut proclivitas ad peccatum fieret longe pessima, occasione legis.

PATRIMONIO CULTURAL UNIVERSIDAD DE NAVARRA

mmmcript., paulo aliter vertit et explicat, nimirum, sed peccatum « dum apparet peccatum, per bonum operatum est mihi mortem, dum fit supra modum peccans peccatum, » ut ἵνα, id est *ut*, capiatur pro ὅταν, id est *dum*. Sed Nostra versio uti propria, ita genuina est. Ubi nota, ἵνα *ut* non significat causam finalem, puta finem intentum, sed consecutionem, uti paulo ante explicui.

14. SCIMUS ENIM QUIA LEX SPIRITUALIS EST; EGO AUTEM CARNALIS SUM, VENUMDATUS SUB PECCATO. — Probat hic Apostolus id, quod dixit, scilicet legem esse sanctam, et legem non esse causam mortis, sed peccatum lege declaratum et prohibitum, hominemque peccato subditum, qui prava carnis et peccati desideria sectatur. Id autem probat ex eo : « Quia lex, inquit, spiritualis est, » id est spiritalia præcipit, non carnalia; « ego autem carnalis sum, » id est sector ea, quæ carni et concupiscentiæ placent, utpote « venumdatus sub peccato; » ego ergo sub dominatu peccati vivens, mihi ipsi carnalis vitæ et peccati, ac consequenter mortis sum causa, non autem lex.

Lex spiritualis vocatur ob quinque rationes.

Nota : Lex dicitur spiritualis, *primo*, ut explicat S. Chrysostomus, quia prescribit ea quæ spiritus et hominis spiritualis sunt : scilicet virtutes sequi, vitia fugere; *secundo*, quia lex homines dirigit ad cultum unius Dei, qui purissimus est spiritus, a quo etiam data est : ita Ambrosius; *tertio*, quia lex impleri non potest, nisi per spiritum et gratiam a viris spiritualibus : ita S. Augustinus, hic in expositione quarumdam propositionum hujus epistolæ, num. 41; *quarto*, ut S. Thomas, quia lex cum spiritu hominis congruit, et, ut Cajetanus, spiritum hominis dirigit et regulat, tam circa Deum, quam circa seipsum et proximum; *quinto*, quia lex spiritualiter accepta ducit et præparat homines ad legem Evangelicam, quæ est lex spiritus et vitæ.

An S. Paulus hic loquatur in persona peccatoris constituti sub lege, an in persona hominis peccati sub gratia?

EGO AUTEM CARNALIS SUM. — Notant Græci Paulum hic, usque ad vers. 25, inducere personam hominis peccatoris constituti sub lege, qui nondum gratia Christi liberatus est a servitute peccati. Ita Origenes, Chrysostomus, Theophylactus, Basilius in *Regul. brevior.*, in resp. ad 16 interrog.; Commentarius Ambrosii, Hieronymus *ad Algas.*, Quæst. VIII; imo S. Augustinus hic, et *ad Simplic.* lib. I, Quæst. I, quos libros ipse scripsit, dum esset junior. Et probant ex eo quod ait Apostolus : *primo*, « ego carnalis; » *secundo*, « venumdatus sub peccato; » *tertio*, « video aliam legem captivantem me in lege peccati : » hæc enim non videntur esse viri sancti et perfecti, qualis erat Paulus, sed peccatoris aut certe recens conversi, ut vult Origenes : « in quo, inquit, remanet infirmitas et procacitas ad pristina vitia, ut licet velit ea vincere et facere omne bonum, non tamen statim voluntatem sequatur effectus, sed sæpe cadat, et a vitiis solutis vincatur, v. g., decerpit quis, et vult cohibere iram, sed quia longa consuetudine ira ei dominata est, obsistit ejus voluntati ne proposito, et in solita sibi rursus itinera vis furoris erumpit. Sic et in virtutibus vult bene agere, sed non statim voluntatem sequitur effectus : sicut qui vult esse sapiens, non statim ut vult, sapiens effectus est; sed prius adhibendus est labor, studium, sollicitudo, vigiliæ, doctrinæ institutio, et vix aliquando longo usu, meditatione continua, sapiens efficitur. »

Secundo tamen, idem S. Augustinus postea senior et doctior effectus, dum scribit contra Pelagianos, docet hunc locum omnino explicandum esse de viris sanctis, ipsoque Paulo; illiusque hic concupiscentiæ et spiritus luctam graphice ab eodem depingi, ita ipse lib. I *Retract.*, cap. XXIII; lib. VI *Contra Julian.*, cap. XI, ubi ait hanc esse expositionem S. Hilarii, Nazianzeni, Ambrosii (unde colligitur commentaria in has epistolas et in hunc locum S. Ambrosio ascripta, revera non esse S. Ambrosii, habeat enim hoc loco contrarium) et cæterorum Ecclesiæ Sanctorum et notorum Doctorum. Sic quoque explicant S. Gregorius, lib. XIX *Moral.*, cap. VI; S. Hieronymus, lib. II *Contra Pelagianos*; Anselmus, Primasius, D. Thomas, Pererius, Adamus et alii.

Loyolita Paulus de se et quotidie loquitur.

Hæc ergo expositio verior et germanior esse videtur, idque probatur *primo*, quia non ait Apostolus : *Eram*, vel *erebam*, uti dixi vers. 9, sed ait : *Sum, consentio, condelector*, in presenti. Ergo hoc versu transit a statu præterito legis et peccati ad statum gratiæ, sed cum concupiscentia luctantis, *q. d.* Vis legis, vel potius peccati lege abutentis, quam dixi, ex eo apparet, quod etiamnum sub gratia licet constitutus, tantos tamen adhuc ejus effectus et incitamenta concupiscentiæ sentiam, ut videar esse carnalis.

Probatur tribus rationibus.

Secundo, idem patet ex eo quod ait : « Jam non ego operor illud; » hæc enim verba indicant Apostolum non loqui de peccatore : peccator enim operatur peccatum. Loquitur ergo de viro justo et sancto.

Homo Julianus Pelagiani putavit concupiscentiam non esse a natura corrupta.

Tertio, idem indicat, cum ait : « Condelector legi secundum interiorem hominem; » et : « Ego ipse servio mente legi Dei, » et cum ait cap. seq.: « Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu, » quæ omnia non cadunt, nisi in virum justum et sanctum.

Tertia explicatio hujus loci est Cassiani, qui *Collatione* 23, vult hic describi luctam Marthæ et Magdalenæ, vitæ scilicet activæ et contemplativæ. Verum hoc non litterale est, sed mysticum, vel potius accommodatitium.

Lucta vitæ activæ et contemplativa.

VENUMDATUS SUB PECCATO. — Nota *primo*, peccatum hic idem esse, quod ante, sed materialiter tantum, sive objective, id est capi pro objecto peccati, sive fomite et concupiscentia. Unde hanc vers. 23 vocat *legem in membris repugnantem legi mentis*. Ita S. Hieronymus et Anselmus supra. Neque novum est Apostolum a peccato formaliter sumpto, transire ad peccatum materialiter sumptum. Sic enim ipse sæpe ludit in vocibus, ut dixi *can.* 31.

Tenuit Apostolus peccatum materialiter sumpto ad materialiter sumptum.

Concupiscentia ob quinque rationes peccatum dicitur.

Unde nota *secundo*, concupiscentiam hic dici peccatum, non formaliter et proprie, ut vult Calvinus; sed *primo*, quia ipsa est materiale peccatum : est enim concupiscentia contra Dei legem, illique ad rationem formalem peccati nihil deest, nisi consensus voluntatis; *secundo*, quia ipsa incitat ad peccatum; *tertio*, quia ipsa est effectus peccati : ita Concilium Tridentinum, sess. V; *quarto*, quia ipsa est pœna peccati; *quinto*, quia ipsa est instrumentum, quo per actum generationis, peccatum originale transfunditur in posteros Adæ.

Peccatum actuale dividitur in voluntarium et involuntarium.

Hinc S. Augustinus, lib. V *Contra Julian.*, cap. III, docet concupiscentiam et peccatum esse, et pœnam peccati, et causam peccati. « Sicut, inquit, cæcitas cordis, quam solus removet illuminator Deus, et peccatum est, quo in Deum non creditur, et pœna peccati, qua cor superbum digna animadversione punitur, et causa peccati, cum mali aliquid cæci cordis errore committitur : ita concupiscentia carnis, adversus quam bonus concupiscit spiritus, et peccatum est, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis; et pœna peccati est, quia reddita est meritis inobedientis; et causa peccati est, defectione consentientis vel contagione nascentis. »

Concupiscentia secundum Augustinum peccatum est, et pœna peccati et causa peccati.

Ubi adverte, concupiscentiam ab Augustino dici peccatum eodem sensu, quo explicui eamdem hic peccatum dici ab Apostolo : vult enim docere Augustinus concupiscentiam non esse naturalem conditionem, proprietatem et perfectionem manantem ex natura hominis, ut volebat Julianus; sed esse peccatum, id est esse vitium notum et propagatum ex peccato originali, quod negabat Julianus, utpote Pelagianus. Unde cap. seq., docet S. Augustinus concupiscentiam esse perpetuam materiam luctæ, virtutis et victoriæ, ac consequenter non esse peccatum formaliter et proprie, nisi ei succumbat et consentiat libera voluntas.

Homines ab Adam venditi peccato, et tradito Zorobabeli.

Nota *tertio*, dicit Apostolus de se, quod *sit venumdatus*, scilicet ab Adamo, pretio pomi, et traditus (debræum enim מכר *machar*, et vendere, et tradere significat; quod enim venditur, traditur ementi, quasi domino) *sub peccatum*, ut habent Græca, id est in servitutem peccati originalis; et consequenter, quod ipse etiamnum, justificatus licet, sit tamen concupiscentiæ (quæ in locum peccati originalis quasi successit, ut in justis remaneat) obnoxius, quasi servus emptitius, ut ejus motus velit, nolit, ubique sentiat. Unde Syrus vertit מכון למשתא *mezalbun lachatita*, id est *venditus sum peccato*, hoc est, traditus sum concupiscentiæ.

Sic Achab, lib. III *Regum*, cap. XXI, dicitur *venumdatus, ut faceret malum*, id est sua mala voluntate servum se addixit peccato, quasi vendidisset se, vel locasset se et suas operas, non ad aliud quam ad peccandum. Alludit enim Scriptura hac phrasi ad servos Hebræorum, qui se vendebant ad opera servilia dominis præstanda, *q. d.* Achab tradidit et totum se impendit idolis, quasi eorum mancipium, quasi idololatriæ a dominis suis idolis tanquam servus addictus esset, non quasi esset rex Israelitarum liber et ingenua conditionis. Sic S. Augustinus, in *Expositione propositionum hujus epistolæ*, num. 42 : « Quisque, ait, peccando animam suam diabolo vendit, accepta, tanquam pretio, dulcedine temporalis voluptatis. » Concupiscentiæ ergo quasi tyranno traditi sumus, etiam justi; non tamen propriæ peccato : nec enim concupiscentia cogit nos ad peccatum, quia ejus motus sentire non est peccatum, sed eis libere consentire peccatum est, ait S. Bernardus.

15. QUOD ENIM OPEROR, NON INTELLIGO. — *Primo*, hæc verba sic explicat S. Chrysostomus, *q. d.* Peccator quibus modis deceptus sit, ut peccatum operetur, non cognoscit.

Vers. 15 Scitu dignus locus in sequens elucidationem.

Secundo, Theodoretus sic explicat, *q. d.* Peccator peccati malitiam perfecte non noscit.

Tertio, Toletus : Peccator, inquit, quod operatur non intelligit, quia contra judicium intellectus, quo speculative judicat hoc non esse faciendum, operatur et peccat.

Quarto, Anselmus sic exponit, *q. d.* In regulis præceptorum Dei non invenio, quæ concupiscentia mea appetit.

Quinto, Methodius, apud Epiphanium, *hæresi* 62, sic, *q. d.* Qui bonum operatur, sæpe distractiones et malas cogitationes patitur, ut non intelligat suas passiones et sua opera.

Sextus et optime, S. Augustinus, lib. I *Contra duas epist. Pelagian.*, cap. XI, hunc dat sensum : « Quod operor, non intelligo, » id est, per rationem et voluntatem non approbo opera et motus concupiscentiæ meæ. Hunc esse sensum patet ex seq. Sic *Psal.* I dicitur : « Novit (id est amat et approbat) Dominus viam justorum. » Et *Matth.* VII : « Non novi vos, » id est *non amo vos, non approbo* : hæc enim est scientia practica. Rursum eosdem concupiscentiæ motus « non intelligo, » quia hi motus rationem et intellectum prævertunt.

Sextus optime S. Augustinus.

Duplex hujus loci sensus.

Probat hic Apostolus se venumdatum sub peccato, id est esse *servum concupiscentiæ*, ex eo quod faciat non illa quæ sibi facienda videntur, sed illa quæ dominus, scilicet concupiscentia, sibi imperat, puta concupiscere : id deinde probat verbis consequentibus.

NON ENIM QUOD VOLO BONUM, HOC AGO : SED QUOD ODI MALUM, ILLUD FACIO. — Ita legunt Biblia Romana, aliaque correctiora (licet Græca non habeant τὸ *bonum*, illud tamen habent vers. 19). Jam quod ad sensum, *primo*, S. Chrysostomus sic explicat, *q. d.* In peccatoribus est quædam velleitas boni, et odium quoddam imperfectum mali, etiam dum peccant.

Secundo et melius, S. Augustinus et Anselmus, qui hæc exponunt, non de peccatore, sed de justo, qualis erat Paulus, ut dixi : Malum, inquiunt,

quod justus odit, et tamen facit, est concupiscentia, quam justus naturaliter, sed involuntarie operatur, vel potius patitur et sentit invitus; bonum vero quod justus non agit, cum tamen velit, est bonum opus facere alacriter, et totis viribus sine concupiscentia repugnante. Vel brevius, non concupiscere bonum est, quod vult et optat justus; malum vero, quod odit, est concupiscere, *q. d.* Paulus : Vellem non concupiscere, et nollem concupiscere, et tamen concupisco.

Nota : *Facio* significat hic actionem hominis imperfectam, id est actum concupiscendi appetitus, citra rationis assensum, idque patet ex phrasi Hebræorum, de qua dixi *can.* 32. Præsertim quia motus concupiscentiæ non tantum sunt in appetitu sensitivo, sed et in voluntate, quæ naturaliter ex origine sua in Adamo vitiata propendet in bona delectabilia, honorifica et curiosa. Unde explicans subdit Apostolus : « Jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. » Hic actus concupiscendi non est meus, non est humanus, quia non est liber et deliberatus, sed est actus inhabitantis in me peccati, id est concupiscentiæ. Hinc S. Augustinus in *Sententiis*, sent. 383 : « Approbare, inquit, falsa pro veris, ut erres invitus, et resistente repugnatione carnalis vinculi, non posse ab illicitis operibus temperare, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati. »

Voluntas in Adamo vitiata propendet in bona delectabilia, honorifica et curiosa.

16. SI AUTEM QUOD NOLO, ILLUD FACIO (id est si concupisco, quod tamen nolo et nolens facio, vel potius patior), CONSENTIO LEGI (id est ratione et voluntate approbo), QUONIAM (quod lex in se) BONA EST. — Unde Syrus vertit, *suffragium fero legi, quod bona est*, quasi dicat : Si concupisco nolens et invitus, mens et voluntas mea integra est et intacta, quia legi adhæret et cum ea consentit (1).

Vers. 17.

17. NUNC AUTEM (nunc ergo) JAM NON EGO OPEROR ILLUD (scilicet *humane*, id est *deliberate*), SED QUOD HABITAT IN ME PECCATUM. — Id est *concupiscentia*, ut dixi vers. 14, hæc enim habitat in carne mea, non autem ipsa virtus et bonum, id est bonitas. Hoc est enim quod subdit Apostolus.

18. SCIO QUIA NON HABITAT IN ME, HOC EST IN CARNE MEA, BONUM. NAM VELLE, ADJACET MIHI : PERFICERE AUTEM BONUM, NON INVENIO. — *q. d.* Facultas et bona voluntas volendi id quod bonum est, est in me justificato : sed vix, et non nisi difficulter illud perficere possum : *Spiritus enim promptus est, caro autem infirma*, imo reluctans spiritui. Ita S. Augustinus, Anselmus, S. Thomas, Primasius et Syrus. Idem explicat, repetit et inculcat Apostolus, vers. 21. Vere S. Bernardus, serm. 84 *in Cantico* : « Jacet, inquit, voluntas, ubi non suppetit facultas. » Et S. Augustinus, lib. X *Confess.*, cap. XL, in terra gemens et suspirans ad cœlum : « Recido, inquit, in hæc ærumnosis ponderibus, et resorbeor solitis, et teneor, et multum fleo, sed multum teneor. Tantum consuetudinis sarcina degravat. Hic esse valeo, nec volo; illic volo, nec valeo : miser utrobique. »

(1) Rectius, ut videtur : *Si vero non quod volo, hoc idem efficio, facitur assentior legi, eamque bonam esse testor.* Verum hoc esse experientia docet, sepe enim fatentur homines, hoc vel illud recte prohibitum esse, et tamen affectibus abrepti, faciunt quod illicitum esse fatentur.

Merito S. Gregorius Nazianzenus, in Carmine ad virgines, carnem vocat echeneida, sive remoram pisciculum. Sicut enim remora navis, ita caro hominis in cœlum cursum inhibet et sistit. Hanc ergo remoram amovendam esse docet, dum canit :

> Ne vitæ ipsa tuæ impiltas echeneida, carnem,
> Quæ velut injecta properantem compede puppim
> Detinet, et tantum cogit subsistere molem.

Vide et Abbatem Theonam apud Cassianum, *Collat.* 23, ubi fuse hanc Apostoli sententiam pertractat.

21. INVENIO IGITUR (in meipso) LEGEM (quæ sequitur scilicet), QUONIAM (quod) MIHI VOLENTI FACERE BONUM, MALUM ADJACET, — et inest, malum, inquam, concupiscentiæ mihi innatæ, quæ bono et legi Dei repugnat. Adverte hic, et in ipso experire, cum bonum aliquod, præsertim heroicum vis aggredi, maxime sæpius insurgentem et sese opponentem concupiscentiam.

Nota hic Hebraicam trajectionem : vox enim *quoniam*, quam postponit Paulus dicens : « Invenio, volenti bonum facere, quoniam mihi malum adjacet, » præponenda est hoc modo, « Invenio, quoniam mihi volenti bonum facere, malum adjacet. » Aliter alii hæc explicant, quos vide, si lubet, apud Toletum.

Trajectio Hebraica.

Vers. 22.

22. CONDELECTOR LEGI DEI SECUNDUM INTERIOREM HOMINEM. — Quæres, quis dicatur interior, quis exterior homo? *Primo*, Manichæi ex hoc loco docuerunt in homine duas esse animas, unam bonam, a qua virtutes; secundam malam, a qua vitia manant; ac consequenter in ipso homine esse quasi duos homines, unum interiorem, alterum exteriorem.

Error Manichæorum de interiori et exteriori homine.

Secundo, Illyricus rigidus Lutheranus : « Interior homo, inquit, est anima et spiritus Dei; exterior homo est peccatum originale, quod quasi forma substantialis animam afficit. » Putat enim ipse peccatum non esse accidens, sed formam et substantiam quamdam tetram et horridam, talemque qualem vulgo imaginamur diabolum.

Error Illyrici Lutherani de interiori homine.

Tertio, Calvinus : « Interior homo, inquit, est superior pars animæ, sive mens consentiens legi Dei; exterior est eadem meus quatenus concupiscit mala. » Putat enim Calvinus in eadem omnino animæ portione et facultate hanc esse pugnam, ideoque hominem etiam justum simpliciter tam esse peccatorem, quam justum; quod implicat. Porro hæc ejus doctrina sequitur ex **altero ejus principio, quo homini re ipsa vere et**

Delirium Calvini circa duplicem hominem.

Tollit Calvinus liberum arbitrium.

proprie partem superiorem, id est rationem et liberum arbitrium, adimit : tunc enim necessario sequitur, quod in parte inferiori tam dominetur concupiscentia, quam virtus; quodque inferior hæc pars, non re ipsa, sed nomine tenus in superiorem et inferiorem dividatur. Verum hæc omnia *δίνυατα* sunt, erronea et hæretica.

Explicatio Photii et Toleti.

Quarto, Photius et Toletus sic explicant : Homo interior est ratio, quæ etiam in peccatoribus reluctatur exteriori, id est sensui et appetitui.

Verum nota : In homine una tantum est anima, quæ simul est rationalis et sensitiva; et post privationem justitiæ originalis peccato contractam, hæc contra illam, scilicet sensitiva contra rationalem, maxime gratia imbutam, adeoque ipsa anima contrariis appetitibus secum pugnat, etiam in homine justificato : ita ut ex operationibus ejus duplex in eo videatur esse anima et duplex homo. Cujus rei causa est eminentia animæ rationalis, quæ virtute in se continet animam sensitivam et vegetativam, facitque in homine una anima, quod in tribus, scilicet in planta, in equo, in homine faciunt tres animæ, scilicet vegetativa, sensitiva et rationalis.

Vide oritur pugna et contrarietas in anima?

Una homini ratione diversorum statuum vocatur exterior vel interior.

Dico ergo, unus idemque est homo, sed ratione diversorum statuum, affectionum et operationum, dicitur exterior vel interior. Interiorem Apostolus nunc novum vocat, nunc renovatum, scilicet a Christo, nunc spiritualem, nunc mentem : exteriorem, animalem vocat, vel veterem, quem scilicet a veteri Adamo traximus; eumdem vocat carnem, vel membra synecdochice et metonymice : quia scilicet, maxime vim suam ostendit in membris, carne et appetitu sensitivo. Hinc enim corruptio derivata ex carnali Adamo, maxime se pandit et exerit in carne et carnalibus desideriis, imo per ea animam sollicitat et commovet, licet proprie in anima resideat. Hinc Apostolus, *Galat.* v, superbiam, invidiam, rixas, vocat opera carnis, id est concupiscentiæ et veteris hominis.

Interior homo est mens, ut recte Cajetanus; vel aptius, ipse homo gratia, charitate et spiritu Dei imbutus et vivens : hujus anima, est gratia et charitas; hujus lex, est lex divina ejusque dictamen, ut, Esto castus, sobrius, humilis, obediens, Deum time et ama : hujus vitalis operatio, est Deum amare, colere, obedire.

Interior homo pulchra descriptio.

Exterior, sive vetus homo est concupiscentia, seu vitiositas, omnibus animæ potentiis, ipsique etiam menti et voluntati insidens; vel est mens, aut potius est ipse homo omnibus suis potentiis vitiatus et corruptus : hujus anima, est concupiscentia : hujus lex, est vitiosa inclinatio, vel aliquod dictamen concupiscibile, Dei legi contrarium, v. g. : Inebria te, fornicare, superbi : hujus operatio vitalis, est concupiscere vinum, opes, delicias, amicas. Concupiscentia ergo et homo exterior est in anima, voluntate et mente, sed qua parte naturaliter agunt, et in objecta sua feruntur motu naturali; virtus vero et homo interior est in eadem anima voluntate et mente, sed qua parte ratione et libertate utitur, et suis actibus, ipsique concupiscentiæ dominatur, maxime cum gratia Dei pollet.

Locus moralis de luctu concupiscentiæ et spiritus.

Est hic locus moralis pro luctu concupiscentiæ et spiritus, quam graphice depingit in se S. Augustinus, lib. VIII *Confess.*, cap. XI, et serm. 43 *De Tempore*, tom. X. Ascribam hic verba S. Augustini, quia rem hanc plane ob oculos ponunt, ut qui in se hanc luctam cum Paulo et S. Augustino sentiunt, sed explicare nequeunt, in Augustino expressam et explicatam videant, discantque qua ratione victoria potiri possint, præsertim cum vitam commutare et a statu peccati ad statum gratiæ transire moliuntur. « Dicebam, inquit, apud me intus : Ecce modo fiat, modo fiat. Et cum verbo jam ibam in placitum, jam pene faciebam, et non faciebam; nec relabebar tamen in pristina, sed de proximo stabam et respirabam; et item conabar, et paulo minus ibi eram, et paulo minus jam jamque attingebam et tenebam; et non ibi eram, nec attingebam, nec tenebam, hæsitans mori morti, et vitæ vivere; plusque in me valebat deterius inolitum, quam melius insolitum : punctumque ipsum temporis, quo aliud futurus eram, quanto propius admovebatur, tanto ampliorem incutiebat horrorem; sed non recutiebat retro, nec avertebat, sed suspendebat. » Hactenus audivimus primum concupiscentiæ insultum in Augustino.

Primus concupiscentiæ insultus.

Sequitur secundus. « Retinebant me nugæ nugarum, et vanitates vanitatum, antiquæ amicæ meæ, et succutiebant vestem meam carneam, et submurmurabant : Dimittisne nos? et a momento isto non erimus tecum ultra in æternum? et a momento non tibi licebit hoc et istud, ultra in æternum? Et quæ suggerebant in eo, quod dixi, Hoc et istud! quæ suggerebant, Deus meus, avertat ab anima servi tui misericordia tua : quas sordes suggerebant, quæ dedecora! Et audiebam eas jam longe minus quam dimidius, non tanquam libere contradicentes eundo in obviam, sed veluti a dorso mussitantes, et discedentem quasi furtim vellicantes ut respicerem; retardabant tamen me cunctantem abripere atque excutere ab eis, et transilire quo vocabar, cum diceret mihi consuetudo violenta : Putasne sine istis poteris? »

Secundus concupiscentiæ insultus.

Tertius concupiscentiæ insultus.

Ea tertius concupiscentiæ insultus, sed remissior, prævalente gratia et constantia S. Augustini. « Sed jam tepidissime hoc dicebat. Aperiebatur enim ab ea parte, qua intenderam faciem, et quo transire trepidabam, casta dignitas continentiæ, serena, et non dissolute hilaris, honeste blandiens, ut venirem, neque dubitarem, et extendens ad me suscipiendum et amplectendum pias manus, plenas gregibus bonorum exemplorum. Ibi tot pueri et puellæ, ibi juventus multa, et omnis ætas, et graves viduæ, et virgines anus, et in

omnibus ipsa continentia nequaquam sterilis, sed fœcunda mater filiorum gaudiorum de matrito te, Domine. Et irridebat me derisione exhortatoria, quasi diceret : Tu non poteris, quod isti et iste? An vero isti et iste in semetipsis hoc possunt, ac non in Domino Deo suo? Dominus Deus eorum me dedit eis. Quid in te stas et non stas? Projice te in eum, noli metuere : non se subtrahet, ut cadas. Projice te securus, excipiet te, sanabit te. Et erubescebam nimis, quia illarum nugarum murmur adhuc audiebam, et cunctabundus pendebam. Et rursus illa quasi diceret : Obsurdesce adversus immunda illa membra tua super terram, ut mortificentur. Narrant tibi delectationes, sed non sicut lex Domini Dei tui. Ista controversia in corde meo, non nisi de meipso adversus meipsum. » Hæc Augustinus.

Exercet virtutem et contra adversa exhortatio.

Lucta spiritus. Ejus utilitas.

Secundo, luctæ hujus utilitatem docet S. Gregorius, lib. XIX *Moral.*, VI : « Optima, ait, virtutis custos est infirmitas, vel pressurarum, vel tentationum : et fit certo moderamine, ut, dum quisque Sanctorum jam quidem interius ad summa rapitur, sed adhuc tentatur exterius, nec desperationis lapsum, nec elationis incurrat ; sicque cognoscimus in profectu, quod accepimus ; in defectu, quid sumus ; et sic subtilissima interni judicii moderatione infra summa, et supra infima, in quodam medio anima libratur. » Et S. Bernardus, serm. in cœna Domini, *De Baptism. et Sacramento altaris* : « Ad humiliandos nos ipsam (concupiscentiam) adhuc patitur vivere in nobis, et graviter affligere nos, ut sentiamus quid nobis gratia præstet, et semper ad illius auxilium recurramus ; sic et de minoribus istis peccatis pia dispensatione nobiscum agitur, ut non penitus auferantur, sed in illis nos erudiat Deus, ut, cum minima cavere non possumus, certi simus quod non nostris viribus majora superemus, semperque timorati et omnino solliciti simus quomodo ejus gratiam non amittamus, quam nobis tam multipliciter necessariam esse sentimus. »

23. VIDEO ALIAM LEGEM IN MEMBRIS MEIS, REPUGNANTEM LEGI MENTIS MEÆ, ET CAPTIVANTEM ME IN LEGE PECCATI. — « Repugnantem, » græce ἀντιστρατευόμενον, id est *contra militantem, rebellantem*. Est metaphora a lucta et pugna.

Videre inclinationes vitiosas sequutus et assentiri.

Rursum, « captivantem me, » non voluntatis consensione, ut vult Chrysostomus (putat enim ipse hæc omnia de statu peccati et de peccatore dici), sed commotione, ait S. Augustinus, ut scilicet captivus reddar et subjiciar legi peccati, id est concupiscentiæ ; ita ut etiam invitus et reluctans, viliosas ejus inclinationes, dictamina, impulsus sentire cogar, et ejus laqueos et motus evadere non possim.

Aliqui ex S. Augustino sic explicant : « Captivantem, » id est *cepisse conantem* ; sed græce est αἰχμαλωτίζοντά με, id est *capientem me* ; et Syriace est שכאלי *sabeh*, id est *quod cepticum me reddit*. De facto enim omnes, non sub peccato, sed sub concupiscentia quasi captivi tenemur.

Nota hic hebraismum, « in lege peccati, » id est *sibi ipsi*. Eadem enim est lex peccati et membrorum, scilicet concupiscentia, ut dixi. Sic dicitur *Genes.* XIX, 24 : « Pluit Dominus a Domino, » id est *a seipso*. Dicitur concupiscentia lex peccati, quia est fomes ad peccatum sollicitans, peccatum dictans et suggerens.

24. INFELIX (græce ταλαίπωρος, id est *miser, aerumnosus*) EGO HOMO, QUIS ME LIBERABIT DE CORPORE MORTIS HUJUS? — id est *a congerie omnium peccatorum*, inquit Calvinus ; vel, ut Commentarius Ambrosii, ab universitate vitiorum. Sed hæc expositio impropria, remota et aliena est. Unde dico, « de corpore mortis, » id est *a corpore moribundo*, et peccandi affectibus, ac consequenter morti et corruptioni obnoxio ; quodque, ut ait S. Hieronymus, tum corporalem, tum, ut Pholius, animæ sæpe spiritualem mortem induxit. Ita S. Augustinus, lib. I *Contra duas epist. Pelag.*, XI. Est metalepsis. « Liberari a corpore mortis, inquit S. Augustinus, est omni sanato languore concupiscentiæ carnis, non ad pœnam recipere corpus, sed ad gloriam. Non enim a corpore mortis impii liberabuntur unquam, quibus in resurrectione eadem corpora ad æterna tormenta reddentur. »

Per mortem libri quamvis afflictionem et plagam intelligunt.

Nota, mors Hebræis per metonymiam et catachresin sæpe morbum, pestem, luem et afflictionem quamlibet gravem significat. Sic Pharao, *Exod.* X, 17 : « Rogate, inquit, Dominum, ut auferat a me mortem istam : *mortem*, id est plagam locustarum depascentium herbas et germina. Sic IV *Reg.* IV, 40, dicitur : *Mors*, id est amaricies colocynthidarum, in olla est. Pari modo hic *corpus mortis* accipi potest corpus obnoxium multis morbis, afflictionibus et ærumnis. Est hoc ardens Apostoli ex hoc misero et mortali corpore ad beatam et cœlestem vitam anhelantis suspirium.

Audi pari modo suspirantem auctorem (Hugonem Victorinum, si credimus Trithemio) lib. *De Spir. et Anima*, qui extat tom. III operum S. Augustini, cap. LXII : « Audi, inquit, o anima, qualis sis : onerata es peccatis, irretita vitiis, capta illecebris, affixa membris, confixa curis, distenta negotiis, contracta timoribus, afflicta doloribus, erroribus vaga, suspicationibus inquieta, sollicitudinibus anxia, advena in terra inimicorum, coinquinata cum mortuis, deputata cum iis qui in inferno sunt. » Et cap. LX : « Quando veniam et apparebo ante faciem Domini, ad videndum eum in bonitate electorum suorum, ad lætandum in lætitia gentis suæ, ut laudetur cum hæreditate sua? Quando videbo civitatem illam, de qua dictum est : Plateæ tuæ, Jerusalem, sternentur auro mundo, et in te cantabitur canticum lætitiæ, et per omnes vicos tuos ab universis dicetur Alleluia? O civitas sancta, civitas speciosa, de longinquo te salute, ad te clamo, te requiro ; desidero enim videre te, et requiescere in te : sed non sinor carne retentus. O civitas desiderabilis! muri tui lapis unus, custos tuus ipse Deus, cives tui semper læti ; semper enim gratulantur in visione Dei, » etc.

Anima suspirantis ad cœlestem patriam.

25. GRATIA DEI PER JESUM CHRISTUM. — Supple, liberabit me quandoque a corpore mortis hujus, puta in futura resurrectione, dando mihi corpus immortale et gloriosum.

Nota, pro *gratia Dei*, noster Interpres legit in Græco χάρις τοῦ θεοῦ. Ita quoque legit S. Ambrosius, Origenes, Hieronymus, S. Augustinus et alii. Verum S. Chrysostomus, Theodoretus, Œcumenius, Theophylactus, Hieronymus *ad Algasiam*, et Græci codices jam legunt εὐχαριστῶ τῷ θεῷ, gratias ago Deo, qui scilicet me liberabit a corpore mortis, per Jesum Christum.

Gratia non solum non futura, sed præterita jam accepta refertur.

Verum nostra lectio aptior, illeoque verior est ; nec enim gratiarum actio, sed gratia respicit futurum. Nam gratiæ proprie non aguntur pro beneficio futuro et accipiendo, sed præterito et jam accepto : ὃ autem *liberabit* hic est *futurum*, non *præteritum*.

Adde, εὐ *gratia Dei* tacite includit εὐ *gratias ago Deo*. Nam dicere : gratia Dei per Christum me liberabit, hancque gratiam confiteri et celebrare, est re ipsa gratias agere Deo.

IGITUR EGO IPSE MENTE SERVIO LEGI DEI ; CARNE AUTEM, LEGI PECCATI, — eo sensu, quem jam dedi vers. 22 et 23. Totum hunc Apostoli locum de lucta carnis et spiritus, sive concupiscentiæ et continentiæ, egregie tractat S. Augustinus, lib. *De Continentia*, tom. IV ; hunc enim librum non esse Hugonis Victorini, ut suspicatur Erasmus, sed ipsius Augustini, ex Beda, Possidonio et aliis docent DD. Lovanienses, qui accurate et correctissime opera omnia S. Augustini ediderunt. In illo ergo libro docet *primo* Augustinus, sub fine cap. II, in hac vita perpetuam esse hanc luctam, et sufficere nobis, si non consentiamus malis concupiscentiis, itaque futurum ut in altera beata vita illam non sentiamus. « Nunc quamdiu, inquit, concupiscit caro adversus spiritum, et spiritus adversus carnem, sat est nobis non consentire malis, quæ sentimus in nobis. Nam ipsa continentia cum frenat coërcetque libidines, simul et appetit bonum, ad cujus immortalitatem tendimus, et respuit malum, cum quo in hac mortalitate contendimus. »

Lucta carnis et spiritus quæ non sentiuntur qui eorum non consentiunt.

Deinde docet eos tantum hanc luctam sentire, qui concupiscentiis reluctantur, non autem eos qui illi cedunt et consentiunt. « Hanc pugnam, inquit, non experiuntur in semetipsis nisi bellatores virtutum, debellatoresque vitiorum. Non expugnat concupiscentiæ malum, nisi continentiæ bonum. Sunt autem qui legem Dei omnino nescientes, malas concupiscentias nec in hostibus deputant, eisque miserabili excitate servientes, insuper etiam beatos se putant satiando eas, potius quam domando. »

Tota Apostoli ex ad Sole fere ipsa adversarii accusa.

Tertio, docet Christianos quasi Christi milites ad hanc pugnam ab Apostolo accendi, ut non permittant concupiscentiam in se regnare, quod fit, cum illi obediunt ; sed illi resistant, eamque resistendo doment et minuant, licet eam extinguere nequeant ; sic enim ait : « Milites Christianos Apostolica tuba isto sonitu accendit in prælium : Non regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum desideriis ejus. Tunc autem regnare ostenditur, si desideriis ejus obeditur, quibus non est obediendum, ne obedientibus regnet. Cum hortatur Apostolus, ut spiritu facta carnis mortificemus, tuba utique canit ; bellum, in quo versamur, ostendit, et ut acriter dimicemus, et hostes nostros mortificemus, ne ab eis mortificemur, accendit. »

Hortis Apostoli, et hujusque pugnæ causis.

Quarto, hostes nostros describit, et hujus pugnæ milites utrimque recenset : hinc scilicet opera carnis, inde fructus spiritus in aciem producens. « Hostes autem nostri, inquit, opera sunt carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, etc. In hoc prælio adversus carnalem exercitum velut aliam producens aciem spiritalem : Fructus spiritus est, inquit, charitas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia. Hæc est actio continentiæ, si opera carnis mortificantur. »

In homine naturæ ex contrariis inter se principiis ortas sunt duæ naturæ, una boni, altera mali, ut voluerunt Manichæi.

Quinto, cap. VII, docet non esse duas in homine naturas ex contrariis inter se principiis ortas, et inter se assidue confligentes, unam boni, alteram mali, ut voluerunt Manichæi. Sed hoc bellum oriri ex languore concupiscentiæ, quam peccatum in naturam hominis bonam, et bene a bono Deo conditam invexit. « Languorem autem istum, inquit, culpa meruit, natura non habuit ; quam sane culpam per lavacrum regenerationis Dei gratia fidelibus jam remisit, sed sub ejusdem medici manibus adhuc natura cum suo languore confligit. In tali autem pugna sanitas erit tota victoria, cum justus dicet : Benedic, anima mea Domino, qui sanat omnes languores tuos. »

Bonum est carni, ut et re sistat.

Sexto, ostendit carni ipsi bonum esse, ut ejus pravis desideriis resistatur, ut ita ipsa caro a suis vitiis purgetur. « Audi, inquit, Apostolum dicentem : Scio quod non habitat in me (quod ut exponeret, addit), hoc est, in carne mea, bonum. Se itaque dixit esse carnem suam. Non ergo est ipsa inimica nostra ; et quando ejus vitiis resistitur, ipsa amatur, quia ipsa curatur : nemo enim unquam carnem suam odio habuit, ut ipse Apostolus dicit. Et ipse alio loco, ait : Mente servio legi Dei ; carne, legi peccati. Quomodo carne, legi peccati? numquid concupiscentiæ consentiendo carnali? Absit : sed motus desideriorum illic habendo, quos habere nolebat, et tamen habebat ; sed eis non consentiendo, mente serviebat legi Dei, et tenebat membra, ne fierent arma peccati. »

Septimo, ostendit [illegible] sensu dicat Apostolus se

Quomodo Paulus dicat se velle bonum, non tamen perficere?

propter concupiscentiam, velle quidem bonum, non tamen perficere. « Fiunt, inquit, itaque in nobis concupiscentiæ malæ, quando id quod non licet, libet : sed non perficiuntur, cum legi Dei mente serviente libidines continentur, et bonum fit, cum id, quod male libet, vincente bona delectatione non fit : sed boni perfectio non impletur, quamdiu legi peccati carne serviente libido illic, quamvis contineatur, tamen movetur; non enim opus esset ut contineretur, nisi moveretur. Erit ergo perfectio boni, quando erit consumptio mali; illud erit summum, hoc erit nullum. Quod si in ista mortalitate sperandum putamus, fallimur; tunc enim erit, quando mors non erit, sed summum bonum erit, » etc.

Continentia non tantum exstirpat libidinem, sed etiam contra quaslibet alienas concupiscentiæ motus luctatur.

Octavo, cap. XII, docet continentiam luctari non solum contra libidinem, verum etiam contra quoslibet alios concupiscentiæ motus, eamque illos frenare et compescere. « Continentia, inquit, omnibus prorsus delectationibus concupiscentiæ, quæ adversantur dilectioni sapientiæ, coercendis atque sanandis invigilat, ut homo non secundum hominem vivens, jam possit dicere : Vivo autem non ego, vivit vero in me Christus; ubi enim non ego, ibi felicius ego, ut quando secundum hominem reprobus ullus motus exurgit, cui non consentit, qui mente legi Dei servit, dicat etiam illud : Jam non ego operor illud. »

Mortificandi mali motus tum ne in opus exeant, tum ne voluntas in mente et cogitatione iis inhæreat et consentiat.

Nono denique, demonstrat per continentiam mortificandos esse concupiscentiæ motus, tum ne in opus exeant, tum ne voluntas in mente et cogitatione iis inhæreat et consentiat, ut iis mortui, Christo et justitiæ vivamus. « Mortificate, inquit Apostolus, membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, etc. Et quomodo ista mortificantur opere continentiæ, nisi cum eis mente non consentitur, neque exhibentur eis arma corporis membra? Et quod est vigilantia majore continentiæ curandum, ipsa etiam nostra cogitatio, si eorum quadam suggestione et quasi susurratione tangatur, tamen ab eis, ne oblectetur, avertitur. »

Præsentissimum porro concupiscentiæ antidotum est cogitatio et inspectio mortis, et morientium, ac mortuorum.

Abbas Elias, apud Sophronium, in *Prato Spirituali*, cap. X, narrat de se, quod visitatus a femina religiosa, post ejus abitum, gravem senserit tentationem libidinis, a qua victus exiverit ad eam cum illa explendam. « Cum vero, inquit, ferme uno stadio ab ejus adhuc spelæo distarem, urente graviter æstu libidinis, repente factus in extasi, vidi apertam terram, et me hiatu terræ absorptum. Aspicioque illic cadavera putrida jacentia et resoluta, et incredibili fœtore plena, quemdamque reverendi habitus virum ea mihi demonstrantem, ac dicentem : Ecce istud mulieris est, istud viri, istud pueri; fruere jam ut vis, et quantum libet concupiscentia tua : hujus tamen voluptatis gratia vide quot labores amittere voluisti : vide propter quod peccatum vos ipsos privare voluistis regno cœlorum. Væ humanæ miseriæ! propter unius horæ voluptatem tanti laboris mercede frustramini. Ego autem præ nimio fœtore in terra corrui. Tunc accedens vir ille venerabilis, qui mihi apparuerat, erexit me. Et gratias agens Deo, reversus sum in locum meum. » Plura vide *Numer.* XI, 20 et 34.

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hactenus explicavit Apostolus infirmitatem legis, peccati et concupiscentiæ : hic vires gratiæ et spiritus Christi explicat, seu quanta bona justi per Christum Christique spiritum donentur.

Primo ergo ex dictis concludit eos qui Christo per fidem et gratiam sunt insiti, ab omni culpa et damnatione esse liberos, eos scilicet, qui non secundum carnem, sed secundum spiritum vivunt.

Unde secundo, vers. 12, multis probat nos secundum spiritum, quem accepimus, debere vivere, spiritum, inquam, adoptionis, in quo clamamus : Abba, Pater, *qui nos Dei filios ac futuræ gloriæ cum Christo cohæredes efficit.*

Inde tertio, vers. 19, ostendit, quanta, quamque ambienda sit hæc gloria, utpote ad quam suspiret non solum omnis creatura, quæ in hac vite vanitati subjecta est, sed et hi, qui spiritus primitias acceperunt.

Unde, vers. 26, asserit spiritum adjuvare infirmitatem nostram, et postulare pro nobis.

Denique, vers. 28, exaggerat charitatem Dei erga se diligentes, qua omnia eis cooperantur in bonum, utpote, quos præscivit et prædestinavit conformes fieri Christo, et pro quibus tradidit Christum in mortem. Ex quo, vers. 33, concludit : Quis ergo nos separabit a charitate Christi?

1. Nihil ergo nunc damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant. 2. Lex enim spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me a lege peccati et

mortis. 3. Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, et de peccato damnavit peccatum in carne, 4. ut justificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum. 5. Qui enim secundum carnem sunt, quæ carnis sunt, sapiunt; qui vero secundum spiritum sunt, quæ sunt spiritus, sentiunt. 6. Nam prudentia carnis, mors est : prudentia autem spiritus, vita et pax. 7. Quoniam sapientia carnis inimica est Deo : legi enim Dei non est subjecta, nec enim potest. 8. Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt. 9. Vos autem in carne non estis, sed in spiritu : si tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus. 10. Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus vero vivit propter justificationem. 11. Quod si Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis, qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis. 12. Ergo, fratres, debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus. 13. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini : si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. 14. Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. 15. Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus : Abba (Pater). 16. Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. 17. Si autem filii, et hæredes : hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi : si tamen compatimur, ut et conglorificemur. 18. Existimo enim quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. 19. Nam exspectatio creaturæ, revelationem filiorum Dei exspectat. 20. Vanitati enim creatura subjecta est non volens, sed propter eum, qui subjecit eam in spe : 21. quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. 22. Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit, et parturit usque adhuc. 23. Non solum autem illa, sed et nos ipsi primitias spiritus habentes; et ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei exspectantes, redemptionem corporis nostri. 24. Spe enim salvi facti sumus. Spes autem quæ videtur, non est spes : nam quod videt quis, quid sperat? 25. Si autem quod non videmus, speramus, per patientiam exspectamus. 26. Similiter autem et Spiritus adjuvat infirmitatem nostram : nam quid oremus, sicut oportet, nescimus : sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. 27. Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret Spiritus : quia secundum Deum postulat pro sanctis. 28. Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti. 29. Nam quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. 30. Quos autem prædestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos et justificavit : quos autem justificavit, illos et glorificavit. 31. Quid ergo dicemus ad hæc? si Deus pro nobis, quis contra nos? 32. Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum : quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? 33. Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui justificat. 34. Quis est qui condemnet? Christus Jesus, qui mortuus est, imo qui et resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. 35. Quis ergo nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? 36. (Sicut scriptum est : Quia propter te mortificamur tota die : æstimati sumus sicut oves occisionis.) 37. Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos. 38. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, 39. neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.

Quomodo Paulus dicat se velle bonum, non tamen perficere?

propter concupiscentiam, velle quidem bonum, non tamen perficere. « Fiunt, inquit, itaque in nobis concupiscentiæ malæ, quando id quod non licet, libet : sed non perficiuntur, cum legi Dei mente serviente libidines continentur, et bonum fit, cum id, quod male libet, vincente bona delectatione non fit : sed boni perfectio non impletur, quamdiu legi peccati carne serviente libido illic, quamvis contineatur, tamen movetur; non enim opus esset ut contineretur, nisi moveretur. Erit ergo perfectio boni, quando erit consumptio mali; illud erit summum, hoc erit nullum. Quod si in ista mortalitate sperandum putamus, fallimur; tunc enim erit, quando mors non erit, sed summum bonum erit, » etc.

Continentia non tantum exstirpat libidinem, sed etiam contra quaslibet alienas concupiscentiæ motus luctatur.

Octavo, cap. XII, docet continentiam luctari non solum contra libidinem, verum etiam contra quoslibet alios concupiscentiæ motus, eamque illos frenare et compescere. « Continentia, inquit, omnibus prorsus delectationibus concupiscentiæ, quæ adversantur dilectioni sapientiæ, coercendis atque sanandis invigilat, ut homo non secundum hominem vivens, jam possit dicere : Vivo autem non ego, vivit vero in me Christus; ubi enim non ego, ibi felicius ego, ut quando secundum hominem reprobus ullus motus exurgit, cui non consentit, qui mente legi Dei servit, dicat etiam illud : Jam non ego operor illud. »

Mortificandi mali motus tum ne in opus exeant, tum ne voluntas in mente et cogitatione iis inhæreat et consentiat.

Nono denique, demonstrat per continentiam mortificandos esse concupiscentiæ motus, tum ne in opus exeant, tum ne voluntas in mente et cogitatione iis inhæreat et consentiat, ut iis mortui, Christo et justitiæ vivamus. « Mortificate, inquit Apostolus, membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, etc. Et quomodo ista mortificantur opere continentiæ, nisi cum eis mente non consentitur, neque exhibentur eis arma corporis membra? Et quod est vigilantia majore continentiæ curandum, ipsa etiam nostra cogitatio, si eorum quadam suggestione et quasi susurratione tangatur, tamen ab eis, ne oblectetur, avertitur. »

Præsentissimum porro concupiscentiæ antidotum est cogitatio et inspectio mortis, et morientium, ac mortuorum.

Abbas Elias, apud Sophronium, in *Prato Spirituali*, cap. X, narrat de se, quod visitatus a femina religiosa, post ejus abitum, gravem senserit tentationem libidinis, a qua victus exiverit ad eam cum illa explendam. « Cum vero, inquit, ferme uno stadio ab ejus adhuc spelæo distarem, urente graviter æstu libidinis, repente factus in extasi, vidi apertam terram, et me hiatu terræ absorptum. Aspicioque illic cadavera putrida jacentia et resoluta, et incredibili fœtore plena, quemdamque reverendi habitus virum ea mihi demonstrantem, ac dicentem : Ecce istud mulieris est, istud viri, istud pueri; fruere jam ut vis, et quantum libet concupiscentia tua : hujus tamen voluptatis gratia vide quot labores amittere voluisti : vide propter quod peccatum vos ipsos privare voluistis regno cœlorum. Væ humanæ miseriæ! propter unius horæ voluptatem tanti laboris mercede frustramini. Ego autem præ nimio fœtore in terra corrui. Tunc accedens vir ille venerabilis, qui mihi apparuerat, erexit me. Et gratias agens Deo, reversus sum in locum meum. » Plura vide *Numer.* XI, 20 et 34.

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hactenus explicavit Apostolus infirmitatem legis, peccati et concupiscentiæ : hic vires gratiæ et spiritus Christi explicat, seu quanta bona justi per Christum Christique spiritum donentur.

Primo ergo ex dictis concludit eos qui Christo per fidem et gratiam sunt insiti, ab omni culpa et damnatione esse liberos, eos scilicet, qui non secundum carnem, sed secundum spiritum vivunt.

Unde secundo, vers. 12, multis probat nos secundum spiritum, quem accepimus, debere vivere, spiritum, inquam, adoptionis, in quo clamamus : Abba, Pater, *qui nos Dei filios ac futuræ gloriæ cum Christo cohæredes efficit.*

Inde tertio, vers. 19, ostendit, quanta, quamque ambienda sit hæc gloria, utpote ad quam suspiret non solum omnis creatura, quæ in hac vite vanitati subjecta est, sed et hi, qui spiritus primitias acceperunt.

Unde, vers. 26, asserit spiritum adjuvare infirmitatem nostram, et postulare pro nobis.

Denique, vers. 28, exaggerat charitatem Dei erga se diligentes, qua omnia eis cooperantur in bonum, utpote, quos præscivit et prædestinavit conformes fieri Christo, et pro quibus tradidit Christum in mortem. Ex quo, vers. 33, concludit : Quis ergo nos separabit a charitate Christi?

1. Nihil ergo nunc damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant. 2. Lex enim spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me a lege peccati et

mortis. 3. Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, et de peccato damnavit peccatum in carne, 4. ut justificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum. 5. Qui enim secundum carnem sunt, quæ carnis sunt, sapiunt; qui vero secundum spiritum sunt, quæ sunt spiritus, sentiunt. 6. Nam prudentia carnis, mors est : prudentia autem spiritus, vita et pax. 7. Quoniam sapientia carnis inimica est Deo : legi enim Dei non est subjecta, nec enim potest. 8. Qui autem in carne sunt, Deo placere non possunt. 9. Vos autem in carne non estis, sed in spiritu : si tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus. 10. Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus vero vivit propter justificationem. 11. Quod si Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis, qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis. 12. Ergo, fratres, debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus. 13. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini : si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. 14. Quicumque enim Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. 15. Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus : Abba (Pater). 16. Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. 17. Si autem filii, et hæredes : hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi : si tamen compatimur, ut et conglorificemur. 18. Existimo enim quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. 19. Nam exspectatio creaturæ, revelationem filiorum Dei exspectat. 20. Vanitati enim creatura subjecta est non volens, sed propter eum, qui subjecit eam in spe : 21. quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. 22. Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit, et parturit usque adhuc. 23. Non solum autem illa, sed et nos ipsi primitias spiritus habentes; et ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei exspectantes, redemptionem corporis nostri. 24. Spe enim salvi facti sumus. Spes autem quæ videtur, non est spes : nam quod videt quis, quid sperat? 25. Si autem quod non videmus, speramus, per patientiam exspectamus. 26. Similiter autem et Spiritus adjuvat infirmitatem nostram : nam quid oremus, sicut oportet, nescimus : sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. 27. Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret Spiritus : quia secundum Deum postulat pro sanctis. 28. Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti. 29. Nam quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. 30. Quos autem prædestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos et justificavit : quos autem justificavit, illos et glorificavit. 31. Quid ergo dicemus ad hæc? si Deus pro nobis, quis contra nos? 32. Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum : quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? 33. Quis accusabit adversus electos Dei? Deus qui justificat. 34. Quis est qui condemnet? Christus Jesus, qui mortuus est, imo qui et resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. 35. Quis ergo nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? 36. (Sicut scriptum est : Quia propter te mortificamur tota die : æstimati sumus sicut oves occisionis.) 37. Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos. 38. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, 39. neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.

1. NIHIL ERGO DAMNATIONIS (nihil damnatione dignum, nihil damnabile, nulla damnabilis culpa: ita Concilium Tridentinum, sess. III, can. 5, etiam si motus concupiscentiæ sentiant) EST IIS, QUI SUNT IN CHRISTO JESU, — id est, qui sunt justificati, Christoque in baptismo insiti per fidem, spem et charitatem. Cum justitia ergo non consistit reatus culpæ damnabilis, sed bene reatus pœnæ, puta obligatio ad pœnam temporalem. Hinc patet *primo*, nec concupiscentiam, nec aliud quippiam in renatis esse peccatum damnatione dignum; *secundo*, gratiam justificantem et baptismum non tantum tegere aut radere peccata, sed eradere omnino et tollere, ac *tertio*, vere nos justificari, non tecte, non imputative.

Baptismi vim peccatum abolentis, non solum tegentis.

Dices : Quomodo ergo dicit S. Augustinus, lib. I *Contra duas epist. Pelag.*, cap. XIII, concupiscentiam in justis transire reatu, manere actu? Respondeo : Sensus est, concupiscentiam, quæ peccatum originale erat, vel potius cum eo conjuncta erat, reatu peccati hujus in baptismo abstersa, remanere actu. Patet enim culpa peccati originalis in baptismo remissa; concupiscentiam actu remanere ad luctam. Videtur enim S. Augustinus putasse concupiscentiam in non renatis esse peccatum originale, cujus contrarium multi doctores docent, idque videtur verius. Videtur enim peccatum originale, uti et habituale, consistere non in ipsa concupiscentia, sed in morali aversione a Deo, quæ remanet ex actu præterito, vel Adæ, vel proprio; sicque explicari potest S. Augustinus, ut hanc aversionem vocet reatum cum concupiscentia conjunctum, qui transit, cum in baptismo tollitur et remittitur, remanente nihilominus ipsa concupiscentia.

Peccatum originale consistit in aversione a Deo, non in ipsa concupiscentia, sed in habituali aversione a Deo.

VERS. 2. 2. LEX SPIRITUS VITÆ IN CHRISTO JESU (id est, per Christum Jesum) LIBERAVIT ME A LEGE PECCATI ET MORTIS. — Pro *liberavit* Tertullianus, lib. *De Resurrect. carn.*, cap. XLVI, legit *emancipavit*. Fuimus enim quasi mancipia peccati et mortis, sed a Christo manumissi et libertate donati sumus.

Jam « lex spiritus vitæ, » id est *lex spiritus vificantis*, puta, lex gratiæ et charitatis per Christum liberavit me a lege peccati et mortis, hoc est, a dictamine, jure, dominatu, reatu concupiscentiæ; ut, licet eam sentiam, non tamen consentiam. Ita S. Augustinus, lib. I *Contra duas epist. Pelag.*, cap. X, Theophylactus, Anselmus et alii. Est enim concupiscentia lex peccati, quia est fomes, ut dixi, ad peccatum sollicitans : consequenter est lex mortis, quia *stipendium peccati est mors*.

Jam peccati dum significatur potest.

Alii, « a lege peccati, » id est, inquiunt, a lege Mosi, quæ occasio erat peccati et mortis. Sic enim eam vocat cap. VII, vers. 6. Verum prior sensus videtur planior et germanior; nam paulo ante, cap. præced. vers. 23 et ultim., concupiscentiam vocavit legem peccati; de lege vero proprie dicta absolute subdit Apostolus dicens :

3. NAM QUOD IMPOSSIBILE ERAT LEGI (Mosaicæ, etiam naturali et decalogo, IN QUO INFIRMABATUR PER CARNEM. — *q. d.* Qualenus lex impotens erat et invalida propter carnem nostram peccato ut concupiscentia infectam, quæ sanare non poterat. Ita Theophylactus. Aliter Origenes, qui per « carnem » intelligit crassam, litteralem et carnalem legis intelligentiam; atque istam legis infirmitatem et impotentiam in eo collocat, quod impossibile fuerit legis cæremonias omnes secundum carnem, id est secundum litteram, observare. Verum hic sensus impertinens videtur et improprius. Ista enim infirmitas non legis erat, sed hominis.

DEUS FILIUM SUUM MITTENS (Græce πέμψας, id est *cum misisset*, *q. d.* misso Filio) IN SIMILITUDINEM CARNIS PECCATI, — id est, *carnis peccatricis*, *q. d.* Deus mittens Filium suum, præstitit et supplevit legis et carnis impotentiam; vel hebraismo, mittens, id est misit Christum, ut assumeret carnem humanam similem carni peccatrici aliorum hominum. Ita Theophylactus. Scilicet Christus natus est mortalis, vitæ nostræ ærumnas mortemque est passus, quæ debentur peccatoribus. Unde et per æneum serpentem a Mose erectum, *Num.* XXI, præsignatus est, utpote qui cum videretur habere venenum peccati, revera tamen non haberet.

Christus serpenti æneæ cum ad decreta, habens venenum peccati, non habuit.

Quare non bene Commentarius Hieronymo ascriptus : caro peccati, id est, ait, in qua erat non peccatum, sed proclivitas ad peccatum. Perperam etiam Manichæi similitudinem carnis peccati, carnem non veram, sed apparentem et similem veræ interpretantur : quia Christus, inquiunt, non verum, sed phantasticum carnem assumpsit. Nam, ut bene annotavit S. Basilius, *epist.* 63, non ait Apostolus : in similitudinem carnis humanæ, sed carnis peccati; et Tertullianus, lib. V *Contra Marcion.*, cap. XIV : « Similitudo, inquit, ad titulum peccati pertinet, non ad substantiæ mendacium. Nam nec adhibuisset, *peccati*, si substantiæ similitudinem vellet intelligi, ut negaret veritatem. Tantum enim *carnis* possisset, non et *peccati* : cum vero sic struxit, *carnis peccati*, et substantiam confirmavit, id est carnem, et similitudinem ad vitium substantiæ retulit, id est ad peccatum. » Et paulo ante : « Voluit Deus peccati carnem simili substantia redimere, id est carnea, quæ peccatrici carni similis esset, cum peccatrix ipsa non esset. Nam et hæc erat Dei virtus, in substantia pari perficere salutem. »

Commentarius pseudo Hieronymi, et Manichæorum et Marcionis hæreses circa Christi humanitatem jugulatur.

ET DE PECCATO DAMNAVIT PECCATUM IN CARNE. — S. Augustinus, lib. III *Contra duas epist. Pelag.*, cap. VI, tres affert expositiones, quarum *prima* est : « de peccato, » id est, *per peccatum*, hoc est, hostiam expiatricem peccati, scilicet, per corpus suum crucifixum, damnavit, id est abolevit, sustulit peccatum. Sic etiam Origenes. Ita enim alibi sæpe peccatum metonymice significat hostiam destinatam expiando peccado, ut dicam II *Cor.* V, vers. ultim.

Secunda est : « de peccato, » id est, *per peccatum Judæorum*, quo Christum crucifixerunt, deletum est peccatum.

Tertia, « de peccato, » id est, *per carnem Christi*, quæ similis erat carni peccati, delevit peccatum. Sed repugnat Græcum περί, quod non *per*, sed *de* significat.

Quarta expositio Anselmi.

Quarta est Anselmi : « de peccato, » id est *morte sua*, quæ erat peccati effectus, Christus damnavit peccatum. Sed et hoc remotum et alienum est.

Quinta Theophylacti.

Quinta est Theophylacti : « de peccato, » id est, *pro peccato*, vel propter peccatum expugnandum et abolendum, « damnavit, » id est destruxit et sustulit « peccatum in carne » sua moriens (1) : sed Græcum περί non significat *propter*. Adde, quod hic sensus tautologicus videatur.

Sexta Hilarii.

Sexto, Hilarius *in Psal.* LXVII : Christus, inquit, damnavit peccatum, id est *diabolum*, « de peccato, » in carnem Christi admisso, quia ejus mortis fuit auctor. Sed hoc quoque incommodum et durum videtur, ut scilicet ipse dæmon dicatur peccatum, cum peccatum paulo ante et passim hic proprie capiatur.

Septima et octava expositio.

Septimo, optime S. Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus : Christus, inquiunt, in carne patiens et moriens damnavit et sustulit peccatum, quasi reum peccati, eo quod injuste vim intulerit Christo, illumque occiderit innocentem, eo quod videret eum habere similitudinem carnis peccati : hac enim de causa juste peccatum suo dominio, quod habebat in alios homines, privatum est. Qui enim manum extendit in aliena, juste privatur suis. Est prosopopœia : peccatum enim quasi tyrannus hic regno privatur. Sic Christus morte sua damnavit et occidit mortem. Simile est *Joan.* XVI, 8, ubi dicitur, quod Spiritus Sanctus arguet mundum de peccato, de justitia et de judicio.

4. UT JUSTIFICATIO LEGIS IMPLERETUR IN NOBIS. — *q. d.* Ut totum quod lex præcipit, quasi justum et debitum, impleremus. Alii δικαίωμα pro δικαίωσις accipiunt, *q. d.* Ut justificatio a peccatis quam lex exigebat, impleretur in nobis, et hoc planius est. Hinc patet per solam naturam et legem, sine gratia Christi, hominem in hac corruptione non posse totam legem totumque decalogum implere.

5. QUI SECUNDUM CARNEM SUNT, QUÆ CARNIS SUNT, SAPIUNT (id est cogitant, amant, quærunt, iisque se pascunt et oblectant); QUI VERO SECUNDUM SPIRITUM SUNT (homines spirituales, secundum spiritum viventes), QUÆ SUNT SPIRITUS, SENTIUNT, — id est, *sequunt* : Græce enim idem est verbum quod ante, scilicet φρονοῦσιν, *q. d.* Homines carnales bona carnalia sectantur, probant, eligunt, ambiunt : spirituales vero spiritualia ambiunt, ut scilicet per legem charitatis sua studia, curas et actiones dirigant; ut motibus et instinctibus Spiritus Sancti obsecundent, et secundum illos vitam et mores componant; ut bona non terrena, sed spiritualia et æterna adament, omnique studio conquirant; τὸ enim *sentire* et *sapere* hic actiones sunt non tam intellectus, quam appetitus et voluntatis.

Carnalium et spiritualium diversa studia.

(1) Ita et Alliott : Et peccati causa (ad expiandæ peccata) condemnavit, vi sua privavit peccatum (concupiscentiam) quod se per carnem exserit, id est, destruxit vim gravarum cupiditatum in nobis.

6. NAM PRUDENTIA CARNIS, MORS EST, — id est sapere ac vivere secundum carnem mortem affert tum corporis, tum animæ; tum præsentem, tum maxime æternam. Hic sensus patet ex textu græco, vers. 5, ubi φρονοῦσι τὰ τῆς σαρκὸς, *est sapere carnalia*. Unde φρόνημα, vocat hanc prudentiam, sive sapientiam, id est hoc sapere. Sic prudentia spiritus est sapere et vivere secundum spiritum. Unde eamdem prudentiam, vers. seq., *sapientiam* vocat. Ibi enim in Græco idem est φρόνημα. Idem ergo hic sunt hæc quatuor, scilicet sapere, sentire, sapientia et prudentia : quæ non aliud significant quam amorem, affectum, curam et studium carnis, id est rerum carnalium; vel spiritus, id est rerum spiritualium.

Prudentia carnis est sapere carnalia.

Nota vocem causalem *nam* : ex illa enim patet Apostolum hic dare causam præcedentium, scilicet illius quod dixit vers. 4, justificationem legis impleri in iis qui non secundum carnem, sed secundum spiritum ambulant. Causa hæc est, quod prudentia, id est, amor et studium carnis mortem afferat : inde enim sequitur eamdem, non justitiam, sed peccatum afferre : peccatum enim mortis est causa, et inseparabiliter cum morte conjunctum; prudentia vero et studium spiritus, vitam et pacem affert : inde enim sequitur eamdem afferre quoque justitiam, utpote quæ vitæ est causa, et necessario cum vita et pace conjuncta est.

Prudentia carnis mortem, prudentia spiritus vitam operatur.

« Prudentia carnis, inquit Anselmus, est cor machinationibus tegere, sensum verbis velare, quæ falsa sunt vera ostendere, quæ vera sunt falsa demonstrare, honorum culmina quærere, adepta temporalis gloriæ vanitate gaudere, irrogata ab aliis mala multiplicius reddere; cum vires suppetunt, nullis resistentibus cedere : cum virtutis possibilitas deest, quidquid explere per nullitiam non valet, hoc impacifica bonitate simulare. Prudentia vero spiritus, id est justorum sapientia, est nihil per ostensiones fingere, sensum verbis aperire, vera, ut sunt, diligere, falsa evitare, bona gratis exhibere, mala libentius tolerare quam facere, nullam injuriæ ultionem quærere, pro veritate contumelias pati, lucrum putare. » Ubi nota, hæc tantum esse partem prudentiæ carnis, illaque apud Latinos proprie vocari prudentiam carnis : nam Græcum φρόνημα, ut dixi, ad omnes carnales affectiones, sapores et amores se extendit.

Prudentia carnis pulchra describitur.

Prudentia spiritus quid sit?

PRUDENTIA AUTEM SPIRITUS (est) VITA ET PAX. — Id est, sapere, amare, sectari spiritualia, vitam æternam et pacem, id est omnium bonorum proventum et tranquillam possessionem conciliat, *Rom.* II, 7.

7. QUONIAM SAPIENTIA CARNIS (sapere carnalia)

INIMICA EST DEO. — Dat hic causam cur prudentia et sapientia carnis non vitam, sed mortem afferat, quia nimirum ipsa inimica est Deo et legi divinæ : vita autem nostra animæ, maxime beata, a Deo pendet, et donatur Dei amicis, non inimicis : nam inimicos suos Deus æterna morte punit.

Causa ob quam prudentia carnis sit Deo inimica.

8. QUI AUTEM IN CARNE SUNT (qui carnis affectibus serviunt cosque explent, qui carnaliter vivunt), DEO PLACERE NON POSSUNT. — Τὸ *autem* capitur pro *enim* (1) : dat enim hic causam cur prudentia et sapientia carnis inimica sit Deo, quia nimirum Deus, qui purissimus est spiritus, impuros carnis affectus et opera odit et execratur, quo fit, ut ii qui carnales sunt, Deo placere non possint.

Vers. 9.

9. VOS IN CARNE NON ESTIS, SED IN SPIRITU. — *q. d.* Vos carnales non estis, carnalia non quæritis, non amatis, sed spiritualia : anima enim magis est ubi amat, quam ubi animat. Ita S. Leo, serm. 1 *De Resurrectione* : « Quamvis, inquit, spe salvi facti simus, et corruptibilem adhuc carnem mortalemque gestamus, recte tamen dicimur in carne non esse, si carnales nobis non dominentur affectus; et merito ejus rei deponimus nuncupationem, cujus non sequimur voluntatem. »

SI TAMEN SPIRITUS DEI HABITAT IN VOBIS. — Ecce quid sit esse in spiritu, nimiram Spiritum Dei non transire, sed habitare sedemque permanentem figere in aliquo.

Spiritus Sanctus hic et dona ejus per spiritum significantur.

Nota, *Spiritus* hic tam Spiritum Sanctum, quam spiritum charitatis et gratiæ nobis a Spiritu Sancto communicatum et infusum significat : hic enim ab illo separari nequit; nam Spiritus Sanctus per spiritum gratiæ inhabitat in anima nostra. Pulchre S. Augustinus in *Sententiis*, num. 168 : « Sicut, ait, non est a carne, sed supra carnem, quod facit eam vivere; sic non est ab anima, sed supra animam, quod eam facit beate vivere : quia ut vita carnis anima est, ita beata vita hominis Deus est. »

SI QUIS AUTEM SPIRITUM CHRISTI NON HABET, HIC NON EST EJUS. — Nota hic, eumdem esse Spiritum Christi et Dei, et consequenter Christum esse Deum. Rursum, si hic est Spiritus Christi, æque ac Dei, ergo Spiritus Sanctus a Filio æque ac a Patre procedit, inquit S. Ambrosius, lib. III *De Spiritu Sancto*, cap. IX. Examinet hic quisque, an sentiat in se spiritum, affectus, amores et studia, quos in se habuit vitaque sua expressit Christus, ut videat an ipse sit Christi, an vero mundi, vel diaboli. Spiritus enim Christi humilis et cælestis est; spiritus mundi vanus, terrenus et carnalis; spiritus diaboli superbus est, arrogans et invidus.

Spiritus Sanctus a Patre Filioque procedit.

SI CHRISTUS IN VOBIS EST, — per Spiritum suum Sanctum, ejusque gratiam et charitatem.

10. CORPUS QUIDEM MORTUUM EST PROPTER PECCATUM. — « Corpus mortuum, » Græce est νεκρὸν, id est *mortale*, mortis necessitati subjectum.

Homo non mortuus ex, sed peccati necessitate et mortis aut ultimo.

Notat S. Augustinus, contra Pelagianos et Philosophos, qui docent hominem etiam ante lapsum moriturum, et mori ex naturæ necessitate (quod idem docuit Eugubinus *in Genes.* II), hic ab Apostolo dici *corpus mortuum*, non propter naturam, sed *propter peccatum. Secundo*, dici *mortuum*, non mortale, quia ante lapsum poterat esse mortale, licet non moriturum, si nimiram in innocentia persisteret. *Mortuum* ergo est post peccatum, id est mortis necessitati factum est obnoxium, ita brevi et certo, ut quasi jam habeatur et dicatur mortuum. Ita S. Augustinus, lib. I *De Peccat. meritis*, cap. IV.

SPIRITUS VERO VIVIT PROPTER JUSTIFICATIONEM. — Legit noster Interpres ζῇ, id est *vivit*. Jam legunt ζωὴ, id est *vita*, *q. d.* Spiritus Sanctus, qui in se est vivens, ipsaque vita essentialis et increata, est causa vitæ nostræ spiritualis, eamque nobis communicat, dum nos facit vivere vitam non carnis, sed spiritus in charitate et gratia. Ita legunt et intelligunt S. Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus et alii; et huic sensui favent sequentia. Nam vers. seq., spiritus intelligitur non noster, sed Spiritus Sanctus idem, ut videtur, qui hic.

Verum noster Interpres, Origenes et Theodoretus legunt, « spiritus vivit, » id est mens nostra vivit, tum jam vita gratiæ; tum vivit, id est vivet vita gloriæ in resurrectione : sicut corpus jam mortuum est propter peccatum. Vivit, inquam, « propter justificationem : » Græce διὰ δικαιοσύνην, id est *propter justitiam*, ut nimirum serviat justitiæ, inquit Origenes. Putat enim ipse τὸ *propter* significare hic causam finalem. Verum aptius τὸ *propter*, vel *propter* (utrovis enim modo vertas) significat vel causam formalem (vitæ enim spiritualis causa formalis est justitia, sive gratia infusa), vel meritoriam, hoc sensu, *q. d.* Vivit, id est vivet, corpus nostrum in resurrectione et cælo propter justitiam. Justitia enim meretur hanc vitam, illius enim merces et præmium est gloria et vita æterna. Pari enim modo dicitur corpus mortuum propter peccatum, quia scilicet merito, vel potius demerito peccati pœnam mortis incurrimus.

Τὸ *propter* hic causam nec finalem, sed formalem, vel meritoriam significat.

11. QUOD SI SPIRITUS EJUS (Spiritus Patris) HABITAT IN VOBIS : QUI SUSCITAVIT JESUM A MORTUIS (ipse Deus Pater), VIVIFICABIT ET MORTALIA CORPORA VESTRA, PROPTER INHABITANTEM SPIRITUM EJUS IN VOBIS. — « Vivificabit, » nimirum in resurrectione, hoc est, donabit vobis corpora immortalia et gloriosa : nam alioquin et reprobi tunc vivificabuntur, sed ad pœnam.

Vers. 11.

Nota τὸ *propter inhabitantem Spiritum*. Hinc enim patet Spiritum Sanctum per spiritum charitatis in nobis inhabitantem esse causam resurrectionis et vitæ gloriosæ. Est enim hic Spiritus in se vita, omnia animans, vegetans et vivificans; ac proinde sicut Christi corpus, ita et nostrum vivificabit in u

Justitia, et Spiritus Sanctus gratia

in nobis resurrectione, si ipse in nobis inhabitet. Significat ergo hic Paulus justitiam esse causam moralem et meritoriam resurrectionis. Ita Molina *De Opere sex dierum*, disp. XXVIII (1).

Resurrectionis causa moralis.

Vers. 12.

12. ERGO DEBITORES SUMUS NON CARNI, UT SECUNDUM CARNEM VIVAMUS. — Supple, sed debitores sumus spiritui, ut secundum spiritum vivamus.

Christus charitatem nunquam capit spiritualiter, spiritualiter vivere debemus.

Nota τὸ *ergo* : colligit enim Apostolus hanc conclusionem ex dictis, *q. d.* Dixi hactenus vos non esse in carne, sed in spiritu, et a Christo translatos esse a carne ad spiritum : Christus enim novam spiritus vitam induxit. Ergo cum in baptismo nos obstrinxerimus Christo, quasi parenti et capiti nostro, sequitur pariter nos obstrictos et debitores esse non carni, ut carnaliter, sed spiritui, ut spiritualiter vivamus : Christus enim est et vivit non in carne, sed in spiritu.

Vers. 13.

13. SI SECUNDUM CARNEM VIXERITIS, MORIEMINI; SI AUTEM SPIRITU (per spiritum) FACTA CARNIS MORTIFICAVERITIS, VIVETIS. — Probat hic Apostolus sex argumentis, Christianis esse vivendum non secundum carnem, sed secundum spiritum; eaque proponit sex seqq. versibus. *Primum* est hoc versu : quia si secundum carnem vivant, morientur morte gehennæ et æterna; si autem secundum spiritum vivant, non morientur, sed vivent vita beata et æterna.

Sex argumenta, quibus etiamsi Apostolus non Christianos, vivendum non secundum carnem, sed spiritum.

Primum.

Secundum est vers. 14, quia si secundum spiritum vivant, et dicentur et erunt filii Dei.

Secundum.

Tertium est vers. 15, quia ad hoc acceperunt spiritum adoptionis, ut nimirum secundum spiritum vivant.

Tertium.

Quartum est vers. 17, quia si id faciant, erunt hæredes Dei.

Quartum.

Quintum est vers. 18, quia non sunt condignæ passiones, quas pro vita spirituali tuenda patiamur, ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.

Quintum.

Sextum indicat vers. 20, quia alias, si non spiritui, sed carni et creaturis serviant, servient vanitati : omnis enim caro et creatura vanitati et corruptioni subjecta est.

Sextum.

Pulchre S. Augustinus, serm. 13 *De Verbis Apostoli* : « Epicurei, inquit, posuerunt suam beatitudinem in carne carnisque voluptatibus; Stoici in anima, puta in virtute sua. Dicebat Epicureus : Mihi frui carne bonum est; dicebat Stoicus : Mihi frui mea mente bonum est; dicebat Apostolus : Mihi autem adhærere Deo bonum est. Errat Epicureus, fallitur Stoicus. Tunc enim recte anima vivit, si non secundum carnem, nec secundum seipsam, sed secundum Deum vivat. Sicut enim anima carnis, ita Deus animæ est vita. »

Nota τὸ *mortificaveritis*. Vivunt enim in appetitu nostro carnalia desideria actusque concupiscentiæ, quibus vitaliter concupiscimus vina, veneres, honores aliasque res carnales. Sed hæc ipsa per continentiam et mortificationem demanda, frenanda, eradicanda sunt, iis scilicet resistendo, eaque supprimendo; quod fieri nequit, nisi hæc desideria mortificemus, id est mortem iis afferamus. Mori enim debent, ut amplius non vivant, sed vivat in nobis virtus et continentia. Atque hinc est quod hæ concupiscentiæ, utpote vitales, sine magno animæ sensu et dolore mortificari nequeant. Magis enim vitaliter inhærent animæ, quam dens capiti, imo quam anima ipsi corpori : si ergo dens a maxilla, et anima a corpore evelli nequit sine ingenti dolore, sequitur concupiscentias quoque has vitales ex appetitu et anima sine ingenti dolore evelli non posse : necesse est enim, ut tam hic, quam ibi mors et dolor mortis interveniat.

Quia concupiscentiæ vitales nullo vitæ labore sunt, ideo magno animæ dolore evelli nequeunt.

Vers. 14.

14. QUICUNQUE SPIRITU DEI AGUNTUR (non ut bruta, sed ut homines ratione et libertate prædīti), ii SUNT FILII DEI. — Unde S. Augustinus, serm. 13 *De Verbis Apostoli* : « Dicet, inquit, mihi aliquis : Ergo agimur, non agimus. Respondeo, imo et agis et ageris; et tunc bene agis, si a bono agaris. Spiritus enim Dei, qui te agit, adjutor est agentibus. Nemo autem agitatur, si ab illo nihil agatur. Spiritus enim adjuvat infirmitatem nostram. » Idem, lib. *De Corrept. et Gratia*, cap. II : Intelligant, inquit, si filii Dei sunt, se spiritu Dei agi, ut quod agendum est agant; et cum egerint, illi a quo aguntur, gratias agant. Aguntur enim, ut agant, non ut ipsi nihil agant, et ad hoc eis extenditur, quid agere debeant; ut quando id agunt, sicut agendum est, id est cum dilectione et delectatione justitiæ, suavitatem quam dedit Dominus, ut terra eorum daret fructum suum, accepisse se gaudeant. » Vide eumdem de *Pugna animæ*, tom. IX. Sicut ergo Samson ad heroica fortitudinis opera patranda spiritu Dei correptus agebatur, unde antequam ea aggrederetur Samson, dicit sacra Scriptura : « Irruit spiritus Domini in Samson; » ita pariter justi et sancti ad spiritualia opera, utpote heroica opera, spiritu Dei aguntur.

Agimur et agimus tam a Deo, quam a nobis; vel potius solus Deus agit nos, nos vero agimur.

15. NON ACCEPISTIS SPIRITUM SERVITUTIS IN TIMORE. — Græce εἰς φόβον, id est *ad timorem*, *q. d.* ait S. Chrysostomus et Theodoretus : Non accepistis spiritum servorum ad timendum, ut Judæi, qui metu pœnæ a peccatis coercebantur; ut timore suppliciorum adigendi sitis ad legem Dei implendam.

Spiritus timoris triplicem partes hic segregamus.

Quæres : Quis sit hic spiritus timoris? Est lex, ait S. Augustinus, serm. 13 *De Verbis Apostoli*. *Secundo* et planius, est Spiritus Sanctus, inquit Anselmus, qui Judæis dedit legem timoris, quasi servis; nobis autem dat spiritum amoris, gratiam et veniam, quasi filiis. *Tertio* et planissime, spiritus timoris est spiritus servilis, quem acceperunt Judæi, ut quasi servi legi obedirent. Spiritus ergo timoris est ipse timor Judæis a Deo injectus, qui eos quasi servos agebat et impellebat, ad implendum id quod præceptum erat, quique

(1) Alii : *corpus*, id est natura vestra vitiosa, *vos morti adaicit propter peccatum*, id est concupiscentiam; *sed spiritus*, pars nobilior, *vivit propter justificationis gratiam.*

(1) Rectius, pro *igitur* : deducuntur enim hæc e superioribus. Ita Alliodi.

eos coïbebat ab opere externo contra legem patrando; sed internam cupiditatem compescere et evellere non poterat.

ACCEPISTIS SPIRITUM ADOPTIONIS FILIORUM, IN QUO CLAMAMUS: ABBA, PATER. — « Spiritum adoptionis, » id est *charitatem et gratiam Spiritus Sancti*, vel potius ipsummet Spiritum Sanctum, per quem adoptati sumus in filios Dei. Nam de Spiritu Sancto subdit, quod *testimonium reddat spiritui nostro, quod sumus filii Dei*. Unde ex hoc loco nota: Filiatio et adoptio nostra in eo videtur consistere, quod, sicuti Deus Christo homini dedit seipsum, id est deitatem et Verbum, ut hunc hominem qui dicitur Christus, faceret Filium Dei: ita nobis dat Spiritum Sanctum, ejusque deitatem, ut nos faciat suos filios, nosque adoptet. Sic enim apud homines pater dicitur, qui naturam suam filio communicat. Cum ergo pari modo Deus dando nobis Spiritum Sanctum, naturam suam divinam nobis communicet, sequitur eum tunc nos facere et adoptare in filios. In Eucharistia dat quidem nobis seipsum Filius, suamque naturam, sed ad cibum proprie, non autem ad generationem, vel adoptionem, uti in justificatione facit Deus et Spiritus Sanctus. Porro Spiritus Sanctus nos sibi in filios adoptat dupliciter: *primo*, per gratiam, quasi accidentaliter; *secundo*, per naturam, quasi substantialiter. In justificatione etenim ipsa natura et substantia deitatis se homini communicat, mirisque modo eidem se unit, uti docet Franciscus Suarez, lib. XII *De Deo trino et uno*, cap. V. De qua re plura dixi *Osee*, cap. I. 10, ac rursum dicam II *Petri* I, 4, ad illud: « Ut efficiamini divinæ consortes naturæ. »

Quid requiratur ad spiritualem generationem?

IN QUO (per quem Spiritum Sanctum) CLAMAMUS (non voce, sed filiali et fiduciali affectu): ABBA (id est), PATER, — præ dulcedine et teneritudine amoris, quasi infantes teneri, qui carissimum parentem balbutientes blandula et iterata vocula compellare solent: Pater, pater. Hinc et maxime ex vers. 26 patet, ait S. Augustinus, *epist.* 105: « Quod sicut sine spiritu fidei non est quisquam recte creditурus, ita sine spiritu orationis nemo est salubriter oraturus. »

Nota hic, gratiam et adoptionem, aliasque operationes et effectus, licet communes sint SS. Trinitati, appropriari tamen Spiritui Sancto, quia Spiritus Sanctus procedit per voluntatem et amorem, et primus ac notionalis est amor: alioqui re ipsa, sicut se dat et communicat justus Spiritus Sanctus, sic et Pater et Filius, eosque SS. Trinitas sibi in filios adoptat, in iisque habitat. Hoc est enim quod dicitur *Joan.* XIV, 23: « Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. »

ABBA, PATER, — ὁ πατὴρ, id est pater, est nominativus, quem ad auxesin, pro vocativo hic poni putat Syrus. Vertit enim ipse אבא אבון *abba, abun*, id est abba, pater noster.

Secundo et proprie, *q. d.* Paulus: *Abba*, quod significat *pater*. Pater enim nominativi est casus, additurque ut explicet Hebraeum, vel potius Chaldæum *Abba*. Unde Biblia Regia et Romana τὸν *pater* includunt parenthesi. Sic dicitur *Joan.* I, 38: « Rabbi (quod dicitur interpretatum magister): » et *Joan.* IX, 7: « Siloe (quod interpretatur Missus). » Alludit enim Paulus hic ad Evangelium S. Marci, quod Romæ scribat esse conscriptum notumque Romanis. Nam *Marci* XIV, 36, dicitur *Abba* (scilicet id est), *pater*. Christus enim non dixit Græce, vel Latine τὸ *pater*, sed tantum dixit Hebraice, vel potius Syro-chaldaice, τὸ *Abba*, quod explicat Marcus dicens, *pater*. Tangit autem has duas linguas Apostolus hic, et *ad Galat.* IV, 6, ait S. Augustinus, *De Spirit. et Litt.*, cap. XXXII, et Anselmus, ad hoc ut significetur idem esse Deus, eademque apud Deum esse adoptio Judæorum et Gentium. *Abba* enim Judæorum, *pater* Græcorum et Gentium est idioma et vox.

16. IPSE SPIRITUS TESTIMONIUM REDDIT SPIRITUI NOSTRO, QUOD SUMUS FILII DEI. — « Testimonium reddit, » Græce συμμαρτυρεῖ, id est *contestificatur spiritui nostro*. Quod *primo*, sic potest accipi, quasi verbum compositum ponatur pro simplici, ut *contestificatur* idem sit, quod testificatur, uti vertit noster Interpres, et Græci.

Secundo, potest accipi proprie, ut *contestificatur* idem sit, quod *simul cum spiritu nostro testatur*, quasi duos hic testes filiationis nostræ producat Paulus, nimirum Spiritum Sanctum et spiritum nostrum, *q. d.* Spiritus Sanctus simul cum spiritu nostro testificatur nos esse filios Dei, scilicet dum nos excitat et spiritum nostrum, ut dicamus: Abba, pater.

« Spiritus Sanctus, inquit Bernardus, serm. 2 *in Pentecost.*, donat animæ, *primo*, pignus salutis, scilicet testimonium quod filius Dei sis; *secundo*, robur vitæ, ut in laboribus, vigiliis et in omnibus observantiis delectabiliter incedas; *tertio*, scientiæ lumen, ut cum omnia bene feceris, te servum inutilem putes, et quidquid boni in te inveneris, illi tribuas, a quo omne bonum est. »

Tripliciter homo, quadantenus a Deo donat Spiritus Sanctus.

Nota: hoc testimonium Spiritus Sancti, quo nobis testatur nos esse filios Dei, non est certum certitudine fidei, ut volunt hæretici; hoc enim damnat Concilium Tridentinum, et Apostolus, 1 *Cor.* IV, 3, et alibi; nec etiam certum est certitudine infallibili, ut volunt Catharinus et Cajetanus; sed tantum certum est certitudine conjecturali, quæ tamen certitudo cum sanctitate crescit, adeo ut Andreas Vega, Ruardus, et eos secuti gs Pererius putent aliquos viros valde sanctos sine speciali Dei revelatione, ex signis et affectibus Spiritus Sancti, quos valde crebros, claros et efficaces in se experiuntur, habere certitudinem non quidem infallibilem, ita ut ausint jurare se esse in gratia Dei, sed talem et tantam, quæ omnem metum et formidinem oppositi excludat non solum ab affectu et fiducia, sed etiam ab intellectu et persuasione: ita ut tales tam certo sciant se esse in gratia Dei, quam certo scimus

Testimonium Spiritus Sancti quatenus liceat fidelibus petere.

Testimonium Spiritus Sancti, quandoque tantum confert ejus filiis Dei, non affert certitudinem fidei omnino haereticae.

et credimus Constantinopolim vel Alexandriam esse, ex eo quod passim omnes dicunt illas urbes esse et existere.

Dices: Testimonium hoc est a Spiritu Sancto, ergo est omnino certum.

Testimonium Spiritus Sancti et spes conjuncta habet incertitudinem et Concilio.

Respondeo: In se quidem est certum, nobis tamen non est certum; quia non sumus certi omnino illud esse a Spiritu Sancto, non autem a diabolo. Unde 1 *Joan.* IV, 1, dicitur: « Probate spiritus, si ex Deo sint, » an diabolo, a natura et a gratia. Experientia enim quotidiana docet plurimos hic falli. Nam hæretici omnes jactant Spiritum Sanctum; qui tamen contraria docent et credunt, suntque in sectas quam plurimas divisi, et quisque certo sibi persuadet se agi et illuminari a Spiritu Sancto, cum constet plerosque, imo omnes falli: nec enim Spiritus Sanctus contraria, præsertim erronea et hæretica, docet vel inspirat. Si in fide et certitudine fidei suæ falli possunt, multo magis in certitudine gratiæ et charitatis falli possunt. Unde 1 *Cor.* IV, 4, Apostolus de se dubitat dicens: « Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum. » Apostolus ergo hic per hoc testimonium Spiritus Sancti, non vult inducere fidem specialem justitiæ cujusque fidelis, sed tantum vult corroborare spem nostram. Spes autem non exigit sui objecti plenam certitudinem, sed potius cum incertitudine et timore illud amittendi conjuncta est.

Testimonium Spiritus Sancti quatenus liceat fidelibus petere.

Quæres: Quodnam est hoc testimonium? Respondet *primo* Origenes, esse hoc, quod speremur nos ex amore legem Dei implere, non ex timore.

Secundo, Ambrosius et Anselmus respondent esse imitationem Dei et Christi; per illam enim fimus similes Deo, ac consequenter filii Dei.

Tertio, Theodoretus respondet testimonium hoc esse sacram doctrinam, quæ docet Deo, quasi patri obedientes, eumque invocantes esse filios Dei.

Quarto, Sedulius respondet esse Spiritum Sanctum qui datus est nobis. Hic enim testatur nos esse filios Dei.

Quinto, optime S. Chrysostomus et Toletus respondent, testimonium hoc esse clamorem, de quo locutus est Apostolus vers. præced.: dum enim clamamus filiali affectu: *Abba*, *pater*, per Spiritum Sanctum, ipse clamor noster, et Spiritus Sanctus, auctor hujus clamoris, nobiscum testatur, ut habet Græcus, spiritui, id est menti nostræ, nos esse filios Dei, maxime si accedat pia vita, mundi contemptus, cœlestium desiderium, innocentia, pax conscientiæ, libenter audire et cogitare de Deo et rebus salutis, zelus honoris Dei et salutis animarum, pro Deo multa pati, ac præsertim, si, ut Cajetanus solerter annotavit, quis in se hæc duo sentiat: *primo*, amorem Dei, ad prompte obediendum Spiritui Sancto; *secundo*, continuam Dei gubernationem, quasi paternam, qua se ad bona opera dirigat, et a peccatis gravioribus custodiat; addit *tertio* S. Gregorius, lib. I *Dialog.* cap. I, humilitatem, si illa cum aliis virtutibus jungatur; addit *quarto* S. Basilius, odium ingens peccati, ac zelum ad illud in se et in aliis extirpandum. Ita enim ipse, interrog. 296 in *Regul. Brevioribus*, quærit: « Qua ratione, inquit, persuaderi possit animæ cuipiam, quod a peccatis sit libera » et expurgata, ac consequenter quod Dei sit amica et filia? ac respondet: « Si quis in seipso animi affectionem illam similem David inesse animadverterit, apud quem est: Iniquitatem odio habui, et abominatus sum; aut assecutum se præceptum illud Apostoli, qui dixit: Mortificate igitur membra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam et avaritiam, quæ est simulacrorum servitus, propter quæ venit ira Dei super filios incredulitatis; ut vere dicere illud possit: Non adhæsit mihi cor pravum, declinantem a me malignum non cognoscebam. » Deinde hujus odii peccati hoc dat signum: « Porro intelligit aliquis se in hujusmodi affectione positum, si etiam adversus peccantes admirabilem et horrore plenam sanctorum virorum misericordiam illam imitatus sit, velut David quidem, apud quem est: Vidi prævaricantes, et tabescebam; Apostoli vero, qui ait: Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror? Quandocumque igitur quis vel in suis, vel in alienis peccatis eo modo, quo diximus, animo affectum se esse animadverterit, tunc sine dubio credat se liberum esse a peccato, » ac consequenter se esse in gratia, adeoque esse filium Dei.

Quatuor efficacia testimonia, quod quis sit filius Dei.

Testimonii et absolutæ certitudinis quotidiana in se et aliis edita signa.

Denique tria his similia signa dat S. Bernardus, serm. *De quatuor orandi modis*: « At fortasse quæras, inquit, unde aut quomodo nosse poteris, utrum hanc consecutus sis indulgentiam. Sic nimirum conservandæ humilitatis gratia, divina solet pietas ordinare, ut quanto quis plus proficit, eo minus se reputet profecisse. » Ac post pauca: « Tunc ait Dominus paralytico: Surge, tolle lectum tuum, et ambula. Et tu ergo *primo*, si jam surgis desiderio supernorum; *secundo*, si grabatum tollis, corpus scilicet a terrenis elevans voluptatibus, ut jam non feratur anima concupiscentiis ejus, sed magis ipsa, ut dignum est, regat illud, et ferat quo non vult; *tertio*, si demum ambulas, quæ retro sunt obliviscens, et ad ea quæ ante sunt te extendens, desiderio et proposito proficiendi: curatum te esse non dubites; neque enim surgere poteras, si non aliquatenus onus esset alleviatum, nec grabatum tollere, nisi exoneratus magis; quia nec ambulare in fervore conversationis cum peccatorum gravi mole possibile est. »

Tria signa a S. Bernardo allata ad certitudinem gratiæ.

Ex hisce signis et testimoniis oritur in anima nostra certitudo conjecturalis justitiæ et sanctitatis nostræ, quæ nobis sufficere debet, nec alia quærenda est: Deus enim vult nostram spem

Certitudo conjecturalis justitiæ, et sanctitatis.

mixtam esse formidine, nosque sollicitos ac suspensos tenere, ut securitate non torpescamus, sed cum metu et tremore, vigilanter et studiose nostram salutem operemur. Unde pulchre S. Gregorius, *epist.* 186, quæ est libri sexti 22, ad Gregoriam, cubiculariam Augustæ, petentem sibi dari plenam certitudinem (qualem pollicentur Novantes nostri) et revelationem de remissione peccatorum suorum, ita rescribit : « Quod vero dulcedo tua in suis epistolis subjunxit, importunam se mihi existere, quoadusque scribam mihi esse revelatum, quia peccata tua dimissa sunt, rem et difficilem, etiam et inutilem, postulasti. Difficilem quidem, quia ego indignus sum, cui revelatio fieri debeat : inutilem vero, quia secura de peccatis tuis fieri non debes, nisi cum jam in die vitæ tuæ ultimo plangere eadem peccata minime valebis. Quæ dies quousque veniat, suspecta semper ac semper trepida metuere culpas debes, atque eas quotidianis fletibus lavare. » Deinde idipsum exemplo S. Pauli confirmat dicens : « Certe Paulus Apostolus jam ad tertium cœlum ascenderat, in paradisum quoque ductus fuerat, arcana verba audierat, quæ homini loqui non licebat ; et tamen adhuc trepidans dicebat : Castigo corpus meum, et servituti subjicio, ne forte aliis prædicans, ipse reprobus efficiar. Adhuc timet, qui jam ad cœlum ducitur, et jam timere non vult, qui adhuc in terra conversatur ? » Denique causam hujus incertitudinis subdit, dum ait : « Perpende, dulcissima filia, quia mater negligentiæ solet esse securitas : habere ergo in hac vita non debes securitatem, per quam negligens reddaris. Scriptum est enim : Beatus vir qui semper est pavidus. Et rursus scriptum est : Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore. In pauco ergo hujus vitæ tempore mentem vestram necesse est ut tremor teneat, quatenus per securitatis gaudium sine fine postmodum exultet. »

Cur Deus in hac vita nobis tantum habere certitudinem et securitatem vetuerit?

17. SI AUTEM FILII (Dei sumus, ergo) ET HÆREDES — Dei sumus. Dices : Ergo non opus est bonis operibus. Si enim vita æterna nobis obtingit ex hæreditate, ergo non ex meritis bonorum operum.

Filiatio Dei et jus hæreditatis cœlestis stabiliendum hoc asseritur.

Respondeo : Nego consequentiam, quia filiatio hæc accepta in baptismo, et consequenter jus ad hæreditatem cœlestem, conservanda et augenda sunt per bona opera, præsertim patientiæ, quibus eamdem hæreditatem et gloriam, atque gloriæ augmentum mereamur. Sic enim Deus ordinavit, ut qui facit justitiam, justus sit et hæres Dei, utque tanta felicitas et gloria nonnisi per labores, dolores et cruces, magnamque et multam patientiam, cum Christo nobis obtingat. Unde subdit Apostolus : « Si tamen compatimur (patimur cum Christo), ut et (cum eo) conglorificemur. » Nervose S. Cyprianus, serm. 2 *De Zelo et livore* : « Si hominibus, ait, lætum est et gloriosum filios habere consimiles, et tunc magis generasse delectat, si ad patrem lineamentis paribus soboles successive respondeat : quanto magis in Deo Patre lætitia est, cum quis sic spirituaiiter nascitur, ut actibus ejus et laudibus divina generositas prædicetur ? » Et S. Augustinus, epist. 85 *ad Consentium* : « Cogitemus nos tanto similiores Deo, quanto esse poterimus ejus participatione juctiores. »

Nota : Apostolus duodecim hic argumentis hortatur fideles ad patientiam, et opera patientiæ : singula enim ejus verba pondus habent, et pleraque novam rationem et stimulum suggerunt.

Duodecimarg. mentatio excitatis ad patientiam adferuntur ab Apostolo.

Primo enim ait : Si tamen compatimur, *q. d.* Christus dux noster in cruce præit, quidni eum quasi milites generosi sub crucis vexillo subsequamur ?

Primum.

Secundum est, cum subdit : Ut et conglorificemur, *q. d.* Non qualem qualem, sed ipsam Christi Filii Dei gloriam, pro præmio assequemur, ut, sicut communis fuit nobis passio cum Christo, ita communis sit et gloria.

Secundum.

Tertium est, quod ait vers. 1 : Non sunt condignæ passiones, *q. d.* Modica passione emes gloriam immensam, quasi si obolo emeres totum orbem. Si quis etiam hostis coronatos aut gemmas in dorsum tuum conjiceret, non doleres, sed gauderes, colligeres eas ; et, ut aiebat S. Junipe-rus : Talibus lapidibus lapidari vellem Parisiis Aureliam usque. Hæ gemmæ, hi lapides pretiosi, sunt tribulationes.

Tertium.

Tribulationes, gemmæ et lapides pretiosi, quibus Sanctis ditantur.

Quartum est, quod ibidem addit : Hujus temporis, *q. d.* Momentaneæ passione emes beatam æternitatem.

Quartum.

Quintum est, vers. 19 : Nam expectatio creaturæ revelationem filiorum Dei exspectat, *q. d.* Omnes creaturæ nobiscum patiuntur et exspectant, ut per nostram patientiam nobiscum gloriam et renovationem adipiscantur. Ergo pati oportet illarum tam exemplo, quam commodo, quia nostra patientia omnibus hanc gloriam conciliabimus.

Quintum.

Gratia augmen gloriæ, dispositio ad gloriam, gloria connaturalis.

Sextum est, quod ait ibidem : Revelationem filiorum Dei exspectat, *q. d.* Cupimus esse filii Dei, sed perficere oportet hanc filiationem, ut per patientiam adoptionem et hæreditatem filiorum Dei in cœlis assequamur.

Sextum.

Septimum est, quod affert vers. 22 : Omnis creatura ingemiscit et parturit usque adhuc, *q. d.* Aliæ creaturæ ab exordio mundi hucusque patiuntur, homo autem brevi tempore vitæ suæ : quidni ergo fortiter ferat brevem crucem, quam constanter creaturæ aliæ per tot sæcula tulerunt ?

Septimum.

Octavum, quod habet vers. 23 : Exspectantes redemptionem corporis nostri, *q. d.* Corpus hoc miserum et ærumnosum per patientiam fiet impassibile et gloriosum : patientiam ergo hanc animose amplectamur.

Octavum.

Nonum est, vers. 24 : Spe, inquit, salvi facti sumus, *q. d.* Certam habemus spem, nos brevi omni passione liberandos : spes hæc animos excitet ad dura quævis toleranda. « O passi gravia, dabit Deus his quoque finem, » et finem celerem.

Nonum.

Decimum est : Spiritus, inquit, adjuvat infirmitatem nostram, et postulat pro nobis : quidni ergo tali adjutore et succollatore fortiter crucem nostram humeris excipiamus ?

Decimum.

Undecimum est, vers. 28 et seqq. : Diligentibus, inquit, Deum omnia cooperantur in bonum. Feramus ergo alacriter infamiam, morbos, famem, ærumnas, persecutiones, mala omnia ; quia hæc omnia nobis Deus in bonum convertet.

Undecimum.

Duodecimum est, vers. 29, quod patientes sint prædestinati : Deus enim suos amicos et electos prædestinavit, ut sint conformes Filio suo, tam in patientia, quam in gloria. Denique si Deus pro nobis, quis contra nos ?

Duodecimum.

VERS. 18. NON SUNT CONDIGNÆ (S. Augustinus legit *indignæ sunt*) PASSIONES HUJUS TEMPORIS AD FUTURAM GLORIAM (1), — scilicet quatenus passiones humanæ sunt et temporaneæ : cædem tamen ad gloriam futuram condignæ sunt, quatenus sunt passiones gratiæ Christi meritis innixæ, seu quatenus hæ passiones per gratiam Christi suscipiuntur et tolerantur. Explico : si passionum nostrarum naturam, vim, dignitatem, in se, et ut nostri sunt arbitrii, cum libere et voluntarie sufferuntur ; si earumdem acerbitatem, multitudinem, durationem aliasque circumstantias naturales spectes, non sunt condignæ ad futuram gloriam ; si vero passiones hasce spectes, prout gratia et charitate Dei informantur, ab eaque manant, sive prout ex Dei amore, fide, spe, cultu, obedientia et patientia Christiana suscipiuntur et tolerantur, sic condignæ sunt ad futuram gloriam : sic enim sunt actus gratiæ, charitatis, patientiæ, etc. ; gratia autem semen est gloriæ. Itaque sicut semen, licet in se exiguum, vim tamen et efficaciam seminalem habet producendi flores, frondes et fructus : ita tam passio, quam actio manans ex gratia et charitate Dei, licet in se exigua sit, vim tamen habet et efficaciam producendi tum physice et dispositive (est enim gratia dispositio ad gloriam, illique connaturalis), tum potius moraliter et meritorie gloriam cœlestem et beatam. Hujus sententiæ et axiomatis parallela est ista quam S. Furseus audivit concinentes angelos : « Nullus labor durus, nullum tempus longum quo gloria æternitatis acquiritur, » uti refert Venerabilis Beda, lib. III *Historiæ Anglic.*, cap. XIX.

Passiones humanæ actitiæ Christi meritis innixæ condignæ sunt ad futuram gloriam.

Ergo nihil hic habent hæretici ut tollant meritum ; nam eodem modo de Christo dicere poterat, imo dixit Apostolus : « Non sunt condignæ passiones hujus temporis, tam Christi, quam nostræ scilicet, ad futuram gloriam. » Sicut ergo modicum auri valet equum aut bovem, tum sui valore et pretio, tum ex institutione et æstimatione hominum : sic modicum in se opus ex gratia factum, meretur vitam æternam, tum sua ipsius dignitate et pretio, tum ex promissione et institutione Dei. Pari modo non sunt condignæ voluptates hujus sæculi ad pœnas æternas, quas tamen juste eos mereri qui iis indulgent, nemo negat.

Illisce tamen jam dictis ad plenam explicationem sententiæ hujus Paulinæ adde : etiamsi opus bonum spectes, quatenus ex gratia et charitate fit, adhuc tamen proprie et adæquate non est condignum ad tantam gloriam : licet enim cum ea proportionem quamdam habeat, non tamen æquam dignitatem ; quæ enim proportio est inter terrenam passionem et martyrium unius horæ, cum æterna et immensa gloria cœlesti ?

Pœnæ et opus bonum quam proportionem habent cum æterna gloria.

Audi S. Augustinum in *Sententiis*, num. 272 : « Sæviat, ait, et fremat mundus, increpet linguis, coruscet armis ; quidquid fecerit, quantulum illud erit ad illud quod accepturi sumus ? Appendo quod patior contra id quod spero : hoc quidem sentio, illud spero ; et tamen incomparabiliter majus est quod speratur, quam quod aufertur. Quidquid est quod contra Christi nomen sævit, si potest vinci, tolerabile est : si non potest, proficit præmio citius consequendo ; et fidelis fine temporalis mali, transit in perceptionem æterni boni. » Eodem dilemmate S. Sebastianus martyr (ut habetur in ejus Actis) SS. Marco et Marcelliano acerrime tentatis a suis parentibus, et jam nutantibus, persuasit constantiam in fide et martyrio, dicens : Omnis labor et dolor hujus vitæ obitus pro Christo, aut lentus et longus est, aut acer et intensus. Si acer, brevis est, et diu durare nequit mortemque accelerat ; si lentus, tolerabilis est. State ergo fortiter, tolerate et lentos et acres dolores, quia hi parient vobis coronam et gaudium immensum æque ac æternum.

SS. Fraciscus et Alibi de passio.

Rursum : « Si quotidie, ait idem Augustinus, serm. 2 *De Festo omnium Sanct.*, oporteret nos tormenta perferre, si gehennam ipsam parvo tempore tolerare, ut Christum videre digni essemus venientem in gloria, et Sanctorum ejus numero sociari, nonne erat dignum pati omne quod triste est, ut tanti boni tantæque gloriæ participes haberemur ! » Vide eumdem serm. 37 et 44 *De Sanctis*. Hinc alebat S. Franciscus : « Tanta est gloria, quam exspecto, ut omnis me pœna delectet, omnis morbus, humiliatio omnis, persecutio omnis,

(1) Apostolus, laudatis superius atque commendatis insignibus beneficiis a Christo et Christianismo allatis, pergit ad caput de miseriis quibus anguntur Christiani. Objici poterat, cum tanta Christianæ religionis laude haud facile concipari posse pressuras et calamitates ubique obvias. Hanc offensam removet Paulus, tum admonitione, quod nondum commoda felicitas obtingere possit hominibus, quæ potius futuro tempori reservetur, ac spe tantum capiatur, vers. 19-25 ; tum commendatione præsentis fructus, quem inter ipsas miseras religio Christiana afferat, 26-39, quum non certos reddit, secundum ordinationem divinam piis Dei cultoribus etiam mala ad bonum cedere, vers. 28, eosque olim fore felicissimos, exemplo Christi, cui nonnisi per miserias hujus vitæ aditus ad summum felicitatis dignitatisque culmen pervenisset, vers. 29 seqq.

mortificatio omnis. » Et Abibus, diaconus et martyr, ut habetur in Actis ejus, cum in persecutione Licinii sub annum Christi 316, Edessenam civitatem obiret, omnes confirmans ad pietatem et constantiam in fide, captus a Lysania, ungulis laceratus, suspensus, omnibusque membris distortus atque luxatus, rogatus a Præside, quamnam ei utilitatem tormenta conciliarent, quæ corpus illius tantum consumebant, respondit Christi [illegible] « Non ad præsens usque tempus, inquit, nostra consistunt, nec ea sotum sequimur, quæ cernuntur. Quod si tu quoque volueris aspicere ad spem et promissam nobis remunerationem, forte etiam dices cum Paulo : Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. » Qua de causa in ignem conjectus ore flammam excipiens, spiritum martyr Deo reddidit.

Huc quoque pertinet illud S. Gregorii, lib. VI *Moral.*, cap. VIII : « Sancti viri, inquit, foris despecti sunt, et velut indigni omnia tolerant, sed digne ea supernis sedibus confidentes, æternitatis gloriam cum certitudine exspectant. » Refert Joannes Moschus in *Prato spirit.* (qui liber in II Nicena Synodo generali citatur), cap. CXXX, quod Abbas Athanasius audierit choros laudantium Deum, eumque vellet ad eos ingredi, audiit : « Nemo huc ingreditur negligens : abite, certute, contemnite vanitatem sæculi. »

Pulchre et apposite S. Bernardus, *De Conversione ad Clericos*, cap. XXX : « Non sunt condignæ, ait, passiones hujus temporis ad præteritam culpam quæ remittitur, ad præsentem consolationis gratiam quæ immittitur, ad futuram gloriam quæ promittitur nobis. » Et alibi : « Propter quatuor totam vitam nostram debemus Christo. Totos nos debemus satisfactioni pro peccatis præteritis, totos creatori, totos redemptori, totos futuræ gloriæ. Ecce quatuor creditores, quibus nos totos debemus. »

19. NAM EXSPECTATIO CREATURÆ REVELATIONEM FILIORUM DEI EXSPECTAT. — Nota, *ut nam* dat rationem præcedentium, *q. d.* Certissime in nobis, totique mundo revelabitur hæc gloria, quia omnis creatura eam avidissime exspectat : videturque innatum et insitum a Deo illi hoc desiderium : quod sicut Deus illi inseruit, ita et explebit.

EXSPECTATIO. — Græce ἀποκαραδοκία, id est sollicita, anxia, ut ait Theophylactus, et quasi erecto exsertoque capite exspectatio. S. Hilarius, lib. XII *De Trinitat.*, vertit, *longinqua* ; Ambrosius, *frequens exspectatio*, scilicet ab origine mundi. Componitur enim hæc Græca vox, ex ἀπὸ, id est *a*, et κάρα, id est *caput*, et δοκέω, id est *videre* ; quia qui valde aliquid videre desiderant, porrecto capite, subinde illud prospiciunt aut suspiciunt in altum, uti in montes aut in cœlum, quasi rem desideratam inde exspectent.

Nota emphasim : Non dicit : Creatura exspectat sed, Exspectatio creaturæ exspectat ; *q. d.* Creaturæ ita avide hanc gloriam exspectant, ut videantur esse ipsa exspectatio.

CREATURÆ. — *Primo*, Origenes, Theodoretus et Nazianzenus, orat. I *Contra Julian.*, et Cyrillus, lib. III *Thesauri*, cap. I et VII, per *creaturam* intelligunt angelos, qui vanitati et servituti corruptionis non suæ, sed hominum, maxime electorum serviunt, et ab hac servitute liberabuntur in hominum resurrectione. Verum hæc expositio disforta et pene violenta videtur : nec enim angeli, cum sint beati, propter hominum vanitatem propria dici possunt subjecti vanitati, et in ea esse inviti, ab eaque fore liberandi, ut recte annotavit D. Thomas.

Secundo, S. Augustinus hic in expositione proposita supra, et lib. LXXVIII *Quæstionum*, Quæst. LXVII ; Anselmus, Gregorius, lib. IV *Moral.*, cap. XLI ; Andreas Masius, *in Josue* cap. VI, vers. 13 ; Catharinus et Cajetanus hic : *omnis creatura*, inquiunt, id est omnis homo, qui est nodus et vinculum omnis creaturæ, et microcosmus, et mundi miraculum, ut aiebat Trismegistus : quia nimirum homo ab omnibus creaturis aliquid participat, scilicet ab elementis esse, a plantis vegetari, ab animalibus sentire, ab angelis ratiocinari ; et sic omnes creaturæ in homine et cum homine patiuntur, optantque inde liberari. Homo enim, qui constantiæ statum volens deseruit, prassus justo mortalitatis pondere, nolens vanitati, id est mutabilitati corruptionis suæ servit. Sic *creatura* capitur pro *homine*, *Marci* cap. ult., vers. 15. Aliter etiam S. Augustinus supra : *Creatura*, inquit, id est homo infidelis, liberabitur a servitute corruptionis, id est a peccato : quia vocabitur ad fidem, fietque filius, ut postea libertatem gloriæ filiorum assequatur. Verum Apostolus loquitur hic de liberatione a corruptione, non peccati in hac vita, sed mortalitatis in futura.

Tertio, et optime *creatura* hic proprie accipitur. Nam, vers. 22, opponitur hominibus et filiis Dei. Ita S. Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Œcumenius, Ambrosius, lib. IV *Hexameron* ; Hilarius, lib. XII *De Trinit.* ; Solus, Adamus, Pererius et Toletus. *Creatura* ergo hic sunt cœli, elementa omniaque creata ; ut sit prosopopœia, *q. d.* Paulus : Omnes creaturæ avidissime naturali appetitu exspectant tempus, quo filii Dei gloria donabuntur, ut eum eis quibus servierunt, quasi dominis, ipsæ quoque suam gloriam, renovationem ac perfectionem, tanquam famuli accipiant. Sic arbor per appetitum, non rationalem, nec animalem, sed naturalem, dicitur exspectare suum fructum, et semen suum messem, *q. d.* Apostolus : Atque hoc magnum est argumentum, gloriam illam nobis præparatam ingentem esse et inæstimabilem, quod omnes creaturæ etiam insensibiles totæ ad illam anhelent.

20. VANITATI CREATURA SUBJECTA EST NON VOLENS, SED PROPTER EUM, QUI SUBJECIT EAM IN SPE, — « Vanitas » hic est defectus mutabilitatis, et opera servilia, labores, passiones et corruptiones, quibus creaturæ occupantur propter hominem, ut patet ex sequent. (1). Hinc Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus et Œcumenius aiunt cœlos esse corruptibiles, intellige qualitate, non substantia.

Secundo, Erasmus Græcum ματαιότητι, vertit *frustrationem*, *q. d.* Natura non assequitur quod intendit, dum unum individuum ex alio propagat, ne species intercidat, ea re moliens quasi immortalitatem quamdam ; sed frustra : nec enim eam assequetur ante resurrectionem nostram.

Tertio, Origenes, lib. I *Periarchon*, VII : Vanitas, inquit, hanc sunt corpora, in quæ animæ ante corpus existentes ob peccata sua sunt detrusæ ; et talia corpora sunt etiam sol, luna, imo et terra et cœli. Hæc enim omnia habent animas, quæ ante ea extiterunt, ac consequenter possunt ipsa peccare, judicinmque Christi æque ac homines subibunt. Hæc ergo corpora proprie exspectant resurrectionem, et ut a corruptione liberentur, proprie sperant et ingemiscunt. Hæc est Origenis hæresis, de qua Epiphanius, *hæresi* 64, et S. Hieronymus *ad Avitum*, absona sane et absurda. Est enim contra omnem rationem, philosophiam, experientiam.

NON VOLENS, — id est, *non sponte* (uti legit Comment. S. Hieronymo ascriptus, et Hilarius superius citatus), hoc est, non ex naturali inclinatione : quæque enim creatura naturaliter amat suum esse, et conservari, suamque perfectionem, ideoque abhorret ab hac vanitate et corruptione. Ita D. Thomas. Creatura ergo vanitati huic subjecta est non sponte sua, sed propter eum (Deum Deique ordinationem) qui huic vanitati eam subjecit, propter hominem, ut scilicet illi serviat in hoc mortali statu.

IN SPE, — sub spe liberationis et commutationis in melius in communi hominum rerumque omnium resurrectione et renovatione.

21. CREATURA LIBERABITUR A SERVITUTE CORRUPTIONIS, IN LIBERTATEM GLORIÆ FILIORUM DEI. — *Primo*, Ambrosius legit *in libertate*, cum scilicet in illa erit, *q. d.* Cum libertatem, id est incorruptionem, adepta fuerit. Sic et Theodoretus.

Secundo, S. Chrysostomus : in, id est *propter*, vel in commendationem libertatis et gloriæ filiorum Dei. Sicut enim nutrix pueri regii, cum puer coronatur, et ipsa propter ipsum de bonis regiis participat : ita pariter, cum homo gloria donabitur, hanc ejus gloriam cæteræ creaturæ, quæ homini servierunt, participabunt, inquit Chrysostomus.

Tertio et planius, « in libertatem, » id est in imitationem, vel ad exemplum libertatis filiorum Dei, ut similem quamdam libertatem, stabilitatem et immortalitatem creaturæ aliæ accipiant. *In* ergo exemplarem, vel etiam finalem causam significat. Ita Pererius et Toletus (2).

Nota : Libertas gloriæ hic idem est, quod libertas gloriosa. *Secundo*, libertas hæc non naturæ, nec gratiæ, sed gloriæ, est liberatio ab omni miseria, infirmitate, afflictione, corruptione, adeoque ab omni malo animi et corporis, culpæ et pœnæ.

22. SCIMUS QUOD OMNIS CREATURA INGEMISCIT ET PARTURIT USQUE ADHUC. — Hinc hæretici quidam apud S. Augustinum, *Quæst.* LXVII inter LXXXIII, multa impia et inepta de angelis tradiderunt, v. g. quod omnes in dolore et gemitibus sint, donec nos homines penitus ab omni miseria liberemur. Verum hæc frivola sunt ; et Apostolus non loquitur de angelis, ut dixi, sed de creaturis inanimis et irrationabilibus, *q. d.* Omnes creaturæ inanimes anxie, et magno cum dolore finem malorum exspectant. Est enim prosopopœia, ut notat S. Chrysostomus et Theophylactus, per quam Apostolus duo significat : *primo*, continuas et magnas passiones, corruptiones et mutabilitates creaturarum ; *secundo*, ab eis vehementem aversionem, ita ut si haberent sensum, gemerent quasi parturientes, idque ab exordio mundi et lapsus hominis, usque nunc.

23. SED ET NOS IPSI PRIMITIAS SPIRITUS HABENTES, ET IPSI INTRA NOS GEMIMUS, ADOPTIONEM FILIORUM DEI EXSPECTANTES. — Nota τὰ *primitias spiritus habentes*. *Primo* S. Augustinus, lib. LXXXIII *Quæst.*, Quæst. LXVII, sic explicat, *q. d.* Nos Christiani, qui nos quasi primitias Deo obtulimus.

Secundo et melius, S. Ambrosius et Anselmus, *q. d.* Nos Apostoli, qui prima et potiora Spiritus Sancti dona accepimus, videmurque vobis admirabiles, gemimus tamen sub hoc onere corporis.

Tertio et optime, S. Chrysostomus, Theodoretus et Cyrillus, lib. XIV *Thesaur.* cap. I : Omnes, inquiunt, Christiani (præsertim primitivæ illius Ecclesiæ) cum justitia accipiunt primitias spiritus, quia primos fructus et pinguedinem spiritus, scilicet veram Dei cognitionem, et amorem, ac vero felicitatis spem habent et prælibant, idque sæpe cum affluentia divinæ consolationis ; hæc enim gratia et hæc vita pia et christiana, sunt primitiæ redemptionis et liberationis a peccato, cui accedet consummata gratia, scilicet felicitatis et gloriæ, et perfecta redemptio ac liberatio ab omni malo, quæ fiet in resurrectione : hæc enim erit corporis nostri redemptio a morte omnique miseria, ad quam gemimus et anhelamus. Nam Paulus hic non solis Apostolis, sed omnibus Christianis loquitur, ut patet vers. 15 et 24.

ADOPTIONEM. — Nota : In primo instanti justificationis infunditur homini charitas et gratia, per quam homo particeps fit divinæ naturæ, et consequenter acceptus ad gloriam, et hæres Dei ;

(1) V. g., *solem* et *lunam* pro numine habuere ; *aurum* et *argentum* irritamentum sunt cupiditatis, et multa alia, usui congruo data, superbiæ, gulæ, luxuriæ inservivunt.

(2) Alii, εἰς, pro ἐν, id est, eo tempore quo filii Dei gloriosa fruentur libertate.

ideoque hoc ipso fit filius Dei adoptivus, sicut Christus est Filius Dei naturalis, ut patet vers. 17. Itaque adoptio nostra, qua adoptamur in filios et hæredes Dei, continuit nobis in ipsa justificatione.

Adoptio nostra continuit in justificatione.

Quod ergo hic Apostolus ait, in cœlis demum dandam esse hanc adoptionem, intellige consummatam, quæ est ipsa possessio juris et hæreditatis, ad quam adoptati sumus, videlicet redemptio corporis nostri, quæ partim erit liberatio a mortalitate et concupiscentia, partim gloria corporis ex animæ gloria dimanans: ita S. Chrysostomus et S. Ambrosius, *exist.* 22. Adoptio ergo inchoata fit hic, sed perfecta erit in cœlo. Pari modo de salute bifariam loquitur Apostolus: nam ad *Titum*, III, 5, dicit: « Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis; » e contrario vero hic ait: « Spe salvi facti sumus. » Eadem enim ratio est salutis, quæ adoptionis, scilicet salus inchoata est justitia, qua salvamur a morte animæ, puta a peccato: hæc nobis contingit in baptismo, ut ipse dicit ad *Titum*, III. Perfecta vero salus ab omni miseria et malo continget nobis in cœlo: unde eam necdum habemus, sed speramus; et hoc est quod hic ait: « Spe salvi facti sumus, » *q. d.* Speramus salutem, quam hic per gratiam inchoavimus, complendam fore in nobis per gloriam in cœlo (1).

Adoptio et salus duplex, inchoata et perfecta.

Vers. 24. Non tantum fides, sed et spes necessaria ad salutem.

24. SPE ENIM SALVI FACTI SUMUS. — Τῇ enim dat causam cur dixerit nos exspectare hanc adoptionem filiorum in cœlis, quia scilicet necdum re, sed tantum spe salvi facti sumus: per spem enim tendimus ad salutem, quam speramus nos adepturos in cœlo. Hinc patet non solam fidem, sed et spem requiri ad salutem.

Tropologice vide S. Augustinum, serm. 25 *De Verbis Apostoli*, de longanimi et constanti spe.

SPES AUTEM QUÆ VIDETUR, NON EST SPES. — *q. d.* Spes, id est *res sperata*, si adsit, si possideatur, non amplius speratur. Transit Apostolus ab actu et habitu spei, ad ejus objectum; unum enim cum altero connexum est. Pendent hæc a sequentibus. Hisce enim verbis solatur Apostolus fideles, qui hic multa patiuntur, ob spem gloriæ, suggerit enim sæpe mens afflicta homini afflicto: Ubi est quod speras? vides tua mala quæ pateris, non vides gloriam propter quam pateris. Huic suggestioni occurrit hic Apostolus dicens, nos mala præsentia videre, sed futura bona necdum videre, verum ea sperare, et per patientiam exspectare debere.

Bona invisibilia speranda pro malis præsentibus.

NAM QUOD VIDET QUIS, QUID SPERAT? — Cur speret? *q. d.* Frustra quis sperat id quod jam videt, tenet et possidet. Est enim hic catachresis in verbo *videt*; videre enim hic ponitur pro quovis sentire, cognoscere, frui, possidere. Sic vulgo dicitur quispiam cernere hæreditatem, id est eam adire et possidere. Est enim visus sensuum omnium certissimus et nobilissimus, per quem mens objecta visa quasi tangit et possidet. Loquitur enim Apostolus non de visione Dei, sed de gloria corporis possidenda: hæc enim est redemptio corporis nostri, uti dixi.

Nota: hæc Apostoli verba pari modo recta intorqueas contra fidem specialem hæreticorum, si videlicet sic argumenteris: Peccator pœnitens speraro jubetur in Scriptura veniam per Christum, non ergo certus est de ea: quod enim videt quis, quid sperat? Pulchre S. Augustinus, serm. 29 *De Verbis Apostoli*, spem comparat ovo: « Spes enim, inquit, nondum pervenit ad rem, et ovum est aliquid, sed nondum est pullus (2). »

Impedit. tur fides specialis hæreticorum.

26. SIMILITER AUTEM ET SPIRITUS ADJUVAT INFIRMITATEM NOSTRAM (3). — Quæritur hic, quo pertineat τὸ *similiter*. Respondeo, pertinet ad omnes effectus et dona Spiritus Sancti, quæ toto hoc cap. hucusque recensuit Apostolus. Dixit enim vers. 11, quod « Spiritus Sanctus habitans in nobis, vivificabit mortalia corpora nostra, » et vers. 14, quod « Spiritus nos faciat filios et hæredes Dei. » Rursum ibidem dixit, quod Spiritus Sanctus faciat nos clamare: Abba, pater. Denique vers. 23 (ad quem maxime hic respicit Apostolus) dixit, quod nos primitias Spiritus habentes gemimus, adoptionem filiorum Dei exspectantes. Jam ulterius dicit, quod præterea Spiritus Sanctus adjuvet nostram infirmitatem quam patimur, *q. d.* Dixi hactenus Spiritum Sanctum varia in nobis operari, ac præsertim facere ut gemamus et suspiremus ad gloriam cœlestem: jam dico eumdem Spiritum, sicuti jam dicta in nobis operatur, ita similiter operari in nobis robur et auxilium, quo adjuvat infirmitatem nostram.

Spiritus Sanctus operatur in nobis gemitum, rubur, auxilium, et scientiam bene orandi.

Rursum τὸ *et* hic idem est, quod *præter* vel *insuper*, *q. d.* Spiritus Sanctus præter gemitum, spem et patientiam, quæ in nobis operatur, insuper adjuvat etiam in hoc gemitu infirmitatem nostram, ut scilicet magna alacritate et fortitudine toleremus infirmitates animæ et corporis, vitæque hujus corruptibilis, propter quas geminus et suspiramus ad cœlum, utque eas constanter superemus, maxime per orationem. Docet enim nos Spiritus Sanctus quid orare, et a quibus infirmitatibus liberari, a quibus non liberari, sed in iis confortari, petere et orare debeamus. De infirmitate enim orandi hic vel maxime agi patet ex vocula causali *nam*, quam subdit dicens: « Nam quid oremus, sicut oportet, nescimus. »

Sex modis in orando erratur.

NAM QUID OREMUS, SICUT OPORTET, NESCIMUS, — quia sex modis in orando erratur: *Primo*, si bonum temporale petamus animæ nociturum. Quocirca S. Augustinus in *Sententiis*, sent. 212: « Fideliter, ait, supplicans Deo pro necessitatibus hujus vitæ, misericorditer non auditur. Quid enim infirmo utile sit, magis novit medicus quam ægrotus. Si enim id postulat quod Deus præcipit et promittit, fiet omnino quod poscit; quia accipiet charitas quod parat veritas. *Secundo*, si tentatione aut malo aliquo (uti Paulus stimulo carnis) quod prosit nobis ad humilitatem et alias virtutes, liberari oremus. *Tertio*, si quid petamus ex ambitione, uti filii Zebedæi petebant primas in regno Christi. *Quarto*, si quid petamus ex zelo indiscreto, uti fidem optarunt ignem de cœlo mitti in Samaritanos Christum respuentes. *Quinto*, si petatur id quod utilius est differri, ut per hanc dilationem studium orationis et meritum perseverantiæ ac virtutis in nobis accrescat. *Sexto*, et maxime, si petamus statum, aut vitam, modumque certum: v. g. vivere in Religione, sacerdotio, matrimonio, cum Deus sciat alium statum nobis et nostræ complexioni magis convenire, ut in eo salvemur, vel plus gloriæ adipiscamur. Plurimi enim in matrimonio et in sæculo damnantur, qui in cœlibatu salvarentur, et contra. Hinc optima oratio est, petere quotidie ut Deus iis mediis et viis nos regat et ducat, quæ peccati non habent scandalum; quibus prævidet nos recta ad finem, id est vitam æternam, perventuros, et in ea sanctiores ac beatiores futuros, ut in omni negotio, priusquam illud aggrediamur, oremus cum Propheta: « Domine, quid me vis facere? paratum cor meum, Deus; vias tuas, Domine, demonstra mihi, et semitas tuas edoce me; » et cum Josaphat rege, II *Paral.* XX, 12: « Cum ignoremus, Domine, quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te; » tu me dirige per illas vias, in quibus ita vis et modis, quibus parent eos ad salutem perventuros. Ferapirtum hic Lyranus intelligit angelum.

Proprium est Dei nos adjuvare.

Novem præcipuæ hominis infirmitates ortæ ex peccato.

Anima resignata et indifferenti quod ad statum Deus eam ducat, in omnibus his officiis, exercitiis, actionibus et passionibus, quibus prævides me ad cœlum majoremque gloriam perventurum: hæc pie et sapienter. Percrius et Sulmeron.

IPSE SPIRITUS POSTULAT PRO NOBIS GEMITIBUS INENARRABILIBUS. — Quæres quis sit hic « spiritus? » Respondet *primo*, Lyranus, esse angelum: angelus enim custos postulat pro nobis. Verum toto hoc capite angeli non meminit Paulus, et cum toto hoc capite sæpius nominarit spiritum, nunquam tamen intellexit angelum.

Secundo, S. Chrysostomus, Theophylactus, Œcumenius, per *spiritum* accipiunt virum spiritualem, puta ministrum Ecclesiæ, cui in primitiva Ecclesia gratia orandi pro populo, qui sæpe inutilia postulasset, data erat a Spiritu Sancto, qualis jam est sacerdos vel diaconus; illi enim ministro primitivæ Ecclesiæ jam successit diaconus pro populo supplicans, et ministrans sacerdoti et Ecclesiæ.

Alii ministrum Ecclesiæ.

Tertio, S. Augustinus, tract. 6 *in Joan.*: « Spiritus, inquit, id est charitas ipsa gemit, charitas ipsa orat; » contra hanc aures claudere non novit, qui illam dedit. Sic etiam explicat S. Anselmus Augustinum de more secutus.

Alii charitatem.

Quarto, Theodoretus vult *spiritum* esse gratiam Spiritus Sancti, qua excitati oramus; vel esse spiritum orationis.

Alii gratiam Spiritus Sancti.

Quinto, alii volunt *spiritum* esse superiorem animæ portionem gratia Dei illustratam et adju-

Alii superiorem animæ portionem.

(1) « Redemptionem corporis nostri, » id est liberationem ab ejus fragilitate et miseria in resurrectione gloriosa.

(2) Commatum 24 et 25 sensum hunc dat Allioli: spe enim felices et beati (nunc) sumus (non tantum fide, nisi fide quæ spem charitatemque amplectatur); atqui spes necessario futurum aliquid inteadit, patientiam ergo et fortitudinem supponit ac requirit.

(3) Jam progreditur Paulus ad alium fructum, *præsentem* scilicet, quem inter ipsas miserias religio Christiana affert, quæ sunt consolationes Spiritus Sancti cordibus nostris inhabitantis.

tem, quæ *spiritus* vocat..., et carni contraria est, *Gerat*, v, 17. Hæc enim pars docet nos, ut petamus *secundum Deum*, id est ea quæ Deo placent, et ut respuamus ea quæ carni grata sunt : et quanto magis caro suas voluptates concupiscit, tanto magis spiritus gemit et petit pro nobis instantius ea quæ nobis videt esse salutaria : unde Ethnici dicunt mentem deprecari semper ad optima. Hic sensus aptus est et commodus : sic enim sæpe etiam hoc nomen « spiritus » accipit Apostolus.

Secundo, optime et planissime *spiritus* hic est ipse Spiritus Sanctus : hic enim est qui adjuvat infirmitatem nostram, quique docet nos quid orare debeamus, cum ipsi hoc sæpe nesciamus : unde Apostolus hunc Spiritum opponit nobis, sive spiritui nostro, qui noster, id est naturalis et humanus est. Hic sensus est plurimorum Patrum, ut Origenis hic, Nazianzeni, orat. 5 *De Theologia*; Ambrosii, epist. 23 *ad Horont.*; Hilarii, *in Ps.* CXIV; Augustini, epist. 121, quæ est *De orando Deo*, XV, et aliorum.

Quæres secundo, quomodo Spiritus Sanctus postulet pro nobis? Respondent *primo* Arius et Macedonius, quia Spiritus Sanctus non est Deus, sed minor Patre, ideoque propriæ Patrem orat et postulat pro nobis. Hanc hæresim refellit S. Augustinus, lib. I *Contra Maxim.*, post initium, et alii.

Secundo, S. Augustinus, epist. 121 *De orando Deo*, cap. XV; Gregorius, lib. II *Moral.*, cap. XXII, et Anselmus : Spiritus Sanctus, inquiunt, *postulat*, id est postulare et gemere nos facit, ut sit hebraismus, quo *cal* ponitur pro *hiphil*. Sic *Matth.* X, 20, dicitur : « Spiritus Patris, qui loquitur in vobis, » id est qui loqui vos facit. Pulchra similitudine hunc sensum illustrat Origenes hic : « Sicut, inquit, magister ut rudem plane discipulum litteras docent, ad ejus ruditatem se dimittit, primusque Litteras pronuntiat, puerosque præit, ut puer repetens id quod pronuntiavit magister, idipsum addiscat : ita Spiritus Sanctus, ubi perturbationibus carnis perturbari nostrum spiritum viderit et nescientem quid orare debeat, uti oportet, ipse quasi magister orationem præmittit, animoque nostro immittit, quam noster spiritus (si tamen discipulus esse Spiritus Sancti desiderat) prosequatur; ipse gemitus proponit et excitat in nobis, quibus noster spiritus discat ingemiscere, ut reropitiet sibi Deum. » Hæc et plura Origenes.

Tertio et genuine, Spiritus Sanctus postulat, id est, desideria amicorum suorum eorumque gemitus inenarrabiles in consistorio SS. Trinitatis quasi paracletus, id est advocatus noster, exponit magna instantia, magno pondere et magna auctoritate. Hæc enim omnia significat Græcum ὑπερεντυγχάνει, id est, *superexpostulat* : nam ὑπὲρ notat præeminentiam Spiritus Sancti in postulando, quasi ipse præsit omnibus postulationibus, sitque quasi magister et præfectus libellorum supplicum nostrorum apud Deum : et Latinum postulare, inquit Ulpianus, lib. I tit. *De postulando*, est desiderium suum, vel amici sui in jure apud eum qui juris dictioni præest, exponere. Simili modo, vers. 34, dicitur Filius interpellare pro nobis. Ita Nazianzenus, orat. 2 *De Filio*, qui pro ὑπερεντυγχάνειν, vertit, *legationis*, id est legationem fungitur, legatum agit, et tanquam legatus, internuntius et interpres noster postulat pro nobis Spiritus Sanctus. Ita quoque exponit D. Thomas, III *part.*, *Quæst.* XXI, art. 4.

Spiritus Sanctus quomodo SS. Trinitati orationes nostras exponat?

Exponit autem Spiritus Sanctus hæc vota et hos gemitus nostros Sanctissimæ Trinitati, hoc ipso, quo illa per intellectionem divinam cognoscit, et intellectu ea proloquitur cum affectu et amore eorum SS. Trinitate : licet enim intellectio hæc et locutio essentialis sit et tribus personis communis, attribuitur tamen vel Filio, cum nuda est et sola; vel Spiritui Sancto, cum jungitur amori, et ex eo promanat, ut hic fit. Charitas enim, amor et gratia attribuuntur Spiritui Sancto, ut sapientia attribuitur Filio, potentia Patri. Vide D. Thomam et Doctores, I *part.*, *Quæst.* XXXVII et XXXVIII.

Spiritus Sanctus dirigit et corrigit orationes nostras.

GEMITIBUS INENARRABILIBUS. — *Primo*, S. Ambrosius, *epist.* 23 : « inenarrabilibus, » inquit, id est *cœlestibus et divinis* : hi enim gemitus sunt Spiritus Sancti, cujus potentia, efficacia et modus agendi ac postulandi est inenarrabilis.

Quid intelligatur per gemitus inenarrabiles?

Secundo, S. Augustinus loco jam citato : « inenarrabilibus, » inquit, id est *ignotis* : gemimus enim et suspiramus ad gloriam, quam non videmus, nec agnoscimus. Sic et Anselmus.

Tertio, Toletus : « inenarrabilibus, » inquit, id est *occultis et inexplicabilibus* : quia nimirum Spiritus Sanctus sæpe per nostros gemitus alia petit et impetrat, imo contraria iis quæ nos cupimus et petimus. Viæ enim particulares, quæ cuique ut in cœlum recta tendat, convenientes sunt et congruæ, homini sæpe ignotæ sunt et ineffabiles, solique Spiritui Sancto cognitæ. Unde de eo subdit Apostolus dicens : « Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret spiritus. »

Gemitus inenarrabiles in nobis esse subjective; in Spiritu Sancto vero eos esse partim effective, quia eos efficit in nobis, partim objective, quia eos ipse sibi totique SS. Trinitati objicit et proponit, dum postulat pro nobis.

Vox ὑπερεντυγχάνει in quo consistat.

Quarto proprie et genuine, hi gemitus, quos in nobis excitat, et excitatos proponit SS. Trinitati ipse Spiritus Sanctus, dicuntur *inenarrabiles*, quia major est affectus interior charitatis suscitans illos gemitus, omni externo sermone; adeo ut eum viri sancti effari et sæpe eloqui non possint, maxime dum cœlestem gloriam ejusque perfectissimam pacem flagrantissimo gemitu desiderant. Sic Apostolus gemit ineffabiliter, *primo*, ex tædio exilii et corporis hujus moribundi, dicens : « Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? » *Secundo*, ex desiderio cœli, dicens : « Cupio dissolvi et esse cum Christo. » *Tertio*, ex dolore et desiderio salutis aliorum, et pereuntium, dicens : « Quis infirmatur, et ego non infirmor? » et : « Optabam anathema esse pro fratribus. » Ex dictis patet, hos gemitus inenarrabiles in nobis esse subjective; in Spiritu Sancto vero eos esse partim effective, quia eos efficit in nobis, partim objective, quia eos ipse sibi totique SS. Trinitati objicit et proponit, dum postulat pro nobis.

Rursum, ex hoc loco disce donum et efficacium orationis, non in verbis, sed gemitu, affectu, desiderio, orationibus jaculatoriis et suspiriis ignitis consistere.

Vers. 27. 27. QUI SCRUTATUR, COADA (puta Deus Pater), SCIT QUID DESIDERET SPIRITUS : QUIA SECUNDUM DEUM POSTULAT PRO SANCTIS. — Pendent hæc ab immediate præcedentibus, *q. d.* Dixi nos nescire quid oremus, sed Spiritum Sanctum inspirare nobis orationes nostras easque offerre Deo, ac postulare pro nobis : idque nobis convenit et perutile est. Nam nos ipsi sæpe non intelligimus orationes nostras, et per eas petimus res nobis noxias vel inutiles : Spiritus Sanctus autem eas intelligit, et per eas non intendit impetrare nobis nisi id quod nobis proficuum et salutare est. Deus autem scit, respicit et attendit, non quid nos desideremus, sed quid desideret et intendat Spiritus impetrare nobis a Deo, per preces quas nobis suggerit. Porro Spiritum Sanctum tantum intendere id quod nobis bonum est et salutare, patet ex eo, quod ipse « secundum Deum postulat pro sanctis, » quia nimirum illis postulat ea, quæ sunt secundum Deum Deique mentem et voluntatem, quæque Deo grata, sancta et accepta sunt; hæc autem nobis salutaria sunt. Ita S. Chrysostomus, Theodoretus, Ambrosius. Aliter Origenes : Spiritus Sanctus, inquit, postulat secundum divinitatem, seu quatenus ipse Deus est : Christus vero postulat secundum humanitatem, seu quatenus homo est. Sed hoc alienius est, nec satis cohæret cum præcedentibus; quæ enim hæc est ratio : Pater scit quid desideret Spiritus, quia ipse Spiritus, qua Deus est, postulat pro sanctis?

Sensus Origenis.

Vers. 28. 28. SCIMUS AUTEM QUONIAM DILIGENTIBUS DEUM OMNIA COOPERANTUR IN BONUM IIS, QUI SECUNDUM PROPOSITUM VOCATI SUNT SANCTI. — Toletus hæc connectit proxime præcedentibus, *q. d.* Paulus : Quod postulatio Spiritus Sancti sit efficax, et proficua ipsis Sanctis, patet ex effectu : nam sive detur sanctis, sive negetur id, quod ipsi petunt, Spiritus tamen impetrat semper et efficit ut omnia eis cooperentur in bonum, uti de facto fieri scimus et experimur. Verum juxta hunc sensum, pro *scimus autem*, dicendum fuisset, *scimus enim*, vel, *unde et scimus*. Potius ergo videtur Apostolus hæc connectere cum vers. 17, 18 et seq., ubi agit de passionibus, afflictionibus, vanitate, corruptione et ærumnis, quas Sancti patiuntur in hac vita, et propter quas gemunt et suspirant ad cœlum, *q. d.* Multa, ut dixi, Sancti patiuntur in hac vita, verumtamen iis omnia cooperantur in bonum : animose ergo et læto animo omnia ista perferant. Est enim hic undecimum Apostoli argumentum, quo fideles incitat ad patientiam, ut dixi vers. 17. « Omnia » ergo, id est *omnes tribulationes*, inquit Ambrosius et Hieronymus, de iis enim hactenus egit Apostolus. S. Augustinus, lib. *De Corrept. et Grat.* cap. I, addit « omnia, » etiam peccata Sanctis cooperari in bonum. « Nam prædestinati, ait, ex casu humiliores, cautiores et ferventiores resurgunt; » ita etiam explicat Anselmus et S. Thomas. S. Augustinum secuti. Sic e contrario S. Augustinus, serm. 78 *De Temp.* et *Soliloq.*, cap. XXVIII : « Improbis, ait, et reprobis omnia cooperantur in malum, et ipsa oratio eorum vertitur eis in peccatum. » Quod intellige non proprie et per se, sed per accidens, quia scilicet omnis gratia omniaque dona Dei, ac consequenter ipsa etiam oratio cedit reprobis in graviorem culpam, et graviorem damnationem, hoc ipso, quo hisce Dei donis abutuntur, dum iis uti et per illa se convertere suamque salutem procurare nolunt. Est enim hæc ingens eorum ingratitudo, negligentia et contemptus gratiæ Dei.

Omnes tribulationes et ærumnæ Sancti cooperantur in bonum.

Prædestinatio quomodo omnia etiam peccata cooperetur in bonum, reprobis autem vitium in malum?

Adde, reprobos sæpe orare perperam, scilicet illa quæ faciunt ad explendas suas concupiscentias et libidines : aut, si orent ea quæ bona sunt, non serio tamen orare, sed esse in sua impietate obstinatos, in eaque indies se magis obdurare : itaque ex orationis omnibusque rebus adeo nihil proficere, ut potius pejores fiant, itaque omnia vertant in majorem duritiem, et consequenter damnationem suam. Verum hæc sunt præter mentem Apostoli, qui hic non de peccatis, sed de tribulationibus agit, ut dixi. Ipsius enim mens est hortari fideles et Sanctos ad omnes tribulationes fortiter perferendas, ex eo quod eis cedant et cooperentur in bonum.

Mens et intentio Apostoli in hisce verbis.

Nota, Græcum συνεργεῖ, tam verti potest in singulari *cooperatur*, quam in plurali *cooperantur*, ut sensus sit : Spiritus Sanctus diligentibus Deum omnia cooperatur in bonum, factique ut omnia quantumvis tristia et adversa, eis cedant in bonum; ita legit et intelligit Theodoretus.

Ad quæ bona omnia Sanctis cooperentur.

Notat S. Bernardus, serm. *De Fallacia vitæ præsentis*, Sanctis omnia cooperari, non ad libitum, non ad voluptatem, sed ad bonum. Quia sæpe sibi suoque appetitui contraria, dura et molesta perferre coguntur; hæc tamen ipsa, puta molestia, dolor, morbi, mors omniaque acerba Sanctis, licet non ad voluptatem, ad bonum tamen eorum, sive patientiæ, sive humilitatis, sive continentiæ, sive aliarum virtutum, et ad bonum gloriæ tam præsentis, quam æternæ cooperantur. Ita persecutiones Martyribus in bonum heroicæ fortitudinis et laureæ martyrii cesserunt, atque aliis in exemplum et stimulum, ut iis semper creverit Ecclesia. Hinc canit Prudentius, hymno 4 *in Cæsaraugust. Martyr.* :

> Nec furor quisquam sine laude nostrum
> Cessit, aut clari vacuus cruoris :
> Martyrum semper numerus sub omni
> Grandine crescit.

Quam efficiunt, ait Tertullianus in *Apologet.*

quoties metimur a vobis : semen est sanguis Christianorum. » Et S. Hieronymus, epist. *ad Theophilum* : « Persecutionibus, ait, Ecclesia crevit, martyriis coronata est. » Et S. Cyprianus, serm. 3 *De Lapsis* : « Adest, ait, militum Christi cohors candida, qui persecutionis urgentis ferociam stabili congressione fregerunt, parati ad patientiam carceris, armati ad tolerantiam mortis. Repugnastis fortiter sæculo, spectaculum gloriosum præbuistis Deo, secuturis fratribus fuistis exemplo. Quam vos læto sinu excipit mater Ecclesia de prælio revertentes! quam beata, quam gaudens portas suas aperit, ut adunatis agminibus intretis de hoste prostrato trophæa referentes! Cum triumphantibus viris et feminæ veniunt, quæ cum sæculo dimicantes, sexum quoque vicerunt. Veniunt geminata militiæ suæ gloria virgines, et pueri annos suos virtutibus transeuntes; nec non et circumstantium cætera multitudo vestram sequitur, » etc.

Atque hos triumphos sæpe in hac vita Deus miraculis illustravit. S. Joanni Damasceno Leo Isaurus Imperator amputari jussit manum, qua pro SS. imaginum cultu scripserat : restituit hanc ei ad imaginem suam oranti restituit B. Virgo. Ariani in Africa orthodoxos Confessores linguæ mutilarunt : hi postea, Dei miraculo, sine lingua æque ut ante locuti, Christi divinitatem celebrarunt. Theophilus Imperator, iconoclasta, monachum quemdam Lazarum, pictorem tunc celeberrimum, crudelibus excruciatum modis conjecit in vincula, eo quod sanctas imagines pinxisset : qui cum ex plagis recreatus, iterum pio picturarum operi se dedisset, ignitis laminis ei manus aduri jussit : sed Dei nutu factum est, ut nihilominus postea probe pinxerit, ac si nihil passus esset.

Quisquis ergo inique pateris calumnias, opprobria, verbera, damna, morbos, etc., tolera, supera : hæc adversa fac instrumenta virtutis et gloriæ. « Electi, inquit S. Gregorius, in tentatione proficiunt, et quod eis diabolus præparat ad ruinam, hoc Deus eis convertit in gloriam. » Fallere enim nequit Apostolus, imo Spiritus Sanctus per eum promittens ac dicens : « Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. » Quocirca S. Augustinus in *Sententiis*, sent. 158 : « Inimici Ecclesiæ, ait, si accipiant corporaliter potestatem affligendi, exercent ejus patientiam : si tantummodo male sentiendo adversantur, exercent ejus sapientiam; et ut etiam inimici diligantur, exercent ejus benevolentiam : quia Deus iis qui eum diligunt, omnia cooperantur in bonum. »

IIS QUI SECUNDUM PROPOSITUM VOCATI SUNT SANCTI, id est, iis qui vocati sunt ad sanctitatem. Vide dicta cap. I, vers. I.

Quæres, quodnam sit hoc « propositum, » et quinam dicantur « vocati secundum propositum. »

Primo, Origenes, Theodoretus et Commentarii S. Ambrosio et Hieronymo ascripti hæc sic explicant : omnia diligentibus Deum cooperantur in bonum, iis scilicet, qui ad hanc dilectionem vocati sunt a Deo secundum propositum non Dei, sed suum; quia scilicet Deus eos solos vocavit ad fidem, gratiam et amicitiam suam, quos proposito suo, id est prompta sua voluntate, fidem hanc et gratiam a Deo oblatam acceptaturos prævidit. Verum hoc quasi dogma Pelagianum passim, sed maxime in lib. *De Prædest. Sanctorum*, egregie refellit et confutat S. Augustinus. *Propositum hominum, non Dei, intelligunt illi aliqui.*

Secundo, S. Chrysostomus, Theophylactus et Œcumenius, pari modo intelligunt hic propositum non Dei, sed ipsorum hominum, qui a Deo vocati sunt; ita ut bonum hoc eorum propositum non quidem sit causa et ratio cur a Deo vocati sint, sed tamen sit conditio et determinatio eorum qui vocati sunt, *q. d.* Paulus : Non omnibus vocatis omnia cooperantur in bonum, sed iis qui suo proposito vocationi Dei consentiunt et obediunt : hoc sine errore dicitur, sed præter mentem Apostoli. Nec enim Apostolus hic propositum hominum, sed Dei ipsius intelligit.

Unde *tertio* optime S. Augustinus, lib. *De Corrept. et Grat.*, cap. VII, et passim alibi, Anselmus et alii per *propositum* hoc accipiunt æternum Dei beneplacitum, liberale decretum, voluntariam et gratuitam Dei constitutionem, quæ *Actor.* II, 23, vocatur *definitum consilium*, idque vel ex eo patet, quod II *Tim.* I, 9, et alibi, Paulus opponit opera nostra huic proposito liberali et gratiæ Dei. Propositum ergo est liberale et gratuitum Dei consilium et decretum, quo proposuit, statuit et decrevit Deus ab æterno ex mera sua bonitate et clementia, homines peccato perditos per Christum vocare ad gratiam et sanctitatem, sine ullo eorum merito, uti fuse explicat Apostolus, *Ephes.* I. *Propositum hic significat beneplacitum Dei, liberale decretum, definitum consilium. Quid sit hoc Dei decretum et propositum?*

Nota : Το *secundum propositum* est epitheton significans causam dilectionis, directionis et protectionis justorum, cur videlicet eis omnia cooperentur in bonum, quia scilicet Deus illos amat, dirigit et protegit, *secundum propositum*, id est serio, ex corde et certo proposito. Unde iidem hic sunt diligentes Deum, et ii « qui secundum propositum vocati sunt sancti, » ut patet ex Græco τοῖς ἀγαπῶσι τὸν θεὸν, et τοῖς κατὰ πρόθεσιν κλητοῖς, *q. d.* diligentibus Deum, et vicissim dilectis a Deo, utpote vocatis a Deo ad fidem et dilectionem ex benevoli cordis proposito, omnia, Deo dirigente ad suorum dilectorum commodum, cooperantia in bonum. Nec Græcum πρόθεσιν, nec latine *propositum* aliud includit aut innuit. Sic enim dicimus : Proposui hoc facere, id est statui, decrevi, hoc est meum propositum, ut te vocem ad prandium; quos rex diligit ex proposito, nemo eos lædere aut nocere potest. Hinc Apostolus, II *Timoth.* I, 9; *Ephes.* I, 5, 9, 11; *Roman.* IV, 5, et alibi, expresse propositum hocce Dei opponit operibus quæ jactabant Judæi. *Το secundum propositum causam dilectionis et protectionis justorum significat.*

Cum ergo ait nos vocatos *secundum propositum*, tantum vult excludere meritum operum, *q. d.*

Quod sumus vocati ad fidem, gratiam, sanctimoniam, est tribuendum liberali Dei proposito, voluntati et gratiæ, non nostris meritis. Sic *Luc.* II, dicitur : « Pax (sit) hominibus bonæ voluntatis, » Græce εὐδοκίας, id est beneplaciti et benevolentiæ divinæ, ubi το *bonæ voluntatis* non est particula limitans το *hominibus*, *q. d.* Pax sit hominibus, non omnibus, sed iis tantum qui sunt bonæ voluntatis, uti aliqui explicant : sed est particula causalis. Dat enim causam cur nato Christo pax optanda et danda sit hominibus; quia nimirum Deus suam bonam voluntatem, id est benevolentiam, reconciliationem et amicitiam hominibus jam per Christum exhibere destinavit et decrevit. Ita Theophylactus, Euthymius et alii ibidem. Quod enim Apostolus hic vocat εὐδοκίαν, id est *propositum*; Lucas, cap. II, vocat εὐδοκίαν, id est *beneplacitum*.

29. NAM QUOS PRÆSCIVIT ET PRÆDESTINAVIT CONFORMES FIERI IMAGINIS FILII SUI, UT SIT IPSE PRIMOGENITUS IN MULTIS FRATRIBUS. — *Primo*, Pelagiani, quibus hic favere videtur Theodoretus, Chrysostomus et Theophylactus, sic explicabam hunc locum, *q. d.* Paulus : Quos Deus præscivit et prævidit, sua vocatione et gratia, si illa eis daretur, bene per liberum suum arbitrium usuros, hos prædestinavit ad hanc vocationem, gratiam, justitiam et vitæ sanctitatem, ut in ea conformentur Christo. Verum hunc errorem aeriter parsim scribens contra Pelagianos, sed maxime lib. *De Prædest. Sanctorum*, confutat S. Augustinus. Et ratio est, quia prima gratia est mera gratia, nec Deus eam dat nobis, quia prævidet nos fore sanctos, sed ut simus sancti, ut ait Apostolus, *Ephes.* cap. I, vers. 4.

Secundo, aliqui Scholastici, I *part.*, *Quæst.* XXIII, sic explicant, *q. d.* Paulus : Quibus gratis Deus dare gloriam decrevit ante prævisa merita, hos prædestinavit, ut merita ad eam promerendam acciperent. Verum hac ratione alii cum Ambrosio et Haymone, pari jure contrarium suppleni, hoc modo : quos Deus præscivit fore devotos, sanctos et conformes Christo in vita et passionibus, hos prædestinavit ut sint Christo conformes in gloria; hoc enim proprie innuit verbum *præscivit*. Præscientia enim est rerum nostrarum et operum, quæ facimus, sicut prædestinatio est Dei et divini arbitrii ac voluntatis.

Tertio, alii hunc locum exponunt de Dei præscientia conditionata. Ita Dionysius Carthusianus et Ludovicus Molina, I *part.*, *Quæst.* XXIII, art. 4, disp. I, memb. II, *q. d.* Paulus : Quos Deus præscivit per præscientiam conditionatam, futuros pro sui arbitrii libertate, in sanctitate conformes Christo; futuros, inquam, tales non absolute, sed ex hypothesi, si nimirum ex parte sua Deus vellet eis dare gratiam suam, eaque auxilia, quæ eis misericorditer postea dedit : hos et prædestinavit, ut tales forent, decernendo nimirum absolute illam gratiam illaque auxilia suo tempore illis dare et exhibere, quibus de facto sanctificarentur et conformarentur Christo.

Quarto, non improbabiliter satisque apposite Gabriel Vasquez, I *part.*, *Quæst.* XXIII, sic explicat : Quos Deus præscivit sibi amicos et dilectos per gratiam suam futuros, hos etiam prædestinavit ad hoc, ut paterentur et fierent conformes Filio suo in patientia, utpote qui *pro* nobis tot labores et ærumnas sustinuit. Jam hinc colligendum relinqui Apostolus, quod sicut Deus omnes passiones et cruces Christi fecit et cooperari in bonum et gloriam, ita pariter sanctorum et dilectorum suorum passiones, ad quas eos cum Christo prædestinavit, convertet illis in bonum et gloriam. Ita Origenes et Cyrillus apud Œcumenium. Hoc enim intendit hic probare Apostolus : nam hoc capite hortatur fideles ad passionum tolerantiam ex spe secuturi fructus et gloriæ, patet vers. 17, 18 et omnibus seq. Subdit deinde Apostolus : « Quos autem prædestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos et justificavit; quos autem justificavit, illos et glorificavit : » Quibus verbis recenset omnia media per quæ Deus ipsos fideles ad hunc finem patiendi pro Christo, et ad hanc conformitatem, qua Christo patienti sunt conformes, perduxit. Ad hanc enim patientiam et conformitatem Christi primo illos Deus vocavit : deinde per tribulationes eos magis magisque justificavit et sanctificavit; ac denique tot laboribus et ærumnis fortiter superatis, eosdem cum Christo gloriosos, celebres et magnos effecit. Græcum enim ἐδόξασε, quod noster interpres vertit, *glorificavit*, alii vertunt, *magnificavit*, vel *nos magnos effecit* : ita Vasquez.

Quinto, Toletus sic explicat, *q. d.* Quos Deus præscivit fore suos, se diligentes, hos etiam prædestinavit, ut sint conformes Christo; ut, sicut Christus est Filius Dei naturalis, ita ipsi sint filii Dei adoptivi, per gratiam, charitatem, amicitiam et patientiam in hac vita, et in iis perseverando, per gloriam in futura; sicque conformentur Christo Filio Dei naturali in adoptione gratiæ, patientiæ et gloriæ.

Ubi nota : scire Dei, phrasi Apostoli et Scripturæ practicum est, et connotat favorem et affectum Dei, ut patet cap. II, 2; *Galat.* IV, 9; I *Petr.* I, 2, et II *Tim.* II, 19; unde « præscivit » est *prædilexit*, ait Origenes et S. Augustinus, et præsciti idem sunt quod prædilecti; unde et alibi dicit Apostolus « novit, » id est *noscens diligit* « Dominus qui sunt ejus. » Præscivit ergo Deus hic proprie hosce fideles fore suos, quodque Deum essent dilecturi, et vicissim ipsos præscivit, id est eosdem suos amicos et dilectores fore præsciens, prædilexit, *q. d.* Omnia diligentibus Deum Deique amicis cooperantur in bonum, quia Deus eos præscivit fore suos, sulque dilectores, eosque tales fore præsciens, prædilexit : atque hac de causa eosdem prædestinavit, ut sint conformes Filio suo, tam in gratia et patientia, quam in glo-

ra. Sicut ergo Deus Filio suo etiam tormenta acerbissima cooperatus est, et convertit in bonum : sic et his filiis suis adoptivis omnia quantumvis dura et acerba cooperabitur et convertet idem Deus in bonum.

Verum mihi amplius et diutius hunc locum expendenti, hic visus est esse sensus planissimus, maximeque obvius et congruus, ideoque genuinus : ut nimirum hic versus et hæc sententia jungatur cum versu et sententia proxime sequenti, quasi ab eo pendeat, ibique sensus ejus explicatur, quia enim de more exspatiatur hic Apostolus in verbo *prædestinavit*, ut explicet qualis et quanta sit hæc prædestinatio, atque ad quid eos Deus prædestinarit, nimirum ad hoc, ut sint conformes Filio suo : hac de causa hoc versu cœptum sermonem incidit, quem ut perficiat, vers. seq. eumdem resumit dicens : « Quos autem prædestinavit, » *q. d.* Quos, inquam, præscivit et prædestinavit, ut dixi vers. præcedenti, hos et vocavit. Hunc esse sensum probatur *primo*, quia dispar est modus loquendi hic, et vers. sequent. ; hic enim ait : « Quos præscivit et prædestinavit, » vers. seq. vero ait : « Quos prædestinavit, hos et justificavit. » Ergo τὸ *præscivit et prædestinavit* non divellenda, sed jungenda sunt, et referenda ad idem, scilicet ad τὸ *conformes fieri Filio suo*. Alioqui enim dixisset Apostolus : « Quos præscivit, hos et prædestinavit, » sicuti paulo post dixit : « Quos prædestinavit, hos et vocavit. »

Secundo, hunc esse sensum patet, quia hoc sensu nihil supplendum est, sed ipse sensus ipso consistit, et per se plenus ac perspicuus est ; cum alii multa supplere debeant, ut « quos præscivit, » scilicet fore diligentes Deum : ubi rursum supplere debent τὸ *hos et prædestinavit*.

Tertio, quia hic sensus respondet mori et spiritui Paulino, qui ita excurrere et abripi, atque post multa redire, et prius dicta resumere solet, ut ostendi cap. v, vers. 12. Tantum huic expositioni objici posset, quod hoc sensu vox *autem* ponatur pro *inquam* : quod novum et insolitum videtur. Verum facile ad hoc respondetur, hanc adverbiorum enallagen non esse novam, sed frequentem Apostolo, ut ostendi *Can.* 25.

Nota *primo*, copulam *et* hic dare auxesin, vel causam, idemque valere quod *imo vero, imo etiam*, vel *quia, quoniam*, *q. d.* Quos Deus præscivit, imo vero prædestinavit ad hoc, ut sint conformes Filio suo ; vel quos Deus fore præscivit conformes Filio suo, quia eos ad hoc prædestinavit : præscientia enim hæc, utpote absoluta, posterior est prædestinatione, tanquam effectus sua causa : ideo enim præscit Deus nos fore conformes Filio suo, quia ad hoc nos prædestinavit, suaque gratia vocavit et deduxit. Utrumque ergo verbum, scilicet tam *præscivit*, quam *prædestinavit*, directe et expresse respicit τὸ *conformes fieri Filio suo* ; indirecte vero, oblique et tacite τὸ *præscivit* respicit **diligentes Deum** : *prædestinavit* vero respicit propositum, de quibus egit Apostolus vers. præced., hoc enim Dei propositum æternum est ipsa æterna Dei prædestinatio.

Unde nota *secundo* : vox *nam* dat hic causam cur diligentibus Deum omnia cooperentur in bonum ; simulque explicat, qui sint « sancti vocati secundum propositum, » scilicet ii, quos Deus præscivit et prædestinavit, ut sint conformes Christo quasi imagini, id est exemplari suo. Ubi adverte : non dicit Apostolus : « Quos præscivit, hos et prædestinavit, » sed tantum : « Quos præscivit et prædestinavit, » ut innuat eosdem esse præscitos et prædestinatos, scilicet diligentes Deum et sanctos, vocatos secundum propositum et beneplacitum Dei. Hi enim diligentes Deum et sancti vocati secundum Dei propositum sunt præsciti et prædestinati a Deo, ad hoc ut sint conformes Filio.

Sensus ergo est : Diligentibus Deum et sanctis vocatis secundum propositum, omnia etiam tristissima cooperantur in bonum, quia hi sunt illi, quos Deus ab æterno præscivit et prædestinavit fore conformes Filio suo, tum in dilectione hac, sanctitate, patientia et gratia, quam in futura gloria : si nimirum ipsi in dilectione, sanctitate, gratia et patientia sua perseverent. Atque sicuti hos ab æterno præscivit et prædestinavit Deus tales per gratiam suam fore : ita et in tempore eosdem eodem per gratiam suam vocavit ; vocatos, vocationique obedientes justificavit ; justificatos vero, et in justitia constanter in omni tentatione et persecutione permanentes glorificabit. Vides ergo quomodo in bonum, nimirum ad gloriam coelestem et æternam, diligentibus Deum, ipso Deo dirigente, omnia cooperentur.

Unde nota *tertio* tria argumenta et incitamenta patientiæ, quæ fidelibus tacite suggerit et objicit hic Apostolus, scilicet *primum*, quod ait : « Præscivit et prædestinavit, » *q. d.* Passiones, cruces et ærumnas nostras non carni, non dæmoni, non hosti, sed Deo ascribere debemus. Ipse enim ab æterno eas præscivit, imo prædestinavit, et cuique suas dare decrevit, ut per eas quisque conformetur Christo patienti et resurgenti. Deus ergo, qui omnia constituit in numero, pondere et mensura, ipse ab æterno cuique diligenti se, suam crucem definivit et limitavit, ut tantum, non minus, nec amplius pateretur. Ipse per crucem cum in patientia, puritate, gratia et charitate expolire et perficere decrevit ; ipse per crucem ad gloriam eum deducere constituit. Quis ergo horreat aut fugiat crucem a Deo patre amantissimo sibi ab æterno decretam et admensam ? *Secundum* argumentum patientiæ suggerit τὸ *conformes Filio*, *q. d.* Per crucem conformamur Filio Dei et Christo crucifixo : quæ ingens est dignitas et utilitas. Sicut enim hic conformamur Christo in tribulatione, ita conformabimur eidem in beatitudine. Quis ergo non ambiat crucem cum Christo ? *Tertium* argumentum patientiæ innuit vox *fratribus*,

q. d. Per crucem non tantum fimus conformes, sed et fratres Christi, ac consequenter fimus filii et hæredes Dei. Quis ergo non optet crucem ? quis patientiam, quæ tanti boni est causa, non amplectatur et exoscletur ? Unde Syrus vertit, *et a principio cognovit eos, et ipsos obsignavit in similitudine Filii sui.*

CONFORMES FIERI IMAGINIS FILII SUI. — D. Thomas et Adamus hæc verba exponunt de Filio, quatenus Deus est, *q. d.* Nos filii adoptivi imitabimur Filium Dei naturalem. Prædestinavit enim nos Deus, ut illi simus conformes in gloria. Unde et Origenes sic explicat : Prædestinavit nos Deus, ut in sapientia, justitia et veritate Deo simus conformes.

Verum melius S. Chrysostomus, Hieronymus, Anselmus et alii passim per *filium* hic intelligunt Christum, qua homo est, quia Christus ut homo primogenitus est in multis fratribus. Simile est *Philip.* III, vers. ult., *q. d.* Paulus : Electi omnes Christo homini conformes erunt in gratia et gloria, idque hoc fine, ut nimirum ipso Christus sit tanquam prima mensura, primaque imago, id est exemplar cæterorum.

Unde ulterius nota : Origenes per « imaginem Filii, » *primo*, Christi animam accipit, quæ speciali ratione imago Filii Dei dicitur, quia Filium, sive Verbum Dei in se integre suscipit, illamque perfectissime refert sua sapientia et gratia.

Secundo, Theodoretus, Ambrosius et Hieronymus : Imago, inquiunt, hæc est corpus, vel humanitas Christi gloriosa.

Tertio, S. Athanasius ad Serap, *De Spiritu Sancto*, et S. Basilius, lib. V *Contra Eunom.* : Imago, inquiunt, hæc est Spiritus Sanctus, qui est imago Filii, *q. d.* Prædestinavit suos Deus, ut sint conformes imagini Filii, id est, ut sint conformes ipsi Spiritui Sancto, ut nimirum sint puri et sancti, sicuti Spiritus Sanctus purissimus et sanctissimus est. Verum hæc, licet ingeniosa, obscuriora tamen et alieniora a phrasi et mente Pauli esse videntur.

Dico ergo plane et simpliciter, imago Filii Dei est exemplar Filii Dei, puta est ipse Filius Dei, qui est nostrum exemplar, ex quo gratiæ nostræ et gloriæ, quasi imago ex suo exemplari expressa est. Christus enim qui est Filius Dei naturalis, omnibus sanctis hominibus, qui sunt filii Dei adoptivi, est exemplar sanctitatis, gratiæ, virtutum, consequenter et gloriæ ac felicitatis æternæ, adeoque omnis nostra sanctitas, dilectio, patientia, gratia et gloria quasi imago ex Christi sanctitate, dilectione, patientia, gratia et gloria, quasi ex suo exemplari depicta et expressa est. « Imago » ergo hic metonymice capitur pro suo exemplari, cujus est imago, uti et capitur *Gen.* I, 26, cum dicitur : « Faciamus hominem ad imaginem (id est *exemplar*) et similitudinem nostram. » Potest tamen « imago » hic proprie capi, uti capit Toletus, ut Filius hic dicatur « imago, » non respectu nostri, sed respectu Patris æterni. Christus enim hoc ipso, quo est Filius Dei Patris naturalis, eo ipso est imago Dei Patris, *q. d.* Paulus : Prædestinavit nos Deus, ut simus conformes Filio Dei, tu quantum ipse filius, et consequenter imago ex patris, ut nimirum pari ratione nos ipsimet Patri per Filium assimilemur et conformemur.

UT SIT IPSE (Christus Dei Filius) PRIMOGENITUS IN MULTIS (in omnibus) FRATRIBUS, — puta fidelibus sanctis, amicis, electis et dilectis Dei.

Nota : Christus filiorum Dei est primogenitus *primo*, quia ipse est Filius Dei naturalis, cum cæteri sint tantum adoptivi ; *secundo*, quia ante omnes prædestinatus fuit Christus ad hanc filiationem et unionem cum Verbo, et consequenter ad omnem suam gratiam et gloriam ; *tertio*, quia Christus finis, scopus et exemplar fuit et est omnium prædestinatorum et electorum, uti ex hoc loco aliisque docet S. Augustinus, lib. *De Prædest. Sanct.*, cap. XV.

30. QUOS AUTEM PRÆDESTINAVIT (ab æterno), HOS ET VOCAVIT, — in tempore, dando eis gratiam et vocationem, ad quam eos prædestinavit. *Vocavit*, inquam, eos tum vocatione externa, per exempla, flagella, conciones ; tum maxime interna, per gratiam prævenientem et excitantem, quæ æternæ vocationi respondet et commensa est ex liberali Dei ordinatione.

Nota : « vocavit, » id est *vocat*, *vocavit* aut *vocabit*. Sic et τὸ *justificavit*, quod sequitur, idem est ; quod justificat, justificavit aut justificabit et τὸ *glorificavit*, idem est quod glorificat, glorificavit aut glorificabit. Præterita enim hæc mora Hebræo ponuntur pro quolibet tempore : utitur autem Apostolus potius præteritis, quam futuris, quia hæc præterita congruc, utpote in eodem tempore, respondent primo verbo et præterito *prædestinavit*, ex quo alia hæc præterita, quasi effectus ex sua causa certissimo, quantum ex est parte Dei, manantes, deducit et derivat Apostolus.

QUOS AUTEM JUSTIFICAVIT, ILLOS (in justitia ad finem vitæ perseverantes) ET GLORIFICAVIT. — S. Chrysostomus, Theophylactus, Theodoretus et Commentarii S. Hieronymo et Ambrosio ascripti, gloriam hic accipiunt non æternam, sed præsentis vitæ, quod scilicet sint filii Dei ; hæc enim ingens Sanctorum et justorum est gloria, puta adoptio et filiatio divina. Unde Græcum ἐδόξασε, id est *glorificavit*, verti quoque potest, celebres, magnos, gloriosos reddidit, scilicet ærumnis, tentationibus, martyriis aliisque patientiæ et virtutum heroicis actibus et meritis. Origenes tamen, S. Augustinus, *De Prædest. Sanct.* ; Fulgentius, *ad Monimum*, cap. XI, et jam passim Theologi, τὸ *glorificavit* accipiunt de gloria beatitudinis æternæ ; qui sensus planior est, aptior et sublimior.

Hinc Scholastici tres ponunt effectus prædestinationis, nimirum vocationem, justificationem, glorificationem ; ac consequenter colligunt gloriam et beatitudinem æternam esse effectum prædestinationis.

31. QUID ERGO DICEMUS AD HÆC? SI DEUS PRO NOBIS, QUIS CONTRA NOS? — Ecce hic est scutum impenetrabile patientiæ Sanctorum, quo excipiunt et elidunt omnia hostium jacula : nimirum, « Si Deus pro nobis, quis contra nos, » scilicet, dæmonum vel hominum insurgat, ut nostram salutem impediat, cum Deus eam curet per æternum propositum prædestinationis suæ, perque temporaneam vocationem, justificationem et glorificationem suam? Deo autem nemo est potentior, supple, si Deum sequi et obedire percamus, nec impedire salutem nostram : Deus enim non vult nolentes, nec invitos salvare. « Si Deus pro nobis, quis contra nos? Quis contra nos? ait S. Chrysostomus. Terrarum orbis contra nos, et tyranni, et populi, et cognati, et circuli, etc. Verum hi etsi contra nos stent, tantum abest ut nobis incommodent, ut vel nolentes coronarum nobis auctores existant, ipsa Dei sapientia illorum insidias in nostram salutem et gloriam convertente. » Plura vide apud eumdem.

Tradunt Hebræi, uti R. Isaac Banhole, Reuchlinius, lib. III *Cabal.*; Marcerus, in *Abbreviatur. Hebr.*; Sixtus Senensis, lib. I *Biblioth.*, et Genebrardus, in *Chronolog.*, simili emblemate pro scuto usos fuisse Machabæos, nimirum illo versiculo cantici et triumphi Hebræorum, merso Pharaone, *Exodi*, XV, 11 : « Quis similis tui in fortibus, Domine? » quod quasi insigne belli et victoriæ ubique præferebant, hostesque fortissimos et numerosissimos parva manu prosternebant : indeque tradunt eos dictos esse hebr. מכבי *Machabi*, id est *Machabæos*, nimirum a litteris Hebraicis, quæ sunt initiales singularum dictionum versiculi jam dicti, qui in Hebræo sic habet מי כמכה באלים יהוה *mi camocha baalim Jehova*. Si enim a prima dictione *mi* capias primam litteram M, a secunda primam C, a tertia primam B, a quarta I, easque conjungas, facies *Machabi*, id est *Machabæus*.

32. QUI ETIAM PROPRIO FILIO SUO NON PEPERCIT. — Hinc Adrianus Papa, epist. *ad Episc. Hispan.*, Concilium Francofurtiense et DD. docent Christum, in quantum homo est, id est secundum humanitatem, vere ac proprie esse Filium Dei, scilicet ob gratiam unionis cum Verbo, sive cum persona Filii Dei, quia in quantum homo traditus est pro nobis in mortem, quod de eo hic asserit Paulus.

QUOMODO NON ETIAM CUM ILLO OMNIA NOBIS DONAVIT? — « Omnia » quæ scilicet spectant vocationem, justificationem, glorificationem et salutem nostram, ut nulla adversa, vel prospera, nulli hostes, nulli persecutores eam impedire possint, nisi sponte iis cedamus et succumbamus (1).

33. QUIS ACCUSABIT ADVERSUS ELECTOS DEI? — « Electos » hic et alibi intelligit Paulus, non eos qui electi sunt efficaciter et immediate ad gloriam cœlestem, sed eos qui electi sunt ad fidem et gratiam Christianismi. Omnes ergo veri Christiani sunt electi, nimirum complete ad gratiam, inchoate vero ad gloriam, ut dixi vers. 28 et *Can.* 13 unde sequitur ;

33 et 34. DEUS QUI JUSTIFICAT ; QUIS EST QUI CONDEMNET? — *q. d.* Deus est qui hosce electos, puta fideles suos verosque Christianos, a peccatis et ab intenta peccati et dæmonis actione absolvit justosque pronuntiat. « Quis ergo diabolus, ait Anselmus, vel homo contrariam damnationis sententiam in eos ferat? » *q. d.* Nemo, nisi frustra ; aut quid nocerant eis accusationes et damnationes hominum, cum Deus eos justificat? Alludit Paulus ad *Isaiæ* L, 8 et 9, ubi sic dicitur : « Juxta est qui justificat me, quis contradicet mihi? Ecce Dominus Deus auxiliator meus, quis est qui condemnet me? » Pro *condemnet me*, hebraice est ירשיעני *irrscieni*. Id est injustum vel impium me faciet, hoc est, impium me judicabit et declarabit : opponit enim hæc duo וצדיק *hatsdic*, et הרשיע *harscia*, id est justificare et injustum facere, sive injustum judicare, quod est condemnare.

Excitat Paulus omnibus hisce versibus fideles ad fiduciam, patientiam, magnanimitatem, amorem in Deum. Unde duo elidit hic diffidentiæ jacula. Primum est persecutio exterior hostium, quales tunc erant Ethnici permulti, qui Christianos bonis et vita non raro spoliabant; ne ergo huic cedant, Deoque diffidant Christiani, opponit illi S. Paulus hic scutum divinum, dicens vers. 31 : « Si Deus pro nobis, quis contra nos? » Alterum diffidentiæ jaculum est interior metus et conscientiæ anxietas ob peccata olim admissa, ne forte illa a nobis quandoque exigantur et repetantur, hoc hic elidit dicens : « Deus est qui justificat, quis est qui condemnet? »

CHRISTUS JESUS (supple, *est*), QUI (pro nobis) MORTUUS EST, IMO QUI RESURREXIT, QUI EST AD DEXTERAM DEI, QUI ETIAM INTERPELLAT PRO NOBIS. — Repete ex præcedentibus : « Quis ergo accusabit adversus electos Dei? quis eos condemnet? » *q. d.* Christus : Adeo eos non accusabit, ut pro eis mortuus sit, et resurrexit ad hoc, ut ad dexteram Dei sedens interpellet pro eis. Dixerat Apostolus, vers. 26, de Spiritu Sancto, quod adjuvet infirmitatem nostram, et postulet pro nobis. Dixerat quoque de Patre, vers. 32, quod proprium Filium tradiderit pro nobis. Supererat ipse Filius : de eo hic dicit, quod mortuus sit, quodque interpellet pro nobis, *q. d.* Tota ergo SS. Trinitas nos fideles suos impense amat, fovet, tuetur. Quid ergo timeamus, quem metuamus accusatorem? cum talem, imo tales habeamus advocatos et patronos, qui nos nostraque curant sedulo; ac consequenter efficiunt, ut omnia nobis cooperentur in bonum, cedantque nobis ad salutem et gloriam æternam.

(1) Quod in Abrahamo signum fuerat amoris in Deum, *Gen.* XXII, 12, id in Deo signum est benevolentiæ erga homines. Populare dictum. Facilius est dare omne aliud, quam filium.

Notat Cajetanus, τὸ *pro nobis* referendum esse ad omnia præcedentia, scilicet ad τὸ *mortuus est*, et ad τὸ *resurrexit*, et ad τὸ *sedet ad dexteram Dei*. Magis tamen referitur ad τὸ *interpellat pro nobis*. Ubi adverte, τὸ *vivus qui resurrexit* habere emphasim et tacitam præoccupationem : ne quis enim diceret Christum quidem mortuum esse pro nobis, sed post mortem nihil amplius pro nobis pati vel agere, occurrit Apostolus dicens : imo vero post mortem magis satagit pro nobis, curatque nostra et nostram salutem; nam sicuti mortuus est pro nobis, ita multo magis pro nobis resurrexit, ut nimirum viam ad resurrectionem et beatitudinem cœlestem nobis panderet, utque post resurrectionem scanderet in cœlum, ibique sedens ad dexteram Patris interpellaret pro nobis.

QUI ETIAM INTERPELLAT PRO NOBIS. — Quæres, quomodo Christus in cœlis interpellet et oret pro nobis?

Respondeo *primo* : Orat Christus oratione interpretativa, scilicet exhibendo se et cicatrices suas, quas in passione acceptas adhuc servat, et Patri ostentat; ac consequenter orat, sua merita, suos labores, suas passiones allegando divino conspectui; et hoc est, quod ait Apostolus, *Hebr.* IX, 24 : « Introivit (Christus) in ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis. » Ita docet D. Thomas, ibid.; S. Gregorius, lib. XXII *Moral.*, cap. XVIII; Rupertus, lib. IX *De Divinis officiis*, cap. III, et alii.

Secundo, proprie Christus, qua homo, in cœlis orat pro nobis, perinde ac in terra oravit. Est nim ibi, æque ut hic, advocatus, mediator et pontifex noster, cujus proprium est orare pro populo. Videtur id negare Rupertus loco citato : verum alii Patres passim idipsum asserunt, imo Christus ipse *Joan.* XIV, 13, ubi loquens de sua ascensione ad Patrem in cœlum : « Ego, inquit, ad Patrem vado, et quodcumque petieritis in nomine meo, hoc faciam. Si diligitis me, mandata mea servate; et ego rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis. » Quid est *rogabo*, nisi postulabo, petam, precabor? Rursum idipsum significat hic Paulus, cum ait : « Interpellat pro nobis. » Quid est enim *interpellat*, nisi intercedit, orat, obsecrat pro nobis? Idem patet *ad Hebr.* VII, 27. Unde Nazianzenus, orat. 4 *De Theolog.* : « interpellat, » inquit, id est pro nobis mediationis ratione supplicat. Et S. Gregorius in *Psal.* V *Pœnit.* : « Quotidie, inquit, orat Christus pro Ecclesia, de quo testatur Apostolus, quia sedens ad dexteram Patris interpellat pro nobis. » Idem docet S. Augustinus in *Psal.* XXIX, Theodoretus, Chrysostomus, Theophylactus, Bonaventura, Abulensis, Sotus et alii, quos citat et sequitur Franciscus Suarez, III *part.*, disp. XLV, sect. 2.

Ubi nota : Orat Christus in cœlis pro nobis oratione proprie dicta, non qua denuo mereatur vel impetret aliquid, uti fecit in hac vita, in qua omne suum meritum consummavit, omniaque quæ impetranda erant, impetravit, ac proinde nihil jam ei merendum vel impetrandum restat; sed qua petat exigendo jus suis meritis debitum, et præmium a Patre impetratum, scilicet gratiam et salutem nostram, dum illa quasi promerita sibique a Patre promissa relpsa nobis dari, erogari et applicari poscit et exigit, ea tamen reverentia, humilitate et submissione, quam homo et creatura debet suo creatori. In hac ergo vita Christus oravit Patrem anxius, sollicitus et cum lacrymis, jam vero Patrem orat lætissimus, liberrimus et beatissimus. Omnis enim humilitas, anxietas et vilitas Christo glorificato indigna, jam ab ejus oratione removenda est, inquit Nazianzenus et Augustinus, loco citato.

Objicies : Christus est jam beatus, cui Pater omnia dedit in manus; ergo non est quod Patrem oret.

Respondeo : Licet Christus sit beatus, omniumque habens potestatem, tamen est et homo, et qua homo est creatura, quæ Deo creatori ac Domino suo debitum cultum religionis exhibere, eumque agnoscere, revereri et honorare tenetur, scilicet illum adorando, laudando, gratias agendo : cur non etiam interpellando proprie et postulando? hoc enim est advocati et pontificis, præsertim cum Christus, qua homo, omnem suam potestatem, dignitatem et gloriam a Deo continuo accipiat, totusque a Deo pendeat, omnisque gratia et gloria a Deo ad nos derivari et descendere debeat per merita et preces Christi. Sic ergo Deus Pater omnia dedit in manus Christi, quia Christo nihil negat, sed illi concedit quidquid petit, et sic Christus ut homo, omnia potest, non immediate et independenter; hoc enim est proprium Dei; sed mediate et dependenter a Deo, tanquam mediator et pontifex, cujus est a Deo sua patere et impetrare.

Objicies *secundo* : Si Christus in cœlis oret pr nobis : ergo licebit orare hoc modo : « Christe, or pro nobis. »

Respondeo licere, si intelligas Christe, qua homo; Ecclesia tamen ita non orat, quia Christo redemptori tribuit id quod habet dignius et præstantius, oratque Christum, non ut intercedat qua homo, sed ut det, qua Deus, id quod petitur.

35. QUIS ERGO NOS SEPARABIT A CHARITATE CHRISTI? — Quæres, quænam hic dicitur « charitas Christi? » an illa quæ est in ipso Christo, ipsoque Deo, qua scilicet Deus per Christum nos diligit : an vero illa quæ est in nobis, qua nos Christum Deumque diligimus? Hæretici, et nonnulli Catholici, uti Toletus et Pererius, intelligunt charitatem, non eam quæ est in nobis, sed eam quæ est in ipso Christo, ipsoque Deo, qua scilicet Deus nos amat per Christum mediatorem, quem pro nobis dedit in mortem, facitque dilectis suis omnia cooperari in bonum, qua scilicet eos prædestinat, vocat, justificat, glorificat : ut pergat Apostolus in commendanda charitate Dei erga dili-

gentes se, et vocatos secundum propositum, *q. d.* Nec gladius, nec fames, nec dæmon, nec angelus, nihil denique erit quod possit Deum revocare ab hoc amore, ut eos desinat diligere, regere, protegere, ut sinat eos a se et salute excidere.

Verum S. Chrysostomus, Origenes, Theodoretus, Ambrosius, Theophylactus, Anselmus et passim alii Patres, et recentiores intelligunt hic charitatem non quæ in Deo, sed quæ in nobis est, qua nos Christum et Deum diligimus : hanc enim elicit, protegit, conservat et accendit in nobis ipsa Christi et Dei charitas, *q. d.* Si ita (ut ostendi vers. 29 et sequent.) nos Christus et Deus dilexit et diligit, quomodo non vicissim eum diligemus et diligere pergemus? ecquid erit, quod nos ab ejus amicitia et amore divellat? Hunc esse sensum patet, quia sequentia ostendunt animos Pauli, et cujusvis sancti, amore Dei flagrantis. Nec enim recte dicitur, quod angustia, fames, nuditas, gladius charitatem, quæ in Deo est, separet a nobis, aut separare possit; de nostra autem charitate optime dicitur : nec fames, nec gladius me separabit ab amore Christi; hæc omnia superabo charitate Christi.

Secundo, quia si Paulus loqueretur de Christi amore erga nos, non diceret : « Quis nos separabit a charitate Christi? » sed, « Quis Christum separabit a charitate nostra? »

Tertio, quia de hac charitate, quæ in nobis est, mox subdit : « Sed in his omnibus superamus, propter eum qui dilexit nos; » et clarius vers. ult. : « Certus sum quod neque mors, neque vita, etc., poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo. » S. Bernardus, serm. *De Duplici baptism. et de relinquenda propria voluntate*, quærit : « Quis nos separabit a charitate Christi? » ac respondet : Neque mors, neque angeli, nec aliquid quod extra hominem est, sed sola propria hominis voluntas hanc separationem efficere potest. Verum hoc non est ad mentem Apostoli, quia Apostolus voluntate fervida, resoluta, constanti, de eaque non dubitans, asserit, quod nemo se suique similes separabit a charitate Christi : perinde ac si amicus amicum ardentissime amans, et pro eo mori resolutus diceret : « Quis me separabit a te, quin te sequar usque ad mortem? » uti de Niso et Euryalo narrat Virgilius. Dicit ergo Apostolus, Christum tam fortiter, quam suaviter diligens : « Quis nos separabit a charitate Christi? »

TRIBULATIO? — Certe non, quia gloriamur in tribulationibus.

AN ANGUSTIA? — Multo minus : quia licet foris instent pugnæ, intus timores, in omnibus tamen superamus, propter eum, qui dilexit nos. Angustias omnes devorat, imo absorbet latitudo charitatis Christi; perinde ut balæna parvos deglutit pisciculos, et ignis maximus guttas aquæ vix sentiens haurit : aquæ enim multæ non poterunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.

AN FAMES? — Minime : quia meus cibus est Christus, quocum semper vescar, non possum fame perire : imo famos, serpens, sitis, ardor, arena, dulcia virtuti, dulcia charitati. Charitas hæc omnia non fugit, non palitur, sed ambit et invadit.

Scribit Seneca de seipso, *epist.* 68 : « In quacumque, inquit, positione mentis sim, cum lego Sextium, libet omnes casus provocare, libet exclamare : Quid cessas, fortuna? congredere, paratus sum; illius animum induo, qui quærit ubi se experiatur, ubi virtutem suam ostendat :

> Spumantemque dari, pecora inter inertia, votis
> Optat aprum, aut fulvum descendere monte leonem.

Libet aliquid habere quod vincam, cujus patientia exercear. » Hæc Ethnicus; quid hic dicat Christianus? quid Paulus? utique dicet : Cum Christum in cruce intueor, et lego purpureos toto corpore amoris mei characteres, libet exclamare : Veni media, veni dolor, veni crux, venite leones; vos ambio, ut amorem meum in Christum ostendam, ut amorem amori rependam : vobis gaudeo, vobis glorior, vobis exulto.

AN NUDITAS? — Neutiquam; quia vestit me charitas Christi, et libens sequar nudus eum, qui cum dives esset et amictus lumine sicut vestimento, propter me egenus et nudus fieri dignatus est.

AN PERICULUM? — Nequaquam; sum enim miles veteranus Christi, qui pericula non fugio, sed ambio; qui adversus principatus et potestates tenebrarum harum millies bella suscepi, pugnavi et vici; tot victoriis assuetus, hostes timere, in periculis trepidare non possum.

AN PERSECUTIO? — Nullo modo, persecuti sunt me Judæi, Gentiles, Barbari, Græci, principes, magistratus; lapidibus, virgis, verberibus mulctarunt : sed quid? Christum mihi adimere non potuerunt. Ecce vivo vegetior et fortior, Christoque infimius amore conjungor.

AN GLADIUS? — Minime gentium; resecet ille caput a corpore, ut anima ad Christum, qui amor meus est, evolet; mihi vivere Christus est, et mori lucrum. Omnibus his aliisque gerumnis et tormentis excelsior est charitas Christi : animus in cœlis, in Christo, in æternitate defixus ridet omnia quæ sub cælo sunt, tanquam villa et exilia; reges et tyrannos non pluris facit, quam pulices; plagas et verbera pulicum morsus æstimat, ut ait Chrysostomus; cruces et mortes, quasi brevem, facilem et certum ad Christum et beatitudinem transitum et januam reputat et ambit. Quid mirum ergo, si charitate Christi flagrans in tribulationibus non tribuletur, sed exulet; in angustiis non coarctetur, sed consolatione diffluat; in fame non esuriat, non sitiat, sed Christi gratia, patientia et fortitudine satur sit et ebrius; in nuditate non frigeat, sed caleat et æstuet charitate; in periculis non metuat, sed secure in Christi protectione obdormiat; in persecutione hostes

non fugiat, sed iis cum Christo libere et intrepide se quasi athleta invictus offerat; in gladio et morte non doleat, non pereat, sed quasi martyr laureatus triumphet? Idipsum pulchre et pie canit Prosper in Epigram. *De Dilectione Christi* :

> Et quid erit (inquit) quod me separet a Domino?
> Ignem adhibe, rimare manu mea viscera tortor :
> Effigiunt pœnas membra soluta tuas.
> Carcere si cæco claudar, nectarque cutemis,
> Liber in excessu mentis adibo Deum.
> Si mucrone petet cervicem abscindere victor,
> Impavidum inveniet mors cita, pœna brevis.
> Non metuo exilium, mundus domus omnibus una est;
> Spero tamen, Domini fit mihi sæpe cibus.

Contempserunt Philosophi Gentiles mortem studio humanæ vel virtutis, vel gloriæ. Ita Damindas conversus ad eos qui timebant Philippum Macedonem : « O semiviri, inquit, quid nobis acerbi potest accidere, qui mortem contemnimus? » testis est Plutarchus.

Alius tyranno necem comminanti : « Hemina, ait, sanguinis in tua est potestate, eam accipe; amplius quod mineris non habes. »

Theodorus Lysimacho tyranno mortem minitanti et crucem : « Nihil, ait, interest, humine an in sublimi putrescam. » Ac rursum : « Præclaram, inquit, rem effecisti, si cantharidis vim consecutus es. » Cantharis enim insectum et animaculum vilissimum suo veneno hominem occidere potest; testis est Cicero, *Tuscul.* cap. v.

Plura de Anaxarcho, Empedocle et aliis habet Tertullianus, *Apolog.* cap. L.

Quid ergo faciet philosophus et miles Christianus amore Dei et spe cœlestis gloriæ? Audi quid fecerint philosophi Christiani. S. Basilius cum a Valente imperatore in exilium pro fide cogeretur, exhibitus est ad tribunal præfecti, terroribusque et minis maximis actus, ut, nisi præceptis principis obediret, sciret sibi impendere interitum, tum ille intrepidus ad præfectum : Atque utinam aliquid mihi esset digni muneris, quod offerrem huic, qui maturius Basilium de nodo follis hujus absolveret. Camque daretur ei nox quæ erat media ad deliberandum, denno respondit : Ego eras idem ero qui nunc sum, tu te utinam non mutares! Ita *Ecclesiast. Histor.* lib. I, cap. IX.

Tales tamque celsos et leoninos animos ostendit S. Chrysostomus, cum ab Eudoxia in exilium pelleretur, et extrema quæque metueret. Scribens enim *ad Cyriacum*, epist. 3, tom. V, ita ait : « Ego cum e civitate fugarer, nihil eorum curabam, sed dicebam intra memetipsum : Si quidem vult me regina exulem, agat in exilium : Domini est terra, et plenitudo ejus. Et si vult secare, secet : idem passus est Isaias, subscribat illi. Si vult in pelagus mittere, Jonæ recordabor. Si me lapidare vult, lapidet me : Stephanum habeo primum martyrem socium. Si et caput tollere vult, tollat : habeo socium Joannem Baptistam. Et si substantiam auferre, auferat : nudus exivi de utero matris meæ, et nudus revertar illuc, » etc.

36. SICUT SCRIPTUM EST (*Ps.* XLIII, vers. 22) : QUIA PROPTER TE MORTIFICAMUR (in mortem mortisque pericula, plagas et ærumnas tradimur : unde S. Cyprianus legit, *occidimur*) TOTA DIE, ÆSTIMATI SUMUS SICUT OVES OCCISIONIS.

Nota : *propter te, q. d.* Propter fidem, amorem, confessionem et cultum nominis tui : sunt enim hæc verba Machabæorum aliorumque Judæorum ab Antiocho Epiphane afflictorum, et plagis ac morte mulctatorum, ut notat ibidem Theodoretus. Allegorice vero sunt hæc verba Ecclesiæ, Apostolorum et Martyrum, qui a persecutoribus et tyrannis vexantur, et carceribus, verberibus mortique traduntur. Hunc vers. ita legit Tertullianus, *Scorpiaci* cap. XIII : « Tui causa mortificamur tota die, deputati sumus, ut pecora jugulationis, » id est ut pecora certæ et proximæ neci destinata, et jamjam jugulanda.

37. SED IN HIS OMNIBUS SUPERAMUS (græce ὑπερνικῶμεν, id est *plus quam victores sumus*, supervincimus, scilicet, insigni et illustri victoria, ait Theophylactus et Œcumenius, quam consequimur, dum non resistendo, sed patiendo et moriendo, superamus hostes omnes et quævis adversa, in iisque gloriamur, idque) PROPTER EUM, id est amore et exemplo Christi; vel, ut Græci et Syrus habent, *per eum*, id est per auxilium gratiæ Christi, QUI DILEXIT NOS.

Triplicem ergo rationem hujus supervictoriæ affert hic Apostolus. *Prima* est a facilitate vincendi; quia sola ipsa tolerantia contra hostes ubique trophæa erigimus. *Secunda*, quia per ipsa tormenta et persecutiones superamus : quæ nova est et mira vincendi ratio. *Tertia*, ob victoriæ certitudinem : plusquam enim superare est, aliquem sic ad certamen descendere, quasi jam victoriæ dominus sit. Unde ait : « Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, » etc.

« Hoc, inquit Chrysostomus, hom. 25 *in Matth.*, testantur Apostoli, qui torrente totius orbis in se pariter irruente, tyrannorum scilicet atque populorum, Judæorum atque Gentium, suorum et alienorum, pulsata fluctibus rupe firmius constiterunt. » Et infra : « Hoc est enim maxime mirabile, quia cum plurimas illi paterentur insidias, maximeque in illos tempestatum turbines frequentes irruerent, nequaquam tamen eorum animos labefactare potuerunt, nec eis aliquem incutere mœrorem. Exagitat te undique inimicus, et afflictionibus mille circumdat, sed clariorem tibi profecto texit coronam. Quod autem præcipue mirandum est, non modo nihil omnino lædunt, qui talibus insidias machinantur, sed eos etiam faciunt oppugnatione mellcres. » Deinde idipsum probat, eosdem apposite comparando adamanti, stimulo et igni, dicens : « Et qui adversus stimulum calcitrat, sine dubio ipse compungitur suisque propriis ictibus vulneratur; et qui im-

pugnat virtutem tenentes, ipse profecto subruitur, et malitia tanto efficitur infirmior, quanto contra virtutem diutius præliatur. Et sicut qui ignem ignt in vestimento, filum quidem non extinguit, vestimentum vero combarit : ita etiam qui in virtute positos persequebantur, comprehendebant, ac sæpius colligabant, illos quidem reddebant ex his omnibus clariores, se autem perdebant. »

38 et 39. CERTUS SUM ENIM, QUIA NEQUE MORS, NEQUE VITA, etc., POTERIT NOS SEPARARE A CHARITATE DEI. — « Certus sum ; » ergo, aiunt hæretici, electi fide credunt esse se impeccabiles et ad gloriam electos. Respondent aliqui, Paulum de se loqui, eique revelatum fuisse, se esse prædestinatum et confirmatum in gratia.

Alii putant Paulum hic loqui in persona electorum, *q. d.* Electi finaliter non possunt separari a charitate, aut mori in peccato.

Verum respondeo : pro *certus sum*, græce est πέπεισμαι, id est certam in Domino spem habeo, persuasum habeo, confido, ut legit Ambrosius, Hieronymus, Quæst. IV *ad Algasiam*, Syrus, imo Erasmus, Beza et Vatablus. Hoc enim sensu τὸ πέπεισμαι usurpat Paulus cap. XV, vers. 14 ; *Hebr.* cap. VI, vers. 9, et II *Tim.* I, 5, et alibi. Significat ergo Paulus hisce verbis, ait S. Augustinus, lib. *De Moribus Eccles.*, cap. XI et seq., potentiam et efficaciam charitatis, *q. d.* Nullus est terror, qui possit removere hominem, qui charitate flagrat, ut Deum offendat ; tamen ibidem docet S. Augustinus, charitatem posse amitti, et diligentissime esse servandam. Sic miles animosus et ardore belli ac victoriæ accensus diceret : Certus et resolutus sum, quod nec tela, nec saxa, nec ignes me arcebunt a mœnibus, quin ea conscendam, uti de Sinone ait Virgilius :

In utrumque paratus,
Aut versare dolos, aut certe occumbere morti.

Adde, ipsos hæreticos, qui hunc locum pro sua fide speciali nobis objiciunt, aliosque Doctores Catholicos hæc accipere de charitate Dei, non nostra, *q. d.* Paulus : Charitas qua Deus suos dilectos amat, curat, dirigit ad salutem, ita sua, certa et immutabilis est, ut nulla omnino creatura ab ea nos possit divellere, aut efficere ut illa nos desinat amare, vel ut amor ejus frustretur suo effecto, puta gratia, justitia, salute nostra, « quæ est in Christo, » id est *per Christum*, qui hanc Dei charitatem, sua morte nobis conciliavit. Intellige, nisi nos sponte per peccatum ab ejus amore avellamus, et nolimus ab eo amari et regi. Et hoc est quod ait S. Bernardus : « Nulla creatura a Dei charitate separare nos potest, sed sola propria voluntas id ipsum potest. » Certitudo ergo hæc ex parte Dei summa est, estque certitudo fidei : sed ex parte nostra moralis tantum est certitudo, qualem affert firma resolutio firmumque propositum hominis ; de quo loqui hic Apostolum verius est, ut dixi.

Exclamat hic S. Chrysostomus : « O animam furentem insania, sed quæ sobrietatem pariat ! omnia quæ in cœlis, quæ in terra, quæ sub terra, quæ supra cœlos sunt, visibilia et invisibilia, præ amore Christi transcendens nihil æstimabat : unum hoc metuebat, ne a Christi dilectione excideret. » « Hac charitate Paulus ornatus, inquit idem Chrysostomus, homil. 2 *De Laudibus Pauli*, tyrannos ipsumque adeo Neronem, velut quosdam culices æstimabat, hac mortem, cruciatus et mille supplicia, ludum putabat esse puerorum ; hac Paulus vinctus Jesu Christi, magis quam diademate coronatus, gloriatur : etenim coarctatus carcere cœlum habitabat ; hac libentius verbera excipiebat et vulnera, quam alii bravia diripiunt ; hac labores non minus quam requiem, dolores non minus quam præmia, quam triumphales pompas et trophæa diligebat. Ego, inquit, in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus, » etc.

Hac charitate succensus S. Tiburtius martyr, ut habent ejus Acta, ad Torquatum judicem insultans, et quasi triumphans dicebat : « Applica equuleos, suspende Christianos, damna, percute, incende, universa denique supplicia adhibe : si exilium minaris, hoc philosophantibus est totus mundus ; si mortis supplicium, evadimus mundi carcerem ; si ignes, majora his in cupiditatibus incendia vincimus : decerne quidquid libet, omnis nobis vilis est pœna, ubi pura comes est conscientia. » Tiburtium mox secuti Marcus et Marcellianus fratres, cum pedes eorum clavis acutis stipiti confixi essent, psallebant dicentes : « Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum ? nunquam tam bene epulati sumus, quia modo cœpimus esse fixi in amore Christi ; utinam, o judex, nos sic esse permittas, quamdiu hujus corporis tegimur indumento ! »

Pulchre de hac charitatis suavi vi et violentia, qua amantis cor totum in Deum quem amat, abripitur, S. Bernardus, serm. 79 *in Cant.*, in illa cap. III, *Num quem diligit anima mea, vidistis* : « O amor, inquit, præceps, vehemens, flagratis, impetuose, qui præter te aliud cogitare non sinis, fastidis cætera, contemnis omnia præter te ; te contentus, captivam ducis rationem et intellectum, mirabiliter triumphum agens rerum omnium. En omne quod cogitat ista, quod loquitur, te sonat, te redolet, et aliud nihil : ita tibi ipsius et cor vindicasti et linguam. Num quem diligit anima mea, vidistis ? Quasi vero hi sciant quid cogitet ipsa, non explicat verbis sponsi nomen ; ut perpendas amorem hunc sanctum non lingua æstimandum esse et verbo, sed opere et veritate. Et præterea quoniam sicut idioma Græcum, jul græce peritus non est, intelligere non valet ; sic et proprios amoris terminos ac nomina solus amans intelligit : allis autem illa loquens apparebit barbarus. At isti vigiles, quia idioma amoris callebant, docent dilectam. Tenui eum, nec dimittam. » Deinde idipsum exemplo Jacobi Patriarchæ declarat : « Dixit Jacob angelo, cum quo luctabatur usque mane, postulanti uti eum dimitteret, quia jam appropinquantem auroram : Non dimittam te, nisi benedixeris mihi ; et benedixit ei in eodem loco, et post hoc dimisit illum. Sponsa autem etiam benedictionem consecuta, invento eo, quem diligit anima ejus, ait : Tenui eum, nec dimittam : dimittere eum non vult, nec ille forsan minus teneri vult, de quo dicitur : Delicæ meæ esse cum filiis hominum. Quid hac copula fortius, quæ una duorum tam vehementi voluntate firmata est ? Tenui eum, nec dimittam, et tenetur illa, juxta illud : Tenuisti manum dexteram meam ; non teneret, nisi teneretur misericordia Dei. »

NEQUE FORTITUDO. — Ita legunt Biblia Romana. Sed delent hoc Græca, Syra et Ambrosiana ; nec habet sibi respondens quid, uti habent cætera, quæ paria sunt : quodque enim suum habet compar, ut patet cum dicit : « Neque mors, neque vita, neque instantia (id est præsentia bona, vel mala, inquit Anselmus), neque futura. »

39. NEQUE ALTITUDO, NEQUE PROFUNDUM. — Id est nulla prosperitas, nulla adversitas, nulla gloriosa, vel humilia, inquit Œcumenius et ex eo Toletus.

Secundo, D. Thomas et Anselmus sic explicant : « Neque altitudo, » scilicet arcis et rupis, ex qua quis minaretur præcipitium, ni a Dei amore recedas ; « neque profundum, » puta mare aut flumen, in quo pari modo minaretur quis submersionem, nos separabit a charitate.

Tertio et efficacius, Theodoretus : « neque altitudo, neque profundum, » id est nec cœli, nec inferi, *q. d.* Etiamsi promittas regnum cœleste, etiamsi gehennam mineris Deum amanti, ut separes eum a charitate, nihil tamen apud eum effeceris, ait S. Chrysostomus. Est hyperbole. Subintelligitur enim, si videlicet hoc promittere, vel hoc minari tali conditione quis posset, *q. d.* Paulus : Hoc unum non tam timeo, quam adversor, abhorreo et detestor, scilicet separationem a charitate et dilectione Dei, « quæ est in Christo » (id est *per Christum* ; qua scilicet Deo per Christum Christique fidem, gratiam et amorem jungimur et unimur : vide *Can.* 25) ; præ hac separatione omnia quasi ludicra contemno, nam separari a Christo ipsa gehenna mihi magis horrendum est : sicut vicissim in Christi charitate perdurare quovis regno mihi jucundius est, ait S. Chrysostomus.

Pulchre, subtiliter et nervose sigillatim hæc explicans S. Augustinus, lib. I *De Moribus Ecclesiæ*, cap. XI, tom. I : « Nemo, inquit, nos separat a charitate Domini, minando mortem ; idipsum enim quod diligimus Deum, mori non potest, cum mors ipsa sit non diligere Deum. Nemo ab ea separat pollicendo vitam : nemo enim ab ipso fonte separat, pollicendo aquam. Non separat angelus : non enim est angelus, cum inhæremus Deo, nostra mente potentior. Non separat virtus quæ potestate habet in hoc mundo : nam tota mundo omnino sublimior est mens inhærens Deo. » Pergit Augustinus : « Non separant instantes molestiæ : hoc enim leviores eas sentimus, quo ei unde nos separare moliuntur, arctius inhæremus. Non separat promissio futurorum : nam et quidquid boni futurum est, certius promittit Deus ; et nihil est ipso Deo melius, qui jam bene sibi inhærentibus præsens est. Non separat altitudo, neque profundum : quid enim mihi cœlum polliceatur, ut a cœli fabricatore sejungar ? aut quid terreat infernus, ut Deum deseram ? quem si nunquam deseruissem, inferna nescivissem. Postremo, quis me loens ab ejus charitate divellet, qui non ubique totus esset, si ullo contineretur loco ? »

Ita resoluta et solidata fuit in amore Christi præ aliis Sanctis S. Agatha, virginum heroina, ut cum esset nobilissima, ditissima, honestissima et pulcherrima, ac præses Siciliæ Quintianus ejus amore captus, non tam judicem ageret, quam procum, sed frustra, ideoque tandem eam tradidisset Aphrodisiæ, ut eam suis lenociniis flecteret præsidique obsequentem efficeret, illaque quasi siren nocte et die voluptates et delicias illi cocineret, S. Agatha quasi surda mentem in Deo defigens immobilis persisteret : cumque illa finem sollicitandi non faceret, demum ei virgo sancta respondit : « Tuas voces, Aphrodisia, tuamque linguam, non ut tuam, sed ut dæmonis organum et linguam accipio. Pudeat te mihi hæc fœda et indigna proponere. Si non pudet, cessa tamen : operam enim perdis, surdo canis. Ego enim ita fundata et firmata sum in amore Domini mei Jesu, tamquo constans in voto virginitatis meæ quod ipsi nuncupavi, ut per ipsius gratiam confidam quod prius soli deficiet sua lux, igni calor, nivi albedo, quam ego mutem meam voluntatem et propositum. Præparet Quintianus leones, accendat rogum, distendat equuleos, aperiat portas infernis si potest, omnemque dæmonum vim et tormenta contra me concitet, libens omnia excipiam ut moriar Christiana et virgo. Nullam Quintiani violentiam timeo, quia Deus, cui animam et corpus consecravi, me tutabitur. » Quocirca Aphrodisia referens ad Quintianum ea, quæ in Agatha viderat et exploraverat : « Facilius, ait, est lapides molles et teneros facere, aut ferrum in plumbum convertere, quam mentem Agathæ a Christi amore et castitate ad te traducere. Ego enim et filiæ meæ per triginta dies, noctu diuque nihil aliud egimus, quam ejus animum pulsare et tundere, nunc blanditiis, nunc minis, nunc promissis ; sed ipsa omnia quæ sub cœlo sunt, propter Christum non pluris facit quam terram quam pedibus calcat ; imo noctu diuque non aliud cogitat, non aliud somniat quam ut moriatur pro Christo. » Quintianus ergo Agatham accersens, novis modis

artibusque cunctis ejus rursum animum pertentavit, promittens eliquidquid desiderari potest in hoc mundo, si sibi obsequeretur. Cui sancta : Ego extra Christum nec vitam, nec salutem, nec quid aliud opto aut desidero. Nec est, o Quintiane, quod putes me tuis minis, sævitia et tormentis percellere. Scias enim non esse cervam tessaræ et sitibundam, quæ ita desideret limpidam aquam, atque ego desidero et sitio tua tormenta, ut per ea Christum meum amplectar eique miar. Si velis in me stringere gladium, ecce collum meum ; si flagella, ecce dorsum meum ; si ignem, ecce totum meum corpus. Ecce meas manus, meos pedes, membra mea omnia tibi offero, excrucia ea ut lubet. Ure, seca, stringe, lacera, distende, liga, excrucia, occide : quanto in me eris crudelior, tanto majus in me beneficium conferes, tanto plus consolationis et gloriæ a dulci meo sponso accipiam. Quid tardas? quid moraris? animo sitienti omnis mora longa est. » Dixit, et præstitit ; nam mamillæ abscissionem, ignes, testas aliaque dira tormenta alacri fortique animo perpessa, martyr in cœlum evolavit die 5 februarii.

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Docet Judæos rejectos esse a justitia et salute ob infidelitatem ; Gentes vero ad eam ascitas esse propter fidem.

Primo ergo ostendit hic Paulus suum amorem in Judæos, et dolorem de eorum ruina et repulsa.

Secundo, vers. 6, *ostendit non propterea irritas esse promissiones a Deo Abrahæ ejusque filiis, sive Israelitis, factas, eo quod illæ non pertineant ad filios carnis, puta Judæos, sed ad filios promissionis et electionis divinæ, puta ad Christianos, qui credendo in Christum Abrahæ fidem imitantur.*

Tertio, vers. 14, *docet hoc non esse iniquum, eo quod Deus, cum sit omnium Dominus, cujus vult misereatur, et quem vult induret : induret, inquam, non duritiem eis immittendo, sed sustinendo eos in multa patientia, quasi vasa iræ apta in interitum, ut ipse Apostolus explicans ait vers.* 22.

Quarto, vers. 24, *hos filios promissionis docet partim esse Judæos credentes in Christum, sed paucos, partim Gentes, easque plurimas.*

Denique, vers. 30, *propriam, directam et adæquatam dat causam, cur Judæi a justitia et salute sint repulsi, Gentes vero ad eam ascitæ ; nimirum quod Judæi noluerint credere in Christum, Gentes vero in eum crediderint. Omnis enim justificatio et salus nostra (Deo ita volente et decernente) ab uno Christo petenda et expectanda est.*

1. Veritatem dico in Christo, non mentior : testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu Sancto : 2. quoniam tristitia mihi magna est, et continuus dolor cordi meo. 3. Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, 4. qui sunt Israelitæ, quorum adoptio est filiorum, et gloria, et testamentum, et legislatio, et obsequium, et promissa : 5. quorum patres, et ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen. 6. Non autem quod exciderit verbum Dei. Non enim omnes qui ex Israel sunt, ii sunt Israelitæ : 7. neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filii : sed in Isaac vocabitur tibi semen : 3. id est, non qui filii carnis, hi filii Dei : sed qui filii sunt promissionis, æstimantur in semine. 9. Promissionis enim verbum hoc est : Secundum hoc tempus veniam ; et erit Saræ filius. 10 Non solum autem illa ; sed et Rebecca ex uno concubitu habens, Isaac patris nostri. 11. Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali (ut secundum electionem propositum Dei maneret), 12. non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei : 13. Quia major serviet minori, sicut scriptum est : Jacob dilexi, Esau autem odio habui. 14. Quid ergo dicemus? numquid iniquitas apud Deum? Absit. 15. Moysi enim dicit : Miserebor cujus misereor ; et misericordiam præstabo cui miserebor. 16. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. 17. Dicit enim Scriptura Pharaoni : Quia in

hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam, et ut annuntietur nomen meum in universa terra. 18. Ergo cujus vult miseretur, et quem vult indurat. 19. Dicis itaque mihi : Quid adhuc queritur? voluntati enim ejus quis resistit? 20. O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit : Quid me fecisti sic? 21. An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam? 22. Quod si Deus volens ostendere iram, et notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ, apta in interitum, 23. ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam. 24. Quos et vocavit nos non solum ex Judæis, sed etiam ex Gentibus, 25. sicut in Osee dicit : Vocabo non plebem meam, plebem meam ; et non dilectam, dilectam ; non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam. 26. Et erit : In loco, ubi dictum est eis : Non plebs mea vos : ibi vocabuntur filii Dei vivi. 27. Isaias autem clamat pro Israel : Si fuerit numerus filiorum Israel tanquam arena maris, reliquiæ salvæ fient. 28. Verbum enim consummans et abbrevians in æquitate : quia verbum breviatum faciet Dominus super terram ; 29. et sicut prædixit Isaias : Nisi Dominus sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, et sicut Gomorrha similes fuissemus. 30. Quid ergo dicemus? Quod gentes, quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam : justitiam autem, quæ ex fide est. 31. Israel vero sectando legem justitiæ, in legem justitiæ non pervenit. 32. Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus : offenderunt enim in lapidem offensionis, 33. sicut scriptum est : Ecce pono in Sion lapidem offensionis, et petram scandali et omnis ; qui credit in eum, non confundetur.

Descendit hic Apostolus a thesi ad hypothesin. Hactenus enim docuit, non legalia, sed fidem Christi unicam esse viam ad justitiam et salutem : nunc tribus capitibus sequentibus (1) docet Gentes electas esse ad hanc justitiam et salutem, quia hanc fidei Christi viam inierunt : Judæos vero ab eadem rejectos esse non defectu vocationis, ut patet cap. x, vers. 12, vel gratiæ, utpote quam maximam, imo Christum ipsum totum soli ipsi habuerunt ; sed quia carnali patri Abrahamo et Mosi legislatori, legisque operibus præfixi, inde sibi salutem et justitiam arrogarunt : Christi vero, quasi hominis abjecti fidem et gratiam contempserunt. Id diserte patet cap. xi, vers. 20, 30 et seq.

Hoc ergo cap. docet *primo*, idipsum non esse contra promissa, nec etiam contra justitiam Dei ; nam *Abrahæ semen*, id est filii, cui *benedictio*, id est justitia, amicitia, Dei protectio et salus promissa fuit a Deo, non intelliguntur filii secundum carnem, puta Judæi, sed secundum spiritum et fidem, puta Christiani.

Secundo, docet causam cur Deus filiis non carnis, sed spiritus, id est *non Judæis*, sed Christian promissam hanc benedictionem consignari v fuerit, esse non illorum demeritum, vel horu meritum ; sed puram voluntatem, electionem misericordiam Dei, qui novam posteritatem, no carnalem, sed spiritualem, scilicet fidelium Christianorum, eligere et adoptare voluit ad hanc promissa ; cum ad eadem carnalem Abrahæ posteritatem, puta Judæos, adoptare potuisset si voluisset (uti eos in lege veteri adoptavit sibi in filios), vel alium ordinem et viam benedictionis et justificationis instituere.

Unde patet, Apostolum hoc cap. proprie et directe non agere de vocatione Judæorum et Gentium ad fidem, sed hanc utrorumque vocationem præsupponere ; nec rursum agere eum de gratia prævenient, ejusque disparitate, quasi docere velit Judæis minorem datam esse gratiam, Gentibus

(1) « Novum argumentum tractat Paulus ab hoc cap. IX usque ad finem cap. XI, nempe de gentis Judaicæ salute ac conditione misera, de causis unde ea sit repetenda, de fine denique in quem aliquando sit exitura. Causam hanc scribendi Apostolus habuisse videtur hanc, quod Judæi, non tantum in vetere sua religione perseverantes, sed etiam ipsi e Judæis Christiani agere ferrent, Ethnicos paribus juribus cum Judæis frui. Hoc enim vehementer pugnabat cum iis opinionibus quas Judæi ex magistris suis hauserant : posteros Abrahami, Isaaci et Jacobi semper præcipuo apud Deum loco fore, et, quamvis multa delinquerent, Deum ista condonaturum, tum ob majorum virtutes, tum ob professionem veræ religionis. Ostendit ergo Apostolus, Deum et in puniendo et beneficiendo semper esse justissimum æquissimumque, et magnæ esse temeritatis disputare contra id, quod Deus faciat, cap. IX, vers. 6-18 ; deinde vero docet, Judæis hæc mala accidere ipsa eorum culpa, propter suam improbitatem, superbiam et incredulitatem, IX, 19 ; X, 21 ; denique etiam solatur Christianorum animos ea cogitatione, multos Judæorum jam Christo nomen dedisse, et fore aliquando tempus, quo universa gens Judaica ad religionem Christi sit accessura, cap. XI. Ac primum, quis credi posset Paulus aut infensus Judæis, aut propensior in Christianos e Gentibus vocatos, suspicionem hanc longe a se amolitur IX, 1-3, et quidem jurejurando adhibito per Christum. » Hæc apposite Rosenmullerus.

artibusque cunctis ejus rursum animum pertentavit, promittens eliquidquid desiderari potest in hoc mundo, si sibi obsequeretur. Cui sancta : Ego extra Christum nec vitam, nec salutem, nec quid aliud opto aut desidero. Nec est, o Quintiane, quod putes me tuis minis, sævitia et tormentis percellere. Scias enim non esse cervam tessaræ et sitibundam, quæ ita desideret limpidam aquam, atque ego desidero et sitio tua tormenta, ut per ea Christum meum amplectar eique miar. Si velis in me stringere gladium, ecce collum meum ; si flagella, ecce dorsum meum ; si ignem, ecce totum meum corpus. Ecce meas manus, meos pedes, membra mea omnia tibi offero, excrucia ea ut lubet. Ure, seca, stringe, lacera, distende, liga, excrucia, occide : quanto in me eris crudelior, tanto majus in me beneficium conferes, tanto plus consolationis et gloriæ a dulci meo sponso accipiam. Quid tardas? quid moraris? animo sitienti omnis mora longa est. » Dixit, et præstitit ; nam mamillæ abscissionem, ignes, testas aliaque dira tormenta alacri fortique animo perpessa, martyr in cœlum evolavit die 5 februarii.

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Docet Judæos rejectos esse a justitia et salute ob infidelitatem ; Gentes vero ad eam ascitas esse propter fidem.

Primo ergo ostendit hic Paulus suum amorem in Judæos, et dolorem de eorum ruina et repulsa.

Secundo, vers. 6, *ostendit non propterea irritas esse promissiones a Deo Abrahæ ejusque filiis, sive Israelitis, factas, eo quod illæ non pertineant ad filios carnis, puta Judæos, sed ad filios promissionis et electionis divinæ, puta ad Christianos, qui credendo in Christum Abrahæ fidem imitantur.*

Tertio, vers. 14, *docet hoc non esse iniquum, eo quod Deus, cum sit omnium Dominus, cujus vult misereatur, et quem vult induret : induret, inquam, non duritiem eis immittendo, sed sustinendo eos in multa patientia, quasi vasa iræ apta in interitum, ut ipse Apostolus explicans ait vers.* 22.

Quarto, vers. 24, *hos filios promissionis docet partim esse Judæos credentes in Christum, sed paucos, partim Gentes, easque plurimas.*

Denique, vers. 30, *propriam, directam et adæquatam dat causam, cur Judæi a justitia et salute sint repulsi, Gentes vero ad eam ascitæ ; nimirum quod Judæi noluerint credere in Christum, Gentes vero in eum crediderint. Omnis enim justificatio et salus nostra (Deo ita volente et decernente) ab uno Christo petenda et expectanda est.*

1. Veritatem dico in Christo, non mentior : testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu Sancto : 2. quoniam tristitia mihi magna est, et continuus dolor cordi meo. 3. Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, 4. qui sunt Israelitæ, quorum adoptio est filiorum, et gloria, et testamentum, et legislatio, et obsequium, et promissa : 5. quorum patres, et ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen. 6. Non autem quod exciderit verbum Dei. Non enim omnes qui ex Israel sunt, ii sunt Israelitæ : 7. neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filii : sed in Isaac vocabitur tibi semen : 3. id est, non qui filii carnis, hi filii Dei : sed qui filii sunt promissionis, æstimantur in semine. 9. Promissionis enim verbum hoc est : Secundum hoc tempus veniam ; et erit Saræ filius. 10 Non solum autem illa ; sed et Rebecca ex uno concubitu habens, Isaac patris nostri. 11. Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali (ut secundum electionem propositum Dei maneret), 12. non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei : 13. Quia major serviet minori, sicut scriptum est : Jacob dilexi, Esau autem odio habui. 14. Quid ergo dicemus? numquid iniquitas apud Deum? Absit. 15. Moysi enim dicit : Miserebor cujus misereor ; et misericordiam præstabo cui miserebor. 16. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. 17. Dicit enim Scriptura Pharaoni : Quia in

hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam, et ut annuntietur nomen meum in universa terra. 18. Ergo cujus vult miseretur, et quem vult indurat. 19. Dicis itaque mihi : Quid adhuc queritur? voluntati enim ejus quis resistit? 20. O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit : Quid me fecisti sic? 21. An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam? 22. Quod si Deus volens ostendere iram, et notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ, apta in interitum, 23. ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam. 24. Quos et vocavit nos non solum ex Judæis, sed etiam ex Gentibus, 25. sicut in Osee dicit : Vocabo non plebem meam, plebem meam ; et non dilectam, dilectam ; non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam. 26. Et erit : In loco, ubi dictum est eis : Non plebs mea vos : ibi vocabuntur filii Dei vivi. 27. Isaias autem clamat pro Israel : Si fuerit numerus filiorum Israel tanquam arena maris, reliquiæ salvæ fient. 28. Verbum enim consummans et abbrevians in æquitate : quia verbum breviatum faciet Dominus super terram ; 29. et sicut prædixit Isaias : Nisi Dominus sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, et sicut Gomorrha similes fuissemus. 30. Quid ergo dicemus? Quod gentes, quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam : justitiam autem, quæ ex fide est. 31. Israel vero sectando legem justitiæ, in legem justitiæ non pervenit. 32. Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus : offenderunt enim in lapidem offensionis, 33. sicut scriptum est : Ecce pono in Sion lapidem offensionis, et petram scandali et omnis ; qui credit in eum, non confundetur.

Descendit hic Apostolus a thesi ad hypothesin. Hactenus enim docuit, non legalia, sed fidem Christi unicam esse viam ad justitiam et salutem : nunc tribus capitibus sequentibus (1) docet Gentes electas esse ad hanc justitiam et salutem, quia hanc fidei Christi viam inierunt : Judæos vero ab eadem rejectos esse non defectu vocationis, ut patet cap. x, vers. 12, vel gratiæ, utpote quam maximam, imo Christum ipsum totum soli ipsi habuerunt ; sed quia carnali patri Abrahamo et Mosi legislatori, legisque operibus præfixi, inde sibi salutem et justitiam arrogarunt : Christi vero, quasi hominis abjecti fidem et gratiam contempserunt. Id diserte patet cap. xi, vers. 20, 30 et seq.

Hoc ergo cap. docet *primo*, idipsum non esse contra promissa, nec etiam contra justitiam Dei ; nam *Abrahæ semen*, id est filii, cui *benedictio*, id est justitia, amicitia, Dei protectio et salus promissa fuit a Deo, non intelliguntur filii secundum carnem, puta Judæi, sed secundum spiritum et fidem, puta Christiani.

Secundo, docet causam cur Deus filiis non carnis, sed spiritus, id est *non Judæis*, sed Christian promissam hanc benedictionem consignari v fuerit, esse non illorum demeritum, vel horu meritum ; sed puram voluntatem, electionem misericordiam Dei, qui novam posteritatem, no carnalem, sed spiritualem, scilicet fidelium Christianorum, eligere et adoptare voluit ad hanc promissa ; cum ad eadem carnalem Abrahæ posteritatem, puta Judæos, adoptare potuisset si voluisset (uti eos in lege veteri adoptavit sibi in filios), vel alium ordinem et viam benedictionis et justificationis instituere.

Unde patet, Apostolum hoc cap. proprie et directe non agere de vocatione Judæorum et Gentium ad fidem, sed hanc utrorumque vocationem præsupponere ; nec rursum agere eum de gratia prævenient, ejusque disparitate, quasi docere velit Judæis minorem datam esse gratiam, Gentibus

(1) « Novum argumentum tractat Paulus ab hoc cap. IX usque ad finem cap. XI, nempe de gentis Judaicæ salute ac conditione misera, de causis unde ea sit repetenda, de fine denique in quem aliquando sit exitura. Causam hanc scribendi Apostolus habuisse videtur hanc, quod Judæi, non tantum in vetere sua religione perseverantes, sed etiam ipsi e Judæis Christiani agere ferrent, Ethnicos paribus juribus cum Judæis frui. Hoc enim vehementer pugnabat cum iis opinionibus quas Judæi ex magistris suis hauserant : posteros Abrahami, Isaaci et Jacobi semper præcipuo apud Deum loco fore, et, quamvis multa delinquerent, Deum ista condonaturum, tum ob majorum virtutes, tum ob professionem veræ religionis. Ostendit ergo Apostolus, Deum et in puniendo et beneficiendo semper esse justissimum æquissimumque, et magnæ esse temeritatis disputare contra id, quod Deus faciat, cap. IX, vers. 6-18 ; deinde vero docet, Judæis hæc mala accidere ipsa eorum culpa, propter suam improbitatem, superbiam et incredulitatem, IX, 19 ; X, 21 ; denique etiam solatur Christianorum animos ea cogitatione, multos Judæorum jam Christo nomen dedisse, et fore aliquando tempus, quo universa gens Judaica ad religionem Christi sit accessura, cap. XI. Ac primum, quis credi posset Paulus aut infensus Judæis, aut propensior in Christianos e Gentibus vocatos, suspicionem hanc longe a se amolitur IX, 1-3, et quidem jurejurando adhibito per Christum. » Hæc apposite Rosenmullerus.

bus majorem; Judæis inefficacem, Gentibus efficacem : sed agere de gratia justificante, ut patet toto cap. præced. et aliis omnibus, hucusque. Vide et lege prm aliis caput III et IV, et ita esse videbis. Totius enim epistolæ quæstio est hæc : unde justificetur homo ? Cui respondet Apostolus, hominem justificari per fidem et gratiam Christi, non per cæremonias aut opera legis. Ex qua responsione recte hoc cap. et seq. infert et concludit Gentes justificatas esse, quia fidem et gratiam Christi amplexæ sunt, non autem Judæos, utpote qui eam amplecti noluerunt.

Secundo, idipsum, scilicet quod Apostolus non agat hic de gratia præveniente, sed justificante, patet ex eo, quia hæc est benedictio promissa Abrahæ et semini ejus, scilicet : « Ero Deus tuus et seminis tui, » nimirum ad hoc, ut te et posteros tuos secundum fidem et spiritum, quasi justos, filios et amicos meos amem, protegam, complectar : ergo benedictio hæc Abrahæ non est aliud quam justitia et amicitia Dei.

Tertio, idipsum patet, ex eo quod hæc benedictio jam dicta præsupponat et requirat, ut jam natus quis sit filius Abrahæ, non secundum carnem, sed secundum spiritum, puta, ut quis per fidem et baptismum renatus sit in Christo : hic enim est filius Abrahæ et hæres benedictionis, id est, justitiæ et salutis. Promissa ergo hæc Abrahæ benedictio non est fides, nec vocatio, aut gratia præveniens, utpote quam jam filius hic et hæres præsupponitur habere ; per hanc enim debet nasci quis filius spiritualis Abrahæ, ut capax fiat hujus benedictionis ejusdem, perinde ac in humanis aliquis prius debet nasci, tlerique filius patris sui, antequam ejusdem hæres fieri, vel jus ad hæreditatem acquirere possit.

Quarto, idipsum clare patet ex conclusione totius hujus disputationis, quam colligit Apostolus hoc cap. vers. 30 et seq., ubi concludit Gentes justitiam adeptas esse, quia crediderunt Christo, Judæos vero ab ea excidisse, quia eam non in fide Christi, sed in lege Mosis quæsiverunt. Ex his omnibus patet Apostolum hoc cap. et seq. proprie non agere de gratia præveniente congrua, vel incongrua, multo minus de electione et electis ad gloriam, deque reprobatione et reprobis ad pœnas æternas; sed agere de gratia justificante, quam per fidem Christi adeptæ sunt Gentes, a qua Judæi exclusi sunt propter incredulitatem. Atque hoc punctum maxime hic notandum est : ex illo enim pendet genuina applicatio pariter et explicatio totius capitis, omniumque illius antithesium, adeoque tota mens Apostoli, uti fusius ipso capitis decursu declarabo.

1. VERITATEM DICO IN CHRISTO, NON MENTIOR, TESTIMONIUM MIHI PERHIBENTE CONSCIENTIA MEA IN SPIRITU SANCTO. — Nota ἐν ἐν Christo, *q. d.* Veritatem dico, uti facere par est eum, qui Christum revereatur ; vel « in Christo, » id est *per Christum*, quem testem invoco, *q. d.* Testor Christum, juro per Christum me verum dicere. *Beth* enim, id est *in*, apud Hebræos subinde est nota et vox juramentis, ut patet *Genes.* XXII, 16 ; *Josue* II, 12. Addunt Theophylactus et Œcumenius, Paulum hic per tres testes jurare, scilicet per Christum, per conscientiam, per Spiritum Sanctum. Verum illud, « testimonium perhibente mihi conscientia, » non videtur esse juramentum, sed tantum asseveratio se non mentiri, cum conscientia hoc illi dictet et attestetur ; conscientia, inquam, mota et excitata ac impulsa a Spiritu Sancto : hoc enim significat ἐν *in Spiritu Sancto*, quod idem valet ac *per Spiritum Sanctum*.

2. QUONIAM (quod) TRISTITIA MIHI MAGNA EST, ET CONTINUUS DOLOR CORDI MEO. — Scilicet ob rejectionem et reprobationem Judæorum a justitia et salute. Hanc enim causam doloris sui in seq. exprimit Paulus ; sed hic initio eamdem artificiose celat et tegit, ut prius ostendat suum in Judæos affectum, itaque eos sibi devinciat, ne putent eum ex odio legis et Judæorum hæc dicere, neve initio statim eos tam tristi nuntio percellat.

3. OPTABAM EGO IPSE ANATHEMA ESSE A CHRISTO PRO FRATRIBUS MEIS. — « Optabam » S. Chrysostomus, Origenes et Theophylactus vertunt. *optarem*, vel *optarem*, si videlicet possibile esset, et si divina dispositio id pateretur. Intelligunt ipsi in Græco εἴν, et videntur legisse ηὐχόμην. Nam ηὐχόμην, uti jam legitur, non video quomodo aliud esse possit, quam præteritum imperfectum, *optabam* (1). Optabam ergo, idem est ac si dicat : jam pridem optavi et continuo opto, et, ut ait Anselmus, jamdiu optare cœpi. Cajetanus vero sic explicat, *q. d.* Modo non opto, sed optabam in judaismo existens, esse anathema, id est separari a Christo.

Verum non recte : nec enim optat quis separari ab eo, a quo omnino jam separatus est : Paulus autem in judaismo plane erat separatus a Christo, Christique hostis acerrimus. Adde, non recte probare Paulum amorem suum in Judæos præsentem ex præterito. Nam dixissent Judæi : Tu quidem, Judæus existens, nos Judæos amasti, sed jam cum religione affectum in nos mutasti.

Nota : Quia Paulus hic dicturus erat ea quæ Judæis scelsat fore valde odiosa, scilicet eorum repudium a Deo et justitia, hinc eos initio sibi conciliat tot tamque gravibus verbis, intimum animi sui dolorem et sensum, indeque eximium suum in eos amorem ostendens ; unde optat pro eis fieri anathema.

ANATHEMA ESSE. — *Primo*, aliqui apud Œcumenium sic explicant : Optarim me nondum esse ad Christum conversum, sed adhuc esse anathema a Christo, si hoc ad fidem Judæorum conferret. Sed hoc votum est illicitum et impium.

(1) Ηὐχόμην legit S. Chrysostomus, nara imperfectum pro optativo frequens est Græcis, sive addito, sive non addito ἄν.

Secundo, S. Thomas et Lyranus sic explicant : Opto diutius abesse a Christi gloria, ut vivens in hac vita Judæis prosim.

Tertio, Ambrosius, Anselmus et Toletus hunc dant sensum : Cum essem Judæus, eram Christi hostis, adeo ut anathema et v...ut execratio ac maledictio a Cl...sto et Christianis haberi vellem. Verum huic sensui obstant ea, quæ paulo ante produxi.

Quarto, Dionysius Carthusianus et Abulensis, in cap. XXXII *Exodi*, censent esse hyperbolen, qua tantum Paulus velit significare et testari eximium suum in Judæos amorem, quo quidvis pro eis aptet perpeti.

Quinto, Origenes et S. Hieronymus *ad Algas.*, Quæst. IX : Optabam, inquiunt, esse anathema, id est occisionem et martyrium, ac mortem corporis pro Judæis subire. Sed huic expositioni repugnat vox *a Christo*. Mors enim separat hominem a vita, sed non a Christo : quin imo martyrem cum Christo maxime conjungit.

Verum omnes hi sensus pectus et amorem Paulinum non explent, non satisfaciunt illius incenso zelo et spiritui, ut recte annotavit S. Chrysostomus, Œcumenius et Theodoretus.

Unde nota : « Anathema » Syrus vertit, חרמא *cherma* ; alludit enim Apostolus ad votum חרם *cherem*, quod Septuaginta vertunt et vocant anathema, quo res Deo consecrata moriebatur, aut civiliter, aut naturaliter, atque in æternum separabatur a domino suo et usibus profanis. Pro quo adverte, Hebræum cherem significare occisionem, excisionem, successionem, a radice חרם *charam*, id est, occidit, excidit, succidit. Inde votum *cherem* dicebatur votum maximum, quo res vota Deo ita consecrabatur, ut destrui vel occidi deberet. *Cherem* ergo idem est, quod occisio, interfectio, consecratio, anathema, sive res ita Deo devota et in totum consecrata, ut in ejus honorem vel occidi, vel consumi debeat. Patet hoc *Levit.* XXVII, 28 : « Omne, inquit, quod Domino consecratur (hebraice omne *cherem*, quod יחרם *charam*, id est plane et plene consecrabitur Domino tanquam *cherem*), sive homo fuerit, sive animal, sive ager, non venibit (non vendetur), nec redimi poterit. Quidquid semel fuerit consecratum (hoc voto et hac consecratione *cherem*, id est anathematis), sanctum sanctorum (id est omnino sanctum et consecratum) erit Domino. Et omnis consecratio (hebraice omne *cherem*, id est anathema) quæ offertur ab homine, non redimetur, sed morte morietur. » Cujus exemplum est *Numer.* XXI, 2 : « At Israel, inquit, voto *cherem* se Domino obligans ait : Si tradideris populum istum (chananæum) in manu mea, delebo והחרמתי *vehacharamti*, id est succidam, excidam) urbes ejus. Exaudivitque Dominus preces Israel, et tradidit Chananæum, quem ille interfecit, subversis urbibus ejus, et vocavit nomen loci ejus Horma (sive *herem*, chet enim Hebræum alii pronunciant per *h*, alii per *ch* : unde alii dicunt *herem* et *horma*, alii vero *cherem* et *chorma*), id est anathema. » Vide dicta *Levit.* XXVII, 28.

Significat itaque *cherem* vel *anathema*, teste Budæo, separationem, successionem, exitium æternum et extremum. Optat ergo Paulus heroico quodam excessu, quasi cæca charitatis, quæ abstrahit, nec considerat an res sit possibilis, an secundum Dei ordinationem, nec ne : vel si non abstrahit, optat sub tacita conditione, si Deus vellet et si fieri posset (ita S. Chrysostomus, Origenes, Theophylactus, qui legunt *optarem*) : optat, inquam, sibi *cherem* et *anathema*, id est æternam separationem, non a charitate, sed a beatitudine et gloria futura cum Christo (id enim significat vox, *a Christo*), ut Judæi salventur. Ita Theodoretus, Œcumenius, Anselmus, Theophylactus, Sotus, Catharinus ; imo optat, ait Chrysostomus, in æternum perire ; et, ut Cassianus ait *Collat.* 32, cap. VI, æternis addici pœnis, idque tum pro gloria Dei, ut ait Chrysostomus, ne scilicet Deus a Judæis blasphemetur, sed in æternum laudetur ; tum pro salute ipsorum Judæorum. Optat ergo hic Paulus illud idem, quod in simili casu optavit Moses, *Exodi* XXXII, 31, dicens : « Aut dimitte eis hanc noxam, aut, si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti. »

Hinc patet cuilibet viro sancto idem licere optare, scilicet, ut deleatur de libro vitæ et separetur a fruitione et beata societate Christi et Sanctorum in cœlis, sine tamen sua culpa, dummodo hac ratione et conditione posita, multi alii Deum agnoscerent, diligerent et beantur, ut inter alios docet Ludovicus Molina, I *part.*, *Quæst.* XXIV, in fine. Hoc enim majus est Dei bonum et gloria, quam sit mea unius beatitudo ; et consequenter hoc optare non minuit, sed auget charitatem et propriam perfectionem, ad quam magis inclinat charitas, quam ad propriam gloriam et beatitudinem : præsertim quia ipsa novit et scit Deum, utpote liberalissimum, tam liberali animo, qui sua commoda suamque beatitudinem divinæ gloriæ et fratrum saluti posthabet et postponit, liberaliter quoque charitatis, gratiarum et aliorum donorum cumulos et incrementa repensurum, nec passurum ut liberalitate sua creatura vincatur.

Nota hic illustre exemplum pro dignitate et nobilitate animarum earumque zelo. « Quid ais, Paule ? ait Chrysostomus ; nonne jam dixisti : Quis nos separabit a charitate Christi ? imo ait : Quia amo Christum, cupio separari a fruitione Christi, ut plures, imo omnes eum ament et laudent. » Addit S. Chrysostomus : « Quia nos, inquit, longe sumus ab hac dilectione, ideireo intelligere hæc ejus dicta non possumus. » Sic Christus fieri voluit pro nobis maledictum. « Et quid mirum, inquit Origenes, si, cum Dominus (Christus) pro servis maledictum sit factus, servus (Paulus) pro fratribus anathema fiat ? » Optatio ergo hæc Pauli

pia, sancta et efficax fuit ex parte et voluntate ipsius; ex parte tamen objecti, non fuit omnino absoluta et efficax. Optabat enim rem impossibilem et repugnantem ordinationi divinæ. Deus enim ordinavit ut mea salus et beatitudo sit medium ad Dei gloriam et salutem, ac beatitudinem proximorum promovendam et augendam; non autem ordinavit ut privatio beatitudinis meæ sit medium et procuratio salutis alienæ, idque optime sciebat Paulus : unde simpliciter loquendo actus hic, sive votum et optatio hæc in eo non potuit esse plane absoluta et efficax.

4. QUI SUNT COGNATI MEI SECUNDUM CARNEM, QUI SUNT ISRAELITÆ, — qui sunt posteri Israelis, sive Jacobi magni illius Patriarchæ. Omnia enim hæc quæ hic sequuntur, spectant ad laudem Judæorum, iisque se Paulus ad eorum amorem mirifice accendi insinuat.

QUORUM ADOPTIO EST FILIORUM. — Quos Deus adoptavit in filios, cum sibi quoque cultui eos addixit, *Exodi* IV, 22, dicens : « Filius meus primogenitus Israel; » et jam per Christum vult eosdem sibi adoptare præ omnibus in filios et hæredes.

ET GLORIA. — Judæorum gloria, inquit Chrysostomus et Anselmus, est hæc, quod ipsi soli præ omnibus gentibus vocati sint, et reipsa fuerint populus et Ecclesia Dei.

Secundo, Theodoretus : Judæorum, inquit, gloria hæc est, quod Deus Judæis solis seipsum per tot tamque gloriosa miracula et prophetias, atque per tam singularem protectionem et providentiam, perque tot tantaque beneficia, tamquam patrem amantissimum, et tanquam Deum gloriosum, potentissimum æque ac clementissimum se ostendit et exhibuit.

Tertio, Toletus : Judæorum gloria, inquit, erat arca Testamenti, quæ Dei potentiam et gloriam referebat : Deus enim gloriosus in templo Judæorum sedebat super propitiatorio sustentato a Cherubinis, ita ut arcam haberet pro scabello pedum suorum. Unde arca a Philistæis capta, uxor Phinees parturiens filium quem peperit, vocavit Ichabod, id est *ubi gloria?* dicens : « Translata est gloria de Israel, quia capta est arca Dei, » I *Reg.* IV, 21, *q. d.* « Fuimus Troes, fuit Ilium, et ingens gloria Teucrorum, » puta *Israeliterum*. Omnes hi sensus accommodi sunt; secundus tamen planior est et plenior.

ET TESTAMENTUM. — *q. d.* Quibuscum pactum sæpius Deus iniit, græce enim est διαθῆκαι, id est *testamenta*; vel quibus datum est vetus testamentum, et novum promissum. *Tertio*, simplicius Noster vertit, « testamentum, » vetus scilicet. Græcum enim διαθήκη, cum significat testamentum, plerumque pluriter usurpatur, inquit Budæus.

Nota : Græcum διαθήκη et *testamentum* et *pactum* significat. Hinc sæpe noster Interpres testamentum usurpat pro quovis pacto, ut dicam *ad Hebr.* IX, 15.

LEGISLATIO. — *q. d.* Qui (scilicet Judæi) præ ceteris gentibus legem a Deo, e cœlo, in Sina acceperunt, et jam novam accipiunt in Sion. Nam cui populo data est lex vetus, eidem nova promissa est, et per Christum exhibita Judæque per omnes gentes propagata.

OBSEQUIUM. — Græce λατρεία, id est *cultus et religio Dei*, Deoque soli competens et debitus, *q. d.* Deus solis Judæis dedit verum sui cultum veramque religionem.

PROMISSA. — *q. d.* Benedictio Abrahæ promissæque aliæ promissiones Dei, quas ipse a veteri, quam novo Testamento hominibus fecit primo et primario ante omnes alias gentes spectant ad Judæos. Harum autem promissionum maxima est ipse Messias, sive Christus, puta redemptio, justitia ac salus præstanda per Christum.

5. QUORUM PATRES (scilicet sunt illi inclyti et insignes patriarchæ Abraham, Isaac et Jacob; qui *primo* mira virtutum facinora ediderunt) ET (*secundo*) EX QUIBUS EST CHRISTUS. — *q. d.* Judæorum patres sunt etiam parentes Christi. *Secundo* et aptius, « quorum, » supple parentes, sunt patres, id est Patriarchæ nostri celebres, puta Abraham, Isaac et Jacob. Hi enim antonomastice vocantur et sunt patres.

ET EX QUIBUS (scilicet Israelitis) EST CHRISTUS SECUNDUM CARNEM. — Mira enim dignitas Judæorum est, quod Christus ex eis sit natus. Ita distinguit hæc Syrus, ut τὸν *quorum patres* referat ad præcedentem versum; ex τῷ vero *et ex quibus est Christus*, incipiet seq. vers.; cum ergo ait : « Ex quibus, » supple, non patribus, sed Judæis sive Israelitis, de quibus egit vers. 4 hucusque, atque hæc ita dividi et explicari postulat conjunctio *et*.

QUI (Christus) EST SUPER OMNIA. — Supple, quæ sunt extra Deum. Non ergo est Christus supra Spiritum Sanctum. Ita S. Gregorius, hom. 8 *in Ezech.*, Ambrosius et alii. Male ergo hinc inferebant Macedoniani, Spiritum Sanctum esse Deo Christoque minorem, esseque creaturam.

QUI EST SUPER OMNIA DEUS BENEDICTUS IN SECULA. — Hinc S. Athanasius, Augustinus, Hilarius, Tertullianus, et alii passim probant contra Arium, Filium esse Deum. Respondet Erasmus, vocem « Deus » forte esse additam; nam Hilarius, *in Psal.* CXXII, et S. Cyprianus, lib. II *Contra Judæos*, illam non legunt. Sed errat; nam omnes codices Latini, Græci et Syras legunt τὸν *Deus*. Ita quoque legunt Patres passim ac nominatim ipse Hilarius, lib. VIII *De Trinit.*, ubi integrum citat hoc testimonium : Cypriani quoque exemplaria antiqua extant, in quibus loco citato τὸν *Deus* legitur.

Rursum Erasmus hic contra omnes ponit punctum post *omnia*, et sequentia ab eo divellit, *q. d.* Paulus : « Ex quibus est Christus, qui est super omnia, » punctum. « Deus (Pater) sit benedictus in sæcula. » Quis non videt hanc novam, hiulcam, distortam et absonam esse diastolen?

6. NON AUTEM QUOD EXCIDERIT VERBUM DEI. — « Non autem, » græce οὐχ οἷον δέ, quod Photius vertit, *non taliter vero* vel *non autem velut exciderat verbum Dei*.

Secundo, Toletus vertit, *non possibile est autem quod exciderit verbum Dei*, ita que explicat nostram versionem, *q. d.* « Non autem, » supple, fieri potest, quod exciderit verbum Dei. Verum prior Photii explicatio planior est, *q. d.* Paulus : Hæc autem quæ jam dixi de Judæorum repulsa et reprobatione a justitia et salute, dico, non quasi « exciderit, » id est irritum sit, verbum et promissum Dei : nimirum quasi Deus aliis, scilicet Judæis, promiserit justitiam et salutem per Christum; aliis vero, scilicet Gentibus, eamdem dederit. Ita Theophylactus. Occurrit hic Paulus objectioni Judæorum, qui indigne ferebant in Ecclesia et Christianismo Gentes idololatras sibi præferri, dictitantes hoc esse contra promissa Dei.

Objiciebant ergo ipsi Paulo : Promissio Messiæ, justitiæ et salutis a Deo facta est Abrahæ et semini ejus; atqui nos Judæi sumus semen Abrahæ, non autem Gentiles : ergo si hæc promissio a nobis ad Gentes (ut tu, o Paule, asseris et prædicas) translata est, sequitur quod promissio Dei revocata, cassata et irrita facta sit, quodque Deus sit instabilis et infidelis in suis promissis. Huic objectioni et cavillationi Judæorum respondet Apostolus vers. sequent., hanc promissionem factam esse posteris Abrahæ, non carnalibus, sed spiritualibus, puta Christianis, non Judæis.

Nota : Hoc verbum, sive hæc promissa benedictio, est justitia, salus et vita æterna promissa credentibus in Christum, ejusque gratiam amplectentibus. Id patet *primo*, ex sequentibus : soli enim credentes censentur filii Abrahæ, scilicet spirituales, ac consequenter hæredes ejus benedictionis. *Secundo*, idem patet ex cap. III *ad Galat.*, vers. 14, et ex hac *epist.* cap. IV, vers. 3 et 24. *Tertio*, idem ostenditur ex eo, quod Apostolus non respiciat ad promissionem Abrahæ factam de terra Chanaan possidenda, deque multiplicanda ejus sobole ad instar stellarum cœli : utrumque enim hoc etiam tempore Caristi habebant Judæi, non Gentes : hæ enim nunquam possederunt terram Chanaan. Apostolus autem docet hic promissam Abrahæ benedictionem non in Judæis, sed in Gentibus, puta Christianis, adimpletam esse. Ergo respicit ad promissionem, non illam temporalem jam dictam, sed ad aliam spiritualem, nimirum ad illam quæ continetur *Genes.* XII, 2, et *Genes.* XVII, 7, estque talis : « Benedicam tibi, erisque benedictus : ero Deus tuus, et seminis tui post te : » quia nimirum, ut sequitur *Genes.* XII, 3, et *Genes.* XXII, 18, « in te, et in semine tuo, » scilicet in Christo, per fidem « benedicentur, » id est justitiam, gratiam, gloriam assequentur « omnes gentes. »

Ubi adverte, in Genesi, locis jamjam citatis, Abrahæ semini promissas esse duplices benedictiones : unas carnales, datas carnalibus Abrahæ filiis, puta Judæis, de possidenda terra Chanaan, deque ejus fertilitate et copia prolis; secundas spirituales, promissas spiritualibus filiis, id est credentibus et fidelibus, ut sunt hæ quas hic citat Apostolus. Rursum utrasque benedictiones jam dictas in Genesi locis citatis miscet Scriptura, sicuti Prophetæ futuram Judæorum redemptionem et felicitatem temporalem miscent cum spiritali. Hæreditas enim et possessio terræ Chanaan a Judæis inita significabat hæreditatem cœli, ad quam asciscuntur, et jus acquirunt credentes, in fide et baptismo Christi regenerati, quasi filii justificati et adoptati a Deo. Apostolus ergo, relicta temporali Abrahæ benedictione (utpote de qua nulla erat inter Judæos et Gentiles contentio, quia ea solis Judæis cederet), solum spiritualem urget et persequitur : ad hanc enim asciti sunt Gentiles, Judæis exclusis.

NON ENIM OMNES QUI EX ISRAEL SUNT (qui ex Jacob Patriarcha prognati sunt), HI SUNT ISRAELITÆ, — veri scilicet, secundum mentem Scripturæ, ad quos pertineat divina promissio spiritualis Abrahæ et Israeli facta, de qua jam dixi. Pertinet enim hæc promissio non ad carnales, sed ad spirituales Abrahæ et Israelis, sive Jacobi, filios, ad eos scilicet, qui Abrahæ et Jacobi fidem imitantur, quos Apostolus, vers. 8, vocat « filios promissionis : » idque probat vers. 7 et 9, duobus similibus exemplis, scilicet Isaaci et Jacobi, ut ibi videbimus.

7. NEQUE QUI SEMEN SUNT ABRAHÆ, OMNES FILII. — *Neque qui*, græce οὐδ' ὅτι, neque quia semen sunt Abrahæ. Sic quoque legunt Syrus et Ambrosius, estque hæc lectio nervosior, *q. d.* Non omnes qui ex semine Abrahæ carnaliter sunt progeniti, eo ipso censentur filii Abrahæ, tales nimirum ad quos pertineat benedictio et hæreditas Abrahæ, nam, ut sequitur : SED, subaudi, dictum est *Genes.* XXI, 12, ad Abraham, id quod sequitur.

IN ISAAC VOCABITUR TIBI SEMEN. — Est hebraismus, *q. d.* Isaac erit et vocabitur tuum semen, id est verus et genuinus tuus filius, ac consequenter tuæ benedictionis hæres, non autem Ismael. Sic apud Hebræos, et in S. Scriptura super aliquem vocari semen aut nomen Jacob, est aliquem vocari filium Jacobi aut Jacobæum. Simili hebraismo dicitur hic vers. 8 : « Æstimantur in semine, » id est *æstimantur semen*.

Secundo et simplicius, « in Isaac, » id est *in posteris Isaac*, *q. d.* Posteritas tua, o Abraham, censebitur per Isaac, qui Dei promissione et virtute supernaturali natus est tibi semi et sterili Sarræ; non per Ismael, qui filius est carnis, id est, sola naturali virtute generatus; ac consequenter Isaac et Isaacidæ erunt hæredes tui, non autem Ismael, nec Ismaelitæ, neque alii tui filii, quos ex Cetura genuisti, *q. d.* Paulus : Ita ergo etiam non veri spirituales Israelitæ et filii Abrahæ

sunt, non quos naturalis generatio ejus, sed quos gratia et virtus promissionis spiritualis regeneravit per fidem et gratiam : et sic patet ex illis non excidisse promissam a Deo Abrahæ benedictionem, scilicet justitiam Dei, gratiam, amicitiam et salutem : hi enim eorum sunt hæredes, id est pauci Judæi, et plurimi e Gentibus, per baptismum in Christo renati.

8. ID EST, NON QUI FILII CARNIS, HI FILII DEI. — *q. d.* Non Ismael, nec alii carnaliter ex Abrahamo geniti, sunt filii Dei, quos scilicet Deus adoptavit et promisit Abrahæ, ut in iis suas promissiones, puta benedictiones Abrahæ et semini ejus promissas, adimpleret.

SED QUI FILII SUNT PROMISSIONIS, ÆSTIMANTUR IN SEMINE. — *q. d.* Sed filii a Deo Abrahæ promissi æstimantur « in semine, » id est *in stimantur semen*, sive filii et hæredes Abrahæ, et consequenter ipsius Dei divinæque promissionis Abrahæ factæ.

Nota : Duplex est hujus loci sensus. Loquitur enim Apostolus de utraque filiatione et promissione, scilicet tum de spirituali quam de temporali Abrahæ facta. Nam Isaac duplici modo fuit filius promissus Abrahæ : *primo*, temporalis, et sic ipse cum posteris Judæis, non autem Ismael hæres fuit terræ Chanaan aliarumque promissionum temporalium Abrahæ patri suo factarum ; atque hoc sensu Isaac et Isaacidæ, sive Judæi, vocantur filii et hæredes Dei temporales.

Secundo, Isaac quoque fuit filius promissus Abrahæ spiritualis, tum quia Isaac secutus est fidem et gratiam patris sui Abrahæ, tum quia Isaac hæres fuit promissionum spiritualium, quas Deus Abrahæ pollicitus erat, nimirum in semine ejus (puta in Christo) benedicendas, id est justificandas et salvandas esse omnes Gentes. Christus enim ex Abrahamo per Isaac, non per Ismael descendit. Et hoc sensu omnes fideles et Christiani censentur filii Isaac æque ac Abrahæ ; atque de hisce maxime loquitur Paulus. Hi enim vocantur proprie filii Dei, et hi sunt filii non carnis, sed promissionis, horumque typus fuit Isaac et Israelidæ, sive Judæi ex Isaac temporaliter propagati. Unde priorem sensum obiter solum perstringit, et quasi tantum ad eum alludit hic Apostolus, ut ex eo assurgat ad secundum, eumque stabiliat. Scopus enim ejus est probare benedictiones spirituales, puta justitiam et salutem Abrahæ ejusque posteris promissam, non promissam esse carnalibus Abrahæ filiis, puta Judæis ; sed spiritualibus, puta Christianis (1).

Nota, fideles et Christianos esse filios promissionis, id est promissos a Deo : *primo*, quia promisit Deus per Prophetas fore Christianos, sive gentem Christianorum ; *secundo*, quia eis a Deo per eosdem Prophetas promissa est justitia et salus, eo quod Christo credant et obediant : hæc enim fidelium generatio non naturalis est, sed libera, fitque per gratiam, quasi patrem ; et per consensum voluntatis, quasi matrem.

Nota *secundo* : Apostolus loquitur hic non de hoc, vel illo Christiano in particulari, sed in genere de Christianis in Christum credentibus : hi enim, rejectis Judæis incredulis, successerunt in spiritualem filiationem et familiam Abrahæ, et consequenter in hæreditatem benedictionis, puta justitiæ et salutis illi promissæ.

9. PROMISSIONIS ENIM VERBUM HOC EST, — scilicet quod sequitur, citaturque ex *Genes.* XVII. Probat hic Apostolus, id quod dixit, scilicet Isaac fuisse Abrahæ filium, non carnis, id est carnali virtute genitum ; sed promissionis, id est, virtute divina a Deo promissa conceptum et genitum. Probat, inquam, ex eo quod dicitur *Genes.* XVIII.

SECUNDUM HOC TEMPUS VENIAM, ET ERIT SARÆ FILIUS. — *q. d.* Anno proximo, sub hoc anni tempus veniam ad te, et tunc Sara conjux tua, licet sterilis et vetula, filium habebit. Sunt hæc verba angeli ad Abraham promittentis ei filium Isaac ex Sara conjuge sua, *Genes.* XVIII, 10.

10. NON SOLUM AUTEM ILLA (Sara), SED ET REBECCA, — scilicet idipsum experta est, filios nimirum a Deo censeri non carnaliter genitos, sed eos qui divinitus promittantur, eligantur et adoptentur. Nam Jacob filius ejus (Rebeccæ), licet junior, quia promissus et electus a Deo, prælatus fuit Esau seniori, factusque est successor et hæres Isaac patris sui.

EX UNO CONCUBITU HABENS, — scilicet conceptum vel fœtum. Noster interpres in Græco legit ἐξ ἑνὸς κοιτῆ, *ex uno cubili*, vel *concubitu*. Et ita legit S. Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, Anselmus et alii passim. Jam Græci legunt ἐξ ἑνὸς κύτην ἔχουσα, id est *ex uno*, scilicet Isaac, « concubitum habens, » id est *concipiens* ; unde Beza et Erasmus volunt nostrum textum hic esse corruptum. Sed verisimile est nostrum interpretem habuisse emendatius exemplar Græcum, quia Patres eum sequuntur, estque versionis ipsius pressior sensus et ordinatior, *q. d.* Ne dicas Ismaelem neglectum a Deo, et ab Abrahamo, quia genitus est ex Agar serva ; Isaac vero electum, quia ex Sara libera est natus ; en Rebecca una ex uno eodemque concubitu simul duos edidit filios, e quibus tamen minor, scilicet Jacob, fuit dilectus et electus a Deo, Esau vero senior fuit neglectus et rejectus. Ita Chrysostomus et Theophylactus.

Sensus ergo est, *q. d.* Paulus : Gloriaris, o Judæe, te filium esse Abrahæ ; arrogas tibi ejus benedictionem, justitiam et salutem, quia filius ejus es secundum carnem : falleris, nam filius carnis fuit et Ismael et Esau, hi tamen a familia Abrahæ sunt exclusi : Isaac vero et Jacob electi et adsciti sunt ad eam, quia filii erant non carnis, sed promissionis divinæ. Quid miraris ergo, si jam Deus Judæos in filiatione carnali insistentes et gloriantes repellat, Christianos vero credentes, quasi filios promissionis, adsciscat in familiam Abrahæ, ut sint hæredes benedictionis, id est justitiæ et salutis Abrahæ promissæ? Nonne vides in hisce non excidisse promissa Dei; esto in Judæis incredulis ea exciderint, utpote quibus nunquam fuerunt promissa?

11. CUM NONDUM NATI FUISSENT (ex Rebecca Jacob et Esau), AUT ALIQUID BONI EGISSENT, AUT MALI. — Probat hic Paulus Rebeccæ filium juniorem, scilicet Jacob, prælatum esse Esau seniori, non ex præcellentia ætatis, nativitatis aut etiam meritorum, sed ex electione et promissione divina, quia nimirum ante eorum nativitatem et operationem dictum est a Deo : Major, scilicet Esau, serviet minori, scilicet Jacobo.

Tripl. hujus loci expositio. Prima, Theodoreti.

UT SECUNDUM ELECTIONEM PROPOSITUM DEI MANERET. — *Primo*, Theodoretus sic explicat, *q. d.* Paulus : Ideo Jacob prælatus est Esau, ut electio divina, qua hos probat, illos reprobat, juxta ipsorum varia proposita bona vel mala prævisa, maneret firma. Sed hoc est contra mentem et verba Apostoli ; ait enim ipse : « Ut propositum Dei, non hominum, maneret (firmum) secundum electionem, » utique non hominum, sed Dei pariter ; illius enim est electio, cujus est propositum.

Secunda, Chrysostomi et Ambrosii.

Secundo, SS. Chrysostomus et Ambrosius sic explicant : « Ut propositum, sive decretum Dei, quo Esau repulit, Jacob amavit, maneret secundum electionem ; » quæ electio facta est ex præscientia, qua prævidit Esau malum, Jacob bonum fore. Electio enim, inquiunt ipsi, unius præ alio non potest esse, nisi sit distinctio in ipsis electis ; et constat ex *Malachiæ* cap. I, Esauitas odio habitos esse a Deo ob sua peccata. Verum hic sensus pari fere modo, quo prior, verbis et magis scopo Apostoli repugnat, ut mox patebit.

Tertia, D. Augustini.

Hinc *tertio* S. Augustinus, lib. II *ad Simplic.*, Quæst. II, eodem modo quidem electionem hanc intelligit; sed « *ut secundum electionem propositum maneret*, nectit præcedentibus : « Cum nondum aliquid boni egissent, aut mali, » quasi ea explicet, imo ex iis educatur, *q. d.* Elegit Deus Jacob, cum nondum aliquid boni egisset ; et Esau repulit, cum nondum aliquid mali egisset : ita nimirum, ut propositum hoc Dei quo Jacob elegit præ Esau, non potuerit esse et manere secundum electionem operum ; quia scilicet eligi solet is, qui est melior, sanctior et dignior.

Esau non est vere damnatus.

Verum nota Dei electionem vers. seq. opponi operibus, ac consequenter eam versari circa paria, et æque digna vel indigna. Sensus ergo est : Deus Jacob ante nativitatem et ante ejus opera bona prælegit Esau, hac de causa, ut nimirum firmum esset id quod per se et sponte sua elegerat Deus, et secum constituerat, videlicet Jacob extollere et honorare præ Esau : ex tunc enim Deus suo decreto Jacobum præferebat Esau, *q. d.* Sicut Deus Jacobum, non opera ipsa id meretur, sed quia ipsa filius erat electus et promissus a Deo, prætulit Esau fratri, quasi filio secundum carnem seniori et digniori, fecitque Jacobum solum hæredem benedictionum Abrahæ avi sui ; ita allegorice, non carnales posteros Abrahæ, sed spirituales elegit idem Deus, qui essent filii Abrahæ et benedictionis ejus hæredes ; idque non ex eorum merito prævio, sed ex libera sua electione et dignatione.

Si ergo quæras, o Judæe, cur Deus noluit posteritatem nostram carnalem, sed aliam, quæ secundum fidem esset, elegit? Respondeo, quia ita placuit eligere Deo. Si quæras, cur in posteris Abrahæ, non secundum carnem, puta in Judæis ; sed secundum fidem, puta in Christianis, benedictiones promissas Abrahæ impleri voluit? Respondeo, id ita factum est, non quia Judæi id demeriti sunt, aut Christiani antequam essent Christiani, id meriti sunt ; sed quia id ita Deo placuit. Ita Toletus, *annot.* 21 et seq., qui primus genuinum sensum Apostoli hic annotavit. Hunc verum esse sensum Apostoli patebit ex seq. (1).

Vers. 12 et 13.

12 et 13. NON EX OPERIBUS (Jacob et Esau prævisis et a Deo prævisis), SED EX VOCANTE (ex gratuita Dei vocatione et electione) DICTUM EST EI (Rebeccæ matri) : QUIA MAJOR SERVIET MINORI, — puta Esau Jacobo serviet, non in sua persona, sed in suis posteris : Judæi enim Jacobi posteri soli, quasi hæredes Abrahæ, possederunt terram promissam Chanaan, et beneficiis Dei locupletati sunt, eisque servierunt Idumæi, posteri Esau, tempore Davidis et Salomonis (ut patet II *Reg.* cap. VIII). Jam hæc Judæis sibi applicanda, et allegoriam Jacobi et Esau adaptandam relinquit Paulus, hoc modo, *q. d.* Pari ergo ratione qua Jacob et Esau, nec vos, o Judæi, propter opera legis aut naturæ adepti estis benedictionem Abrahæ, ut in justitia præferremini Gentibus ; imo vero, ut dicitur vers. 31, quia operibus legis superbe præfisi estis, et fidem ac vocationem Christi respuistis, postpositi et rejecti estis. E contrario vero Gentes, quæ in Dei cognitione, cultu et Ecclesia vobis sunt juniores, quia non operibus suis confisæ, sed gratiæ et vocationi Dei obsecutæ sunt, vobis prælatæ sunt in hæreditaria benedictione salutis et justitiæ Abrahæ promissa, et per Christum exhibita, ut explicat ipse Paulus, vers. 30. Unde pariter et proportionaliter ad hunc sensum asserit S. Augustinus, lib. I *ad Sim-*

Causa rejectionis Judæorum, et electionis Gentium.

(1) Sensum hunc Nosselius exprimit sic : *Filii promissi*, hoc est ii qui ex eo similes sunt Isaac, ut, quemadmodum is secundum naturæ vim, solius divinæ promissionis virtute, Abrahamo atque Sarræ natus erat, jam per ætatis imbecillitatem viribus ad procreandam sobolem destitutis, sic isti divinæ promissionis virtute gignantur, ac per eam Dei nati, et Abrahami, tanquam spirituales patris sui, fiant, moribusque similes existant, isti demum semen Abrahæ sint, seu *tanquam* veri Abrahæ *filii habentur*.

(1) Alii : Ut (ἀνθέκτικως) benignitas (ἐχθρὸς enim est *propositum, voluntas*, inde in specie *benigna voluntas*) libera (ἐκλογὴ est *electio, libertas*; κατὰ autem eleganter periphrasim facit adjectivi) Dei perstaret (apparet, constaret esse), non ex merito, sed ex benignitate largientis (καλέω enim est *vocare, invitare, afferre*).

fric., Quæst. II, quod Esau odio sit habitus et reprobatus, ex eo quod vocationem Dei contempserit.

Filii promissionis præferuntur a Jacob sunt Christiani, filii carnis sunt Judæi, quæ res typica fuit.

Ut hæc plenius intelligas, nota *primo*, hic filios promissionis, quos significat Jacob, allegorice esse Christianos baptismo et gratia Christi renatos : filios vero carnis, quos significat Esau, esse Judæos. Cum ergo ait Paulus : « Major serviet minori, » sensus litteralis est : Esau serviet Jacobo; sensus vero allegoricus, quem hic directe intendit Apostolus, est : Judæi servient et postponentur Christianis, perinde ac lex vetus servivit novæ. Ita S. Augustinus, lib. XVI *De Civitate*, cap. XXXV.

Promissio et vocatio Dei non excludit, sed includit liberum arbitrium.

Nota *secundo* : Hæc promissio, uti et vocatio Dei, non excludit, sed potius includit liberum arbitrium, quod Dei vocationi respondet et consentit, ut filius promissionis nasci et adoptari possit. Opera enim quæ hic negat Paulus, non sunt ex fide et gratia facta; nec etiam est ipsum opus, quo fidelis fidem et gratiam acceptat, credit, sperat, pœnitet, ut ad remissionem peccatorum et justitiam se præparet et disponat; sed per opera, quæ hic excludit Paulus, intelligit opera legis et naturæ sine fide et ante fidem ac gratiam Christi facta : hæc enim jactabant Judæi, quasi ob ea eligendi essent ad justitiam et salutem.

Vocatio Jacob et Christianorum non supponitur, sed horum vocatio requirit liberum consensum.

Dices : Jacob, utpote infans, vocatus est et electus sine ullis operibus; ergo allegorice Christiani, qui a Deo vocantur ut sint filii et hæredes Abrahæ, sine ullis operibus et sine consensu liberi arbitrii vocantur.

Respondeo : Nego consequens, non enim per omnia hic est similitudo, sed in eo tantum quod neutri ex operibus, id est meritis præviis, sed utrique, id est tam Jacob quam Christiani, ex Dei gratia vocentur, ut sint filii et hæredes Abrahæ; ita tamen ut Christiani jam, utpote viri, vocationi Dei libere consentire debeant, itaque fieri filii Abrahæ, quod Jacob, utpote infans, facere non potuit, et nimirum suæ generationi et nativitati ex Abrahamo libere consentiret.

Vocatio prima extrinseca operationis et futura.

Rursum cum Apostolus ait : « Non ex operibus, sed ex vocante, » non tantum excludit opera jam actu facta, licet id velit S. Chrysostomus et Theodoretus : clarum enim est talia non potuisse esse tunc, cum nondum nati erant operantes; sed etiam excludit opera futura, quæ a Deo prævisa sunt. Ilisce enim omnibus opponit vocationem et electionem Dei : alioqui enim vere ex operibus, et non ex pura vocatione et gratia facta esset hæc electio. Sicuti ex sententia Theologorum docentium, Deum nos elegisse ad gloriam ex prævisis meritis, falsum esset dicere electionem hanc factam esse ex vocante, et non ex operibus : licet enim non sit facta ex operibus actu existentibus, facta est tamen ex operibus futuris et prævisis, quæ in Dei præscientia quasi præsentia sunt et existunt; vere ergo et absolute dicendum est, quod hæc electio facta sit ex operibus, et non ex solo vocante Deo : pari ergo modo per opera hic, non solum actu existentia, vel facta, sed etiam futura, quæ a Deo prævisa, intelligenda sunt.

Nota tertio, ex dictis duo hic tacite infert Apostolus. Primum, non esse irrita promissa Dei Abrahæ facta, sed in Christianis, quibus promissa sunt, impleri. Hoc enim intendit probare a vers. 6 hucusque.

Secundum est, reconciliationem cum Deo obtingere homini non ex operibus justitiæ, sed gratis, per Dei vocationem et gratiam. Ex ea enim Deus jam non carnales posteros Abrahæ, sed spirituales filios elegit et vocavit, qui essent filii Abrahæ, ac consequenter justitiæ et benedictionis hæredes : hæc enim electio et adoptio est ex mera Dei voluntate, neutrius merito vel demerito; placuit tamen Deo eam Christianis et credentibus dare et consignare, cum æque eamdem Judæis et circumcisis, posterisque Abrahæ carnalibus dare et consignare potuisset, si voluisset.

Loquitur hic Apostolus de electione et vocatione ad filiationem et adoptionem, non ad gratiam præsentem.

Nota *quarto* : Non loquitur hic Apostolus, ut dixi initio capitis, de electione et vocatione ad gratiam præsentem, sed ad filiationem, justitiam et salutem. Hæc enim est benedictio et hæreditas Abrahæ, quæ proinde supponit illos nasci filios, non carnis, sed spiritus : filii autem spiritus nasci non possunt, nisi per fidem baptismo renascantur Christiani; hæc ergo præsupponuntur benedictioni et hæreditati, imo et filiationi a Deo jam institutæ et acceptatæ. Deus enim in filios suos jam adoptare et acceptare statuit eos solos, non qui circumcisione et lege, sed qui baptismo et fide Christi spiritualiter renascuntur. Prius ergo natura sic renasci debent, quam a Deo in filios Abrahæ adoptentur. Sicut olim Judæi prius ex Abraham nasci debebant, quam ejus filii secundum carnem esse possent.

SICUT SCRIPTUM EST (*Malachiæ* 1) : JACOB DILEXI, ESAU AUTEM ODIO HABUI. — Probat hic Apostolus promissionem qua dixit : Major serviet minori, puta Esau serviet Jacobo, reipsa impletam esse, ex eo quod Malachias, vel potius Deus per Malachiam, dicit : « Jacob dilexi, Esau autem odio habui. »

Quidam loca hæc non bene explicant.

JACOB DILEXI. — *Primo*, S. Chrysostomus, Theodoretus, Œcumenius, Theophylactus sic explicant, *q. d.* Jacob ad æternam vitam et coronam dilexi et elegi : Esau vero in æternum reprobavi, antequam quidquam boni vel mali actu et re ipsa egissent; quia hujus opera pessima, illius vero opera optima fore prævidi. Sed hoc est contra mentem Apostoli, vers. 11 et 12. Patet enim non opera facta, quæ satis excludit, cum ait : « Cum nondum nati fuissent; » sed futura omnia a Deo prævisa ab eo hic excludi : his enim omnibus opponit unam Dei electionem. Ita S. Augustinus et passim alii.

Prima, Chrysostomi et aliorum.

Secundo, alii plane ex adverso prædestinationem et reprobationem, saltem quoad primum effectum, volunt esse ante omnem prævisionem operis et peccati etiam originalis, *q. d.* Sepositis

Secunda, Petri Lombardi.

omni prævisione peccati, etiam originalis, Jacob, id est prædestinatos, elegi; Esau, id est reprobos, odio habui, id est permisi labi in peccatum et damnari. Ita Petrus Lombardus, lib. I *Sentent.*, dist. XLI, et alii.

Malachiæ locus sic ab Apostolo citatus.

Tertia, S. Thomæ.

Tertio, S. Thomas : « Jacob, inquit, dilexi, id est prædestinavi sine ejus meritis; sed Esau odio habui, » id est reprobavi et damnare decrevi, sed ob prævisa ejus demerita. Hinc aliqui sic exponunt, *q. d.* Sine meritis Jacob ad gloriam dilexi et elegi, et hoc tantum, inquiunt, vult hic probare Apostolus; « Esau autem odio habui, » post prævisa demerita, id est Esau post prævisa ejus peccata reprobavi et damnavi. Ponunt enim ipsi duplicem reprobationem : Primam permissivam vel negativam, qua permittitur reprobos peccare et in peccato mori. Hæc prædestinationi opponitur non contrarie, sed contradictorie, sicuti opponuntur misereri et non misereri. Secundam positivam, qua Deus mortuum in peccato reprobat et damnat. Jam priorem censent fieri ante demerita, secundam post demerita.

Duplex reprobatio, negativa et positiva.

Quarta expositio Cajetani.

Quarto, Cajetanus et alii multi : « Jacob dilexi, » id est, inquiunt, gratiam talem tamque congruam dare Jacobo decrevi, qua peccato originali omnique alio liberetur, et ad vitam æternam perveniat; « Esau autem » ob peccatum originale « odio habui, » id est sibi permittere decrevi, ut in peccata labatur et damnetur; et utrumque hoc factum est ante prævisa utriusque merita. Huic sensui favere videtur S. Augustinus, *epist.* 105.

Auctoris sententia.

Non loquitur Paulus de Jacob et Esau personaliter, sed de eorum posteris, nec de electione vel reprobatione ad æternum. Esau ad vitam esset, et peccatis obligatur pœnæ.

Pro genuino hujus loci sensu nota, nec Paulum, nec Malachiam loqui de Jacob et Esau personaliter tantum; sed et vel maxime de posteris eorum. Rursum, non loqui eum de singulis prædestinatis et reprobis, nec de dilectione vel electione ad gloriam, et reprobatione ad infernum; sed ad litteram loquitur directe Malachias de posteris Jacob et Esau; nempe filios dilectos et electos esse ad bona potissimum temporalia, præ posteris Esau, ut patet intuenti Malachiam. Nam verisimile est salvatum esse ipsum Esau; et multo magis Job ejusque filios, et alios oriundos ex Esau (Job enim prognatum esse ex Esau, docent S. Augustinus, Origenes, Chrysostomus, Ambrosius, Gregorius, Sedulius, Abulensis et alii, quos citat et sequitur Pineda in *Job*, cap. 1, vers. 1, n. 32). Idem patet intuenti Apostolum hic, maxime vers. præced.; Apostolus tamen ex hac electione Jacobæorum sive Judæorum præ Idumæis ad bona temporalia, allegorice assurgit ad prædestinationem Christianorum præ Judæis ad benedictionem et bona spiritualia.

Sensus ergo est : Quod dixi Jacob prædestinatum a Deo vocante, et prælatum fuisse fratri Esau, sive quod « major serviet minori, » id patet ex eventu. Ita enim, ut alia priora taceam, evenisse docet suo tempore Malachias, videlicet quod, cum tam vos, o Judæi, quam Idumæos propter peccata Chaldæis vastandos tradidissem, vos tamen diligens dilectionemque pristinam conservans, ex captivitate Babylonica reduxerim, et in patriam restituerim : Idumæos autem in vastitate et captivitate Babylonica reliquerim, et eorum terram in solitudinem redactam draconibus habitandam dederim, ut ait Malachias. Ecce hoc est ad litteram : « Jacob dilexi, Esau autem odio habui. » Unde patet hæc verba non referri ad vers. 11, « cum nondum nati fuissent, » quia tunc Malachias necdum scripserat, « Jacob dilexi; » sed ad illud vers. præced., « non ex operibus, sed ex vocante dictum est : Major serviet minori. » Quod enim hæc vocatio et prophetia, quæ dicit : « Major serviet minori, » vere impleta sit, probat ex eo quod de facto Deus dilexerit Jacob, postquam is natus est; Esau autem odio habuerit, ut testatur Malachias.

Litteralis et allegoricus eorum horum verborum Jacobidem.

Dilexi ergo Jacob, non ex operibus, sed ex mea vocatione et dignatione, quia ante omnem prævisionem meritorum statui eum ejusque posteros eligere in populum et Ecclesiam meam, illosque ornare bonis temporalibus, adde et spiritualibus. Ex hac enim mea dilectione secuta est tanta Jacobæorum multiplicatio, liberatio ex Ægypto, sustentatio per manna in deserto, ductus per columnam ignis et nubis, legislatio, instructio, sacerdotium, protectio singularis in mille difficultatibus, tot revelationes, ut Deus inter eos assidue versari videretur, tot victoriæ, spolia, tot regnorum ejectis incolis fortissimis possessiones, tot judices, sacerdotes sancti, Prophetæ. Hanc dilectionem in vos, o Judæi, ego Deus vester continuo, et in ea pergo, ut ipsemet assevero per Malachiam; cum e captivitate vos reduco in patriam, eumque ibi vos protego, et deinceps protegam evehamque per Machabæos, ac denique dabo vobis Christum Sanctum sanctorum, cum matre ejus dilecta et electa, cumque Apostolis aliisque primis Christianis et sanctis : hi enim ex Judæis sunt orti. Pari modo allegorice ante omnem prævisionem meritorum « dilexi Jacob, » id est Christianos, qui sunt posteri Abrahæ et Jacobi secundum fidem et spiritum, donando scilicet eos mea justitia, gratia, amicitia, ac tandem si in ea perseverent, vita æterna, uti mox fusius dicam.

Verus et litteralis sensus horum verborum *Esau odio Jacob habui.*

ESAU AUTEM ODIO HABUI. — Id est neglexi. Sic Lia dicitur a Jacobo « odio habita, » id est neglecta præ Rachele, *Genes.* XXIX, 31. Sic *Lucæ* XIV, 26, jubemur odio habere, id est minus diligere et postponere patrem, matrem, uxorem et animam Christo et amori Christi, *q. d.* Non elegi in populum et Ecclesiam meam Idumæos, et coegi eos servire Judæis, dedique eis terram sterilem, montes Seir, et proprie eos odio habui, cum ob peccata eos Chaldæis vastandos tradidi et in captivitate dereliqui, quod proprie intendit Malachias.

Idumæi secundo

Dices : Si ob peccata dereliqui et odio habui sunt Idumæi, ergo non ex vocante, sed ex ope-

ante et post peccata odio habiti?

ribus odio sunt habiti : quod negat Apostolus vers. præced.

Respondeo : Etiam ante peccata neglecti fuerunt a Deo Idumæi præ Jacobæis, ut dixi; post peccata tamen proprie sunt odio habiti et derelicti : sed æque et forte magis peccarunt Judæi quam Idumæi; unde et eadem captivitate Babylonica cum eis puniti sunt. Non ergo ex operibus, id est ex discrimine operum fuit quod Jacob dilexerit, et e captivitate reduxerit; Esau vero odio habuerit et in captivitate reliquerit, cum utrique hac misericordia indigni essent. Sed hæc discretio et electio Jacobæorum facta est ex gratia et vocatione Dei, qui Jacob ejusque posteros dilexit et diligere perrexit etiam post peccata male de se meritos; Esau autem neglexit et negligere perrexit.

Paulus tantum intendit ostendere ex sua reprobatione Judæi, Gentes electas.

Hinc allegorice tacite infert Apostolus : Sic etiam jam Jacob, id est credentes Christianos, qui sunt filii promissionis, et semen spirituale Abrahæ et Jacobi, per fidem et gratiam generatos, quasi filios dilexi, quia eos ad justitiam et viam salutis promovi; Esau vero, id est semen carnis, puta Judæos de operibus et patre Abrahæ gloriantes et Christi fidem spernentes, a justitia et salute repuli et rejeci. Ita S. Augustinus, lib. XVI *De Civit.*, cap. XXXV. Idque « non ex operibus, » quia tam Christiani ante fidem, quam Judæi, nulla habebant operum merita : nam utrique erant in peccatis; sed ex gratia et vocatione Christi, quam amplexati sunt Christiani, ideoque dilecti; respuerunt Judæi, et ideo odio sunt habiti. Apostolus enim hic totus in eo est, et hoc tantum intendit ostendere, cur scilicet Gentes justitiam sint adeptæ, Judæi vero ab ea sint rejecti et reprobati, uti probavi initio capitis.

Rursum idem patet ex eo, quod hic versus uti et alii præced. et sequentes pendeant et eruentur ex vers. 6. Omnes enim eo diriguntur, ut demonstrent filios, non carnis, sed fidei et spiritus, puta fideles Christianos, esse filios et hæredes benedictionis, id est justitiæ Abrahæ promissæ; ideoque non excidisse promissa Dei Abrahæ facta, utpote quæ filiis Abrahæ spiritualibus, non autem carnalibus, promissa et præstita a Deo sint. Hæc autem promissa benedictio facta Abrahæ ejusque filiis secundum fidem et spiritum, non est alia quam justitia et amicitia cum Deo, uti initio capitis ostendi : ergo dilectio hæc Jacobi præ Esau pariter est justitia et amicitia cum Deo. Nam Deus dilexit Jacob ad hoc, ut eum benedictionis Abrahæ faceret hæredem : « Jacob ergo dilexi, » id est Jacobo et Jacobi filiis secundum fidem et spiritum, puta Chrisuanis, contuli benedictionem Abrahæ, hoc est, eos in Christum credentes justificavi, sanctificavi, et in filios meos adoptavi; « Esau autem odio habui, » id est Idumæos, Judæos aliosque infideles, qui sunt posteri Abrahæ secundum carnem, et quorum typus fuit Esau, repuli a mea justitia, sanctitate et adoptione.

Non ergo intendit hic Apostolus ostendere, ut recte docet Toletus, *annot.* 24, cur aliquis in particulari, Petrus, v. g., electus sit ad gloriam, Judas vero reprobatus sit ad gehennam.

Specialem objectionem in particulari prædestinationem, vel reprobationem hic non concernit.

Huic tamen speciali prædestinationi et electioni nonnulli hæc verba Apostoli sic accommodant : Ante prævisionem meritorum Petrum dilexi, id est, Petro gratiam prædestinationis dedi, scilicet talem, cui prævidebam eum cooperaturum, perseveraturum, et consequenter salvandum : Judam vero odio habui, id est Judæ gratiam non dedi talem, sed aliam, cum qua prævidebam eum non perseveraturum, sed casurum et damnandum, licet hoc non intenderem : quia serio et sincere dedi et gratiam, sicuti dedi Petro, intendens ut et ipse cooperaretur et perseveraret, quod ipse tam facile ac Petrus facere poterat, si voluisset; sed præscieham ipsum hoc non facturum, idque ex mera sua libertate. Hæc enim præscientia futuræ vel non futuræ cooperationis et effectus, distinguit gratiam prædestinationis, quæ datur electis, a gratia communi, quæ datur reprobis. Hæc autem gratia prædestinationis non datur ex operibus, sed ex gratia et liberali voluntate, proposito et intentione Dei. Verum, uti jam dixi, hic sensus est accommodatitius, non autem proprie destinatus vel intentus ab Apostolo.

Potest applicari prædestinationi Petri, et Judæ reprobationi.

14. QUID ERGO DICEMUS? NUMQUID INIQUITAS (Græce ἀδικία, id est *injustitia*) EST APUD DEUM? — Apostolus hic occurrit tacitæ objectioni : Si Deus sine merito Jacob dilexit, Esau vero illi æqualem odio habuit; ergo injustus videtur : hoc autem dicere est impium. Respondet Apostolus : ABSIT, et rationem reddens, atque objectionem solvens subdit :

Vers. 14.

15. MOYSI ENIM DICIT (*Exodi* XXXIII, 19) : MISEREBOR CUJUS MISEREOR, — id est cujus voluero misereri. Est hæc generalis Mosis sententia ubique vera; Apostolus tamen eam applicat ad suum propositum, *q. d.* Prædestinatio hæc et electio Jacobi præ Esau, et allegorice filiorum fidei Abrahæ, id est Christianorum, præ filiis carnis, id est Judæis, non est cuipiam debita, nec opus justitiæ, sed misericordiæ, ac consequenter mihi liberum et gratuitum : nunquam ergo iniquum, *q. d.* Ergo nulla est iniquitas in carnalium Judæorum repulsa, et credentium acceptatione ad justitiam, gratiam et salutem, quæ sunt benedictio Abrahæ et semini ejus promissa, quia acceptatio hæc nulli est debita, sed plane est in Dei arbitrio, ut eam det gratis et gratiose, cui voluerit; non ergo Judæis feci injuriam, cum Gentibus feci misericordiam; potui enim, prout volui, in fide collocare benedictionem Abrahæ : sicut poteram in carnali generatione et circumcisione eandem collocare; sed nolui : volui enim tam Gentes, quam Judæos per fidem facere Ecclesiam meam. Quare non genuine, nec ad mentem Apostoli Anselmus hæc sic explicat, *q. d.* Cujus miserebor per vocationem, ejusdem miserebor per

Vers. 15.

Quarta, explicatio aptantium hunc locum prædestinationi singulorum, non est cuipiam debita, nec opus justitiæ, sed misericordiæ, ac consequenter mihi liberum et gratuitum; nunquam ergo iniquum, *q. d.* Ergo nulla est iniquitas in carnalium Judæorum repulsa, et credentium acceptatione ad justitiam, gratiam et salutem, quæ sunt benedictio Abrahæ et semini ejus promissa, quia acceptatio hæc nulli est debita, sed plane est in Dei arbitrio, ut eam det gratis et gratiose, cui voluerit; non ergo Judæis feci injuriam, cum Gentibus feci misericordiam; potui enim, prout volui, in fide collocare benedictionem Abrahæ : sicut poteram in carnali generatione et circumcisione eandem collocare; sed nolui : volui enim tam Gentes, quam Judæos per fidem facere Ecclesiam meam. Quare non genuine, nec ad mentem Apostoli Anselmus hæc sic explicat, *q. d.* Cujus miserebor per vocationem, ejusdem miserebor per

Nulla in hoc iniquitas, quando Judæos rejecit, Gentes vero elegit.

operationem, id est faciam ut talis credat et recte operetur (1).

16. ITAQUE NON VOLENTIS, NEQUE CURRENTIS, SED MISERENTIS EST DEI. — Tollitur, inquit Calvinus, hic cooperatio liberi arbitrii, interior per *volentis*, exterior per *currentis*, quia totum opus bonum est « miserentis, » id est gratiæ Dei. Respondeo : Verum est, in hac causa et quæstione quam hic agitat Apostolus, tollitur liberum arbitrium, quia hæc causa et quæstio solum Deum tangit, non hominem, uti mox ostendam : ergone illud ipsum in humanis operibus, meritis, consiliis, quæ humani sunt arbitrii et electionis, tollendum est?

Vers. 16.

Secundo, Origenes, Ambrosius et Hieronymus.

Secundo, Origenes, Ambrosius et Hieronymus, Quæst. X *ad Hedibiam*, volunt hæc esse verba objicientis Judæi. Unde et S. Chrysostomus et Theodoretus aiunt Paulum his verbis augere quæstionem.

Tertio, Photius et Chrysostomus.

Tertio, Photius et Chrysostomus sic explicant : Non est volentis, neque currentis tantum, sed etiam Dei miserentis. Verum hoc refellit D. Augustinus, quia sic pariter dicere potuisset Paulus : Non est Dei miserentis, scilicet tantum, sed et hominis volentis, atque currentis; intelligit ergo S. Augustinus id, quod hic ait Paulus, solius Dei miserentis esse. Sed respondere posset S. Chrysostomus S. Augustino, Paulum non pari ratione hoc dicere potuisse, quia potiores partes in bono opere, conversione et justificatione sunt gratiæ et Dei miserentis ac prævenientis, non hominis volentis; hocque tantum hac phrasi Hebraica Paulum significare voluisse. Hebræi enim ita comparationem suam efferre solent, ut quod majus est affirment, quod minus est negent; ut « misericordiam volo, non sacrificium, » id est misericordiam magis volo, quam sacrificium. Vide *Canonem* 36.

Quarto, aliqui Doctores Scholastici ex S. Augustino, *epist.* 105, aptant hæc ad prædestinationem singulorum, quæ non est ex operum prævisione, sed ex sola Dei voluntate. Misereri enim, inquiunt, est dare gratiam congruam, cum qua videt Deus hominem cooperaturum et salvandum : ut autem Deus det talem gratiam nobis, non aliam incongruam, cum qua prævidet nos non cooperaturos, hoc misereri non possumus.

Quarto, explicatio aptantium hunc locum prædestinationi singulorum, non est ex operum prævisione, sed ex sola Dei voluntate.

Quinto, Ludovicus Molina ex S. Augustino, *Enchiridii* cap. XXXII, exponit : « Non est volentis, » scilicet velle; neque currentis, scilicet currere : sed Dei, qui sua gratia et misericordia nos excitat ad velle eique cooperatur : nam velle etiam nostrum est; sed præparatur ut velit voluntas, a Domino, » *q. d.* Velle id quod bonum est, hoc, inquam, velle non est virium naturæ, sed gratiæ, quæ tamen gratia et misericordia non excludit, sed includit liberum gratiæ amplexum, sive liberum arbitrium gratiæ consentiens, et per gratiam operans : est enim hic liber gratiæ amplexus gratiæ prævenientis effectus; gratiæ vero cooperantis et comitantis concausa, vel potius concausatio.

Quinto, Ludovicus Molina ex Augustino.

Verum ex dictis patet, omnes hasce expositiones directe non tangere scopum et sensum S. Pauli. Non enim ipse hic disputat de causa boni operis, nec etiam de prædestinatione ad gloriam vel ad gratiam congruam; sed disputat de justitia et gratia justificante, quæritque unde ea nobis obveniat, an a nostra bona voluntate et conatu, an vero a gratia et misericordia Dei?

Sexto, ergo optime et planissime ad litteram Anastasius, in *Quæst. S. Scripturæ*, Quæst. LIX, sic explicat, *q. d.* Paulus : Benedictio Abrahæ et Isaac non fuit Esau volentis et currentis in campum ad venandum, ut, cum ex sua venatione comedisset pater, benediceret ei; sed fuit Jacobi, cujus Deus misertus est, ut in eum caderet, non in Esau, licet is senior esset et primogenitus. Rursum, ut recte explicat Toletus, Jacob benedictionem, et ex ea filiationem hæreditatemque Isaaci patris sui, et consequenter Abrahæ avi sui, est consecutus, ut nimirum Abrahæ et Isaaci familia conseretur esse familia Jacob et Jacobæorum, non autem familia Esau et Idumæorum; idque obtinuit Jacob, non ex eo quod ipse monitu matris suæ volens et currens citius attulit hædum quam Esau, sed quia Deus ita voluit et misertus est ejus, non Esau.

Sexta, Anastasii.

Toleti expositio.

Pari modo allegorice, quod populus Christianus, cujus typus fuit Jacob, ex Gentibus et Judæis adunatus per fidem Christi, in posteritatem Abrahæ reciperetur, ut nimirum ipse esset Ecclesia et populus Dei, et consequenter hæres justitiæ et salutis, indeque hæres donorum Spiritus Sancti, amicitiæ et protectionis Dei (quæ fuit benedictio Abrahæ promissa); Judæi vero carnales rejicerentur a justitia, ac consequenter a populo et Ecclesia Dei, ut non essent ex amicis et ex filiis Dei; hoc, inquam, non contigit ex voluntate, aut prævis operibus horum, vel istorum; sed ex sola Dei voluntate, cui placuit in fide Christi collocare benedictionem et filiationem Abrahæ, ut fideles Christiani sint populus, filii et Ecclesia Dei; sicut olim erant Judæi secundum carnem ex Abraham nati, quia tunc ita placebat Deo : nunc autem aliter illi visum est.

Sensus allegoricus.

Opera ergo quæ hic excludit Apostolus, qui busque negat nos meruisse hanc benedictione

(1) Dixit Deus hæc, quum Moses rogaret ut Deus se ipsi manifestaret, in signum futuri favoris. Ex igitur h. l. sermone exinde quodam et plane extraordinario beneficio, cujus non quivis homo potest fieri particeps. Itaque non affert hæc Apostolus quasi suæ disputationis alias reddere rationes non possit, nam reddet aliquas (sub finem capitis); sed quod prius quam eo veniat, edomare velit contradictoris audaciam. Nam in tota hac disputatione agit cum hominibus superbis, hypocritis, suamque dignitatem non ex veræ virtutis studio, sed externarum rerum vanitate metientibus; igitur contra hos initio potestatem et jus Dei magna vi et auctoritate defendit.

Ita eum mente tenuit Judæos benedictionem Jus. erat.

et justificare, sunt, non opera ex fide facta, sed circumcisio aliaque opera lege Mosaica prescripta, ex quibus Judæi hanc filiationem et benedictionem Abrahæ sibi deberi putabant, sed falso. Unde hisce eorum operibus opponit Apostolus Dei vocationem, dilectionem, misericordiam, gratiam et fidem per Christum exhibitam et propositam, atque ex hac, non autem ex operibus Mosaicis jam dictis, nos justificari et salvari docet, urget et inculcat. Ilic enim est scopus totius capitis, imo totius epistolæ, uti dixi initio.

Licet de congruo fides et disposit. recurrere tur justificationem, tamen justificatio non vera gratia.

Dices : In Christianis fides est dispositio ad justitiam, et meretur de congruo ipsam justificationem : nam, ut ait S. Augustinus, *epist.* 105 : « Nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, sed fides hanc impetrat. » Et *epist.* 106 : « Si quis, inquit, dixerit, quod gratiam bene operandi fides mereatur, negare non possumus; imo vero gratissime confitemur. » Ergo justificatio non est mere gratiæ, nec solius misericordis Dei.

Respondeo : Nego consequentiam, quia meritum hoc de congruo non aliud est quam dispositio; dispositio autem propria non dat meritum, nec vim justificandi, sed tantum est dispositio ad justitiam, quia Deus ita voluit, cum posset aliter statuere; quinimo sine dispositione posset nos justificare. Fidelis ergo licet et pœnitens quis sit, gratis tamen et misericorditer, ac indebite accipit remissionem peccatorum, et justificatur, quia ita placuit Deo misereri. Sicuti si rex reis læsæ majestatis daret veniam, restitueretque in suam gratiam et pristinam dignitatem, sed eos solos qui ad aulam regiam venirent et veniam peterent : omnes rei ita veniam adepti, non suo labori aut petitioni, sed regis misericordiæ veniam hanc et restitutionem attribuerent : ita et hic cum Deo res nostra se habet.

Distinctio inter currentes viribus naturæ et gratiæ.

Adde *ex misereatis* opponi *volentis et currentis*, scilicet viribus naturæ, et suis, non vero opponi volenti et currenti viribus gratiæ et misericordiæ Dei, sed potius illud includere aut præsupponere. Non enim miseretur, id est justificat Deus aliquem, nisi quem nasci secundum spiritum, id est fidelem et pœnitentem videnit. Hic enim solus est Abrahæ filius, cui hæc misericordia promissa est.

Vers. 17. 17. DICIT SCRIPTURA (*Exodi* IX, 16) PHARAONI : QUIA IN HOC IPSUM EXCITAVI TE, UT OSTENDAM IN TE VIRTUTEM MEAM. — Probavit Apostolus, vers. 15 et 16 præced., non esse iniquum quod Deus gratuita electione et voluntate Jacob dilexerit, ejusque misertus sit, sine illius operibus et meritis.

Ratio ob quam Deus misereri Esau et Pharaonis.

Hic probat secundam antithesis suæ partem, scilicet quod Esau odio habuerit, et noluerit ejus misereri, id non ex demeritis Esau præ Jacob accidisse, sed ex Dei voluntate, qui noluit ejus misereri. Est enim hoc Deo liberum, ut patet in Pharaone, quem quia obduratus erat in suis peccatis, sibi suisque peccatis permisit et dimisit, ac tandem punivit mergendo eum in mari Rubro : cum tamen misertus sit Nabuchodonosoris et aliorum, qui æque ut Pharao mali et obdurati fuerunt.

EXCITAVI TE, — *te*, o Pharao, regem constitui, sustinui, ut vertit Chaldæus et Septuaginta, conservavi, permisique ut in populum meum tyrannus insurgeres; ut ego vicissim in te, quasi hostem, tot plagis potentissimis insurgerem, tandemque te mergerem in mari Rubro : ut sic omnes meam justitiam ac potentiam agnoscant, timeant et colant. Ita S. Chrysostomus et Photius.

Aliter Anselmus : Excitavi, inquit, tuam malitiam sopitam per mea signa et plagas, ut durior fieres. Sic etiam explicat D. Thomas et S. Augustinus, lib. III *Contra Julian.*, cap. II.

UT OSTENDAM IN TE VIRTUTEM MEAM. — Nota : Hæc Deus ea ob quas excitarit Pharaonem.

non prima et præcipua, sed ima inter alias et ultima causa fuit cur Deus excitarit Pharaonem. Prima enim causa fuit, ut Pharao Deo creatori suo obediret, et bene beateque viveret, qui finis est omni homini a Deo præstitutus; sed quia prævidebat Deus eum contumaciter monitis suis et potentiæ obluctaturum, hinc hanc ejus malitiam ordinavit ad suam gloriam, ut eum per miraculosas plagas castigando comprimeret, corriperet et converteret. Sed cum iis magis indurari cerneret, plagas plagis addere decrevit, et tandem cum suis mergere eum in mari Rubro, ad hoc, ut hæ plagæ et clades omnibus hominibus Dei virtutem, non longanimitatem, ut interpretatur Œcumenius, sed ut Græce est, ἀνδρεῖαν, id est *potentiam*, ob oculos ponerent, atque impiis et rebellibus metum Dei incuterent.

Impii a Deo tolerantur ut adversus.

Nota, Pharaonem et impios tolerari a Deo primaria voluntate ad hoc, ut se corrigant et salventur. Id enim docet Paulus, *Roman.* II, 4. Vocula ergo *ut* hic eventum vel causam remotam significat, uti jam explicui. Vide *Can.* 24.

Mosem et Mariam in hypocrisi et blasphemia reperit Calvinus Deum fingendi ac loquendi peccati.

18. ERGO CUJUS VULT MISERETUR, ET QUEM VULT INDURAT. — Hinc horrendum suum dogma de reprobatione et prædestinatione deducit Calvinus; docetque quod Deus post lapsum Adæ, ut efficaciter singulos electos elegit et destinavit ad gloriam, quasi ad finem suum, et consequenter eosdem destinavit ad fidem et gratiam quasi ad media fali fini congrua : ita pariter singulos reprobos ante omnem prævisionem operum et demeritorum destinavit ad pœnas æternas, quasi ad finem suum, et consequenter eosdem destinavit ad actus malos, quibus has pœnas mererentur; atque ex hac prædestinatione, inquit ipse, manat executio efficax gratiæ et gloriæ in bonis et electis, in malis vero et reprobis manat certus et necessarius lapsus in peccata quælibet, atque in iis obduratio, exæcatio, mors et damnatio æterna, ita ut homo in negotio salutis vel damnationis suæ æternæ nihil libere agat, sed agat actus et adactus in omnibus a Deo : perinde ac agitur et adigitur globus a rotante, securis a secante, lutum a figulo, cui reniti nequit, imo a quo non tam agi, quam agitur et patitur. Hoc est fatum Calvini longe generalius, efficacius et violentius fato Stoicorum.

Vers. 18. Horrendum dogma Calvini de prædestinatione et reprobatione.

Fatum Calvini validius fato Stoicorum.

Verum si hoc fatum demus, ut taceam illius impietatem in Deum, recte reprobi dicent cum Luciano in *Jove confutato* : « Si Parca omnium rerum est causa : ergo si quis patrem occiderit, Parca in culpa est. Si Minos recte velit uti judicio, multo æquius fatum pro Sisypho puniet, et Parcam pro Tantalo. Quid enim illi injuste egerunt, quando jussi dicto audientes fuerunt? » Sæpe mirari soleo, quomodo tam atrox blasphemia, tam horribilis sententia, imo quævis aliæ hominibus a Calvino persuaderi potuerint; cum ex hoc uno quasi ex ungue leonem agnoscere possint et debeant. Hinc enim sequitur, ut alia omittam, hominem necessario velit nolit peccare, quoties peccat; necessario blasphemare et execrari Deum, quoties blasphemat et execratur; ac consequenter omnes eos qui damnantur, damnationem hanc non potuisse avertere, sed necessario et inevitabiliter damnari, et æternis ignibus cruciari. Hoc enim Dei decretum prævium, quod ponit Calvinus, homini reprobo est inevitabile et ineluctabile, ejusque pariter executio ineluctabilis est.

Absurda quæ sequuntur ex Calvini sententia de reprobatione.

Imo ex hoc ejus principio et fato sequitur non hominem, qui tantum motum Dei necessario recipit, sed Deum solum, qui motum imprimit, te ad actum malum impellit et prædeterminat ex mera et libera sua voluntate; Deum, inquam, solum causare actum peccati, et consequenter solum peccare. Quæ est blasphemia a sæculis non audita, nimirum quod aliquis Deum, qui ipsissima est bonitas per essentiam et omnis boni fons, faceret omnis malitiæ fontem, id est ex Deo faceret dæmonem, hoc nostro sæculo fecit Calvinus. O tempora! o mostra! horruit hoc Manichæi, et ne Deo bono tam essent injurii, illi Deum quemdam malum opposuerunt, quasi fontem omnis mali. Longe hoc erat tolerabilius.

Omittit quod hoc fatum Calvini hominem in desperationem adigat : si enim quos libuit Deus damnationi et gehennæ addixit, sine ullo præviso eorum demerito, quis non timeat, non percellatur? quis non semper anxius decretum hoc Dei capiti suo imminens suspiciat, dicatque : Quid si Deus damnationi me collocarit? Si ita est, actum est de me : perii, æternum ero miser et damnatus, ut quid de bona vita laboro? pereundum mihi est, imo peccandum. Ad hoc urgeor Dei fato, cui reluctari, a quo me subducere tam est impossibile, quam contra Deum pugnare.

Pulchre et graviter S. Augustinus, cap. XXIII *de Gratia et Libero arbit.* : « Deus, inquit, reddit mala pro malis, quia justus est; bona pro malis, quia bonus est; bona pro bonis, quia bonus et justus est : solum non reddit mala bonis, quia injustus non est. »

Nota : τὸ *reddit* non prædefinit, non prævenit, non prædeterminat. Quod ergo ad verum et orthodoxum sententiæ Paulinæ sensum attinet, putant aliqui hanc ejus illationem : « Ergo cujus vult misereitur, et quem vult indurat, » non inferri ex mente ipsius Pauli, sed ex mente Judæorum, Paulo adversantium et obstrepentium, qui hanc sententiam, quasi ingens absurdum, ex dictis Pauli colligant, illique objectent. Ita censent Origenes et Hieronymus *ad Hedibiam*, Quæst. X.

Excellitur error hujus loci. Cujus vult misereatur, et quem vult indurat.

Verum non hæc, sed proxime sequentia verba esse objicientium Judæorum, patet ex iis ipsis. Sequitur enim : « Dicis itaque mihi, » etc.

Dico ergo : Apostolus hic ex illo testimonio, « Miserebor cujus misereor, » scilicet Jacobi, et allegorice populi fidelis, sive Christiani, quem dilexi, infert : « Ergo cujus vult misereatur. » Ex illo vero, « In hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam, » infert et colligit : « Ergo quem vult indurat, » scilicet Pharaonem; et per consequens non ex operibus, sed quia vult, odio habet Esau, et allegorice carnales Judæos, quos repellit a benedictione Abrahæ. Hoc enim est, quod toto hoc capite probare contendit, scilicet Dei voluntate credentes adscitos, et Judæos repulsos esse a benedictione Abrahæ. Omnes ergo hæ sententiæ pendent, et connexæ ac concatenatæ sunt cum vers. 13; deducuntur enim omnes hæ antitheses ex prima illa vers. 13 : « Jacob dilexi, Esau autem odio habui, » illiusque probatio et explicatio sunt.

Omnes hæ sententiæ Pauli connexæ sunt cum vers 13, eumque explicant.

Nota *primo* : Deus « indurat, » id est indurat proprie, et consequenter odio habet, ut Esau, et punit ac punivit, uti Pharaonem; ad hos enim omnes jam dictos, puta Esau, Pharaonem, etc., se extendit τὸ *indurat* per metalepsin.

Deus indurat peccatorem, quia eum de cætero aliud quam ejus non misereri, eumque in peccato relinquere.

Nota *secundo* : Deus indurat peccatorem, quia ejus non miseretur, sed eum in sua duritia et peccatis reliquit; eamque aut indulgendo aut flagellando augeri permittit, opponit enim Apostolus hæc duo misereri et indurare. Ergo indurare est non misereri : cum ergo misereri sit liberare a peccato (peccatum enim maxima est miseria, quæ maxima indiget misericordia) et justificare, sequitur, quod non misereri sive indurare, to sit idem quod in justitia et peccatis duritiaque sua peccatorem relinquere et negligere : sic enim se explicat Apostolus vers. 22. Nam peccatores se sua malitia proprie et directe obdurare docet Isaias, cap. I, 16, et David, *Psalm.* XCIV, 8. Idem patet in Pharaone, qui in Scriptura quasi speculum et exemplar obdurationis proponitur, de quo propriæ hic loquitur Apostolus. Quod enim Pharao non a Deo, sed a seipso suaque malitia proprie et directe sit obduratus, demonstratur.

Probatur id quod dictum est.

Primo, ex eo quod Deus, misso Moyse, Pharaoni decies præcepit dimissionem populi Judaici; ergo volnit ut missum faceret populum; non ergo eum obdurare voluit. Hoc enim proprie velle, est

velle efficaciter ut Pharao nolit populum dimittere : velle autem ut dimittat, idque præcipere, ac rursum efficaciter id nolle, ideoque obdurare, manifeste inter se pugnant. Rursum, si Dei voluntas erat obdurare Pharaonem, ergo Pharao ei se conformans non peccabat : Dei enim voluntas omnis bonæ voluntatis mensura est.

Secundo, Deus reluctantem Pharaonem gravissime punivit; atqui « Deus non est auctor eorum, quorum est ultor, » inquit S. Fulgentius, lib. I ad *Monimum*, cap. III.

Tertio, Pharao ipse paulatim Deo, Moysi et Hebræis cessit, dum *primo*, eos sine prolibus et armentis; *secundo*, cum prolibus, sed sine armentis; *tertio*, omnino cum suis abire permisit : ergo ipse se flectebat et obdurabat; quin vero Pharao ipse non tam impius fuit ut duritiei suæ causam in Deum evomeret, sed sibi eam tribuit. *Exodi* cap. X, vers. 16 : « Peccavi, inquit, in Dominum. »

Calvinus peccatum Pharaonis, obdurationem Deo impie et imperite tribuit.

Quod enim Calvinus Deum culpa liberare contendat, peccatum Pharaoni, obdurationem Deo tribuendo, tam impie quam imperite id facit : si enim duities Pharaonis peccatum est, cur pariter peccatum non sit obduratio, quæ duritiei est causa ? Causa enim ad peccatum impellens utique peccat, *Joan.* VIII, 34, *Rom.* I, 32; et vel maxime tunc, cum efficaciter impellit, ut ei alter resistere nequeat. At instat Calvinus : obdurare in Deo non esse culpam, quia justum hoc Dei judicium est : sed frivola est et inanis hæc larva, si enim duities culpa est, quocumque fine, quocumque judicio ad eam impellas, culpam admittis : quod enim in se malum est et culpa, nullo fine licet, ideoque non justum est hoc, sed impium Calvini judicium : tantumque est dicere ao si aperte pronunties : Deus peccati auctor est, sed hoc fine, ut judicium suum et præcedentium peccatorum vindictam exerceat.

Pharaoni suo sponte ex obduratione tributis Scriptura.

Quarto, non Pharao tantum sibi, sed et Scriptura culpam et obdurationem eidem tribuit, cum eum jam immunem et liberum a pœna, ad ingenium sponte rediisse narrat *Exodi* VIII, 15 : « Videns, inquit, Pharao quod data esset requies, ingravavit cor suum. » Et cap. IX, vers. 34 : « Videns Pharao quod cessasset pluvia, auxit peccatum, et ingravatum est cor ejus, » id est, ut habetur in Hebræo, וַיַּכְבֵּד לִבּוֹ *vaiachbed libbo*, id est *aggravavit ipse cor suum*. Idem patet cap. VIII, vers. ult. in Hebræo. Unde quoties noster Interpres in *Exodo* vertit, « ingravatum est, » accipe, ingravavit se cor, id est voluntas Pharaonis; sic enim Hebræa ubique vertas. Ipse ergo Pharao proprie et positive se induravit, Deus vero permissive et negative : quia cum voluntatem ejus sua manu contineret, illam a malo non compescuit, sed illi laxavit frena, ad Hebræorum oppressionem : sicut qui canem venaticum funibus ligatum tenet, in leporem eum dicitur immittere, si eum vinculis solvat, et in leporem ferri sinat.

Deus permissive et negative se habet ad indurationem Pharaonis.

Pursum Deus subtrahendo et suspendendo flagella sua, quæ Pharaonem mollichant, eum induravit, quia, iis cessantibus, ipse mox ad ingenium et duritiem suam rediit. Quando enim Deus plagas infligebat Pharaoni, Pharao promittebat quod dimitteret Hebræos; quando vero plagas subducebat, rursum indurabatur Pharao. Unde *Exodi* VIII, 15, dicitur : « Videns Pharao quod data esset requies, ingravavit cor suum. » Ita Anastasius Nicenus in *Quæstionibus S. Scripturæ*, quæst. XXIX.

Deus subtrahendo flagella indurat Pharaonem.

Adde : Sicut pueri nequam verberibus fiunt duriores, sic et Pharao verberibus Dei indies factus est durior. Unde sicut præceptor flagellando puerum pervicacem, dicitur eum flagellis suis obdurare, magisque pervicacem efficere : ita Deus suis plagis dicitur indurasse et durius reddidisse cor Pharaonis durum et pervicax, non effective, sed objective, id est non efficiendo et immittendo illi duritiem, sed objiciendo flagella, quibus ipse magis seipsum obduravit, fortiusque Deo restitit. Ita explicant hunc locum Patres omnes et interpretes Catholici.

Nota *tertio* : « Miserari » hic in Apostolo generale est : sed Apostolus illud applicat Jacobo, quod scilicet Deus e captivitate Babylonica eum reduxerit; et allegorice credentibus, quod scilicet ipsi a servitute peccati a Deo gratis sint liberati et justificati, ut dixi. Poterat enim Deus, si voluisset, credentes, imo et pœnitentes, non justificare, id est eorum non misereri.

Misereri hic generale est, et significat liberationem a captivitate Babylonica.

Nota *quarto* : Ut omnia dicta in unum colligamus, hæ omnes antitheses, quas Apostolus a vers. 7 hucusque conglomerat, applicandæ et explicandæ sunt per hoc, quod Christiani, qui sunt filii spiritus, promissionis, gratiæ et fidei, credendo in Christum eique obediendo, benedictionem Abrahæ, id est justitiam, sint adepti : Judæi vero, qui sunt filii carnis, id est carnaliter nati ex Abraham, quique ex operibus vi legis et naturæ factis, id est humanis et carnalibus, justitiam quærebant, eamque parere et producere contendebant, repellendo fidem Christi, a benedictione pariter et justitia, ac via salutis sint repulsi. Quod ut clarius demonstrem, applicabo singulas antitheses.

Antecedentia hic omnia ad Pauli in hoc capite.

Prima est, vers. 7. Non Ismael filius *carnis*, sed Isaac filius promissionis æstimatur filius Abrahæ et hæres : sic non Judæi filii carnis increduli, sed Christiani credentes, quasi filii promissionis æstimantur filii et hæredes benedictionis et justitiæ Abrahæ.

Prima antithesis explicata.

Secunda est, vers. 13 : « Major serviet minori, » id est Judæi postponentur et servient Christianis.

Secunda.

Tertia est ibidem : « Jacob dilexi, Esau odio habui, » hoc est Christianos credentes dilexi, Judæos incredulos odio habui.

Tertia.

Quarta est, vers. 16 : « Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei; » id est, justitia non est Judæi volentis et currentis ad eam naturæ

Quarta.

viribus et operibus, sed est Christiani credentis, cui Deus justitiam misericorditer largiri et donare voluit.

Quinta est, vers. 18 : « Cujus vult, » v. g. Isaaci, Jacobi, Nabuchodonosoris, « miseretur; quem vult, » v. g. Ismael, Esau eorumque posteros et Pharaonem, « obdurat. » Id est, Deus miseretur populi Christiani fidelis, dando ei justitiam; Judæos vero fidei rebelles indurat, id est in sua injustitia, duritia, rebellione permittit ac deserit, et a vera justitia ac salute arcet et repellit.

Sexta est, vers. 21, 22, 23, ubi Apostolus Christianos credentes vocat « vasa in honorem, et vasa misericordiæ; » Judæos vero incredulos vocat vasa in contumeliam, vasa iræ, apta in interitum. »

Ubi nota *quinto*, Judæos semper hic accipi debere incredulos, et fidem Christi repellentes, sæpeque legi insistentes : sicut in Christianis involvitur acceptatio fidei et gratiæ, et obedientia erga Christum; nec enim Christiani electi sunt ad justitiam, nisi prius prævisa fuerit eorum fides et obedientia : nec Judæi ante rejecti a justitia, quam prævisi sunt fidem et gratiam Christi repellere. Sicut ergo in Christianis fides præsupponitur eorum dilectioni et benedictioni, id est justificationi, ita in Judæis semper includitur et præsupponitur eorum incredulitas, quasi objectum odii. Ob incredulitatem enim suam a Deo rejecti et odio habiti sunt : ita ut a parte rei prius sit eos esse incredulos, quam odio haberi a Deo; sicut vice versa, prius est Christianos credere et obedire Christo, quam diligi et justificari a Deo. Hæc est ergo perpetua antithesis Apostoli, quam tot probat exemplis : nimirum, « Judæi increduli repulsi sunt a justitia, Christiani vero credentes justitia donati sunt. » Ad hanc omnia collimant, per hanc resolvenda sunt omnia, hic est scopus, hæc mens Apostoli.

Nimis et sæpius Apostoli est ostendere Christianos ob fidem obedientiam, Judæos ob incredulitatem rejectos.

Nota *sexto* : Apostolus utrumque horum dicit factum esse ex vocante et miserente Deo, non ex operibus prævisis : quia quod credentes justificantur, alii vero non credentes repellantur a justitia, est misericordiæ Dei, cui placuit in fide constituere justitiam, et credentes gratis justificare : cum potuisset non credentes in Christum justificare, et alia in re justitiam constituere, aliumque justificationis modum præscribere, v. g. circumcisionem, aut naturalem descensum ex Abraham, milleque alios modos, quos Deus ipse habet in thesauris suæ sapientiæ et providentiæ.

Misericordia Dei est in fide constituere justitiam.

Ex dictis clarum est, Apostolum non agere hic de vocatione congrua vel incongrua ad primam gratiam vel gloriam; nec de gratia efficaci, vel inefficaci : sed agere de vocatione ad justitiam.

Apostolus hic non agit de vocatione congrua vel incongrua.

Nota *septimo* : Apostolus primario hic intendit ostendere, quod Isaac Ismaeli, Jacob Esau fratri sæpe ad est Christiani Judæis sint prælati et prædilecti, non esse ex meritis eorum prævisis; secundario tamen ostendit, quod Ismael, Esau et Judæi sint odio habiti, id est neglecti, postpositi et repulsi a familia, benedictione et justitia Abrahæ, id non accidisse ex eorum demerito prævio; prævio, inquam, ante fidem vel repulsam fidei, quasi in judaismo demeruerint præ Gentibus repelli, sed utrumque hoc fuisse voluntatis et electionis Dei, qui ante omne meritum utrinslibet volnit Isaac præ Ismael censeri et esse filium et hæredem Abrahæ, ac Jacobum præ Esau benedici ab Isaac, ejusque et per illum Abrahæ censeri filium et hæredem; ac consequenter utriusque posteros, Isaacidas scilicet et Jacobæos, præ Ismaelitis et Idumæis, filios esse et hæredes Abrahæ.

Electio Isaaci et Jacobi non fuit ex meritis prævia, nec Ismael et Esau ex pulsa a demeritis.

Si dicas, postea Idumæos odio esse habitos ob peccata, cum, ut ait Malachias, capti et eversi sunt, respondebit Paulus, et Jacobæos peccasse, et captos esse ob sua peccata. Non ergo ex operibus et demeritis, in quibus erant pares, hi præ illis dilecti et reducti sunt; sed quia hos, et horum parentes præ illis dilexit et elegit Deus in populum et Ecclesiam suam. Similiter quod Pharaonem præ Nabuchodonosore et aliis induraverit, id est in sua malitia et duritia reliquerit et oppresserit Deus, non fuit ex demerito Pharaonis, quasi durior et deterior fuerit Nabuchodonosore et aliis similiter obduratis : sed quod voluerit Nabuchodonosoris misereri eique regnum restituere, Pharaoni noluerit. Ita plane in sensu allegorico (quem maxime hic significare intendit Apostolus, ita tamen ut priorem sensum litteralem tantum obiter quasi perstringat, et præsupponat suæ allegoriæ), quod Judæos incredulos præ Christianis credentibus repulerit, et odio habuerit idem Deus, non fuit ex demeritis prævis, quasi Judæi in judaismo præ Gentibus in gentilismo id demeruerint, cum utrique fuerint in peccatis, et magis Gentes; sed fuit ex voluntate Dei, qui voluit credentes eligere ad justitiam, incredulos ab ea repellere.

Sensus allegoricus in his omnibus a Paulo intentus.

Si ergo quæras cur Christiani electi sint ad justitiam, Judæi vero ab ea repulsi? Respondet Apostolus, vers. 30 et seq., quia Christiani fidem Christi amplexi sunt, Judæi eam repulerunt. Si pergas quærere cur Judæi fidem repellentes rejecti sint, Christiani vero amplectentes fidem electi? Respondit semper hucusque Apostolus causam esse, quod Christiani credentes sunt filii promissionis, quos elegit Deus, eisque promisit misericordiam, puta justitiam : hoc est, quia placuit Deo in fide Christi collocare benedictionem et filiationem Abrahæ, ipsam scilicet justitiam; non autem quia Gentes hoc meruerunt, vel Judæi in judaismo demeruerunt, aut meruerunt ea privari præ Gentibus. Ecce hoc est quod toties per tot sententias hic volvit, revolvit et inculcat Apostolus.

Placuit Deo in fide Christi collocare benedictionem.

19. DICIS ITAQUE MIHI : QUID ADHUC QUERITUR ? — Græce μεμφεται, id est *queritur, conqueritur*; non autem quæritur, conquiritur, licet ita legat

Vers. 19.

et intelligat S. Thomas. Est occupatio querula. Objicit enim quis : Si Deus « cujus vult misereatur, et quem vult indurat, » cur ergo queritur, conqueritur et succenset Deus Pharaoni aliisque impiis per Prophetas, eosque punit? Ipse enim Deus, ut ais, o Paule, eos indurat.

VOLUNTATI ENIM EJUS QUIS RESISTIT? — aut, ut Græce est, ἀθετεῖ, id est *restitit unquam*. Hanc objectionem Apostolus primo retundit objectu absoluti dominii et majestatis Dei, contra quam nemo queri possit aut debeat; deinde directe illi respondet vers. 22.

Contra Dei absolutum dominium. Majestati et reverentiam superbe et arroganter non queri.

Nota : statim illi respondere potuisset Paulus, Deum juste queri de impiis, quia propria voluntate peccant. Verum quia agit contra superbos et querulos impios, qui irreverenter et arroganter queruntur, seque opponunt Deo, Deique voluntati et judiciis; hinc primo, eorum superbiam et superbum querelam retundit objectu reverentiæ et celsitudinis divinæ, maxime quia hoc ipso, licet non respondeat ad ipsam eorum interrogationem et objectionem, ad originem tamen et causam ejusdem respondet.

Causa hæc est, quod impii nolint subesse voluntati divinæ ejusque imperio, illudque velint exemere si possent, utpote per quod sciunt se plectendos et damnandos. Dicunt ergo ipsi : Si Deus cujus vult misereatur, et quem vult indurat, quid mirum est nos esse miseros et induratos? voluntate enim Dei tales sumus : voluntati autem ejus quis resistit? Hanc causam aufert et elidit Apostolus dicens, voluntatis divinæ, utpote sapientissimæ, optimæ et eminentissimæ a creatura non esse quærendam rationem; neminem enim de ea queri, vel illi obstrepere debere, sed illam omnes silentio venerari, illique summa humilitate et reverentia se submittere debere. Ait ergo :

20. O HOMO (Græce ὦ ἄνθρωπε, *atqui* « homo »), TU QUIS ES, QUI RESPONDEAS DEO? — Pulchre S. Gregorius, lib. IX *Moral.*, cap. VIII, inquit : « Respondere Deo non posse convincitur, qui homo nominatur; qui per hoc quod de humo sumptus est, judicia superna discutere dignus non est. »

21. NUMQUID DICIT FIGMENTUM EI QUI SE FINXIT : QUID ME FECISTI SIC? AN NON HABET POTESTATEM FIGULUS LUTI, EX EADEM MASSA FACERE ALIUD QUIDEM VAS IN HONOREM, ALIUD VERO IN CONTUMELIAM? — Pergit Apostolus retundere et reprimere importunam et arrogantem impiorum contra Deum objectionem, dicens quod non magis Deo factori et creatori suo resistere vel oggannire debeant, quam lutum figulo.

Nota *primo* : Apostolus hic Deum comparat figulo, et homines luto, non quasi homines, æque ac lutum, electione et libera voluntate destituantur; contrarium enim hic significat Apostolus, vers. 22 et vers. 24, et quia alioqui pari ratione homines, æque ac lutum, anima et ratione carerent, inquit S. Chrysostomus; sed ut significet quod homines non magis Deo miserenti vel induranti, punienti vel præmianti obstrepere debeant, quam lutum figulo, ut statim planius ostendam. Ad hoc enim tantum inducitur hæc figuli et luti similitudo; nam alludit hic Paulus ad *Jerem.* XVIII, 6, ubi sic ait Dominus : « Ecce sicut lutum in manu figuli, ita et vos in manu mea. » *q. d.* Sicut vas luteum est in manu figuli, ut illud frangat, et ex eo faciat aliud vas, vel prius renovet : sic et ego vos, o Judæi, a me destinatos Chaldaico exercitio, si pœnituerit, reformabo, mutabo sententiam, et calamitatem vestram in felicitatem convertam : ita Theodoretus, ut ex vasis contumeliæ, id est ingloriis, fiatis vasa in honorem, id est honorifica.

Secunda litteralis expositio, tenet, reprobationem quæ de impiis fit, esse tantum negativam, non positivam.

Nota *secundo* : S. Augustinus et alii censent Apostolum hic loqui de massa, id est communitate hominum non tantum originali, sed et actuali peccato respersa (loquitur enim hic Paulus de impiis et incredulis Judæis), ex qua hos Deus liberat et eligit ad gloriam, alios relinquit et destinat ad pœnam æternam. Ita S. Augustinus, lib. I *ad Simplician.*, Quæst. II, et Fulgentius, *ad Monimum*, lib. I, cap. XXVI.

An Deus ex massa humanorum peccatis respersa quosdam eligat, alios reprobet?

Ubi adverte : ex massa peccati originalis, Deus non intendit positive facere aliquem vas in contumeliam, uti demonstravi vers. 13, sed tantum permissive; imo Deus intendit, quantum est ex parte sua, omnes ex hac massa corrupta et perdita eripere et salvare per Christum. Ideo enim Christum mediatorem omnibus dedit, volens quantum est ex parte sua, ut per Christum omnes salventur. Ex massa vero et complemento peccatorum actualium, quæ peccatores ipsi faciunt et adjiciunt peccato originali, etiam positive facit Deus vasa in contumeliam; quia destinat eos ad pœnam et opprobrium æternum, quos videt in peccatis hisce suis mori. Ex hoc ergo Apostoli loco etiam juxta mentem S. Augustini intellecto, non recte elicitur aut concluditur Deum aliquem reprobasse, vel decrevisse a regno cœlorum excludere ob solum prævisum peccatum originale ejus, vel ante actualia ejus peccata, in quibus prævidebatur ipse moriturus. Imo Gregorius de Valentia, *part.* I, *Quæst.* XXIII, puncto 3, col. 463, docet ad hanc perditionis massam ex mente S. Augustini pertinere, et in eam recidere eos, qui post originale peccatum sibi remissum, actualia peccata committunt. Hoc est enim quod ait S. Augustinus, *Enchir.* XXIX : « Creatura rationalis quæ in hominibus erat, peccatis atque suppliciis, et originalibus, et propriis tota periecat. » Et *epist.* 103 : « Una, ait, est ex Adam massa peccatorum et impiorum, in qua et Judæi et Gentes, remota gratia Dei, ad unam pertinent conspersionem. » Lib. I *ad Simplic.*, Quæst. II : « Propter hoc, ait, inexcusabilis est omnis peccator, vel reatu originis, vel additamento etiam propriæ voluntatis. » Et paulo post : « In vasis, inquit, propter meritum massæ, in contumeliam debitum factis (id est, in omnibus iis qui ob peccata

Deus ex hac massa interdum omnes salvat.

Non potest modesti et hoc dare Deus ob solum peccatum originale aliquem reprobando.

destinati sunt ad gehennam) iniquitatem damnare novit Deus, non facere. » Et lib. LXXXIII *Quæst.*, Quæst. LXVIII, docet reprobos non posse dicere Deo : Cur me fecisti vas in contumeliam? quia jam sunt massa luti, id est peccati, post Adæ prævaricationem. Et concludit : « Si vis hoc posse dicere Deo : Cur me fecisti? noli esse lutum, sed fieri filius Dei per ipsius misericordiam. » Quocirca graves theologi, ex mente S. Augustini, censent Deum neminem reprobasse, id est cœlo exclusisse, et destinasse gehennæ, nisi post prævisum ejus finale peccatum, quod scilicet, in originali, vel actuali peccato moreretur. Audi Cardinalem Bellarmimum, lib. II *De Gratia et Lib. arbitr.*, cap. XVI : « Dicimus, inquit, causam reprobationis esse prævisionem peccati originalis vel actualis; quia non omnes Deus reprobat propter originale peccatum, cum illud vere nonnullos reprobis per baptismi gratiam remittatur; sed alios propter originale tantum, ut parvulos non baptizatos; alios propter actuale tantum, ut baptizatos adultos; alios propter utrumque, ut infideles adultos, de qua re vide Augustinum, *De Correp. et Grat.*, cap. XIII, et Prosperum, in *Respons. ad cap.* II *Gallorum.* » Verum quidquid sit de hac massa peccatorum, eorumque electione et reprobatione, dico de ea non loqui hic Apostolum.

Secunda tropologica.

Tropologice nota : Lutum est homo, quia ex limo factus, ut cum timore et humilitate Deo se subdat, in cujus manu est status noster, gloria, divitiæ, virtus, salus et omne bonum nostrum; nimirum ut discat homo totus pendere a Deo, quasi figulo suo, illique se totum restituat, cujus potestatem effugere non potest. Sic ergo hac phrasi tacite jubet et monet nos Deus, ut cum *Jerem.* cap. XVIII, jam citato, sæpe descendamus ad domum figuli, ut videamus originem patris nostri Adami ex luto, hebraice Adami ex Adama, lutei ex luto, nobisque dicamus : Quid superbis, terra et cinis, imo lutum vilissimum, quod pecudum pedibus calcatur?

Scopo locutionis hujus ad domum figuli, et figlinum usum.

Secundo : sicut lutum tantum est lutum, sed ex manu figuli hanc vel illam formam sortitur : ita homo ex sua humo nil nisi humum et lutum habet; sed ex Deo habet quod sit homo rationalis, dives, nobilis, sapiens, felix, gratiosus. Deus enim cuique dat suam formam, et « cuique dividit sua dona prout vult, » *Eccli.* XXXIII, 14; ipse enim facit nos, non ipsi nos.

Tertio : hinc sequitur quod quisque sua sorte contentus esse debeat; sicut enim lutum non potest dicere figulo : Cur me fecisti sic? sic nec nos Deo dicere possumus : Cur nos fecisti pauperes, ignobiles, rudes, infirmos; illos vero divites, nobiles, sapientes, validos et fortes?

Verus et proximus Apostoli sensus.

22 et 23. QUOD SI DEUS VOLENS OSTENDERE IRAM, ET NOTAM FACERE POTENTIAM SUAM, SUSTINUIT IN MULTA PATIENTIA VASA IRÆ, APTA IN INTERITUM : UT OSTENDERET DIVITIAS GLORIÆ SUÆ IN VASA MISERICORDIÆ, QUÆ PRÆPARAVIT IN GLORIAM. — Apostolus hic perfecte respondet querelæ quam proposuit vers. 19. Si Deus homines induret, cur queritur et induratos punit? Respondet ergo his hoc modo, *q. d.* Indurati ipsi positive se fecerunt et apturunt vasa iræ; Deus ergo non fecit eos, sed « sustinuit, » id est patienter peccare permisit, differens diu supplicium, sicque eos tolerans dicitur. Idque duplici de causa : *Prior* est, ut iram, id est justam et potentem suam vindictam in eos ostenderet, uti fecit, dum Pharaonem mersit in mari Rubro : putabat enim Pharao Dei patientiam, per quam non puniebat eum Hæbræos, impotentiam esse. *Posterior* est, ut ex hac severitate Dei in induratos appareat gloriosa Dei misericordia, opulentia et liberalitas « in vasa misericordiæ, » id est in sanctos et electos, quibus non pœnam, sed gloriam præparavit.

Vers. 22 et 23.

Quid hic intelligitur per vasa iræ, aptata ad interitum. Duplici de causa Deus permittere se habet erga peccatores.

Nota *primo* : « Quod si Deus sustinuit vasa iræ; »

sumpse, quid ad te? vel, tu quis es, qui respondeas Deo? quid habes quod queri possis? Et enim hic aposiopesis, sive reticentia, frequens Apostolo.

Vasa misericordiæ non sunt efficaciter electi ad gloriam.

Nota *secundo* : « Vasa misericordiæ » hic non vocantur efficaciter electi ad gloriam, sed credentes et justi, quos gratia sua dirigit et ordinat Deus ad gloriam, ut patet ex sequentibus : consequenter vasa iræ sunt mali et indurati, qui se ordinant et disponunt ad iram et pœnam æternam.

Nota *tertio* : « Vasa misericordiæ » eadem sunt cum iis quæ vers. præced. vocantur « vasa in honorem; » sic « vasa iræ » vocantur ea quæ sunt « in contumeliam. »

Vasa iræ prægna culpa aptata sunt ad interitum.

Nota *quarto* : « Vasa iræ » non aptavit Deus, sed *apte*, Græce κατηρτισμένα, id est *aptata* et *apparata sunt*, propria scilicet culpa et impœnitentia (ita Græci Patres, D. Thomas et passim interpretes) ad interitum et condemnationem; unde et Deus non fecit, sed sustinuit ea in multa patientia, patienter scilicet exspectans eorum resipiscentiam et pœnitentiam : quam utique non exspectasset, nisi ipsa in illorum fuisset manu et potestate; quia scilicet paratus erat Deus eos sua gratia adjuvare, si eam illi implorare eique cooperari voluissent. E contrario, vasa misericordiæ Deus præparavit in gloriam. Bonum enim et prædestinatio a Deo est, malum vero et reprobatio a nobis est; homo solus peccare potest et peccat, Deus vero solus a peccato liberat.

24. QUOS ET VOCAVIT NOS NON SOLUM EX JUDÆIS, SED ETIAM EX GENTIBUS. — Nota, τοὺς *quos* refert « vasa misericordiæ, » quæ præcesserunt, puta sanctos : τοὺς *quos* ergo idem est ac si dicat, hæc vasa misericordiæ, non lutea, sed humana, sunt ii quos Deus ad se, suamque gratiam, amicitiam et filiationem « vocavit, » nempe nos fideles, tum ex Judæis, tum ex Gentilibus. Putabant Judæi eo solos a Messia vocandos esse ad ejus regnum, Ecclesiam et bona omnia. Contrarium hic probat Apostolus ex Prophetis, nimirum Gentes quoque ab eo ad eadem bona vocandas esse.

Non sch Vatal Messiæ vocandi erant.

Osee 2.

25. SICUT IN OSEE DICIT : VOCABO NON PLEBEM MEAM, PLEBEM MEAM. — *q. d.* Vocabo Gentes idolatras, quæ non fuerunt plebs mea, ad meam fidem et cultum, ut, cum fuerint ad me conversæ, vocem eas plebem meam. S. Paulum recte citare Oseæ locum, eumque de Gentibus explicare ostendit Oseæ 1, 10.

ET NON MISERICORDIAM CONSECUTAM, MISERICORDIAM CONSECUTAM. — Delent hoc Græca, Origenes, Ambrosius, Chrysostomus, Theophylactus, Œcumenius, Sedulius et alii; sed legunt Biblia Romana aliaque Latina, et S. Hieronymus in *Oseæ* 1, ibique habent illud Hebræa. Illud vero « non dilectam, dilectam, » quod non habet Syrus, nec Hebræus, habent Septuaginta quoad sensum in *Oseæ*, et Græca ac Latina hic. Vide *Notationes* Francisci Lucæ in S. Scripturam. Jam sensus hic planus est. Gentes enim, quas paulo ante dixit ex non plebe factas esse plebem Dei, hic ex statu derelictionis dicit esse translatas in statum misericordiæ et gratiæ Dei, ut plebs Gentilis, quæ antea non erat misericordiam consecuta, jam vocaretur misericordiam consecuta.

Gentes quomodo dicuntur plebs Dei non plebs Dei? Vers. 26.

26. ET ERIT : IN LOCO UBI DICTUM EST EIS : NON PLEBS MEA VOS; IBI VOCABUNTUR FILII DEI, — *q. d.* In loco, ubi antea non erat plebs mea, puta in Italia, Gallia, Germania, India, « ibi vocabuntur, » id est erunt filii Dei. Τὸ enim *vocari* per metonymiam sæpe in Scriptura significat *esse*. Quod enim re ipsa tale est, hoc per sermonem tale dici et vocari potest.

Cur tria prophetæ dicantur ad Christum non verbum?

27. ISAIAS AUTEM CLAMAT PRO ISRAEL. — Probat hic Paulus ex Isaia priorem partem vers. 24, scilicet quod Deus ad se suamque gratiam vocabit per Christum Judæos ad Christum convertendos, sed paucos. Plerique enim omnes, ut ait Paulus vers. 32, offenderunt in lapidem offensionis, puta in Christum. Posteriorem partem vers. 24, de Gentibus ad Christum vocandis et convertendis, jam probavit Paulus, vers. 25, ex Osee propheta. Ait ergo Isaias :

SI FUERIT NUMERUS FILIORUM ISRAEL TANQUAM ARENA MARIS (innumerabilis), RELIQUIÆ (id est pauci) SALVÆ FIENT. — Isaias habet, *convertentur ad Dominum*. Unde patet cæteros omnes Judæos rejectos esse, uti hactenus docuit Paulus, et in eorum locum Gentes surrogatas accepisse promissa Dei, ac proinde ea non excidisse, sed in Gentibus impleta esse, quod a vers. 6 hucusque probare intendit et contendit Apostolus.

Verbum abbreviatum felicitur intelligi potest.

28. VERBUM ENIM CONSUMMANS ET ABBREVIANS IN Vers. 28. ÆQUITATE, — supple, *Deus est*, ut patet ex Græco, ubi *consummans* est nominativi casus, *verbum* vero accusativi. Sic enim habet Græcus λόγον γὰρ συντελῶν καὶ συντέμνων, *q. d.* Deus consummabit et abbreviabit verbum, id est rem, puta numerum fidelium ex Israel brevem, id est exiguum conficiet, idque « in æquitate » et justitia : tum quia juste incredulos et impios Judæos ita abbreviavit, consumpsit et attrivit (quod proprie hic spectat Paulus); tum quia vice versa primos credentes piosque Judæos, puta Apostolos, et per eos omnes gentes fecit abundare æquitate, justitia et sanctimonia. Sicut enim Deus justus est in infideles et impios, eos puniendo et consumendo : ita justus est in fideles et pios, eos præmiando, faciendo scilicet ut in eis et per eos in aliis gentibus abundent gratia et justitia. Utrumque hunc sensum, sed magis posteriorem, significant verba Isaiæ, qui habet : « Consummatio abbreviata inundabit justitiam (1). »

Pro quo nota : citat hic Paulus Isaiam, cap. X,

Verba Isaiæ illustrantia.

(1) Vers. 28 : *Perficiet enim Deus, et subito absolvet rem pro veracitate sua : rem sic decretam exsequetur Dominus in terra.* Sententia in utroque membro eadem est, aliis tantum verbis expressa. Τὸ *quia* in Vulgato interprete, Hebr. כִּי, redundat vel exponendum *utique, profecto.*

Isaias de Judæis reliquis ex vastatione Sennacherib.

qui ad litteram loquitur de Judæis ex vastatione Sennacherib reliquis, de eisque ait : « Consummatio abbreviata inundabit justitiam, » *q. d.* Tempore Ezechiæ vastatio illa Sennacherib, quæ plurimos Judæorum consumpsit et abbreviavit, id est paucos fecit, faciet ut in paucis reliquis Judæorum superstitibus « inundet, » id est instar aquarum exundantium abundet justitia, tum puniens impietatem, tum præmians pios, quos hoc terrore et clade perculsos ad Deum verum invocandum et colendum compellet; uti re ipsa evenisse patet II *Paralip.* XXX, 7. Hinc allegorice (quod maxime hic intendit Spiritus Sanctus) hanc sententiam de suis Judæis explicat S. Paulus, *q. d.* « Consummatio abbreviata inundabit justitiam, » id est *consummam faciamque finem*, et quidem brevissimum, judaismi et Judæorum per Titum, ita tamen ut pauci ex iis relinquantur et convertantur ad Christum; et tum justitia, quæ ex fide est, inundabit et propagabitur per omnes gentes, orbemque pietatis quasi altero diluvio obruet. Hoc est ergo « verbum breviatum, quod faciet Dominus super terram, » uti prædixit Isaias.

Sensus allegoricus hic a Paulo percipiendus.

Litteralissimus Isaiæ, et allegoricus a Paulo intentus.

Secundo, « verbum abbreviatum » hoc accipi potest brevissimum Evangelicæ fidei et electionis præceptum, quod pro cunctis laciniosæ et sinuosæ legis cæremoniis et prophetiis successit. Ita Origenes, Augustinus, Anselmus, Œcumenius et alii veteres. Evangelium enim est compendium legis, quia ex duobus ejus præceptis : « Diliges Deum et proximum, tota lex pendet et prophetæ. »

Ob tria reticenda idem verbum dicitur consummatum.

Addit S. Chrysostomus, idem verbum dici consummatum in justitia, quia justitiam quam lex dare non poterat, dat Evangelium; aut, ut Ambrosius, quia verbum hoc fidei et Evangelii consummationem affert peccatorum; vel, ut Photius, quia Evangelio non succedit aliud Evangelium secuti legi successit Evangelium, quia Evangelium plenam docet justitiam et perfectionem hominis.

Verbum abbreviatum est Verbum incarnatum.

Tertio, S. Hieronymus, *ad Algasiam*, Quæst. X, et S. Cyprianus, lib. II *Contra Judæos*, cap. III : « Verbum incarnatum, inquiunt, est verbum ad hominis usque naturam abbreviatum et exinanitum, ut quod cœlo non capiebatur, præsepio caperetur, » ait S. Bernardus, quod salvas fecit reliquias Israel, quodque absolvit et consummavit tot promissiones dilatas, tot historias acephalus, tantarum rerum initia et elementa vix delineata veteri Testamento, et justitiæ exundationem induxit orbi. Addit Haymo consummationem abbreviatam esse passionem Christi, quæ tribus diebus fuit consummata, itaque abbreviata, per quam justitia et sanctitas totum orbem inundavit. Rursum, in passione Christus omnia consummavit, dixitque : « Consummatum est : » ipse quoque tunc fuit abbreviatus in fama et vita, et capite quasi minutus.

Lex justitiam non dat lex vetus, sed lex gratiæ.

Græca pro « non pervenit, » habent οὐκ ἔφθασε, id est proprie, *non antevertit, non prævenit*, scilicet Israel Gentes in acquirenda justitia.

Propria causa ob quam Judæi a justitia rejecti.

Nota : hic Apostolus post longam totius capitis disputationem resolvit quæstionem, et dat propriam causam cur rejecti sint Judæi a justitia et salute, Gentes vero ad eam sint assitæ et electæ : nimirum quia Judæi eam quæsierunt ubi non debebant, scilicet in operibus legis, non in fide Christi, ubi eam posuit Deus : hoc est enim quod subdit Apostolus.

29. ET SICUT PRÆDIXIT ISAIAS : NISI DOMINUS SABAOTH RELIQUISSET NOBIS SEMEN, SICUT SODOMA FACTI ESSEMUS, ET SICUT GOMORRHA SIMILES FUISSEMUS. — *q. d.* Nisi Dominus reliquisset nobis semen, id est aliquos superstites, fuissemus justo, ut Sodoma, omnino deleti. Loquitur Isaias ad litteram de Judæis qui superfuerunt captivitati Babylonicæ. Allegorice S. Paulus idipsum explicat hic de paucis Judæis, qui in communi ceterorum infidelitate credidarunt in Christum, *q. d.* Nisi tempore Christi parum reliquiarum, videlicet B. Virginem, Apostolos et paucos electos ex Judæis credentes elegisset Deus, reprobatus fuisset totus Israel ob infidelitatem, et periisset, uti Sodoma. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Rupertus, Haymo in *Isaiæ* I, et S. Augustinus, lib. I *ad Simplician.*, Quæst. II (1).

Sensus tropologicus.

Hoc tropologice sibi applicet dicatque pœnitens, et grata Deo anima : Nisi semen gratiæ et sanctarum inspirationum reliquisset Deus in me, periissem in peccatis meis, ut Sodoma.

Alii, ut Origenes et Photius apud Œcumenium, per « semen » hoc accipiunt Christum vel doctrinam Christi.

Quid ergo dicemus? quod Gentes, quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam : justitiam autem quæ ex fide est. Israel vero sectando legem justitiæ, in legem justitiæ non pervenit, — *q. d.* Judæi sectantes « legem justitiæ, » id est legem ipsorum opinione justificantem, « in legem justitiæ, » id est in legem vere justificantem, venerunt quidem, hoc est (per legem quasi radicem) venire cœperunt, sed non pervenerunt, *q. d.* Falsus est Israel putans se habere legem justitiæ, cum lex justitiæ non sit lex vetus, sed lex gratiæ.

30 et 31. QUID ERGO DICEMUS? QUOD GENTES, QUÆ NON SECTABANTUR JUSTITIAM, APPREHENDERUNT JUSTITIAM : JUSTITIAM AUTEM QUÆ EX FIDE EST. ISRAEL VERO SECTANDO LEGEM JUSTITIÆ, IN LEGEM JUSTITIÆ NON PERVENIT, — *q. d.* Judæi sectantes « legem justitiæ, » id est legem ipsorum opinione justificantem, « in legem justitiæ, » id est in legem vere justificantem, venerunt quidem, hoc est (per legem quasi radicem) venire cœperunt, sed non pervenerunt, *q. d.* Falsus est Israel putans se habere legem justitiæ, cum lex justitiæ non sit lex vetus, sed lex gratiæ.

Græca pro « non pervenit, » habent οὐκ ἔφθασε, id est proprie, *non antevertit, non prævenit*, scilicet Israel Gentes in acquirenda justitia.

Propria causa ob quam Judæi a justitia rejecti.

Nota : hic Apostolus post longam totius capitis disputationem resolvit quæstionem, et dat propriam causam cur rejecti sint Judæi a justitia et salute, Gentes vero ad eam sint assitæ et electæ : nimirum quia Judæi eam quæsierunt ubi non debebant, scilicet in operibus legis, non in fide Christi, ubi eam posuit Deus : hoc est enim quod subdit Apostolus.

32. QUARE? QUIA NON EX FIDE, SED QUASI EX OPERIBUS, — supple, justitiam quæsierunt Judæi; Gentes vero fidem Christi amplexæ sunt, et per hanc fidem quæsierunt et invenerunt veram justitiam. Hic versiculus cum sequenti diligentissime notandus et perpendendus est : directe enim solvit nodum Lxis et controversiæ Judæorum et Gentium.

(1) Aliis hic Isaias locus non est vaticinium de rebus Nov. Test., sed ab Apostolo positus ideo, quod satis declaret non esse quod Judæi tam jactarent Dei benevolentiam in omnes eos, qui se Judæos profiterentur; neque enim hos caros esse Deo universos, sed exosos potius et internecioni quasi datos, nisi proborum hominum pietas severitatem Dei quodammodo retardaret.

Τὸ quasi non est comparativum, sed assertivum.

Nota : Cum ait Paulus, « quasi ex operibus, » *τὸ quasi*, non est similitudinis, nec comparativum, sed assertivum. Adde τὸ *quasi* sonare præsumptionem vel fastum : præsumebant siquidem Judæi sibi propter opera legis deberi justitiam, sed falso.

Vers. 33. 33. Offenderunt enim in lapidem offensionis (in Christum), sicut scriptum est : Ecce pono in Sion lapidem offensionis, et petram scandali. — Citat Paulus *Isaiæ* XXVIII, 16 et VIII, 14. Cap. XXVIII, sic habet Isaias : « Ecce ego mittam in fundamentis Sion, » id est *Ecclesiæ*, quæ in Pentecoste cecidit in Sion, « lapidem angularem. » Cap. vero VIII, sic habet : « Timorem ejus (scilicet regis Syriæ Rasin) ne timeatis, neque paveatis : Dominum exercituum sanctificate (id est glorificate, sperando in eum, illique placendo et obediendo, sicque vobis eum conciliando) ; ipse (sit) pavor vester, et ipse terror vester (tum passive, quem ut terribilem revereamini ; tum active, qui faciat vos regi Syriæ et hostibus terribiles), et erit vobis in sanctificationem, » *q. d.* Dominus credentes et sperantes in se sanctificabit, et ut sanctos suos protegat, eritque eis quasi sanctuarium et asylum. Hoc enim significat Hebræum מקדש *micdas*. « Incredulis autem ex duabus domibus, » hoc est, *ex duobus regnis*, puta Juda et Israel, sive duarum et decem tribuum Israel, erit « in lapidem offensionis, » in quem impingant. Dicent enim : Deus noster non est tam potens et fortis, quam putabamus, non potest liberare nos, itaque ab hoste conteremur. Est metaphora ab iis sumpta, qui per viam incedentes, in lapides quos non vident, pedibus impingunt.

Vers. 33. Isaiæ explicatio et applicatio Instructa.

Allegoricus sensus hic a Paulo intentus.

Allegorice Apostolus hic hæc verba Isaiæ de Christo explicat. Nam Christus Judæis fuit lapis offensionis ; quia videntes Judæi Christi humilitatem, paupertatem, mortem, noluerunt eum agnoscere Messiam, offensi ejus abjectione ; exspectabant enim Messiam, quasi filium Davidis et Salomonis opulentum et magnificum, qui eadem pompa regali veniret et Judæos ditaret et bearet. Sed iste modus, utpote nimis carnalis, non placuit Deo. Hinc alium modum justificandi et salutis elegit, scilicet proponere Christum pauperem et crucifixum mediatorem, ut per eum justitiam et salutem speremus, cum mille alios modos eligere potuisset. Et sic originaliter et remote est electionis Dei, proxime vero et immediate est culpa Judæorum, quod ipsi sunt rejecti a justitia et salute. Sicut e contrario, obedientia et fides in Christum [illegible] lentibus causa est quod ipse sint acceptæ et electæ ad justitiam et salutem.

Lapis offensionis et petra scandali quomodo fuerit Judæis.

Nota : idem hic est « lapis offensionis, et petra scandali. » Augustinus tamen, *in Psal.* XLV, hæc duo distinguit : Christus, inquit, in vita fuit lapis offensionis, in quem sua incredulitate impegerunt Judæi ; post resurrectionem vero fuit eisdem petra scandali, quando ut gravis petra cecidit supra Judæos, eosque per Titum et Vespasianum contrivit.

Omnis qui credit in eum, non confundetur. — Citat Paulus *Isaiæ* XXVIII, 16, ubi pro « non confundetur, » interpres noster vertit, « non festinet, » scilicet fidelis, volens sibi statim Christum ab Isaia et Prophetis promissum exhiberi ; sed exspectet patienter, quia certissime ego Deus promissionem meam de Christo complebo. Septuaginta vero, et ex iis S. Petrus, I *epist.* II, 7, et Paulus hic vertunt, *non confundetur*, scilicet tum hic, tum in die judicii, *q. d.* Qui credit in Christum, non confundetur, non pudefiet, sua fide et spe non frustrabitur ; sed certo videbit et assequetur ea quæ de Christo credidit et speravit, scilicet justitiam et gratiam in hac vita, et salutem ac gloriam in futura. Hoc enim sensu dixit Apostolus cap. V, quod spes in Christum non confundat.

Fides et spes Christianæ animam firmiter erigunt.

Atque hoc idem est, quod significat Isaias dicens : « Qui crediderit in eum (Christum), non festinet, » *q. d.* Fidelis non discurrat huc illuc, ad quærendum et videndum Christum, uti solent discurrere homines anxii et metu trepidi. « Non festinet » ergo idem est ac si dicat, « non trepidet : » non enim confundetur, sed certo consequetur rem a se creditam et speratam. Itaque in verbo « festinet » est metalepsis. Simili modo loquitur Virgilius de apibus :

Ille intus trepidæ rerum per cerea castra
Discurrunt.

Qui enim trepidant, festinf huc illuc discurrunt, uti faciunt apes.

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Veram causam repulsæ Judæorum a justitia, quam capit dare cap. præced. vers. 30, puta Judæorum infidelitatem in Christum, hoc cap. persequitur et perurget Apostolus. Unde primo, usque ad vers. 12, justitiæ legis opponit et anteponit justitiam Dei, eamque situm esse docet in fide Christi.

Secundo, a vers. 12, ad finem ostendit Deum ad hanc fidem et justitiam vocasse, non solos Judæos, sed omnes Gentes, ac proinde eis prædicari debuisse Evangelium, idque probat testimonio Isaiæ, Davidis et Mosis.

Denique vers. ultimo, ex Isaia probat Deum vocare Judæos ad Christum, sed eos Christo nolle credere, eique contradicere.

1. Fratres, voluntas quidem cordis mei, et obsecratio ad Deum, fit pro illis in salutem. 2. Testimonium enim perhibeo illis quod æmulationem Dei habent, sed non secundum scientiam. 3. Ignorantes enim justitiam Dei, et suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti. 4. Finis enim legis, Christus ad justitiam omni credenti. 5. Moyses enim scripsit, quoniam justitiam, quæ ex lege est, qui fecerit homo, vivet in ea. 6. Quæ autem ex fide est justitia, sic dicit : Ne dixeris in corde tuo : Quis ascendet in cœlum? id est, Christum deducere. 7. Aut quis descendet in abyssum? hoc est, Christum a mortuis revocare. 8. Sed quid dicit Scriptura? Prope est verbum in ore tuo, et in corde tuo : hoc est verbum fidei, quod prædicamus. 9. Quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris. 10. Corde enim creditur ad justitiam : ore autem confessio fit ad salutem. 11. Dicit enim Scriptura : Omnis qui credit in illum, non confundetur. 12. Non enim est distinctio Judæi et Græci : nam idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum. 13. Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. 14. Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? 15. Quomodo vero prædicabunt nisi mittantur? sicut scriptum est : Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona! 16. Sed non omnes obediunt Evangelio. Isaias enim dicit : Domine, quis credidit auditui nostro? 17. Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi? 18. Sed dico : Numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum. 19. Sed dico : Numquid Israel non cognovit? Primus Moyses dicit : Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem : in gentem insipientem, in iram vos mittam. 20. Isaias autem audet, et dicit : Inventus sum a non quærentibus me : palam apparui iis, qui me non interrogabant. 21. Ad Israel autem dicit : Tota die expandi manus meas ad populum non credentem et contradicentem.

1. Fratres, voluntas quidem cordis mei, et obsecratio ad Deum, fit pro illis (Judæis) in salutem. — Pro *voluntas* græce est εὐδοκία, id est propensus animi affectus, et vehemens desiderium mihi est erga Judæos, ut salventur. Unde oro et obsecro pro illis, idque, ne putent ipsi hæc tristia de ipsorum repudio et repulsa a Christo me dixisse ex odio, sed potius ex commiseratione. Ita S. Chrysostomus, Theodoretus, Œcumenius.

2. Testimonium enim perhibeo illis, quod æmulationem Dei habent, sed non secundum scientiam, — verum secundum errorem, *q. d.* Judæi zelum errantem pro lege Mosaica tuenda habent, putantque se agi zelo Dei, sed errant ; quia vere contra Dei honorem et veritatem agunt, cum fidem et legem Christi, quæ vera est lex Dei, oppugnant.

Vers. 1. Judæorum erga Deum zelus.

3. Ignorantes enim justitiam Dei, et suam quæ- *Vers. 3.*

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Τὸ quasi non est comparativum, sed assertivum.

Nota : Cum ait Paulus, « quasi ex operibus, » *τὸ quasi*, non est similitudinis, nec comparativum, sed assertivum. Adde τὸ *quasi* sonare præsumptionem vel fastum : præsumebant siquidem Judæi sibi propter opera legis deberi justitiam, sed falso.

Vers. 33. 33. Offenderunt enim in lapidem offensionis (in Christum), sicut scriptum est : Ecce pono in Sion lapidem offensionis, et petram scandali. — Citat Paulus *Isaiæ* XXVIII, 16 et VIII, 14. Cap. XXVIII, sic habet Isaias : « Ecce ego mittam in fundamentis Sion, » id est *Ecclesiæ*, quæ in Pentecoste cecidit in Sion, « lapidem angularem. » Cap. vero VIII, sic habet : « Timorem ejus (scilicet regis Syriæ Rasin) ne timeatis, neque paveatis : Dominum exercituum sanctificate (id est glorificate, sperando in eum, illique placendo et obediendo, sicque vobis eum conciliando) ; ipse (sit) pavor vester, et ipse terror vester (tum passive, quem ut terribilem revereamini ; tum active, qui faciat vos regi Syriæ et hostibus terribiles), et erit vobis in sanctificationem, » *q. d.* Dominus credentes et sperantes in se sanctificabit, et ut sanctos suos protegat, eritque eis quasi sanctuarium et asylum. Hoc enim significat Hebræum מקדש *micdas*. « Incredulis autem ex duabus domibus, » hoc est, *ex duobus regnis*, puta Juda et Israel, sive duarum et decem tribuum Israel, erit « in lapidem offensionis, » in quem impingant. Dicent enim : Deus noster non est tam potens et fortis, quam putabamus, non potest liberare nos, itaque ab hoste conteremur. Est metaphora ab iis sumpta, qui per viam incedentes, in lapides quos non vident, pedibus impingunt.

Vers. 33. Isaiæ explicatio et applicatio Instructa.

Allegoricus sensus hic a Paulo intentus.

Allegorice Apostolus hic hæc verba Isaiæ de Christo explicat. Nam Christus Judæis fuit lapis offensionis ; quia videntes Judæi Christi humilitatem, paupertatem, mortem, noluerunt eum agnoscere Messiam, offensi ejus abjectione ; exspectabant enim Messiam, quasi filium Davidis et Salomonis opulentum et magnificum, qui eadem pompa regali veniret et Judæos ditaret et bearet. Sed iste modus, utpote nimis carnalis, non placuit Deo. Hinc alium modum justificandi et salutis elegit, scilicet proponere Christum pauperem et crucifixum mediatorem, ut per eum justitiam et salutem speremus, cum mille alios modos eligere potuisset. Et sic originaliter et remote est electionis Dei, proxime vero et immediate est culpa Judæorum, quod ipsi sunt rejecti a justitia et salute. Sicut e contrario, obedientia et fides in Christum [illegible] lentibus causa est quod ipse sint acceptæ et electæ ad justitiam et salutem.

Lapis offensionis et petra scandali quomodo fuerit Judæis.

Nota : idem hic est « lapis offensionis, et petra scandali. » Augustinus tamen, *in Psal.* XLV, hæc duo distinguit : Christus, inquit, in vita fuit lapis offensionis, in quem sua incredulitate impegerunt Judæi ; post resurrectionem vero fuit eisdem petra scandali, quando ut gravis petra cecidit supra Judæos, eosque per Titum et Vespasianum contrivit.

Omnis qui credit in eum, non confundetur. — Citat Paulus *Isaiæ* XXVIII, 16, ubi pro « non confundetur, » interpres noster vertit, « non festinet, » scilicet fidelis, volens sibi statim Christum ab Isaia et Prophetis promissum exhiberi ; sed exspectet patienter, quia certissime ego Deus promissionem meam de Christo complebo. Septuaginta vero, et ex iis S. Petrus, I *epist.* II, 7, et Paulus hic vertunt, *non confundetur*, scilicet tum hic, tum in die judicii, *q. d.* Qui credit in Christum, non confundetur, non pudefiet, sua fide et spe non frustrabitur ; sed certo videbit et assequetur ea quæ de Christo credidit et speravit, scilicet justitiam et gratiam in hac vita, et salutem ac gloriam in futura. Hoc enim sensu dixit Apostolus cap. V, quod spes in Christum non confundat.

Fides et spes Christianæ animam firmiter erigunt.

Atque hoc idem est, quod significat Isaias dicens : « Qui crediderit in eum (Christum), non festinet, » *q. d.* Fidelis non discurrat huc illuc, ad quærendum et videndum Christum, uti solent discurrere homines anxii et metu trepidi. « Non festinet » ergo idem est ac si dicat, « non trepidet : » non enim confundetur, sed certo consequetur rem a se creditam et speratam. Itaque in verbo « festinet » est metalepsis. Simili modo loquitur Virgilius de apibus :

Ille intus trepidæ rerum per cerea castra
Discurrunt.

Qui enim trepidant, festinf huc illuc discurrunt, uti faciunt apes.

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Veram causam repulsæ Judæorum a justitia, quam capit dare cap. præced. vers. 30, puta Judæorum infidelitatem in Christum, hoc cap. persequitur et perurget Apostolus. Unde primo, usque ad vers. 12, justitiæ legis opponit et anteponit justitiam Dei, eamque situm esse docet in fide Christi.

Secundo, a vers. 12, ad finem ostendit Deum ad hanc fidem et justitiam vocasse, non solos Judæos, sed omnes Gentes, ac proinde eis prædicari debuisse Evangelium, idque probat testimonio Isaiæ, Davidis et Mosis.

Denique vers. ultimo, ex Isaia probat Deum vocare Judæos ad Christum, sed eos Christo nolle credere, eique contradicere.

1. Fratres, voluntas quidem cordis mei, et obsecratio ad Deum, fit pro illis in salutem. 2. Testimonium enim perhibeo illis quod æmulationem Dei habent, sed non secundum scientiam. 3. Ignorantes enim justitiam Dei, et suam quærentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti. 4. Finis enim legis, Christus ad justitiam omni credenti. 5. Moyses enim scripsit, quoniam justitiam, quæ ex lege est, qui fecerit homo, vivet in ea. 6. Quæ autem ex fide est justitia, sic dicit : Ne dixeris in corde tuo : Quis ascendet in cœlum? id est, Christum deducere. 7. Aut quis descendet in abyssum? hoc est, Christum a mortuis revocare. 8. Sed quid dicit Scriptura? Prope est verbum in ore tuo, et in corde tuo : hoc est verbum fidei, quod prædicamus. 9. Quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris. 10. Corde enim creditur ad justitiam : ore autem confessio fit ad salutem. 11. Dicit enim Scriptura : Omnis qui credit in illum, non confundetur. 12. Non enim est distinctio Judæi et Græci : nam idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum. 13. Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. 14. Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? 15. Quomodo vero prædicabunt nisi mittantur? sicut scriptum est : Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona! 16. Sed non omnes obediunt Evangelio. Isaias enim dicit : Domine, quis credidit auditui nostro? 17. Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi? 18. Sed dico : Numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum. 19. Sed dico : Numquid Israel non cognovit? Primus Moyses dicit : Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem : in gentem insipientem, in iram vos mittam. 20. Isaias autem audet, et dicit : Inventus sum a non quærentibus me : palam apparui iis, qui me non interrogabant. 21. Ad Israel autem dicit : Tota die expandi manus meas ad populum non credentem et contradicentem.

1. Fratres, voluntas quidem cordis mei, et obsecratio ad Deum, fit pro illis (Judæis) in salutem. — Pro *voluntas* græce est εὐδοκία, id est propensus animi affectus, et vehemens desiderium mihi est erga Judæos, ut salventur. Unde oro et obsecro pro illis, idque, ne putent ipsi hæc tristia de ipsorum repudio et repulsa a Christo me dixisse ex odio, sed potius ex commiseratione. Ita S. Chrysostomus, Theodoretus, Œcumenius.

2. Testimonium enim perhibeo illis, quod æmulationem Dei habent, sed non secundum scientiam, — verum secundum errorem, *q. d.* Judæi zelum errantem pro lege Mosaica tuenda habent, putantque se agi zelo Dei, sed errant ; quia vere contra Dei honorem et veritatem agunt, cum fidem et legem Christi, quæ vera est lex Dei, oppugnant.

Vers. 1. Judæorum erga Deum zelus.

3. Ignorantes enim justitiam Dei, et suam quæ- *Vers. 3.*

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Vere judæi ceciderunt in veram hominis cum Deo.

RENTES STATUERE, JUSTITIÆ DEI NON SUNT SUBJECTI. — « Justitiam Dei » Paulus intelligit eam, quæ nos facit justos, non coram hominibus, sed coram Deo; quæ sita est in reconciliatione hominis cum Deo, per fidem Christi, sicuti Judæorum justitia sita erat in implemone legis coram hominibus. Unde eam Paulus vocat « justitiam suam, » id est ex suis et naturæ viribus et legis operibus partam : huic enim opponitur « justitia Dei, » id est a Deo et Dei gratia provenions. Pro « non sunt subjecti, » Græca clarius habent, οὐχ ὑπετάγησαν, non subdiderunt se illi, non obedierunt, *q. d.* Quia Judæi suam justitiam ex lege quæsierunt, hinc noluerunt se subdere fidei Christi, ac consequenter nec veræ justitiæ Dei. Hanc enim Deus in fide et obedientia Christi constituit. Unde sequitur :

Vers. 4. Christus ob quam fuit finis legis.

4. FINIS ENIM LEGIS (est) CHRISTUS, AD JUSTITIAM OMNI CREDENTI. — Quæres, quomodo finis legis sit Christus? Respondet *primo* S. Augustinus, quia Christus legis umbras implens eam terminavit et cessare fecit. Ita ipse lib. II *Contra advers. legis et Prophet.*, cap. VII, et S. Gregorius, hom. 16 *in Ezech.*

Secundo, Chrysostomus et Photius : « Finis, » inquiunt, id est perfectio et consummatio legis est Christus, quia quod lex non potuit, scilicet justum facere hominem, hoc fecit Christus. Hebræum enim כלה *cola*, perinde ut Græcum τέλος (id est finis) tam consummationem, quam consumptionem significat.

Tertio, Anselmus : « Finis, » inquit, id est perfectio, legis est Christus, quia scilicet sine fide Christi, lex perficiet et impleri non potuit, nec potest.

Quarto et aptissime, Theodoretus, « Finis, » id est, ut Syrus vertit, סכוה *sache*, hoc est *scopus* legis est Christus, quia tota lex ad Christum, quasi ad finem, terminum et scopum suum, refertur, tendit, ducit et vocat. Alludit hic eleganter et ingeniose Paulus in Hebræa voce תורה *tora*, id est lex, ad radicem ירה *tara*, id est jacere, sagittare, quasi lex sit sagitta, quæ collimat in Christum, quasi scopum suum, idque « ad justitiam omni credenti, » ut scilicet per fidem Christi omnes credentes in eum justitiam assequantur. Fidem hic intellige non nudam et solam, sed quæ se in proles spei, pœnitentiæ et bonorum operum, quasi mater fœcunda porrigit et extendit, vide *Cant.* 3.

Moraliter S. Augustinus, in *Sentent.*, num. 106 : « Finis, ait, fidelium Christus est, ad quem cum pervenerit currentis intentio, non habet quod possit amplius invenire, sed habet in quo debeat permanere. »

Vers. 5. Probatur Judæos non esse subjectos justitiæ Dei.

5. MOYSES ENIM SCRIPSIT (*Levit.* XVIII, 5), QUONIAM JUSTITIAM, QUÆ EX LEGE EST, QUI FECERIT HOMO, VIVET IN EA. — Probat hic Apostolus id quod dixit vers. 3, nimirum Judæos, eo quod suam ex lege justitiam velint statuere, justitiæ Dei, quæ sola vera est justitia, non esse subjectos. Probat autem idipsum ex eo, quod justitia ex lege plane diversa, imo adversa et opposita sit justitiæ Dei : tum quia hanc suam justitiam Deus constituit non in lege, sed in fide Christi; tum (quod proprie hic urget Apostolus) quia Moses justitiæ legali et justis secundum legem promisit tantum vitam temporalem : Deus vero justitiæ fidei, sive fidelibus suis justis promittit salutem et vitam æternam (1).

Nota : « Facere justitiam quæ ex lege est, » sive facere justitiam legalem, est facere et implere præcepta legis. Hæc enim præcepta sunt justitiæ legalis objectiva, id est sunt ipsum justum legale, sive justum et æquum, quod lex præscribit, quodque legaliter et civice observantem facit justum, ex eo, quod ipse se sum legi et regulæ conformet. Hanc ergo « justitiam » legalem « qui fecerit homo, vivet in ea : » vita nimirum spirituali, per justificationem, inquit S. Augustinus, *q. d.* Paulus : Atqui lex sine fide Christi impleri non potest; ergo tacite monet et indicat lex ipsa, ut Christi gratiam flagitemus : hanc enim subsumptionem intelligendam hic et supplendam relinquere Apostolum, censet S. Augustinus, lib. *De Spiritu et Littera*, cap. XXIX. Sic fere explicat quoque S. Chrysostomus et Œcumenius.

Verum aptius Theodoretus, Ambrosius, Anselmus sic explicant, *q. d.* Paulus : Qui fecerit justitiam legis, puta justum, quod lege præscriptum est, hic vivet in ea; hoc est, hic non punietur morte, quam lex transgressoribus sui sæpe intentat; vivetque vita temporali prospera, quam lex servantibus sa promittit, *Ezech.* XX, *Levit.* XVIII, supple hic alteram antitheseos partem, *q. d.* E contrario vero, qui fidem Christi amplexus fuerit, hic vivet vita justitiæ in hoc mundo, et in futuro vivet vita salutis, gloriæ et felicitatis æternæ. Hanc enim antithesim tacite Paulus significat hic et vers. 9.

6 et 7. NE DIXERIS IN CORDE TUO : QUIS ASCENDET IN CŒLUM? ID EST CHRISTUM DEDUCERE : AUT QUIS DESCENDET IN ABYSSUM? HOC EST CHRISTUM A MORTUIS REVOCARE. — Nota : Τὸ *id est*, vel ; ut græce est, τοῦτʼ ἔστι, hoc est, hoc significat, explicat verba *Deuter.* XXX, 14, per significationem allegoricam, uti mox explanabo, *q. d.* Moses dixit : « Quis ascendet in cœlum? » quod allegorice significat : Quis ascendet in cœlum, Christum deducere? id est, ut e cœlo Christum deducat? « Quis descendet in abyssum? » quod allegorice significat : Quis descendet in abyssum, Christum a mortuis revocare? id est, ut Christum a mortuis revocet? Subaudit enim Paulus (in sua allegoriæ Mosis explicatione, quam subdit post, *id est*, et legenti repetendum relinquit « *quis descendet*, et *quis ascendet?* Sic enim explenda est hæc ejus sententia : Quis ascendet in cœlum? id est quis ascendet in cœlum, Christum deducere? Quis descendet in abyssum? id est quis descendet in abyssum, Christum a mortuis revocare?

(1) Videtur in his verbis esse objectio Judæi, provocantis ad Mosen ipsum : Nonne vero ipse Moses dicit, observatione legis vivere, seu salvari homines? Respondet Paulus, vers. 6-11, hoc esse quidem veram quamdiu valebat legum Mosaicarum auctoritas, sed nunc ostendi facilliorem viam ad salutem perveniendi. Bene tamen cohærent omnia, si verba hæc Pauli esse dicamus, ex adversarii.

Unde clare Syrus vertit : *Quis scandit cælos, et Meschicho*, id est Christum Messiam, *deduxit? Quis descendit in abyssum inferorum, et eduxit Meschicho ex mortuis?* Ubi nota, recte et clare Syrus vertit infinitivos Apostoli per præterita, quia infinitivus Hebræus ponitur vice omnium temporum. Sensus ergo est : Ne dicas, ad cerlitudinem fidei et ad justificationem opus est Christo præsente, ut eum videamus, ejusque aspectu et præsentia sanemur et justificemur; itaque ipse vel cœlo, vel inferno revocandus est. Non pules hoc a te peti : propinquus enim et facilis justificationis jam modus est, si in Christum credas mortuum et resuscitatum, licet absentem; et corde ac ore idipsum profitearis, *q. d.* Ne dicas, o Judæe, legi assuete : lex Mosi nobis vicina est, et plana : fides et justitia Christi salutem quidem promittit, sed obscura est et remota; nam erras et falleris, non enim ita se res habet, quia, ut sequitur (1):

Non opus est Christo ipso præsente ad justificationem.

Vers. 8.

8. PROPE EST VERBUM (justitiæ et salutis) IN ORE TUO, ET IN CORDE TUO : HOC EST VERBUM FIDEI, QUOD PRÆDICAMUS. — Idque clarius verbis proxime sequentibus explicat Paulus. Hunc genuinum hujus loci esse sensum patet tum ex anteced. et *seq.*, tum ex ipsis verbis Mosis, *Deuter.* XXX, 12, quæ hic citat Paulus, quæque paulo post hic transcribam.

Parenthesis hic, et digressio in Paulo.

Nota : Apostolus copia et vehementia sapientiæ ac spiritus quasi abreptus, et in omnes partes esse versans, ut Judæis fidem Christi persuadeat, eorum objectiones et difficultates discutiat et dispellat, parenthesim hanc interserit more suo, ut dixi *Cap.* 38; nam antithesin versus præced. de justitia Dei opposita justitiæ legis, infra demum vers. 9 ponit et explet.

Chrysostomi et Vatablí opinio exacte et legaliter.

Aliter Chrysostomus hoc explicat, *q. d.* « Ne dixeris, » id est ne incredibilis tibi videatur incarnatio et resurrectio Christi, et, ut ait Theodoretus, ne sis animis curiosus in iis scrutandis. Unde et Anselmus sic explicat : Ne dicas : Nemo in cœlum ascendit, quia hoc est negare Christum ascendisse. Nec dicas neminem descendisse ad inferos, quia hoc est revocare Christum ab inferis, id est negare eum passum esse et descendisse ad inferos. Sic fere et Vatablus : Ne dicas, inquit, o Judæe incredule : Quis ascendet in cœlum, hoc est Christum ex alto deducere? *q. d.* Dicere, Quis ascendet in cœlum? est velle Christum e cœlo in terram evocare, et affirmare eum nondum ad nos descendisse. Quis descendet in abyssum, ut inde afferat ad nos Evangelium? id est Christum, est mortuis revocare, *q. d.* Dicere, Quis descendet in abyssum? est affirmare Christum a morte et inferno, in quem moriens descendit, nondum resurrexisse. Sed hæc omnia coactora sunt et implicatora.

Calvini et Beæ explicatio.

Longe coactius hæc torquent Beza et Calvinus, cum sic explicant : Ne dicas : Quomodo justificabor, ut ascendam in cœlum, evadam infernum? quia Christus in cœlum cuscendit, ut tibi viam sterneret eo ascendendi; atque descendit ad inferos, ut te inde liberaret. Hic enim sensus everti verba Apostoli et Mosis. Illud enim, *quis descendet*, ut alia taceam, optantis est et ambientis, non fugientis, æque ut *ei quis ascendat*. Primus ergo sensus planissimus est et aptissimus. Citat hic Paulus *Deuter.* XXX, 13. Ubi nota : Pro « quis descendet in abyssum? » Moses habet, « quis transfretabit mare? » quia Paulus non tam citat litterum et verba Mosis, quam allegorice tantum alludit ad dicta Mosis : unde non per omnia verbum verbo reddit. Hinc nota *secundo* : Licet Cajetanus, Adamus, Pererius, Toletus putent Mosem ad litteram loqui de Christo et Christi justitia; referunt enim hæc ejus verba ad pœnitentiam, de qua eodem cap. egerat Moses, vers. 4 : pœnitentia enim et dilectio Dei, ac consequenter peccatorum venia, ipsaque justitia sine fide Christi haberi non potest : tamen longe planius est, ut non litteraliter, sed allegorice tantum alludat Apostolus ad Mosen. Moses enim ad litteram, sive in sensu litterali loquitur non de Christo ejusque Evangelio, sed de lege data Judæis, ut patet eum infuenti. Ita Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Œcumenius, Abulensis, Soto.

Deut. cap. XXX illustratum.

Idque rursum patet ex eo quod ibidem subdit Moses : « Considera quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam et bonum, et e contrario mortem et malum; ut diligas Dominum, etc., benedicatque tibi in terra, ad quam ingrederis possidendam; » quæ verba Mosem ad Judæos suos loqui clarissimum est. Quæ ergo hisce verbis Moses præmittit, dicens : « Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum; nec in cœlo situm, ut possis dicere : Quis nostrum valet ad cœlum ascendere, ut deferat illud ad nos, ut audiamus atque opere compleamus? neque trans mare positum, ut causeris, et dicas : Quis ex nobis poterit transfretare mare, et illud ad nos usque deferre, ut possimus audire et facere quod præceptum est? Sed juxta te est sermo valde in ore tuo, et in corde tuo, » id est habes legem ad manum, ut in corde, id est memoria et mente, eam rumines et ore proloquaris : hæc, inquam, verba æque ac sequentia Mosen ad suos Judæos litteraliter loqui plane certum, evidens et manifestum est : ita tamen ut eadem hæc ejus verba allegorice Evangelio ejusque catechumenis et fi-

Loquitur Moses ad suos Judæos cap. XXX Deut.

(1) Sensus commatum 6 et 7 est hic : Quod Moses de sua lege affirmavit, scil. eam non esse acquisitu difficilem, ut ad eam tuendam opus sit peregrinatione in diseitas terrarum regiones, hoc majori jure valere ait Paulus de Evangelio et fide in Christum, per quam salvandi sumus homines.

delibus optime conveniant. Æque enim, imo magis ad manum est omnibus jam Evangelium et fides Christi, quam olim fuerit lex Mosis : ita ut fidem hanc omnes facillime corde, id est mente, complecti, et ore proloqui, itaque justificari et salvari possint. Unde sequitur :

9. SI CONFITEARIS IN ORE TUO DOMINUM JESUM, ET IN CORDE TUO CREDIDERIS QUOD DEUS ILLUM SUSCITAVIT A MORTUIS, SALVUS ERIS : — « salvus eris, » scilicet a peccato, et consequenter a morte ac damnatione, per beatam et gloriosam eum Christo resurrectionem. Sive, « salvus eris » hic inchoate per justificationem, complete vero salvus eris in cœlo per glorificationem. Hæc enim est duplex salus, quam Christus nobis attulit. Hinc patet, fidem justificantem non esse specialem, qua credam mihi in particulari remissa esse per Christum peccata. Apostolus enim non docet, illud esse objectum fidei, esseque credendum, sed hoc, quod scilicet Christus resurrexit a mortuis.

Duplex salus a Christo nobis allata.

Non tantum fides resurrectionis Christi mihi peculiaris, sed omnibus alias necessaria.

Nota : Ut quis justificetur, non solam Christi resurrectionem, sed plura alia debet credere de Patre, de Spiritu Sancto et de ipso Christo, scilicet, quod ipse pro nobis sit factus homo, quod sit crucifixus, quod descenderit ad inferos, quod sit Filius Dei, redemptor, etc. Apostolus tamen solum hic ponit resurrectionis Christi articulum, quia ille quasi terminus cæteros præsupponit et complectitur, et difficillime a Judæis, qui Christum occiderant, credebatur; quem si crederent, factum suum ipsi retractarent, pœniterent, et omnia de Christo credenda crederent. Vides ergo Apostolum eum uni rei salutem nostrum tribuit, alias res æque necessarias ad justitiam et salutem non excludere : sic, nimirum, cum ipsa fidei justitiam tribuit, non excludit spem, timorem, pœnitentiam, charitatem. Vide *Can.* 3.

10. CORDE CREDITUR AD JUSTITIAM, ORE AUTEM CONFESSIO FIT AD SALUTEM. — *q. d.* Fides cordis valet et necessaria est ad acquirendam justitiam; professio vero fidei, quæ fit ore, valet et necessaria est ad justitiam hanc conservandam et augendam, et consequenter ad salutem æternam promerendam et consequendam.

Ad fidem necessario est assensus voluntatis.

Nota : *in corde*, id est mente et voluntate : licet enim fides sit actus intellectus, tamen ob ejus inevidentiam actusque difficultatem, necessarius est concursus et imperium piæ voluntatis, quæ intellectui imperet, ut tam obscura et difficilia credat; eoque actus hic fit liber et meritorius. Cor ergo hic et voluntatem et intellectum significat. Sic cor pro mente et intellectu capitur *Eccli.* cap. XXI, vers. 29 : « in ore fatuorum, cor illorum; et in corde sapientium, os illorum. » Et *Osee* VII, 11 : « Factus est Ephraim quasi columba seducta, non habens cor. » Sic dicitur :

Cor sapit, et palmo loquitur, fel commovet iram,
Splen ridere facit, cogit amare jecur.

Veteres enim putabant, mentis et sapientiæ sedem, aut certe fontem esse in corde; uti est iræ in felle, amoris in jecore.

Ut non pro sedes sapientiæ cordis accipiatur.

Hinc patet necessitas bonorum operum. Apostolus enim non solam fidem, sed etiam professionem fidei (quæ utique heroicum est fortitudinis et pietatis opus) quasi ad salutem necessariam, hoc loco requirit. Hoc telum et argumentum ut defugeret quidam Illyricanus in colloquio Altenburgensi, hanc Apostoli sententiam ita vertit, *Ore confessio fit de salute*; sed imperite et inepte. Sicut enim corde creditur non de justitia, sed ad justitiam : sic et ore confessio fit non de salute, sed ad salutem; hoc enim exigit antithesis Apostoli, et hoc significat Græcum εἰς, scilicet, *in*, vel *ad*, non autem, *de*.

Pertorta hic hæreticorum perversitas et impudentia.

Secunda, hanc versionem repugnare Apostolo, patet ex voce *enim*, quæ dat causam præcedentium, cur scilicet dixerit : « Si confiteris in ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo credideris, salvus eris. » Hujus enim sui dicti rationem et causam Apostolus mox subdit dicens : « Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. » Ex hac enim propositione recte sequitur : ergo si corde credideris et ore confiteris, salvus eris. » Quis non videt hic utrobique tam in antecedente, quam in consequente salutem non soli fidei, sed etiam professioni fidei tribui, ipsamque æque ac fidem salvare, et salvos nos facere.

Nota *secundo* : Hanc propositionem Apostoli licet invertere et transponere hoc modo : « Corde etiam creditur ad salutem, et ore quoque confessio fit ad justitiam; » antequam enim quis adultus baptizetur et justificetur, ore profiteri debet fidem Christi. Aptius tamen Apostolus fidei cordis tribuit justitiam, professioni vero oris salutem : quia fides et pœnitentiæ propriæ respondet justificatio, professioni vero salus, uti patet in Martyribus, qui per fidei professionem, salutem et gloriam æternam adepti sunt. Adde, Apostolus justitiam et salutem fere pro eodem accipit. Est enim justitia satis inchoata, et salus est justitia completa; suntque hæc duo connexa : justitia enim justum perducit ad salutem. Unum ergo sub alio intelligit Apostolus, ut patet ex sequentibus. Sic cap. seq. vers. 5, ait reliquias Israel salvas factas, id est justificatas esse. Denique hinc S. Augustinus, lib. 1 *De Fide et Symbolo*, docet fidem exigere officium non tantum cordis, sed et linguæ, scilicet fidei professionem.

Fides cordis justificat, professio oris salutem tribuit.

Ita S. Gordius martyr, cum ob fidem Christi damnatus esset ad rogum, multique ei condolentes flerent, dixit : « Nolite flere super me, sed super inimicos Dei, qui ignem nobis parant, sed sibimet gehennæ incendia thesaurizant. Ego pro nomine Domini mille mortes, si necesse sit, subire paratus sum. » Cumque alii instarent, ut Christum ore saltem negaret, corde retineret : « Lingua, inquit, quam Christi beneficio retineo, adduci non potest, ut auctorem suum neget. Corde credimus ad justitiam, ore ad salutem confitemur. » Ergo vultu alacri in ignis supplicium volens se immisit. Testis est S. Basilius, serm. *De Gordio Martyre*.

Sic Eleazarus sub Antiocho jussus porcinam contra legem comedere, cum amici aliam carnem ei afferrent, ut simularet eam esse porcinam, eamque comedens mortem evaderet : « Non, inquit, ætati nostræ dignum est fingere, ut multi adolescentes propter meam simulationem decipiantur. Nam etsi in præsenti tempore suppliciis hominum eripiar, sed manum Omnipotentis nec vivus, nec defunctus effugiam. Quamobrem fortiter vita excedendo, senectute quidem dignus apparebo; adolescentibus autem exemplum forte relinquam, si prompto animo ac fortiter pro gravissimis ac sanctissimis legibus honesta morte perfungar, » II *Machab.* VI, 24.

Vers. 11. 11. DICIT SCRIPTURA (*Isaiæ* XXVIII, 16) : OMNIS QUI CREDIT IN ILLUM, NON CONFUNDETUR, — non pudefiet, non frustrabitur sua fide et spe, sed justitiam et salutem speratam omnino assequetur. Hebræum est לֹא יחיש *lo iachis*, id est *non festinabit*, hoc est *non confundetur* : pudibundi enim dum confunduntur, festinant ut abeant, seque abscondant præ pudore. Forte pro *lo iachis*, Septuaginta legerunt יבוש לא *lo iabos*, id est *non confundetur*. Hic clarum est sub fide professionem quoque fidei, ac consequenter bona opera intelligenda esse. Vult enim probare Apostolus id quod dixit, scilicet : « Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. » Id probat ex Isaia, qui dicit : « Omnis qui credit in illum (Christum), non confundetur. » Ergo cum ait : « Omnis qui credit, » subaudi, et qui ore profitetur, quisque obedit Christo, hic non confundetur, sed salvus erit. Tam enim Apostolo hic probandum est, professionem fidei, quam fidem ipsam requiri ad justitiam et salutem. Sic vulgo dicimus, si credideris huic advocato, causam obtinebis : si credideris, id est si illi obedieris, si ejus consilium secutus et executus fueris. Vide *Can.* 3 et 4.

Sub fide professionis fidei, et bona opera intelligenda.

Vers. 12. 12. NON EST DISTINCTIO JUDÆI ET GRÆCI. — Urget Apostolus in verbis Isaiæ vocem *omnis*, *q. d.* Omnis sive Judæus, sive Græcus, qui credit in Christum, hic salvus erit. Deus enim in negotio justitiæ et salutis non distinguit, non curat, an Judæus sis, an Græcus, id est Gentilis. Dicit hoc contra Judæos, qui sibi solis justitiam, curam et amicitiam Dei arrogabant. Transit ergo hic Apostolus a priori capitis parte (qua hucusque probavit veram justitiam consistere in fide et obedientia Christi, ideoque Judæos Christo incredulos a justitia excidisse) ad alteram partem, qua probat Gentium vocationem. Sanxit enim decretumque Deus, ut Gentes fideles Judæis incredulis exclusis succederent in Dei Ecclesia, justitia et salute.

Transit Apostolus a priori, et parte ad alteram probare, ex Gentium vocatione.

Vers. 13. 13. IDEM EST DOMINUS OMNIUM, DIVES IN OMNES QUI INVOCANT ILLUM. — « Dives, » id est affluens, liberalis, munificus, et copiose suas gratias suaque dona elargiens. Est metalepsis.

QUICUMQUE INVOCAVERIT NOMEN DOMINI, SALVUS ERIT. — Vides salutem, quam vers. 11 tribuit fidei, hic tribui invocationi Dei. Quicumque ergo invocaverit Deum prout oportet, scilicet cum debita fide, spe, contritione et charitate, hic salvus erit. Alioqui enim certum est Turcas, hæreticos et improbos Christianos, etiamsi Deum invocent, non salvandos, sed damnandos esse. Porro hanc sententiam citat Paulus ex *Joele*, II, 32.

Invocatio Dei hic opponitur fidei.

Nota : Apostolus hic opponit Dei invocationem fidei internæ. Unde sub invocatione professionem, gratiarum actionem, laudem, votum, sacrificium, juramentum omnemque externum cultum Dei intelligit : sicut eumdem intelligit nomine juramenti, *Psal.* LXII, 12 et alibi. Est synecdoche.

14. QUOMODO ERGO INVOCABUNT, IN QUEM NON CREDIDERUNT. — Torquent hæc Novantes contra invocationem Sanctorum : Si, inquiunt, in Sanctos non credimus, sed in Deum, quomodo eos invocabimus? Respondeo : Vox *ergo* significat hanc sententiam referri et inferri ex præcedenti sermone Joelis, qui habet : « Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit. » Hic ergo repetendum est τὸ *nomen Domini*, hoc modo : « Quomodo invocabunt nomen Domini, in quem non crediderunt? » *q. d.* Quomodo invocabunt Deum, quasi Dominum et auctorem salutis omnisque boni, in quem non credunt? Sic enim solus Deus invocatur a fidelibus in Ecclesia, scilicet quasi Dominus et auctor salutis eorum. Nam alioquin etiam τὸ *invocari* hominibus tribui, cum eorum opem imploramus, patet *Isaiæ* XXXIV, 12; *Osee* VII, 11. Et sic Sanctos invocamus, non quasi auctores, sed quasi opitulatores et intercessores nostros apud Deum (1).

Vers. 14. Novantes hinc locum torquent contra invocationem Sanctorum.

Differentia invocationis Dei et Sanctorum.

QUOMODO ERGO? — *q. d.* Si non solis Judæis, sed omnibus sine discrimine Gentibus Deum invocantibus a Deo promissa est justitia et salus : ergo necessaria est omnibus fides, et fidei prædicatio. Nemo enim potest invocare Deum et Christum, in quem non credit. Nemo autem credere potest, nisi ei annuntietur et prædicetur quid credendum sit, quidque credi velit et jubeat Deus. Sensim enim et gradatim eo tendit Apostolus, ut ostendat, non solis Judæis, sed et quibusvis Gentibus (Deo ita ordinante) prædicandum esse Evangelium, ut non mirentur Judæi, si ipse Paulus non Judæorum, sed Gentium sit Apostolus, prædicator et doctor.

(1) Infert Apostolus ex vers. 13 recte Evangelium prædicari et Judæis et Gentilibus. Deus enim omnibus suis piis cultoribus promisit salutem, sive nationes sint Judæi, sive Gentiles; ergo etiam omnibus, non habita generis natione, offerenda est salus, quod fit prædicatione Evangelii. Eleganti sorite utitur Apostolus, ab effectis ad causas progrediente, ad confirmandam sententiam.

Nota : Apostolus hanc interrogationem educit quasi consequentiam ex versu præced. Ibi enim dixit : « Omnis quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit ; » ex illa propositione hic infert : « Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? » *q. d.* Si, ut salvi sint homines, debent invocare Deum Salvatorem, ergo prius in eum credere eumque agnoscere debent, tanquam suum salvatorem. Nemo enim invocat eum, in quem non credit, quem non agnoscit, utpote a quo nihil opis vel auxilii sperat.

Interrogatio ergo hæc : « Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? » resolvenda est in negationem hoc modo, *q. d.* Ergo necesse est credere in Deum, ut eum invocent, quia nemo potest invocare Deum, in quem non credit. Si ergo generalis est, omnibusque Gentibus communis hæc Dei invocatio, erit pariter illsdem et fides reliquæ prædicatio communis. Destruit hic Paulus errorem Judæorum, qui uti sibi solis justitiam, ita et fidem et prædicationem Evangelii arrogabant. Contrarium enim hic ipse docet, nimirum omnibus Gentibus prædicandum esse Evangelium, ut credant et justificentur ac salventur ; « quia Deus dives est in omnes qui invocant illum : » si in omnes, ergo tam in Gentes quam in Judæos.

Interro-gatio hæc Pauli re-solvenda in negationem.

Vers. 15. Probat Deum velle et omnibus gentibus præbu-isse Evan-gelium.

15. QUOMODO CREDENT EI QUEM NON AUDIERUNT? QUOMODO AUTEM AUDIENT SINE PRÆDICANTE? QUOMODO VERO PRÆDICABUNT, NISI MITTANTUR? — Est climax, sive elegans et nervosa gradatio, qua ex eo quod Deus per Joelem omnibus se invocantibus salutem promiserit, colligit Apostolus omnibus Gentibus prædicandum esse Evangelium. Probat autem sic : Deus est dives in omnes, vultque omnes salvare ; atqui salvari non possunt nisi Deum invocent, invocare non possunt nisi in eum credant, credere non possunt nisi ejus præcones audiant, audire non possunt nisi præcones prædicent, prædicare hi non possunt nisi mittantur ; ergo a primo ad ultimum colligendum est, quod Deus qui vult omnium Gentium salutem, voluerit et decreverit mittere præcones suos, puta Apostolos, ad omnes Gentes, ut eis prædicent Evangelium, per quod ipsæ credant, justificentur et salventur.

Non ad regum aut civi-lium ma-gistra-tuum in-stitutum prædica-tores.

Nota τὸ *quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* utique non a rege aut civili magistratu, sed a Deo, qui ministros suos mittit, ut vocet homines ad fidem, justitiam et regnum suum ; hoc enim solius est Dei. Hinc patet neminem esse audiendum, nisi legitime mittatur ad prædicandum a Deo, ut satis patet ex Isaia, quem citat hic Apostolus. A Deo, inquam, vel proxime et immediate, et tunc opus est miraculis, vel signis supernaturalibus, quibus is qui mittitur, hominibus probet se mitti a Deo ; vel mediate, ut nimirum mittatur a Christi vicariis et successoribus, scilicet Pontificibus et Episcopis, uti ordinarie fit ex institutione Christi. Vide dicta cap. I, vers. 1.

Nota *secundo* : Pulchre hic Paulus describit ordinem justificationis, sive ordinem rerum, quibus pervenitur ad justitiam et salutem. In hoc enim ordine *primo*, est missio prædicantium ; *secundo*, ipsa Evangelii prædicatio ; *tertio*, audientium fides ; *quarto*, eorumdem invocatio et cultus Dei ; *quinto*, salus, tum præsens, scilicet justificatio a morbo peccati, tum futura, scilicet liberatio a morte et corruptione per gloriam cœlestem.

Ordo justificationis et re-rum, quibus pervenitur ad justitiam et salutem.

SICUT SCRIPTUM EST (*Isaiæ* LII, 7) : QUAM SPECIOSI PEDES EVANGELIZANTIUM PACEM, EVANGELIZANTIUM BONA ! — Sensus est : quam pulcher, suavis et gratus erit adventus et discursus annuntiantium Evangelium, ejusque bona et læta nuntia, scilicet pacem cum Deo, gratiam, justitiam et salutem ! seu : quam grati et accepti erunt auditoribus suis Apostoli, hæc bona hominibus per totum orbem annuntiantes et evangelizantes ! Est synecdoche ; pes enim pro homine ponitur : pedes ergo evangelizantium sunt homines, puta Apostoli discurrentes et evangelizantes per totum orbem.

Ex versione Septuaginta hic illustratus.

Notat pulchre Toletus Apostolorum pedes posse laudari, *primo*, a velocitate, qua celerrime discurrerunt per totum orbem ; *secundo*, a fortitudine ; *tertio*, a munditia ; sed *quarto* et maxime a specie ; quia non armis, non minis, sed specie et pulchritudine, id est suavitate sanctissimæ vitæ et doctrinæ, efficaciter hominum mentes ad fidem traxerint, quin et reges, philosophos et barbaros, hominesque sceleratissimos converterunt, idque toto mundo et brevissimo tempore, quod ingentis miraculi instar est. Species ergo hæc pedum significat splendorem sapientiæ, doctrinæ, virtutis et pietatis Apostolorum. Et hujus rei symbolo docet Origenes Christum lavisse pedes Apostolorum in ultima cœna, tumque impleri cœpisse hoc Isaiæ vaticinium.

A. שׁוּב huic capi-tulum po-suit in-dex Apo-stolorum.

Nota : In Isaia pro *quam speciosi*, hebraice est מָה נָּאוּ *ma nava* : quod Toletus et aliqui alii vertunt, *quam desiderabiles et concupiscibiles sunt pedes evangelizantium !* ut יָפוּ *navu* sit *niphal* a radice אוה *ava*, id est affectavit, desideravit, concupivit. Verum doctiores Hebræi censent יָפוּ נָאוּ *navu* non esse *niphal*, sed *cal* ; idque ita esse patet ex eo, quod littera *nun* in *navu* habeat *camets*, uti verba in *cal* habent. Si enim esset *niphal*, deberet habere *chiric* vel *patach*. Rursum id patet ex Septuaginta, S. Hieronymo, Pagnino, Aria et aliis passim qui vertunt, *quam pulchri et speciosi pedes!* Radix ergo נָאוּ *navu* est נאר *nava*, quæ uti litteris, ita et significatione affinis est, et alludit ad radicem אוה *ava*. Sicut enim *ava* significat desiderare et concupiscere, ita *nava* significat esse amœnum, jucundum, decorum, formosum, pulchrum, volupe, gratiosum, quodque invitat et adblanditur, allubescit et incitat ad concupiscendum ; ac proinde *nava* recipit sæpe litteram *aleph*, ut significetur ista relatio et mutua benevolentia, qua res pulchra et amœna excitat sui cupidinem et desiderium, ac vicissim cupido et desiderium fertur et rapitur in rem pulchram et amœnam.

Nota Hebraeum apud Sanctium et alios.

Quales Apostolorum pedes.

Tales ergo fuerunt pedes Apostolorum, ipsique Apostoli, qui sua gratia, decore et venustate eloquii ac morum mundo fuerunt grati, accepti, concupiti et desiderati, omnesque in sui et Christi amorem et reverentiam rapuerunt.

Septuaginta, pro *quam speciosi*, vertunt ὡς ὥρα, id est *sicut hora super montes, pedes annuntiantis auditum*. Vocabulo ὥρα, ait S. Hieronymus, significatur tempus, pulchritudo, cura, sollicitudo evangelizantium. Unde Tertullianus, lib. IV *Contra Marcion.*, cap. XIII, legit : « Adsum dum hora est, in montibus, ut evangelizans auditionem pacis. » Idem vero, lib. V *Contra Marcion.*, cap. II, legit, « quam tempestivi pedes evangelizantium pacem ! » S. Cyrillus, ὥρα accipit pro vere, *q. d.* Sicut ver, quod post hiemem pura luce fulget super montes, homines exhilarat, omnes agros et montes versicoloribus complet floribus, et facit omnia vernantia mira amœnitate ; sic Christi et Apostolorum adventus omnia fecit vernare et florere cœlestibus virtutibus et ornamentis. Ita Cyrillus. Unde S. Ambrosius, epist. 11 *ad Irenæum*, secundum Septuaginta legit, *tanquam maturitas in montibus*, atque sic explicat : « Christus nobis, inquit, tanquam maturitas advenit, ut nihil acerbum, nihil immaturum in nostris consiliis sit, nihil immite, nihil asperum in operibus ac moribus. » Et Tertullianus, lib. V *Contra Marcion.*, cap. V, legit, « quam maturi pedes evangelizantium bona! »

Codices Septuaginta-plicatorum rapti sunt hoc loco.

Verum mihi omnino verisimile est, jam olim corruptos esse codices Septuaginta ; videntur enim ipsi pro ὡς ὥρα, uti corrupte jam legimus, vertisse ὡς ὡραῖα, *quam speciosi*. Sic enim habent Hebræa, et S. Paulus hic, qui sequi solet Septuaginta. Hujus quoque rei indicium est, quod Tertullianus alias legat, *dum hora est* ; alias, *quam tempestivi*, vel, *quam maturi pedes*. Ubi satis insinuat quædam exemplaria Græca legisse ὡς ὡραῖα, quædam ὡς ὥρα, indeque ipse falsus est, putans ὡραῖα ab ὥρα deductum et corruptum esse, ac significare tempestivos, vel maturos, cum significet speciosos et pulchros, ut patet ex Hebræo.

16. SED NON OMNES OBEDIUNT EVANGELIO. — Occurrit Paulus objectioni. Dicet enim quis Judæus : Si tam speciosi sunt pedes et voces Apostolorum, cur tam multi eis non credunt, cur Judæi plerique eos explodunt? Respondet Paulus ; causam esse, quod multi suis vitiis, aut suo judaismo affixi, nolint credere et obedire Evangelio, ideoque oculos, aures et animum avertant ab hac specie et pulchritudine Evangelii et evangelizantium.

Ratio ob quam pauci Judæi credi-derint.

ISAIAS ENIM DICIT. — Probat hic Paulus non omnes credere Evangelio, ex Isaia, qui cap. LIII, vers. 1, dicit : « Domine, quis credidit auditui nostro? » *q. d.* Domine, quam pauci crediderunt nostræ prædicationi !

Nota : Τὸ *enim* significat hic causam non rei, sed sermonis, sive propositionis. Dat enim causam non incredulitatis et inobedientiæ Judæorum, sed veritatis et certitudinis propositionis, sive cur hæc propositio et assertio Pauli, « non omnes obediant Evangelio, » sit vera, certa et infallibilis. Prædictio enim Isaiæ, qua inobedientiam et incredulitatem Judæorum prædixit, non fuit causa hujus inobedientiæ et incredulitatis ; sed fuit causa cur hæc propositio vere et certo asseri possit, nimirum quod Judæi sint increduli et inobedientes. Hoc enim prædixit Isaias, vel potius Spiritus Sanctus, qui falli aut fallere nequit. Simile est, si dicam : Ille homo est homicida, nam idipsum testantur Petrus et Paulus ; hoc enim testimonium non est causa cur hic homo sit, sed cur vere asseri et vocari possit homicida.

Isaias explicatus et illustratus.

DOMINE, QUIS CREDIDIT AUDITUI NOSTRO? — hoc est, sermoni nostro, quem scilicet nos Apostoli a Deo et Christo audivimus : ita Ambrosius ; aut potius, ut Chrysostomus, quem ipsi a nobis evangelizantibus audierunt : sequitur enim, « ergo fides ex auditu. » Loquitur Isaias in persona Apostolorum, *q. d.* Pauci admodum ex Judæis crediderunt nostro sermoni nostræque evangelizationi. Est hebraismus ; שְׁמוּעָה *schemua* enim, id est *auditus*, ponitur pro prædicatione, quæ auditur, tanquam actus pro suo objecto. Vide *Can.* 30.

Vers. 17. Fides ex auditu et prædica-tione.

17. ERGO FIDES EX AUDITU : AUDITUS AUTEM PER VERBUM CHRISTI. — Infert Paulus ex verbis Isaiæ citatis suam propositionem, quam proposuit vers. 14, scilicet neminem posse fide credere, nisi prius id quod credendum est sibi proponi et prædicari audiat. Hoc probat ex Isaia, qui ait : « Domine, quis credidit auditui nostro? » Inde enim sequitur, quod fides qua credimus Christo et Evangelio, sit ex auditu : auditus autem sit « per verbum Christi, » puta per prædicationem Apostolorum, qui quasi legati missi a Christo, ejus verbum prædicant.

Minus recte aliqui sic explicant : « Per verbum Christi, » id est, inquiunt, ex mandato Christi, qui Apostolos mittit, ut prædicent, itaque Gentes audiant Evangelium.

18. SED DICO, NUMQUID NON AUDIERUNT? — Τὸ *sed* idem valet quod *jam vero*, vel *quin vero*. Instat enim et perurget Apostolus id quod dixit, scilicet fidem esse ex auditu, et auditum esse per verbum Christi, *q. d.* Dixi fidem debere nasci ex auditu, auditum autem debere nasci ex prædicatione verbi Dei et Christi : jam vero, vel quin vero, dico et interrogo : Numquid non de facto hunc auditum habuerunt, numquid non audierunt Evangelium omnes gentes? *q. d.* Omnino audiverunt, nam « in omnem terram exivit sonus eorum. » Risce enim omnibus probat Apostolus, contra Judæorum opinionem, Gentibus prædicandum esse Evangelium (1).

(1) Vers. 18 : *Nunc autem quæro, annon audierunt*

Nota primo : εἰς *audierunt*, id est partim audierunt, partim audient, uti mox clarius ostendam. Rursum, « audierunt, » supple, non Judæi, ut aliqui volunt, sed Gentes; de his enim sequitur : « In omnem terram exivit sonus eorum. » Nam de Judæis subdit vers. 19 : « Numquid Israel non cognovit? »

Ob tres causas dubitarunt aliqui an quando Apostolis, an Gentibus liceret prædicare verbum Dei.

Nota secundo : Hæc opinio, quod Judæis solis prædicandum esset Evangelium salutis, quodque ipsi soli essent vocandi a Messia ad ejus regnum et Ecclesiam, non autem Gentes, ita insedit Judæorum animis, ut et S. Petrus et Apostoli quandoque dubitarint, ut patet *Actor.* x, an Gentibus liceret prædicare Evangelium; idque *primo*, quia Abrahæ et semini ejus, non autem exteris, promissus erat Messias; *secundo*, quia hactenus soli Judæi habuerant Ecclesiam Dei : unde eam transferendam esse ad Gentes videbatur incredibile; *tertio*, quia Judæi Gentes quasi idololatras et incircumcisas oderant, easque hac gratia omnino indignas esse censebant.

Ex quonam (græce ποῦ τοι, id est *utique*, ut vertit Vatablus et Erasmus. Simile vidimus cap. IX, vers. 20, *q. d.* Atqui, vel imo vero, David Judæus licet testatur omnes gentes audivisse prædicationem Evangelii, cum *Psal.* XVIII, ait :) IN OMNEM TERRAM EXIVIT SONUS EORUM.

Quis sit sensus litteralis hujus versiculi Davidici?

Quæres, quis sit hujus versiculi Davidici sensus litteralis; et an de facto hoc tempore, quo hæc Paulus scripsit, vox et prædicatio Apostolorum exiverit in omnem terram, et in omnes gentes?

Primo, S. Chrysostomus et Theophylactus putant prædicationem Evangelii factam esse apud omnes gentes ante excidium Hierosolymæ per Titum. Hujus sententiæ favet quod de S. Thoma Apostolo (teste S. Simpletono in ejus Vita) scribunt veteres, eum plurimis et remotissimis etiam Indiæ populis evangelizasse. Unde et Emmanuel Nobrega, Societatis nostræ in Brasilia Provincialis, scribit in Brasilia extare in ripa fluminis vestigia pedum hominis sancti, qui ut infideles se persequentes effugeret, super fluvium ambulavit et pertransiit, eumque ab incolis vocari Zome, qui non videtur esse alius quam S. Thomas. Rursum clarius est quod scribit P. Nicolaus Trigantius in *Expedit. Sinens.*, lib. I, in fine, S. Thomam convertisse Sinenses, idque constare ex Breviario Chaldæo Ecclesiæ Malabaricæ S. Thomæ, quod sic habet : « Per D. Thomam Sinæ et Æthiopes conversi sunt ad veritatem. » Unde et Episcopus Ecclesiæ Malabaricæ se vocare solet « metropolitam Indiæ et Chinæ. » Denique Josephus Acosta, lib. I *De Novo orbe*, cap. XI, docet Indias veteribus fuisse cognitas. Christus enim suos Apostolos misit per totum orbem, *Matth.* XXVIII, 19 : « Euntes, ait, docete omnes gentes; » cui præcepto obedientes ipsi, post Christi ascensionem inter se orbem diviserunt, et quisque provincias et gentes sibi assignatas adiit et convertit. Hoc de plerisque et potioribus eo tempore provinciis verum est, non tamen universim de omnibus omnino. Quocirca :

Quando ad omnes gentes pervenerit fama Evangelii, vel pervenerit ad Hispanos, vel ad Indos?

Secundo, negat hoc S. Chrysostomi dictum Augustinus, epist. 80 *ad Hesych.*, Anselmus, Origenes et alii. Idque recte negari patet ex regionibus et populis Indiæ Occidentalis, ac quotidianis in eo Hispanorum navigationibus, quibus hoc sæculo novæ gentes plurimæ et maximæ, hactenus incognitæ, repertæ sunt, quæ nihil de Christo et Evangelio audierunt.

Tertio, Ambrosius et S. Thomas dicunt quod ad omnes gentes olim pervenerit fama Evangelii, licet non prædicatio, nec fundatio Ecclesiarum. Sed hoc non satisfacit, nec videtur verum, uti navigationum, de quibus jam dixi, experientia constat.

Invidia et indignatio Judæorum propter Gentium conversionem.

Alii sic explicant : « In omnem terram, » scilicet Romanis subjectam, et nobis nostroque orbi cognitam, exivit sonus et prædicatio Evangelii.

Sensus litteralis Davidi, et ab eo in ipso psalmo allegatus de Apostolis.

Verum respondeo et dico Psalmi, *Psal.* XVIII, (ut patet ex ipsis ejus verbis planis et apertis) ad litteram loqui de cœlis materialibus, qui per universum orbem sua pulchritudine, motu, magnitudine, stellarum varietate, splendore, influentiis enarrant et enarrabunt semper gloriam Dei : in sensu tamen allegorico, quem maxime intendit hic Spiritus Sanctus, loquitur Psaltes de Apostolis eorumque prædicatione.

Cœli ergo, qui enarrant gloriam Dei, non litteraliter, uti vult Toletus et alii, sed allegorice sive symbolice, sunt Apostoli aliique præcones Evangelii : horum sonus exivit partim, partim exibit in omnem terram. Paulatim enim impletur est, et etiamnum impletur hoc Davidis vaticinium. Præteritum ergo hic ponitur pro futuro, prophetico more, ob rei futuræ certitudinem : quod enim Prophetæ futurum prædicunt, tam certo fiet ac si jam factum esset. Fiisse enim omnibus tantum probat Apostolus, ut dixi, non solis Judæis, sed omnibus Gentibus prædicatum aut prædicandum quandoque esse Evangelium.

Vers. 19. A gentibus ipsis prædicandum esse Evangelium.

19. SED DICO (*q. d.* Quin vero, vide dicta vers. 18) : NUMQUID ISRAEL NON COGNOVIT? — scilicet Gentibus etiam prædicandum esse Evangelium. Licet enim hoc scire nolit et invideat, scire tamen debuit et potuit ex Mose et Isaia, qui hoc prædixerunt, uti patet ex eorum verbis, quæ hic cito et subnecto. Ita Origenes, *q. d.* Adeo verum est Gentibus prædicandum esse Evangelium, ut idipsum futurum Prophetæ Judæis prædixerint, ideoque Judæis hoc ipsum cognitum est aut esse debet.

Aliter hæc exponit S. Chrysostomus, ita scilicet, *q. d.* Paulus : Numquid Israel non audivit Evangelium? numquid non ejus vim et efficaciam cognovit? *q. d.* Omnino audivit, omnino cognovit, sed sua pertinacia et obstinatione non voluit illi credere illique obedire.

Verum priorem sensum esse genuinum, patet ex sequentibus Mosis et Isaiæ verbis, quibus significant Judæos ex Gentium vocatione ad invidiam concitandos esse.

PRIMUS MOSES DICIT (*Deuter.* XXXII, 21) : EGO AD ÆMULATIONEM VOS ADDUCAM (hoc est ego Deus vos, o Judæi, qui repellitis Evangelium, ad iram et invidiam concitabo) IN (id est per) NON GENTEM (puta per Gentiles, qui non fuerunt hactenus gens mea; quos ad Christi gratiam vocabo, vobisque, o Judæi, in hac gratia et Ecclesia mea præponam), IN (id est per) GENTEM INSIPIENTEM (puta per Gentiles, qui hactenus insipienter vixerunt, et stellæ adorarunt idola), IN IRAM VOS MITTAM, — bilem et invidiam jam dictam vobis commovebo, *q. d.* Ego Deus per Christum et Apostolos vocabo ad salutem homines viles, puta Ethnicos, Paganos et Barbaros, quos ne gentis quidem appellatione dignamini, o Judæi, sed belluas potius, vel canes, soletis appellare. Unde vos verecundati ad imitationem eorum provocemini, si sani et sapientes sitis; sin minus, ad æmulationem et indignationem concitemini, uti re ipsa futurum prævideo et prædico. Ita S. Hieronymus *ad Fabiolam*, tract. de 42 mansionibus Hebræorum in deserto, mansione ultima.

Vers. 20. Isaias propter libertatem in dicendo serra dissectus.

20. ISAIAS AUTEM AUDET, — audacter et libere loquitur, non veritus suorum offensionem. Nam propter hæc et similia libere et animose a se dicta et prophetata serra dissectus est Isaias a Manasse et Judæis, ut habet certissima traditio Hebræorum, ait S. Hieronymus, lib. XV *in Isaiam*, in fine. Idem tradit et canit Tertullianus, lib. III *Contra Marcionem*, dicens :

> Quem (*Isaiam*) populus sectum ligno, sine lube repertum,
> Immeritum demens crudeli morte peremit.

Ex eo quod Tertullianus ait sectum ligno, colligas Isaiam ligneo serra dissectum fuisse, itaque ligneæ crucis Christi typum præluisse.

INVENTUS SUM (id est *inventus* : prophetice enim ponitur præteritum pro futuro, per cognitionem, fidem, amorem, sequelam et cultum) A NON QUÆRENTIBUS ME (puta *a Gentibus*, quæ antea non me, sed idola sua quærere, consulere et colere solebant. Per Apostolorum ergo prædicationem) PALAM APPAREI IIS, QUI ME NON INTERROGABANT, — puta illis ipsis Gentibus, quæ non me, sed suum Jovem, Martem, Venerem consulebant et interrogabant.

21. AD ISRAEL AUTEM DICIT. — Nota : τὸ ad *Israel* Erasmus vertit, *contra Israel*; sed melius alii vertunt, *de Israel autem dicit* : hoc enim sæpe significat Hebræum אֶל *el*, cui respondet. Græcum πρός, et Latinum *ad*. Sic *Hebr.* cap. I, vers. 7, dicitur, « Ad angelos (hoc est de angelis) dicit; » imo אֶל *el* potest accipi pro *tamen* dativi. Unde Syrus vertit, לְאִיסְרָאֵל *Israeli*, id est *Israeli autem dicit*.

Christi amor et benignitas erga Judæos.

TOTA DIE EXPANDI MANUS MEAS AD POPULUM NON CREDENTEM, ET CONTRADICENTEM. — *q. d.* Toto tempore, quo ego Christus cum Judæis versatus sum, ita sed maxime in cruce, ait Theodoretus in *Isaiæ* LXV, expandi et quotidie expando manus meas, quasi profundens in eos mea munera, ut eos ad me alliciam, eosque in sinum fidei ac gratiæ meæ reciplam; apud Judæos enim totam vitam docendo insumpsit Christus, plurimaque miracula fecit ipse et Apostoli; ut taceam oracula Scripturæ per quæ assidue Deus ad Christum eos vocavit et vocat, Christumque eis demonstravit et demonstrat. Sed frustra : Judæi enim Mosi suo præfidentes, et judaismo suo affixi, Christum agnoscere noluit, ait S. Chrysostomus, Ambrosius; Origenes et alii.

doctrinam Evangelii, il nempe Judæi, qui non obsequuntur? Hanc excusationem non valere, statim subjungit verbis e Psalm. XIX, 5, desumptis.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CAPUT UNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Docuit Paulus cap. IX *et* X, *Gentes per fidem ad justitiam et salutem adscitas, Judæos vero ob infidelitatem, ab eadem repulsos esse : nunc ad Judæorum solatium monet Gentes, ne Judæorum incredulitati et repulsæ indignentur et insultent; sed potius ei compatiantur et condoleant, utque eos ad sui imitationem provocent; idque,*

Primo, quia non omnes Judæi sunt increduli, et rejecti : nam ipse Paulus et alii, quasi reliquiæ Israel salvæ factæ sunt.

Secundo, vers. 8, *quia etsi plures excæcati sint, tamen eorum cæcitas salus est Gentilibus. Nam Judæorum incredulitas causa fuit cur prædicatio Evangelii, justitia et salus defluxerit ad Gentes.*

Tertio, vers. 16, *quia Judæi sanctorum patriarcharum sunt filii, in quibus ipsi Deo quasi consecrati et sanctificati sunt.*

Quarto, vers. 17, *quia Gentes, quæ erant quasi oleaster paganismi, per gratiam insertæ sunt in oleam Judæorum, puta in Ecclesiam Dei, a qua facile per infidelitatem, superbiam et inobedientiam rursum excidere possunt.*

Quinto, vers. 23, *quia Judæi, si recedere velint a sua infidelitate, rursum inserentur suæ oleæ, id est Ecclesiæ.*

Sexto, vers. 25, *quia in fine mundi, cum plenitudo Gentium intrarit, tunc omnis Israel credet, et salvus fiet.*

Septimo, vers. 30, *quia ipsæ etiam Gentes ante Judæos fuerunt incredulæ, et neglectæ a Deo, uti nunc Judæi, increduli et neglecti sunt. Unde, vers.* 32, *concludit dicens :* Conclusit Deus omnia sub peccato, ut omnium misereatur. *Atque hanc vicissitudinem et successionem Judæorum et Gentilium in obsequio et Ecclesia Dei admirans, exclamat :* O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei!

1. Dico ergo : Numquid Deus repulit populum suum? Absit. Nam et ego Israelita sum ex semine Abraham, de tribu Benjamin. 2. Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit. An nescitis in Elia quid dicit Scriptura : quemadmodum interpellat Deum adversum Israel? 3. Domine, Prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt : et ego relictus sum solus, et quærunt animam meam. 4. Sed quid dicit illi divinum responsum? Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal. 5. Sic ergo et in hoc tempore, reliquiæ secundum electionem gratiæ salvæ factæ sunt. 6. Si autem gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia. 7. Quid ergo? quod quærebat Israel, hoc non est consecutus : electio autem consecuta est : cæteri vero excæcati sunt. 8. Sicut scriptum est : Dedit illis Deus spiritum compunctionis : oculos ut non videant, et aures ut non audiant, usque in hodiernum diem. 9. Et David dicit : Fiat mensa eorum in laqueum, et in captionem, et in scandalum, et in retributionem illis. 10. Obscurentur oculi eorum ne videant : et dorsum eorum semper incurva. 11. Dico ergo : Numquid sic offenderunt ut caderent? Absit. Sed illorum delicto, salus est Gentibus, ut illos æmulentur. 12. Quod si delictum illorum divitiæ sunt mundi, et diminutio eorum divitiæ gentium : quanto magis plenitudo eorum? 13. Vobis enim dico Gentibus : Quamdiu quidem ego sum Gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo, 14. si quomodo ad æmulandum provocem carnem meam, et salvos faciam aliquos ex illis. 15. Si enim amissio eorum, reconciliatio est mundi : quæ assumptio, nisi vita ex mortuis? 16. Quod si delibatio sancta est, et massa : et si radix sancta, et rami. 17. Quod si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem cum oleaster esses, insertus es in illis, et socius radicis et pinguedinis olivæ factus es : 18. noli gloriari

adversus ramos. Quod si gloriaris : non tu radicem portas, sed radix te. 19. Dices Fracti sunt rami ut ego inserar. 20. Bene : propter incredulitatem fracti sunt. Tu autem fide stas : noli altum sapere, sed time. 21. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit : ne forte nec tibi parcat. 22. Vide ergo bonitatem, et severitatem Dei : in eos quidem, qui ceciderunt, severitatem : in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate, alioquin et tu exideris. 23. Sed et illi, si non permanserint in incredulitate, inserentur : potens est enim Deus iterum inserere illos. 24. Nam si tu ex naturali excisus es oleastro, et contra naturam insertus es in bonam olivam : quanto magis ii, qui secundum naturam inserentur suæ olivæ? 25. Nolo enim vos ignorare fratres mysterium hoc (ut non sitis vobis ipsis sapientes) : quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo Gentium intraret, 26. et sic omnis Israel salvus fieret, sicut scriptum est : Veniet ex Sion, qui eripiat, et avertat impietatem a Jacob. 27. Et hoc illis a me testamentum : cum abstulero peccata eorum. 28. Secundum Evangelium quidem, inimici propter vos : secundum electionem autem, charissimi propter patres. 29. Sine pœnitentia enim sunt dona, et vocatio Dei. 30. Sicut enim aliquando et vos non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis propter incredulitatem illorum : 31. ita et isti nunc non crediderunt in vestram misericordiam, ut et ipsi misericordiam consequantur. 32. Concludit enim Deus omnia in incredulitate : ut omnium misereatur. 33. O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei : quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! 34. Quis enim cognovit sensum Domini? Aut quis consiliarius ejus fuit? 35. Aut quis prior dedit illi et retribuetur ei? 36. Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia : ipsi gloria in sæcula. Amen.

Vers. 1. Non omnes Judæos repulit Deus.

1. DICO ERGO : NUMQUID DEUS REPULIT POPULUM SUUM. — Nota : Τὸ *dico ergo* phrasis est Apostoli, qua utitur, cum sibi aliquid objicit, uti hic facit. Sensus ergo est, *q. d.* Dixi cap. IX et X, Judæos repulsos esse a Deo et a justitia, Gentes vero ad eam ascitas; verum ergone Deus plane repulit populum suum, puta Judæos omnes? Respondet, Absit. Nam et ego sum Judæus et Israelita, fidelis tamen et Christianus; tales quoque sunt Apostoli, multique alii, ex Judæis credentes. Non ergo repulit Deus absolute populum suum, sed tantum eos, qui Christo credere nolunt.

Vers. 2. Quadruplex hic fuit loci sensus. Errantes hic, ut discernendum dogma Pelagianum ab orthodoxo.

2. NON REPULIT DEUS PLEBEM SUAM, QUAM PRÆSCIVIT. — Nota τὸ *præscivit*, quod *primo*, S. Chrysostomus sic explicat, *q. d.* Deus non repulit totam plebem Judæorum, sed eos vocavit ad Ecclesiam, quos prævidit fore dignos. Hoc si de prima vocatione ad fidem et gratiam intelligatur, Pelagianum est; sin de secunda vocatione ad justitiam intelligatur, sanum est et orthodoxum : de secunda ergo hac vocatione explicandus est S. Chrysostomus. ?

Secundo, Œcumenius : *Præscivit*, inquit, Deus Judæos ante Gentes, quia Judæi ante Gentes vocati sunt ad Christum, illique crediderunt. Hos ergo Deus *præscivit*, id est scivit esse suos suamque plebem, antequam Gentiles vocaret, et sciret esse suos.

Tertio, S. Augustinus, lib II *De Bono persever.*, cap. XVIII : « Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit : » hoc est : inquit, quam prædestinavit, quam scilicet ab æterno decrevit ad se trahere, suamque facere. Unde alii sic explicant : « quam præscivit, » id est, quam prædilexit, quamque multis olim beneficiis affecit.

Quarto, planius et simplicius, « non repulit Deus plebem suam, quam præscivit, » id est, quam prævidit Christi fidem et gratiam sponte sua complexuram, foreque fidelem, ideoque fore plebem suam. Vide dicta cap. VIII, vers. 29.

AN NESCITIS IN ELIA QUID DICIT SCRIPTURA? — « In Elia, » hoc est *de Elia*. Est hebraismus : *bet* enim ponitur pro ב֔; vel *in Elia*, hoc est in historia Eliæ (1), III *Reg.* XIX, ubi Elias apud Deum queritur, eumque interpellat adversum Israelitas, puta adversum Achab, regem Israel, ejusque uxorem Jesabel, eorumque asseclas, dicens :

3. DOMINE, (Israelitæ) PROPHETAS TUOS OCCIDERUNT, ALTARIA TUA SUFFODERUNT. — « Altaria, » scilicet in excelsis locis et collibus Deo vero erecta. Unde hæc altaria vocantur *Excelsa* in Scriptura. Quæ licet lege *Deuter.* XVI, 2, vetita essent ac proinde pio ab Ezechia et Josia eversa sint, tamen impium erat evertere ea ex odio cultus divini, verique Dei, uti fecerunt Achab et Jesabel idololatræ (2).

(1) Tempore Pauli nondum per capita et versus S. Scripturæ dispertitæ erant, ideoque earum testimonia juxta aliam, qua nunc, rationem afferebantur, personas scil., aut res appellando.

(2) Possunt enim intelligi ea altaria quæ *pii* in 10 tribubus in veri Dei honorem sibi struxerant, ex quo

ET EGO RELICTUS SUM SOLUS, ET QUÆRUNT ANIMAM MEAM. — Dixit hoc Elias mœrens, afflictus et ex mœstitia pusillanimis, æstimans omnia perdita esse et longe deteriora quam revera erant : unde pusillanimitatem ejus pariter et errorem corrigit hic Dominus, dicens :

4. RELIQUI MIHI SEPTEM MILLIA VIRORUM, QUI NON CURVAVERUNT GENUA ANTE BAAL. — *q. d.* Ne putes, o Elia, te solum Dei superesse cultorem; reliquos vel esse occisos, vel ad Baal deflexisse. Ecce septem millia mea providentia et gratia conservavi, et a nece et ab idololatria; qui me æque colant, ut tu. Sic etiam hoc tempore Christi et Pauli reliquias Judæorum mihi meoque cultui, et Ecclesiæ conservavi, scilicet eos, qui fidem Christi amplexi sunt. Itaque verbum *reliqui* proprie significat, reservavi mihi in famulos, cultores et amicos, scilicet eos qui noluerunt adorare Baal. Hæc enim antithesis optime accommodatur scopo Apostoli, qui est ostendere, etiamsi repulerit Deus a justitia et gratia plerosque Judæos, quia incredulos Christo, paucos tamen ex iis sibi, suo cultui et amicitiæ servasse, scilicet eos, qui Christo crediderunt. Rursum per verbum *reliqui* Deus suæ gratiæ virtutem ostendit et innuit. Non enim sit : Ipsi se reliquerunt, sed, Ego reliqui, græce ἀπέλιπον, hebraice הִשְׁאַרְתִּי *hisarti*, id est *reservavi*; quia licet ipsi etiam servarint se, tamen potius a Dei gratia servati sunt; virtus enim gratiæ in opere bono potior est liberi arbitrii concursu. Ita S. Augustinus, lib. *De Bono persever.*, cap. XI.

Nota contra Novantes nuper ex tenebris natos, hanc locum pro conservatione et duratione Ecclesiæ. Nam graviter hic errant, *primo*, Melanchthon, qui *Locis communibus*, cap. *De Ecclesia*, docet tempore Eliæ Ecclesiam constitisse in solis Elia, Eliseo et paucis sacerdotibus. *Secundo*, Calvinus, qui in præfatione *Institutionum ex* hoc Eliæ loco probare nititur, Ecclesiam posse deficere. *Tertio*, alii Novantes, qui hæc Ecclesiæ suæ invisibili, id est non existenti ante Lutherum et Calvinum, adaptant, quasi fuerint ante ipsos aliqui Lutherani, qui eamdem fidem docerent, quam postea Lutherus et Calvinus docuerunt; sed pauci, quales fuerunt tempore Eliæ, incogniti et absconditi.

Primo enim hoc gratis dicunt. Probandum enim eis est, tales revera fuisse. Dicant, quæso, ubi, quando, sub quo rege vel Pontifice exstiterint? Nominent eos saltem nomine communi suæ sectæ, vel historicos proferant qui eos exstitisse testentur : sic enim in Israel fuisse veros deicolas tempore Eliæ, licet Elias incognitos, testatur sacra historia, lib. III *Reg.* XIX, quam citat hic Paulus.

Secundo, licet Ecclesia Dei, cum persecutionem a Jesabele paterctur in Israel, id est in Samaria, ibidem paucos haberet fideles, eosque latentes, vel absconditos; tunc tamen eadem Ecclesia spectabilis erat et florens in Juda, id est in duabus tribubus, ubi sub Josaphat, rege fideli et pio, publice templo, sacrificiis et cæremoniis Deus verus colebatur, quo qui vere fideles erant, se recipiebant, quasi ad fidei et religionis oraculum et asylum, et hoc est quod Dominus dicens : « Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal, » significat, dum subdit : « In Israel, » id est in Samaria, non autem in Juda; de eo enim non loquitur.

Licet ergo concederemus, in Israel defecisse tunc Ecclesiam, inde tamen non sequitur eam omnino defecisse, quia perstitit in Juda. Dicat nunc Lutherus, si ante sua tempora Lutherani fuerint et latuerint in Saxonia, Germania, Gallia, ubi Gentium aut terrarum visibiles et spectabiles fuerint, ut eo se recipere possent, qui veram fidem, religionem et Ecclesiam aut sectabantur, aut inquirebant? Ubi fuit Ecclesia Lutheri ante Lutherum, quæ a Luthero nomen et exordium sumpsit? sane ibidem fuit, ubi fuit Lutherus antequam nasceretur.

Tertio, in ipso Israel, id est Samaria, Ecclesiam tempore Eliæ non defecisse, sed multos habuisse veri Dei cultores, patet ex eo, quod paulo ante ex iis Jesabel plurimos occiderat Prophetas, ex iis quibus adhuc superstites erant Elias, Eliseus, Michæas, Abdias, dispensator ipsius Achab et Jesabelis, et alii centum Prophetæ, quos abscondit Abdias jam dictus, ne occiderentur a Jesabele, ut patet III *Reg.* XVIII, 13, aliique insuper Prophetæ, de quibus fit mentio III *Reg.* XX, 22, 28 et 35. Quod ergo dicit Elias ad Deum : « Prophetas tuos occiderunt, et ego relictus sum solus; » subaudi, soles qui publice et intrepide oppono me Baal et Jesabeli : alii enim Prophetæ, ne occiderentur, latebant, sicut latebant pontifices et sacerdotes tempore Decii et Diocletiani. Ex laicis vero multo plures tunc fuisse fideles in Israel, patet ex verbis Domini : « Reliqui, inquit, mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal. » Denique totus Israel paulo ante sub Davide et Salomone, veræ fidei et Dei cultor fuerat, sed sub Jeroboamo multi cum eo ad idololatriam vitulorum desciverunt.

Ostendat jam Lutherus, ostendat Calvinus non septem millia, non mille, non centum, sed viginti, sed decem, sed quinque, imo vel unum, qui ante sua tempora eamdem secum fidem per omnia docuerit; ostendat fidei suæ continuationem, descensum et derivationem per singula sæcula; ostendat quinam Patres singulis annorum centuriis docuerint in Eucharistia non esse verum corpus, sed tantum signum corporis Christi, Pontificem Romanum esse Antichristum, Sanctos non esse invocandos, non esse liberum arbitrium, non operum merita, solam fidem justificare, Deum esse auctorem omnium operum tam malorum, quam bonorum.

Hactenus id præstare, imo promittere aus

permissi non erant ad templum ire : quo tempore lex de altaribus alibi struendis cessare videbatur.

fuit nemo, ne ipsi quidem Centuriatores Magdeburgenses : nimirum hæc est causa, quæ eos in has angustias compellit, cogitque eo confugere, ut dicant Ecclesiam errare et deficere posse, imo defecisse per tot annorum centurias, quot a S. Gregorio (tunc enim aiunt Ecclesiam defecisse, et Antichristum in ea præsidere cœpisse) ad Lutherum interfluxerint. Durum est telum necessitas. Itane Christus per tot sæcula sponsam suam Ecclesiam deseruit? Itane fefellit promissionem suam datam *Matth.* XVI : « Tu es Petrus, et super hanc petram (id est *super hunc Petrum*, ut habet Syrus, et Petri in cathedra Romana successores) ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam? » Itane concidit Ecclesia, templum et domus Dei, quam Apostolus, I *Tim.* III, cap. III, ait esse « columnam et firmamentum veritatis; » quam Prophetæ docent esse regnum æternum Christi? Itane per tot sæcula delituit invisibilis Ecclesia, quæ est magistra fidei, doctrix veritatis; quam Isaias, cap. II, docet esse montem in vertice montium, et elevatum super omnes colles; quam Christus in dubiis et difficultatibus adiri et audiri jubet, *Matth.* XVIII : « Dic, inquit, Ecclesiæ : si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi ethnicus et publicanus? » Deus per suam bonitatem aperiat oculos omnium errantium et miserorum, qui a Luthero et Calvino, eorumque asseclis decepti, quasi oves errantes a causa Ecclesiæ se segregarunt, ut Ecclesiam priscam et stabilem, Catholicam et Apostolicam, Romanam scilicet, videant, agnoscant et ad eam quasi matrem amantissimam postliminio recurrant, cum eaque in gratiam et mutuum amplexum redeant. Amen.

SEPTEM MILLIA. — Hoc est multa millia : Septenarius enim numerus significat multitudinem, et Hebræis est familiaris, propter sabbatum; sicut et denarius propter decalogum, ait S. Hieronymus in cap. IV et LIV *Isaiæ*. Sic *Eccles.* XI, 2, dicitur : « Da partem septem, » hoc est *multis pauperibus*, « nec non et octo, » id est *multo pluribus*. Sic I *Reg.* II, 5, in Hebræo habetur : « Donec sterilis peperit septem, » quod noster Interpres vertit, « donec sterilis peperit plurimos. »

QUI NON CURVAVERUNT GENUA ANTE BAAL. — Græce est feminine τῇ Βάαλ, -ῇ, scilicet εἰκόνι, hoc est *imagini Baal*. Nisi malis alcere, a Jesabele, femina Tyria, Astartem, deam Tyriorum, Israelitis ad cultum fuisse propositam, quasi Baal feminam. Baal enim Hebræis generale deorum nomen est. Verum facillime et solidissime dici potest, hic, uti et alibi, mendum irrepsisse in textum Græcum, et pro τῇ restituendum esse masculinum τῷ. Sic enim Interpres noster et veteres legisse videntur (1). Blaspho-

(1) Baal, idolum Phœnicorum et Chananitarum, in versione τῷ LXX in genere masculino ὁ Βάαλ (dominus), et ἡ Βάαλ (domina) occurrit. Coluerunt illud numen sub imagine tauri, aut vitulæ. Imago tauri exprimebat *solem*, imago vitulæ aut vaccæ exprimebat *lunam* : ut mat hic Beza, dum ait Catholicos curvare genua ante Baal, cum B. Virginem et Sanctos invocant, eamque communi omnium gentium voce vocant « Dominam nostram : » Baal enim Hebr. significat dominum; sed usu gentium significat Deum, qui summus omnium est dominus. Nemo autem B. Virginem ut Deum invocat : cur autem non liceat eam vocare « Dominam nostram, » cum cives ita vocent reges et principes, famuli suos heros, imo Beza Calvinum vocet suum dominum et magistrum?

5. SIC ERGO ET IN HOC TEMPORE RELIQUIÆ (hoc est pauci Judæi, credentes Christo : pauci, inquam, præ innumeris incredulis, ita ut ex tanta incredulitate et clade videantur hi pauci esse tantum reliquiæ, et reliqui), SECUNDUM ELECTIONEM GRATIÆ (id est *gratuitam*), SALVÆ FACTÆ SUNT, — id est *justificatæ sunt*. Non enim agit hic Paulus de electione immediata ad gloriam, vel ad primam gratiam et fidem, sed de electione ad justitiam, uti initio cap. IX ostendi. Justitia enim est salus a peccato, estque salus inchoata, quæ perficietur in cœlesti gloria. Electio ergo hæc Dei, est dilectio Dei, de qua dixi cap. IX : « Jacob dilexi, » quam et alio nomine ibidem miserationem vocavit, dicens : « Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. »

Nota, huic electioni gratiæ non repugnare consensum liberi arbitrii, ejusque liberam acceptationem gratiæ, nec etiam fidem, pœnitentiam aliasque liberas hominis dispositiones ad justitiam : hæ enim omnes nullum meritum, nullam efficaciam, nullum jus proprie dictum homini tribuunt ad justitiam. Sed his omnibus positis merœ est electionis Dei et gratiæ, quod tales justificet, non alios qui istis carent, ut diserte ait Apostolus cap. IV, vers. 5, et ex eo Concilium Tridentinum, sess. V et VI.

Utrumque ergo verum est, et utrumque vere responderi potest, si quæras, cur fidelis pœnitens justificetur præ infideli pœnitente? Respondebo enim *primo*, quia ipse se disponit, hic non. Respondebo *secundo*, quia gratis Deus voluit illum justificare et acceptare illius dispositiones; non autem hunc, qui eis caret. Fides enim est dispositio ad justitiam, non sua natura aut naturali vi et efficacia, sed quia Deus ita voluit et constituit. Et juxta priorem responsionem videtur loqui S. Chrysostomus, cum ait Deum ad justitiam et salutem eligere hunc præ illo, quia hunc suæ gratiæ consensurum prævidit, non illum. E contrario S. Augustinus, juxta posteriorem sensum, quærenti cur hic præ illo eligatur a Deo, respondet causam esse non humanum meritum, sed electionem et gratiam divinam. Utrumque enim verum est, eo sensu quem dixi.

Moloch vocatur rex coeli, *sol*; et Melechet, regina coeli, *luna*. Illum a viris, hanc a mulieribus cultam esse existimat Abarbanel.

Apostolus hic electionem gratiæ opponit electioni ex operibus legis, vel naturæ.

Denique Apostolus hic tantum electionem gratiæ opponit electioni ex operibus legis, vel naturæ, ut patet ex sequentibus et ex tota epistola. Sub gratia ergo amplexum liberum gratiæ, et eos qui per gratiam excitati sponte obediunt et subjiciunt se gratiæ, intelligit. Liber enim amplexus gratiæ est quædam gratia : fit enim a gratia præveniente et cooperante. Unde et ipsi fideles et Sancti qui gratiæ obediunt, filii gratiæ sunt et nuncupantur. Fusius idipsum docet hic Toletus notat. 4.

Electi ex operibus legis vel naturæ.

Dices : τὸ salvæ non legit S. Augustinus, et in Græco tantum est λείμμα χάριτος, id est *reservatio facta est*.

Respondeo : *reservatio*, supple salvatorum, id est eorum qui salvi facti sunt, ut vertit Noster, hoc est eorum qui justificati sunt, facta est per electionem gratiæ justificantis.

Si tamen cum nonnullis ex S. Augustino hanc reservationem, æque ut τὸ *reliqui*, sive reservavi vers. præcedenti, velis extendere, et accipere de gentio vocante et præveniente, quasi per hanc facta sit ista reservatio salvandorum, id est justificandorum : respondeo etiam hoc vere posse dici, scilicet divinæ electionis et gratiæ vocantis esse, quod hi conversi sint, non illi : quia licet utrique physice æqualem habuerint gratiam vocantem, hæc tamen gratia cum libero arbitrio in his operata est conversionem, non in illis, id est hi virtute gratiæ se converterunt, non illi ; quod enim hi se converterunt, virtus et efficacia fuit gratiæ, qua usum et cui cooperatum fuit liberum arbitrium, prout exigebat gratia, et prout intendebat Deus gratiam hanc tribuens : quod vero alii noluerint converti, liberi arbitrii fuit malitia. Justificati ergo suam justitiam, licet libere a se acceptatam, gratiæ tribuere debent; perinde ac pauper divitis gratiæ tributi, quod ejus pane sustentetur, non autem sibi hoc arrogat, licet ipse panem a divite oblatum libere debeat acceptare et comedere, si ex eo sustentari velit. Hæc enim ejus acceptatio nihil habet laudis, nihil illustre, præsertim si comparetur cum liberalitate et liberali donatione divitis.

Quid hi convertuntur dici, quomodo tribui possit gratiæ?

6. Si AUTEM (hæc electio est gratiæ, ut dixi, ideoque ipsa est) GRATIA, JAM NON EX OPERIBUS (1), — *q. d.* Si hæc electio ad justitiam, ipsa scilicet justificatio, fit ex Dei gratia, ergo non obtingit nobis ex merito operum nostrorum. Opera hic intelligo legis naturæ, imo et fidei; quatenus nimirum hæc hominis opera sunt, quia dispositiones fidei, spei, pœnitentiæ, uti actus humani sunt, nec habent meritum, nec efficaciam justificandi; sed tantum ex gratuita Dei ordinatione disponunt hominem ad justitiam, uti dixi.

Actus humani, ut tales non habent meritum justificandi.

(1) Hoc comma deest in multis codd., necnon in quibusdam versionibus ac Patribus. Cæterum, parenthesi videtur includendum; non enim ad universi loci consilium, sed ad solam, quæ præcesserat, χάριτος vocem pertinet.

Ex ultimis hisce verbis perperam intellectis quidam argumento a contrariis ducto, ita concluserunt : Si dispositiones fidei, spei, pœnitentiæ, uti actus hominis sive humani sunt, non habent meritum nec efficaciam justificandi, sed tantum ex gratuita Dei ordinatione ; ergo iidem actus spei, etc., considerati uti actus hominis sunt, id est uti sunt actus solius naturæ et liberi arbitrii seclusa gratia, esto ex se non habeant meritum, nec efficaciam justificandi, illud tamen habent ex gratuita Dei ordinatione. Ex ea ergo actus hominis pure naturales, sine gratia, mererentur saltem de congruo justificationem, ad eamque hominem disponunt. Verum hic est error semipelagianorum, concedentium solam naturam per bonum liberi arbitrii usum nos disponere ad gratiam, quem semper detestatus sum. Mentem ergo meam explico : Dum dico, *actus hominis*, vel *actus humani*, non excludo, sed includo gratiam. Clarum enim est actus fidei, spei, pœnitentiæ non posse elici ab homine nisi per gratiam : sed posita gratia, quodque homo ex gratia illos libere eliciat, dico hos actus humanos nec ex gratia, nec ex cooperatione hominis proprie mereri justificationem, vel ad illam dare jus et meritum homini; sed quod ad justificationem sint dispositiones, ad eamque dirigantur et ducant, totum id esse gratuitæ Dei ordinationi, beneplacito et liberalitati tribuendum, quia scilicet Deus ita statuit.

Id me voluisse vidissent, si considerassent verba *mea* ultima, scilicet τὸ *uti dixi*, nam vers. 5, p. 187, col. 2, ex adverso verborum jam citatorum, § Nota, « huic electioni gratiæ non repugnare, » etc., ita diserte scribo mentemque meam explico.

Igitur actus fidei, spei, pœnitentiæ plene considerati, uti scilicet manant tam ex gratia quam ex libero arbitrio, ex se non tribuunt jus vel meritum ad justitiam, sed ex gratuita, duntaxat Dei ordinatione illos acceptante, itaque gratis statuente, disponunt ducuntque ad justitiam. Hæc est veritas, hæc mens mea.

Porro, quod ibi et alibi dispositionem distinguo a merito, id facio ex communi Theologorum phrasi et sententia, qui dicunt dicendique actus fidei, spei, timoris, etc., esse dispositiones ad justificationem, non autem eam mereri, scilicet proprie de condigno. Esto enim de congruo eam mereantur, tamen meritum hoc exile est et restrictum, nec absoluti et rigidi nomen meretur.

Denique justificatio dupliciter sumitur, scilicet *primo*, formaliter : formalis autem justificatio fit, cum Deus homini infundit gratiam justificantem et charitatem; *secundo*, dispositive, cum scilicet per actus fidei, spei, timoris pœnitens se præparat et disponit ad justitiam, gratiam et charitatem. Jam cum Apostolus ait, nos sine operibus gratis justificari, nonnulli cum S. Augustino, *epist.* 105, τὸ *justificari* accipiunt secundo modo, *q. d.* Quod homo concipiat actus fidei, spei, pœnitentiæ, quibus se disponit ad justitiam, id habet non ex se suisque naturæ viribus; sed gratis, id est ex gratia Dei præveniente. Nec ego nego hucextendi posse verba Apostoli; sed tamen assero ea proprie ab Apostolo dici de justificatione formali. Id ita esse, diserte, fuse et ex professo docet Concilium Tridentinum, *sess.* VI, cap. VIII, ut mirum sit nonnullos dixisse de alia justificatione loqui Concilium, de alia Apostolum. Et ipse Apostolus, cap. III, vers. 21 : « Nunc autem, inquit, sine lege justitia Dei manifestata est, etc. Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi. » Et vers. 24 : « Justificati gratis per gratiam ipsius, etc., propter remissionem præcedentium delictorum : ad ostensionem justitiæ ejus in hoc tempore ; ut sit ipse justus, et justificans eum, » etc. Et cap. IV, 3 : « Credidit Abraham Deo : et reputatum est illi ad justitiam. » Et vers. 7 : « Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. » Hæc omnia formalem justificationem et justitiam significant. Pluribus idipsum confirmavi initio cap. IX.

ALIOQUIN GRATIA JAM NON EST GRATIA. — Calumniatur Kemnitius detractum esse in nostris codicibus, quod habetur in Græcis, scilicet εἰ δὲ ἐξ ἔργων, οὐκ ἔτι ἐξ χάριτος, ἐπεὶ τὸ ἔργον, οὐκ ἔτι ἐξ ἔργων, id est, *si vero ex operibus, jam non est gratia : alioquin opus, jam non est opus*. Et ita legit Cajetanus et Theophylactus, sed hoc non legunt Origenes, Chrysostomus, Ambrosius et alii, imo Erasmus ait esse superfluum. Et sane nostra Latina lectio brevior et nervosior, ideoque verior est. Nota, τὸ *ex operibus* semper hic significat meritum operum : hoc enim solum opponitur gratiæ, sive gratuitæ donationi et electioni.

Quid hi dicant quæ-rebant per operis legis, hoc sunt secuti.

7. QUID ERGO (supple, dicemus, et ex dictis hucusque concludemus? nimirum id quod sequitur) QUOD QUÆREBAT ISRAEL (justificari, scilicet ex meritis operum legalium), HOC NON EST CONSECUTUS; ELECTIO AUTEM CONSECUTA EST, — id est electi secundum gratiam ex Judæis, puta Judæi qui Christi fidem et gratiam amplexi sunt, hi electi a Deo ad justitiam, eam consecuti sunt. Abstractum ponitur pro concreto, nimirum *electio* pro electis, juxta *Can.* 30.

CÆTERI VERO (Judæi scilicet, non electi, sed rejecti et repulsi a Deo et a justitia, ob suam incredulitatem) EXCÆCATI SUNT, — proprie et directe a se suaque malitia, quia obstinate inhæserunt legi Mosis, et Christi fidem contempserunt : indirecte vero a Deo eos deserente et dimittente suæ infidelitati et obstinationi.

8. SICUT SCRIPTUM EST (*Isaiæ* VI, 9) : DEDIT ILLIS DEUS SPIRITUM COMPUNCTIONIS. — *Dedit*, permittendo, deserendo et occasiones præbendo, bonas quidem in se, sed quibus illi se magis indurarent suo vitio et culpa. Ita S. Augustinus, Chrysostomus, Theophylactus, Œcumenius.

Quis hic vocetur spiritus compunctionis? *Primo*.

Quæres, quis hic vocetur *spiritus compunctionis*? *Primo*. Anselmus per *spiritum compunctionis* intelligit spiritum impellentem ad malum, instar stimuli, qui compungens boves incitat ad cursum.

Spiritus compunctionis *Secundo*?

Secundo, Ambrosius intelligit dolorem Judæorum ortum ex zelo judaismi, cum eum viderent aboleri per Evangelium.

Tertio, alii intelligunt spiritum æmulationis et invidiæ Judæorum in Christum et Christianorum multitudinem.

Isaiæ cap. XXIX, 10, ut cum Origenes et Chrysostomus, vel potius et clarius, *Isaiæ* XXIX, 10, ut conset Anselmus, ubi noster Interpres vertit, *miscuit vobis Dominus spiritum soporis : claudet oculos vestros : Prophetas et principes vestros, qui vident visiones, operiet*. Cujus loci sensus est hic : Deus vobis, o Judæi, velabit et operiet Isaiam et alios Prophetas, ne eos intelligatis. Ita Hieronymus et Cyrillus ibid., ubi adverte : pro *soporis*, Hebr. est תַּרְדֵּמָה *tardema*, quod Theodotion vertit, ἔκστασις, id est *mentis excessum* ; Aquila, κατανύξεως, id est *gravem somnum* ; Chaldæus, *spiritum erroris* ; Syrus, *spiritum stupiditatis*. Hebræum *tardema* significat altissimum veternum, qui homini oculorum et aurium usum omnemque sensum adimit. Unde Septuaginta, quos sequitur hic S. Paulus, vertentes κατενύξεν, videntur hoc posuisse pro κατανύσταξιν, id est sopor rationem : νύξ enim est nox, et νυστάζειν, dormire significat. Ita Hesychius.

Isaiæ cap. LIX, locus illustratus.

Narrat antiquitas Philosophum quemdam sapientissimum, cerebro lapide percusso, oblitum fuisse litteras, ita ut ne quidem legere sciverit. Et Grammaticum, qui cum asino, quo vectabatur, excidisset, accepto in cerebro vulnere, prorsus omnem Grammaticam oblitum. Et Hermogenem rhetorem, qui cum doctissimus suæ ætatis esset adolescens, senem factum, omnia esse oblitum. Majus miraculum hic accidit, cum Deus Judæorum legis doctores eminentissimos fecit stupidissimos, in pœnam obstinationis suæ in judaismo.

Mira obliviosa hujus exempla.

Verum noster Interpres, Chrysostomus, Theophylactus, Vatablus, Erasmus et alii proprie κατανύξεως vertunt, *compunctionis*. Sic *Actor.* II, 37, dicitur : « His auditis, compuncti sunt corde ; » ubi Lucas in Græco posuit idem hoc verbum κατενύγησαν. Excæcationem enim et obdurationem, quam Isaias per soporem et veternum significat, Septuaginta et Paulus per aliam metaphoram, scilicet per compunctionem, significaverunt ; *compunctio* autem hic idem est quod transpunctio, et *compungi* idem est quod transpungi. Transpunctio hæc significat excæcationem Judæorum.

Græcorum proprie hic elementa est transpunctionem et excæcationem.

Primo, quia cum oculus clavo aut cultro transpungitur, tunc effoditur et excæcatur ; et cum auris cultro transfoditur et transpungitur, auditus extinguitur, et homo fit surdus ; sic Judæi mentem habent expunctam, id est transpunctam, tum clavo invidiæ in Christum et Christianos, tum clavo perfidiæ et obstinationis, ut ea quæ Christi, Dei, fidei Christianæ ac salutis sunt, videre et audire non possint, perinde ac si oculos

Declaratur simile.

et aures mentis habeant transpunctas et transfossas, omnisque audiendi, videndi et intelligendi vis ac sensus in eis esset extinctus. Spiritus ergo compunctionis, id est transpunctionis, est obstinatio et livor, sive dolor et invidia a propria malitia et a demone Judæis aspirata et suggesta, quæ quasi clavus terebravit, transpunxit et excæcavit eorum oculos et mentem.

Transpunctio significatur obstinatione et invidia.

Declaratur ejus Emblema.

Ubi nota : Sicut vehementia doloris sensum tandem superat et extinguit, ut homo vi doloris incidat in animi deliquium, fiat stupidus, insensibilis, imo subinde amens et demens ; ita livor hic et dolor invidiæ adeo vehemens fuit in Judæis, ut eorum sensus, oculos, aures et mentem stupefecerit, fecerit que eos insensibiles et quasi dementes in rebus fidei et salutis. Et hoc est quod ait S. Cyprianus, lib. I, *epist.* 3 : « Judæi, inquit, transpunctæ mentis alienatione dementes Dei præcepta contemnunt, medelam vulneris negligunt, agere pœnitentiam nolunt, ante admissum facinus improvidi, post facinus obstinati. » *q. d.* Vehementia livoris et doloris et invidiæ in Christum et Christianos, tanta fuit in Judæis, ut eos alienarit a mente, fecerit que quasi dementes, ut res Christianas ac divinas non magis cupiant, quam saxa aut bruta, quæ mente destituuntur.

Secundo, sicut cæcubus aut vas cum træsspungitur ei pertunditur, nihil retinet aquæ, aut alterius liquoris ; et speculum cum transpungitur, speciem rei visibilis non retinet, sed quasi pertusum simul eam effluere : ita Judæorum aures, oculi et mens invidia et obcæcatione et transpuncta et pertusa nihil retinent, sed sinunt effluere quæcumque audiunt aut vident de Christo et Christianis. Unde oculos habentes non vident, et aures habentes non audiunt. Et hoc est quod S. Cyprianus, loco jam citato, addit et dicit : « Pertusa est illis mens, hebes animus, et sensus alienus a Deo, fide, pœnitentia. »

Tertia explicatio.

Tertio, sicut clavus nummum aliquem transpungens, eumdem sibi inserit et affigit ; ita invidia hæc, perfidia et obstinatio in sua lege et judaismo, Judæorum animos ita transpunxit et penetravit, ut eisdem quasi clavis trabalibus, videantur confixi et affixi, adeo ut a sua perfidia sint immobiles, ac consequenter excæcati in fide Messiæ, orane lumen Scripturarum, omnem sensum rerum cœlestium amiserunt. Compunctio ergo hæc est pertinacia in sua perfidia, quæ Judæos penetravit, transpunxit, sibique immobiliter affixit. Sic explicant compunctionem hanc S. Chrysostomus, Theophylactus, Œcumenius. Vide quo hominem adducat livor, pervicacia, propriique judicii tenacitas et obstinata voluntas.

Quid tandem sit compunctio ista?

Quinque signantur vitiosæ mentis vitia. Primum.

OCULOS UT NON VIDEANT, ET AURES UT NON AUDIANT. — Nota hic quinque signa et effectus obstinatæ mentis. *Primum* est cæcitas animi, de qua *Job* cap. XII, vers. 25 : « Palpabunt, ait, quasi in tenebris, et non in luce, et errare eos faciet quasi ebrios. » Et cap. XXIV, vers. 13 : « Ipsi fuerunt rebelles lumini, nescierunt vias ejus. »

Secundum est voluntaria surditas, *Job* XXI, 14 : « Qui dixerunt Deo : Recede a nobis, et scientiam viarum tuarum nolumus. » Talis fuit Pharao dicens, *Exodi* V, 2 : « Quis est Dominus, ut audiam vocem ejus? nescio Dominum. » De utraque *Isaiæ* XLII, 18 : « Surdi, audite, et cæci, intuemini ad videndum : quis cæcus, nisi servus meus? et surdus, nisi ad quem nuntios meos misi? »

Tertium est contemptus Dei et hominum, *Prov.* XVIII, 3 : « Impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit : sed sequitur eum ignominia et opprobrium. » Vicissim talis a Deo contemnitur et despicitur, *Proverb.* I, 25 : « Despexistis omne consilium meum : ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo, cum vobis id quod timebatis, advenerit. »

Tertium.

Quartum est incorrigibilitas, *Eccles.* VII, 14 : « Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere quem ille despexerit. » Huic connexa est impudentia et perfricta frons, *Jerem.* III, 3 : « Frons meretricis facta est tibi, noluisti erubescere. » *Prov.* II, 14 : « Lætantur cum male fecerint, et exultant in rebus pessimis. »

Quar-tum.

Quintum est stupor, *Prov.* XXIII, 34 : « Eris sicut dormiens in medio mari, et quasi sopitus gubernator amisso clavo, et dices : Verberaverunt me, ut ego non sensi. » Huic conjuncta est difficultas, et quædam quasi impossibilitas resipiscendi, *Jeremiæ* XIII, 23 : « Si mutare potest Æthiops pellem suam, et vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum. » Et cap. XVII, 1 : « Peccatum Juda scriptum est stylo ferreo in ungue adamantino, exaratum super latitudinem cordis eorum. »

Quin-tum.

9. ET DAVID (*Psal.* LXVIII, 23) : FIAT MENSA EORUM IN LAQUEUM, ET IN CAPTIONEM, ET IN SCANDALUM. — *Primo*, nonnulli hæc sic explicant : *Mensa*, id est esca fellis et aceti, quam mihi Christo apparaverunt Judæi in cruce, tali et ipsi fruantur in obsidione sub Tito, et deinceps.

Vers. 9. Varie explicatur. Explicatio Prima.

Secundo, Theodoretus in *Psal.* LXVIII : *Mensa*, ait, *fiat laqueus*, hoc est, lætitia eorum vertatur in tristitiam.

Secunda.

Tertio, S. Augustinus : *Mensa fiat laqueus*, hoc est, inquit, fides eorum fiat incredulitas et perfidia.

Tertia.

Quarto, S. Hilarius in eumdem *Psal.* LXVIII : *Mensa fiat eis laqueus*, hoc est, ait, sacrificia vetera eis obsint.

Quarta.

Quinto, *mensa*, hoc est agnus Paschalis, *fiat* Judæis *in laqueum*, ut nimirum occasione paschatis omnes Hierosolymam conveniant, ibique a Tito obsideantur et capiantur : ita enim re ipsa evenisse narrat Josephus, lib. VII *Belli*, cap. XVII.

Quinta.

Sexto, plaulor et simplicior sensus est, *q. d.* Sicut aves et pisces esca hami, vel retis capiuntur : ita Judæorum mensam, id est cibum, potum et omnem rerum temporalium affluentiam (usuris sæpe partam) qua vita sustentatur et recreatur, Deus vertat Judæis in exitium, ut iis superbiant, lasciviant, et Romanos provocent ad sui deprædationem et excidium ; utque iis, utpote per usuram partis, et incentivis ad omnem luxum et fastum, sibi viam sternant ad infernum. Ita S. Chrysostomus.

Sexta explicatio.

Mensa hic est temporalium copia.

Mensa animæ est sacra Scriptura et lex Dei.

Rursus, mensa spiritalis animæ, ait Anselmus, Origenes et Cajetanus, scilicet mensa legis Dei et S. Scripturæ, quas Judæi unas reputant delicias et summum suum bonum fiat eis in scandalum et in retributionem, id est in pœnam demeritorum, ut scilicet justo Dei judicio, quia ea abusi sunt, et quia ex ea Christum agnoscere noluerunt, jam inde mortem et excæcationem petant, unde vitam et lumen capiabant.

Vers. 10. Quid dorsum eorum incurvare?

10. ET DORSUM EORUM SEMPER INCURVA. — *q. d.* Magis magisque, o Deus, onera illos, eo modo quo potes, erroribus, scandalis, calamitatibus, servitute, ait Theodoretus, ut oneribus pressi, ceu silicernia curvati in terram, incedant.

Secundo, « dorsum eorum incurva, » hoc est, effice ut voluntas affectusque eorum curvati in terram lucro et terræ affigantur, nec adspiciant aut requirant bona cœlestia. Sic Poeta dicit :

O curvæ in terris animæ, et cœlestium inanes!

tales jam videmus Judæos.

11. DICO ERGO : NUMQUID SIC OFFENDERENT, ET CADERENT? — *q. d.* Si hæc dicta Davidis de Judæis tam funesta, vera sunt : ergo Judæi in Christum, quasi in lapidem offensionis ita impegerunt et offenderunt, « ut caderent, » sine ulla spe resurgendi : hoc est, ut pleno et irreparabili casu elisi et attriti corruerint. Ita S. Chrysostomus et Theophylactus.

Objicit sibi (nam τὸ *dico ergo* objicientis est, ut dixi vers. 1) hoc Apostolus, ad leniendam ruinæ Judæorum invidiam et acerbitatem. Unde respondet :

Vers. 11.

ABSIT. SED ILLORUM DELICTO (per delictum, ruinam et lapsum Judæorum) SALUS EST GENTIBUS, UT ILLOS ÆMULENTUR. — *q. d.* Adeo non sprevit omnino Deus Judæos, ut voluerit uti vocatione Gentium ad Judæorum conversionem : ideo enim Judæis, fidei obluctantibus, vocavit ad justitiam et salutem Gentes, et Apostoli ad Gentes suam prædicationem transtulerunt, ut Judæi Gentium sanctimoniam, ac dona fidei et gratiæ Spiritus Sancti videntes, sancta quasi invidia excitarentur ad eos imitandos, fidemque Christi reciperent. Et hoc est quod ait, « ut eos æmulentur, » id est ut Gentes provocent « eos, » scilicet Judæos, ad æmulationem et sui imitationem. Hoc enim est τὸ *æmulentur* : nam idipsum significat Hebræum קִנְאָה *kinna*, id est æmulari ; et sic sumitur Græcum παραζηλώσω, vers. 14. Ita Origenes, Chrysostomus, Theodoretus et Ambrosius.

Gentes vocata ut Judæi ex-citentur ad suæ salutis desi-derium.

Vim dic-tionis duæ si-gnificat.

Nota : Unus cadente et excidente a gratia et gloria, alius mox a Deo erigitur et destinatur ad cadentis coronam. Sic angelis labentibus, hominibus ; Judæis incredulis, Gentes ; uni genti cadenti altera surrogatur et succedit. Hinc *Apoc.* III, 11, quisque monetur : « Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam. »

12. QUOD SI DELICTUM ILLORUM DIVITIÆ SUNT MUNDI, ET DIMINUTIO EORUM DIVITIÆ GENTIUM. — *q. d.* Si Judæorum incredulitas et diminutio, id est paucitas credentium, Gentibus occasio fuit tanti boni et tantarum divitiarum spiritualium, scilicet prædicationis Evangelii (hæc enim a Judæis repulsa ad Gentes deflexit), fidei, justitiæ et salutis, ut quantum Judæi tum gratia, tum numero credentium imminuti sunt, tantum Gentes tam numero, quam gratia credentium ditarentur et crescerent.

QUANTO MAGIS PLENITUDO EORUM, — cum videlicet plena eorum multitudo, atque universus Israel in fine mundi credet Christo, supple, ditabit et provocabit, confirmabitque Gentes ad se imitandum ; maxime cum multi ex Israelitis ab infantia in sacris Litteris versati, cum Elia et Henoch per orbem prædicabunt, et Christum e Scriptura efficaciter et clare Judæis demonstrabunt.

Nota : Non dicit Apostolus, conversio eorum, sed *plenitudo* ; quia hanc apposite opponit eorumdem diminutioni. Est argumentum a minori ad majus : hoc enim contingit et sequitur per se, illud vero per accidens. Magis autem verisimile est futurum esse id, quod per se ex re quapiam natum est sequi, quam id quod tantum per accidens sequitur, *q. d.* Si de malo quod per se adversatur bono, puta de Judæorum incredulitate, per accidentariam occasionem divina sapientia tantum elicuit bonum, puta conversionem omnium Gentium, quæ millies plures sunt Judæis ; quanto magis ex bono, quod per se ordinatur ad bonum, puta ex Judæorum fide et conversione, eliciet idem Deus ingens bonum, puta Gentium in fide propagationem et confirmationem, ut ita per Judæos totus mundus ad florentem optimumque statum, adeoque ad salutem et gloriam æternam perducatur? En quam Apostolus Gentibus facit desiderabilem Judæorum fidem et conversionem, ut Judæis incredulis non insultent, sed iis condoleant et compatiantur, eosque verbo et exemplo convertere satagant. Ad idipsum mox Gentes incitat suo exemplo, dum subdit :

Cur dixerit Apostolus, *plenitudo*?

13. MINISTERIUM MEUM HONORIFICABO (1). — Nota τὸ *honorificabo*, id est laudabo, honorifice peragam, illustrabo et exornabo prædicationem Evangelii apud Gentes ; ut Spartam quam nactus sum, quæque mihi commissa est, hanc exornem, quod Hebræi dicunt אכבד *acabbed*, id est condecorabo,

(1) Commata 13-15 ad vers. 11 referenda sunt, *q. d.* Apostolus : Quia Judæi ad æmulationem sunt excitandi, illustrabo (operor ut fructiferum reddam) ministerium meum apud vos, ut exemplo vestro provocentur consanguinei mei ad Ecclesiam intrandam, quod maximi est momenti, nam eorum conversio totius mundi conversionem operabitur. Ita Allioli in h. l.

glorificabo tam verbis quam factis. Unde Syrus vertit, משבח mesabbach, id est gloriosam efficiam, encomiis celebrabo. Ita S. Bernardus, epist. 28 *ad Ardutionem*, Gebennensem Episcopum, eum hisce verbis exstimulat : « Paulum, inquit, imitari curato in honorificando ministerium tuum. Honorificabis autem gravitate morum, maturitate consiliorum, actuum honestate. Hæc sunt quæ officium Episcopale maxime nobilitant et ornant. » Et epist. 42 *ad Henricum*, Senonensem Archiepiscopum : « Non in corrigendis, inquit, sis remissior, non severior in parcendis, non pusillanimis in exspectandis. Nec superfluus in victu, nec notabilis in vestitu. Non citus ad promittendum, non ad reddendum tardus, nec prodigus dator. Istorum consilium longe semper fuerit a vobis malum tempori vetus, sed cupiditati novum, simonium et matrem ejus avaritiam, quæ est idolorum servitus. Et ut brevi omnia sermone concludam, si his credideritis in omnibus exemplo Apostoli, honorificabitis ministerium vestrum : ministerium, inquam, non dominium. Ipsum itaque honorificabitis, non vos. Nam qui quærit quæ vestra sunt, se cupit honorari, non ministerium. » Novum deinde modum honorificandi subjicit : « Honorificabitis autem non cultu vestium, non equorum fastu, non amplis ædificiis, sed ornatis moribus, studiis spiritualibus, operibus bonis. Quam multi aliter ! Cernitur in nonnullis sacerdotibus vestium cultus plurimus, virtutum aut nullus, aut exiguus. » Et paulo post : « Non Christi stigmata sunt hæc, quæ isti Martyrum exemplo circumferant in corpore suo : mulebria potius esse noscuntur insignia. »

Vers. 14. Si quomodo ad æmulandum provocem carnem meam, — puta Judæos, qui mihi secundum carnem cognati et consanguinei sunt, *q. d.* Tanti facio Judæos eorumque salutem, ut non tam Gentium, quam Judæorum me Apostolum esse profitear. Nam ideo Gentium sum Apostolus, ut nimirum hoc meo apostolatu apud Gentes, provocem Judæos ad sanctam quamdam æmulationem ; ut scilicet ipsi tam me, quam Gentes quas converto, imitentur in fide et zelo Christi.

15. Si enim amissio (abjectio, reprobatio : græce enim est ἀποβολή ; S. Augustinus legit, *si rejectio*) eorum (Judæorum) reconciliatio est mundi (puta occasio est conversionis et reconciliationis omnium gentium totius mundi, juxta sensum jam datum, vers. 12), quæ (qualis et quam læta erit) assumptio (id est, ut Syrus, restitutio et adjunctio Judæorum ad Christum ? sane non erit alia), nisi (talis qualis est) vita ex mortuis, — si nimirum mortuus quis, vel potius plurimi mortui ad vitam resurgant, *q. d.* Si Judæorum incredulitas et abjectio Gentibus et universo orbi attulit occasionem reconciliationis, quia videlicet fides a Judæis repulsa ad Gentes pertransiit : quam gaudenda res erit, si etiam ipsi Judæi rursum assumantur ad fidem ? Videlicet perinde erit ac si mortuus quis ad vitam revocetur : imo ac si mundus ipse, qui Gentibus constat et Judæis, altera parte demortuus, integer plane reviviscat : quomodo mortuo ad vitam redeunte, gaudent omnes, et nemo dolet, aut detrimentum patitur. Ita Ambrosius.

Secundo, « nisi vita ex mortuis, » *q. d.* Judæis assumptis et conversis ad Christum, nihil jam restabit amplius (Gentes enim omnes ad Christum jam tum converse erunt), nisi ut veniat finis mundi, et mortuorum resurrectio, et redemptionis hominum consummatio, ut nimirum omnes tam Judæi, quam Gentes fideles et electi cum Christo transeant ad vitam et gloriam æternam. Ita S. Chrysostomus, Theodoretus, Anselmus, Cajetanus.

Judæos conversos omnia simul erunt consummata.

16. Quod si delibatio sancta est, et massa. — *q. d.* « Si delibatio, » hoc est primitiæ pastæ ciborum et panum Deo consecrentur, etiam tota reliqua massa vel pasta censetur quasi Deo consecrata. Alludit enim Apostolus ad *Numer.* XV, 20, ut patet, si græcos textus utrobique conferas. Utrobique enim est ἀπαρχὴ et φύραμα, pro quo noster interpres ibi *pulmentia*, hic *massam* vertit. Jam sensus est, *q. d.* Quandoquidem Judæorum primitiæ, id est, ut Chrysostomus, *Patriarchæ et Prophetæ* ; et, ut Theodoretus, *Christus* ; et, ut aptissime, Ambrosius et Anselmus, *Apostoli et primi Christiani* ex Judæis, ceu primitiæ oblati sunt Deo et deputati ad fidem et sanctitatem, etiam reliquum corpus Judæorum Deo censetur oblatum et deputatum, atque morali quadam æstimatione et analogica quadam sanctitatis aspergine sanctificantur, quasi in spe, præparatione, semine ac familia, scilicet in sanctis progenitoribus. Est nova ratio, qua Paulus probat Judæos non esse respuendos, quasi a Deo rejectos et reprobatos, ex eo quod ipsi sanctorum patrum sint filii, ideoque sancti, juxta sensum jam datum.

Vers. 16. Locus est lib. Numer. Illustratus. Delibatio hic sunt Apostoli primi Christiani.

Nihil ergo hic habet Calvinus quo probet infantes fidelium esse sanctos, nec egere baptismo, ut sanctificentur : pari enim modo probaret Judæos incredulos esse sanctos, quia eorum parentes fuerunt sancti. De his enim ad litteram loquitur Apostolus. Simili modo I *Corinth.* VII, 14, non tantum filios, sed et conjugem vocat sanctum, si alter conjux sit sanctus, id est Christianus, quem tamen proprie per alterum conjugem sanctificari, nemo, ne ipse quidem Calvinus, dixerit.

Judæi cur non respuendi?

Rejicitur error Calvinistarum infantes fidelium baptismo non egere ad sanctificationem.

Et si radix sancta, et rami. — Idem dicit alia metaphora, *q. d.* Si Patriarchæ sancti fuerunt et sunt : ergo filii eorum, puta Judæi, a sanctitate non sunt repellendi, inquit Theodoretus ; imo ipsi in suis parentibus morali quadam denominatione jam sancti et sanctificati esse videntur, adeoque re ipsa sancti sunt, si suæ radici, id est fidei et sanctitati suorum parentum, inhæreant et insistant. Unde sequitur :

Quomodo filii in parentibus sunt sancti dicuntur?

17. Quod si aliqui ex ramis (ex Judæis) fracti sunt. — Græce ἐξεκλάσθησαν, *defracti sunt*, puta a

Vers. 17.

sua radice, scilicet a fide et justitia suorum parentum exciderunt, eo quod fidem quam in Christum venturum habuerunt, in eum venientem abjecerint. Pendet sensus hujus sententiæ a sequentibus, ibique expletur. Subdit enim Paulus :

Tu autem (o populo Gentilis), cum oleaster esses (ἀγριέλαιος, agrestis olea, et infrugifera bonorum operum, ob infidelitatem et impietatem, quia Gentilis), socius (particeps) radicis et pinguedinis olivæ factus es, — puta fidei, gratiæ et pinguedinis Spiritus Sancti, quam Judæorum parentes habuerunt, maxime Abraham pater credentium ejusque posteri, qui fuerunt Ecclesia Dei : hæc enim est oliva.

Nomen olivæ, ait Anselmus, sumptum est ex *Jeremiæ* XI, 16, ubi de populo Israel dicitur : « Olivam uberem (hebraice זַיִת רַעֲנָן *zeitan raanan*, id est *virentem*), pulchram, fructiferam, speciosam, vocavit Dominus nomen tuum, » *q. d.* O Israel, o Synagoga, eras Domino quasi oliva virens et florens, cum sum sincere et fideliter coleres, in summa pace et rerum abundantia felix, beata ac famosissima inter Gentes. Sæpe Scriptura Ecclesiam et fideles comparat arboribus ; sic Christus est vitis, nos palmites, nos in hac vita et olea illi complantamur, et quasi plantæ et rami adolescimus. Vide dicta cap. VI, vers. 5.

Vers. 18. 18. Noli gloriari adversus ramos (jam fractos, puta contra Judæos incredulos) ; quod si gloriaris, non tu radicem portas, sed radix te. — *q. d.* Si tu, o Gentilis fidelis, insultas Judæo infideli, respondebitur et dicetur tibi, te tantum insertum esse radici, id est fidei et Ecclesiæ sanctorum Patriarcharum, Prophetarum et Apostolorum, qui omnes Judæi fuerunt, ab eaque te omnem gloriam et utilitatem sugere, idque gratis, ideoque rursum exscindi posse ; ut et rami naturales, id est Judæi, ob superbiam effracti et evulsi sunt.

Memoretur Gentes non superbire.

19. Dices ergo : Fracti sunt rami, ut ego inserar. — Te ut hic et alibi, non finem, aut scopum a Deo intentum, sed tantum eventum et consecutionem significat, *q. d.* Fracti sunt et rejecti Judæi ab Ecclesia : unde factum et consecutum est, ut ego Gentilis Judæorum vice illi aggregarer et insererer.

Judæi ob suam incredulitatem fracti sunt, Gentiles inserti sunt.

20. Bene (et recte dicis ; sed scito, quod) propter incredulitatem fracti sunt, tu autem fide stas (male Erasmus et Cajetanus putant vertendum, *statisti*, vel *constitisti* ; nam Græcum ἕστηκας licet sit præteritum, vim tamen habet præsentis. Hoc enim creberrimum est Hebræis. *Stas* ergo, id est insertus es oleæ per fidem) ; noli (ergo) altum sapere (id est superbire), sed time. — Gluten enim quo radici et oleæ jam dictæ uniris, scilicet fides, non est ita firma, quin ab ea excidere, et consequenter a radice separari possis, uti jam multas gentes ab Ecclesia separatas et a fide excidisse videmus.

Cajetani et Erasmi verba rejicitur.

Stari pertinaciter non valet.

Nota hic contra Calvinum, hominem posse

excidere a fide ut gratia ; Gentes enim hæ veram habebant fidem, et tamen Apostolus minatur eis excidium a fide et Ecclesia. Sicut Judæi veram habentes Christi fidem, eo veniente, illam perdiderunt.

Rursum locus hic totus moralis est, excitans quemlibet fidelem ad timorem et diligentiam in officiis Christianismi, ne, si in iis negligens sit, a fide vel statu, vocatione et gradu suo excidat, sicuti Judæi exciderunt, et nostri apostatæ quotidie excidunt. « Optimus virtutum et beneficiorum custos est timor, » ait Anselmus. « Ideo, inquit S. Augustinus, *epist.* 107, non perseveraturi perseveraturis providentissima Dei voluntate miscentur, ne regenerati et pie vivere incipientes securi alta sapiamus. » Rursum ex hoc loco docet S. Chrysostomus, in *Morali*, patrum morita filios degeneres non juvare. Audi et S. Bernardinum, epist. 42 *ad Henricum*, Senonensem Archiepiscopum : « Noli, ait, altum sapere, sed time. In alto positum non altum sapere difficile est, et omnino insuitatum. sed quanto insuitatius, tanto gloriosius. Timor de adepta jam altitudine, tædere magis quam placere facit altiora. Non vos ergo felices, quia præsestis : sed si non prodestis, infelices putate. Et autem secure præesse possitis, subesse et vos si cui debetis, non dedignemini. Dedignatio quippe subjectionis, prælationis reddit indignum. Sapientis est consilium : Quanto major es, tanto humilia te in omnibus. Sapientiæ vero præceptum : Qui *major* est vestrum, fiat sicut junior. »

21. Si enim Deus naturalibus ramis (Judæis, expellendo eos a sua Ecclesia, amicitia et salute) non pepercit (time), ne forte nec tibi (Gentili insititio, si in fidem aut vitam Christianam peccES) parcat.

22. In eos quidem, qui ceciderunt, severitatem (quia incredulos Deus exclusit a se, sua gratia, amicitia et salute) : in te autem bonitatem (χρηστότητα, id est *benignitatem*, qua scilicet te ad suam gratiam, amicitiam et gloriam adsevit et acceptavit) Dei, si permanseris in bonitate. — Hoc est, in fide Christi, ait Clemens Alexandrinus, lib. I *Pædag.*, cap. VIII.

Secundo, Anselmus : « In bonitate, » inquit, hoc est in gratia et bonis operibus. Verum hæc non sunt genuina ; nam bonitas hæc non est hominis, sed Dei. Est enim eadem cum ea, de qua paulo ante dixit : « Vide in te bonitatem Dei. » Græce enim utrobique est χρηστότης, id est bonitas, benignitas. Sensus ergo est, *q. d.* Vide, o fidelis, Dei erga te bonitatem et benignitatem, si tu in hac Dei bonitate permanseris, nimirum si digne vivas illa benignitate, quam tibi præstitit Deus, illam laudando, illi gratias agendo, illi serviendo et obediendo, ut te semper eadem Dei bonitas suis favoris et cura paternæ brachiis stringat, tueat, foveat et complectatur. Alioquin enim, si hui Dei bonitati ingratus sis, inobediens et rebellis, et tu excideris ex hac olea Dei. Id est Ecclesia.

Nota *si permanseris*. Hinc enim patet *primo*, quod perseverantia certum est signum et causa electionis et prædestinationis ad salutem et gloriam æternam. Hinc patet *secundo*, quod de perseverantia hac nemo sit certus. Vide S. Augustinum, lib. XI *De Civitate Dei*, cap. XII.

23. SED ET ILLI (Judæi increduli) SI NON PERMANSERINT IN INCREDULITATE, INSERENTUR (in hanc oleam Ecclesiæ, de qua dixi vers. 17); POTENS EST ENIM DEUS ITERUM INSERERE ILLOS. — Nota in voce « potens est » mirum : *vi potens* enim non nullam Dei potentiam, sed et actum effectumque significat, *q. d.* Si Judæi suam perfidiam mutent in fidem, Deus per suam potentiam potest eos inserere, adeoque re ipsa potenter rursum inserat eos suæ Ecclesiæ. Similis est phrasis II *Corinth.* IX, 8.

24. NAM SI TU EX NATURALI EXCISUS ES OLEASTRO (puta ex gentilitate et paganismo, qui sterilis, inculta et agrestis fuit instar oleastri, sive oleæ agrestis et silvestris), ET CONTRA NATURAM (oleastri hujus) INSERTUS ES IN BONAM OLIVAM (Ecclesiæ, quæ culta est, fertilis et suavis, instar oleæ), QUANTO MAGIS HI QUI SECUNDUM NATURAM (puta Judæi, qui secundum naturalem propagationem prognati sunt ex hac olea, puta a fidelibus et sanctis Patriarchis, quibus promissio Messiæ facta est, qui proinde erant populus et Ecclesia Dei : Abrahæ enim dictæ sunt promissiones et semini ejus : Judæi, inquam, si suam perfidiam deserant, et credant in Christum, rursum) INSERENTUR SUÆ OLIVÆ, — pristinæ scilicet Ecclesiæ Dei?

Hunc locum pulchre tractat S. Augustinus in *Psal.* LXXII, ubi in hac oleastri in olivam, puta Gentilis populi in Judaicum et fidelem, insitione duo annotavit miracula. *Prius* est, quod dicat Apostolus oleastrum insertum esse in oliva, cum e contrario oliva inseri soleat in oleastro. *Posterius* est, quod oleaster ille insertus in oliva, non oleastri, sed olivæ fructus protulerit, cum in naturali insitione contrarium accidat : siquidem id quod inseritur ipsum est quod crescit, fructumque fert non arboris cui inseritur, sed surculi proprii qui fuit insertus. Atque hac de causa Paulus hanc insitionem appellat « contra naturam. »

25. NOLO ENIM VOS IGNORARE, FRATRES, MYSTERIUM HOC (quod sequitur, scilicet), QUIA (quod) CÆCITAS EX PARTE CONTIGIT IN ISRAEL, DONEC PLENITUDO GENTIUM INTRARET. — Probat hic Paulus id quod dixit, non ita Judæos esse exclusos ab Ecclesia et regno Dei, quin rursum illi inseri possint, ex eo quod de facto rursum illi inserendi sint post conversionem et insitionem Gentium. Idque Apostolus vocat *mysterium*, id est mirabile, arcanum et stupendum Dei judicium, et dispositionem, providentiam, permissionem et ordinationem, qua factum est et consecutum, ut missio Christo primo Judæi excæcarentur, hoc consilio, ut Gentes vocarentur ad salutem, ac deinde omnes Judæi illuminarentur, crederent et salvarentur.

UT NON SITIS VOBIS IPSIS SAPIENTES. — Ne vos prudentes seu sapientes rati, efferamini et aliquid vobis insolenter arrogetis. Ita Theodoretus. Unde aliqui vertunt : « Ne sitis insolentes, » vel elati. Est ergo metalepsis, « ne sitis sapientes, » id est superbi. Sapientia enim parit superbiam. Loquitur Apostolus Gentibus fidelibus ne de sua fide, sapientia et prudentia superbiant et insolescant contra Judæos in sua incredulitate et cæcitate manentes.

QUIA CÆCITAS EX PARTE (id est aliquibus, inquit S. Chrysostomus et Theodoretus) CONTIGIT IN ISRAEL. — Pro *cæcitas*, græce est πώρωσις, id est *obduratio*. Sed πώρωσις subinde idem est quod τύφλωσις, id est *cæcitas*. Ita Theodoretus, Syrus et alii.

DONEC PLENITUDO GENTIUM INTRARET. — Το *intret*, *q. d.* Cæcitas erit in Israel, donec numerus eorum, qui ex Gentibus credituri sunt, plene compleatur, intretque in ovile Christi. Et sic post eos omnis Israel salvus fiet, et ex utroque Gentium ac Judæorum plenitudine, una plena et perfecta consurget existetque Ecclesia.

26. ET SIC OMNIS ISRAEL SALVUS FIERET. — Græce σωθήσεται, id est salvus erit, salvabitur. Aliqui hic *Israel* non carnalem, sed spiritalem accipiunt, puta omnes ex Judæis et Gentibus credentes et salvandos. Ita Theodoretus, Augustinus, Hieronymus, in cap. XI *Isaiæ*, Cæsarius apud Nazianzenum, *dialog. 4*. Verum patet Apostolum toto hoc capite agere de Israele carnali, non spirituali. Ita docent alii omnes Patres et interpretes Græci et Latini.

Unde *secundo*, melius S. Chrysostomus, Ambrosius, Origenes et Hilarius in *Psal.* LVIII : « Omnis Israel, » inquiunt, hoc est omnes Judæi. Quare ex hoc loco S. Chrysostomus, S. Thomas, Cajetanus et Sotus censent omnes omnino Judæos in fine mundi convertendos et salvandos esse.

Tertio et optime, « omnis Israel, » id est pene omnes, plurimi ex singulis tribubus Israel, excepta una tribu Dan, in fine mundi convertentur et salvabuntur. Excipio tribum Dan, quia ex hac nulli signantur inter 144 millia signatorum ex XII tribubus Israel, *Apocal.* VII. Unde multi putant Danitas adhæsuros contribuli suo Antichristo. Sane S. Hippolytus, lib. *De Consumm. sæculi*, et multi alii docent, quod Antichristus præcipuos sectatores et propugnatores habebit Judæos. Idque satis significat Christus *Joan.* V, 43, et Paulus II *Thessal.* II, 10, ut ibi dicam. Ergo omnes omnino Judæi in fine mundi non convertentur ad Christum.

SICUT SCRIPTUM EST (*Isaiæ* LIX, 20) : VENIET EX SION, QUI ERIPIAT, ET AVERTAT IMPIETATEM A JACOB. — Puta ab Israel; Jacob enim ab angelo vocatus est Israel, *Genes.* XXXII, 28, indeque omnes ejus posteri, puta Judæi, vocantur familia Jacob vel Israel.

Nota, pro ex *Sion*, hebraice est לְצִיּוֹן *letsion*, quod noster Interpres in Isaia vertit, « veniet Sion, » id est *Sioni*; Septuaginta et ex iis Cyrillus vertunt, prout jam in iis legimus, ἕνεκεν Σιών, *propter Sion*. Sed S. Hieronymus docet eos vertisse, ἐκ Σιών, *ex Sion* : idque verum esse, patet hic ex S. Paulo, et Hebræum ל subinde significat *de*, ut patet II *Reg.* XV, 19. Jam sensus est, *q. d.* Isaias : Ex gente et tribu Juda, quæ habitat in Sion, nascetur Christus, qui Jacobi, id est omnium tribuum Israel, iniquitatem auferet.

Christus nascetur e habitatribus Sion.

Vers. 27. 27. ET HOC ILLIS A ME TESTAMENTUM, — hoc est fœdus (de quo dicam I *Corinth.* XI, 23) quod ego Deus cum hisce Judæis credentibus inibo. Hoc fœdus Isaias, cap. LIX, sequentibus verbis explicat, dicens : « Spiritus meus qui est in te, et verba mea quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, et de ore seminis tui usque in sempiternum, » *q. d.* « Spiritus Sanctus qui est in te, » o Christe (ita Procopius et Cyrillus ibidem : volunt enim ipsi hæc esse verba Patris ad Filium); vel potius, « qui est in te, » o Jacob et Sion, id est, o Ecclesia ex Judæis congreganda, « et verba mea, » id est lex mea et præcepta mea, « non recedent de ore tuo; » sed ea exequeris et præstabis, tum fide, tum fidei professione et vita sancta, per gratiam et opem ejusdem Spiritus : novum enim Testamentum est fœdus gratiæ et Spiritus; sicut vetus Testamentum fuit fœdus legis, minarum et pœnarum, uti fusius describit Jeremias, cap. XXXI, 33.

Locus Isaiæ ex explicatus.

Judæorum salus de morali conversione conditionata.

Addit et explicat non Isaias, sed Apostolus, id fore, cum abstulerit Deus peccata eorum, in fine scilicet mundi, ut ait S. Chrysostomus et S. Augustinus, lib. XX *De Civit.*, cap. XXIX, per prædicationem Eliæ et Henoch, ut patet *Malach.* I, 8, et *Apocal.* XI, 3. Ex hoc ergo Apostoli loco, uti et ex Malachia, certissime statuitur traditio Ecclesiæ, de conversione Judæorum ad Christum in fine mundi.

An omnes Judæi in fine mundi convertendi? Affirmat. Negat alii, et infima pars Patrum.

28. SECUNDUM EVANGELIUM (cui adversantur Judæi) INIMICI (sunt Dei) PROPTER VOS, — ut vos, o Gentes, hac occasione recipiatis prædicationem et fidem. Ita Ambrosius et alii. Urget, repetit et inculcat hoc Apostolus, ut Gentes beneficium Evangelii sibi occasione Judæorum præstitum agnoscant, ideoque illis, licet incredulis, non indignentur, sed commisereantur.

Deus sanctis Patriarchis promisit conversionem posterorum.

SECUNDUM ELECTIONEM AUTEM (qua Deus olim Judæos in populum sibi elegit) DEO CHARISSIMI (sunt) PROPTER PATRES, — scilicet sanctos Patriarchas, Deo amicos, quibus Deus promisit se filios eorum in fine mundi ad Christum conversurum, electurum ad suam amicitiam, Ecclesiam et salutem, postquam Gentium plenitudo intrarit : Deus autem promissa sua servabit et complebit, ac propterea, cum in fine mundi Judæi fidem suscipient, lætissime suscipientur ab Ecclesia propter eorum patres. Ita Ambrosius, Origenes, Augustinus.

29. SINE PŒNITENTIA SUNT DONA, ET VOCATIO DEI. — « Sine pœnitentia, » græce ἀμεταμέλητα, *immutabilia*. Unde codex Basileensis legit ἀμεταβλήτα, et Syrus vertit, *non mutavit Deus donum suum et vocationem*. Sensus est : Licet Judæi jam sint increduli, Deus tamen non revocat id, quod absolute dedit, vel promisit, ac consequenter quod Patriarchis promisit, puta vocationem, protectionem et amorem erga filios eorum, maxime convertendos in fine mundi : hoc re ipsa præstabit, *q. d.* Deus Judæos, quos olim ad se per Mosem vocavit, et promisit decrevitque ad Christum vocare, donisque gratiæ et gloriæ afficere, hosce jam de facto vocat, et maxime vocabit in fine mundi, eisque bona spiritualia quæ promisit, largietur : tunc enim Judæi pertæsi tot malorum et tam longæ suæ cæcitatis et desolationis, per prædicationem et miracula Eliæ et Henoch, aperient oculos credentque in Christum.

Notat S. Thomas et Cajetanus, hanc propositionem Apostoli : « Sine pœnitentia sunt dona, et vocatio Dei, » veram esse de vocatione efficaci et absoluta, quæ effectum suum consequitur, qualis est prædestinatorum. Hoc verum est, atque hoc loco ex præscientia conversionis Judæorum in fine mundi talis efficax intelligitur Dei vocatio. In genere tamen hæc propositio Apostoli etiam de inefficaci vocatione et gratia vera est, quantum est ex parte Dei. Sic Deus vocavit Hebræos, eisque promisit fertilitatem terræ Chanaan, sub conditione : Si impleatis legem meam; Judæi hanc conditionem non servarunt, unde Deus re ipsa non implevit subinde promissionem hanc suam. Sed quantum est ex parte sua, promissionem adimplevit, quia paratus erat dare, et de facto dedisset eis hanc fertilitatem, si ipsi conditione et pactis, id est lege sua, stetissent.

Secundo, Ambrosius sic explicat : « Sine pœnitentia sunt dona Dei, » *q. d.* Donum baptismi non indiget pœnitentia, sed sola fidei professione, quod sic intellige : Baptismus non indiget pœnitentia, scilicet satisfactoria. Nam alioqui baptizandus pœnitere debet et dolere de peccatis admissis. Ita S. Thomas. Verum hic sensus non est ad mentem Apostoli.

Nihil ergo hic habent Novantes pro sua certitudine gratiæ singulorum fidelium et electorum etiam teste Calvino : quia, ut ipse fatetur, Apostolus hic loquitur de electione, non cujusque sed totius gentis Judaicæ. Multo absurdius hinc inferat alius quispiam novator : « Sine pœnitentia sunt dona Dei; » ergo sine pœnitentia, per solam fidem Deus dat peccatoribus veniam et gratiam.

30. SICUT ALIQUANDO ET VOS (o Gentes) NON CREDIDISTIS, etc., PROPTER INCREDULITATEM ILLORUM (Judæorum) : 31. ITA ET ISTI (Judæi) NUNC NON CREDIDERUNT IN VESTRAM MISERICORDIAM (ut vos, o Gentes, ea occasione misericordiam prædicationis, fidei et gratiæ a Deo reciperetis) : UT ET IPSI (Judæi) MISERICORDIAM CONSEQUANTUR, — ut provocati scilicet vestro exemplo, maxime cum vide-

riot plenitudinem Gentium intrasse, credant in Christum, itaque misericordiam, gratiam et gloriam consequantur.

32. CONCLUSIT ENIM DEUS OMNIA IN INCREDULITATE, UT OMNIUM MISEREATUR, — *Concludit*, id est, convicit Deus successive omnes homines infidelitatis, inquit S. Chrysostomus et Theodoretus.

Secundo et melius, Origenes : *Conclusit*, id est concludi permisit Deus omnes sub peccato, et sub incredulitate. Peccator enim peccato, quasi saxo vel carcere clauditur; quia ex eo sine Dei gratia egredi nequit.

Concludit Apostolus totam hanc disputationem suam cœptam cap. IX, eadem propositione, quam proposuit cap. I et II, scilicet, omnes homines tam Judæos quam Gentes esse peccatores, et sub peccati jugo concludi, atque indigere gratia Dei et Christi, ut hac ratione tam Gentes quam Judæos humiliet, itaque utrosque ad concordiam redigat, utque donum Dei et gratiam, ac beneficium Christi illustret. Sed quod cap. I et II dixit et ostendit de variis peccatis, id jam fidei necessitate demonstrata, concludit de uno peccato infidelitatis, *q. d.* Deus tam Judæos quam Gentes tenebris longæ infidelitatis successive et vicissim concludi permisit, ut eos ad fidem et gratiam suam vocaret ac liberaret, itaque gloriosam suam misericordiam omnibus patefaceret.

Nota *primo* : « Omnia, » id est *omnes*, ut habet Græcus et Syrus, scilicet tam Judæos, quam Gentes.

Nota *secundo* : Pro *incredulitate*, græce est ἀπείθεια, quæ idem est quod pertinacia non credendi, etiam auditis quibuscumque rationibus, *q. d.* impersuasibilitas. Verum Apostolus hic ἀπείθειαν tribuit etiam Gentibus : unde videtur ἀπείθειαν pro ἀπιστίᾳ, puta pro *infidelitate*, sumere.

Nota *tertio* : Cum ait : « ut omnium misereatur, » *omnium* intellige non hominum, sed nationum, id est tam Gentilium quam Judæorum. Est enim distributio pro generibus singulorum, non autem pro singulis generum. Ne quis ergo hinc cum Origene concludat, dæmones et damnatos aliquando salvandos fore. Ita S. Augustinus, lib. XXI *De Civit.*, cap. XXIV.

33. O ALTITUDO DIVITIARUM! (o profundas divitias! græce ὦ βάθος πλούτου, o profundum divitiarum, vel thesauri! *q. d.* O alta profunditas et profunda altitudo! ὦ βάθος! ὦ πλοῦτος! o profundum! o abyssus! o profundum abyssi et abyssalem profunditatem divitiarum) SAPIENTIÆ ET SCIENTIÆ DEI!

Nota : *Altitudo* sæpe pro profunditate sumitur, quia profunditas, licet respectu nostri climatis descendat, tamen respectu alterius orbis et hemispherii tendit in altum; sic altus puteus vocatur profundus, et fossa alta, id est profunda.

Nota *secundo* : τὸ *divitiarum* Ambrosius et Augustinus jungunt cum sapientia et scientia Dei, *q. d.* O altas divitias! o profundos thesauros sapientiæ et scientiæ Dei! o abyssalem et immensam sapientiam Dei! Vide S. Augustinum, serm. 11 *De Verbis Apostoli*. Nomen enim *divitiarum* copiam et exuberantiam significat, uti et nomen *altitudo*. Verum S. Chrysostomus, Origenes et Theodoretus melius ista distinguunt : Græca enim et Syrus hæc tria distinguunt per copulam *et* : sic enim habent, ὦ βάθος πλούτου, καὶ σοφίας καὶ γνώσεως θεοῦ, *O profundum divitiarum et sapientiæ et scientiæ Dei!* Huic distinctioni favent antecedentia et sequentia. *Primo*, quia Apostolus hic divinæ misericordiæ, de qua præcessit, non minus quam sapientiæ abyssum admiratur. *Secundo*, quia hæc tria ita distincta distinctim probat tribus sequentibus interrogationibus, scilicet, profundum sapientiæ, cum ait : « Quis cognovit sensum Domini? » profundum scientiæ, cum addit : « Aut quis consiliarius ejus fuit? » profundum divitiarum, cum subdit : « Aut quis prior dedit illi? »

Divitiæ hic sunt humanum misericordia Dei.

Ubi adverte : per *divitias* accipit hic Paulus magnitudinem misericordiæ Dei, qua nos divites fecit in omnibus donis gratiæ et gloriæ, ut patet *Ephes.* I. Sensus ergo est, *q. d.* O profundam misericordiam, sapientiam et scientiam Dei! Misericordiam, qua omnium misertus est; sapientiam, qua, ut ait Gregorius, lib. XXIX *Moral.* XXVIII, omnia concludi permisit sub peccato et infidelitate, quaque ita omnia dispensavit, ut primo negligeret gentes, ut sic Judæos eligeret; deinde Judæos rejiceret, ut sic eligeret Gentes; denique utrosque in fine eligeret et complecteretur. Scientiam, qua omnia futura distinctissime novit antequam fiant, ut Judæorum rejectionem, Gentium adoptionem et justitiam : quod hoc loco spectat Apostolus. Oh hoc enim exclamat : « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! » Et hoc ipsum est, quod a cap. IX hucusque per tria hæc capita docere et demonstrare inteadit.

Sapientia Dei hic quænam?

Scientia Dei hic quænam?

Si enim Deus Messiam misisset cum pompa, divitem, splendidum et magnificum quasi alterum Salomonem, Judæi eum recepissent. Rursum Deus mille aliis modis habebat, quibus Judæos ad se traheret : sed noluit eos Judæis exhibere, voluitque unicum hunc justitiæ et salutis modum proponere, scilicet Messiam pauperem et crucifixum, quem sciebat a Judæis repudiandum, a Gentibus vero acceptandum. Si quæras, cur ita statuit, elegit et fecit Deus? non aliud respondere possum, quam quod Paulus hic respondet : « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! »

Quid hoc respectu Dei?

Nota *tertio*, quanta sit altitudo divinæ scientiæ : nam undecim modis et rationibus Dei scientia excellit et transcendit omnem scientiam angelicam et humanam. *Primo*, ratione objecti; Deus enim sua scientia cognoscit omnia præterita, præsentia, futura, omnia possibilia, atque scipsum quasi pelagus rerum omnium. *Secundo*, ratione modi et perfectionis in cognoscendo; cognoscit enim Deus omnia perfectissime, omni modo quo sunt cognoscibilia, ideoque omnia comprehendit. *Tertio*, ratione medii : Deus enim non per species,

Rationes quibus Deus excellit omnem scientiam angelicam et humanam.

Primo.

Secundo.

Tertio.

nec per effectus, sed per suam essentiam, quasi speculum clarissimum omnia cognoscit. *Quarto*, ratione celeritatis; in instanti enim, et uno mentis intuitu Deus omnia simul cognoscit. *Quinto*, ratione certitudinis; quia omnia, etiam contingentia, per se incerta, certissime cognoscit. *Sexto*, ratione æternitatis; quia nunquam ejus cognitio incepit, nunquam desinet. *Septimo*, ratione uniformitatis; quia cognitio Dei est invariabilis, et eadem semper, non prosciens, nec deficiens. *Octavo*, ratione simplicitatis et unitatis; quia uno et simplicissimo actu intelligendi Deus et seipsum, et alia omnia cognoscit. *Nono*, ratione entitatis; cognitio enim Dei non est accidentaria, ut est in hominibus et angelis, sed est substantialis Deo, estque ipse met Deus. *Decimo*, ratione causalitatis; quia cognitio Dei est idea et causa omnium rerum quæ fiunt. *Undecimo*, ratione fecunditatis et communicationis; quia Dei sapientia et scientia, quasi lux maxima, seipsam diffundit ad angelos, homines omniaque animalia, facitque cognosci et cognoscere omnia. Apostolus hic maxime considerat et miratur primum, quintum et decimum. Ita Pererius.

Quarto.

Quinto.

Sexto.

Septimo.

Octavo.

Nono.

Decimo.

Undecimo.

QUAM INCOMPREHENSIBILIA (Tertullianus, *Contra Hermogen.*, in fine, legit, *ininventibilia*) SUNT JUDICIA ET INVESTIGABILES (ἀνεξιχνίαστοι, id est, non investigabiles, impervestigabiles) VIÆ (id est consilia, modi, opera, rationes providentiæ) EJUS!

Vers. 34. 34. QUIS ENIM COGNOVIT SENSUM (græce νοῦν, hoc est *mentem, cogitationem*) DOMINI? — Hæc judicia Dei sternunt quamcumque superbiam. « Dii (ait Comicus) homines quasi pilas habent. » Et Zeno Imperator : « Indibrium Dei est homo; » ut homine quasi pila ludat Dei Sapientia in orbe terrarum. Hinc abyssus humanæ miseriæ invocat abyssum divinæ misericordiæ, ait S. Augustinus. Pari modo abyssus humanæ ignorantiæ et insipientiæ invocat abyssum divinæ scientiæ et sapientiæ.

Omnibus quasi secundum hæc.

AUT QUIS CONSILIARIUS EJUS FUIT? — *Consiliarius*, non tantum qui det consilium Deo, uti explicat Isaias (ad quem hic Paulus alludit), cap. XL, 13, sed etiam qui particeps et conscius sit consilii Dei; hic enim est σύμβουλος, *q. d.* Nemo est conscius consiliorum et arcanorum divinorum, ac proinde nemo scrutari debet cur, Judæis relictis, Gentes sibi jam asciverit Deus. Pulchre S. Bernardus, *epist.* 107 : « Quis, inquit, cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? non equidem nullus, sed rarus. Soli sane qui veraciter dicere possunt : Unigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarravit nobis. Væ mundo a strepitu. Clamat in populis iisdem Unigenitus tanquam magni consilii angelus : Qui habet aures audiendi, audiat. Et quoniam dignos non invenit sensus, quibus Patris committat arcanum, texit parabolas turbis; ut audientes non audiant, et videntes non intelligant. Cæterum amici sursum audiunt : Vobis datum est nosse mysterium regni Dei. Quibus et loquitur : Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Qui sunt hi? utique quos præscivit conformes fieri imaginis Filii Dei, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Magnum secretumque ignotuit consilium, novit Dominus qui sunt ejus. Sed quod notum erat Deo, manifestatum est hominibus. Nec alios sane dignatus est tanti participatione mysterii, nisi eos ipsos quos suos præscivit et prædestinavit. »

Omnibus quasi secundum hæc.

35. AUT QUIS PRIOR DEDIT ILLI, — quod non acceperit ab eo. Patet ex seqq.; tali enim titulo gratitudinis vere et proprie obstringeretur Deus, deberetque illi gratias agere, et par pari retribuere. Sensus ergo est, *q. d.* Nulli Deus ullo jure aut titulo obstringitur : quia nihil ab ullo accepit; quod prius non dederit illi. Nulli ergo Deus est debitor; ac proinde non est injustus, infidelis aut ingratus, si Gentes illuminet, Judæos vero in sua cæcitate relinquat.

Unde patet nihil hic contra merita dici. Nam, ut recte S. Augustinus, *De Verbis Apostoli*, serm. 16 : « Debitor nobis factus est Deus, non aliquid a nobis accipiendo; sed quod et placuit promittendo nobis, ut dicamus ei : Redde quæ promisisti, quia fecimus quod jussisti; et hinc ipsum quod fecimus tu fecisti, quia nos laborantes juvisti. » Hanc sententiam sumpsisse videtur Apostolus ex *Job* XLI, 2, ubi ait Dominus : « Quis ante dedit mihi, ut reddam ei? » Porro neminem Deo quippiam primo dedisse, quod non acceperit ab eo, probat Apostolus illa sententia quam subdit, dicens :

36. QUONIAM EX IPSO, ET PER IPSUM, ET IN IPSO SUNT OMNIA : IPSI GLORIA IN SÆCULA. AMEN. — « Ex ipso, » scilicet ut primo effectore, omnia essa acceperunt; « per ipsum, » quasi directorem, omnia disponuntur, diriguntur, perficiuntur; « in ipso, » hoc est ejus virtute, omnia conservantur, durant, operantur. Græce εἰς αὐτόν, in ipsum, scilicet omnia respiciunt et tendunt.

Nota : Licet hæc tria conveniant Deo, id est, tribus personis SS. Trinitatis; tamen, ut docet S. Augustinus, lib. I *De Trinit.*, VI, et ex eo passim doctores, præpositio ex appropriatur Patri, eumque insinuat, tanquam primum omnium principium, a quo omnia promanant, et a quo omnis potestas, actio et effectio profluit.

Per vero appropriatur Filio, quia *per* significat originem a Patre, et sapientiam per quam facta sunt omnia. Hinc et Gentiles Deum, puta Jovem, vocarunt Δία, id est *per*, a quo audi Aristidem, hymno *in Jovem* : « Est, inquit, Jupiter omnium rerum auctor et opifex, et per eum tum cœlestia, tum terrestria omnia efficiuntur, ut et nomen ipsum, a causæ vocabulo non procul remotum, declarat, cum Δία eum vocamus. Ζῆν; quidem vocatur, quod vitæ omnibus et essentiæ sit auctor : rursum, efficienti causæ cognominem ipsum dicimus, Δία appellantes, quod per ipsum facta sint et fiant omnia. » Διὰ enim Græcis idem est quod

per, *propter*; unde notat causam efficientem. Rursum, *per* significat mediatorem, ostium, pastorem et viam nostram ad Patrem : quæ omnia competunt Filio. Ita S. Basilius, lib. *De Spiritu Sancto*, cap. V et XXVI.

In denique appropriatur Spiritui Sancto, utpote cui attribuitur bonitas, amor, unio et perfectio. Est enim Spiritus Sanctus amor notionalis Patris et Filii, estque ipse in SS. Trinitate quasi finis, a quo ad aliam personam non fit progressus. Denique cum dicitur, *Ipsi gloria*, significatur unitas essentiæ, ut Athanasius, Hilarius, Augustinus, Origenes, Gregorius et alii docent contra Arianos.

Ex ipso ergo Deo sunt *omnia*, scilicet quæ habent verum esse, ait D. Thomas. Peccata autem non habent verum esse, sed potius ab eo deficiunt; unde non sunt ex Deo. Hæc enim est ratio formalis peccati, quod sit defectus a bono, et consequenter ab esse : quidquid tamen materiæ et entitatis est in peccatis, in totum est ex Deo. Ita D. Thomas.

Hunc locum tractat S. Basilius, lib. *De Spiritu Sancto* contra Arianos, qui, ut ipse ait, syllabas observant. Unde cap. II, per τὸ ἐξ οὗ ex quo Ariani, inquit, volunt significari conditorem mundi; per τὸ δι' οὗ *per quem*, operis ministrum et instrumentum; per τὸ ἐν ᾧ *in quo*, tempus et locum operis. Ita ut Filius tantum sit instrumentum Patris : Spiritus Sanctus vero tantum locum aut tempus præbuerit rebus conditis. Contra hos cap. III et seqq., ostendit S. Basilius, indifferenter Scripturam hisce propositionibus uti, easque singulas omnibus personis tribuere. Unde cap. V, hunc locum explicat de Deo et omnibus personis junctim. Ex ipso enim Deo omnibusque personis omnia creata sunt; per ipsum omnia conservantur; in ipsum (Græce enim est εἰς αὐτὸν) universa se convertunt invincibili atque insedabili quodam desiderio et arcano affectu, tanquam ad principem suum et gubernatorem vitæ ac totius universi respicientia.

Rursum cap. XXVI, ostendit quomodo propositio in tribuatur Spiritui Sancto, idque varie. *Primo* enim Spiritus Sanctus in nobis est tanquam forma in materia. Ipse enim in nobis est quasi forma divina, a qua spirituales dicimur. *Secundo*, Spiritus Sanctus in nobis est, quasi habitus, vel ars in artifice; sic enim ipse adest Sanctis ad opera virtutum et miraculorum exercenda. *Tertio*, Spiritus Sanctus in nobis est, velut totum in partibus, quia totas suas gratias partialiter in suos fideles distribuit. *Quarto*, Spiritus Sanctus in nobis est, uti locatum in loco : sic enim in Sanctis est, quasi in templo suo. Hæc vera sunt; sed huic loco non congruunt : Apostolus enim hic non dicit Spiritum Sanctum esse in nobis, sed e contrario nos et omnia esse in ipso, scilicet Spiritu Sancto.

Pari modo S. Chrysostomus, Theophylactus et Œcumenius nullam hic personarum distinctionem significant, quasi hæc tria, *ex ipso*, *per ipsum* et *in ipso*, proprie ipsi Deo, et consequenter singulæ personis, competant; idque faciunt ne Arianis detur occasionem dicendi Filium esse *per*, id est instrumentum Patris.

Verum melius Latini censent quod, licet hæc tria seorsim posita dentur cuivis personæ, tamen cum junguntur, singula singulis appropriantur. Ita S. Augustinus loco jam citato : ubi ex hisce tribus præpositionibus probat Trinitatem et æqualitatem in una essentia divina. Sic et S. Ambrosius, Anselmus et Gregorius, lib. XXIX *Moral.*, cap. XXVIII.

Unde idem S. Augustinus, lib. I *De Doct. Christ.*, cap. V : « Nec facile, ait, invenio nomen, quod tantæ excellentiæ conveniat, nisi quod melius ita dicitur : Trinitas hæc, unus Deus, ex quo, per quem, in quo omnia; eadem una substantia; unus tamen non est alter; eadem tribus potestas, eadem æternitas, eadem incommutabilitas, eadem majestas; in Patre unitas, in Filio æqualitas, in Spiritu Sancto unitatis æqualitatisque concordia. Et trin hæc, unum omnia propter Patrem, æqualia omnia propter Filium, connexa omnia propter Spiritum Sanctum, » scilicet singulis appropriando hæc, quæ tamen re ipsa omnibus sunt communia. Ut nimirum omnia dicantur æqualia propter Filium, quia Filius primum est æquale Patri; pari modo omnia dicantur connexa propter Spiritum Sanctum, quia Spiritus Sanctus procedit, ut nexus, amor et concordia Patris et Filii.

Præclare et subtiliter S. Bernardus, lib. V *De Consider.*, cap. VI : « Quid est, inquit, Deus? non sane occurrit melius, quam, Qui est. Hoc ipse de se voluit responderi, hoc docuit, dicente Moyse ad populum, ipso quidem injungente : Qui est, misit me ad vos. Quid item Deus? Sine quo nihil est. Quid est Deus? Principium. Quid est Deus? Cui secula nec accesserunt, nec decesserunt, nec cœterna tamen. Quid est Deus? Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Ex quo omnia, creabiliter, non seminabiliter, » q. d. Deus creavit omnia non ex semine (sic enim semen esset increatum, nec Deus illud, ac consequenter non omnia creasset) : « per quem omnia, ne alium auctorem atque alium opificem arbitreris; in quo omnia, non quasi in loco, sed quasi in virtute. Ex quo omnia, tanquam uno principio auctore omnium; per quem omnia, ne alterum inducatur principium artifex; in quo omnia, ne tertius inducatur locus. Ex quo omnia, non de quo, quia non est materia Deus. Efficiens causa est causæ materialis; frustra Philosophi materiam quærunt, non egult materia Deus. Non enim officinam quæsivit, non artificem. Ipse per se, in se omnia fecit. Unde? de nihilo. Nam si ex aliquo fecit, illud non fecit, ac per hoc nec omnia. »

IPSI GLORIA. — Hinc ex Apostolorum institutione et usu, ut docet S. Basilius, lib. *De Spir. Sancto*, cap. VII, XXVII, XXIX, et ex eo Baronius, tom. III, anno Christi 325, cœpit a tempore Apostolorum

Egregius locus S. Augustini de SS. Trinitate, mirifice contra Arianos

Quando dici cœpit hæc doxologia Gloria Patri, etc.

hæc doxologia SS. Trinitatis, Christianis mente et ore frequentanda : « Gloria Patri, et Filio et Spiritui Sancto; » cui, ut habet Concilium Vasense, cap. V, Concilium Nicenum addidit : « Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in secula seculorum, Amen. » Idque ut per hoc retunderet Arianos, qui dicebant : « Erat quando non erat, » id est, erat, scilicet tempus, quando non erat Filius.

Hieronymus, epist. *ad Damasum*, rogat eum ut post singulos psalmos jubeat addi : « Gloria Patri, et Filio et Spiritui Sancto. » Sed hæc epistola non videtur esse Hieronymi, videturque conficta. Hic enim mos addendi psalmis, « Gloria Patri, et Filio et Spiritui Sancto, » etc., fuit ante S. Hieronymum, ut dixi ex S. Basilio. Quin et Cassianus, cap. VIII, lib. II, testis est suo tempore in Occidente post psalmos, quasi ex usu veteri, totum populum conclamare solitum : « Gloria Patri, et Filio et Spiritui Sancto. »

Antiquissimus usus doxologiæ Gloria Patri, etc.

Gloria ergo Patri, ex quo omnia; gloria Filio, per quem omnia; gloria Spiritui Sancto, in quo omnia. Gloria Patri, ex quo omnis paternitas in cœlo et in terra; gloria Filio, per quem omnis filiatio; gloria Spiritui Sancto, in quo omnis sanctitas et sanctificatio. Gloria Patri, ex quo æternitas; gloria Filio, per quem omnis species et pulchritudo; gloria Spiritui Sancto, in quo omnis felicitas et fruitio. Gloria Patri, ex quo omnis unitas; gloria Filio, per quem omnis æqualitas; gloria Spiritui Sancto, in quo omnis amor et concordia. Gloria Patri, ex quo omnis potentia; gloria Filio, per quem omnis sapientia; gloria Spiritui Sancto, in quo omnis bonitas. Gloria Patri, qui me creavit; gloria Filio, per quem redemptus sum; gloria Spiritui Sancto, in quo justificatus sum. Gloria Patri, qui me prædestinavit; gloria Filio, per cujus sanguinem ablutus sum; gloria Spiritui Sancto, in quo glorificabor in æternum. Amen

CAPUT DUODECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Incipit hic secunda pars epistolæ, qua Apostolus a fide et dogmatibus transit ad mores fidei consonos. Hoc ergo capite monet fideles, ut exhibeant se hostiam Deo, utque probent et sapiant quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens et perfecta : nimirum primo, vers. 3, ut de susceptis donis non se efferant, sed sapiant ad sobrietatem, atque in modum membrorum ejusdem corporis, quisque suo dono contentus, eo rite utatur ad proximorum utilitatem.

Secundo, vers. 9, ut dilectioni sinceræ, prudenti, patienti et forti dent operam. Unde dilectionis officia et conditiones recenset.

Tertio, vers. 16, ut dilectioni jungant humilitatem, qua etiam bonum pro malo reddant, et vincant in bono malum. Christianis enim maxime commendandæ sunt hæ duæ virtutes, scilicet charitas ac humilitas. Hæ enim sunt compendium cæterarum, et in his duabus vita et perfectio Christiana consistit.

1. Obsecro itaque vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. 2. Et nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in novitate sensus vestri : ut probetis quæ sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta. 3. Dico enim per gratiam quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter vos : Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem : et unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei. 4. Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent : 5. ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alterius membra. 6. Habentes autem donationes secundum gratiam, quæ data est nobis, differentes : sive prophetiam secundum rationem fidei, 7. sive ministerium in ministrando, sive qui docet in doctrina, 8. qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui præest in sollicitudine, qui miseretur in hilaritate. 9. Dilectio sine simulatione. Odientes malum, adhærentes bono : 10. charitate fraternitatis invicem diligentes; honore invicem prævenientes : 11. sollicitudine non pigri; spiritu ferventes : Domino servientes : 12. spe gaudentes; in tribulatione patientes; orationi instantes : 13. necessitatibus sanctorum communicantes; hospitalitatem sectantes. 14. Benedicite persequentibus vos : benedicite, et nolite maledicere. 15. Gaudere cum

per, *propter*; unde notat causam efficientem. Rursum, *per* significat mediatorem, ostium, pastorem et viam nostram ad Patrem : quæ omnia competunt Filio. Ita S. Basilius, lib. *De Spiritu Sancto*, cap. V et XXVI.

In denique appropriatur Spiritui Sancto, utpote cui attribuitur bonitas, amor, unio et perfectio. Est enim Spiritus Sanctus amor notionalis Patris et Filii, estque ipse in SS. Trinitate quasi finis, a quo ad aliam personam non fit progressus. Denique cum dicitur, *Ipsi gloria*, significatur unitas essentiæ, ut Athanasius, Hilarius, Augustinus, Origenes, Gregorius et alii docent contra Arianos.

Ex ipso ergo Deo sunt *omnia*, scilicet quæ habent verum esse, ait D. Thomas. Peccata autem non habent verum esse, sed potius ab eo deficiunt; unde non sunt ex Deo. Hæc enim est ratio formalis peccati, quod sit defectus a bono, et consequenter ab esse : quidquid tamen materiæ et entitatis est in peccatis, in totum est ex Deo. Ita D. Thomas.

Hunc locum tractat S. Basilius, lib. *De Spiritu Sancto* contra Arianos, qui, ut ipse ait, syllabas observant. Unde cap. II, per τὸ ἐξ οὗ ex quo Ariani, inquit, volunt significari conditorem mundi; per τὸ δι' οὗ *per quem*, operis ministrum et instrumentum; per τὸ ἐν ᾧ *in quo*, tempus et locum operis. Ita ut Filius tantum sit instrumentum Patris : Spiritus Sanctus vero tantum locum aut tempus præbuerit rebus conditis. Contra hos cap. III et seqq., ostendit S. Basilius, indifferenter Scripturam hisce propositionibus uti, easque singulas omnibus personis tribuere. Unde cap. V, hunc locum explicat de Deo et omnibus personis junctim. Ex ipso enim Deo omnibusque personis omnia creata sunt; per ipsum omnia conservantur; in ipsum (Græce enim est εἰς αὐτὸν) universa se convertunt invincibili atque insedabili quodam desiderio et arcano affectu, tanquam ad principem suum et gubernatorem vitæ ac totius universi respicientia.

Rursum cap. XXVI, ostendit quomodo propositio in tribuatur Spiritui Sancto, idque varie. *Primo* enim Spiritus Sanctus in nobis est tanquam forma in materia. Ipse enim in nobis est quasi forma divina, a qua spirituales dicimur. *Secundo*, Spiritus Sanctus in nobis est, quasi habitus, vel ars in artifice; sic enim ipse adest Sanctis ad opera virtutum et miraculorum exercenda. *Tertio*, Spiritus Sanctus in nobis est, velut totum in partibus, quia totas suas gratias partialiter in suos fideles distribuit. *Quarto*, Spiritus Sanctus in nobis est, uti locatum in loco : sic enim in Sanctis est, quasi in templo suo. Hæc vera sunt; sed huic loco non congruunt : Apostolus enim hic non dicit Spiritum Sanctum esse in nobis, sed e contrario nos et omnia esse in ipso, scilicet Spiritu Sancto.

Pari modo S. Chrysostomus, Theophylactus et Œcumenius nullam hic personarum distinctionem significant, quasi hæc tria, *ex ipso*, *per ipsum* et *in ipso*, proprie ipsi Deo, et consequenter singulæ personis, competant; idque faciunt ne Arianis detur occasionem dicendi Filium esse *per*, id est instrumentum Patris.

Verum melius Latini censent quod, licet hæc tria seorsim posita dentur cuivis personæ, tamen cum junguntur, singula singulis appropriantur. Ita S. Augustinus loco jam citato : ubi ex hisce tribus præpositionibus probat Trinitatem et æqualitatem in una essentia divina. Sic et S. Ambrosius, Anselmus et Gregorius, lib. XXIX *Moral.*, cap. XXVIII.

Unde idem S. Augustinus, lib. I *De Doct. Christ.*, cap. V : « Nec facile, ait, invenio nomen, quod tantæ excellentiæ conveniat, nisi quod melius ita dicitur : Trinitas hæc, unus Deus, ex quo, per quem, in quo omnia; eadem una substantia; unus tamen non est alter; eadem tribus potestas, eadem æternitas, eadem incommutabilitas, eadem majestas; in Patre unitas, in Filio æqualitas, in Spiritu Sancto unitatis æqualitatisque concordia. Et trin hæc, unum omnia propter Patrem, æqualia omnia propter Filium, connexa omnia propter Spiritum Sanctum, » scilicet singulis appropriando hæc, quæ tamen re ipsa omnibus sunt communia. Ut nimirum omnia dicantur æqualia propter Filium, quia Filius primum est æquale Patri; pari modo omnia dicantur connexa propter Spiritum Sanctum, quia Spiritus Sanctus procedit, ut nexus, amor et concordia Patris et Filii.

Præclare et subtiliter S. Bernardus, lib. V *De Consider.*, cap. VI : « Quid est, inquit, Deus? non sane occurrit melius, quam, Qui est. Hoc ipse de se voluit responderi, hoc docuit, dicente Moyse ad populum, ipso quidem injungente : Qui est, misit me ad vos. Quid item Deus? Sine quo nihil est. Quid est Deus? Principium. Quid est Deus? Cui secula nec accesserunt, nec decesserunt, nec cœterna tamen. Quid est Deus? Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Ex quo omnia, creabiliter, non seminabiliter, » q. d. Deus creavit omnia non ex semine (sic enim semen esset increatum, nec Deus illud, ac consequenter non omnia creasset) : « per quem omnia, ne alium auctorem atque alium opificem arbitreris; in quo omnia, non quasi in loco, sed quasi in virtute. Ex quo omnia, tanquam uno principio auctore omnium; per quem omnia, ne alterum inducatur principium artifex; in quo omnia, ne tertius inducatur locus. Ex quo omnia, non de quo, quia non est materia Deus. Efficiens causa est causæ materialis; frustra Philosophi materiam quærunt, non egult materia Deus. Non enim officinam quæsivit, non artificem. Ipse per se, in se omnia fecit. Unde? de nihilo. Nam si ex aliquo fecit, illud non fecit, ac per hoc nec omnia. »

IPSI GLORIA. — Hinc ex Apostolorum institutione et usu, ut docet S. Basilius, lib. *De Spir. Sancto*, cap. VII, XXVII, XXIX, et ex eo Baronius, tom. III, anno Christi 325, cœpit a tempore Apostolorum

Egregius locus S. Augustini de SS. Trinitate, mirifice contra Arianos

Quando dici cœpit hæc doxologia Gloria Patri, etc.

hæc doxologia SS. Trinitatis, Christianis mente et ore frequentanda : « Gloria Patri, et Filio et Spiritui Sancto; » cui, ut habet Concilium Vasense, cap. V, Concilium Nicenum addidit : « Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in secula seculorum, Amen. » Idque ut per hoc retunderet Arianos, qui dicebant : « Erat quando non erat, » id est, erat, scilicet tempus, quando non erat Filius.

Hieronymus, epist. *ad Damasum*, rogat eum ut post singulos psalmos jubeat addi : « Gloria Patri, et Filio et Spiritui Sancto. » Sed hæc epistola non videtur esse Hieronymi, videturque conficta. Hic enim mos addendi psalmis, « Gloria Patri, et Filio et Spiritui Sancto, » etc., fuit ante S. Hieronymum, ut dixi ex S. Basilio. Quin et Cassianus, cap. VIII, lib. II, testis est suo tempore in Occidente post psalmos, quasi ex usu veteri, totum populum conclamare solitum : « Gloria Patri, et Filio et Spiritui Sancto. »

Antiquissimus usus doxologiæ Gloria Patri, etc.

Gloria ergo Patri, ex quo omnia; gloria Filio, per quem omnia; gloria Spiritui Sancto, in quo omnia. Gloria Patri, ex quo omnis paternitas in cœlo et in terra; gloria Filio, per quem omnis filiatio; gloria Spiritui Sancto, in quo omnis sanctitas et sanctificatio. Gloria Patri, ex quo æternitas; gloria Filio, per quem omnis species et pulchritudo; gloria Spiritui Sancto, in quo omnis felicitas et fruitio. Gloria Patri, ex quo omnis unitas; gloria Filio, per quem omnis æqualitas; gloria Spiritui Sancto, in quo omnis amor et concordia. Gloria Patri, ex quo omnis potentia; gloria Filio, per quem omnis sapientia; gloria Spiritui Sancto, in quo omnis bonitas. Gloria Patri, qui me creavit; gloria Filio, per quem redemptus sum; gloria Spiritui Sancto, in quo justificatus sum. Gloria Patri, qui me prædestinavit; gloria Filio, per cujus sanguinem ablutus sum; gloria Spiritui Sancto, in quo glorificabor in æternum. Amen

CAPUT DUODECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Incipit hic secunda pars epistolæ, qua Apostolus a fide et dogmatibus transit ad mores fidei consonos. Hoc ergo capite monet fideles, ut exhibeant se hostiam Deo, utque probent et sapiant quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens et perfecta : nimirum primo, vers. 3, ut de susceptis donis non se efferant, sed sapiant ad sobrietatem, atque in modum membrorum ejusdem corporis, quisque suo dono contentus, eo rite utatur ad proximorum utilitatem.

Secundo, vers. 9, ut dilectioni sinceræ, prudenti, patienti et forti dent operam. Unde dilectionis officia et conditiones recenset.

Tertio, vers. 16, ut dilectioni jungant humilitatem, qua etiam bonum pro malo reddant, et vincant in bono malum. Christianis enim maxime commendandæ sunt hæ duæ virtutes, scilicet charitas ac humilitas. Hæ enim sunt compendium cæterarum, et in his duabus vita et perfectio Christiana consistit.

1. Obsecro itaque vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. 2. Et nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in novitate sensus vestri : ut probetis quæ sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta. 3. Dico enim per gratiam quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter vos : Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem : et unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei. 4. Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent : 5. ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alterius membra. 6. Habentes autem donationes secundum gratiam, quæ data est nobis, differentes : sive prophetiam secundum rationem fidei, 7. sive ministerium in ministrando, sive qui docet in doctrina, 8. qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui præest in sollicitudine, qui miseretur in hilaritate. 9. Dilectio sine simulatione. Odientes malum, adhærentes bono : 10. charitate fraternitatis invicem diligentes; honore invicem prævenientes : 11. sollicitudine non pigri; spiritu ferventes : Domino servientes : 12. spe gaudentes; in tribulatione patientes; orationi instantes : 13. necessitatibus sanctorum communicantes; hospitalitatem sectantes. 14. Benedicite persequentibus vos : benedicite, et nolite maledicere. 15. Gaudere cum

gaudentibus, flere cum flentibus. 16. Idipsum invicem sentientes : non alta sapientes, sed humilibus consentientes. Nolite esse prudentes apud vosmetipsos : 17. Nulli malum pro malo reddentes : providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. 18. Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes : 19. Non vosmetipsos defendentes, charissimi, sed date locum iræ. Scriptum est enim : Mihi vindicta : ego retribuam, dicit Dominus. 20. Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum : si sitit, potum da illi. Hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput ejus. 21. Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.

1. OBSECRO ITAQUE VOS, FRATRES, PER MISERICORDIAM DEI (1), — διὰ τῶν οἰκτιρμῶν, *per miserationes*, scilicet vobis, o Gentes, a Deo per Christum exhibitas, de quibus dixi totis tribus capitibus præced., *q. d.* Docui hactenus vos, o Gentes, per Dei gratiam et misericordiam ascitas esse ad justitiam et salutem, Judæos vero ab ea repulsos esse ; nunc, ut a dogmatibus ad mores transeam, obsecro vos, o Gentes fideles, qui tantam Dei misericordiam, gratiam et justitiam consecuti estis, ut Deo grati sitis, ut digne Deo tantaque gratia vivatis, ut opere præstetis quod fides dictat, quodque Deus et Christus a vobis efflagitat.

Nota : οἰκτιρμοί, hoc est miserationes, sunt illæ quas Hebræi vocant רחמים *rachamim*, id est viscera misericordiæ, hoc est visceralis misericordia et ex intimis visceribus commiseratio, cum scilicet quis alterius miseria ex intimis medullis commovetur et tangitur, ut videatur velle sua viscera in eum effundere. Talis enim fuit hæc Dei in nos miseratio, cum viscera sua ipsumque unigenitum suum Christum in nos effudit. De qua canit Zacharias, *Luce* I : « Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto. » Viscera hæc ingens habent σπλὰγχνα. Rursum per *fratres*, Apostolus gratiam sibi et benevolentiam fidelium, etiam Judæorum, conciliat.

Secundo, vox *fratres* vim habet et energiam ad charitatem, aliaque quæ hic Apostolus fidelibus commendat, persuadendum. Nam, ut pulchre et vere ait Tertullianus, *Apolog.* XXXIX, scribens contra Gentiles : « Fratres, inquit, vestri sumus, jure nostræ matris unius ; etsi vos parum homines, quia malî fratres. At quanto dignius fratres et dicuntur et habentur, qui unum Patrem Deum agnoverunt, qui unum spiritum biberunt sanctitatis, qui de uno utero ignorantiæ ejusdem, ad unam lucem expaverint veritatis? Rursum ex substantia familiari fratres sumus, quæ penes vos (o Gentiles) pene dirimit fraternitatem. Itaque quia anima animoque miscemur, nihil de rei communicatione dubitamus : omnia indiscreta apud nos, præter uxores. » Unde addidit ibidem Tertullianus, hanc Gentilium de Christianis fuisse vocem ex sententiam : « Vide ut mvicem se diligant, et ut pro alteutro mori sint parati ! »

UT EXHIBEATIS CORPORA VESTRA. — Græce παραστῆσαι, id est, ut Syrus, דתקימון *dattekimun*, hoc est, ut sistatis, *q. d.* Sistite et offerte Deo corpora vestra, alienate illa a vobis, ne transferte ea tanquam hostiam vivam in Dei dominium, ut iis utamini, non ad libitum, sed ad Dei cultum et honorem. Ita S. Chrysostomus.

HOSTIAM VIVENTEM, — id est virtutibus deditam ; quia caro vitiis dedita mortua est, inquit S. Gregorius, hom. 22 *in Ezech.*, et S. Ambrosius hic : sic I *Petri* II, dicitur : « Ut peccatis mortui justitiæ vivamus. » Verum hic sensus mysticus est. *Secundo* alii ; *viventem*, inquiunt, id est charitate formatam. *Tertio*, *viventem*, id est quæ vitam, scilicet Christum, in se gerat et dicat : Mortem Jesu in corpore circumferimus, ut et vita Jesu in corpore nostro manifestetur. Sed et hæc mystica sunt.

Dico ergo : alludit hic Paulus ad veteres Judæorum et Gentium hostias, quæ occidebantur, illisque, teste S. Chrysostomo, oppouit novas hostias viventes, *q. d.* Cum dico, ut corpora vestra exhibeatis hostiam Deo, non intelligo sic, ut illa occidi debeant, uti hostiæ boum mactantur, sed ut ex corporibus vestris, non occisis, sed viventibus et mortificatis, faciatis hostiam Deo. Corpus ergo fidelium et sanctorum est hostia vivens, *primo*, quia manet vivum ; *secundo* et melius, quia se vivum per opera novæ vitæ spiritualis, puta charitatis, eleemosynæ, orationis et quarumvis virtutum Deo offert : ita Origenes et S. Chrysostomus. Omne enim opus, ait S. Augustinus in lib. X *De Civit.*, cap. V, quod fit, ut sancta societate Deo inhæreatur, generali nomine sacrificium est et hostia ; *tertio* et propriissime, per actus mortificationis corpus fit hostia vivens, quia vivens mortificatur, castigatur, et spiritui ad omne spiritus officium exequendum, ad Dei honorem et obsequium subditur.

Est enim mortificatio, viva quædam mors : facit enim in corpore mori concupiscentias carnis, dum eas truncat, per vivos continentiæ, abstinentiæ, patientiæ et pœnitentiæ actus ; ita ut corpus proprie sit hostia mortua, quia moritur suis vitalibus concupiscentiis, easque mortificat, occidit et immolat Deo : sit tamen idipsum quoque

(1) Sequitur pars unius epistolæ *parænetica*, in qua hoc tanquam primum ponit Apostolus, obstrictos esse Christianos ad vitam tantis beneficiis divinis dignam.

hostia viva, per vivos contrariarum virtutum actus. Vult ergo Apostolus, nos semper cor nostrum exhibere Deo hostiam vivam : ut scilicet semper mortificationi corporis, id est concupiscentiarum corporis, incumbamus : itaque ad vitam quietam, sanctam et perfectam, adeoque ad martyrium, si opus sit, pro Christo et pietate subeundum, nos comparemus. Hostes enim nostri sunt concupiscentiæ : si ergo eas vincamus et occidamus, hostiam offeremus Deo. Inde enim dicta est victima et hostia, uti canit Poeta :

Victima quæ cecidit dextra victrice, vocatur,
Hostibus a domitis hostia nomen habet.

Pulchre Origenes : « Si superbiam, inquit, corporis tui vincas et reseces, immolas Deo vitulum ; si iracundiam, arietem ; si libidinem, hircum ; si vagos et lubricos cogitationum volatus, columbam et turturem. » Rursus idem Origenes : « *Prima*, inquit, post Apostolos hostia, est martyrum ; *secunda*, virginum ; *tertia*, continentium ; *quarta*, conjugatorum. »

Similiter notat hic D. Thomas triplicem esse hostiam : *primam* animæ, scilicet orationem ; *secundam* corporis, scilicet mortificationem, jejunium, abstinentiam, castitatem ; *tertiam* operum, scilicet eleemosynam. Ita S. Cyprianus, lib. III, *epist.* 23, Nemesianum cæterosque ad metalla ob Christi fidem damnatos, dicebatur quod ibidem Eucharistiæ sacrificio destituerentur, consolatur dicendo, ipsosmet factos esse hostias vivas Deo : « Celebratis, inquit, et offertis sacrificium Deo, et pretiosum pariter et gloriosum, et plurimum vobis ad retributionem præmiorum cœlestium profuturum, cum Scriptura divina dicat : Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies. Hoc vos sacrificium Deo offertis, hoc sacrificium sine intermissione die ac nocte celebratis, hostiæ facti Deo, et vosmetipsos sanctas atque immaculatas victimas exhibentes, sicut Apostolus adhortatur et dicit : Oro ergo vos, fratres, per misericordiam Dei, ut constituatis corpora vestra hostiam vivam, sanctam et placentem Deo. »

SANCTAM. — « Sanctum » est, quod Deo et Dei cultui dicatum, et ab omni, non tantum immundo, sed et profano usu separatum est. Jubet ergo Paulus hic corpus nostrum separari ab omni servitio iniquitatis, ut sanctissimo Dei servitio et cultui addicatur, *q. d.* Antea, o fratres, corpus vestrum servivit idolis, veneri, ventri, ambitioni ; fuistis Martyres mundi et diaboli ; jam servint Deo soli, quasi Deo sanctum et consecratum

Secundo, « sanctum » idem est quod purum et illibatum. Hostia ergo sancta est corpus impollutum et incontaminatum, ipsaque corporis castitas, puritas, integritas. Sic virgo dicitur « sancta, » id est pura, « et corpore, et spiritu, » I *Cor.* VII, 34.

DEO PLACENTEM. — To *Deo* potest referri ad *placentem* cum nostro Interprete, vel ad *exhibeatis*, et ad omnia sequentia ; idque aptius esset pienius, ut patet ex Græco. Vult enim Paulus nos sistere Deo corpus nostrum, quasi hostiam viventem, sanctam, placentem, ut nimirum ipsum sit *primo*, hostia viva Deo ; *secundo*, sit hostia sancta Deo ; ac denique sit hostia placens Deo. Sic enim habent Græca : παραστῆσαι τὰ σώματα ὑμῶν θυσίαν ζῶσαν, ἁγίαν, εὐάρεστον τῷ Θεῷ. Addit Apostolus τῷ *placentem*, quia potest esse hostia in se sancta, sed non placens Deo, si nimirum eam offerens Deo displiceat.

Sic multi jejunant, peregrinantur, mortificant corpora sua, non mentem, non animum ; quin superbi sunt, capitosi, rebelles et invidi, etc. Hinc Deo non placent ipsi, nec hostiæ eorum, utpote quæ a peccatoribus, qui in peccatis suis manent, offeruntur. Ideoque licet in se bonæ sint, tamen apud Deum nec gratiam, nec gloriam merentur. Ita S. Augustinus, lib. *De Falsa et vera pœnit.*, cap. XV, et S. Gregorius, lib. VII, *epist.* 126.

Nota : Alludit hic Paulus ad conditiones victimarum Judaicarum. *Primo* enim victima Auronica debebat esse sine macula, integra et sana. Hinc « viventem » requirit Paulus. *Secundo*, per ipsam immolationem sanctificabatur, ut fas non esset eam contingi ab immundis. Sic hic requirit Paulus « sanctam, » ut scilicet per devotionem mentis corpus Deo consecremus. *Tertio* in ipsa crematione victimæ dolentes quod ibidem Eucharistiæ sacrificio destituerentur, consolatur dicendo, ipsosmet factos esse hostias vivas Deo : « Celebratis, inquit, et offertis sacrificium Deo, et pretiosum pariter et gloriosum, et plurimum vobis ad retributionem præmiorum cœlestium profuturum, cum Scriptura divina dicat : Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies. Hoc vos sacrificium Deo offertis, hoc sacrificium sine intermissione die ac nocte celebratis, hostiæ facti Deo, et vosmetipsos sanctas atque immaculatas victimas exhibentes, sicut Apostolus adhortatur et dicit : Oro ergo vos, fratres, per misericordiam Dei, ut constituatis corpora vestra hostiam vivam, sanctam et placentem Deo. »

RATIONABILE OBSEQUIUM VESTRUM, — *q. d.*, ait Anselmus : Sic opera bona facite, ut eorum rationem reddere possitis.

Secundo, S. Basilius in *Brevior. regul.*, regula 230 : Rationabile, inquit, sit obsequium vestrum, ut scilicet considerate et circumspecte, sana ratione rectoque consilio divinam impleatis voluntatem, ut rationem ducem sequamini, non animi impetum ac libidinem.

Tertio, D. Thomas sic explicat « rationabile obsequium, » *q. d.* Paulus : Corporum afflictio non sit nimia, sed moderata et rationabilis. Nam, ut inquit S. Bernardus, serm. 40 *in Cantica* : « Discretio est moderatrix et auriga virtutum, affectuum, morum ; omni virtuti ordinem ponit, ordinatum tribuit, et decorem et perpetuitatem.

Hostia viva, per vivos contrariarum virtutum actus.

Hostia viva, corpus est Christiani hominis et pii, non fidelium ac cæsa gaudens.

Sanctum opponitur aliquando profano.

Aliquando impuro.

Quid sit sacrificium spirituale?

Quatuor conditiones victimarum Judaicarum.

Altare est ecclesiastica Christiana.

Quid obsequium rationabile?

Prima explicatio.

Secunda.

Tertia.

Discretio est moderatrix omnium virtutum.

Tolle hanc, virtus vilium erit. « Unde idem Bernardus alibi docet eum, qui in corpore edomando et mortificando indiscretus et nimius est, quatuor hæc injuste rapere, scilicet, « corpori effectum, animo affectum, proximo exemplum, Deo honorem. » Indeque concludit, « eum sacrilegii crimen incurrere, cum templo Dei vivo abutatur, Deoque debitum honorem deroget : quia nimirum casus unius alios quam plurimos terret, et a via spiritualis vitæ retrahit : » cum nimirum vident aliquem per nimium vitæ rigorem, nimiasque pœnitentias incidere in morbos, phantasias, ineptitudinem, et subinde mortem ipsam incurrere.

Quarto et optime, « rationabile, » id est non corporale, uti olim erat Judæorum; sed spirituale sit « obsequium, » id est cultus vester et latria, ut habet Græcus. Rursum cultus vester hic non sit irrationalis, uti erat Gentium stultæ idola colentium : sed sit rationabilis, qui scilicet rationales homines decet; nimirum non pecudibus, sed fide, spe, charitate sacrificate; non idolis, sed Deo. Ita S. Chrysostomus, Photius et Theodoretus.

Unde Græce est λογικὴ λατρεία, logicam, id est *rationalem*, latriam vel cultum, quo Deus colitur rationaliter, exhibete et præstate Deo. Porro λογικὸς, sive *rationabilis*, cultus est, quem recta ratio dictat. Recta autem ratio dictat, Deum magis interna fide, spe, pietate, amore et puritate mentis, quam externis corporis cæremoniis colendum esse, *q. d.* Paulus : Volo, o fideles, ut exhibeatis corpus vestrum, quasi hostiam Deo, non corporalem, non irrationalem, sed rationalem et spiritualem; ut scilicet a pura et sancta mente, ratione et spiritu, quasi animatum, vivificatum, directum et gubernatum Deo offeratur ipsum corpus, omnesque corporis motus et actus.

Quinto. Per rationabile, id est spirituale, scilicet corpus Christi humanum et rationabile, Deo oblatum : quia in Canone Missæ, et in Liturgiis S. Basilii et S. Chrysostomi Eucharistia vocatur *rationalis hostia*. Verum verba præcedentia hic exigunt alium sensum, scilicet illum quem assignavi; ait enim Apostolus : « Ut exhibeatis corpora vestra, » non autem corpus Christi, « hostiam Deo. »

Quinto. Per rationabile, id est spirituale, scilicet corpus Christi humanum et rationabile, Deo oblatum : quia in Canone Missæ, et in Liturgiis S. Basilii et S. Chrysostomi Eucharistia vocatur *rationalis hostia*. Verum verba præcedentia hic exigunt alium sensum, scilicet illum quem assignavi; ait enim Apostolus : « Ut exhibeatis corpora vestra, » non autem corpus Christi, « hostiam Deo. »

Vers. 2. 2. ET NOLITE CONFORMARI HUIC SÆCULO. — Dixit Paulus de corporis hostia, jam agit de animæ oblatione, cujus perfectio sita est in duobus : *primo*, ut se retrahat a noxiis et maculantibus; *secundo*, ut se convertat ad ea quibus proficit et perficitur, Unde de primo ait Apostolus : « Nolite conformari huic sæculo; » de secundo : « Reformamini in novitate sensus vestri. » Nam, ut ait S. Augustinus, lib. XXII *De Civit.*, cap. XVI : « Ubi reformamur ne conformemur huic sæculo, ibi conformamur Filio Dei. »

Nota : Non ait, Nolite uti sæculo : hoc enim est impossibile. Utendum enim est nobis cibo, potu, quiete, recreatione, hominibus; sed, « Nolite conformari, » Græce μὴ συσχηματίζεσθε, ne configuremini, id est ne figuram mundi induatis, talis fiatis qualis est mundus et mundani, scilicet vani, superbi, ambitiosi, terrena tantum quærentes, non cœlestia.

SED REFORMAMINI IN NOVITATE SENSUS VESTRI. — *q. d.* Figuram mundi fugite, et novam mentis formam assumite; abjicite figuram fragilem veteris et carnalis vitæ, atque novam et stabilem formam vitæ spiritualis induite. Ubi adverte : Sæculo tribuit Paulus σχῆμα, id est *figuram*, figura enim parum durabilis est et externa. Significat ergo figura, sæculi inconstantiam et apparentiam potius quam existentiam. Novitati mentis tribuit μορφὴν, id est formam, qua significatur soliditas rerum spiritualium, ac permanentia : forma enim constantior est et interior, et ad substantiam pertinet. Ita S. Chrysostomus.

Pro *reformamini*, græce est μεταμορφοῦσθε, id est, ut S. Cyprianus legit, epist. 77 *ad Nemesianum*, « transformamini, » ut scilicet transeatis ex veteri figura in novam formam, *q. d.* Studete quotidianæ renovationi mentis vestræ, ut rescendo vitia, virtutibus mens quotidie innovetur : sicque hac metamorphosi fiet, ut in dies transmutemini magis et magis in alios homines. Semper enim nobis quantumcumque profecerimus, hac metamorphosi et transformatione opus est.

Nota *primo* : Non ait, « innovamini, » nova opera facite; sed, « reformamini, » et formam pristinæ novitatis assumite. Sicut enim ignis vehementius et diutius calefacit, quia formam habet et calorem, a quo manat calefactio; ita vult Paulus, ut novitatem, quasi formam induamus, ut per eam novitatis opera assidue operemur, *q. d.* Induite formam novitatis sensus, id est, ut græce est νοὸς, *mentis*; ut mentem virtutibus innovetis, ut diligatis et quæratis ea quæ sunt mentis et spiritus, ut opera nova, spiritualia et divina edatis ex hac nova et divina forma Spiritus Sancti.

Nota *secundo* : Sicut vetustas in Scriptura est peccatum Adæ et omnia ex illo secuta, tum peccata, tum pœnæ et ærumnæ, uti concupiscentia, ignorantia, error, etc.; ita ex adverso novitas est remissio peccatorum, gratia, charitas, virtutes, alacritas, zelus; atque sicut in vetustatem jam dictam per peccatum recidimus, ita vicissim ab eadem renovamur per pœnitentiam ac fervorem, studiumque novæ vitæ.

De qua re pulchre S. Gregorius, lib. XXII *Moral.*, cap. IV : « Animus noster, inquit, dum igne amoris exoquitur, semper in se servat charitatem pulchritudinis quotidiana innovatione fervoris; nescit enim mens per torporem velerascere, quæ studet per desiderium semper inchoare. Hinc namque per Paulum dicitur : Renovamini spiritu mentis vestræ. Hinc Psalmista, qui ad perfectionis jam culmen pervenerat, quasi inchoans dicebat : Dixi, nunc cœpi, quia videlicet nisi

lassescere ab inchoatis volumus, valde necesse est ut inchoare nos quotidie credamus. »

S. Antonii monitum ad perpetuam spiritus renovationem exhortatio

Quare S. Antonius moriturus suis discipulis hoc unicum vitæ præceptum, quasi stimulum ad omnem virtutem dedit, teste S. Athanasio in ejus Vita : « Hoc, inquit, sit primum cunctis in commune mandatum, nullum in arrepti propositi vigore lassescere, sed quasi incipientem augere semper debere quod cœperit. Ego quidem, filioli, secundum eloquia Scripturarum, Patrum gradior viam : jam enim Dominus me invitat, jam cupio videre cœlestia. Sed vos, o viscera mea, admoneo, ne tanti temporis laborem repente perdatis; hodie vos religiosum studium arripuisse arbitramini, et cœptæ voluntatis fortitudo succrescat. »

Alia Barlaami ad Josaphat.

Simile præceptum Barlaam moriturus Josaphat olim regi, jam discipulo suo et anachoretæ dedit, teste Damasceno, in *Historia Barlaam et Josaphat*, cap. XXXIX : « Nunc, inquit, quandoquidem mortis meæ tempus instat, atque collactanea et mihi æqualis ea cupiditas, quæ, ut cum Christo essem, semper me tenuit, jam expletur; tu quidem corpus meum terræ conde, pulverique pulverem redde. Post autem ipse in hoc loco hære, susceptum spiritualis vitæ genus persequens, mœsque tenuitatis memoriam retinens. Tu vero, fili, ne religiosæ exercitationis laborem metuas, neque ad temporis longitudinem, ad dæmonum insidias elanguescas : quin potius ipsorum imbecillitatem Christi virtute communitus audax irride. » Addit deinde stimulum, dicens : « Ad laborum autem duritiam ac temporis diuturnitatem animo ita comparatus esto, tanquam quotidie discessum e vita exspectans, atque eumdem diem tibi vitæ monasticæ tum initium, tum finem esse existimans. Sic semper ea quæ a tergo sunt, obliviscens, atque ad ea quæ a fronte sunt teipsum extendens, ad destinatum persequere, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu. »

Similis stimulo se et fratres suos ad vitæ renovationem et spiritus fervorem sub vitæ finem incitabat S. Franciscus, ut refert S. Bonaventura in ejus *Vita*, cap. XIV : « Incipiamus, fratres, ait, servire Domino Deo nostro, quia usque nunc parum profecimus. Flagrabat etiam S. Franciscus, inquit Bonaventura, desiderio magno ad humilitatis redire primordia, ut leprosis, sicut a principio, ministraret, corpusque jam præ labore collapsum revocaret ad pristinam servitutem. Proponebat Christo duce, se facturum ingentia, et fatiscentibus membris, spiritu fortis et fervidus, novo sperabat certamine de hoste triumphum : neque enim languor, vel desidia locum habet, ubi amoris stimulus semper ad majora perurget. »

UT PROBETIS QUÆ SIT VOLUNTAS DEI BONA, ET BENEPLACENS, ET PERFECTA. — « Ut probetis, » hoc est, ut exquiratis et consideretis, inquit Origenes.

Secundo et melius, « ut probetis, » hoc est, experiamini, et quodam judicio ac gustu spirituali agnoscatis, et, ut Syrus, distinguatis, sapiatis et sentiatis, quid a vobis requirat Deus, quid sit ab eo volitum, puta quid sit bonum, quid beneplacens, quid perfectum.

Fructus reformationis interioris.

Ubi adverte : Quo magis reformamur spiritu mentis nostræ, eo magis illustramur a Deo, magisque purgata mente probamus et sapimus quid sit bonum, melius et optimum, a Deo volitum Deoque gratum.

Triplex Dei voluntatem continua Apostolum quæstio? Primum explicatio.

Nota : Apostolus hic distinguit triplicem voluntatem Dei : alia enim est « bona, » alia « beneplacens, » alia « perfecta. »

Quæres quomodo hæc tria distinguenda sint? Respondet *primo* S. Anselmus : « Voluntas Dei bona, » inquit, est in incipientibus et conjugatis; « beneplacens » est in proficientibus et continentibus; « perfecta » est in perfectis et in virginibus.

Secundum.

Secundo, alii : « Voluntas bona, » inquiunt, est ea quæ non est ab irato Deo. Rursum, « voluntas bona » est ea quæ vult id quod absolute bonum est : talis autem non est ea quæ vult id quod tantum permittitur ex indulgentia, quomodo permittuntur secundæ nuptiæ, ait Comment. S. Hieronymo ascriptus.

Tertium.

Tertio, S. Chrysostomus : « Voluntas bona, » inquit, est lex vetus; « beneplacens, » est Evangelium, quod præstat legi veteri. Rursum S. Basilius in *Regulis brevior.*, interrog. 276 : « Voluntas Dei bona » est, inquit, ut velimus id quod in se, et ex genere suo bonum est. « Beneplacens, » cum fit illud Apostoli : Omnia ad gloriam Dei facite; et : Omnia honeste, et secundum ordinem fiant. « Perfecta, » cum nulla ex parte manca est, sed quoad omnia recta et perfecta.

Quarta et genuina

Quarto et optime, *voluntas* hic idem est quod volitum, seu id quod vult Deus a nobis fieri. Sensus ergo est, *q. d.* Ut sciatis quæ sit voluntas Dei bona, id est quid Deus a nobis velit fieri bonum; et beneplacens, id est melius; et perfectum, id est optimum et sibi gratissimum. Sunt enim hi tres gradus boni voliti a Deo, seu boni quod a nobis requirit Deus. Idipsum clarius significat textus Græcus, qui sic habet, τί τὸ θέλημα τοῦ θεοῦ, τὸ ἀγαθὸν καὶ εὐάρεστον καὶ τέλειον. Quod S. Augustinus, lib. X *De Civit.*, cap. VI, Ambrosius et Chrysostomus vertunt. « ut probetis quæ sit voluntas Dei, quod bonum et beneplacitum et perfectum, » id est quid sit bonum, melius et perfectum, ut habet Commentarius Hieronymi.

Refutatur Calvinista.

Loquitur Apostolus de voluntate signi, *sive* præcepti et consilii, quam Deus hominibus adimplendam proponit; non autem loquitur de voluntate beneplaciti Dei, hæc enim necessario adimpletur. Non bene ergo Cajetanus τὸ *beneplacens* refert ad homines, quibus Dei voluntas grata est et suavis, ideoque placet : vult enim Apostolus per gradus sensim in dies nos proficere et ascendere : ut *prime* bona, *secundo* meliora, *tertio* optima Deoque gratissima sapiamus et operemur.

Quibus ab Apost

Videtur autem Apostolus in sequentibus hanc triplicem Dei voluntatem explicare, et in particu-

Quid describatur Dei voluntas bona?

lari describere; nimirum voluntatem bonam describere a versu 2 ad 3, quod scilicet ea consistat in eo, ut sapiamus ad sobrietatem, utque officio nostro juxta gratiam nobis datam rite et modeste perfungamur; voluntatem vero Dei beneplacentem videtur describere a vers. 9 et 16, scilicet, quod illa consistat in dilectione sincera, fervida, forti et liberali; denique voluntatem Dei perfectam videtur describere a vers. 16 ad finem capitis, scilicet, quod illa consistat in charitate perfecta, quæ sibi conjunctam habet humilitatem insignem, qua etiam inimicos amore prævenimus, eisque bonum pro malo reddamus, adeoque vincamus in bono malum. Hæc enim est perfecta charitas et Deo gratissima, ideoque perfecta Dei voluntas. Quocirca S. Clemens, lib. II *Constit. Apost.*, cap. LXV, hæc refert ad salutem animarum : « Nos, inquit, audivimus ex ore Domini nostri Jesu Christi, et optime edocti didicimus, quænam sit voluntas Dei bona, beneplacens et perfecta, quæ nobis per Jesum Christum declarata est : scilicet ne ullus pereat, sed potius omnes homines, cum ei uno consensu credideriut, laudibus eumdem uno animo et ore celebrantes, fidem in sempiternum vivant. » Hinc inter hujus bonæ voluntatis actus et officia Apostolus vers. 7 ponit doctrinam, exhortationem, misericordiam, hospitalitatem, etc.

Beneplacens.

Vult ergo Apostolus, ut primo bene, mox melius, ac demum perfectissime sanctissimam Dei voluntatem in omnibus cognoscere et complere studeamus : hæc enim Dei voluntas regula est, mensura, fons et origo omnis virtutis et sanctitatis, cui proinde nostra voluntas plane conformanda est, si sancti et perfecti esse velimus.

Earum exemplum mutuo mantis se et apicem perfectionis Christianæ, quem hic tangit et præscribit Apostolus, multisque ad illum magno fuit documento et incitamento, hic adscribam : « Fuit, inquit, olim insignis quidam Theologus, qui annis octo precibus continuis a Domino id cupiebat obtinere, ut ipsi hominem quemdam ostenderet, qui eum viam veritatis edoceret. Cumque vice quadam vehementissimo hujus rei flagraret desiderio, vox quædam cœlitus lapsa, ita ipsum allocuta est : Exi foras ad limina templi, et offendes illic hominem, qui te viam veritatis edoceat. Exiens igitur invenit mendicum quemdam diruptis, sordidis, lutosis pedibus, cujus vestes in universum vix tribus obolis supputares : quem salutans ita affatus est : Det tibi Deus prosperum mane. Respondit mendicus : Non memini me unquam adversum mane habuisse. At Magister : Ela, inquit, ut fortunatum te faciat Deus. Quid ita loqueris? Respondit mendicus : Sed nec infortunatius aliquando fui. Et ille : Felix esto, ait : quid sibi hæc tua verba volunt? Et pauper : Nunquam, ait, infelix fui. Rursus itaque Magister : Salvet, inquit, te Deus. Jam, nunc apertius loquere; neque enim capio quid dicas. »

Audi jam divinum animum : « Tum pauper respondit : Id faciam libenter. Optabas mihi, Magister, prosperum mane, et ego me nunquam adversum mane habuisse respondi : quando enim fame premor, Deum laudo; si frigus patior, si grando, si nix, si pluvia cadit, si aura serena est vel turbulenta, Deum laudo; si miser sum atque despectus, Deum similiter laudo, et ideo nunquam triste mihi mane contigit. Optabas etiam me fortunatum fieri, et ego nunquam me infortunatum fuisse respondi : novi enim cum Deo vivere, certusque sum, quidquid ille facit, non posse non esse optimum. Unde quidquid ipse vel dabat, vel evenire mihi permittebat, sive gratum id esset, sive contrarium, dulce vel amarum, lætus id tanquam optimum ab ipso suscepi, et ideo nunquam infortunatus fui. Dicebas præterea, ut felicem me faceret Deus; ad quod similiter, nunquam me infelicem fuisse subjunxi : soli namque divinæ voluntati inhærere statui, in quam sic integre omnem meam transfudi voluntatem, ut quidquid ille vult, et ego velim, et meam ipsi voluntatem ex integro resignarem. »

Audi sublimiorem philosophiam : « Hæc cum mendicus ille retulisset, ita eum rursus Magister affatus est : Quid, obsecro, dicturus esses, si te Dominus Majestatis in abyssum demergere vellet? Et ille : In abyssum, inquit, me demergeret? Et revera si id faceret, duo mihi brachia sunt, in quibus eum amplexarer. Unum est vera humilitas, et hoc illi suppono, atque per ipsum sacratissimæ humanitati ipsius unitus sum. Alterum, idemque dexterum, est amor, qui divinitati ipsius unitus est, atque per hunc ipsum circumplector, ita ut mecum ad infernum descendere cogeretur. Optatius autem mihi foret in inferno cum Deo esse, quam vel in cœlis sine illo. Ex his igitur Magister ille didicit, veram resignationem cum humilitate profunda compendiosissimam ad Deum semitam esse. »

Ubi Deus invenitur quæritur?

Audi sapientiæ apicem : « Dehinc iterum ex illo mendico percunctatus est, unde venisset. Cui ille, a Deo se venisse respondit. Cumque Magister, ubi eum reperisset, sciscitaretur : Ibi, inquit ille, ubi creaturas omnes dereliqui. Et Magister : Ubi vero, ait, Deum reliquisti? Respondit pauper : In mundis cordibus, et hominibus bonæ voluntatis. Et Magister : Quisnam, ait, es tu? Respondit ille se regem esse. Scisciante Magistro, ubinam esset regnum ipsius; in anima sua id esse respondit. Sic enim, ait, et externos et internos sensus meos regere novi, ut cunctæ affectiones et vires animæ meæ mihi subditæ sint. Quod perfecto regnum cunctis mundi hujus regnis præstantius esse nullus ambigit. Et rursus Magister : Quid, inquit, ad hanc te perfectionem perduxit? Respondit pauper : Nimirum silentium meum, sublimes meditationes, et unio cum Deo. In nulla re quæ Deo minor foret, quiescere potui. Jam vero Deum meum inveni, et in ipso pacem et quietem habeo sempiternam. »

3. Dico enim. — *q. d.* Hæc quæ jam dicam, sunt opera Deo placentia et perfecta, quæ dixi vos debere facere : nam vox *enim* dat causam præcedentium, cum eisque hæc sequentia connectit, *q. d.* Dixi, ut probetis quæ sit voluntas Dei. Hæc est enim voluntas Dei, ut non plus sapiatis quam oportet, sed sapiatis ad sobrietatem, etc.; quæ pleno vos facere convenit, si veri Christiani esse velitis. Addit Apostolus se hæc dicere *per gratiam* sibi *datam*, hoc est per peritiam spiritualem et sapientiam a Spiritu Sancto sibi aspiratam. Ita Ambrosius.

Per gratiam datam Apostolo intelligit Apostolicum munus.

Secundo, « per gratiam, » qua scilicet se gratum et acceptum esse sciebat Romanis fidelibus, ut libere quidvis eis dicere auderet. Ita Origenes.

Tertio et optime, « per gratiam, » id est per apostolatum, vel munus Apostolicum gratis mihi a Deo datum, *q. d.* Ex munere, officio et auctoritate Apostolica dico et edico ea quæ sequuntur.

Non plus sapere quam oportet sapere; sed sapere ad sobrietatem. — *q. d.* Servare oportet modum et medium in omni virtute : virtus enim, si in extrema defluat, fit vitium, inquit Origenes.

Existimationem suam ignitus dimandat Apostolus.

Secundo, S. Irenæus, lib. V, cap. XX; S. Augustinus, *epist.* 47; Gregorius, hom. 3 *in Ezech.*, et Anselmus, sic explicant, *q. d.* Ne sitis curiosi in rebus fidei perscrutandis, ut sapere velitis plura et ultra quam fides sana doceat aut permittat; hic enim est fons hæresium.

Tertio, S. Chrysostomus sic exponit, *q. d.* Non plus de se existimare oportet, quam par est; sed existimare sobrie, parce et cum modestia, ut vertit Syrus; maxime ne superbe et petulanter sibi quis aliquid tribuens et arrogans, ut sequitur, ultra sui talenti mensuram sese extendat, et alieno talento officioque se ingerat, v. g., ut Grammaticus judicium sibi arrogel de rebus theologicis, ut plebeius de rebus sacris decernere velit. Ita Ambrosius et Basilius in *Reg. brevior.*, regul. 234. Hunc esse sensum patet ex sequentibus.

Sed sapere ad sobrietatem. — Græce τὸ σωφρονεῖν, id est, ut suppono, quod Irenæus, lib. V, cap. XX, vertit, « sapite ad prudentiam; » Hieronymus, lib. I *Contra Jovinian.*, « sapite ad pudicitiam; » S. Augustinus, *epist.* 47, « sapite ad temperantiam. Temperantia autem, ait Augustinus, est modus et temperamentum quo quisque uti debet, ut intra suos terminos se coerceat. » Et hoc noster interpres vult, cum vertit, « sapere ad sobrietatem. » Hoc enim proprie est σωφρονεῖν, vel, ut pulchra paronomasia habent Græci, σωφρονεῖν εἰς σωφροσύνην, quasi dicas, *sapere ad sapere sobrie*. Hinc S. Chrysostomus et Syrus vertunt, *sapite ad modestiam*, id est *ad humilitatem*. Græcum σωφροσύνη, ait S. Chrysostomus, dicitur ἀπὸ τοῦ σώας τὰς φρένας ἔχειν, id est, ab eo quod mentes habeantur sanæ; sanus autem facit modestia et humilitas. Nam immodestus et superbus mente valere nequit, id est firmus consistere, sanil et constantis judicii ac propositi esse nequit, sed desipit, exorbitat et quovis demente furiosior fit, inquit S. Chrysostomus (1).

Quænam virtutes sapere dicat?

Primum, positio. Secunda.

Hinc moraliter hæc Apostoli verba explicans S. Bernardus, serm. in illud *Proverb.* ut, *Beatus homo qui invenit sapientiam* : « Sobria, inquit, sapientia est, in præmeditatione peccatorum præteritorum, in contemptu præsentium commodorum, in desiderio futurorum præmiorum. Invenisti plane sapientiam, si prioris vitæ peccata defleas, si hujus sæculi desiderabilia parvipendas, si æternam beatitudinem toto desiderio concupiscas. Invenisti sapientiam, si tibi horum singula sapiunt prout sunt, ut hæc quidem amara et omnino fugienda, ista quoque velut caduca et transitoria contemnenda, illa vero ut perfecta bona totis appetenda desideriis, intimo quodam animi sapore dijudices et discernas. » Subdit deinde : « Atque hæc quidem sobria est sapientia, et vomitum nescit, ubi et timoris frigus ex recordatione peccatorum, et charitatis fervor ex appetitu divinarum promissionum, tepiditatem amovet earum quæ non sunt pessimarum occupationum; ut nec evomas sapientiam, nec evomaris ab ea. »

Et unicuique sicut Deus divisit. — Ts *et* legunt Romana, non Græca, estque legendum ut sensus constet. Sensus enim est, *q. d.* Dico quemque debere sapere ad sobrietatem, et sapere (τὸ enim *sapere* hic repetendum est) eo modo et mensura sicut Deus unicuique divisit.

Unicuique sicut. — Est hyperbaton. Rectus enim ordo exigit, ut hæc verba transponas, et dicas : « Sicut unicuique divisit Deus : » nisi malis referre hæc altius ad verbum *dico*, *q. d.* Dico unicuique vestrum, ut sapiat, sicut Deus ei divisit et dispertitus est suam mensuram fidei et sapientiæ.

Quænam virtutes sapere dicat?

Mensuram fidei. — *Primo*, S. Augustinus et Irenæus locis jam citatis sic explicant, *q. d.* Intra fidei mensuram et terminum debet se omnis intellectus humanus continere.

Secundo, Toletus per *mensuram fidei* accipit mensuram fidelitatis, hoc est, ea talenta, functiones et gratias, quas quisque accepit a Deo et Ecclesia, ut fideliter eas dispenset et administret; ut sit metonymia, qua functiones cujusque fidei commisse vocentur fides, sive mensura fidei.

Tertia et optima sententia.

Mensura fidei quæ sit.

Tertio et optime, S. Chrysostomus, Theodoretus, Origenes, Ambrosius et Œcumenius : Fides, inquiunt, metonymice capitur pro donis fidei et gratiis, maxime externis et visibilibus, quæ in primitiva Ecclesia fidelibus conferebat Spiritus Sanctus. Unde vers. 6 et seq., hanc mensuram fidei vocat Paulus charismata, id est donationes Spiritus Sancti differentes, scilicet, quod Spiritus Sanctus huic dederit prophetiam, illi doctrinam, tertio exhortationem, quarto ministerium, etc.,

(1) « Sapere ad sobrietatem » — id est *modeste de se sentire*, juxta Græcum.

Fides tota hac epistola metonymice sumitur pro charitate, gratia et dilectione, ex fide non radice quæ gratia.

uti mox patebit, *q. d.* Quisque se contineat intra mensuram doni, gratiæ, talenti, officii sibi commissi, quod per fidem credendo accepit; nec alia attentet, v. g., cui datum est ministerium, ille ministret, non docebit: vicissim, cui data est doctrina, ille doceat, nec se ingerat ministerio alteri tradito. Ex hoc ergo loco patet, quomodo superius tota hac epistola fidem acceperit Paulus, nimirum pro charitate, gratia et donis fidem sequentibus. Hæc enim metonymice dicuntur fides, quia ex fide quasi radice et matrice nascuntur, ut dixi *Can.* 3.

Jer. 4. 4. SICUT ENIM IN UNO CORPORE MULTA MEMBRA HABEMUS, OMNIA AUTEM MEMBRA NON EUNDEM ACTUM (actionem, functionem, operationem) HABENT:

Vers. 5. 5. ITA MULTI (hoc est, omnes nos fideles, qui sumus quasi varia membra, varias gratias et functiones habentia) UNUM CORPUS SUMUS IN CHRISTO. — Puta una Ecclesia sumus, cujus nexus interior est per fidem et gratiam; exterior per Sacramenta a Christo instituta. Per hæc enim omnes nectimur et jungimur cum Christo, et in Christo; hujus enim corporis, id est Ecclesiæ, caput est Christus.

Sacramenta Christi, primum genus nexus.

Ecclesia et corpus ejus distinguitur quadruplex.

Nota: Sicut in corpore sunt quatuor: *primo*, unitas corporis; *secundo*, diversitas membrorum; *tertio*, diversitas officiorum in membris singulis; *quarto*, aptitudo et dos cujusque membri ad suum officium exequendum; ita prorsus per omnia se res habet in Ecclesia, ejusque singulis membris, puta fidelibus Christianis. Probat hic Apostolus, quemque fidelem debere sapere ad sobrietatem, utique ea mensura et dono fidei ac gratiæ quod ei divisit Deus: non autem ultra debere sapere, nec sibi arrogare donum et munus alteri commissum. Probat autem hoc a simili, puta a membris corporis humani; hæc enim singula suis muniis et functionibus contenta sunt, nec se officiis alterius membri ingerunt, illave usurpant. Pari ergo modo facere debent fideles, qui sunt membra ejusdem corporis Christi, puta Ecclesiæ.

SINGULI AUTEM ALTER ALTERIUS MEMBRA. — Non ut corporis, sed ut commembri, « membra, » id est, *commembra sumus*, *q. d.* Ergo quodque membrum, puta fidelis quilibet, non sibi soli, sed etiam aliis operari debet, ut fit in corpore naturali.

Explicatur similitudo corporis et membrorum.

6. HABENTES (id est habemus) AUTEM. — Est hebraismus: Hebræi enim *benoni*, sive participium, usurpant pro indicativo, quo carent. Unde patet hic novum incipere sensum, non autem hæc cum priori versu nectenda esse, uti volunt recentiores. Explicat ergo hic Paulus varios actus et functiones membrorum Ecclesiæ: hoc enim exigit similitudo allata de corpore, ut, sicut in corpore quodque membrum suam habet gratiam et functionem, sive actum; ita in Ecclesia fidelis quisque suum habeat talentum, sive officium et charisma, ejusque functionem. Dicit ergo:

HABENTES AUTEM DONATIONES SECUNDUM GRATIAM, QUÆ DATA EST NOBIS, DIFFERENTES. — « Donationes, » Græce χαρίσματα, id est *dona*, *talenta diversa*. Ecce hic explicat Paulus mensuram fidei quam Deus variis varie dividit, ut dixi vers. 3. Nimirum hæc mensura fidei sunt dona et gratiæ differentes, quas Deus varie fidelibus dispersit, ut quisque sua gratia, suoque dono utatur et contentus sit, nec aliud ambiat, *q. d.* Hæc gratiarum distributio, hic donorum ordo et linea a Deo est, quique eum perturbat, et plus quam oportet sapit, donaque quæ non accepit, sibi arrogat, et aliorum officia ambit: hic Dei ordinationi et providentiæ resistit in his quæ omnino gratis a Deo accepit; Deus enim sua providentia cuique suam distribuit et admensus est gratiam et functionem, quam quisque bene et fideliter obire et intra quam se continere debet, nec ultra sapere, ne audiat: Sator ultra crepidam. Hæc enim est voluntas Dei, vers. 2, qui ita suam cuique gratiam, pensum ac spartam distribuit ac limitavit.

Ordo mensuræ divinæ in donis Apostolis gratis datis.

Porro, hæc charismata et dona in sequentibus enumerat Apostolus: ac primo quidem illa propria, quæ Ecclesiasticas res et personas concernunt; hæc enim ante omnia recte ordinanda sunt. Deinde, vers. 9, recenset illa dona, quæ omnibus Christianis, etiam laicis et plebeiis, sunt communia. Incipit ergo ab Ecclesiasticis, dicitque:

Ordo functionum Ecclesiæ.

SIVE PROPHETIAM SECUNDUM RATIONEM FIDEI, SIVE MINISTERIUM IN MINISTRANDO. — Multi hæc generatim accipiunt de quavis prophetia et ministerio: verum magis genuine dicemus Apostolum enumerare hic charismatum et functionum Ecclesiasticarum genera. Sunt enim duo: unum est prophetia, *secundum* est diaconia, sive ministerium. *Prophetiæ* nomine intelligit Paulus doctrinam, et ea quæ ad docendi munus pertinent (ut ostendam I *Corinth.* XIV, initio). *Diaconiæ* vero nomine intelligit alia externa Ecclesiastica munia, quæ a se abdicarunt, et in Diaconos rejecerunt Apostoli, dicentes *Actor.* VI, 2: « Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis. Considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu Sancto et sapientia, quos constituamus super hoc opus: nos vero orationi et ministerio verbi instantes erimus. » Vides hic Apostolos Ecclesiasticas functiones stabiles et perpetuas in duo divisisse, scilicet in doctrinam, sive prædicationem verbi Dei, quæ hic *prophetia* vocatur, et in *diaconiam*: ac priorem, quasi præcipuam sibi reservasse; posteriorem in Diaconos transtulisse.

Ecclesiasticorum duo omnia complectuntur, prophetiam et diaconiam.

Quid prophetia hic? Quid diaconia?

Hanc Apostolorum divisionem sequitur Paulus hoc loco, et I *Timoth.* III, ubi Ecclesiæ ministros, qui Ecclesiæ munia obeunt, dividit tantum in Episcopos et Diaconos: sub Episcopis Parochos et Presbyteros, sub Diaconis cæteros inferiores Ordines intelligens. Episcopi enim sunt prophetæ, id est doctores Ecclesiæ; Diaconi vero cæterique eis subservientes, sunt eorum administri. Prophetia ergo, id est doctrina, cessit

Apostolis, episcopis et Parochis: diaconia vero, sive ministerium, cessit Diaconis eorumque administris.

Deinde Apostolus hæc duo genera, scilicet prophetiam et diaconiam, in suas species partitur et dividit: nimirum prophetæ alii sunt doctores, quales erant Apostoli et Episcopi; alii sunt exhortatores sive pastores, quales sunt Presbyteri et Parochi. Pari modo Diaconi et ministrantes, alii sunt eleemosynarii, qui eleemosynas distribuunt; alii præfecti, qui præsunt in sollicitudine; alii hospitalarii, qui ægros et miseros curant. Hæc omnia magis patebunt ex sequentibus.

Fides hic accipitur pro intelligentia rerum divinarum.

Nota: Cum ait Apostolus, *secundum rationem fidei*, fides hic non tantum est fides, qua credimus articulis fidei, quæ fides est omnibus fidelibus communis; sed potius fides hic est intelligentia perfecta rerum divinarum et Scripturarum, quæ non tam humano studio, labore et industria, quam Dei illuminantis operatione et inspiratione acquiritur. Unde I *Corinth.* XII, 9, ponitur hæc fides inter gratias gratis datas: « Alteri, ait, fides (datur) in eodem spiritu. » Dicit ergo: « Habemus prophetiam, » hoc est, gratiam explicandi doctrinam *et* Scripturam sacram, « secundum analogiam, » ut habent Græca, id est secundum proportionem et mensuram « fidei, » id est intelligentiæ et sapientiæ a Deo nobis concessæ. Ergo juxta eam quisque prophetet, non plura suo ingenio commiscatur: inde enim ortæ sunt hæreses. Huc accedit Anselmus, qui ita explicat, « secundum rationem fidei, » id est, ut nihil extra regulam fidei loquamur, aut sapiamus.

Secundo, Ambrosius vult Apostolum hic præscribere prophetæ, hoc est doctori, ut doceat « secundum rationem fidei, » hoc est, prout fides credentium exigit, seu prout fert auditorum capacitas et salus. Huic enim Spiritus Sanctus donum suum, quod prophetæ, id est doctori dat, attemperat, et ab eodem pari modo attemperari vult.

Tertio, posset *fides* hic capi, uti eam accepit Apostolus, vers. 3, pro dono et charismate fidei; ut idem sit mensura fidei, quod ratio vel analogia fidei. Verum, quia Apostolus jungit hic fidem prophetiæ, hinc melius, ut dixi, *fidem* specialius accipiemus pro dono intelligentiæ sacræ Scripturæ et mysteriorum fidei, quod initio Ecclesiæ multis communicabat Spiritus Sanctus.

7. SIVE MINISTERIUM IN MINISTRANDO. — Græce εἴτε διακονίαν ἐν τῇ διακονίᾳ, id est *sive diaconiam in diaconia*, repete *habemus*. Priore loco διακονία, munus ipsum significat: posteriore vero ipsam muneris functionem, *q. d.* Fungimur diaconia, id est ministerio, secundum gratiam aut munus ministrandi. Nemo enim in Ecclesia ministrat, qui ad tale ministerium non habet titulum, gratiam aut ordinem, quo ei deputatur.

Nota. Per *diaconiam* aliqui accipiunt episcopatum, presbyterium et reliquos ordines. Ita Salmaron. Verum melius, ut jam dixi, Toletus et alii censent *diaconiam*, sive *ministerium* esse secundum functionis Ecclesiasticæ genus, oppositum prophetiæ, versarique circa res et munia charitatis externa, eaque varia, ut patebit ex sequentibus.

Syrus et recentiores supplent hic: Qui ministrat, verse tur in ministrando; qui docet, versetur in docendo; qui præest, versetur in sollicitudine, et ita de aliis. Verum Paulus videtur potius id, quod generatim dixerat: Habemus donationes secundum gratiam » et talenta « differentes, » hic tantum per species explicare, enumerando illas donationes, sive charismata, scilicet ministerium, quod consistit in ministrando; doctorium, qui consistit in doctrina; exhortationem, quæ consistit in exhortando, etc. Inde tamen consequenter ex vers. 3, repetendum et inferendum relinquit in singulis, ut quisque sua gratia et talento, ac donis jam dictis utatur pro mensura sibi data a Deo, uti mox particularius explicabo.

Prophetiæ species est prædicatio.

SIVE QUI DOCET IN DOCTRINA. — Hic duas dat species prophetiæ: *prima* est, « qui docet, » id est qui habet functionem docendi, eam habet « in doctrina, » ἐν διδασκαλίᾳ, id est secundum gratiam doctrinæ et magisterii, quam a Deo accepit; non enim omnes eamdem habent peritiam divinorum.

Secunda est:

Vers. 8, *Alterius, exhortandi et consolandi gratia.*

8. QUI EXHORTATUR IN EXHORTANDO. — Græce ἐν τῇ παρακλήσει, *in exhortatione*, in exhortationis gratia et talento, quod accepit, id facit, puta exhortatur. Sub exhortatione etiam consolationem accipe. Exhortatorem vocat hic Apostolus eum, quem I *Corinth.* XII, 28, « doctorem, » et *Ephes.* IV, 11, vocat « pastorem; » eum scilicet, qui ex officio doctrinam cum exhortatione, monitione, adeoque cum Sacramentorum administratione conjungit, uti jam faciunt Parochi. Ex hisce Apostoli sententiis tacite collige, *q. d.* Quisque ergo, tam qui docet, quam qui exhortatur, doceat et exhortetur, suoque talento utatur, pro gratia et mensura sibi a Deo concessa.

Diaconiæ functio triplex.

QUI TRIBUIT IN SIMPLICITATE. — Enumeratis speciebus et functionibus prophetiæ, enumerat hic functiones diaconiæ, sive ministerii, easque tres, cum suis charismatibus, seu donationibus differentibus. *Prima* est, « qui tribuit, » *q. d.* Qui habet functionem et officium distribuendi eleemosynas, uti olim habebant diaconi, *Act.* VI, 5, eam habet « in simplicitate, » id est, secundum gratiam simplicitatis. Hanc enim gratiam sinul cum officio tali dare solet Spiritus Sanctus, *q. d.* Videat ergo quisque eleemosynarius, ut secundum hanc simplicitatem tribuat et distribuat eleemosynas.

Prima functio diaconiæ ergare eleemosynas.

Quæstio quænam sit simplicitas secunda.

Quæritur, quænam sit hæc « simplicitas? » a *Primo*, Origenes sic explicat: Qui tribuit, *inquit*, tribuat in simplicitate, id est non ex vana gloria. Duplex enim est, qui actu externo videtur alteri dare eleemosynam, cum interno proprium commodum, scilicet laudem, quærit.

Secundo, Chrysostomus et Theodoretus: « Sim-

Quomodo ἁπλότης? Varie exponitur. Prima. Secunda. Tertia.

plicitas, » inquiunt, est liberalitas. Hæc enim simpliciter dat manu extensa : cum avarus manum contrahat, ægre ac tarde modicum quid eroget.

Tertio, Theodoretus : « Qui tribuit, » inquit, tribuat « in simplicitate, » hoc est simpliciter, libere et resolute, nimirum, ut non cogitet an ea quæ habet sibi sufficiant, an ad futuros casus sint necessaria ; sed Deo confidat, quod ille sibi et futuris omnibus providebit.

Quarto.

Quarto, alii recentiores : « In simplicitate, » inquiunt, « tribuit, » qui non exspectat ut sibi retribuatur, multi enim dant hoc fine, ut majora recipiant, sed hi non dant simpliciter, neque tam dant, quam vendunt sua dona. Qua de re pulchre Seneca, lib. I *De Benefic.*, cap. I : « Demus, inquit, beneficia, non fœneremus. Dignus est decipi, qui de recipiendo cogitavit, cum daret. »

Quinto.

Quanto, alii : « In simplicitate, » inquiunt, « tribuit » is, qui ita sincere et pure tribuit, ut non velit allicere eum, cui tribuit ad peccatum aut aliam turpitudinem.

Sexto.

Sexto et optime, Anselmus : « Simplicitas, » inquit, hæc opponitur duplicitati, id est dolo, fraudi, hypocrisi, acceptioni personarum, item et curiositati. Simplex ergo est, qui non aliud intendit, quam quod intendi debet : duplex vero est, qui aliud intendit vel spectat, quam debet. Simplex itaque in eleemosyna danda est, qui non considerat an is cui dat, sit amicus, familiaris, commodus, vel utilis, aut gratus futurus, sed an indigeat. Rursum, qui non nimis curiose inquirit an bonus sit, an dyscolus, an fictus is cui dat eleemosynam (de qua re pulchre tractat hic S. Chrysostomus, in moralí *hom.* 21) ; sed, ut ait Ambrosius, in omnes indigentes puro se fundit affectu, et candide, prudenter tamen, sua sibique commissa erogat : tales enim ad functionem eleemosynarii aptissimi, ideoque eligendi sunt. De hac simplicitate eleemosynæ rursus dicam II *Corinth.* VIII, 2.

Anselmus simplicitatem hic interpretatur aliis placendi cupiditatem.

Quis debeat esse eleemosynarius?

QUI PRÆEST IN SOLLICITUDINE.—Id est, qui habet functionem in Ecclesia, ut præsit, eam habeat secundum gratiam sollicitudinis, græce σπουδῆς, id est studii, ut totus serio illi vigil incumbat, et diligentiæ, ut sedulus et celer sit in executione : qui enim hanc gratiam acceperunt, sunt aptissimi et eligendi, ut præsint.

Secunda discretio functionis est præfectura in rebus temporalibus.

Nota : Per præsidem hunc Apostolus non tam intelligit Pastorem et Prælatum qui præest in spiritualibus (hunc enim, ut dixi paulo ante, intelligit nomine exhortatoris), quam præfectum qui præest rebus temporalibus et externis, quique politiam Ecclesiasticam administrat, quales erant Archidiaconi, qui præerant cæteris Diaconis eleemosynariis et hospitalariis. Hunc enim præsidem Apostolus numerat inter Diaconos, qui in ministrando versantur ; estque hæc præsidentia secunda species diaconiæ, quam Paulus, I *Corinth.* cap. XII, vers. 28, « gubernationem » vocat. Jam ex eo quod dicit Apostolus, « qui præest in sollicitudine, » tacite colligendum relinquit, *q. d.* Ergo qui præest, in gratiasollicitudinis se contineat, in eaque præsit, ut debitam eorum qui sibi commissi sunt curam et sollicitudinem gerat.

Qui præest in sollicitudine, præsit in gratia.

QUI MISERETUR IN HILARITATE. — Hæc est tertia species diaconiæ maxime pertinens ad hospitalarios et olim ad viduas illas, de quibus ait Apostolus, I *Tim.* V, 9. *q. d.* Qui functionem misericordiæ in tractandis et curandis pauperibus et ægris (de ægris enim et miseris proprie hic est sermo) in Ecclesia exercent, id faciant secundum donum hilaritatis ; quæ in tribus consistit : *primo*, in animi lætitia, ut vincant tædium et nauseam ulcerosorum et morbidorum ; *secundo*, in vultus alacritate, ut per eam ægros, qui ex ægritudine mœrore laborant, consolentur et sublevent ; *tertio*, in verborum affabilitate, qua ægros multis indigentes, et multa petentes a se non absterreant, sed alliciant, ut suam opem et operam fideliter implorent. Jam ex eo quod dicit Paulus : « Qui miseretur in hilaritate, » tacite colligendum relinquit, *q. d.* Ergo cum misereris, utere dono « hilaritatis, » quod Deus tibi cum officio dedit, ut hilarem te præbeas miseris et ægrotis.

Tertia species diaconiæ est præstare hilariter opera misericordiæ.

Nota : Hilaritas maxime requiritur in misericordia ; nam, ut ait Chrysostomus, hominibus nihil ita turpe et indecorum videtur, atque esse miserum, indigere, et ab aliis ea quibus indigent, accipere ; ac proinde, inquit, nisi excellenti hilaritate suspicionem illam sustuleris, ostenderisque quod magis a misegis beneficium accipias quam des, magis dejicies accipientem, quam refocillabis.

Hilaritas maxime necessaria in operibus misericordiæ.

Hinc idem Chrysostomus, hom. 33 *ad Popul.* : « Vera, ait, eleemosyna est, sic dare, ut gaudeas te dare, putans te accipere magis quam dare. Non enim tam pauperibus, quam nobis prosumus, plura accipientes quam dantes. » Pauper enim Christum repræsentat, et Christo datur quidquid in pauperem erogatur : Christus autem se liberalitate vinci non patitur, sed plura dat quam accipiat. Merito ergo Sapiens, *Eccli.* XXXV, 11 : « In omni, inquit, dato hilarem fac vultum tuum, et in exultatione sanctifica decimas tuas. » Et Nazianzenus : « Beneficentiæ, inquit, gratia promptitudine geminatur. »

Hilaritas adhibenda in omnibus virtutibus.

Est tamen hilaritas alibi quoque perutilis, adeoque ipsa est quasi flos ornans, et quasi mel dulcorans, ac perficiens omnes alias virtutes. Unde S. Prosper, *Sentent.* 112 : « Cum bonum, inquit, facis, hilariter fac. Si enim tristis facis, magis de te fit, quam facis. » Hinc S. Augustinus, lib. *De Perfectione justitiæ*, ait peccare justum, si it. beneficentia ei surrepat tædium quo fuscetur hilaritas, in qua datorem diligit Deus.

Tenuis et charismatibus destituta Ecclesia indiget laicis.

Hucusque recensuit Apostolus donationes, sive charismata Ecclesiastica, modumque eis utendi præscripsit : ita tamen ut laici eumdem modum sibi suisque officiis multis in rebus adaptare et accommodare possint ac debeant. Deinceps ergo

recenset Apostolus charismata et officia virtutum Christianis omnibus et laicis communia. Præscribit ergo eis dilectionem, docetque qualis illa esse qualesque virtutum actus exercere et imperare debeat. Dilectio enim est auriga et regina virtutum omnium, præsertim si conjunctam habeat humilitatem ; tunc enim pene omnia officia hominis Christiani comprehendit, eaque recte ordinat et disponit juxta voluntatem et beneplacitum Dei. Itaque dicit :

Vas. 9.

9. DILECTIO (scilicet sit) SINE SIMULATIONE,—id est, sincera sit et candida, et, ut græce est, ἀνυπόκριτος, id est non sit hypocrita et ficta, ut scilicet, sicut ait S. Joannes, *epist.* I, cap. III, vers. 18 : « Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere et veritate. »

Quæ dilectio debeat esse dilectio etiam laicorum ex mente Apostoli? Prima conditio dilectionis.

Hactenus ostendit Paulus quæ sit voluntas Dei in iis qui habent functionem in Ecclesia ; nunc in omnibus Christianis idipsum ostendit.

Unde de dilectione Christianorum docet *primo*, eam esse debere sinceram.

Secunda. Tertia.

Secundo, nos per eam proximum diligere debere, ut tamen ejus mala et peccata odio habeamus, virtutes vero illius amplectamur.

Tertio, requirit ut hæc dilectio sit fraterna, ut quasi fratres ex uno patre Christo nati, invicem amemus.

Quarta.

Quarto, ut eadem sit sine superbia et fastu, ut scilicet honore invicem præveniamus.

Quinta.

Quinto, ut eadem sit celeris et sedula, non pigra.

Sexta. Septima.

Sexto, ut eadem sit ardens et fervens.

Septimo, ut non sibi suisque commodis et gloriæ, sed Deo serviat, ut patet vers. 11 : ita Salmeron. Sequitur ergo de hac dilectione :

Participia pro imperativis et optativis per hebraismum accepta.

ODIENTES (ἀποστυγοῦντες, *abhorrentes*) MALUM : (hoc non sufficit, sed requiritur ut sint) ADHÆRENTES (græce κολλώμενοι, id est *agglutinati*) BONO, — et virtuti, supple *simus* : ita S. Chrysostomus et Origenes.

Nota *primo*, sequentia omnia participia usque ad finem capitis, more Hebræo per imperativum vel optativum exponenda sunt, hoc modo, « odientes, » id est odiamus, vel odite « malum ; adhærentes, » id est adhæreamus « bono ; diligentes, » id est diligamus ; « honore invicem prævenientes, » id est præveniamus ; « spiritu ferventes, » id est ferveamus ; « Domino servientes, » id est serviamus, vel servite : et ita de aliis. Porro utitur continuo hisce participiis hic Apostolus, ut ostendat hæc omnia virtutum officia, quæ per hæc participia ad finem usque capitis recenset, pendere a dilectione, illique conjungi, et ab ea imperari, adeoque hæc esse quasi epitheta et emblemata dilectionis. Similiter facit I *Corinth.* cap. XIII, dicens : « Charitas patiens est, benigna est, » etc. Licet enim sequentes gnomæ, sive sententiæ breves et illustres, sint de variis et disparatis virtutum officiis, quas more Hebræo mixtim, sine ordine et connexione proponere solet Apostolus ; tamen hic, ut dixi, omnes ad dilectionem aliquo modo referri possunt, idque indicant omnia hæc participia.

Nota *secundo* τὸ *odientes* : nam in Christiano requiritur ingens odium peccati, quia hoc odium perficit virtutem contrariam, et quantum crescit odium mali, tantum et crescit amor boni. Sunt enim qui amant virtutem, verbi gratia temperantiæ ; sed quia ebrietatem non detestantur, hac de causa temperantiam ex animo, serio ac resolute non amplectuntur.

10. CHARITATE FRATERNITATIS (græce φιλαδελφίᾳ, hoc est, *charitate fraterna*, qua fratres se diligunt ; eadem et nos Christiani, quasi filii Dei in Christo, et quasi invicem fratres) INVICEM DILIGENTES, — id est diligamus, eoque magis, quo fraternitas spiritualis perfectior est carnali, ait S. Ambrosius, *serm.* 9, et S. Augustinus, serm. 27 *De Verbis Apostoli*.

Lectio quorumdam codd. rejecta.

Nota *primo* : Male quidam hic legunt : « Charitatem fraternitatis invicem diligentes, » quasi ipsam charitatem diligi velit Apostolus : nam vox *invicem*, et clarius Græcum εἰς ἀλλήλους, clare significant Apostolum non loqui de amore charitatis ipsius, sed de amore fratrum.

Charitas in fratres inter se.

Secundo, fratres hic vocat non quosvis proximos, etiamsi Gentiles sint et Pagani, sed Christianos tantum. Ili enim invicem olim vocabant *fratres*, et amabant ut fratres, tanquam qui ex eadem matre Ecclesia, et eodem patre Christo geniti essent. Hos enim, utpote nobis et Christo conjunctiores, magis quam infideles et Paganos diligere tenemur novo dilectionis præcepto, de quo *Joan.* XIII, 34, dicit Christus : « Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos : » de quo ibidem fusius egi.

Quid φιλαδελφία?

Tertio, φιλαδελφία componitur ex φίλος, id est *amicus*, et ἀδελφός, id est *frater* : compositio autem hæc intensam charitatem significat, inquit Theodoretus, scilicet qua invicem diligamus, non solum tanquam amicos, sed etiam tanquam fratres conjunctissimos, *q. d.* Amicitia non qualis qualis sit inter vos, o fideles, sed summa, intima et arctissima, qualem decet esse inter fratres amantissimos.

Amor in Christo fratres quamdam esse debet?

Quarto, pro *diligentes*, græce est φιλόστοργοι : στοργὴ autem significat naturalem et ingentem affectum pietatis, quo parentes feruntur in liberos, fratres, cognatos, idque permanenter. Hoc enim est φιλόστοργον, id est, non amantes, sed amatores, scilicet affectuosi et stabiles, quasi ex habitu ; est enim nomen, non participium. Unde Tertullianus, lib. V *Contra Marcion.*, cap. XIV, legit : « Amore fraternitatis invicem affectuosi. » Vult ergo Paulus ut tam dulces affectus sentiant et gerant Christiani erga invicem, quales gerunt parentes erga filios, et contra : utque ex tali affectu omnibus opitulentur et subveniant. Hinc Tertullianus, lib. I *Contra Marcion.*, Primasius, Sedulius, Haymo, Commentarius Ambrosii et Hieronymi pro « diligentes » legunt, *benigni*.

Honore invicem prævenientes. — *Invicem*, scilicet pares, impares etiam, cum hoc charitas exigit, vel cum hoc necesse est, ac ad aversionem tollendam inter Superiorem et subditum : aut certe cum ad hoc superiorem excellens humilitas impellit. Est enim hic heroicus actus humilitatis, qui ordinarie non est præcepti, sed consilii. Non enim ait Apostolus, Honorem debitum reddentes, sed, « Honore invicem prævenientes, » ut scilicet Christiani instar Christi, quo majores sunt, eo magis se demittant, et aliis submittant, eisque primas deferant in incessu, in mensa, in consessu aliisque rebus omnibus. Ut hoc exterius fiat, oportet interius facere id quod monet Apostolus, *Philip.* II, 3, dicens : « Superiores sibi invicem arbitrantes. » Qua de re plura ibi dicenda sunt.

Subjectio ad exteriorem Superiorem cum quadam humilitate.

Vers. 11. Sedulitas.

11. Sollicitudine non pigri. — *q. d.* Non tantum honore, sed et favore, officio, ope, cura invicem prævenientes, idque non pigre, sed sedulo. Græce enim est σπουδῇ, id est studio, diligentia, scilicet invicem juvandi (1), ne sitis pigri. Contra hoc peccant, qui opem præstant, sed seram, cum proximus vel malo suo liberatus est, vel desperatus, ut juvari non possit.

Spiritu ferventes. — « Spiritu, » id est charitate, vel Spiritu Sancto, quasi igne ; vel simplicius, « spiritu, » hoc est, impetu quodam animi succensi, ferveamus ad faciendum officium : sic enim eramus sollicitudine non pigri.

Apostolus instruit fervorem ad suum opus bonum.

Nota : Loquitur Apostolus de fervore, non tantum ad benefaciendum proximo ; sed ad omne virtutis officium. Est enim hæc ejus indefinita et generalis sententia : et dilectio sive charitas (a qua hæc omnia aliquo modo pendent) dictat et imperat, ut ferveamus non tantum in charitatis, sed etiam in aliarum virtutum officiis omnibus.

Fervor hic instituendus situs sui.

In tribus consistit hic fervor, ait S. Basilius in *Regulis brevioribus*, resp. 259 : *Primo*, ut in ea re quam agimus, sit tota animi intentio ; *secundo*, ut adsit inexplicabilis cupiditas bene operandi ; *tertio*, ut accedat assiduitas et continuatio, qua nullum charitatis erga proximum aut virtutis officium recusemus. Sicut enim olla quæ fervet, non quiescit, sed semper bullit, in altum se erigit, atque ignitæ bullas et vapores sursum ejaculatur : ita charitas otiosa esse non debet, nec potest, sed oportet ut continuo ad majora semper proficiat et exhiat, atque per sinceram intentionem. orationem desideria ac gemitus, quasi vapores, ad Deum ascendat. Opponitur hic fervor tepori, de quo *Apocalypsis* III, 15.

Descriptio hominis spiritu ferventis.

S. Bernardus, serm. 6 *De Ascensione*, hominem spiritu ferventem sic describit : « Advertere potes in omnibus fere religiosis congregationibus viros repletos consolatione, superabundantes gaudio, jucundos, semper hilares, ferventes spiritu, nocte dieque meditantes in lege Domini, crebro suspicientes in cœlum, et puras manus in oratione levantes, sollicitos observatores conscientiæ et devotos sectatores bonorum operum ; quibus amabilis disciplina, labor manuum delectabilis, et universa denique conversationis hujus austeritas refrigerium videatur. »

Descriptio hominis tepidi.

Deinde, ut ex hoc quasi simulacro ferventis hominis tepidus cognoscatur, descriptionem oppidi subjungit in hunc modum : « Contra sane, inquit, invenire est homines, *primo*, pusillanimes et remissos ; *secundo*, deficientes sub onere ; *tertio*, virga et calcaribus indigentes ; *quarto*, quorum remissa lætitia, pusillanimis tristitia est ; *quinto*, quorum brevis et rara compunctio ; *sexto*, animalis cogitatio ; *septimo*, tepida conversatio ; *octavo*, obedientia sine devotione ; *nono*, sermo sine circumspectione ; *decimo*, quorum oratio sine cordis intentione ; *undecimo*, lectio sine (sui nempe) ædificatione ; *duodecimo*, quos vix gehennæ metus inhibet ; *decimo tertio*, vix pudor cohibet ; *decimo quarto*, vix ratio frænat ; *decimo quinto*, vix disciplina coercet. »

Audi Ruffinum, lib. III in *Vitis Patr.*, num. 204 : « Quidam senex, inquit, dixit : Sicut ad succensam ollam musca non appropinquant ; si vero tepida fuerit, insident in ea, et faciunt vermes : ita et monachum succensum igne divini amoris fugiunt dæmones ; tepidum vero illudunt et insequuntur. »

Domino servientes. — Ambrosius et Erasmus legunt, καιρῷ, id est *tempori servientes*, *q. d.* Ne fervor vester sit importunus, sed modeste et honeste suo tempore fidem et charitatem promovete. Sic Plautus dixit : γίνωσκε καιρὸν, *nosce tempus*, id est temporis opportunitatem prospice et capta. ne importuno et incongruo tempore quippiam aggrediaris.

Quia tempori serviat.

Alii sic explicant, « tempori servientes, » *q. d.* Apostolus : Nolite tanta tamque præclara temporis salutiferi opportunitate abuti. Ecce enim nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, quo Christus in mundum et carnem veniens, gratiam et salutem e cœlo nobis attulit ; sollicite ergo tempore hoc utimini, illud jam habetis, paulo post non habituri. Ergo tempori servit, qui temporis occasione utitur ad bonum, quique diligenter cavet ne nugis aut rebus parum proficuis se occupans, temporis ad serviendum Deo, et ad lucra ac præmia in cœlis comparanda concessi, jacturam faciat. Verum Syrus, Latina et Græca passim legunt non καιρῷ, sed Κυρίῳ, id est *Domino*, scilicet Christo, non idolis servientes, hoc est servile, etiam in persecutionibus, per novam vitam Christianam, ideoque spiritu fervete, uti præcessit.

Vulgata lectio confirmatur.

12. Spe gaudentes. — Tantorum enim bonorum quæ suis fidelibus Deus in cœlo præparavit, exspectatio et spes, ingens parit gaudium, ita ut in quavis etiam gravi tribulatione Christianus gaudeat et exultet. Ita sanctus ille abbas Apollo apud Palladium in *Lausiaca*, cap. LII, cum alios quem e suis tristem ac pusillanimem videret, ut eum ad lætitiam et gaudium erigeret : « Tristentur, inquit, mundani, tristentur Judæi, tristentur peccatores, qui aliam spem non habent : nos vero, qui tanta spe cœlestis gloriæ digni habiti sumus, quomodo non perpetuo lætabimur ? » Hinc Philo spem vocat « gaudium ante gaudium. »

Vers. 12. Spes bonorum est materia gaudii.

Lætitia spectat in Christiani cultum salutaris.

Ita S. Athanasius de S. Antonio scribit, eum semper tam in adversis quam in prosperis lætum fuisse, mentisque lætitiam prætulisse, atque ex ea agnitum fuisse ab ignotis. « Si quis enim, inquit, ignarus ejus, inter multitudinem monachorum eum videre desiderasset, nullo indicante, cæteris prætermissis, ad Antonium currebat, et animæ puritatem agnoscebat ex vultu, et per speculum corporis gratiam sanctæ mentis intuebatur : nam semper hilarem faciem gerens, liquido ostendebat se de cœlestibus cogitare. »

Tentatio lege.

In tribulatione patientes. — Tertullianus, lib. V *Contra Marcion.*, cap. XIV, legit *pressuram sustinentes*.

Orationi instantes. — Προσευχῇ προσκαρτεροῦντες, hoc est, in oratione assidue perdurantes, vel instantes cum assiduitate ; προσκαρτερεῖν enim est cum patientia et perseverantia quadam insistere, incumbere, multum esse et assiduum in aliqua re. Quod I *Thessal.* V, 17, dicitur : « Sine intermissione orate. » Et *Lucæ* XVIII, 1 : « Quoniam oportet semper orare. »

Vers. 13. Necessitatibus Sanctorum communicantes. — Ambrosius pro χρείαις, id est *necessitatibus*, legit μνείαις, id est *memoriis*. Ita quoque legit S. Hilarius, lib. *Contra Constantium*, in fine : « Apostolus, inquit, jubet communicare nos Sanctorum memoriis, tu (o Constanti) eas damnare elegisti. » Ita quoque legit Origenes (et ex eo Commentarius Hieronymo ascriptus) duplicemque dat sensum : *Primo*, « memoriis Sanctorum communicate, » hoc est, ex recordatione Sanctorum proficite. *Secundo*, mementote Sanctorum in solemnibus collectis ; quomodo Ecclesia eorum meminit in Canone Missæ, cum ait : « Communicantes, et memoriam venerantes imprimis gloriosæ semperque Virginis Mariæ, sanctorum Apostolorum Petri, Pauli, » etc. Ex qua explicatione Origenis discant Novantes veterem in Ecclesia ritum et morem invocationis et commemorationis Sanctorum in publicis Ecclesiæ precibus.

Loca contra Novatianos pro Sanctorum communione in precibus, et in Canone Missæ.

Stabilitur Vulgata lectio confirmatur.

Verum pc.sim Græca, Latina, Syrus, interpretes Græci et Latini, teste Francisco Luca, legunt χρείαις, quod S. Hieronymus vertit, *usibus* ; Noster, *necessitatibus*, id est inopiæ Sanctorum, puta Christianorum, communicate. « Sancti, fratres, discipuli » olim erat nomenclatura Christianorum ; quia erant ipsi Deo dedicati, et per baptismum sancti effecti.

Vers. 13. Spes bonorum est materia gaudii.

Urget S. Chrysostomus τὸ « communicantes, » id est *communicate*, *q. d.* Communes facite eum Sanctis opes vestras, ut commune cum eis lucrum habeatis, et sitis participes meritorum, patientiæ et coronæ ipsorum.

(1) Seu potius, *officia exsplendi*.

Hospitalitatem sectantes. — διώκοντες, id est *persequentes*, scilicet nolentes et recusantes cogendo ad hospitium, uti fecit Abraham. De hospitalitate Christianorum plura dicam *Hebr.* XIII, 2.

14. Benedicite persequentibus vos, — hoc est, bene precamini, et orate pro eis. Male ergo Erasmus vertit : « Bene loquamini de his qui vos insectantur. » Non est hoc præcepti, ut vult Calvinus, qui addit vix ullum hoc præceptum implere : nimirum, quia docet ipse Deum homini præcipere impossibilia, quod ne tyrannus quidem faceret ; sed est consilii, uti et præcedentia, « Orationi instantes ; honore invicem prævenientes ; spe gaudentes ; spiritu ferventes. »

Vers. 14.

Error Calvini de præcepta Dei.

Et nolite maledicere. — Græce καὶ καταρᾶσθε, id est, *ne exsecramini* ; et, ut Syrus, *ne imprecamini eis mala*, scilicet ex animo vindictæ cupido : nam ex zelo justitiæ mala quandoque impiis imprecati sunt Sancti, ut Elisæus, Job et ipse Paulus, *Actor.* XXV, 3.

15. Gaudere (ita legendum cum Bibliis Romanis et Græcis, non *gaudete*. « Gaudere » scilicet oportet ; vel potius infinitivus χαίρειν, id est *gaudere*, ad hoc ponitur pro imperativo χαίρετε, id est *gaudete*) cum gaudentibus. — *q. d.* Ea sit sympathia inter vos, Christiani, ut fratrum bona vel mala æque vos ac illos tangant. Ita S. Basilius, homil. *in Julittam Martyrem* : « Flendum, inquit, nobis cum flentibus ; tu enim simul atque videris fratrem, ob eorum quæ admisit pœnitentiam, se proluentem lacrymis, huic collingelo et condole : ita enim fiet, ut ex alienis malis castiges proprium. Talis erat, qui dicit : Dejectio, sive defectio, animi tenuit me pro peccatoribus relinquentibus legem tuam. Fle igitur super peccatum. Peccatum est animæ ægritudo, peccatum est mors animæ alioqui immortalis, peccatum luctu et implacabilibus lamentis est dignum. Flebat Paulus inimicos crucis Christi. Flebat et Jeremias internecionem pereuntis populi, qui, sane quod lacrymæ suapte natura profluentes non satis essent illi ad planctus magnitudinem, cupide expetebat sibi infundi lacrymarum fontem, et extremum solitudinis diversorium, dicens : Et sedebo, et plorabo populum hunc dies multos, eos qui pereunt. Sane istiusmodi luctum ac lacrymas deprædicat Apostoli sententia, et felices astruit. »

Sapide quoque S. Bernardus, serm. *De B. Magdalena* : « Vere, inquit, meliora sunt ubera sponsæ vino isto. Quænam, ais, sunt ista ? Procedat in medium Paulus Apostolus, et ubera felici lacte manantia nobis assignet. Gaudete, inquit, cum gaudentibus, flete cum flentibus. O quam brevi sermunculo totius religionis depinxit insigne ! quam eleganti clausula proposuit pietatem, æquitatem statuit, submovit invidiam ! His uberibus mater Ecclesia lactat proficientes, nutrit perfectos. Gaudete, inquit, cum gaudentibus. Facessat hinc sæcularis plausus, insania, et lætitia mundialis abscedat : quia non est gaudere impiis, di-

cit Dominus. » Et mox : « Ideos enim ab hujus mundi aspergine pure pressoque detersa, et in divinæ contemplationis acumen totum desiderii sui figens affectum, gaudens gaudet in Domino, et exultat anima sua in Deo salutari suo. Talis anima minas aspernatur, nescit timorem, spem falsam eludit et omnium scandalorum immunis, in pace in idipsum dormiens requiescit. » Subjicit deinde : « Secunda est, flere cum flentibus. Numquid Apostolus præcipit flere rerum amissionem, filiorum mortes, morborum instantiam? etc. Absit. Plorandi enim sunt qui taliter plorant, fletuosa enim tristitia aut alicuum luget peccatum aut proprium. Ideo est mamilla compassionis, prior fuit congratulationis. » Et post pauca : « Amator innocentiæ, pacis amicus, patientiæ cibus, patientibus compatiens, et congaudens gaudentibus, perfectionis metam cursu consummato obtinuit. » Ego congaudere et condolere sunt signa perfectionis, imo actus virtutis perfectæ.

Vers. 16. Quid sit idipsum invicem sentire? Prima explicatio.

16. IDIPSUM INVICEM (Græce τὸ αὐτὸ εἰς ἀλλήλους, id est ad alterutrum) SENTIENTES, — ut scilicet non sint, ait Anselmus, in vobis schismata, sed animo et affectu mutuo consentiatis. Unde Maldonatus in *Notis manuscr.* sic explicat : « Idipsum sentite, vel sapite in invicem, » id est invicem consentite, tam judicio, quam voluntate, vel unus sapiat quæ sapit alter, nec velit videri plus sapere quam cæteri, ut judicium suum et sententiam cæterorum judicio et sententiæ præferat superbe. Hic sensus satis est verisimilis et appositus.

Secunda.

Secundo, « idipsum invicem sentite, » hoc est, inquit Chrysostomus, æqualia de invicem cogitate. Et Ambrosius : Considera de te quod de aliis, scilicet, quod homo sis, et Christianus æque ac proximus tuus; ne consequenter non te efferas, licet alio sis ditior et honoratior. Unde Syrus vertit, *quæ sentitis de vobis ipsis, de fratribus vestris sentite.*

Tertia et Quarta.

Tertio et optime, Origenes sic explicat, *q. d.* Eodem animo inter vos, et erga vos mutuo sitis affecti, ut quisque quod sibi sentit et sapit, id est quærit, diligit, curat, vult (hoc enim est Græcum φρονεῖν), hoc ipsum alteri sapiat, id est quærat, velit; quod sibi non sapit, id est nollet sibi, hoc nec alteri sapiat, id est velit.

Posset etiam sic explicari : « Idipsum invicem sentientes, » *q. d.* Idipsum invicem sentite, ut si proximus gaudeat, sentiatis ejus gaudium, et cum eo gaudeatis; si fleat, cum eo fleatis : ut τὸ αὐτὸ φρονεῖν, idem sit quod ἀμφοτερόπτα, vel τὸν αὐτὸν φρόνημα ἔχειν, id est eamdem mentem, eumdem sensum habere; mente, animo et sensu consentite. Sed tunc idem diceret Paulus quod dixit vers. præced. : « Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. » Unde prius, quod dixi, est aptius; præsertim quia Apostolus, cum solum vult significare et commendare eumdem sensum, et affectus consensum, tantum dicere solet, τὸ αὐτὸ φρονεῖν, idem sapite, vel τὸ ἓν φρονοῦντες, unum idemque sentientes; hic vero addit τὸ ἀλλήλοις, id est in alterutrum idipsum sapite, quod non tantum consensum, sed et benevolentiam et beneficentiam vel in actu, vel in voluntate, desiderio et sollicitudine significat.

Nota : Apostolus a vers. 9 usque ad 12, describit qualis debeat esse dilectio Christianorum, a vers. vero 12 hucusque describit quibus rebus dilectio hæc adjuvetur, excitetur et roboretur, nimirum *primo*, spe cœlestis gloriæ; *secundo*, patientia tribulationum; *tertio*, orationis instantia; *quarto*, bonis operibus eleemosynæ, hospitalitatis et dilectionis inimicorum; *quinto*, et maxime sympathia, eodemque sensu et consensu, ut, nimirum quis proximi dolores, bona et mala sua faciat, eaque in se sentiat, quasi unum cum eo habens animam; et hoc est quod de primis Christianis dicitur Actor. IV, 32 : « Multitudinis credentium erat cor unum, et anima una. »

Annotatio quædam ad Apostoli documenta quibus virtutibus quæ cæteris præferenda.

Non alta (non elate, de vobis ipsis) sentientes, ut velitis supra alios eminere, ut ambitiis honores. Nota : *Prima* virtus Christianorum Deo beneplacita est charitas, de qua hactenus egit Apostolus. *Secunda* est humilitas, quæ charitatis debet esse comes et adjutrix. Docet ergo hic Apostolus charitatem debere esse humile, sibique sociare humilitatem, ut sit ambidextra.

Duæ Christianorum virtutes, charitas et humilitas.

Humilitatis itaque, sive charitatis humilis, novem actus recenset : *primum*, non alta sapere; *secundum*, humilibus rebus et personis vilibus delectari; *tertium*, apud se non esse prudentem; *quartum*, nulli malum pro malo reddere; *quintum*, providere bona coram hominibus; *sextum*, pacem cum hominibus colere; *septimum*, se non ulcisci; *octavum*, dare locum iræ; *nonum*, inimicis benefacere.

Novem actus charitatis humilis, seu humilitatis.

Humilitatis quadruplex quadriga.

Simili fere modo Cassianus, lib. IV *Institut. renunt.*, cap. XXXIX, alia, sed similia humilitatis indicia et officia enumerat : « Humilitas, ait, his indiciis comprobatur : *primo*, si homo in se mortificatas habeat omnes voluntates; *secundo*, si non solum actuum suorum, verum etiam cogitationum nihil suum celaverit seniorem; *tertio*, si nihil suæ discretioni, sed judicio ejus universa committat, ac monita ejus sitiens libenter auscultet; *quarto*, si in omnibus servet obedientiam, mansuetudinem et patientiæ constantiam; *quinto*, si non solum injuriam inferat nulli, sed ne ab alio quidem sibimet irrogatam doleat atque tristetur; *sexto*, si nihil agat, nihil præsumat, quod non vel communis regula, vel majorum exhortantur exempla : *septimo*, si omni vilitate contentus sit, et ad omnia se, quæ sibi præbentur, velut operarium malum, judicarit indignum; *octavo*, si semetipsum cunctis inferiorem non superficie pronuntiet labiorum, sed intimo cordis credat affectu; *nono*, si linguam cohibeat, vel non sit clamosus in voce; *decimo*, si non sit facilis ac promptus in risu. »

Humilitatis quadruplex quadriga Cassiani.

Anselmus vero, lib. *De Similit.*, cap. X, hu-

Humilitatis gradus primus et secundus Anselmo.

militatem ponit in sui contemptu, cujus septem gradus ita describit : « *primus*, inquit, est contemptibilem se esse cognoscere; *secundus*, de hoc dolere; *tertius*, hoc confiteri; *quartus*, hoc aliis persuadere loco et tempore; *quintus*, patienter sustinere dum id ab aliis dicitur; *sextus*, æquo animo ferre se contemptibiliter tractari; *septimus*, hoc ipsum gratum habere, appetere et amare. » Ex horum contrariis facile est assignare gradus superbiæ, iisque assignandi sunt retrogrado ordine : sicut enim bonum procedit construendo, ita malum destruendo; id autem quod in constructione est ultimum, in destructione est primum : v. g., in domo construenda proceditur a fundamento ad culmen; in destruenda, a culmine ad fundamentum.

Gradus superbiæ.

Primus ergo gradus superbiæ est, refugere et odisse sui contemptum, qui opponitur ultimo gradui humilitatis. *Secundus* est, indigne ferre sui contemptum, qui opponitur sexto gradui humilitatis : et ita deinceps retrocedendo. Vide et duodecim gradus humilitatis apud S. Benedictum in *Regula*, cap. VII, qui etiam recensentur apud S. Bernardum, *Appendice* II, pag. 103.

Humilitatis duodecim gradus ex Climaco.

Audi et Climacum, *gradu* 23, cujus titulus est : *De victrice passionum omnium altissima humilitate*; ubi *primo* humilitatem ex variis Patrum sententiis ita describit : Humilitatem alius dicebat esse recte factorum intentissimam oblivionem. Alius, extremum se omnium magisque peccatis obnoxium putare. Alius, suam imbecillitatem agnoscere. Alius, in irritationibus anticipare proximum, primumque iracundiam solvere. Alius, gratiæ Dei et misericordiæ agnitionem. Alius rursum, contriti animi sensum, et voluntatis propriæ abnegationem. Ego vero eam ineffabilem divitiarum Dei thesaurum esse dico.

Humilitatis quadruplex præstantia quinque.

Secundo, proprietates ejus ita assignat. *Prima* et præcipua est, ignominiæ suavissima et jucundissima perpessio, quam anima, ut morbos suos et peccata maxima sedet atque consumat, supinis manibus exspectat et complectitur. *Secundo*, est omnis iracundiæ victoria. *Tertio*, ut bonis suis nunquam aliquis infideliter credat, jugiterque addiscere desideret. *Quarto*, si cubi hypocrisis apparet, detractio, vel alius serpens occultus, humilitas statim eum ex cordis cavernis in lucem adducit et occidit. Denique humilis non increpat, non judicat, non appetit dominari, est mitis, placidus, ad compunctionem facilis, misericors, super omnia autem tranquillus, serenus, obtemperans, frani patiens, hilaris, vigil, impiger, placida animi tranquillitate beatus.

Tertio, humilitatis commoda, merita et præmia ita recenset. *Primo*, humilitas est protectio divina, ex qua fit ut recte facta nostra non videamus. *Secundo*, humilitas est vilitatis abyssus, furibus omnibus inviolabilis. *Tertio*, humilitas est turris fortitudinis a facie inimici. *Quarto*, humilis anima est vallis inter medium montium sita, sine arrogantia semper atque immobilis permanens, omniamque frugum parens. *Quinto*, si quem intra paucos annos altissimam videas acquisivisse tranquillitatem, noli hunc existimare aliam, quam hanc beatam celeremque viam iniisse. *Sexto*, superbia ex angelis dæmones fecit, humilitas ex dæmonibus angelos facit.

Quarto, media humilitatem acquirendi hæc suggerit : *primo*, considerare peccata præterita; *secundo*, perpendere passionem et humiliationem Christi; *tertio*, intueri suos quotidianos defectus, tentationes, morbos et lapsus.

Quinto, hos ejus actus et quasi gradus ita promiscue enumerat. *Primo*, suam voluntatem alteri subjicere; qui enim mente est humili, voluntatem suam ut deceptricem detestatur, Deique et Dei vicariorum voluntati prompte obtemperat, seque Dei curæ fidelissimæ committit, qui per asinam quoque filiam docuit et direxit. *Secundo*, sui præfidentiam et loquacitatem relegare. *Tertio*, paupertatem colere, et mendicorum vita vivere. *Quarto*, nobilitatem, sapientiam, virtutes et dotes suas occultare. *Quinto*, sicut summa superbia est virtutes quæ non adsunt, simulare; ita summa humilitas est, culpas quæ non insunt, confingere. *Sexto*, honores et laudes constanter fugere : hæc omnia B. Climacus pene ad verbum. Ita S. Hilarion, teste S. Hieronymo, honorem fugiens et importunitatem, silentium desiderabat et vitam ignobilem; ideoque vagus huc illuc semper fugit : ubique tamen ejus sanctitas prodebatur per miracula et per energumenos.

Humilitas non spectacularis.

SED HUMILIBUS CONSENTIENTES. — *q. d.* Humilis conditionis hominibus (ita Syrus et Chrysostomus) vos accommodantes, condescendentes et obsecundantes; non autem eos aspernantes, Græce τοῖς ταπεινοῖς συναπαγόμενοι, *q. d.* impetu quodam simul abrepti et abducti cum humilibus, id est vilibus et abjectis : hi enim sunt ταπεινοί. Unde Tertullianus, lib. V *Contra Marc.*, cap. XIV, logit, *humilibus assentantes.*

Secundo, potest τοῖς ταπεινοῖς esse neutrum, et opponi altis, *q. d.* Vilia ambite, non alta; fugite honores, fugite divitum et nobilium commercia; ambite abjectionem, paupertatem, atque plebeiorum et pauperum consortia.

NOLITE ESSE PRUDENTES APUD VOSMETIPSOS. — *Primo*, Origenes sic explicat : Ne putetis vos esse prudentes.

Secundo, Ambrosius, *q. d.* Prudentiam vestram non in vestros tantum, sed in aliorum quoque usus convertite.

Tertio, S. Basilius in *Reg. brevior.*, resp. 200, *q. d.* Ne humanæ prudentiæ innitamini, sed divinæ.

Non sobere Christianum sibi sapere.

Quarto, et plane S. Chrysostomus et Theodoretus, *q. d.* Ne putetis vestra consilia vobis sufficere, quasi aliorum consilio non egeatis, ne nimium vestræ prudentiæ et judicio tribuatis.

APUD VOSMETIPSOS, — id est in opinione vestra, in oculis vestris.

Vers. 17. 17. PROVIDENTES BONA NON TANTUM CORAM DEO, SED ETIAM CORAM OMNIBUS HOMINIBUS. — Respicit Paulus ad *Proverb.* III, 4, juxta Septuaginta, qui ita habent : Προνοοῦ καλὰ ἐνώπιον Κυρίου καὶ ἀνθρώπων. « Provide bona coram Domino et hominibus : » licet hic apud Paulum in Græco excident *ea coram Domino*, *q. d.* Ita honeste, amice, juste et sancte vivite, ut vita vestra et conversatio bona et amicabilis non tantum Deo, sed et hominibus probetur, nec a quoquam jure culpari possit, sed ceteris in exemplum virtutis luceat et præfulgeat.

Conversatio sit probabilis.

Deo debemus exonerationem, proximo famam.

« Deo debemus, ait S. Bernardus, conscientiam, proximo famam. »

Secundo, Græci jungunt hoc cum eo quod præcessit : « Nulli malum pro malo reddentes, » *q. d.* Paulus : Non sufficit vobis malum pro malo non reddere, sed oportet ut bona quoque provideatis, id est beneficiatis omnibus, etiam inimicis. Verum hic sensus arctior est. Succulente S. Bernardus, serm. *De Triplici judicio* : « Tribus, inquit, modis providemus bona coram hominibus, id est habitu, actione, sermone. Habitu, ne sit notabilis; actione, ne sit reprehensibilis; sermone, ne sit contemptibilis. Tribus etiam modis coram Deo, cogitatione, affectione et intentione. Nam et cogitatio debet esse sancta; unde scriptum est : Cogitatio sancta servabit te; et affectio pura, et intentio recta. »

19. NON VOSMETIPSOS DEFENDENTES, CHARISSIMI. — Pro « defendentes, » Græce est ἐκδικοῦντες, id est *vindicantes*. Ita S. Chrysostomus; unde et Tertullianus legit : « Non vosmetipsos ulciscentes. » Ita quoque Syrus et alii. Sic etiam alibi noster interpres vertit, ut *Judith* I, 12, et cap. II, 1. Sic Nonius Marcellus ex Ennio : « Serva, inquit, cives, defende (id est vindica, ulciscere) hostes. » Et Virgilius : « Solstitium pecori defendite. » Et Tertullianus, lib. II *Contra Marcionem*, pro eo quod nos habemus : « Mihi vindicta, et ego retribuam, » legit : « Mihi defensa, et ego defendam; » et Gellius, lib. I, cap. IX : « Defendere, inquit, idem est quod depellere. » Unde patet tempore nostri interpretis « defendere » usitatum fuisse pro vindicare. Hinc S. Cyprianus, lib. *De Patientia* : « Nec defendi, ait, ante Dominum servi irreligiosa festinatione properamus; » *defendi*, id est *vindicari*.

Defendere pro vindicare antiquel-lum.

Locus moralis contra vindictam ex Tertulliano. Primo.

Velat ergo Paulus hic vindictam et ultionis appetitum : contra quem egregia documenta et pharmaca assignat Tertullianus, lib. *De Patient.*, cap. IX et X.

« Hæc, inquit, ulciscendi libido negotium curat aut gloriæ, aut malitiæ : sed gloria ubique vana est; et malitia Domino odiosa, hoc quidem loco maxime : quia malum duplicat, quod semel factum est. Quid enim refert inter provocantem et provocatum, nisi quod ille prior in maleficio deprehenditur, iste posterior?

» Uterque læsi Domini res est, qui omnem nequam prohibet et damnat, quique præcipit malum malo non rependendum.

» Quem honorem litabimus Domino, si nobis arbitrium defensionis (id est ultionis) arrogaverimus? Tertio.

» Quid credimus judicem illum, si non et ultorem? Hoc se nobis repromittit dicens : Vindictam mihi, et ego vindicabo : id est patientiam mihi, et ego patientiam remunerabo. Quarto.

» Qui vindicat se, honorem unici judicis, id est Dei, abstulit. Quinto.

» Post vindictam sequitur pœnitentia, fuga et reatus, ut pari modo plectamur. Sexto.

» Nihil impatientia susceptum, sine impetu transigi novit : quidquid impetu actum est, aut offendit, aut corruit, aut præceps abiit. Septimo.

» Si levius defendaris, insanies; si uberius, oneraberis. Octavo.

» Quid mihi cum ultione, cujus modum regere non possum per impatientiam doloris? Nono.

» Si patientiæ incubabo, non dolebo; si non dolebo, ulcisci non desiderabo. » Decimo.

SED DATE LOCUM IRÆ, — supple, divinæ, ait Chrysostomus, Theodoretus, Œcumenius et S. Augustinus *in Psalm.* LXXVIII, *q. d.* Relinquite Deo vindictam vestræ injuriæ. Huic expositioni nonnihil favent sequentia. Quid sit *date locum iræ?* Primo. Positio.

Secundo, Ambrosius et Anselmus : « Da locum iræ, » id est, inquiunt, fuge, tace, cede irato et furenti; et, ut Origenes ait, fer patienter iratum fratrem, nihil contradicendo aut faciendo : sic enim ira ejus subsidet, illumque æque ac te sibi et paci restitues. Secundo.

Tertio et perfectius, S. Basilius in *Regulis brevioribus*, resp. 244, et ex eo Toletus sic explicant : « Date locum iræ, » donec scilicet ira compleatur, itaque cesset, ut si iratus dextram tuam maxillam feriat, porrigas ei et sinistram potius, quam vindices te. « Da, inquit Basilius, locum iræ quasi torrenti, qui obvia quæque impetu suo rapidissimo devolvit. » Sic fere S. Athanasius *ad Antiochum*, Quæst. CXXIX : « Da locum iræ, » inquit, hoc est, da veniam iræ, iram et injuriam tibi illatam condona. Tertio.

Quarto et perfectissime, abbas Joseph apud Cassianum, *Collat.* XVI, cap. XXVII : « Date locum iræ, » hoc est, inquit, non sint corda sic impatientiæ et pusillanimitatis angustiis coarctata, ut violentam commotionis procellam, cum irruerit, sustinere non possint : sed dilatamini in cordibus vestris, suscipientes adversos iracundiæ fluctus in illis extensis sinibus charitatis, quæ omnia suffert, omnia sustinet. Et ita mens vestra amplitudine longanimitatis ac patientiæ dilatata, habeat in se consiliorum salutares recessus (nota), in quibus receptus quodammodo, atque diffusus terrimus iracundiæ fumus protinus evanescat. » « Date ergo locum iræ, » id est, excipite iracunda verba et verbera in sinibus cordis, patientiæ et charitatis vestræ, ibique ea extinguite et obruite charitate. Sic etiam Livius dixit, lib. I, *Decad.* I : « Date iræ spatium. » Quarto, et perfectissime.

Solet enim Paulus ad perfectiora gradatim assurgere. Verum secundus sensus simplicior est et genuinus.

Hoc Apostoli malagma, imo philtrum suis Constantinopolis Catholicis inculcavit S. Gregorius Nazianzenus : dum enim ipsi ab Arianis sub Valente Ariano Imperatore vexati et oppressi, eo mortuo, sub Theodosio Orthodoxo Imperatore, par pari eis reddere, eosque paribus molestiis afficere cogitarent, hæc ad eos dixit Nazianzenus : « Non hæc, mi grex, a nobis poscit Christus, neque sic Evangelium nos docet. Hæc mea sit ultio, ut qui nos affecerunt injuriis, salutem consequantur. Præstate illis beneficia qui vos odio prosequuntur. Quod si animus vehementer exæstuat, neque coerceri se ira patitur, quod ab hoc alterum est præstate, ut hæc Christo permittatis, ac futuro tribunali reservetis. Mea enim est ultio, ego rependam, ait Dominus. » His dictis populum placavit, et in suam sententiam perraxit. Neque segnius re ipsa præstitit quod suos verbo docuit. Cum enim in Concilio Constantinopolitano simultates quorumdam Episcoporum et dissidia essent exorta, eo quod Nazianzenus, ipsis inconsultis, ab aliis esset consecratus Episcopus Constantinopolitanus, loco suo et gradu sponte cessit, atque ita eos allocutus est : « Suppliciter vos per Trinitatem ipsam oro, ut inter vos omnia recte pacificeque constituatis : quod si ego dissensionis inter vos causa sum, nequaquam Jona vate venerabilior videri debeo, abjicite me in mare, ac turbarum tempestas hæc inter vos sedabitur. Lubens equidem patiar quidquid voluerilis, quamquam innocens, vestræ concordiæ causa. Ejicite me solio, ab urbe pellite, tantum veritatem et pacem diligite. Valete, pastores sacri, meorumque laborum perpetuo recordamini. » His dictis, abiit ad Theodosium Imperatorem, dimissionem petens : « Supplex, inquit, oro ut laboribus hisce liberer, esto finis invidiæ, pacem colant Antistites, idque tua opera. Hoc ego munus a te flagito, hoc mihi postremum beneficium largire. » Admiratus virtutem viri Theodosius vix tandem acquievit, ac Nectarium ei substituit passus est. Ita Gregorius Presbyter in *Vita Nazianzeni*.

Hæc sententia sumpta est ex cap. XXV *Proverb.*, vers. 21. Pro *ciba*, græce est verbum ψωμίζειν, quod emphasim habet, significatque indulgenter pascere, veluti minutatim insipato pane, sive bolos in os ingerare, sicut matres parvulis, aves pullis cibum in os inserunt; aut frustulatim concisum cibum ad comedendum offerre, id quod apud aliquos fit erga eos quibus singulariter favetur in conviviis. Vers. 20. Quid ψωμίζειν? Inimicis quomodo pascendus?

Moraliter S. Augustinus, lib. I *De Serm. Domini in monte*, cap. XXXIII et XXXIV, sex dat gradus patientiæ erga inimicum : *primus* est, nolle lædere aliquem; *secundus*, si læsus sit, velle tantum lædere, quantum læsus est, non amplius; *tertius*, minus velle lædere, quam læsus sit, *quartus*, nolle lædere, licet læsus sit; *quintus*, si læsus sit, paratum se exhibere ut amplius lædatur; *sextus* est perfectissimus est, si læsus lædenti beneficiat et subveniat. Patientia erga inimicum gradus sex ex S. Augustino.

19. SCRIPTUM EST ENIM : MIHI VINDICTA (supple, competit), EGO RETRIBUAM, DICIT DOMINUS. — Citat Paulus *Deuter.* XXXII, 35, ubi habetur לִי נָקָם וְשִׁלֵּם *li nakam veshallem*, id est, mihi ultio et retribuere, sive retributio; subaudi *competit*. Noster interpres vertit, *meus est ultio*, id est, ad me pertinet, mihi debetur ultio; Vatablus vertit, *meum est ulcisci*, *q. d.* Ego Deus sum omnium justissimus provisor, judex et vindex, cujus proprium munus est injurias ulcisci et pœnas de iis sumere. Vers. 19. Deo proprium ulcisci.

Est occupatio : occurrit enim hic Paulus objectioni, *q. d.* Objicies mihi : Si me non ulciscar, ergo mea injuria manebit inulta. Respondeo : Nequaquam, quia Deus ulciscetur, idque gravissime; erit enim non hominis, sed Dei, cujus opera ingentia, magnifica et terrifica sunt, hæc ultio. Ex eo enim quod Deus sibi hanc vindictam reservat, colligimus ingentem et terribilem eam fore. Nam, ut hæc verba rursum citans *ad Hebræos*, X, 30, eaque explicans subjicit Apostolus : « Horrendum est incidere in manus Dei viventis. » Non debet ergo homo seipsum ulcisci : quia hoc esset præripere et invadere officium Dei, de ejusque unidicta diffidere, quæ tanta erit, ut potius commiseratione et compassione digni sint, qui cum nobis leves injurias irrogant, in manus Dei viventis et irati incident, in quas horrendum est incidere. Experientur enim non humanam, sed divinam, Deoque dignam ultionem. Pulchre et acute S. Bernardus, serm. 3 *De Annuntiat.* : « Mihi vindicta, et ego retribuam, dicit Dominus. Ita prorsus est. Ipse retribuet, sed si ei vindictam serves, si non tollas ab eo judicium, si non reddas retribuentibus tibi mala. Faciet judicium, sed injuriam patienti : in æquitate judicabit, sed pro mansuetis terræ. » Et paulo ante : « Alloquin qui patientiam non servaverit, perdet justitiam, hoc est vitam perdet, hoc est animam suam. » Horrendum est Dei vindicta.

Ex hac Mosis et Pauli sententia, Manichæi, Anabaptistæ, Lutherus et Erasmus docent, apud Christianos non licere magistratui bello, aliove modo vindicare reipublicæ injurias et improborum peccata. Sed errant gravissime : nam vindicta magistratus est Dei, ut patet cap. sequenti, initio. Privata ergo vindicta hic tantum prohibetur, non autem illa quæ fit per justitiam et potestatem publicam. Nam, ut ait S. Augustinus, *epist.* 5 : « Agenda sunt multa etiam cum invitis, benigna quadam asperitate plectendis, quorum potius utilitati consulendum est quam voluntati. Nam cui licentia iniquitatis eripitur, utiliter vincitur : quoniam nihil est infelicius felicitate peccantium, qua pœnalis nutritur impunitas, et mala voluntas velut hostis interior roboratur. » Licet magistratibus ulcisci injurias reipublicæ. Impunitatis infelicitas.

20. SI ESURIERIT INIMICUS TUUS, CIBA ILLUM. — Vers. 20.

PONTIFICIUM INSTITUTUM BIBLICUM ROMA

Qui sint carbones ignis hic?

HOC ENIM FACIENS, CARBONES IGNIS CONGERES SUPER CAPUT EJUS. — *Primo*, Origenes, Chrysostomus, Theodoretus et Eucherius in *Quæst. novi Testam.*, sic explicant, *q. d.* Si cibes inimicum, hac ratione eum, si persistat nocere, gravioris pœnæ et ignis æterni reum facies. Sed hoc non est ad rem, et hoc intendere esset gravissimum odium. Nisi dicas hoc tantum ab Apostolo quasi sponte sua eventurum dici, ad consolationem justorum patientium persecutionem ab impiis; scilicet quod impii non evadent vindictam Dei, si in malitia persistunt, justis hoc non intendentibus, sed permittentibus.

Primae-posilie.

Unde *secundo*, simpliciter sic aliqui explicant: « Carbones ignis congeres, » id est rubore suffundes faciem illius, ut tua beneficentia pudefactus et charitate victus cedat, odiumque in amorem convertat. Ita noster Gaspardus Sanchez, in *Isaiæ* cap. XIII, num. 18: « Carbones, inquit, ignis congeres super caput ejus, id est faciem ejus ardere facies eo sanguine, quem pudor ad maxillas evocat; non secus atque si supra caput carbones congessisses, qui faciem inflammarent. Quomodo enim ille non pudefiat, qui videt tam liberalem atque ingenuum animum a se fuisse offensum, a quo pro injuria tale recepit beneficium? »

Tertio, idem, *Isaiæ* XXXV, in fine, aliam affert sensum, *q. d.* « Pro injuriis acceptis beneficia confer in inimicos; tunc enim beneficia erunt instar carbonum, quos congeres in inimicos; quia eo modo exacerbantur inimici, cum vident injurias, pro quibus ipsi plagas exspectabant, beneficiis compensari. Fert autem omnium linguarum consuetudo, ut quos aut verbis ignominiose, aut operibus dure et inclementer accipimus, eos urere dicamur. »

Quarto et genuine.

Quarto et genuine, idem et S. Hieronymus, *ad Hedibiam*, Quæst. 1, et S. Augustinus, serm. 168 *De Temp.*: « congeres, inquiunt, super caput (inimici, eum cibando) carbones ignis, » id est ignitos, non iræ, sed charitatis et amoris, qui eum

Carbones ignis in capite hostis eum-cerent.

inflammant ad redamandum. « Nulla major, ait S. Augustinus, tract. *De Catechiz. rudibus*, est provocatio ad amandum, quam prævenire amando, nimirum efficacissimum est philtrum, ut ameris ama.

Redamandum inducere.

Hosce duos versus mutuatus est Apostolus ex *Prov.* XXV, 21 et 22, juxta Septuaginta, qui ibi vertunt, τοῦτο γὰρ ποιῶν, ἀνθρακιὰς πυρὸς σωρεύσεις ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ, id est *hoc enim faciens, carbones ignis congeres*, vel *coacervabis, super caput ejus*; cum hebr. tantum sit, *quia prunas tu accipis*, vel *incendes* super caput ejus. S. Cyprianus, lib. III *ad Quirin.*, legit: « carbones vivos superfundes in caput ejus. » Significat Sapiens hac phrasi, prunas (id est amorem et beneficia) sic in acervum magnum congerendas, ut earum vis caput hominis, puta hostis, excelat, totusque homo calefiat a pedibus usque ad caput. Si enim prunæ tantum in imo ponantur, non mox totus homo calescit, sed id fiet, si congerantur super caput ejus: a capite enim spiritus, motus, sensus et calor in totum corpus derivatur, *q. d.* Ciba et pota inimicum, omniaque in eum beneficia congere: ita fiet, ut quasi prunis acervatim appositis, earum vis caput excedat, ipsumque et ex eo totum hominem calefaciat, faciatque ut inimicus, omni inimicitia deposita et velut beneficiorum igne consumpta, totus accendatur in amorem ejus quem prius oderat. Hanc vincendi rationem etiam in Cicerone laudavit Valerius Maximus, lib. IV, II, subjiciens: « Speciosius aliquando injuriæ beneficiis vincuntur, quam mutui odii pertinacia pensantur. » Ita Jansenius in *Proverb.* XXV. Adde, potius dicit *caput*, quam manus, vel pedes, quia est sedes sensuum, phantasiæ, mentis et affectus, v. g. amoris vel odii; unde et facies vel serena et blanda, vel austera et torva, mox amorem vel odium capitis et mentis indicat. Frigus ergo odii in mente et capite, beneficiis quasi carbonibus in caput congestis resolvendum, et in calorem amoris commutandum, apposita dicit et monet.

Denique sicut serpens virus habet in capite, ita et hostis ibidem habet odium; unde Scriptura caput ejus potendum et conterendum docet. Sicut ergo Hercules dicitur hydræ capita resecando non potuisse eam interimere, quia uno resecto, mox renascebatur aliud; sed ea ustulando et torrendo, confecisse hydram; ita et hydra hanc inimicitiæ tolli nequit gladiis, perimendo inimicos, quia uno cæso, mox alii filii vel nepotes succedunt, qui suorum necem ulciscantur. Igne ergo charitatis et carbonibus beneficiorum in caput eorum congestis, ustulanda, suffocanda et comburenda est hæc hydra, hoc frigidum virus invidiæ et inimicitiæ. Alludit Salomon ad illud patris sui Davidis, *Psalm.* CXIX: « Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis, » *q. d.* Contra linguam hostilem et dolosam unicum remedium est verbum Dei, acutum ut sagitta, urens, consumens et desolans hostilitatem et dolum, ut carbo. Ita S. Augustinus ibidem, qui et addit exempla Sanctorum et actus charitatis esse carbones desolatorios terrenæ et inimicæ cogitationis: et hoc est quod hic dicit Salomon, et ex eo Paulus.

Tropologice, carbones ignis sunt urentes pœnitentiæ gemitus, quibus superbia sanatur ejus, qui dolet se inimicum fuisse hominis, a quo ejus miseria subvenitur. Ita S. Augustinus, lib III *De Doctr. Christ.*, cap. XVI.

21. NOLI VINCI A MALO. — « A malo, » scilicet ab injuria illata, et consequenter a dæmone, qui injuriam hanc et injuriantem excitat, ut et suam et tuam pacem, pariter ac conscientiam turbet. Rursum, « noli vinci a malo, » a tua scilicet impatientia; nemo enim lædituret vincitur nisi a seipso, ait S. Chrysostomus; nam, ut ait S. Ambrosius, lib. I *Offic.*, cap. XXXVI: « Vindicare se non est

actus fortitudinis, sed abjectionis et timiditatis. Vincitur ab inimico, non vincit, qui se vindicat. » Nam si læsus ab aliquo doleas, et impatienter agas, te ille vicit: si hilariter sustineas, si benefacias, tu vicisti. Nempe « idcirco quis te lædit (ait Tertullianus, lib. *De Patientia*) ut doleas; quia fructus lædentis in dolore læsi est. Ergo cum fructum ejus everteris non dolendo, ipse doleat necesse est amissione fructus sui: tunc tu non modo illæsus abibis, sed insuper et adversarii tui frustratione delectatus, et dolore defensus. » Hucusque Tertullianus.

Oblivio injuriæ est actus magnanimi.

Imo Aristoteles, lib. IV *Ethicor.*, cap. III, docet magnanimi esse oblivisci injuriarum: « Sicut enim, inquit, debilis stomachi est, cibum durioremnon posse concoquere; ita pusillanimi est, verbum durius ullum non posse sustinere. » Hinc de Julio Cæsare ait Cicero, orat. *pro Marcello*: « Cæsar nihil oblivisci solet nisi injurias: » sive hoc dixerit vere Cæsarem laudando, sive ficte eidem adulando, ait S. Augustinus, *epist.* 5. Quam longe ab hac virtute abest vulgus hominum, qui (uti dicere solet B. Thomas Morus) beneficia pulveri, maleficia marmori insculpunt.

Cæsar nihil oblivisci solet nisi injurias.

SED VINCE IN BONO MALUM, — id est malefacta benefactis supera, malitiam vince bonitate, tum ut per maleficium alterius beneficentia tua sit illustrior atque augustior; tum ut vincas ejus improbitatem beneficiis, ut ex improbo probus et bonus fiat, ex hoste amicus. Porro S. Augustinus in *Soliloquiis*, sentent. 247: « Non vincit, ait, in bono malum, qui in superficie bonus est, et in alto malus; opere parcens, corde sæviens; manu mitis, voluntate crudelis. »

Mobo juvenum vincendi hostem est patientia.

Pulchre de hac victoria disserit hic in morali S. Chrysostomus, ubi docet vinci inimicum non talione, sed patientia, contemptu, risu: « In Olympiis, ait, certaminibus diabolo consecratis lex est, malefaciendo vincere; in stadio Christi omnino lex est contraria: hic enim non eum, qui percutit, sed qui percutitur, coronari decretum est. Illud demum est divinæ virtutis, illud cœleste stadium, illud angelorum theatrum. Si mansuetudinem exhiberemus, essemus omnibus insuperabiles, nec ulla ad nos injuria perveniret. Roga inimicum, an non doleat, an non censeat se victum, cum rides, cum contemnis ejus injurias? » Vide et Senecam in *Sapiente*.

Audi Cleobuli, qui unus fuit e septem Græciæ Sapientibus, pium æque ac prudens diligendi præceptum: « Amicum tibi beneficio adjunge, ut te impensius amet; inimicum vero sic tractabis, ut eum tibi aliquando amicum speres. Cautio tamen hic adhibenda erit, ut illorum infamiam, horum vero insidias vitemus. »

Illustris exempla clementiæ, qua ultus filio Pisonis in-

Narrat Ælianus, lib. XII, quod Phocion innocentissimus et imperator, damnatus ad mortem et ad venenum hauriendum, cum lictor illi poculum obtulisset, rogatus a propinquis, quidnam filio mandaret, responderit: « Mando, inquit, ei ut obliviscatur potus hujus, quem nunc ab Atheniensibus oblatum bibo. »

Non minus rarum et mirabile fuit exemplum Lycurgi, regis Lacedæmoniorum, qui cum a ferocejuvene Alcandro oculo orbatus esset, eumque a populo accepisset in suam potestatem, ut ad libitum eumdem tractaret et plecteret, nihil gravius in juvenem statuit: imo vero illum optime instituit, vitia correxit et ad omnem honestatem effornavit; itaque bonis moribus jam præditum in theatrum ad populum produxit, dicens: « En juvenem, quem a vobis injurium et violentum accepi, jam frugi et populorum vobis restituo. » Auctor est Plutarchus in *Vita Lyc.*, et alii.

Tyrrhæum, Pittaci filium, Cumis faber occiderat. Cumani homicidam vinctum miserunt ad Pittacum, ut de eo supplicium sumeret; at ille, cognita causa, dimisit hominem dicens: « Ignoscentia potior est pœnitentia, » sentiens utilius esse condonare quam meminisse injuriæ et ulcisci.

Antigonus rex dicere solebat, « clementiam Antigonus. plus posse quam violentiam. »

Darius rex invidebat clementiæ Alexandri Magni, et a diis precabatur, « ut aut superare Darius de clementia cum Alexandro. posset clementia Alexandrum; aut, si ipse regno spollaretur, solus Alexander in Persarum regno de constituit. imperaret. »

Trajanus amicis culpantibus quod nimis clemens esset, ait: « Talis sum Imperator privatis, Trajanus. quales mihi Imperatori privatos opto. »

Titus Imperator Domitianum fratrem insidias Titus. molientem non est ultus, sed his verbis admonuit: « Quid opus te parricidio petere, quod me volente obventurum est, imo quod jam habes, imperii participem? »

Theodosius Junior rogatus cur neminem eorum Theodosius Junior. a quibus lædebatur, supplicio afficeret? respondit: « Utinam mihi liceret et mortuos ad vitam revocare! »

Ad privatas injurias oportet principem esse facilem ad ignoscendum, in eos vero qui lædunt rempublicam decet esse severum.

Augustus Cæsar Cinnæ machinanti sibi necem condonavit, atque: « Cinna, tibi iterum vitam do prius hosti, nunc insidiatori ac parricidæ; » eique consulatum obtulit. Vis exitum? Cinnam habuit perpetuo amicissimum, solus illi fuit hæres. Suetonius in *Augusto*.

S. Basilius, homil. 11 *De Patientia*, tria trium illustrium sapientum recenset exempla. *Primum*: « Probus, inquit, plebeius quidam afficiebat Periclem, ille vero ea negligebat: eo sane tota die perseverabant, ille quidem conviciando, hic vero nihili pendendo. Deinde cum jam advesperasceret, et ille præ tenebris vix discederet, cum Jumine ipsum Pericles domum deduxit, ne ipse inquinaret philosophiæ studium. *Secundum*: Cædebat quidam Socratem, in ipsam faciem impetu facto; ille vero non obviam ibat, sed permittebat, ut se tem us ille ira expleret, ita ut jam in-

tumesceret et præ plagis saniosa ejus facies esset. Ubi autem ille cædere destitisset, Socrates nil aliud fecisse dicitur, quam quod eum fronti suæ, veluti statuæ cujusdam opificem, inscripserit, atque ita ultus est hominem. *Tertium* : Euclidi quidam mortem minatus est, ac juravit se eum occisurum; at ille contra juravit, se eum placaturum, ac ne animo in se hostili sit, effecturum.»

Egregie vero Christiana illa virgo sanctitate illustris apud D. Taulerum in *Inst.*, cap. XXXI, moriens rogata, quomodo ad tantam sanctitatem pervenisset? respondit : « *primo*, afflictiones meas nulli nisi Deo questa sum, et statim aut consolabar, aut confortabar a Domino; *secundo*, corde semper fui liberalissimo, et si quando opere non poteram, animo saltem dabam; *tertio*, iis a quibus læsa fui, beneficium singulare rependi, quod non fecissem, nisi læsa ab eis fuissem. » Ecce hæc est voluntas Dei bona, beneplacens et perfecta, quam a vers. 2 huc usque per singula persequitur, hicque complet et perficit Apostolus.

Tria modis ad eligendam sanctitatem Romanis

Excelluit in hac virtute S. P. N. Ignatius, ut cum compilatorem pecuniæ suæ Rothomagi ægrotantem et ab omnibus desertum, Parisiis advolans, toto triduo nec comedens, nec bibens, adiit, eleemosynis a se conquisitis juvit, sanitati restituit et in Hispaniam cum litteris commendatitiis misit. Rursum, cum accusatorem suum in Societatem recepit. Notum est eum Cardinales aliosque sibi et Societati infensos una visitatione ita immutasse, ut qui antea impugnatores, jam patroni et nutritii ejus essent. Nonne carbones ignis congessit super capita eorum? Denique in *Formula orandi* præscripsit nobis, ut assidue pro regibus, prælatis, benefactoribus, ac præsertim pro inimicis Societatis oraremus.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

A charitate et humilitate transit hic Apostolus ad obedientiam, docetque octo rationibus (quas colligam vers. 1), *Christianos magistratibus sæcularibus debere parere, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.*

Secundo, vers. 8, *urget rursum dilectionem proximi, docetque quod plenitudo legis sit dilectio.*

Tertio, vers. 11, *urget fideles, ut splendente luce Evangelii de somno peccatorum surgant, atque fugientes gulam, libidinem, ambitionem, induantur Dominum Jesum Christum. Quare Apostolus prima parte capitis, videtur hos...inem recte componere per obedientiam erga Superiores; in secunda parte, per charitatem erga æquales et inferiores; in tertia, per temperantiam, continentiam et modestiam erga seipsum.*

1. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit : non est enim potestas nisi a Deo : quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt. 2. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt : 3. nam principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? Bonum fac, et habebis laudem ex illa : 4. Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time : non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit. 5. Ideo necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. 6. Ideo enim et tributa præstatis : ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes. 7. Reddite ergo omnibus debita : cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem. 8. Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis : qui enim diligit proximum, legem implevit. 9. Nam : Non adulterabis : Non occides : Non furaberis : Non falsum testimonium dices : Non concupisces; et si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur : Diliges proximum tuum sicut teipsum. 10. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio. 11. Et hoc scientes tempus, quia hora est jam nos de somno surgere. Nunc enim propior est nostra salus, quam cum credidimus. 12. Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis. 13. Sicut in die honeste ambulemus : non in comessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis, non in contentione

et æmulatione : 14. sed induimini Dominum Jesum Christum, et carnis curam ne feceritis in desideriis.

1. OMNIS ANIMA (omnis homo) POTESTATIBUS SUBLIMIORIBUS (id est principibus et magistratibus qui potestate regendi et imperandi sunt præditi; ponitur enim abstractum pro concreto, *potestatibus* hoc est, potestate præditis) SUBDITA SIT, — scilicet iis in rebus in quibus potestas illa sublimior et superior est, habetque jus et jurisdictionem, puta in temporalibus, subdita sit regi et potestati civili, quod proprie hic intendit Apostolus : per potestatem enim, civilem intelligit; in spiritualibus vero subdita sit Prælatis, Episcopis et Pontifici (1).

Nota : Pro *potestatibus sublimioribus*, Græce est ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις, *potestatibus supereminentibus*, vel *præcellentibus*, uti Noster vertit 1 *Petr.* II : « Sive regi quasi præcellenti. » Syrus vertit, *potestatibus dignitate præditis*, id est magistratibus sæcularibus, qui potestate regendi præditi sunt, sive duces, sive gubernatores, sive Consules, Prætores, etc.

Sæculares enim magistratus hic intelligere Apostolum patet, quia his solvuntur tributa et vectigalia, quæ hisce potestatibus solvi jubet ipse, vers. 7. Ita S. Basilius, *De Constitutione monast.*, cap. XXIII.

Ecclesiam non esse in regna. Deus hoc ethnicis tantum.

Nota ex Clemente Alexandrino, lib. IV *Strom.*, et S. Augustino *in Psal.* CXVIII, conc. 31 : Initio Ecclesiæ, puta tempore Christi et Pauli, rumor erat, per Evangelium politias humanas, regna et respublicas sæculares everti, uti jam fit ab hæreticis prætendentibus libertatem Evangelii : unde contrarium docent et studiose inculcant Christus, cum solvit didrachma, et cum jussit Cæsari reddi ea quæ Cæsaris sunt, et Apostoli, idque ne in odium traheretur Christiana religio, et ne Christiani abuterentur libertate fidei ad omnem malitiam.

Secta quædam veterum principio-rum hoc facinus occasionem præbuisse videtur.

Ortus est hic rumor ex secta Judæ et Galilæorum, de qua *Actor.* IV, in fine, qui pro libertate sua tuenda omne dominium Cæsaris et vectigal, etiam morte proposita abnuebant, de quo Josephus, lib. XVIII *Antiq.*, I. Quæ secta diu inter Judæos viguit, adeoque Christus et Apostoli in ejus suspicionem vocati sunt, quia origine erant Galilæi, et rerum novarum præcones. Hos Galilæos secuti sunt Judæi omnes, et de facto Romanis rebellarunt, quod dicerent populum Dei liberum non debere subjici et servire infidelibus Romanis; ideoque a Tito excisi sunt. Hinc etiam eadem calumnia in Christianos, qui origine erant et habebantur Judæi, derivata est : unde Apostoli, ut eam amoliantur, sæpe docent principibus dandum esse honorem et tributum.

Christiani non debent ideo minus Romanis parere.

(1) Sequitur parænesis ad obsequium magistratibus quibuscis, etiam iniquis, præstandum. Quam necessaria fuerit ista admonitio, discimus ex historia. Nam sub imperio Claudii et Neronis, innumeri fuerunt cives, qui horum imperatorum dominationem exosi, imperium eorum detractare, resque novas moliri conarentur. Inde factum est, ut Caligula morte violenta, Claudius veneno, et Nero denique non feliciori fato, de medio tollerentur. Et jam antea Judæi, Romæ commorantes, ob tumultum concitatum sub imperio Claudii, ex urbe erant ejecti.

Quare octo argumentis probat hic Apostolus, principibus et magistratibus deberi obedientiam. Octo argumentis confirmatur obedientia principibus debita.

Primum est hoc versu : Quia hæc est ordinatio Dei et præceptum divinum. Primum.

Secundum, vers. 4 : Quia ministri sunt Dei, Dei vices gerunt : iis ergo quasi Dei vicariis reverentia et obedientia præstanda est. Secundum.

Tertium, versu eod. : Quia gladium portant, ut inobedientes plectant. Tertium.

Quartum, vers. 5 : Quia eis parendum est propter conscientiam : hæc enim peccati fit rea, si inobediens eis sis. Quartum.

Quintum, vers. 2 : Quia Deus iis, qui eis resistunt, minatur damnationem. S. Augustinus in illud *Psalmi* CXVIII, *A verbis tuis formidavit cor meum* : « Habuerunt, ait, principes sua verba : Occido, proscribo, in exilium mitto. Sed hæc non possunt comparari huic : Hic potest corpus et animam mittere in gehennam; ob id a verbis tuis formidavit cor meum. » Jam verbum et præceptum Dei est, ut sub pœna damnationis obediamus magistratibus, etiam sæcularibus. Quintum.

Sextum, vers. 6 : Quia hanc subjectionem et obedientiam indicant tributa, quæ subditi pendunt magistratibus : his enim tributis testantur et profitentur se eis esse subjectos. Sextum.

Septimum, vers. 8 : Quia charitas Christiana hoc exigit, nimirum, ut omnes quemque pro suo gradu et modo diligamus : pares ut pares amando, superiores ut superiores reverendo eisque obediendo. Septimum.

Octavum, vers. 13 et 14 : Quia lex Christiana arcta est, velat comessationes et libidines, præcipit omnem disciplinam et sanctimoniam, ut induamur Dominum Jesum Christum. Multo ergo magis præcipit obedire magistratui et legi civili, quæ civilem honestatem tantum et communem reipublicæ pacem et concordiam spectat. Hanc enim tuendam esse, ideoque magistratibus obediendum esse, dictat lex naturæ et jus Gentium. Octavum.

His rationibus probat Apostolus et Evangelium et Christianismum regna et magistratus non evertere, sed firmare et stabilire : quia nil regna et principes ita confirmat, ac subditorum bona, Christiana et sancta vita. Adeo, ut etiam nunc principes Japones et Indi Gentiles ament Christianos, et suis copiam faciant baptismi et christianismi suscipiendi; quia subditos Christianos, magis quam Ethnicos, faciles et obsequentes, regnaque sua per eos magis firmari, pacari et florere experiuntur. Christiani subditi regum etiam Ethnicorum robur sunt.

tumesceret et præ plagis saniosa ejus facies esset. Ubi autem ille cædere destitisset, Socrates nil aliud fecisse dicitur, quam quod eum fronti suæ, veluti statuæ cujusdam opificem, inscripserit, atque ita ultus est hominem. *Tertium* : Euclidi quidam mortem minatus est, ac juravit se eum occisurum; at ille contra juravit, se eum placaturum, ac ne animo in se hostili sit, effecturum.»

Egregie vero Christiana illa virgo sanctitate illustris apud D. Taulerum in *Inst.*, cap. XXXI, moriens rogata, quomodo ad tantam sanctitatem pervenisset? respondit : « *primo*, afflictiones meas nulli nisi Deo questa sum, et statim aut consolabar, aut confortabar a Domino; *secundo*, corde semper fui liberalissimo, et si quando opere non poteram, animo saltem dabam; *tertio*, iis a quibus læsa fui, beneficium singulare rependi, quod non fecissem, nisi læsa ab eis fuissem. » Ecce hæc est voluntas Dei bona, beneplacens et perfecta, quam a vers. 2 huc usque per singula persequitur, hicque complet et perficit Apostolus.

Tria modis ad eligendam sanctitatem Romanis

Excelluit in hac virtute S. P. N. Ignatius, ut cum compilatorem pecuniæ suæ Rothomagi ægrotantem et ab omnibus desertum, Parisiis advolans, toto triduo nec comedens, nec bibens, adiit, eleemosynis a se conquisitis juvit, sanitati restituit et in Hispaniam cum litteris commendatitiis misit. Rursum, cum accusatorem suum in Societatem recepit. Notum est eum Cardinales aliosque sibi et Societati infensos una visitatione ita immutasse, ut qui antea impugnatores, jam patroni et nutritii ejus essent. Nonne carbones ignis congessit super capita eorum? Denique in *Formula orandi* præscripsit nobis, ut assidue pro regibus, prælatis, benefactoribus, ac præsertim pro inimicis Societatis oraremus.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

A charitate et humilitate transit hic Apostolus ad obedientiam, docetque octo rationibus (quas colligam vers. 1), *Christianos magistratibus sæcularibus debere parere, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.*

Secundo, vers. 8, *urget rursum dilectionem proximi, docetque quod plenitudo legis sit dilectio.*

Tertio, vers. 11, *urget fideles, ut splendente luce Evangelii de somno peccatorum surgant, atque fugientes gulam, libidinem, ambitionem, induantur Dominum Jesum Christum. Quare Apostolus prima parte capitis, videtur hos...inem recte componere per obedientiam erga Superiores; in secunda parte, per charitatem erga æquales et inferiores; in tertia, per temperantiam, continentiam et modestiam erga seipsum.*

1. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit : non est enim potestas nisi a Deo : quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt. 2. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt : 3. nam principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? Bonum fac, et habebis laudem ex illa : 4. Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time : non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit. 5. Ideo necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. 6. Ideo enim et tributa præstatis : ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum servientes. 7. Reddite ergo omnibus debita : cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem. 8. Nemini quidquam debeatis, nisi ut invicem diligatis : qui enim diligit proximum, legem implevit. 9. Nam : Non adulterabis : Non occides : Non furaberis : Non falsum testimonium dices : Non concupisces; et si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur : Diliges proximum tuum sicut teipsum. 10. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio. 11. Et hoc scientes tempus, quia hora est jam nos de somno surgere. Nunc enim propior est nostra salus, quam cum credidimus. 12. Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis. 13. Sicut in die honeste ambulemus : non in comessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis, non in contentione

et æmulatione : 14. sed induimini Dominum Jesum Christum, et carnis curam ne feceritis in desideriis.

1. OMNIS ANIMA (omnis homo) POTESTATIBUS SUBLIMIORIBUS (id est principibus et magistratibus qui potestate regendi et imperandi sunt præditi; ponitur enim abstractum pro concreto, *potestatibus* hoc est, potestate præditis) SUBDITA SIT, — scilicet iis in rebus in quibus potestas illa sublimior et superior est, habetque jus et jurisdictionem, puta in temporalibus, subdita sit regi et potestati civili, quod proprie hic intendit Apostolus : per potestatem enim, civilem intelligit; in spiritualibus vero subdita sit Prælatis, Episcopis et Pontifici (1).

Nota : Pro *potestatibus sublimioribus*, Græce est ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις, *potestatibus supereminentibus*, vel *præcellentibus*, uti Noster vertit 1 *Petr.* II : « Sive regi quasi præcellenti. » Syrus vertit, *potestatibus dignitate præditis*, id est magistratibus sæcularibus, qui potestate regendi præditi sunt, sive duces, sive gubernatores, sive Consules, Prætores, etc.

Sæculares enim magistratus hic intelligere Apostolum patet, quia his solvuntur tributa et vectigalia, quæ hisce potestatibus solvi jubet ipse, vers. 7. Ita S. Basilius, *De Constitutione monast.*, cap. XXIII.

Ecclesiam non esse in regna. Deus hoc ethnicis tantum.

Nota ex Clemente Alexandrino, lib. IV *Strom.*, et S. Augustino *in Psal.* CXVIII, conc. 31 : Initio Ecclesiæ, puta tempore Christi et Pauli, rumor erat, per Evangelium politias humanas, regna et respublicas sæculares everti, uti jam fit ab hæreticis prætendentibus libertatem Evangelii : unde contrarium docent et studiose inculcant Christus, cum solvit didrachma, et cum jussit Cæsari reddi ea quæ Cæsaris sunt, et Apostoli, idque ne in odium traheretur Christiana religio, et ne Christiani abuterentur libertate fidei ad omnem malitiam.

Secta quædam veterum principio-rum hoc facinus occasionem præbuisse videtur.

Ortus est hic rumor ex secta Judæ et Galilæorum, de qua *Actor.* IV, in fine, qui pro libertate sua tuenda omne dominium Cæsaris et vectigal, etiam morte proposita abnuebant, de quo Josephus, lib. XVIII *Antiq.*, I. Quæ secta diu inter Judæos viguit, adeoque Christus et Apostoli in ejus suspicionem vocati sunt, quia origine erant Galilæi, et rerum novarum præcones. Hos Galilæos secuti sunt Judæi omnes, et de facto Romanis rebellarunt, quod dicerent populum Dei liberum non debere subjici et servire infidelibus Romanis; ideoque a Tito excisi sunt. Hinc etiam eadem calumnia in Christianos, qui origine erant et habebantur Judæi, derivata est : unde Apostoli, ut eam amoliantur, sæpe docent principibus dandum esse honorem et tributum.

Christiani non debent ideo minus Romanis parere.

(1) Sequitur parænesis ad obsequium magistratibus quibuscis, etiam iniquis, præstandum. Quam necessaria fuerit ista admonitio, discimus ex historia. Nam sub imperio Claudii et Neronis, innumeri fuerunt cives, qui horum imperatorum dominationem exosi, imperium eorum detractare, resque novas moliri conarentur. Inde factum est, ut Caligula morte violenta, Claudius veneno, et Nero denique non feliciori fato, de medio tollerentur. Et jam antea Judæi, Romæ commorantes, ob tumultum concitatum sub imperio Claudii, ex urbe erant ejecti.

Quare octo argumentis probat hic Apostolus, principibus et magistratibus deberi obedientiam. Octo argumentis confirmatur obedientia principibus debita.

Primum est hoc versu : Quia hæc est ordinatio Dei et præceptum divinum. Primum.

Secundum, vers. 4 : Quia ministri sunt Dei, Dei vices gerunt : iis ergo quasi Dei vicariis reverentia et obedientia præstanda est. Secundum.

Tertium, versu eod. : Quia gladium portant, ut inobedientes plectant. Tertium.

Quartum, vers. 5 : Quia eis parendum est propter conscientiam : hæc enim peccati fit rea, si inobediens eis sis. Quartum.

Quintum, vers. 2 : Quia Deus iis, qui eis resistunt, minatur damnationem. S. Augustinus in illud *Psalmi* CXVIII, *A verbis tuis formidavit cor meum* : « Habuerunt, ait, principes sua verba : Occido, proscribo, in exilium mitto. Sed hæc non possunt comparari huic : Hic potest corpus et animam mittere in gehennam; ob id a verbis tuis formidavit cor meum. » Jam verbum et præceptum Dei est, ut sub pœna damnationis obediamus magistratibus, etiam sæcularibus. Quintum.

Sextum, vers. 6 : Quia hanc subjectionem et obedientiam indicant tributa, quæ subditi pendunt magistratibus : his enim tributis testantur et profitentur se eis esse subjectos. Sextum.

Septimum, vers. 8 : Quia charitas Christiana hoc exigit, nimirum, ut omnes quemque pro suo gradu et modo diligamus : pares ut pares amando, superiores ut superiores reverendo eisque obediendo. Septimum.

Octavum, vers. 13 et 14 : Quia lex Christiana arcta est, velat comessationes et libidines, præcipit omnem disciplinam et sanctimoniam, ut induamur Dominum Jesum Christum. Multo ergo magis præcipit obedire magistratui et legi civili, quæ civilem honestatem tantum et communem reipublicæ pacem et concordiam spectat. Hanc enim tuendam esse, ideoque magistratibus obediendum esse, dictat lex naturæ et jus Gentium. Octavum.

His rationibus probat Apostolus et Evangelium et Christianismum regna et magistratus non evertere, sed firmare et stabilire : quia nil regna et principes ita confirmat, ac subditorum bona, Christiana et sancta vita. Adeo, ut etiam nunc principes Japones et Indi Gentiles ament Christianos, et suis copiam faciant baptismi et christianismi suscipiendi; quia subditos Christianos, magis quam Ethnicos, faciles et obsequentes, regnaque sua per eos magis firmari, pacari et florere experiuntur. Christiani subditi regum etiam Ethnicorum robur sunt.

NON EST ENIM POTESTAS NISI A DEO. — *q. d.* Principatus et magistratus non a diabolo, nec a solo homine, sed a Deo ejusque divina ordinatione et dispositione condili et instituti sunt : eis ergo obediendum est.

Potestas sæcularis est a Deo mediate, Ecclesiastica immediate instituta.

Nota *primo* : Potestas sæcularis est a Deo mediate, quia natura et recta ratio, quæ a Deo est, dictat et hominibus persuasit præficere reipublicæ magistratus, a quibus regantur. Potestas vero Ecclesiastica immediate est a Deo instituta, quia Christus ipse Petrum et Apostolos Ecclesiæ præfecit.

Nerovi obedientiam debuerunt Christiani.

Nota *secundo* : Nero, Diocletianus, Domitianus aliique similes, qui legitime creati sunt Imperatores, licet tyrannice imperarint, tyranni tamen non fuerunt, sed veri Imperatores, ideoque potestatem a Deo acceperunt, cui prolude omnes, etiam Christiani, in conscientia parere debebant : quamquam ipsi hac potestate contra Christianos, eos persequendo et occidendo, abusi sunt.

D. Augustinus indirecte probat Imperatores a Deo.

Pulchre S. Augustinus, lib. V *De Civit.*, cap. XXI : « Non tribuamus, inquit, dandi regni atque imperii potestatem, nisi Deo vero, qui dat felicitatem in regno cœlorum solis piis, regnum vero terrenum et piis et impiis, sicut ei placet; cui nihil injuste placet. » Et infra : « Qui dedit, inquit, Mario, ipse et Cæsari; qui Augusto, ipse et Neroni; qui Vespasiano vel patri vel filio suavissimis Imperatoribus, ipse et Domitiano crudelissimo : et ne per singulos ire necesse sit, qui Constantino Christiano, ipse Apostatæ Juliano. »

Quæ ordinata sint a Deo.

QUÆ AUTEM SUNT, A DEO ORDINATÆ SUNT. — Ita legunt Biblia Romana, Græca et Syrus. Græce ergo τὰ ὄντα ponitur pro τὰ ὄντως. Dicit itaque Apostolus hic primo, quod potestates etiam Gentilium, quæ sunt et existunt, a Deo instituta et ordinatæ sint, ad hoc scilicet, ut homines a multis peccatis retraherent, et ut omnes justitiam pacemque colerent, nec se more piscium devorarent. *Secundo*, asserit hasce potestates carere atoxia, et esse apto ordine inter se distributas et subordinatas a Deo, vel sub Deo : utrumque enim significat Græcum τοῦ Θεοῦ. *Tertio*, affirmat hunc earum ordinem non tantum institutum, sed et præceptum sanctumque esse a Deo, ita ut illi resistere aut contraire non liceat. Græcum enim τεταγμέναι, id est ordinatæ, constitutæ, decretæ, non tantum ordinem, sed et constitutionem, decretum et præceptum, illudque stabile et firmum significat.

Quomodo ordinata a Deo quæ sæpe tyrannica?

Hæ ergo potestates non sunt ordinatæ eo modo, quo condita et ordinata a Deo sunt natura et ordines rerum naturalium, v. g., appetitus et societates leonum, luporum, ursorum, cum quibus hominibus sæpe bellandum est : sed eo modo, quo leges et sanctiones ordinatæ sunt, quibus resistere non licet : est enim magistratus lex quædam viva et sancta; sicut e converso lex est magistratus quidem silens et mutus. Aut eo modo, quo dux ordinat suos milites : hic enim non simplicem eis ordinem ponit, sed cuique suum locum et munus injungit, in quo firmus ad mortem usque consistere debet, a quo nemo nisi hostis eum depellere audeat. Pari enim modo Deus potestates has ordinans et subordinans, cuique suum munus injungit, cui nemo, nisi hostis Dei haberi velit, resistere audeat; ita ut earum τάξις et ordo sit διάταξις, id est ordinatio, constitutio et sanctio quædam firma et inviolabilis, cui omnes auscultare et obedire debeant. Unde idipsum explicans Apostolus subdit :

Mutuum est lex viva, similis.

Vers. 2. QUI AUTEM RESISTUNT, IPSI SIBI DAMNATIONEM ACQUIRUNT. — *Damnationem*, tum ab ipsa potestate temporariam, tum a Deo æternam in inferno. Ita S. Chrysostomus, Theophylactus, Œcumenius. Hinc patet mortale esse peccatum resistere potestati civili. Ita S. Augustinus, *epist.* [illegible], Ambrosius, Bernardus, lib. *De Præcept. et dispensatione.*

Prout mortaliter, qui resistit potestati civili.

Vers. 3. 3. NAM PRINCIPES NON SUNT TIMORI (οὐκ εἰσὶ φόβος, *non sunt timor et terror*) BONI OPERIS, SED MALI. — Loquitur Paulus de timore supplicii, non reverentiæ, quem vulgus metum reverentialem vocat. Hunc enim habent boni, non mali.

VIS NON TIMERE POTESTATEM ? BONUM FAC, ET HABEBIS LAUDEM EX ILLA. — Tum quia punitio malorum quam facit magistratus, laus est bonorum; tum quia idem magistratus bonos laudat et præmiat. Pulchre S. Gregorius Nazianzenus, *orat.* 17 : « Cum Christo imperium geris, cum Christo munus hoc administras : ab illo gladium accepisti, non tam ut eo uteris quam ut mineris, ac terreas : quare tibi videndum est, ut illum tanquam donarium quoddam, purum et integrum ei qui dedit serves. »

Vers. 4. 4. DEI MINISTER EST TIBI IN BONUM, — ut ad bona, lege, laudibus et præmiis te provocet, et adversus impios et violentos te tueatur.

Gladius summæ potestatis indicium.

SI MALUM FECERIS, TIME : NON ENIM SINE CAUSA GLADIUM PORTAT. — *Gladius* enim significat magistratum habere potestatem vitæ et necis. Hac de causa iis qui habent merum imperium gladius nudus præfertur, et Romani Consules lictores cum fascibus virgarum et securibus ante se ducebant.

Quid vindex iræ?

DEI ENIM MINISTER EST, VINDEX IN IRAM, — scilicet ad iram, hoc est supplicium sumendum de malefactoribus. Ad hoc enim institutus est magistratus, ut pacem publicam conservet, et vitæ communis honestatem et societatem tueatur; ideoque eos qui eam perturbant, plectit. Metonymice hic ira significat pœnam, quia pœna est effectus iræ et vindictæ.

Vers. 5. Timplex causa, cur potestati subdere se nos oporteat.

5. IDEO NECESSITATE (aliqui legunt, *necessitati*) SUBDITI ESTOTE, — *q. d.* Ideo necesse est, ideo oportet vos subdi potestati. Ita Syrus et Græci, scilicet tum propter iram, vindictam et gladium, quem gerit et minatur; tum propter obligationem et ordinationem divinam, quæ etiam conscientiam ad hanc subjectionem obstringit : unde sequitur :

NON SOLUM PROPTER IRAM, SED ETIAM PROPTER CONSCIENTIAM. — *Conscientiam* non aliorum, quos scandalo offendis, uti aliqui recentiores explicant; non etiam propter conscientiam beneficiorum, quæ a magistratibus pacem communem tuentibus recipis, et ob quæ tributa præstas, ut exponunt Græci : sed proprie propter tuam conscientiam, ne scilicet ea fiat rea inobedientiæ coram Deo, Dei enim minister est magistratus, ut præcessit. Unde conscientia dictat, ei quasi Dei ministro obediendum esse, et consequenter in Deum peccare illum, qui ei non obedit.

Quæta obligatio legum etiam a Gentilibus latarum.

Nota ex hoc loco contra Gersonem, leges Ecclesiasticas, et contra Almainum, leges civiles, etiam Gentilium, implorum et infidelium principum, secluso quoque scandalo, obligare in conscientia sub peccato mortali, si res gravis gravi obligatione vel interminatione præcipiatur ab eis. Apostolus enim loquitur de legibus Imperatorum Romanorum, qui tum erant infideles.

Vers. 6. Ex tributo quod pendunt publicis ministris, obedientia in debita erga Deum.

6. IDEO ENIM ET TRIBUTA PRÆSTATIS. — Est novum argumentum a signo, quo probat Paulus magistratibus esse obediendum, *q. d.* Tributum, quod vos, o fideles, datis et præstatis regibus et principibus, signum est tum vestræ subjectionis, tum illorum potestatis, ministerii, oneris, pervigilisque laboris.

MINISTRI DEI SUNT, IN HOC IPSUM SERVIENTES, — toti scilicet in hoc ipsum incumbentes. Græcum enim προσκαρτεροῦντες, quod S. Augustinus, lib. IV *De Doctrina Christiana*, cap. XXIX, vertit, *perseverantes*, significat continuam, diligentem et intensam curam, ut Dei loco bonis sint in tutelam, malis in ultionem, utque sibi subditos a malis retrahant, et ad virtutes promoveant.

Notent hic principes, tributis quasi mercede se illi et conduci a republica, ut illi serviant illamque defendant.

Vers. 7. 7. REDDITE OMNIBUS DEBITA : CUI TRIBUTUM (debetis), TRIBUTUM (reddite); CUI VECTIGAL (debetis), VECTIGAL (reddite). — *Tributum*, græce φόρος, est tributum vel census facultatum et personarum. Unde et latine *tributum* dicitur a tribuendo, vel contribuendo. *Vectigal*, græce τέλος, est id quod pro mercibus importatis vel exportatis penditur. Ita ex Strabone Budæus. Unde latine *vectigal* a vehendo dicitur, quia solvitur ex his quæ advehuntur vel evehuntur, ad securitatem et restaurationem viarum, pontium, aggerum, etc.

Quid tributum?

Quid vectigal?

CUI TIMOREM (debetis, illi reddite) TIMOREM, — id est reverentiam, et inde consequentem obedientiam. Ita S. Chrysostomus et Theophylactus. Est metalepsis. Sic alibi sæpe dicitur : « Timete Dominum, » id est *reveremini Dominum*.

8. NEMINI QUIDQUAM DEBEATIS, NISI UT INVICEM DILIGATIS — *q. d.* Mature debita vestra exsolvite, statim debitis omnibus vos liberate, excepto debito charitatis, quo nunquam exsolvi potestis, tum erga pares, tum erga Superiores et parentes, quos diligere semper debetis, eos honorando et obediendo. Hoc enim debitum semper manet, ut nunquam illi ita solvendo sitis, quin semper ulterius debitum restet. Ita S. Chrysostomus, Augustinus et Fulgentius, serm. *De Charitate*. Audi S. Augustinum, epist. 62 *ad Cœlestinum* : « Semper, inquit, debeo charitatem, quæ sola etiam reddita detinet debitorem. » Et rursum : « Mutuam charitatem libens reddo gaudensque recipio; quam recipio, adhuc repeto; quam reddo, adhuc debeo. » Nihil ergo hic habent Anabaptistæ et Trinitarii, ut ex hoc loco apud Christianos aboleant magistratus et judices ac judicia, quibus civilia justitiæ debita repetantur. Charitas enim et debitum charitatis dictat, ante omnia solvendum esse debitum justitiæ, si quod sit, uti jam explicui; nam alioqui hic versus everteret omnes versus præcedentes, quibus civilem potestatem, judices et judicia sanxit et confirmavit Apostolus.

Debitum charitatis perpetuum, et insolubile.

Anabaptistarum et Trinitariorum error confutatur.

QUI ENIM DILIGIT PROXIMUM, LEGEM IMPLEVIT. — « Legem, » scilicet eam quæ proximum spectat, quam subdit Apostolus, dicens : « Diliges proximum tuum, sicut teipsum. »

Quis proximus?

Nota : Pro « proximum, » hic græce est τὸν ἕτερον, id est *alterum*. Lege ergo charitatis diligendus est omnis alter homo, sive amicus sit, sive inimicus; sive domesticus, sive peregrinus; sive fidelis, sive infidelis. Id ita esse patet ex eo, quod rem cujusvis barbari et pagani furari, occidere, concupiscere, sit contra legem charitatis secundæ tabulæ, quæ proximum et hominum socialem vitam spectat. Hunc genuinum esse hujus loci sensum patet ex ratione quam subjicit Apostolus, dum ait :

Omnem legem implet qui proximum diligit.

9. NAM : NON ADULTERABIS, NON OCCIDES, NON FURABERIS, NON FALSUM TESTIMONIUM DICES, NON CONCUPISCES; ET SI QUOD EST ALIUD MANDATUM, IN HOC VERBO INSTAURATUR : DILIGES PROXIMUM TUUM SICUT TEIPSUM. — Vides, ut hic recenseat tantum præcepta secundæ tabulæ quæ proximum spectant, illaque omnia in uno dilectionis proximi præcepto concludi asseveret. Cum ergo exinde inferendum relinquit, quod « qui diligit proximum, legem implevit, » non dubium est ipsum eamdem legem, nimirum secundæ tabulæ tantum, quæ proximum spectat, intelligere : de eadem enim lege loquitur in consequente, de qua locutus est in antecedente.

Secundo tamen S. Augustinus, lib. VIII *De Trinit.*, cap. VIII, sic explicat : « Qui diligit proximum, legem implevit; » legem, scilicet omnem tam primæ, quam secundæ tabulæ. Et ratio est, quia dilectio proximi includit et præsupponit dilectionem Dei, ut sui causam et fontem. Proximus enim diligendus est propter Deum; proximus ergo vera charitate diligi nequit, nisi simul, imo prius, diligatur Deus. Unde S. Joannes sæpe per singulas collectas hoc solum prædicabat : « Filioli, diligite invicem; » rogatus causam, respondit : « Quia præceptum Domini est; et si

solum hoc fiat, sufficit. » Testis est S. Hieronymus, in cap. VI *epist. ad Galat.*

Charitem pulchri involvere charitatem Dei pulchris similitudine circuli et centri astruitur.

Pulchra circuli et centri similitudine idipsum declarat B. Dorotheus, tom. III *Biblioth. SS. Patrum*, doctrina 6, in fine : Circulus, inquit, est mundus, centrum est Deus, lineæ a circumferentia ad centrum ductæ significant hominis varias affectiones, actiones et amores; sicut ergo lineæ, quo magis a circumferentia distant, magisque accedunt ad centrum, eo sibi invicem magis appropinquant adeoque tandem in centro coeunt : ita amor noster quo magis a carne et mundo avellitur, magisque ad Deum accedit, eo magis et ad proximum accedit, tandemque in Deo ipso coit et unitur. « Quo enim magis, inquit, a Dei dilectione recedimus, eo magis et a proximi amore distamus : quantum vero Dei charitati adhæremus, tantum et proximi; quantumque proximo, tantum et Deo conjungimur. »

Dilige, et fac quod vis.

Præclare quoque S. Augustinus, tractatu 7 in *epist.* I S. *Joannis* : « Semel, inquit, breve præceptum tibi præcipitur : Dilige, et fac quod vis, sive taceas, dilectione taceas; sive clames, dilectione clames; sive emendes, dilectione emendes; sive parcas, dilectione parcas : radix sit intus dilectionis, non potest de ista radice nisi bonum existere. » Idem, lib. I *De Doct. Christ.*, XXII : « Cum autem, ait, Toto corde, tota anima, tota mente, nullam vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat, et quasi locum dare, quasi alia re velit frui; sed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quo totius dilectionis impetus currit : quisquis ergo recte proximum diligit, hoc cum eo debet agere, ut etiam ipse toto corde, tota anima, tota mente diligat Deum. Sic enim eum diligens sicut seipsum, totam dilectionem sui et illius refert in illam dilectionem Dei, quæ nullum a se rivulum duci extra se patitur, cujus derivatione minuatur. »

ET SI QUOD EST ALIUD MANDATUM. — « Aliud; » videlicet secundæ tabulæ tangens proximum; omittit hic Paulus primum mandatum secundæ tabulæ, scilicet : *Honora patrem et matrem*; idque facit, quia de honore parentibus, puta Superioribus, quos ut parentes colere debemus, debito, hactenus tractavit.

IN HOC VERBO INSTAURATUR. — S. Augustinus, *epist.* 29, legit, *recapitulatur*, id est summatim comprehenditur, hoc enim est Græcum ἀνακεφαλαιοῦται, ad caput, ad summam, ad compendium revocatur. Et hoc forte voluit Ambrosius vertens, *consummatur* : idem intelligit noster Interpres, dum vertit, *instauratur*. Sic enim *Ephes.* I, 10, idem verbum Græcum vertit, dicitque omnia instaurari in Christo, tam ea quæ in cœlis, quam quæ in terris sunt; quia nimirum omnia hæc ad Christum, quasi ad caput suum revocata sunt. Quanquam Salmeron putat nostrum Interpretem hic in Græco legisse ἀνακαινοῦται, id est instauratur, renovatur. « Merito, inquit Tertullianus, lib. V *Contra Marcion.*, cap. XIV, totam Creatoris disciplinam principali præcepto ejus concluserit : Diliges proximum tanquam te. »

DILIGES PROXIMUM TUUM SICUT TEIPSUM. — Citat Apostolus *Levit.* XIX, 18, ubi habetur : « Diliges amicum tuum sicut teipsum. » Ex quo loco Judæi a contrario sensu colligebant et inferebant : ergo inimici odio habendi sunt, uti refert Christus *Matth.* V, 43. Verum illa collectio omnino est invalida : nec enim consequentia valet, nec antecedens est verum, prout ipsi intelligebant. Nam amicus non significat hic benevolum nobis, sed omnem proximum. Id patet ex Septuaginta, qui τὸν πλησίον, id est proximum, vertunt; et ex Chaldæo, qui vertit, חברך *chabrack*, id est socium tuum. Sic et Hebræum רע *rea*, non tantum amicum proprie dictum significat, sed et per metaphoram Hebræis usitatum, transfertur ad eum qui nobiscum quavis ratione conjunctus est, sive quocum nobis quidpiam intercedit negotii. Talis autem est omnis homo; nam ut minimum omnis homo cujvis alteri communi creatione et similitudine Dei amicus et conjunctus est, uti et communi ex primo parente origine, communi redemptione, communi Ecclesia et Sacramentis, communi gratia, charitate, ordinatione et cursu ad vitam æternam. Ita Augustinus, Hieronymus et Theophylactus in *Matth.* V, 43. Nam dilectionem inimicorum præceptam esse Judæis, patet *Exodi* XXIII, 4.

Judæorum de falsitate odio Salvatoris error refutatur.

Natura explicatur qua proximus ex Hebræorum.

Unde hic S. Paulus, vers. 8, ut dixi, hoc Levitici præceptum vertit græce, ἀγαπήσεις τὸν ἕτερον, *diliges alterum*. Quanquam Salmeron valde probabiliter pro ἕτερον putat legendum esse ὁμοῖον. ita enim habent Hebræa, Septuaginta et Chaldæus, uti jam ostendi.

Nota : Præceptum hoc, « Diliges proximum tuum sicut teipsum, » explicatur per duo, *primo*, per affirmativum, *Matth.* VII : « Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis. » *Secundo*, per negativum, *Tob.* IV, 16 : « Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias. »

Quid illud sicut teipsum?

Unde patet, τὸ *sicut* non significare æqualitatem dilectionis (nam ordinata charitate magis se diligere debet homo, quam proximum), sed similitudinem et formam, *q. d.* Ea officia charitatis exhibe proximo, et eo modo, quæ et quomodo tibi exhibes et exhiberi cupis, maxime ut ex charitate eum diligas sincero amore amicitiæ, non concupiscentiæ, ut scilicet velis proximo bonum honestum, utile delectabile, non quia hoc tibi, sed quia hoc illi bonum est et commodum; sicut hæc eadem bona tibi cupis, non propter alienum, sed propter tuum bonum et commodum. Ita Cajetanus. Sic accipitur τὸ *sicut*, *Deut.* XVIII, 15; *Joan.* XVII, 21; *Malach.* III, 4.

10. DILECTIO PROXIMI MALUM NON OPERATUR, — imo multa bona operatur, præsertim ea quæ jam dicta sunt vers. 8 et deinceps : implet enim totam legem, et servat politiam convictumque humanum, atque proximo bona quæ potest procurat. Est mimosis.

Quomodo intelligatur hoc loco *Plenitudo legis dilectio*, a quibus Apostolus primum petitur.

PLENITUDO ERGO LEGIS EST DILECTIO. — « Plenitudo, » hoc est consummatio; Syrus, *adimpletio*, *q. d.* Ex dictis vers. 8 et deinceps patet, quod totalis adimpletio et plena observatio legis est dilectio, et quod is qui diligit proximum, leges omnes quæ proximum tangunt, quæque nos ad eumdem rite ordinant, adimplet. Sic et qui Deum diligit, implet præcepta primæ tabulæ, quæ Deum concernunt. Sicut ergo odium et charitatis defectus totius legis est dissolutio; ita e contrario charitas est principium, et causa efficiens et imperans, ut cæteræ omnes leges impleantur. Est argumentum a proportione : Si dilectio proximi implet legem spectantem proximum, ergo dilectio simpliciter implet legem; ita ut sine ea ex omnino impleri non possit, cum ea vero et per eam omnino impleatur, uti sæpe ex hoc aliisque locis docet et asserit S. Augustinus.

Secundo, Toletus : « plenitudo, » inquit, id est finis et scopus, « legis est dilectio : » tota lex intendit nos ducere ad charitatem.

Tertio, « plenitudo legis est dilectio, » quia charitas impellit hominem ut perfecte legem adimpleat; qui enim charitate caret, imperfecte legem implet, et sæpe ab ea deficit et aberrat. Unde S. Augustinus, in *Sententiis*, num. 223 : « Plenitudo, ait, legis est charitas, quia per charitatem lex impletur, non per timorem. In tantum enim fiunt mandata justitiæ, in quantum adjuvat spiritus gratiæ. »

Quarto.

Quarto, « plenitudo legis est dilectio, » quia qui ex charitate implet legem, meritum habet; qui ea caret, caret et merito et mercede. Hæ expositiones veræ sunt et morales; sed prima quam dedi, litteralis est, genuina et ex mente Apostoli.

Lex non impletur sola fide.

Ex hoc loco nota, legem non impleri sola fide, credendo, sed præter fidem requiri charitatis opera, ut hic se explicat Apostolus; ait enim : « Plenitudo legis est, » non fides, sed « dilectio. » Huic Paulinæ sententiæ consentit Aristoteles, lib. VIII *Ethic.*, et post eum Tullius, lib. *De Amicitia* : « Amicitia, inquit, continet civitates, et si homines sint amici, non est opus justitia : si vero sint justi egent amicitia; et quod est maxime justum, ad amicitiam pertinet. » Et hoc est quod ait S. Augustinus, lib. *De Natura et Grat.*, VII : « Charitas inchoata, inchoata justitia est; charitas provecta, provecta justitia est; sed charitas de corde puro, conscientia bona, et fide non ficta. » Idem, lib. XV *De Civit.*, cap. XXII, sic ait : « Definitio brevis et vera virtutis est ordo amoris. Unde sponsa : Ordinavit, inquit, in me charitatem. » Idem, lib. *De Moribus Eccles.*, cap. XV, vult omnem virtutem definiendam esse per charitatem, perinde ac Socrates olim omnes virtutes definiebat per prudentiam. Sanctus quoque Chrysostomus : « Charitas, inquit, est virtutum principium et finis; ipsa est radix, fundamentum et fastigium. »

Laci quidmetgrii de charitate.

Hinc *primo*, erravit Marcion, dum ex hoc loco contra vetus Testamentum ita argumentatus est : Lex vetus moralis omnino jam cessavit, quia charitas est plenitudo legis : ergo lex illa jam non est necessaria. Erravit, inquam, nam charitas dicitur « legis plenitudo, » id est consummatio, compendium, et, ut Origenes ait, *epilogus* : sicut ergo epilogus non tollit præcedentes orationis partes, qui potius easdem summatim complectitur; ita et charitas non tollit legem, sed includit. Est enim lex objectum charitatis, quia charitas inclinat hominem, ut legem, quasi regulam vitæ, intueatur semper et impleat; præcepta legis sunt ergo præcepta charitatis. Amor enim Dei dictat servanda esse præcepta primæ tabulæ, amor proximi præcepta secundæ.

Marcionis argumentum evertitur.

Charitas inter virtutes est, quasi epilogus inter partes orationis.

Secundo, ex hoc loco patet errare nostros Novantes, qui dicunt in hac vita legem non posse impleri. Apostolus enim non hortatur nos hic ad legem implendam, quasi ad ideam aliquam Platonicam, vel futuram in cœlo, sed tanquam ad rem, quam pro infirmitate nostra in hac vita præstare possumus; nam omnimoda et plenissima legis impletio, ita ut ne veniaLiter quidem in legem unquam pecces, non hic præcipitur, sed in futuro. Ita Concilium Tridentinum, *sess.* VI, can. 18.

Legem posse impleri, evincitur contra hæreticos.

11. ET HOC (scilicet quod jam dixi, præstemus) SCIENTES TEMPUS : QUIA HORA EST JAM NOS DE SOMNO SURGERE. — « Et hoc, » est emphasis, *q. d.* Reddite debita, diligite proximos, ut jam dixi (respicit enim hic Paulus ad vers. 8 et seq.), « et hoc scientes, » id est, idque cum sciamus, « tempus, » græce καιρὸν, id est *opportunitatem*, quam nobis affert Evangelium, scilicet ad diligendum proximos, ad reddendum omnibus debita, ad implendam totam legem, jam adesse, et quia jam tempus est et hora de somno peccatorum surgendi. Utamur ergo hoc tempore et hac opportunitate, dum illam habemus : brevi enim eam non habebimus. Nam, ut Poeta canit :

Vers.

Occasioni serviendum.

Fronte capillata est, a tergo occasio calva;

ut postquam illa pertransiit, apprehendi et revocari non possit.

QUIA HORA EST JAM NOS DE SOMNO SURGERE. — « Hora, » scilicet diei, *q. d.* Nox, cæcitas, ignorantia, dissimulatio, excusatio infidelitatis et peccatorum ante Christum transiit. En tempus et opportunitas, scilicet hora diei gratiæ, fidei et legis Christi jam adest, qua sol ipse Christus radios et lumen fidei per orbem spargere incepit, tenebris errorum depulsis. Ego tempus est ut surgamus, Græce ἐγερθῆναι, ut excitemur et expergiscamur a somno peccatorum.

Cœcitas fidei et ignorantia.

Moraliter hinc infert S. Chrysostomus, hom. 62 *ad Populum* : « Paratos igitur, inquit, nos esse et expeditos ad hinc navigandum, et dicere oportet :

Spiritua-lem. Paratum cor meum, Deus; in bello enim sumus in mundo : in circuitu impii ambulant, peccatores intendunt arcum. Recordemur, fratres, quod tempus breve est et judicium præ foribus est. Nox præcessit, expergiscamur jam a somniis; etenim jucunda sunt præsentia, sed somniis nihilominus fallacia. Nemo debet dormire solem cernens. »

Exempla vigilan-tiæ. Et infra vigiliam hanc exemplo militis, piscatoris, agricolæ et pastoris perurget, dicens : « Opus est vigilantia, dilecti ; nam et miles dormit, non in lecto, sed hunc; piscator non dormiens piscatur, stans aliquando peragit noctem ; agricola vigilat, ne domini vineæ lædatur; et pastor sub dio stans noctem consummat, gregem custodiens, sicut Jacob dicebat : Æsta urebar et gelu, et somnus fugiebat ab oculis meis. Et quæ ipsius vigiliæ ratio? ne ulla ovis a fera voraretur. Si vero tanta de irrationali pecude cura, qualem esse decet de rationali anima sollicitudinem gerentis? Propter hanc Jacob operarius lapidem ad caput sibi posuit dormiens, ut facilius evigilaret; unde scalam vidit ad cœlos usque pertingentem. Nos esse vult Dominus paratos, propterea que posuit incertum exitum nostrum, ut continue vigilemus et pugnemus. »

Pulchre quoque S. Augustinus a quo hanc vigiliam, qua a somno hoc evigilemus, petere debeamus, explicat in illud *Psal.* LXII, *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo* : « Quid est, inquit, vigilare? ulique non dormire; quid est dormire? Est somnus animæ et est somnus corporis; somnum corporis omnes debemus habere, alias deficit homo. » Et infra : « Illud autem cavere debemus, ne ipsa anima nostra dormiat; malus enim est animæ somnus. Somnus animæ est oblivisci Deum suum. Quæcumque anima oblita fuerit Deum suum, dormivit. Vita enim vestra et mores vestri vigilare debent in Christo, ut sentiant alii Pagani dormientes, et ad somnum vigiliarum vestrarum excitentur et ipsi, excutiant somnum, et incipiant in Christo vobiscum dicere : Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo. » De hac hora vide dicta I *Corinth.* VII, 29, et *Ephes.* V, 15.

Somnus animæ obliviscen-dus.

Nunc enim (in die et luce Evangelii) propior est (et præsens) nostra salus (justitia et gloria), quam cum crediderimus, — id est, quam fuerit ante Christi adventum, cum sola fide absentem Christum et gratiam ac salutem futuram crederemus et speraremus. Hunc esse sensum patet ex sequent. et præcedent.

Ubi nota : Loquitur hic generatim et confuse Apostolus de iis quæ Christum præcesserunt. Unde quædam hic intexit, quæ Judæis, alia quæ Gentibus magis conveniant. Judæis convenit *vix credidimus* : soli enim Judæi fere credebant et sperabant Messiam venturum. Gentibus autem magis convenit *nox præcessit*, scilicet nox paganismi, idololatriæ et omnium vitiorum : quanquam Judæis sua quoque fuerit nox ignorantiæ, cæremoniarum, Judaismi (qui quasi velamen fuit legis novæ) errorum et traditionum Pharisaicarum (uti ostendit Christus *Matth.* V), ac denique vitiorum et peccatorum, a quibus liberari non potuerunt nisi oriente sole, puta Christo Domino, qui noctem hanc dispulit et illuminavit omnes sedentes in tenebris et in umbra mortis.

Quo sen-su Judæo-rum?

Aliter hunc locum explicat S. Chrysostomus, *q. d.* Paulus : Quo magis ætate, æque ac fide et meritis crescimus, eo propius fini et beatitudini æternæ accedimus nunc, quam cum credere incepimus. Quid enim est aliud vita nostra, quam cursus et pernix cursus ad mortem, et per mortem ad immortalitatem? Curramus ergo, fratres nostri, perficiat cursu ad metam hanc : grandis enim nobis restat via, et tempus currendi breve est.

12. Nox præcessit. — S. Cyprianus, lib. *De Zelo et Livore*, et Syrus vertunt, *transiit*, et S. Hieronymus *in Matth.* XXVI, legit, *præteriit*. Græcum προέκοψεν proprie significat *processit*, ut legit S. Augustinus, *epist.* 80, et ita explicat S. Chrysostomus et Theophylactus. Origenis Interpres, *homil.* 35, vertit, *promovit*, id est progressa est, ad finem tendit, ac ferme jam præteriit. Sed eodem redeunt hæc omnia, et se invicem illustrant. Jam sensus esse potest :

Varie ex-ponitur τὸ præcessit.

Primo, nox hujus vitæ προέκοψεν, id est processit et ad finem tendit, quia appropinquat dies, scilicet judicii et resurrectionis : ejus ergo metu et spe vivamus honeste. Ita Athanasius in *Quæstion. ad Antioch.*, Quæst. XC ; S. Chrysostomus hic ; S. Augustinus, epist. 80 *ad Hesych.*, et S. Basilius in cap. XIII *Isaiæ*.

Nox, dies, tem-pora, ætas ad tempus adventus Christi.

Secundo, S. Gregorius, lib. XXIX *Moral.*, cap. II : Nox, inquit, est tempus ante Christum, dies est dies resurrectionis, aurora media est tempus Evangelii : hæc diei vicinior est, quam nox : ergo nobis vicinior est salus et dies, quam iis qui fuerunt ante Christum.

Tertio, Anselmus et Origenes : Nox, inquiunt, est hæc vita; dies est vita post mortem, quæ cuique eo est vicinior, quo magis in dies mors appropinquat.

Quid ap-tius per noctem et diem intelligi-tur?

Quarto et optime, nox est tempus ante Christum, plenum tenebris infidelitatis et peccitorum; dies est tempus præsens Evangelii, quo sol Christus lucis suæ, id est gratiæ et fidei suæ, radios toto orbe diffudit, *q. d.* Præsente jam Christo, et luce Evangelii, nox peccatorum abiit; dies gratiæ, justitiæ et salutis adest : ergo in hoc die opera tenebrarum abjicere, atque honeste ambulare et christiane vivere debemus. Ita S. Cyprianus, lib. *De Zelo et Livore*; Ambrosius, *in Psal.* XLIV; S. Augustinus et Theodoretus hic.

Abjiciamus opera tenebrarum, — puta peccata, quæ tenebras quærunt, lucemque Dei et hominum fugiunt; nam, ut ait Poeta :

Nox et amor, vinumque nihil moderabile suadent :
Illa pudore caret; Liber amorque, mero.

Et *Job* XXIV, 15 : « Oculus adulteri observat caliginem, dicens : Non me videbit oculus, et operiet vultum suum : perfodit in tenebris domus, sicut in die condixerant sibi, et ignoraverunt lucem. Si subito apparuerit aurora, arbitrantur umbram mortis; et sic in tenebris quasi in luce ambulant. »

Quid ar-ma lucis? Induamur arma lucis. — « Arma lucis » sunt opera fidei, gratiæ et virtutum, quibus veluti armis contra hostes tres, mundum, carnem, dæmonem, bello tam offensivo, quam defensivo depugnamus. Monet ergo tacite hic Paulus vitam Christianam esse militiam, illique contra hostes jam dictos hæc lucis arma suggerit. *Secundo*, Græci subinde ὅπλα, id est *arma*, latius capiunt. Unde et Homerus ὁπλίζεσθαι, id est *armari*, capit pro κατασκευάζεσθαι, id est *instrui, apparari*. Hic ergo ὅπλα, id est *arma*, sunt habitus, vestitus, apparatus, quo homines in die et luce se tegunt et ornant, *q. d.* Paulus : Dies Evangelii nobis illuxit; ergo par est ut armis lucis, id est habitu et vestitu qui lucem et diem decet, induamur. Unde sequitur :

13. Sicut in die, — quo solliciti sunt homines honesti de tegenda nuditate, et cultu ac corporis habitu honesto et decenti, non autem noctu, cum a nemine conspiciuntur.

Honeste, — εὐσχημόνως, *composite, decore*.

Ambulemus, — conversemur, ut omnis noster accessus, motus, gestus, sermo, actio talis sit, qualem decet esse in die et luce Evangelii, in qua spectaculum facti sumus mundo, angelis et hominibus.

Non in comessationibus et ebrietatibus. — Comessationes sunt convivia, quæ non honestatis, sed gulæ causa fiunt.

Quid ap-pellent Græci κῶμον, et comes-sationes et quibus illis ver-bis?

Nota : Chamos idolum fuit Moab, cui Salomon fanum ædificavit, III *Reg.* XI, 7. Inde deducunt Græcum κῶμος, qui deus fuit temulentiæ, scilicet Bacchus apud Philostratum. Unde κωμάζειν, significat *lascivire*. Inde Latinum comessari, et comoedia. Nam ab ebrietate, ait Athenæus, lib. II *De Cœnis Sapientum*, comœdia atque tragœdia inventæ sunt in Icario, urbe Atticæ, idque ipsius vindemiæ tempore. Unde et Trygœdia ab initio fuit appellata. Forte Chamos, ut notat Stuckius, lib. I *Convival.*, cap. X, a Syro-Chaldæo כמש *camas*, id est occultare, latitare, deducitur, ut per Chamos intelligatur Bacchus νυκτέλιος, sive cui noctu sacra faciebant per comessationes, et consequentes effrænes libidines, teste Plutarcho et Pausania.

Atque huc alludit Apostolus, dum ait : « Non in comessationibus et ebrietatibus (quæ noctu agitantur), sed sicut in die honeste ambulemus. » Unde et κωμάζειν dicebantur, qui coronati et bene poti in alienum convivium irruebant, non sine libicine. Hinc κῶμοι quoque vocantur saltationes, et, ut Syrus vertit, cantiones lascivæ. Hæc ergo omnia vel significat, vel importat κῶμος, sive commessatio.

Non in cubilibus. — Hoc est, non in fornicationibus, quæ fiunt in cubilibus et fornicibus : est metonymia.

Et impudicitiis. — Id est, aliis fœdioribus speciebus libidinis. Græcum enim ἀσέλγεια est lascivia, id est petulantior libido.

Hæc verba diremerunt litem et luctam castitatis et libidinis in Augustino. « Ego, inquit ipse lib. VIII *Conf.*, cap. ult., sub quadam fici arbore stravi me nescio quomodo, et dimisi habenas lacrymis, et proruperunt flumina oculorum meorum, acceptabile sacrificium tuum. Et non quidem his verbis, sed in hac sententia multa dixi tibi : Et tu, Domine, usquequo? Usquequo irasceris in finem? Ne memor fueris iniquitatum nostrarum antiquarum. Sentiebam enim me ab eis teneri, et jactabam voces miserabiles : Quamdiu, quamdiu, cras et cras? Quare non modo? quare non hac hora finis turpitudinis meæ. » Audiant hæc juvenes, qui cum suis concupiscentiis luctantur, audiant et imitentur. « Dicebam hæc, et flebam amarissima contritione cordis mei. Et ecce audio vocem de vicina domo cum cantu dicentis, et crebro repetentis quasi pueri an puellæ, nescio : Tolle, lege; tolle, lege, etc. Audieram de Antonio, quod ex Evangelica lectione, cui forte supervenerat, admonitus fuerit, tanquam sibi diceretur quod legebatur : Vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlis, et veni, sequere me; et tali oraculo confestim ad te esse conversum. Itaque redii ad eum locum, ubi sedebat Alipius; ibi enim posueram codicem Apostoli, cum inde surrexeram. Arripui, aperui et legi in silentio capitulum, quo primum conjecti sunt oculi mei : Non in comessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis, non in contentione et æmulatione, sed induite D. Jesum Christum, et carnis providentiam ne feceritis in concupiscentiis. Nec ultra volui legere, nec opus erat. » En subitam Augustini mutationem. « Statim quippe cum fine hujusce sententiæ, quasi luce securitatis infusa cordi meo, omnes dubitationis tenebræ diffugerunt, etc. Dirupisti, Domine, vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. Quam suave mihi subito factum est, carere suavitatibus nugarum! Et quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat; ejiciebas enim eas a me, vera tu et summa suavitas, ejiciebas et intrabas pro eis omni voluptate dulcior. »

His verbis non fecebilis hoc, etc., D. Augustinus pericula, castitatem certa simplicitor.

Vide quam facilem et jucundam per gratiam Christi expertus sit Augustinus castitatem et cælibatum, quem prius utdifficillimum horrebat, imo impossibilem reputabat. Idem sensit et expertus est S. Cyprianus, lib. II, *epist.* 2, et Lactantius, lib. III *Instit.*, cap. XVI. Vah! ergo Luthere, qui doces concubitum homini tam necessarium esse, quam cibum. Idem hodie non unus, sed multa cælibum millia experiuntur, qui Dei gratiam invocantes eique collaborantes, tam suavem quam felicem et sanctam in virginitate et cælibatu vitam degunt.

Luthero vanitas et certa-men corpo-ris evolup-tate ma-nifesta-tum.

NON IN CONTENTIONE ET ÆMULATIONE. — Contentio est concertatio pro gloria et honore, cui semper conjuncta est æmulatio, id est invidia boni alieni. Ecce hæc sunt tria capitalia vitia Christiano cavenda, scilicet gula, libido, rixa et invidia, de quibus vide D. Augustinum, *epist.* 64.

Vers. 14. 14. SED INDUIMINI DOMINUM JESUM CHRISTUM, — ut scilicet Jesus, id est Jesu spiritus, gratia, virtus, vita, in vobis eluceant. Vide *Can.* 37. Induimini ergo et ornate vos Christi virtutibus, maxime ut ex externa vita et professione, quasi veste agnoscant omnes, vos esse servos Christi. Ita S. Chrysostomus. Est hebraismus: Hebræi enim לבש *labas*, id est indui dicunt aliquem pudore, decore, salute, justitia, maledictione, id est his repleri, copiose decorari, vel dedecorari. Indumentum ergo significat copiam undique circumfusam. Cyrillus, lib. IX *in Genes.*, censet Paulum hic alludere ad illud *Isaiæ* LXI : « Gaudens gaudebo in Domino, et exultabit anima mea in Deo meo ; quia induit me vestimentis salutis, et indumento justitiæ circumdedit me. » Vel, ut Septuaginta vertunt : « Induit me vestimentum salutis, et tunicam lætitiæ. » Vel, ut alii vertunt : « Induit mihi vestimentum Jesum, » id est induit mihi Jesum, tanquam vestimentum, et tanquam tunicam lætitiæ.

Externa virtus et indumentum Christiani.

Pulchre S. Basilius in *Psal.* XLIV, explicans illud, « Omnis gloria filiæ regis ab intus, in fimbriis aureis, circumdata varietate : Induite, inquit, Dominum Jesum, non secundum exteriorum hominem, sed mens nostra Dei memoria circumamiciatur. Pulo enim spiritalem pertexi tunc vestem, cum operatio comes attexitur verbo doctrinæ. Sicut enim pallium tegendo corpori tunc pertexitur, dum subtegmen innectitur stamini : sic ubi verbum primas in ordiendo obtinuerit, si mox actiones verbo consentaneæ attexantur, tunc exornandæ animæ decenti simus, et plurimum habens honestatis amictus confici possit : animæ, inquam, secundum virtutem et verbo et opere suam absolventi vitam, » *q. d.* Sicut textor subtegmen intexit stamini, ita doctor Christianus vitam congruentem intexat sum doctrinæ : itaque pertexet sibi vestem Christi, qua undique tegatur et ornetur.

Quia sit *Christum induere?* varique modi tum in domicilii. Primus. Secundus

Nota : Verbum Indulmini multa innuit : nam *primo*, Christum induere est Christi virtutes in se exprimere, idque copiose et perfecte.

Secundo : Christum induit, ait D. Thomas, qui Christum imitatur, quia sicut homo continetur vestimento, et sub ejus colore videtur : ita in eo qui Christum imitatur, solus Christus ejusque indumenti color, id est sanctitas, apparet. Unde S. Chrysostomus : « Induere, ait, Christum, est undique in nobis per sanctimoniam et mansuetudinem Christum conspicuum esse. Homo enim indutus id esse videtur, quod indutus est : appareat itaque in nobis Christus. » Christianus ergo quasi viva imago, viva forma, vivus habitus Christi sit oportet, imo sit alter quasi Christus, ut in ejus vita, gestu, habitu et moribus omnes se Christum videre putent. Sane quot sunt Christiani, tot deberent esse et Christi. Cogita qualis et quanta fuerit in singulis dictis et factis Christi modestia, temperantia, circumspectio, charitas, patientia, gratia; quanta morum suavitas, gravitas et decor : hæc indue, hæc moribus exprime, et Christum indues, Christum exprimes, Christus eris.

Tertio, sicut vestes totum corpus contegunt, ita Christi virtutes ad omnes nostras actiones pertingere, easque ornare et formare debent, ut Christum in omni opere et sermone referamus et exprimamus. Tertio.

Quarto, cum jubemur Christum induere, monemur hoc ipso veterem hominem exuere, *Colos.* III, 9. Quarto.

Quinto, uti vestis pretiosa corpus non tantum tegit, sed et ornat : ita Christi virtutes animam exornant. Quinto.

Sexto, qui vestes induit, earum pondus non sentit, uti sentit qui eas involutas in sarcina gestat : ita qui Christum habet non involutum in speculatione, sed explicatum in actione et imitatione, non sentit virtutum Christi difficultatem. Sexto.

Moraliter vide S. Chrysostomum, quomodo Christus quoad omnia, tum interna quam externa sit plenitudo nostra, undique nos vestibus ornans, coronans. Est enim Christus noster vir, nostra via, sponsus, potus, cibus, vita, sacerdos, præceptor, pater, frater, hæres, domus, hospes, amicus noster; ut ei merito dicamus : « Amor meus, Jesus meus, et omnia. » Christus est nobis omnia.

ET CARNIS CURAM NE FECERITIS IN DESIDERIIS, — ad explenda desideria, et, ut Græce est, ἐπιθυμίας, id est *cupiditates*, scilicet intemperantes et immodicas carnis; quia, ut alebat Philosophus ille : « Nimia carnis et corporis cura, magna animi et virtutis est incuria. » Unde et alter dicebat : « Ad majora natus sum, quam ut me corporis mei mancipium efficiam. » Vide S. Gregorium, lib. VI *Moral.*, cap. XL. Nam alioqui moderatam curam carnis, id est corporis, laudat Apostolus, *Ephes.* V, 29, dicens : « Nemo unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam. » Efficaciter S. Bernardus, *De Convers. ad Cleric.*, cap. XIII : « Unde, inquit, hæc tanta pusillanimitas et abjectio tam miserabilis, ut egregia creatura capax æternæ beatitudinis et gloriæ magni Dei, utpote cujus sit inspiratione condita, similitudine insignita, cruore redempta, fide dotata, spiritu adoptata, miseram non erubescat sub putredine hac corporeorum sensuum gerere servitutem? Merito plane ne eos quidem apprehendere potest, quæ talem deserens sponsum, tales sequitur amatores; merito siliquas esuriit et non accepit, qui porcos pascere maluit, quam paternis epulis satiari. Insanus siquidem labor, pascere steriem quæ non parit, et viduæ benefacere nolle; omittere coram cordis, et coram carnis agere in desiderio; impinguare et fovere cadaver putridum, quod paulo post vermium esca futurum nullatenus dubitatur. » Immoderata corporis cura fugienda.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Docet, eos qui sunt in fide firmiores debere eos qui infirmi sunt fovere, quodque nec hi, nec illi se invicem judicare debeant, si illi cibis lege veteri vetitis vescantur, hi iisdem abstineant; sed unusquisque, *inquit, in suo sensu abundet. Nam omnes eumdem habemus Dominum, cui vivimus et morimur, quique solus omnium judex est.*

Secundo, vers. 13, *docet firmiores, quod, etsi jam nullus cibus sit immundus, nemo tamen quidquam edere debeat, quo proximus scandalizetur.*

Tertio, vers. 22, *docet infirmos, ne quidquam comedant, aut agant contra suam conscientiam.*

1. Infirmum autem in fide assumite, non in disceptationibus cogitationum. 2. Alius enim credit se manducare omnia : qui autem infirmus est, olus manducet. 3. Is, qui manducat, non manducantem non spernat; et qui non manducat, manducantem non judicet : Deus enim illum assumpsit. 4. Tu quis es, qui judicas alienum servum? Domino suo stat, aut cadit; stabit autem : potens est enim Deus statuere illum. 5. Nam alius judicat diem inter diem; alius autem judicat omnem diem : unusquisque in suo sensu abundet. 6. Qui sapit diem, Domino sapit. Et qui manducat, Domino manducat : gratias enim agit Deo. Et qui non manducat, Domino non manducat, et gratias agit Deo. 7. Nemo enim nostrum sibi vivit, et nemo sibi moritur. 8. Sive enim vivimus, Domino vivimus; sive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus. 9. In hoc enim Christus mortuus est et resurrexit, ut et mortuorum et vivorum dominetur. 10. Tu autem quid judicas fratrem tuum? aut tu quare spernis fratrem tuum? Omnes enim stabimus ante tribunal Christi. 11. Scriptum est enim : Vivo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu; et omnis lingua confitebitur Deo. 12. Itaque unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo. 13. Non ergo amplius invicem judicemus : sed hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum. 14. Scio, et confido in Domino Jesu, quia nihil commune per ipsum, nisi ei qui existimat quid commune esse, illi commune est. 15. Si enim propter cibum frater tuus contristatur, jam non secundum charitatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est. 16. Non ergo blasphemetur bonum nostrum. 17. Non est enim regnum Dei esca, et potus; sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu Sancto. 18. Qui enim in hoc servit Deo, placet Deo, et probatus est hominibus. 19. Itaque quæ pacis sunt, sectemur; et quæ ædificationis sunt, in invicem custodiamus. 20. Noli propter escam destruere opus Dei. Omnia quidem sunt munda : sed malum est homini, qui per offendiculum manducat. 21. Bonum est non manducare carnem, et non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur. 22. Tu fidem habes? penes temetipsum habe coram Deo : Beatus qui non judicat semetipsum in eo, quod probat. 23. Qui autem discernit, si manducaverit, damnatus est, quia non ex fide. Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est.

1. INFIRMUM IN FIDE ASSUMITE, — id est *fovete*. Sic sæpe in *Psalm.* dicitur : « Dominus suscepit me, » id est assumpsit me, et Dominus est susceptor meus; » *susceptor*, id est adjutor, fautor et protector meus.

Infirmi vocantur quorum conscientia nondum erant in fide satis instructi, vel certe ita erroneæ.

Nota : Judæi aliqui conversi ad Christum putabant secundum legem veterem adhuc abstinendum esse cibis lege vetitis et idolothytis, id est cibis, qui idolis fuerunt oblati. Hos « infirmos » vocat Apostolus; errabant enim, idque vel quia nondum erant in fide satis instructi, vel certe ita errare quia ab antiqua gentilitia persuasione de idolis

et idolothytis, quasi sacris et quid numinis habentibus, aut a judaica observantia et consuetudine ægre avocari poterant : unde et alios contra eam facientes damnabant.

Conversorum tum Judæorum, tum Gentilium de cibis veteris disputatio.

Alii vero in fide Christiana perfecti et plene edocti contrarium tenebant, et intrepide faciebant, maxime Gentiles, qui Judæis et Judaicæ abstinentiæ libertatem Evangelicam opponebant. Sicque hi contra Judæos sæpe altercabantur de hac abstinentia, deque esu libero : atque comedendo quoslibet cibos, etiam lege Mosaica vetitos, Judæos scandalizabant : Judæi contra eos judicabant et damnabant, quasi qui inique contra legem agerent, et cum idolis adhuc communionem haberent. Utrosque hoc cap. corripit Apostolus, et hoc quidem versu perfectiores monet ne infirmos abjiciant, sed assumant et foveant, ne veritatem libertatemque Christianam edoceant. Ita S. Augustinus hic, et Clemens Alexandrinus, lib. II *Pædag.*, cap. I, et S. Basilius in *Reg. brevior.*, reg. 64.

Tollitur ab Apostolo causam discordiæ inter Judæos et Gentes.

Succidit ergo hoc cap. Apostolus causam practicam dissidii Judæorum et Gentium, puta differentiam in abstinentia et observantiis Judaicis : sicuti initio epistolæ et deinceps succidit ejusdem dissidii causam quasi speculativam, puta differentiam in causa et modo justificationis, docens nos non ex lege, sed ex fide Christi justificari. Itaque sicuti ab hoc Judæorum et Gentium dissidio et dissidii succisione cœpit hanc epistolam, ita et in eodem eamdem terminat ; hæc enim de causa, et hoc scopo ac fine scripsit hanc epistolam.

Et quamvis in epistolis non sit necesse, imo non possit sæpe, unum caput alteri connecti, eo quod more epistolico res plane diversas et disparatas tractent ; tamen possunt hæc præcedentibus ita connecti, *q. d.* Paulus : Inculcavi vobis, o Romani, cap. XII et XIII, dilectionem proximorum, utque omnes induamini Jesum Christum ; sed id ita a vobis præstari volo, ut tamen infirmos in fide et charitate Christi, qui Christum necdum plene induerant, non aspernemini ; sed eadem charitate eosdem assumatis, toleretis, foveatis, doceatis et curetis (1).

Connexio hujus capitis cum antecedentibus.

NON IN DISCEPTATIONIBUS COGITATIONUM, — id est, *opinionum*, *q. d.* Assumite infirmos, verum non ita, ut cum ipsis contendatis et disceptetis utri bene sentiant aut male, vos scilicet, an illi. Unde clarius Græca, μὴ εἰς διακρίσεις διαλογισμῶν, vertas, *non in altercationibus disputationum*.

2. ALIUS ENIM CREDIT SE MANDUCARE OMNIA. — *q. d.* Alius putat licere vesci omnibus quasi mundis, eo quod in lege Evangelica nihil legaliter sit immundum. Te enim *credit* non significat fidem, sed opinionem, sive credulitatem, uti dicam versu ultimo.

Olus manducare, quid sit, variis explicatur. Primo explicatur. Secundo.

QUI INFIRMUS EST, OLUS MANDUCET. — Ita legunt Biblia Romana ; sed Græci, Chrysostomus, Theodoretus, Œcumenius et S. Augustinus legunt, *olus manducat*. Jam varii varium hic dant sensum.

Primo, Origenes sic explicat : « Qui infirmus est, olus manducet, » id est, doctrinam facilem et communem quæ datur infirmis, sequatur.

Secundo, S. Chrysostomus : « Qui infirmus est, proprie olus tantum manducet, » prætextu abstinentiæ, ne, si carnem comedat et suilla casu apposita abstineat, deprehendatur ex legis observantia abstinere essequ Judæus et judaizare.

Tertio, S. Augustinus : « Qui infirmus est, olus tantum manducet, » ne, si carne vescatur, forte ex errore idolothytia, quibus scrupulose abstinendum putat, eum vesci contingat. Sic fere et Anselmus.

Quarto, Ambrosius : « Qui infirmus est, olus manducet, » quia, inquit, erant tunc aliqui, qui putabant omni carne abstinendum esse Christianis.

Quinto, Toletus sic explicat, *q. d.* Aliqui sunt qui, etiamsi nullos alios cibos habeant præter olera quibus vesci liceat, iis eligunt potius quam carne lege vetita, aut idolis immolata vesci.

Sexta et optima.

Verum optime et planissime, Pererius per *olus* hic accipit herbas, et quidquid veteri lege edi non vetatur quasi immundum. Hoc enim infirmus judaizans comedat licet. Peculiariter *olus* nominat Apostolus, quia nil herbarum vetitum erat Judæis, cum multi pisces et aves, ac bestiæ vetita essent. In olere ergo infirmis nil erat periculi, nil scrupuli ; *q. d.* Judæus qui infirmus est in fide et libertate Evangelica, putatque cibis lege veteri vetitis adhuc abstinendum esse, ille iis abstineat, et olera aliaque lege permissa comedat (2).

Olus Apostolus pro herbaceis cibis posuit.

Vers. 3.

3. Is QUI MANDUCAT (quilibet, puta Gentilis), NON MANDUCANTEM (certos cibos lege vetitos, puta Judæum) NON SPERNAT : ET QUI NON MANDUCAT (Judæus), MANDUCANTEM (Gentilem) NON JUDICET, — non damnet quasi legis transgressorem, vel gulæ addictum.

Judicium temerarium non cadit in eum qui omnia manducat.

DEUS ENIM ILLUM ASSUMPSIT, — *q. d.* Deus illum ad fidem et gratiam Evangelii vocavit, per charismata etiam sensibilia, quæ visibiliter tunc in baptismo dabantur, qualia erant donum linguarum, prophetiæ, etc. *q. d.* Quis ergo eum judicet et damnet, quem Deus probavit et advocavit ? Probat hic Apostolus cavendum esse judicium temerarium, neminemque debere proximum suum judicare, quatuor rationibus : *Prima* est hoc vers., quia Dominus proximum sibi in servum assumpsit ; servus autem domino suo stat aut cadit ;

(1) *Fides* h. l. non est assensus qui præbetur doctrinæ, sed est persuasio de eo, quid liceat, quid non ? et *fides* objectum non sunt dogmata, sed officia de agendo. Alii finem commatis vertunt, *ne in ipsius sententiam curiose inquiratis, eamque severe damnetis.*

(2) Ex Josepho constat Romæ isto tempore Judæos fuisse, qui pietatis causa nonnisi frugibus vescerentur, et abstinerent a carnibus et vino, ne scil. vel nesciente incideret in ea quæ idolis sacrificabantur. Omnis enim tunc immolatitia caro in macello venundabatur.

Primum. Secunda. Tertia.

non ergo ad te pertinet de eo judicare. *Secunda* est vers. 5, quia in rebus adiaphoris servanda est regula hæc : « Unusquisque in suo sensu abundet. » *Tertia* est vers. 6, quia tam qui manducat, quam qui non manducat, Domino id facit, Domino enim morimur et vivimus ; ergo neuter culpandus, sed uterque laudandus est. *Quarta* est vers. 10, quia unus omnium est judex Christus Dominus ; non ergo nostrum est invicem judicare Si enim hoc facimus, Christo judicium suum præripimus.

4. TU QUIS ES QUI JUDICAS ALIENUM SERVUM ? — Alloquitur Apostolus non manducantem « qui judicat, » id est damnat, manducantem cibos lege interdictos. Patet ex verbis præced. et seqq. Tu enim *judicat* refert ad non manducantem. Jubet ergo, ut non manducans Judæus manducantem Gentilem non judicet, sed Dei, cujus servus est, judicio eumdem relinquat. Unde subdit :

Alter temerarium Apostolus abesse nihil, eodem pro eodem tari.

DOMINO SUO STAT, AUT CADIT. — *q. d.* Sive male, sive bene faciat manducando, id ad domini sui, puta ad Dei honorem vel injuriam pertinet. Ita aliqui. *Secundo* et genuine : « Domino suo stat, aut cadit, » hoc est, apud dominum suum causa cadet, et condemnabitur ; vel stabit, id est absolvetur, *q. d.* Dei interest, et illius est judicium, cujus homo est servus, ipse videat et judicet an comedendo quidlibet bene vel male agat ; tua nil interest : tu ergo eum noli judicare, sed Dei judicio eum relinque ; agit enim Apostolus de vitando judicio temerario, et ad nos non pertinente.

Duplex hujus loci sensus. Primus.

STABIT AUTEM : POTENS EST ENIM DEUS STATUERE ILLUM. — *q. d.* Ne timeas, o Judæe infirme, Gentiles, si vescantur idolothytis et cibis lege vetitis, facile ad gentilismum reversuros : vicissim, o Gentilis, ne timeas Judæo, si legem servet et cibis lege vetitis abstineat, eum ad judaismum reversurum ; quia si in judaismum vel gentilismum cadit, non tibi, sed Domino Deo, cujus servus est, cadit : verum meliora spero, scilicet quod non cadet, sed stabit in fide et sanctitate, cum ejus Dominus, puta Deus, potens sit eum statuere et stabilire. Ne ergo scrupulose aliquem judices aut damnes.

Secundo et aptius : « Stabit, » id est absolvetur, et non cadet causa in judicio Domini sui, quia scilicet falsum crimen violatæ legis illi manducanti infirmus imponit ; nec enim manducans violavit legem, utpote quam scit abolitam. Potens est enim Deus illum statuere, id est absolvere, et de facto illum absolvet. Hoc enim per miosin significat = *potens est*, uti dixi cap. XI, vers. 23.

Vers. 5. Quid sit judicare diem inter diem?

Judicium temerarium.

Primum positivum.

5. NAM ALIUS JUDICAT DIEM INTER DIEM, ALIUS AUTEM JUDICAT OMNEM DIEM. — Vocula *nam* non dat causam, nec est causalis hoc loco, sed distinctiva : græce enim est μὲν, id est *quidem*.

Jam varii varium hic dant sensum. *Primo*, Origenes, Chrysostomus, Theodoretus, Ambrosius, Anselmus, sic explicant, *q. d.* Alius diebus interpositis jejunat, alius cunctis diebus et uterque recte agit. Sed nulli erant illo tempore ita infirmi, qui ex lege putarent omni die esse jejunandum.

Secundo, Theodoretus et Theophylactus sic explicant, *q. d.* Aliqui tantum certa die abstinent suilla et alia immunda carne, aliqui vero omni die iisdem abstinent ; sed prius hoc non est verisimile, cum lex suillam et similia vetaret omni die et absolute.

Tertio, Augustinus hic in propositionibus sic explicat : Alius, scilicet homo, cum judicet præsentia, « judicat inter diem et diem, » quia proximum, quem hodie judicat malum, cras invenit et judicat esse bonum et correctum, vel contra, *q. d.* Homo in dies judicium mutat ; « alius autem id est Deus, omnem diem judicat, » quia non tantum qualis quisque sit hodie, sed etiam qualis omni die futurus sit, præscit et cognoscit ; ac proinde neminem, etiam improbum, judicare debemus : quia qualis futurus sit, ignoramus. Hic sensus subtilior et altior est ; verum non est ad mentem et propositum Apostoli : Apostolus enim de variis variorum hominum, non autem de diversis Dei et hominum judiciis agit.

Quarto, S. Hieronymus, lib. II *Contra Jovinian.*, et Salmeron hunc dant sensum : « Alius, » scilicet *Judæus*, judicat diem alium præ alio esse festum et sanctiorem ex legis præscripto, v. g. sabbatum, neomeniam, diem expiationis ; alius autem, scilicet *Gentilis*, putat et judicat omnem diem esse æqualem, æque festum et sanctum. Hæc expositio valde verisimilis est. Verum quia Apostolus in præced. et seq. non agit de festis, sed tantum de delectu ciborum, hinc melius accipias hic dies, non festos, sed jejunii et abstinentiæ.

Abstinentia Judæis imposita duplex. Perpetua.

Quod ut intelligas, nota : Duplex abstinentia ciborum Judæis fuit præcepta, una perpetua, ut scilicet semper abstinerent suilla, leporina et omni animali quod ungulam non dividit aut non ruminat, *Levit.* XI.

Temporaria.

Secunda temporaria, qua certis diebus jejunabant, vel quibusdam cibis abstinebant, ut in paschate abstinebant fermento, in diebus quibus votum habebant nazaræatus, abstinebant vino, aceto, uvis, *Num.* 6. Dicit ergo Apostolus de hac secunda abstinentia. Judæus in fide Christi adhuc infirmus, uno die secundum præscriptum legis veteris certis cibis abstinet, aliis diebus non abstinet ; Gentilis vero judicat omnem diem esse æqualem, et omni die indifferenter quovis cibo vescitur, fruens libertate Evangelii : et uterque bene facit. Est hebraismus : Hebræi enim verbum simplex sumunt pro compositis, quibus carent : sic hic κρίνω, id est *judico*, sumitur pro διακρίνω, id est *discerno*, sicut vers. 13 sumitur pro κατακρίνω, id est *damno*, *condemno*. Sensus ergo est, *q. d.* Alius judicat, id est, discernit et separat diem unum ut sanctum et abstinentiæ dicatum, ab alio quasi minus sancto, nec abstinentiæ dicato ; alius vero judicat omnes dies esse æque sanctos, quibus vel vesci, vel jejunare liceat pro cujusque libito.

Apostolus loquitur de festis et jejuniis Judaïcis, ut fatetur Melanchthon, Bucerus et Beza, idque patet ex præced., et quia tum nondum erant Sanctorum festa, vel jejunia Christianis ab Ecclesia indicta et instituta. Unde male contra ea torquent hæc Novantes. Sane si ea ab Ecclesia tunc instituta ac præcepta fuissent, utique absolute ea servari jussisset Apostolus, uti alias similia Apostolorum decreta jussit servari, *Act.* XVI, 4.

Nota, Apostolum tantum loqui de festis et jejuniis Judaïcis, ut fatetur Melanchthon, Bucerus et Beza, idque patet ex præced., et quia tum nondum erant Sanctorum festa, vel jejunia Christianis ab Ecclesia indicta et instituta. Unde male contra ea torquent hæc Novantes. Sane si ea ab Ecclesia tunc instituta ac præcepta fuissent, utique absolute ea servari jussisset Apostolus, uti alias similia Apostolorum decreta jussit servari, *Act.* XVI, 4.

Unusquisque in suo sensu abundet. — Pro *abundet*, græce est πληροφορείσθω; Budæus, Erasmus et alii vertunt, *plane persuasus sit*, plenam habeat probationem et certitudinem. Noster interpres passim magis proprie et fideliter ad verbum, ut bene probat Ribera in cap. VI *Hebr.*, vers. 11, vertit, *plenus sit*; plenitudinem habeat, expleat, abundet. Græcum enim πληροφορεῖν non deducitur ἀπὸ τοῦ πλήρης, id est *plenus*, et φορᾶν, id est *comperire, deprehendere*, ut vult Erasmus; nam φορᾶν per ο scribitur, πληροφορεῖν per ο micron: sed ἀπὸ τοῦ πλήρης et φέρειν, id est *plenum ferre, plenitudinem habere*. Sic a φέρειν deducitur et componitur καρποφορεῖν, id est *fructum ferre*; κερατοφορεῖν, id est *cornua ferre*; βιβλιοφορεῖν, id est *librum ferre*; δαυροφορεῖν, id est *laurum ferre*; δωροφορεῖν, id est *donum ferre*; et multa similia. Pari ergo modo πληροφορεῖσθαι idem est quod plenum esse, vel (active) explere, abundare; et πληροφορία idem est quod *plenitudo*.

Hæc prima et genuina verbi hujus est significatio: inde tamen Græci hoc verbum intellectui et actui mentis attribuentes, sumunt pro plena persuasione, fide, certitudine; quia intellectus, rationis ac judicii plenitudo est plena ejus persuasio: sicut enim crumena impletur pecunia, stomachus et appetitus expleter cibo, ita intellectus capacitas et cognoscendi aviditas impletur probatione tali, quæ plenam intellectui fidem faciat illique rem persuadeat, itaque ejus veri desiderium, quod scilicet habet ad cognoscendam veritatem, satiet et expleat: quasi πληροφορεῖσθαι sit πλήρη τίνος φέρειν, id est *plenam fidem* et persuasionem *afferre*.

Unusquisque ergo in suo sensu abundet, — hoc est, quisque suo judicio perfruatur, plene illud sequatur, quisque suum sensum abunde expleat; hoc enim, ut dixi, proprie est Græcum πληροφορείσθω, id est plenum esse, et Latinum *abundare in suo sensu*, atque ita in rebus indifferentibus vulgo dicimus: « Quisque in suo sensu abundet, » id est, quisque suum judicium, suum sensum sequatur: in aliis enim quæ indifferentia non sunt, hoc sumere et facere non licet. Hunc esse sensum hujus loci patet ex vers. seq., ubi Apostolus tam manducantem, quam non manducantem laudat. Uterque enim suum sensum sequendo bene agit: nam uterque Domino manducat, vel non manducat. Ita Basilius in *Moral.*, regul. LIV, cap. I, et Ambrosius: « Quisque, ait, suo consilio remittatur. »

Potest tamen *secundo*, cum Erasmo, Budæo, Vatablo et aliis, Græcum πληροφορείσθω verti, *certus esto*, *q. d.* Paulus: Quisque in sua mente certus esto, et plene persuasus, scilicet, id quod facit manducando, vel non manducando, licitum esse et Deo gratum. Unde Syrus: *Quisque*, inquit, *in scientia animæ suæ confirmetur*. Sic quoque accipi posset nostrum « abundet, » ut idem sit, quod plene et abunde certus sit, *q. d.* Quisque abunde et plene certus sit, id quod agit bonum esse ac licitum; nil agat semiplena, id est fluctuante et dubitante conscientia. Verum prior sensus, quem paulo ante attuli, est aptior et significantior.

Tertio, S. Augustinus sic exponit: « Quisque in suo sensu abundet, » hoc est, quisque quantum humano intellectui concessum est, tantum audeat judicare; altiora quæ homines superant, non sapiat, non judicet.

Quarto, recentiores aliqui sic explicant: « Quisque in suo sensu, » id est sive hoc, sive illud sentiat, « abundet, » nimirum in charitate, ut scilicet ex charitate ad aliorum ædificationem id sentiat et faciat. Sed hæc non respondent Græco πληροφορείσθω.

Nota: Apostolum loqui de rebus indifferentibus, *q. d.* Quisque suum sequatur sensum, sive ut omnibus cibis, si in fide perfectus sit, etiam immundis, et vel semper, vel certo die per legem vetitis, vescatur, æque ut cibis in lege mundis et permissis; sive ut iisdem, si infirmus in fide sit et scrupulosus, abstineat, vel ob reverentiam legis Mosi, vel ob ignorantiam inculpatam, qua putat illam adhuc obligare.

Unde nota *secundo*: Licet legales cæremoniæ, legisque obligatio abrogata et mortua fuerit post mortem Christi in Pentecoste, non tamen illæ cæremoniæ et observantiæ legales statim ubique, et apud omnes fuere mortiferæ, sed tantum post sufficientem promulgationem, explicationem et confirmationem Evangelii et fidei Christianæ. Poterant ergo illæ eo usque servari, ob scandalum infirmorum et ad Synagogam cum honore sepeliendam, non autem tanquam necessaria ad salutem, vel tanquam obligantia ex lege veteri, nisi id fieret ex ignorantia inculpata, quasi multi tunc laborabant, etiam Apostoli, usque ad visionem saltem S. Petri, quæ narratur *Act.* X.

Nota *tertio*: Licet errarent hi Judæi, tamen in hoc errore permitti eos hoc cap. vult Apostolus, ob temporis immaturitatem, donec plenius in fide instruantur; ne, si statim revocentur a consuetis ritibus et observationibus, turbati resiliant a fide, quia infirmi. Illinc Apostoli permiserunt Judæis servare legem Mosi cum Evangelio ad tempus, tum ut cum honore legem, alias bonam et sanctam, sensim commutarent in Evangelium; tum ut Judæos qui legi assueverant, facilius alliceret ad Christianismum.

Dices: Cur ergo Apostolus Galatas tam durs increpat cap. I, quod legem veterem servarent?

Respondeo: Quia Galatæ Gentiles erant, non Judæi; unde assumpserant ipsi sacra aliena, scilicet Judaica, quasi necessaria ad salutem, qui erat exploratus error, et recidendus Apostolo. Vide ergo quam contra mentem Apostoli libertini hæc trahant ad libertatem fidei, ut cuique permittatur credere quod volet. Alii vero trahant hæc ad libertatem non jejunandi, non obediendi præceptis Ecclesiæ: cum hæc præcepta sint, uti supponitur; Apostolus autem loquatur de rebus non præceptis, sed indifferentibus, uti jam ostendi.

6. Qui sapit diem, Domino sapit. — « Qui sapit, » hoc est, qui judicat et discernit diem abstinentiæ a die quo non est abstinendum. Est metalepsis. Sapere enim discernimus cibos: hinc *sapere* hic significat discernere, et discernendo observare diem abstinentiæ: qui ergo ita sapit et discernit diem abstinentiæ (1), « Domino sapit, » hoc est ad Dei legislatoris obsequium id facit et discernit. Ita S. Chrysostomus. Græca addunt καὶ ὁ μὴ φρονῶν τὴν ἡμέραν Κυρίῳ οὐ φρονεῖ, *et qui non sapit*, aut *discernit diem, Domino non discernit*, *q. d.* Sive quis discernat diem, sive non, bene de eo existimandum est, et bene interpretandum (nisi contrarium constiterit), quod scilicet id faciat ad honorem Dei: cujus signum est, quod gratias agat Deo. Unde explicando subdit Apostolus:

Et qui manducat (idolothyta et cibos lege vetitos), Domino (ad Domini Dei honorem) manducat. Et qui non manducat (qui idolothytis et cibis lege vetitis abstinet), Domino non manducat, (id est, ad Domini honorem iis abstinet); et gratias agit Deo. — non tam quia vetitis abstinet, quam quia lege concessis utitur.

Ubi nota, τὸ *non manducare* non esse puram negationem, sed mixtam habere affirmationem, atque idem esse quod vesci cibo lege permisso, rejecto vetito; de hoc enim gratias agit. Nota Judæos ex prisco patrum more in cibi sumptione gratiarum actionem usurpasse: qua de re plura dicam I *Timoth.* IV, 4.

7. Nemo enim nostrum sibi vivit, et nemo sibi moritur. — *q. d.* Non ad nostrum usum et commodum præcipue, sed ad Dei obsequium vivimus et morimur; ille enim est dominus noster vitæ et mortis, in cujus usum et laudem omnia nostra, ac consequenter omnis tam abstinentia, quam manducatio nostra tendere debent: sicut servi omnia sua in dominorum suorum usum et commodum referre solent et debent (2).

8. Sive enim vivimus, Domino vivimus; sive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus. — *q. d.* Nos quasi servi ad Dei quasi Domini creatoris et redemptoris nostri honorem referimus nostram vitam, mortem et omnia: si omnia, ergo et dierum et ciborum observationem et discretionem, vel eorumdem indifferentiam et libertatem: ergo hæc non sunt peccata. Peccatum enim est contra honorem Domini, estque inobedientia contra Dominum, *q. d.* Totum, quod sumus, quod agimus, quod vivimus, quod morimur, est Christi Domini: ejus enim servi sumus. Ad ejus ergo obsequium et usum vita, mors et omnia nostra cedunt et tendunt, eoque sponte quasi servi ejus referimus omnia: ipse enim est Dominus et judex noster; ab eo judicandi sumus: non ergo invicem judicemus. Utrumque enim Apostolum spectare, scilicet *primo*, in hoc ciborum delectu, vel abstinentia non esse peccatum, quia utrumque fit ad honorem Domini, cui vivimus et morimur, patet ex vers. præced.: *Domino*, inquit, *manducat*, vel *non manducat*; *gratias* enim *agit Deo*. Et *secundo*, in hoc delectu non debere fideles se invicem judicare, cum sint servi, sed totum judicium relinquere Christo Domino, patet ex vers. 10.

Secundo, non male Anselmus sic exponit, *q. d.*, Domini gloriam vivendo et moriendo quærimus, ut possideamur ab eo quasi servi, sive viventes, sive mortui simus. Hinc pro ejus gloria lubentes vitam et omnia impendimus, mortem et sanguinem profundimus: non ergo de cibis ciborumque libero delectu minute et anxie disputemus aut tricemur. Hic sensus consequitur ex priori, eumque perficit et complet. Unde etiam S. Chrysostomus: « Per hæc verba, inquit, ostendit Paulus, quod majorem nostri habeat curam Deus, quam nos ipsi, et quod vitam nostram divitias suas, et mortem damnum æstimet: non enim nobis ipsis tantum morimur, sed et si morimur, Domino morimur: mortem vero hic eam, quæ ex fide est, vocat. »

Tropologice Gregorius, hom. 22 *in Ezech.*: « Sibi, inquit, sancti nec vivunt, nec moriuntur. Sibi non vivunt, quia per omne quod agunt, ad lucra spiritualia anhelant, atque orando, prædicando, sanctis operibus insistendo, cælestis patriæ cives multiplicare desiderant. Sibi minime moriuntur, quia in conspectu hominum Deum sua morte glorificant, ad quem pervenire etiam moriendo festinant. »

9. In hoc enim Christus mortuus est, et resurrexit; ut et mortuorum et vivorum dominetur. — Probat Apostolus id quod præcessit: « Sive vivimus, Domino vivimus; sive morimur, Domino morimur; » id est probat vivos et mortuos esse Domini, sive Christum Dominum dominari vivis et mortuis. Probat, inquam, ex causa; hac enim de causa est Christus mortuus et resurrexit, ut ex morte et resurrectione sua, dominium in vivos et mortuos, vel potius dominii hujus sui usum et exercitium adipisceretur, utque omnibus dominaretur.

(1) Alii: *Qui sapit*, id est, studio fertur, hoc est impensius, ut aliquem diem sanctiorem judicet alio, is id judicat. Fit fertur in honorem Domini, id est pio animo.

(2) Hic est sensus connatum 6-8: Omnia vel levia et adiaphora ad Deum referre Christianos decet, quasi rationem reddituros ante tribunal Christi judicis; omne enim nostrum (quod exprimitur hic per *vivere* et *mori*) Deo subjacet: ita Alibili.

Notandum est enim, non dicit : ut fiat dominus, scilicet, ut accipiat jus et potestatem dominandi ; sed « ut dominetur, » id est ut exerceat acceptæ potestatis et dominii usum. Nam Christus a primo instanti suæ incarnationis, ratione unionis hypostaticæ, fuit Dominus omnium : sed post mortem hujus dominii plenum exercitium accepit. Pari modo Christus potestatem judiciariam, æque ac corporis gloriam, licet ratione unionis hypostaticæ sibi debitam, patiendo et moriendo meruit, eamque merito suæ humilitatis et mortis adeptus est post resurrectionem. Adde, meminisse Apostolum hic resurrectionis Christi, quia hæc exemplar est nostræ resurrectionis. Sicut enim Christus mortuus est ut dominetur mortuorum, ita resurrexit ut dominetur vivorum : ergo resurgemus in vitam æternam, ut Christus nobis vivis dominetur in æternum.

Christus post resurrectionem obtinuit plenum dominium.

Christus ubi corporis gloriam et potestatem judiciariam meruit.

10. TU QUID JUDICAS FRATREM TUUM? OMNES ENIM STABIMUS ANTE TRIBUNAL CHRISTI. — *q. d.* Unus erit judex, scilicet Christus : ergo invicem non judicemus. Non enim sumus domini nostri, vel aliorum; sed omnes alienæ sumus potestatis, omnes servi Christi, ac consequenter omnes ab eo judicandi, non autem judices aliorum constituti sumus. Moraliter S. Chrysostomus : « Recordemur, inquit, perpetuo terribilis illius tribunalis, flumulis ignei vinculorum insolubilium, profundarum tenebrarum, stridulorum dentium, venenosique vermis. »

11. SCRIPTUM EST ENIM (*Isaiæ* XLV, 24) : VIVO EGO (juro per vitam meam), DICIT DOMINUS, QUONIAM (quod) MIHI FLECTETUR OMNE GENU (omnes gentes me colent et adorabunt : est enim hoc loco prophetia de conversione omnium gentium ad Christum), ET OMNIS LINGUA CONFITEBITUR DEO. — *q. d.* Omnes homines me Christum honorem agnoscent pro Deo et judice summo, laudabuntque meam clementiam vel justitiam, sed boni voluntarie, mali invite et coacte. Isaias habet : « Mihi jurabit omnis lingua. » *Jurabit*, id est confitebitur. Est enim jusjurandum, vera ac aperta ejus Dei professio, quem ut testem et perjurii vindicem appellamus; adeo ut aliquando synecdochice jusjurandum declaret universum Dei cultum, et jurare in Deo, vel per Deum verum, idem sit quod Deum verum colere, ut patet *Isaiæ* XIX, 18; *Psal.* LXII, vers. 12 : « Laudabuntur, inquit Psaltes, omnes qui jurant in eo, » id est omnes qui eum colunt.

Vers. 13. 13. Hoc JUDICATE (decernite, statuite) MAGIS, NE PONATIS OFFENDICULUM FRATRI, VEL SCANDALUM. — Syrus hæc duo pro eodem accipit, sed Apostolus disjungit et distinguit. « Offendiculum » ergo, græce πρόσκομμα, est id in quod impingis, offendis, cadis et peccas. Unde πρόσκομμα, ait Budæus, est πτῶμα, id est casus, offensio, peccatum. « Scandalum » vero est id in quod impingis, id est tibi has, turbaris et tentaris; sed non cadis, non corruis, non peccas.

Offendiculum quid?

Nota : σκάνδαλον a σκαμβός, id est *obliquus*, Græcis est lignum incurvum, sive obliquum, quo muscipula sustinetur, cui esca alligatur, ut mus eam arrodens, muscipulam in se evertat. Hinc Theologi « scandalum » vocant id, quod alteri est occasio peccati et ruinæ; uti hic est comedere idolothyta, vel cibos lege veteri vetitos, coram Judæis in fide Christi novellis, qui id putant esse illicitum.

Scandalum quid et unde?

14. SCIO ET CONFIDO (πέπεισμαι, id est, ut Chrysostomus, *persuasus sum*, compertum habeo plenissime, vel fido, fidenter teneo et doceo, securus sum me non decipi) IN DOMINO JESU (a quo didici, et scio id quod dico et doceo) QUIA (quod) NIHIL COMMUNE PER IPSUM (*q. d.* Scio per Christum, id est per Christi legem et libertatem, nullam escam esse communem, id est immundam), NISI ET QUI (per errorem vel conscientiam erroneam) EXISTIMAT QUID COMMUNE ESSE, ILLI COMMUNE (id est immundum et vetitum) EST. — Quia enim cibis apud Judæos per legem Mosaicam immundis Gentiles omnes promiscue et communiter utebantur et vescebantur, itaque immunda hæc Judæorum Gentilibus erant communia; hinc « commune » idem est quod immundum; et *communicare*, sive commune facere, idem est quod polluere et profanare, ut patet *Act.* X, 14, *Marc.* VII, 18. Vide Hieronymum in XV *Matth.*

Judæis communia, erant Gentibus communia.

Commune idem est quod immundum.

Secundo, Origenes, Chrysostomus, Theophylactus et Syrus sic explicant, *per ipsum*, scilicet cibum, *q. d.* Nullus cibus per seipsum est immundus. Ubi nota, cibum in se mundum, fuisse immundum, quia erat lege vetitus : rudiores tamen putabant cibos prohiberi, quod in se immundi essent; sed errabant, quia ignorabant veram legis mentem et causam, scilicet significationem moralem et mysticam hujus abstinentiæ, de qua dixi *Levit.* XI. Vide S. Augustinum, lib. VI *Contra Faust.*, VII.

15. SI ENIM (græce εἰ δὲ, *si vero*) PROPTER CIBUM FRATER TUUS CONTRISTATUR, JAM NON SECUNDUM CHARITATEM AMBULAS. — *q. d.* Si frater tuus existimat cibum esse communem et vitandum, et tu tamen eum comedis, itaque fratrem contristas et scandalizas, peccas contra charitatem : provocas enim illum, ut contra conscientiam eumdem cibum comedat; vel ut hoc tuo scandalo offensus, a te et tua fide, ac religione resiliat, et redeat ad pristinum suum judaismum, vel gentilismum.

NOLI CIBO TUO ILLUM PERDERE, PRO QUO CHRISTUS MORTUUS EST. — Est hic acer stimulus et aculeus, quo Paulus pungit fideles, ut diligentissime caveant scandala, *q. d.* Christus dedit vitam pro fratre suo, tu pro eo da, aut potius relinque cibum; Christus ei mortuo vitam sua morte restituit, tu hanc illi tua vili esca noli adimere, noli eum perdere.

16. NON ERGO BLASPHEMETUR (a Gentilibus propter vestram discordiam et scandalum) BONUM NOSTRUM. — Ita legunt Biblia Romana et Syrus; sed

Græca legunt ἡμῶν, id est *vestrum*. Quæres quodnam sit hoc *bonum*? Respondet *primo*, Origenes, est Christiana religio; *secundo*, Theodoretus, est fides; *tertio*, Ambrosius, est doctrina Christi; *quarto*, Chrysostomus, est spes futuri præmii, aut perfecta pietas; *quinto*, Anselmus, est mandans bona et licita. Hæc omnia eodem redeunt. Scilicet *bonum*, hoc est libertas et fides Christiana, quam ut fideles per scandalum non objiciant blasphemiæ Gentilium, monet et urget hic Apostolus. Ita Anselmus et S. Thomas. Gentes enim scandalizabantur et a christianismo avertebantur, cum videbant Christianos ita inter se contendere de cibis et ciborum delectu.

17. NON EST REGNUM DEI ESCA ET POTUS; SED JUSTITIA, ET PAX, ET GAUDIUM IN SPIRITU SANCTO. — *q. d.* Pietas, fides et charitas, quibus Deus regnat in nobis, non consistunt per se in certo cibo et potu, quasi hæc per se necessaria sint ad gratiam et beatitudinem assequendam, et per hæc grati fiamus Deo, cum sint per se adiaphora. Deo, *per se*, quia ex obedientia possunt esse necessaria, uti patet in Adamo, cui esus ligni scientiæ boni et mali vetitus fuit et cætera concessa sunt : idem patet in jejuniis Ecclesiæ; cum enim hæc ab Ecclesia indicuntur, tunc tanquam obedientiæ et temperantiæ vel objecta, vel actus pariunt justitiam, pacem et gaudium Spiritus Sancti, in quibus proprie et per se consistit regnum Dei jam dictum.

Certandum et potus per se indifferentes, accedente præcepto secundum fines.

Regnum Dei triplici modo sumitur.

Adde : non dicit Paulus, Regnum Dei non est abstinentia; sed, « Regnum Dei non est esca. » Quod notent Novantes, qui ut pro suis escis pugnent, impugnant jejunia Ecclesiæ. Sic I *Cor.* cap. VIII, vers. 8 : « Esca, inquit, nos non commendat Deo. »

Nota : Apostolus hic et alibi « regnum Dei » vocat gratiam, per quam Deus regnat in nobis, qua peccata delentur, quaque Deo reconciliamur, vel gratiores efficimur, atque jus ad regnum et beatitudinem æternam acquirimus : patet ex sequent. Gratia ergo dicitur « regnum Dei » inchoative, quia per gratiam incipit Deus regnare in nobis, et quia gratia est inchoatio gloriæ et regni cœlestis, in quo Deus plene et perfecte regnabit in nobis. Est metonymia. Regnum enim hic idem est quod modus, ratio, forma regni et regiminis Dei; hæc enim forma et norma non est sita in esca et potu, sed in justitia, pace et gaudio Spiritus Sancti.

Primo, gratia est inchoativa regni Dei.

Secundo, regnum Dei Christi, hic significat.

Posset, *secundo*, alia metonymia « regnum » hic pro subditis qui reguntur, capi, ut « regnum Dei » vocet hic ipsos Christianos et sanctos, quos Deus regit et gubernat : hi non sunt esca et potus, id est, non fiunt per escam et potum, ut vox *sunt* sumatur non formaliter, sed causaliter pro *fiunt*, per metonymiam, *q. d.* Non propterea reddimur sancti et boni Christiani, in quibus Deus regnet, quod cibis lege interdictis libere vescamur; sed justitia, pace et gaudio Spiritus Sancti reddimur sancti verique Christiani, et consequenter finus regnum Dei.

Tertio, Anselmus proprie accipit regnum cœlorum, hoc sensu, *q. d.* In cœlo non erunt carnales deliciæ, non esca, non potus; sed justitia, pax et gaudium. Verum hoc anagogicum est.

Tertio, regnum Dei est regnum cœlorum.

Moraliter audi S. Bernardum, serm. 2 in hæc ipsa Apostoli verba : « Filii hominum, usquequo gravi corde? quia corpore pingui; ut quid diligitis vanitatem et veritatem negligitis? Pinguedo carnis, deliciæ corporis, saturitas ventris, aut ante mortem vos deserent, aut vos in morte illas relinquetis. Quoniam (*inquit* sanctus) cum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus. Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos. Quam bene sicut oves? quia detracto vellere mundialium divitiarum, dure presseque detonsi sempiternis nudi deputabuntur incendiis. Mors depascet eos, quia semper morientur ad vitam, et semper vivent ad mortem. Ergo hic caro vermibus, illic anima ignibus deputatur, donec rursus infelici collegio colligati tormentis pœnalibus socientur, qui socii fuerunt in vitiis. O delicate, qui deliciis et divitiis circumfusus atque confusus, confusionem exspectas et mortem; non est regnum Dei esca et potus, non purpura et byssus : quia dives ille utroque circumfluus, in puncto ad inferna descendit; sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu Sancto. »

18. QUI IN HOC (in hisce quæ dixi, puta in pace, justitia et gaudio Spiritus Sancti, in quibus consistit regnum Dei) SERVIT CHRISTO, PLACET DEO. Vers. 18.

20. NOLI PROPTER ESCAM DESTRUERE OPUS DEI. — « Opus, » puta ædificium Dei, scilicet fidem, charitatem et religionem Christianam in proximo. Vel « opus Dei, » hoc est, proximum ipsum, quem Deus fecit Christianum, fidelem, pium, imo domum et templum suum. Vide dicta vers. 16. Sic *Ephes.* II, vers. 10, dicitur : « Ipsius sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, » etc. Vers. 20.

21. BONUM EST NON MANDUCARE CARNEM ET NON BIBERE VINUM, NEQUE (aliud quid simile facere) IN QUO FRATER (proximus) TUUS OFFENDITUR. — Ita legunt Biblia Romana; alii legunt « offendit : » nam et græce est προσκόπτει, id est offendit, impingit, hoc est scandalizatur; idem ergo hic est *offendit* et *offenditur*; qui enim scandalizatur offendit et offenditur. Vers. 21.

22. TU FIDEM HABES? PENES TEMETIPSUM HABE CORAM DEO. — *Primo*, Toletus « fidem » hic proprie accipit, scilicet fidem veram et Christianam, qua recte credis quemlibet cibum esse mundum, itaque eum comedis. Vers. 22.

Secundo et melius, fides idem est quod persuasio certa et secura : « fidem » ergo « habes, » hoc est, in conscientia certus et securus es, nihil apud Christianos esse immundum legaliter, omnes escas etiam lege veteri vetitas eis esse permissas. Ita S. Chrysostomus et Ambrosius, idque ex mente Apostoli, ut patebit vers. ult. Occurrit

Fides hic idem est quod conscientia.

hic Apostolus tacitæ objectioni dicentium : Fides mihi dictat legales cæremonias esse abolitas, neque licite quibuslibet posse vesci : sequar ergo fidem meam, escas lege vetitas manducabo, esto infirmiores inde offendantur. Respondet Apostolus : Tu fidem habes, sed eam.

HABE PENES TEMETIPSUM, — *q. d.* Noli illam jactare illaque uti cum fratris scandalo. Fides enim confitenda est semper, non autem semper profitenda : profiteri enim est sponte fidem publicare, confiteri est respondere interrogatum, ait S. Cyprianus, *epist.* 83. Idem dico de fide, id est persuasione, vel credulitate conscientiæ, de qua proprie hic agit Apostolus.

Imitatio Apostoli in mansuetudine.

BEATUS QUI NON JUDICAT SEMETIPSUM IN EO QUOD PROBAT. — Occasione ejus quod dixit : « Tu fidem habes, » transit hic Apostolus ad instructionem infirmi, qui vel exemplo doctoris comedentis, vel gula illectus, edebat suillam, aut aliud lege vetitum contra conscientiam, sicque peccabat. Dicit ergo : « Beatus qui non judicat (qui non condemnat scrupulose : ita Ambrosius et Theodoretus) semetipsum in eo quod probat, » quod elicit, quod amplectitur, *q. d.* Beatus est qui nihil agit contra conscientiam, qui non movet sibi dubia, et scrupulos in re alias licita et adiaphora, qualis est vesci idolothytis, aut cibis Judæis vetitis.

Quid sit homo qui non judicat se, sed Patres exponitis et genuine.

Secundo, Salmeron : « Beatus est, inquit, qui non judicat semetipsum » bene agere, ut sibi de virtute blandiatur, se justum reputet et sanctum ; sed potius cum Apostolo dicit : « Nihil mihi conscius sum ; sed non in hoc justificatus sum : qui autem judicat me, Dominus est. »

Tertio, alii sic exponunt, *q. d.* Beatus est qui judicium illius rei, quam approbat, agit, exequitur, non sumit ex se et suo capite, sed a viris peritis, probis et sapientibus ; nam in rebus agendis prudentis est non suo, sed sapientum consilio niti.

Quarto, Toletus : Beatus, inquit, est qui non judicat se recte facere, dum comedit cum scandalo proximi id quod alias probat, id est, quod alias per fidem approbat, scilicet cibum hunc quem comedit, uti et quemlibet alium, permissum et licitum esse. Verum primum sensum exigit id quod sequitur.

23. QUI DISCERNIT (cibum a cibo, quasi illicitum et vetitum a licito et permisso), SI MANDUCAVERIT, DAMNATUS EST (peccati et damnationis reatum incurrit), QUIA NON EX FIDE, — hoc est, quia non ex conscientiæ dictamine et credulitate, qua credit licere hoc cibo vesci, supple, *manducat*, *q. d.* Quia manducat et agit contra conscientiam, hinc peccato et damnationi se obstringit. Ita S. Chrysostomus. Pro *qui discernit*, græce est διακρινόμενος, quod etiam verti potest, qui disceptat, qui dubitat, sitne licitum, v. g. vesci suilla, necne. Ita S. Chrysostomus, Theophylactus, Œcumenius.

OMNE QUOD NON EST EX FIDE, PECCATUM EST. — Nota, « fidem » hic non tantum mendacem veritatem generalem et speculativam, sed et particularem et practicam. Fides ergo est dictamen conscientiæ, sive persuasio et credulitas, qua juxta regulas fidei et prudentiæ credis te hic, v. g. comedendo idolothyta, aut cibos lege veteri vetitos, non male, sed recte agere et Deo placere : quod enim non est secundum hanc credulitatem, id est, quod est contra conscientiam, hoc peccatum est. Ita S. Chrysostomus, Theodoretus, Ambrosius, Theophylactus, Œcumenius.

Fidelitas idem est quod dictamen conscientiæ.

Etymon πίστις.

Hunc esse sensum, et hoc significare hic fidem, patet tum ex Græco πίστις : fides enim græce dicitur πίστις, id est *persuasio, aut res mihi*, id est *suadere*, persuadere ; tum ex ipso discursu Apostoli. Loquitur enim Apostolus infirmis, id est erantibus et scrupulosis, qui ex errore conscientiæ putabant non licere sibi vesci cibis lege vetitis. His ait : Qui discernit cibum hunc quasi illicitum ab alio licito, si manducat id quod discernit quasi illicitum, damnatus est ; quia non ex fide, id est, quia non ex credulitate quod id liceat, sed contra conscientiæ dictamen manducat. Idem patet ex I *Cor.* VIII, 1, ubi fidem hanc explicans Apostolus, eam vocat scientiam. Ait enim : « De iis autem quæ idolis sacrificantur, scimus quia omnes scientiam habemus. » Et vers. 4 : « De escis autem quæ idolis immolantur, scimus quia nihil est idolum in mundo, et quod nullus est Deus, nisi unus. » Fides ergo est scientia, qua quis scit idolum nihil esse, ac consequenter idolothyta nihil contrahere numinis falsi, aut vitii ex idolo oci immolantur, ut propterea esus eorum fidelibus sit illicitus ; ac consequenter licite fideles iis vesci posse, perinde ac si idolo non essent immolata. Rursum, sicuti fides dicitur credulitas qua quis credit quid esse verum et a Deo revelatum ; ita pariter fides dici potest (uti hic dicitur) credulitas qua quis credit quippiam esse licitum : hoc enim est verum practicum, quod quasi objectum spectat fides hæc practica : sicut prior fides speculativa pro objecto habet verum speculativum. Insuper Cicero, lib. I *Officior.* : « Fides, inquit, est dictorum conventorumque constantia et veritas. Ex quo etiadamus, quia fiat quod dictum est, appellatam fidem. » Pari ergo ratione cum fit quod in mente dictum est, puta quod mens et ratio faciendum dictat, fides est dicique debet ; et qui hoc agit, fideliter et ex fide, ac fide bona agere dicitur.

Fidelitas idem est quod dictamen conscientiæ.

Hinc Theologi docent conscientiam, licet erroneam, semper ligare, ut nunquam contra eam agere liceat ; sed eam deponere per prudens rationis aut viri sapientis consilium ; vel, si id non possit, sequi eam oportest, si videlicet resolutio et res ipsa differri non possit.

Fidelitas idem est quod dictamen conscientiæ.

Dices : S. Augustinus, lib. IV *Contra Julian.*, in, et lib. *De Gratia Christi*, cap. XXVI, et *epist.* 105 ; Prosper quoque lib. VIII *De Vita contempl.*, cap. I et V ; Bernardus, lib. *De Præcept. et dispens.*, fidem

hic proprie accipiunt ; ergo cum ait Apostolus :

Ad Patres velit omne hic fidelium opercum peccata?

« Omne quod non est ex fide, peccatum est, » hinc recte inferam, quod omnia omnium infidelium opera, etiam bona, etsi sunt eleemosynæ, cum non sint, nec fiant ex fide, sint peccata. Admittunt illationem hanc nonnulli Doctores Scholastici, ut Gregorius Ariminius, Capreolus, Catharinus.

Verum respondeo : S. Augustinus cum suis ait *quod non est ex fide*, per miosin sic accipit, *q. d.* Apostolus : Quod est ex infidelitate, vel quod est contra fidem, quodque fit ad cultum idoli, hoc peccatum est, uti patet. Et quia S. Augustinus putabat pleraque opera ab infidelibus fieri hoc fine, scilicet ad colendum idolum, hinc consequenter pleraque eorum opera putavit esse peccata. Sed hoc de omnibus non est verum ; imo certum est infideles posse facere et de facto facere multa opera moraliter bona, ut honorare parentes, dare eleemosynam, servare promissa, non ad cultum idoli sui (de quo sæpe non cogitant) sed tantum hac de causa, quia illa honesta sunt, quia recta ratio illa dictat, ita ut hæc eorum opera moraliter bona sint, nec ullo malo fine, aut circumstantia vitientur.

Non omnia infidelium opera mala sunt.

Rursum, Origenes, Anselmus, S. Leo, serm. 2 *De Jejunio Pentecostes*, et Prosper per auxesin sic exponunt : « Omne quod non est ex fide, peccatum est, » id est, peccato conjunctum est : quia omnis infidelium virtus vana, inanis et falsa virtus est, nec hominem peccato liberare, aut absolute bonum coram Deo efficere valet. « Omnis infidelium vita, inquit Prosper in *Sentent.* excerptis ex S. Augustino, sentent. 106, peccatum est, et nihil est bonum sine summo bono. Ubi enim deest agnitio æternæ et incommutabilis veritatis, falsa virtus est, etiam in optimis moribus. »

Expositio Prosperi.

Verum, ut dixi, hæc non sunt hoc loco genuina, nec ad mentem Apostoli : Apostolus enim per fidem hic non intelligit fidem Christianam, sed credulitatem, persuasionem et dictamen conscientiæ.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Concludit, tum Gentes quam Judæos ad fidem et gratiam Christi vocatos, Deo gratias, invicem gratulationem et pacem debere.

Primo ergo docet quemque proximorum utilitati, et mutuæ paci studere debere, quodque Christus tam Judæos ex promissione, quam Gentes ex misericordia ad se et salutem vocaverit.

Secundo, vers. 15, *excusat se quod liberius Romanis scripserit, tanquam Gentium Apostolus ostendens quomodo hoc munus sit executus, nimirum quod ab Jerusalem ad Illyricum primus ipse ubique evangelizaverit.*

Tertio, vers. 24, *destinat ire in Hispaniam, prius tamen deferre eleemosynam in Judæam, ac deinde in transitu videre Romanos, petens ut pro se interim orent.*

1. Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, et non nobis placere. 2. Unusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum, ad ædificationem. 3. Etenim Christus non sibi placuit, sed sicut scriptum est : Improperia improperantium tibi ceciderunt super me. 4. Quæcumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt : ut per patientiam et consolationem Scripturarum, spem habeamus. 5. Deus autem patientiæ et solatii det vobis idipsum sapere in alterutrum secundum Jesum Christum : 6. ut unanimes, uno ore honorificetis Deum, et Patrem Domini nostri Jesu Christi. 7. Propter quod suscipite invicem, sicut et Christus suscepit vos in honorem Dei. 8. Dico enim Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum : 9. Gentes autem super misericordia honorare Deum, sicut scriptum est : Propterea confitebor tibi in Gentibus, Domine, et nomini tuo cantabo. 10. Et iterum dicit : Lætamini, Gentes, cum plebe ejus. 11. Et iterum : Laudate, omnes Gentes, Dominum ; et magnificate eum, omnes populi. 12. Et rursus Isaias ait : Erit radix Jesse, et qui exurget regere Gentes, in eum Gentes sperabunt. 13. Deus autem spei repleat vos omni gaudio et pace in credendo : ut abundetis in spe et virtute Spiritus Sancti. 14. Certus sum autem,

hic Apostolus tacitæ objectioni dicentium : Fides mihi dictat legales cæremonias esse abolitas, neque licite quibuslibet posse vesci : sequar ergo fidem meam, escas lege vetitas manducabo, esto infirmiores inde offendantur. Respondet Apostolus : Tu fidem habes, sed eam.

HABE PENES TEMETIPSUM, — *q. d.* Noli illam jactare illaque uti cum fratris scandalo. Fides enim confitenda est semper, non autem semper profitenda : profiteri enim est sponte fidem publicare, confiteri est respondere interrogatum, ait S. Cyprianus, *epist.* 83. Idem dico de fide, id est persuasione, vel credulitate conscientiæ, de qua proprie hic agit Apostolus.

Imitatio Apostoli in mansuetudine.

BEATUS QUI NON JUDICAT SEMETIPSUM IN EO QUOD PROBAT. — Occasione ejus quod dixit : « Tu fidem habes, » transit hic Apostolus ad instructionem infirmi, qui vel exemplo doctoris comedentis, vel gula illectus, edebat suillam, aut aliud lege vetitum contra conscientiam, sicque peccabat. Dicit ergo : « Beatus qui non judicat (qui non condemnat scrupulose : ita Ambrosius et Theodoretus) semetipsum in eo quod probat, » quod elicit, quod amplectitur, *q. d.* Beatus est qui nihil agit contra conscientiam, qui non movet sibi dubia, et scrupulos in re alias licita et adiaphora, qualis est vesci idolothytis, aut cibis Judæis vetitis.

Quid sit homo qui non judicat se, sed Patres exponitis et genuine.

Secundo, Salmeron : « Beatus est, inquit, qui non judicat semetipsum » bene agere, ut sibi de virtute blandiatur, se justum reputet et sanctum ; sed potius cum Apostolo dicit : « Nihil mihi conscius sum ; sed non in hoc justificatus sum : qui autem judicat me, Dominus est. »

Tertio, alii sic exponunt, *q. d.* Beatus est qui judicium illius rei, quam approbat, agit, exequitur, non sumit ex se et suo capite, sed a viris peritis, probis et sapientibus ; nam in rebus agendis prudentis est non suo, sed sapientum consilio niti.

Quarto, Toletus : Beatus, inquit, est qui non judicat se recte facere, dum comedit cum scandalo proximi id quod alias probat, id est, quod alias per fidem approbat, scilicet cibum hunc quem comedit, uti et quemlibet alium, permissum et licitum esse. Verum primum sensum exigit id quod sequitur.

23. QUI DISCERNIT (cibum a cibo, quasi illicitum et vetitum a licito et permisso), SI MANDUCAVERIT, DAMNATUS EST (peccati et damnationis reatum incurrit), QUIA NON EX FIDE, — hoc est, quia non ex conscientiæ dictamine et credulitate, qua credit licere hoc cibo vesci, supple, *manducat*, *q. d.* Quia manducat et agit contra conscientiam, hinc peccato et damnationi se obstringit. Ita S. Chrysostomus. Pro *qui discernit*, græce est διακρινόμενος, quod etiam verti potest, qui disceptat, qui dubitat, sitne licitum, v. g. vesci suilla, necne. Ita S. Chrysostomus, Theophylactus, Œcumenius.

OMNE QUOD NON EST EX FIDE, PECCATUM EST. — Nota, « fidem » hic non tantum mendacem veritatem generalem et speculativam, sed et particularem et practicam. Fides ergo est dictamen conscientiæ, sive persuasio et credulitas, qua juxta regulas fidei et prudentiæ credis te hic, v. g. comedendo idolothyta, aut cibos lege veteri vetitos, non male, sed recte agere et Deo placere : quod enim non est secundum hanc credulitatem, id est, quod est contra conscientiam, hoc peccatum est. Ita S. Chrysostomus, Theodoretus, Ambrosius, Theophylactus, Œcumenius.

Fidelitas idem est quod dictamen conscientiæ.

Etymon πίστις.

Hunc esse sensum, et hoc significare hic fidem, patet tum ex Græco πίστις : fides enim græce dicitur πίστις, id est *persuasio, aut res mihi*, id est *suadere*, persuadere ; tum ex ipso discursu Apostoli. Loquitur enim Apostolus infirmis, id est erantibus et scrupulosis, qui ex errore conscientiæ putabant non licere sibi vesci cibis lege vetitis. His ait : Qui discernit cibum hunc quasi illicitum ab alio licito, si manducat id quod discernit quasi illicitum, damnatus est ; quia non ex fide, id est, quia non ex credulitate quod id liceat, sed contra conscientiæ dictamen manducat. Idem patet ex I *Cor.* VIII, 1, ubi fidem hanc explicans Apostolus, eam vocat scientiam. Ait enim : « De iis autem quæ idolis sacrificantur, scimus quia omnes scientiam habemus. » Et vers. 4 : « De escis autem quæ idolis immolantur, scimus quia nihil est idolum in mundo, et quod nullus est Deus, nisi unus. » Fides ergo est scientia, qua quis scit idolum nihil esse, ac consequenter idolothyta nihil contrahere numinis falsi, aut vitii ex idolo oci immolantur, ut propterea esus eorum fidelibus sit illicitus ; ac consequenter licite fideles iis vesci posse, perinde ac si idolo non essent immolata. Rursum, sicuti fides dicitur credulitas qua quis credit quid esse verum et a Deo revelatum ; ita pariter fides dici potest (uti hic dicitur) credulitas qua quis credit quippiam esse licitum : hoc enim est verum practicum, quod quasi objectum spectat fides hæc practica : sicut prior fides speculativa pro objecto habet verum speculativum. Insuper Cicero, lib. I *Officior.* : « Fides, inquit, est dictorum conventorumque constantia et veritas. Ex quo etiadamus, quia fiat quod dictum est, appellatam fidem. » Pari ergo ratione cum fit quod in mente dictum est, puta quod mens et ratio faciendum dictat, fides est dicique debet ; et qui hoc agit, fideliter et ex fide, ac fide bona agere dicitur.

Fidelitas idem est quod dictamen conscientiæ.

Hinc Theologi docent conscientiam, licet erroneam, semper ligare, ut nunquam contra eam agere liceat ; sed eam deponere per prudens rationis aut viri sapientis consilium ; vel, si id non possit, sequi eam oportest, si videlicet resolutio et res ipsa differri non possit.

Fidelitas idem est quod dictamen conscientiæ.

Dices : S. Augustinus, lib. IV *Contra Julian.*, in, et lib. *De Gratia Christi*, cap. XXVI, et *epist.* 105 ; Prosper quoque lib. VIII *De Vita contempl.*, cap. I et V ; Bernardus, lib. *De Præcept. et dispens.*, fidem

hic proprie accipiunt ; ergo cum ait Apostolus :

Ad Patres velit omne hic fidelium opercum peccata?

« Omne quod non est ex fide, peccatum est, » hinc recte inferam, quod omnia omnium infidelium opera, etiam bona, etsi sunt eleemosynæ, cum non sint, nec fiant ex fide, sint peccata. Admittunt illationem hanc nonnulli Doctores Scholastici, ut Gregorius Ariminius, Capreolus, Catharinus.

Verum respondeo : S. Augustinus cum suis ait *quod non est ex fide*, per miosin sic accipit, *q. d.* Apostolus : Quod est ex infidelitate, vel quod est contra fidem, quodque fit ad cultum idoli, hoc peccatum est, uti patet. Et quia S. Augustinus putabat pleraque opera ab infidelibus fieri hoc fine, scilicet ad colendum idolum, hinc consequenter pleraque eorum opera putavit esse peccata. Sed hoc de omnibus non est verum ; imo certum est infideles posse facere et de facto facere multa opera moraliter bona, ut honorare parentes, dare eleemosynam, servare promissa, non ad cultum idoli sui (de quo sæpe non cogitant) sed tantum hac de causa, quia illa honesta sunt, quia recta ratio illa dictat, ita ut hæc eorum opera moraliter bona sint, nec ullo malo fine, aut circumstantia vitientur.

Non omnia infidelium opera mala sunt.

Rursum, Origenes, Anselmus, S. Leo, serm. 2 *De Jejunio Pentecostes*, et Prosper per auxesin sic exponunt : « Omne quod non est ex fide, peccatum est, » id est, peccato conjunctum est : quia omnis infidelium virtus vana, inanis et falsa virtus est, nec hominem peccato liberare, aut absolute bonum coram Deo efficere valet. « Omnis infidelium vita, inquit Prosper in *Sentent.* excerptis ex S. Augustino, sentent. 106, peccatum est, et nihil est bonum sine summo bono. Ubi enim deest agnitio æternæ et incommutabilis veritatis, falsa virtus est, etiam in optimis moribus. »

Expositio Prosperi.

Verum, ut dixi, hæc non sunt hoc loco genuina, nec ad mentem Apostoli : Apostolus enim per fidem hic non intelligit fidem Christianam, sed credulitatem, persuasionem et dictamen conscientiæ.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Concludit, tum Gentes quam Judæos ad fidem et gratiam Christi vocatos, Deo gratias, invicem gratulationem et pacem debere.

Primo ergo docet quemque proximorum utilitati, et mutuæ paci studere debere, quodque Christus tam Judæos ex promissione, quam Gentes ex misericordia ad se et salutem vocaverit.

Secundo, vers. 15, *excusat se quod liberius Romanis scripserit, tanquam Gentium Apostolus ostendens quomodo hoc munus sit executus, nimirum quod ab Jerusalem ad Illyricum primus ipse ubique evangelizaverit.*

Tertio, vers. 24, *destinat ire in Hispaniam, prius tamen deferre eleemosynam in Judæam, ac deinde in transitu videre Romanos, petens ut pro se interim orent.*

1. Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, et non nobis placere. 2. Unusquisque vestrum proximo suo placeat in bonum, ad ædificationem. 3. Etenim Christus non sibi placuit, sed sicut scriptum est : Improperia improperantium tibi ceciderunt super me. 4. Quæcumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt : ut per patientiam et consolationem Scripturarum, spem habeamus. 5. Deus autem patientiæ et solatii det vobis idipsum sapere in alterutrum secundum Jesum Christum : 6. ut unanimes, uno ore honorificetis Deum, et Patrem Domini nostri Jesu Christi. 7. Propter quod suscipite invicem, sicut et Christus suscepit vos in honorem Dei. 8. Dico enim Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum : 9. Gentes autem super misericordia honorare Deum, sicut scriptum est : Propterea confitebor tibi in Gentibus, Domine, et nomini tuo cantabo. 10. Et iterum dicit : Lætamini, Gentes, cum plebe ejus. 11. Et iterum : Laudate, omnes Gentes, Dominum ; et magnificate eum, omnes populi. 12. Et rursus Isaias ait : Erit radix Jesse, et qui exurget regere Gentes, in eum Gentes sperabunt. 13. Deus autem spei repleat vos omni gaudio et pace in credendo : ut abundetis in spe et virtute Spiritus Sancti. 14. Certus sum autem,

fratres mei, et ego ipse de vobis, quoniam et ipsi pleni estis dilectione, repleti omni scientia, ita ut possitis alterutrum monere. 15. Audacius autem scripsi vobis, fratres, ex parte, tanquam in memoriam vos reducens : propter gratiam, quæ data est mihi a Deo, 16. ut sim minister Christi Jesu in Gentibus : sanctificans Evangelium Dei, ut fiat oblatio Gentium accepta, et sanctificata in Spiritu Sancto. 17. Habeo igitur gloriam in Christo Jesu ad Deum. 18. Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Christus in obedientiam Gentium, verbo et factis : 19. in virtute signorum et prodigiorum, in virtute Spiritus Sancti : ita ut ab Jerusalem per circuitum usque ad Illyricum repleverim Evangelium Christi. 20. Sic autem prædicavi Evangelium hoc, non ubi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem; sed sicut scriptum est : 21. Quibus non est annuntiatum de eo, videbunt; et qui non audierunt, intelligent. 22. Propter quod et impediebar plurimum venire ad vos, et prohibitus sum usque adhuc. 23. Nunc vero ulterius locum non habens in his regionibus, cupiditatem autem habens veniendi ad vos ex multis jam præcedentibus annis : 24. cum in Hispaniam proficisci cœpero, spero quod præteriens videam vos, et a vobis deducar illuc, si vobis primum ex parte fruitus fuero. 25. Nunc igitur proficiscar in Jerusalem ministrare sanctis. 26. Probaverunt enim Macedonia et Achaia collationem aliquam facere in pauperes sanctorum, qui sunt in Jerusalem. 27. Placuit enim eis; et debitores sunt eorum. Nam si spiritualium eorum participes facti sunt Gentiles, debent et in carnalibus ministrare illis. 28. Hoc igitur cum consummavero, et assignavero eis fructum hunc, per vos proficiscar in Hispaniam. 29. Scio autem quoniam veniens ad vos, in abundantia benedictionis Evangelii Christi veniam. 30. Obsecro ergo vos, fratres, per Dominum nostrum Jesum Christum, et per charitatem Sancti Spiritus, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum, 31. ut liberer ab infidelibus, qui sunt in Judæa, et obsequii mei oblatio accepta fiat in Jerusalem sanctis, 32. ut veniam ad vos in gaudio per voluntatem Dei, et refrigerer vobiscum. 33. Deus autem pacis sit cum omnibus vobis. Amen.

1. DEBEMUS IMBECILLITATES INFIRMORUM SUSTINERE. — βαστάζειν, id est *ferre*, portare instar bajulorum, opitulari illis, et, ut explicat S. Basilius *in Regul. brevioribus*, regul. 177, eas curare, « sicut Christus, inquit Basilius, nostras infirmitates portavit, id est curavit. » Sic *Galat.* VI, 2, ait : « Alter alterius onera portate. » Qua de re plura dicam ibi.

ET NON NOBIS PLACERE, — non nostro animo morem gerere, ut quæ grata nobis sunt et utilia, sectemur cum proximi scandalo vel incommodo, v. g. ut idolothyta et escas lege vetitas comedamus cum offendiculo infirmorum, de quibus egit cap. præced., eo enim alludit, imo redit : repetit enim dicta initio capitis præced., ut patet verba utrimque conferenti.

2. UNUSQUISQUE VESTRUM PROXIMO SUO PLACEAT (condescendat, morem gerat, obsecundet, illi se accommodet, non in malum, sed in) BONUM, AD ÆDIFICATIONEM, — ut scilicet illum sua charitate, continentia, modestia ædificet, pelliciatque ad omne bonum.

3. ETENIM CHRISTUS NON SIBI PLACUIT. — Imitamini Christum. Nam Christus suæ voluntati, naturæ, quieti et commodis non servivit, ut nos et nostra negligeret, sed ea omnia et vitam suam pro nostra salute exposuit; ita ergo et nos Christiani debemus facere pro fratrum salute, eorumque infirmitates sustinere; et ne eos scandalizemus, a multis etiam licitis et nobis commodis abstinere, atque impense eorum salutem procurare.

SED (supple, nostris commodis servivit Christus), SICUT SCRIPTUM EST (*Psalm.* LXVIII, 10) : IMPROPERIA IMPROPERANTIUM TIBI CECIDERUNT SUPER ME. — *q. d.* Opprobria et peccata contra te, o Deus, facta, ita me Christum afflixerunt, atque si in me facta essent; adeoque pro eis indolui et me humiliavi, ut susceperim ea in me punienda et eluenda in carne mea. Idque *primo*, ut honorem tibi per peccata hominum quasi ablatum, mea satisfactione redderem et restituerem. *Secundo*, ut iram tuam in homines placarem. Hoc enim secundum hic innuit Apostolus; primum vero directe innuit Psaltes, ut recte animadvertit Jansenius in *Ps.* LXVIII.

4. QUÆCUNQUE SCRIPTA SUNT, AD NOSTRAM DOCTRINAM SCRIPTA SUNT. — Hisce verbis ostendit Paulus se versiculum *Psalm.* LXVIII jam citatum, licet is in persona Christi dictus et scriptus sit, non male ad Romanorum institutionem hic citasse et transtulisse, quia quæcumque scripta sunt in sacra Scriptura, præsertim de Christo, ad nostram, qui Christiani sumus, doctrinam, institutionem et imitationem scripta sunt.

UT PER PATIENTIAM ET CONSOLATIONEM SCRIPTURARUM SPEM HABEAMUS, — futuræ gloriæ et vitæ æternæ. Pro *per consolationem*, græce est διὰ τῆς παρακλήσεως. Quod *secundo*, verti potest cum Ambrosio « per exhortationem, » scilicet ad bona opera; hæc enim spem exacuunt. Facit hoc Scriptura per exempla, quæ narrat, per exhortationes, per promissiones et præmia, quæ Deus servis suis promittit in Scriptura. His enim nos consolatur, exhortatur et in spem beatitudinis excitat.

Nota : « Patientia Scripturarum » est ea, quam nos docent Scripturæ; « consolatio » autem, qua nos consolantur : ita Maldonatus in *Notis manusc.* Alii « patientiam » per se sumunt, et distinguunt a « consolatione Scripturarum. » Porro « patientiam » intelligit, qua instar Christi infirmitates infirmorum sustineamus, ut patet vers. 1 et 3 (1).

5. DEUS AUTEM PATIENTIÆ ET SOLATII, — scilicet auctor, dator. Sic et vers. 13 et 33, vocatur « Deus pacis et spei, » scilicet largitor; ita Theophylactus.

Secundo, « Deus patientiæ et solatii, » hoc est Deus patientissimus et summe consolans, ita ut in sua deitate includat patientiam et consolationem, sitque per essentiam ipse totus consolatio, imo mare et oceanus consolationis, quam in servos suos etiam in hac vita, ita effundit subinde, in accerrimis quoque tribulationibus et doloribus, ut cor mortale illam non capiat, sed exclamare cogatur cum S. Xaverio : « Satis est, Domine, satis est. » Deus totus consolatio.

DET VOBIS IDIPSUM SAPERE (consentire, esse concordes, tum judicio, tum affectu, eumdemque affectum, benevolentiam et beneficentiam invicem exhibere. Vide dicta cap. XII, vers. 16, idque) SECUNDUM JESUM CHRISTUM; — id est, secundum legem, vitam, exemplum et præscriptum Christi, sive prout requirit Christus et Christianismus.

Vers. 7. 7. PROPTER QUOD SUSCIPITE INVICEM, SICUT ET CHRISTUS SUSCEPIT VOS. — Pro *suscipite*, græce est προσλαμβάνεσθε, hoc est, ultro excipite invicem, mutuo vos juvate et fovete, remotis dissidiis, tum ex ciborum delectu, tum ex diversitate nationum, scilicet Judæorum et Gentium, ortis. Quia Christus utrosque suscepit, pro utrisque mortuus est, utrisque salutis media dedit, utrosque beare et in cœlo unire cupit.

Suscipere in Scriptura quid significet?

Nota *primo* : « suscipere » in Scriptura, maxime psalmis, significat juvare, fovere, promovere, uti dixi cap. XIV, vers. 1.

Nota *secundo* : Postquam dixit Apostolus, « Suscipite invicem, sicut et Christus suscepit vos, » addit : « in honorem Dei, » quia cum Christi redemptio, qua nos in filios suscepit et adoptavit, cessit in honorem Dei, tum mutua Christianorum susceptio et concordia, ad quam Christus quasi pater eos suscepit in unam Ecclesiam et familiam, in Dei honorem tendit et vergit. Multum enim religioni detrahitur ex discordia eorum qui sub uno militant nomine Christiano, ut notat Ambrosius. Et contra ex concordia fidelium plurimum illi accedit; adeo ut Gentilium admirantium et collaudantium illa olim vox communis de Christianis fuerit : « Videte ut isti invicem diligant. » Concordia Christianorum commendatur.

uti superius ex Tertulliano ostendi.

8. DICO ENIM CHRISTUM JESUM MINISTRUM FUISSE CIRCUMCISIONIS (2), — non proprie : Christus enim circumcisionem et legem veterem abrogavit, aut potius implevit; sed « circumcisionis, » id est circumcisorum, minister, id est prædicator et operator salutis, ac doctor fuit Christus. Intra Judæorum enim fines docendo et evangelizando se continuit Christus. Ita Anselmus. Unde dicit ipse *Matth.* XV, 24 : « Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel. » Vers. 8. Christus Judæorum fuit Doctor.

Aliter explicant S. Chrysostomus et Theophylactus, nimirum Christum dici *ministrum circumcisionis*, quia Christus circumcisus est, et legem veterem servavit. Jam sensus est, *q. d.* Paulus : Ergo, o Gentes, quasi novitiæ in fide, humiliter vos gerite erga Judæos, eosque in judaismo suo quasi inveteratos tolerate, utpote quos Christus toleravit : imo quorum minister fuit et Apostolus; idque « propter veritatem, » id est veracitatem, « Dei, ad confirmandas promissiones patrum : » ut nimirum Deus ostenderet se veracem in promissis patribus factis; hac enim de causa Deus Judæis Christum a se promissum dedit et exhibuit, quasi ex fidelitate et justitia; Gentibus vero eumdem dedit gratis et ex pura misericordia. Et hoc est quod subdit Paulus dicens : Quo sensu Christus vocatur minister circumcisionis?

9. GENTES AUTEM (repete, *dico*) SUPER MISERICORDIA (pro misericordia sibi per Christum exhibita debere) HONORARE DEUM, SICUT SCRIPTUM EST (*Psal.* XVII, 50) : PROPTEREA (propter vocationem, gratiam aliaque beneficia Gentibus præstita, quæ in sensu allegorico recensuit Psaltes, psalmo illo XVII) CONFITEBOR TIBI IN GENTIBUS, DOMINE. — *q. d.* Inter Gentes, o Domine, aperte profitebor et celebrabo tuum nomen, misericordiam et beneficia eis exhibita.

10. ITERUM DICIT (*Deut.* XXXII, 43, juxta Septuaginta) : LETAMINI, GENTES, CUM PLEBE EJUS, — cum Judæis conversis. Conglomerat Apostolus hic testimonia Scripturæ de vocatione Gentium, tum ut Judæis eam magis persuadeat, tum ut Gentes hoc beneficium magis ponderent, Deoque gratias agant.

12. ET RURSUS ISAIAS AIT (cap. XI, 10) : ERIT RA-

(1) Aliis est hendyadis, scil. per patientiam et per consolationem Scripturarum, id est, *per patientiam ex consolatione Scripturarum fluentem.*

(2) Utitur Paulus hoc argumento : Quia Christus ex Judæis (vers. 8), et Paganis (vers. 9) prodesse, atque ex ambobus unum cœtum efficere voluerit, debet aliter Christianorum alteri lenis esse, atque ita ei secundum exemplum Christi inservire, neque eum infestare. — « Ministrum fuisse circumcisionis, » id est *inservisse Judæis*, scil. ad stabiliendam Dei veritatem, etc.

DIX JESSE, ET QUI EXURGET REGERE GENTES. — Nota: Metonymice « radix » hic est virga ex radice pullulans. Sic *Isaiæ* LIII, 2, *de* Christo dicitur : « Ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitienti. » Et *Isaiæ* XI, 1 : « Egredietur virga de radice Jesse. » Radix ergo Jesse est Christus ortus *ex* stirpe Davidis et Jesse.

Christus vocatur *radix Jesse* ob quatuor causas. Prima et genuina. Secunda.

Subtilius et sublimius hic aliqui philosophantur : nam *Apocal.* V, ubi rursum Christus vocatur « radix David, » Andreas Cæsar et Rupertus id ita explicant : Christus, inquiunt, quoad divinitatem est radix David, licet quoad humanitatem ipse fuerit *ex* radice David. Nam Christus, qua homo, natus est *ex* semine David; sed qua Deus, fuit radix, id est creator et Dominus, Davidis.

Tertia.

Tertio, Aretas et Ansbertus ibidem : Christus, inquiunt, est radix David, quia David non fuit radix, sed tantum semen, ex quo ortus est Christus quasi radix, germinans omnes fideles, omnem gratiam et gloriam.

Quarta : David radix Christi quoad humanam naturam ; Christus vicissim fuit radix Davidis, quoad eximiam sanctificationem, exaltationem et glorificationem Davidis. Ob hoc enim ita exaltatus fuit David, et tot donis cumulatus a Deo, quod ex ejus stirpe nasciturus erat Christus, qui appellandus erat filius David.

Quarta. Christus radix Davidis, quoad sanctificationem.

Verum primus sensus est litteralis et genuinus, tum quia eum exposcit phrasis Hebræa, tum quia ita explicat se Scriptura, *Apocal.* XXII, 16, cum dicit : « Ego sum radix et genus David. »

ET QUI EXURGET REGERE GENTES, IN IPSUM GENTES SPERABUNT. — « Et, » hic significat *id est*, *q. d.* Radix hic ille est, vel idem est, qui reget Gentes, uti prædixit Isaias, cap. XI, 10, ubi ad verbum sic habetur : « Qui stat in signum populorum, » hebraice לנס עמים *lenes ammim*, id est in vexillum Gentium, ut scilicet ad Christi regis castra et vexillum Gentes confluant : itaque « ipsum Gentes deprecabuntur, » *q. d.* Cum surculus iste ex radice Jessæa germinans, scilicet Christus, in crucem exaltatus et erectus fuerit in signum et vexillum, omnes tam Judæos quam Gentiles trahet ad se et sua castra, ait S. Hieronymus in cap. XI *Isaiæ*, ut in illum credant, sperent, invocent et ab eo accipiant gratiam, justitiam, salutem et gloriam; ac consequenter ipse Christus quasi dux belli, suo vexillo omnes Gentes quasi milites suos sibi subdet et reget, ut pugnent contra diabolum, peccatum, carnem et mundum, ac pugnando vincant et triumphent.

Christus dux et vexillifer Gentium.

13. DEUS AUTEM SPEI (scilicet auctor, cujus gratia factum est, ut in eum speretis, vide dicta vers. 5) REPLEAT VOS OMNI GAUDIO ET PACE IN CREDENDO, — ut nimirum in fide suscepta nullas contentiones cum fratribus habeatis, uti hactenus habuistis Judæi cum Gentibus ; sed perennem pacem, et concordiam mutuam colatis. Aut, *q. d.* Deus efficiat, ut credatis, id est ut cæpta credere, et in fide susceptæ sitis firmi et constantes, utque ex hac fide vestra gaudio et pace repleamini. Ita Maldonatus in *Notis manuscr.*

UT ABUNDETIS IN SPE ET VIRTUTE SPIRITUS SANCTI. — Græce ἐν δυνάμει, id est in *fortitudine* accepta a Spiritu Sancto, puta in gratia et donis Spiritus Sancti, quibus anima sit robusta et potens ad quodlibet bonum arduum et magnificum operandum.

14. CERTUS SUM AUTEM, — πέπεισμαι, persuasum habeo, confido in Domino, mihi certo persuadeo. Certitudo hæc ex affectu charitatis bene de suis sentientis, et ex rumore ac sermone hominum fide dignorum oriebatur.

CERTUS SUM ERGO DE VOBIS, QUONIAM (quod) ET IPSI PLENI ESTIS DILECTIONE, REPLETI OMNI SCIENTIA, ITA UT POSSITIS ALTERUTRUM MONERE. — Nota hic modestiam Apostoli, qua se mire insinuat Romanis, *q. d.* Ego vos, o Romani, hac epistola doceo et admoneo, non quasi ignaros, torpidos aut improbos, quique non possitis invicem monere : certus enim sum vos plenos esse dilectione et scientia; sed tantum, ut ostendam animi mei affectum erga vos, utque memoriam eorum quæ scitis vobis refricem, tanquam Apostolus vester, uti ipse se explicat vers. sequent. (1).

Modestia Apostoli.

Nota *secundo*, hæc duo in monitore requiri, scilicet *primo*, dilectionem, quæ inducat eum ad proximi salutem procurandam, et per quam monendum sibi conciliet, ut monita sua placide accipiat; unde pro *dilectione* græce est ἀγαθώσυνη, id est bonitas, sive benigna charitas. *Secundo*, scientiam, ut sciat monitor quid, quando, quomodo monere debeat. De quo pulchra et practica documenta dat S. Gregorius in *Pastorali*.

Monitoris dotes duæ. Primo, dilectio. Secundo, scientia.

15. AUDACIUS SCRIPSI VOBIS, FRATRES, EX PARTE, TANQUAM IN MEMORIAM VOS REDUCENS, PROPTER GRATIAM (apostolatum) QUÆ DATA EST MIHI A DEO. — Discant hinc Superiores subditis non superbe, sed humiliter imperare, scribere, monere, sicut Apostolus hic : « Scripsi, » inquit, hæc non docens, sed « in memoriam vos reducens, » ut officio et muneri, puta apostolatui meo, satisfaciam. Monitioni enim et correctioni magnam suavitatem, gratiam et efficaciam dat humilitas (2).

Vers. 15. Humilitas Apostoli in monendo.

16. UT SIM MINISTER CHRISTI JESU. — « Minister, » supple sacrorum, id est sacerdos : Græce enim non est διάκονος, sed λειτουργός, *q. d.* Sacerdos sum hoc ipso quod Apostolus.

Vers. 16.

SANCTIFICANS EVANGELIUM DEI, — id est, sacris operans prædicando Evangelium sanctum, et per quod Gentes sanctificantur. Græce enim est ἱερουργοῦντα (quo nomine Septuaginta reddunt Hebræum כוהן *cohen*, id est sacerdos sacrificans) τὸ εὐαγγέλιον, quod S. Augustinus vertit, *consecrans*

(1) « Et ipsi, » id est quamvis vestra, sine meo monitu, scil. spero vos fore (aut jam esse) benignitate plenos.

(2) *Ex parte* vel lenit *audacius*, *q. d.* Paulo audacius, liberius ; vel refertur ad *scripsi*, *q. d.* Paulus, *se* liberius scripsisse *in nonnullis epistolæ locis.*

Evangelium, id est Evangelii prædicationem. « Sanctificare » ergo hic, est sacrificare, sive sanctam victimam (puta Gentes fideles et sanctas per Evangelii prædicationem) facere, consecrare, offerre Deo. Sic *Joan.* XVII, 19, ait Christus : « Pro eis ego sanctifico meipsum, » id est meipsum in sanctam victimam in cruce consecro et offero pro ipsis. Adde, voce *sanctificans* significari hic Apostolus prædicationem Evangelii, quasi rem sacram, non ad sartores et laicos, sed ad presbyteros Deo consecratos pertinere.

Quid sanctificare, seu sanctificatio Evangelium ?

Prædicatio sanctificat laicos non vero.

UT FIAT OBLATIO GENTIUM ACCEPTA, ET SANCTIFICATA IN SPIRITU SANCTO, — *q. d.* Ad hoc sum Sacerdos mysticus, puta præco Evangelii, ut nimirum per meam prædicationem Gentiles placeant Deo et sanctificentur per Spiritum Sanctum, itaque quasi victima munda et acceptissima Deo offerantur et consecrentur, ait S. Augustinus, ipsique deinde opera sancta Deo quasi victimas offerant.

Nota : Ex Græco patet hic esse illustrem metaphoram, vel potius allegoriam, petitam ex victimarum immolatione. Est enim hic sacrificium, ipsa Gentium conversio, et oblatio Deo : victimæ sunt ipsæ Gentes converse et oblatæ Deo; sacerdos est Paulus et quivis præco Evangelii; consecratio est ipsa prædicatio Evangelii, qua Gentes convertuntur et Deo sanctificantur; ignis quo Deo incenduntur et comburuntur, est Spiritus Sanctus : ita S. Chrysostomus et Theophylactus.

Pulchra allegoria de conversione Gentium.

Simili ergo modo omnes qui convertunt animas, sunt Sacerdotes; labor docendi et concionandi est consecratio; victimæ præstantissimæ sunt ipsæ animæ; sacrificium est ipsa earumdem conversio. Vide hic qua puritate, religione et studio concionatores aliique similes tractare debeant suas conciones, suaque munia circa proximorum salutem obire, nimirum perinde ac si sacrificarent et sacris (uti re ipsa faciunt) operarentur.

Concionatores quomodo ano modo sint sacrificuli, debeant?

Nota *secundo* : Ex hoc loco hæretici contendunt non aliud in Ecclesia esse sacrificium, quam prædicationem Evangelii. Sed errant, quia nemo non videt hæc omnia esse metaphorica. Et simili metaphora, vers. 25, eleemosynam vocat Apostolus liturgiam; uti et II *Corinth.* IX, 12 in Græco. Sic et cap. XII, 1, corpora nostra vocavit « hostiam viventem. » Nam solam Eucharistiam esse sacrificium proprie dictum, patet I *Corinth.* X, 20 et 21; *Hebr.* VII, 17; *Hebr.* XIII, 10; *Act.* XIII, 2 in Græco.

Prædicationem Evangelii nuncupat non esse in Ecclesia sacrificium, sed ministerium sacrificii.

17. 17. HABEO IGITUR GLORIAM IN CHRISTO JESU AD DEUM, — *q. d.* Ex eo quod sim minister Christi atque sacerdos, et Apostolus Gentium, uti jam dixi, habeo unde glorier, non in me, sed « in Christo, » qui per me operatus est, et in dies operatur salutem Gentium; idque « ad Deum, » id est in iis rebus quæ ad Deum pertinent, puta in rebus salutis, quæ ad gratiam et gloriam divinam spectant. Hoc enim est Græce τὰ πρὸς τὸν θεόν.

18. NON AUDEO ALIQUID LOQUI EORUM, QUÆ PER ME NON EFFICIT CHRISTUS, IN (circa conversionem et) OBEDIENTIAM GENTIUM, — *q. d.* Habeo unde glorier, si cogitem et loquar, non falsa, sed vera, puta ea quæ vere per me efficit Christus, in tam mira et magnifica tot Gentium conversione. Est miosis. Ex modestia enim Paulus non dicit expresse se mira hæc efficere, sed id tantum ex contrario colligendum relinquit, dicens : « Non audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Christus; » inde enim recte a contrario sequitur : ergo quidquid loquor et glorior de iis quæ per me efficit Christus, idipsum vere loquor et glorior. In verbo *audeo*, respicit ad id quod dixit vers. 15 : « Audacius autem scripsi, » *q. d.* Audacius scripsi ob gratiam, quam vident omnes mihi datam a Deo : non enim audeo scribere et gloriari de meis viribus et gestis, quasi meis, uti faciunt vani et superbi.

19. IN VIRTUTE SPIRITUS SANCTI, — ἐν δυνάμει, hoc est, in potentia, robore, efficacia, puta in potenti et efficaci operatione Spiritus Sancti, quam explicat dum subdit :

ITA UT AB JERUSALEM USQUE AD ILLYRICUM (quæ nunc Sclavonia, vel Bosnia dicitur) REPLEVERIM (plene annuntiaverim ubique) EVANGELIUM CHRISTI. — Est Hebraica catachresis. Replere enim Evangelium est plene aliud prædicare. Ita Valablus. Potest *secundo*, « Evangelium » hic accipi pro prædicatione Evangelii, et « implere » pro perficere, *q. d.* Ut impleam et perficiam prædicationem Evangelii. Sic enim III *Reg.* I, 14, dicit Nathan ad Bethsabee : « Ego complebo, id est *perficiam*, sermones tuos; » sic sæpe alibi « implere » significat perficere.

Implere Evangelium quid? Primum explicatio, et genuina. Secunda.

Tertio, Toletus sic explicat, *q. d.* Ego Evangelium quasi rete implevi multitudine Gentilium quos converti, quasi piscibus. Hic sensus acutior est quam germanior : potius hac ratione per Hebræum hypallagen, « replere Evangelium » significaret, Evangelio replere provincias ab Jerusalem usque ad Illyricum. Sic enim Hebræi loquuntur : replere lapides vel gemmas in ephod, hoc est, ephod replere et ornare gemmis et lapidibus pretiosis, ut patet *Exodi* XXXIX, 10, et *Exodi* XXXI, 5 in Hebræo. Indeque Hebræi gemmas Rationalis vocant אבני מלאים *abne milluim*, id est lapides plenitudinum, ut patet Exod. XXV, 7 in Hebræo; quia, ut explicat Chaldæus, hæ gemmæ caelaturas ephod et Rationalis implebant, perinde ac smaragdus palam annuli implere solet. Pari enim hebraismo dici hic posset, Paulum Evangelium implevisse, hoc est, Evangelio quasi gemma pretiosissima implevisse et ornasse mentes hominum, omnesque provincias, quæ sunt quasi annuli, ephod et Rationale Christi. Atque hic sensus forte pluribus placebit videbiturque ad Hebræam phrasim maxime accedere.

Tertia.

Evangelium quasi gemmis implens et ornans mentes hominum.

Nota hic ingentem zelum et circuitum Apostoli : duos in hoc loco prædicationis suæ terminos sta-

Regiones ab Apostolo peragratæ.

Bene Evangelium hoc illustratum evenerat.

fuit, Jerusalem et Illyricum; medias omnes regiones, Arabiam, Damascum, Antiochiam, Seleuciam, Cyprum, Pamphyliam, Pisidiam, Lycaoniam, Syriam, Ciliciam, Phrygiam, Galatiam, Mysiam, Troadem, Achaiam, Epirum et alias, quasi fulmen, omnes fide Christi illustrans et charitate inflammans, paucis annis ipse pervasit.

20. SIC AUTEM PRÆDICAVI. — Οὕτω φιλοτιμούμενον, sic magno studio connisus sum et ambivi evangelizare. In Græco est hebraismus. Accusativus enim per antiptosin ponitur pro nominativo, scilicet φιλοτιμούμενος pro φιλοτιμούμενος; idque fit quia præcesserunt accusativi, ut nimirum cum illis hic quoque consentiat et concordet.

SICUT SCRIPTUM EST (*Isaiæ* LII, 15, ubi extat de vocatione Gentium prophetia, quam partim per Paulum impleri voluit Christus, partim per alios Apostolos : ait enim Isaias) : QUIBUS NON EST ANNUNTIATUM DE EO (puta Gentes Deum et Christum ignorantes), VIDEBUNT, — cognoscent eumdem.

22. IMPEDIEBAR PLURIMUM (τὰ πολλὰ, id est *pluries* : ita Syrus) VENIRE AD VOS.

23. ULTERIUS LOCUM NON HABENS IN HIS REGIONIBUS. — « Locum, » scilicet vacuum, cum in eis replevérim, ut dixi vers. 19, Evangelium, ubique fundatis Ecclesiis, ubique constitutis et ordinatis Episcopis et Presbyteris, qui mea cœpta perficiant.

Vers. 24. D. Paulum in Hispania prædicasse credit Ecclesia.

24. CUM IN HISPANIAM PROFICISCI COPPERO, SPERO QUOD PRÆTERIENS VIDEAM (videbo) vos. — Nota, plerosque omnes Patres docere Paulum, uti promisit hic, ita revera ivisse in Hispaniam, scilicet post liberationem ex primo carcere Romano sub Nerone, quæ contigit anno Christi 61, ubi Lucas finit Acta Pauli et Apostolorum. Postea enim octo annos supervixit Paulus : occisus enim est anno Neronis 14, Christi 69, licet gesta hisce octo annis nec Lucas, nec quis alius scripserit : ita docent S. Hippolytus, Athanasius, Cyrillus, Sophronius, Epiphanius, Chrysostomus, Theodoretus, Hieronymus, Gregorius, Isidorus, Beda, Ado, Metaphrastus, quos citat et sequitur Baronius anno Christi 61, et Pererius hic. Negat tamen idipsum S. Thomas ac D. Soto, et videntur favere Gelasius Papa, et Innocentius I, epist. *ad Decentium*; sed eos facile excusat Pererius. Astipulatur et Romanum Martyrologium, 23 septembris, dum ait : « Narbonæ in Gallia natalis S. Pauli Episcopi, quem tradunt fuisse Sergium Paulum Proconsulem, qui a Paulo Apostolo baptizatus, et, cum in Hispaniam pergeret, apud Narbonam relictus, ibidem episcopali dignitate donatus est : ubi prædicationis officio non segniter expleto, clarus miraculis migravit in cœlum. »

Audi quæ de Probo, Xantippe, Philotheo et aliis in Hispania a S. Paulo conversis, narrat ex Sophronio Joannes Vasseus in *Chron. Hispan.* : Sophronius, inquit, Patriarcha Hierosolymitanus, scribit Italias, Gallias et Hispanias transitu B. Pauli illustratas : qui cum in domo Probi, illustris cujusdam viri, hospitio susceptus in Hispania fuisset, et Xantippe, uxor ejusdem Probi, modestiam hospitis sedulius in eum intenta, admiraretur; divina voluntate factum est, ut, dum sic intenta vultui peregrini inhæreret, appareret ante frontem Pauli quasi litteris aureis scriptum : « Paulus Apostolus, prædicator Christi. » Quæ cum prænuntia fama multa de Apostolo audisset, et diu desiderasset vultum ejus videre, gaudio pariter resoluta et stupore, cum lacrymis corruit ad ejus pedes. Edocta autem mysteria Christi, cum viro et familia Christo regenerata est. Sed et traditur Philotheus, ejus regionis princeps, Paulo adhæsisse, factus Christi confessor. Quin et Menologia Græcorum S. Xantippes a Paulo in Hispania conversæ diem natalem consignant 25 septembris.

SI VOBIS PRIMUM EX PARTE FRUITUS FUERO. — Nota τὸ *ex parte*, q. d. Inexplebile habeo vestri desiderium, ut nunquam totum illud saturare possim, sed duntaxat ex parte; præsertim si tantum in transitu vos videam et salutem, uti destino : ita Theophylactus.

Nota *secundo* : Pro *fruitus fuero*, græce est ἐμπλησθῶ, id est expletus fuero, scilicet jucunditate honestæ delectationis, quam ex vestra præsentia et consuetudine capiam : hoc enim est frui. Sic enim fruitio distinguitur ab amore, qui abstrahit ab amati præsentia, et a desiderio, quod est rei absentis. Ita Theologi ex S. Augustino, lib. I *De Doctrina Christ.*, cap. XXXIII.

Fruitio quid?

25. PROFICISCAR IN JERUSALEM MINISTRARE SANCTIS, — ut Judæis Christianis in paupertate et necessitate constitutis deferam collectam eleemosynarum, quam pro eis feci in Macedonia et Achaia. Pro *ministrare*, græce est λειτουργῆσαι, quasi eleemosyna sit liturgia et sacrificium, ipsique eleemosynarii sint λειτουργοί, sive sacerdotes et sacrifici Dei : quia eleemosyna est generale quoddam sacrificium, Deoque gratissimum. Nam de ea dicit Dominus : « Misericordiam volo, non sacrificium. » Vide dicta vers. 16.

Vers. 25. Apostoli in agendis benefactis.

26. IN PAUPERES SANCTORUM, — hoc est, in pauperes sanctos, puta in pauperes Christianos. Sic Plinius «ovorum oblonga» dixit, pro ova oblonga.

Vers. 26.

27. SI SPIRITUALIUM EORUM PARTICIPES FACTI SUNT GENTILES, DEBENT ET IN CARNALIBUS (in temporalibus bonis) MINISTRARE ILLIS. — Nota : Spiritualia bona a Judæis acceperunt Gentiles, *primo*, quia Christum, Apostolos, fidem, etc., Gentes a Judæis, quibus hæc promissa et data sunt, acceperunt; *secundo*, quia per preces, obsequia et ministeria sua subserviebant Christiani, qui erant in Judæa, Apostolis et Evangelio apud Gentes.

Vers. 27. Spiritualia bona a Judæis in Gentes collata.

28. CUM ASSIGNAVERO EIS FRUCTUM HUNC. — Pro « assignavero, » græce est σφραγισάμενος, *obsignavero*, id est obsignatam a Gentilibus pecuniam fideliter tradidero, ne quis putet me inde quid usurpasse. Solent enim veteres annulis suis obsignare ea, quæ fideliter servata vel translata cupereot. Eo quam caute providet Paulus bona

Vers. 28.

Cautela Apostoli in tradendis pecuniis.

coram Deo et hominibus, in pio opere eleemosynæ.

Nota : *Fructum* vocat eleemosynam, quæ, ut ait Chrysostomus, fructus est et commodum, non tam accipienti, quam danti. Nam Christus inquit : « Beatius est dare quam accipere. » *Beatius*, quia liberalius, generosius, virtuosius et magis meritorium.

Apostolus tamen proprie eleemosynam hic vocat *fructum*, non dantium, sed accipientium eam, fructum scilicet spiritualium bonorum, quæ Judæi communicarant Gentibus, ut dixi vers. 27. Sicuti præcones fructum suæ prædicationis habent sustentationem et alimoniam.

Vers. 29. Benedictio Pauli quintuplex.

29. IN ABUNDANTIA BENEDICTIONIS EVANGELII CHRISTI VENIAM. — Ita lege cum Romanis et Græco. Per *benedictionem*, *primo*, Ambrosius accipit miracula; *secundo*, Theodoretus, pericula quæ passurus erat Paulus propter Evangelium; *tertio*, Theophylactus, eleemosynas quas Romæ erat collecturus pro Hierosolymitanis; *quarto*, Chrysostomus sic explicat, q. d. Scio cum veniam, inveniam vos plenos omnibus donis spiritualibus; *quinto* et optime, benedictio hæc est gratia et charismata Evangelii, q. d. Deus per meum adventum, prædicationem et conversationem copiosam vobis impertietur Evangelicorum mysteriorum cognitionem, amorem, consolationem, gratiam et fructum. Ita Origenes et Anselmus.

Adventus Apostoli Romanis erat beneficio Dei gratiæ.

30. OBSECRO VOS UT ADJUVETIS ME IN ORATIONIBUS VESTRIS AD DEUM. — Pro *adjuvetis me*, græce est συναγωνίσασθαί μοι, id est, *ut concertetis in agone mecum*. Præsagiebat Apostolus certamen quod postea habuit Hierosolymis, *Act.* XXI, 27, ubi captus fuit ab infidelibus Judæis, contra quos precibus certabat, et Romanorum, ut secum certent, preces sic implorat. Ita S. Chrysostomus.

Multo ergo magis licet invocare, sine ulla Dei injuria, opem Sanctorum in cœlis cum Christo regnantium. Si enim Paulus hic sine injuria Dei, id est honoris, invocationis et adorationis Dei petit : O Romani, orate pro me; cur sim Deo injurius, si dicam : S. Petre, ora pro me?

31. OBSEQUII MEI (ministerii eleemosynarum, quas defero Christianis pauperibus in Judæa degentibus) OBLATIO ACCEPTA FIAT IN JERUSALEM SANCTIS. — *q. d.* Orate pro me, non tantum ad hoc, ut eleemosyna quam perfero, secure ad Hierosolymitanorum manus perveniat; sed etiam ad hoc, ut grata sit illis et hilariter accepta, neve propter me displiceat, aut minus arrideat. Erat enim Paulus Judæo-Christianis suspectus, quasi hostis judaismi et Gentium patronus.

32. UT REFRIGERER VOBISCUM. — *q. d.* Ut refociller et ex tot laboribus recreer videns vestrum profectum in Evangelio, et vos pariter recreemini videntes me, de quo multa inaudistis.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Totum caput continet salutationes. Unde colligas humanitatem Pauli, benevolentiam et charitatem maternam erga singulos. Discant hic præcones, imo Christiani omnes, illud : Saluta libenter, resaluta libentius.

Interim secundo, vers. 17, *jubet ut caveant eos qui faciunt dissensiones et offendicula.*

Tertio, vers. 25, *Deo, qui omnes Gentes per Christum vocavit ad Evangelium et salutem, optat et tribuit honorem et gloriam æternam.*

1. Commendo autem vobis Phœben sororem nostram, quæ est in ministerio Ecclesiæ, quæ est in Cenchris : 2. ut eam suscipiatis in Domino digne sanctis, et assistatis ei in quocumque negotio vestri indiguerit : etenim ipsa quoque astitit multis, et mihi ipsi. 3. Salutate Priscam et Aquilam, adjutores meos in Christo Jesu 4. (qui pro anima mea suas cervices supposuerunt : quibus non solus ego gratias ago, sed et cunctæ Ecclesiæ Gentium); 5. et domesticam ecclesiam eorum. Salutate Epænetum dilectum mihi, qui est primitivus Asiæ in Christo. 6. Salutate Mariam, quæ multum laboravit in vobis. 7. Salutate Andronicum et Juniam, cognatos et concaptivos meos : qui sunt nobiles in Apostolis, qui et ante me fuerunt in Christo. 8. Salutate Ampliatum dilectissimum mihi in Domino. 9. Salutate Urbanum, adjutorem nostrum in Christo Jesu, et Stachyn dilectum meum. 10. Salutate Apellen probum in Christo. 11. Salutate eos qui sunt ex Aristoboli domo. Salutate Herodionem cognatum meum; salutate eos qui sunt ex Narcissi domo, qui sunt in Domino. 12. Salutate Tryphænam et Tryphosam, quæ laborant in Domino. Salutate Persidem

charissimam, quæ multum laboravit in Domino. 13. Salutate Rufum electum in Domino, et matrem ejus, et meam. 14. Salutate Asyncritum, Phlegontem, Hermam, Patrobam, Hermen, et qui cum eis sunt fratres. 15. Salutate Philologum et Juliam, Nereum et sororem ejus, et Olympiadem et omnes qui cum eis sunt, sanctos. 16. Salutate invicem in osculo sancto. Salutant vos omnes Ecclesiæ Christi. 17. Rogo autem vos, fratres, ut observetis eos, qui dissensiones et offendicula præter doctrinam quam vos didicistis, faciunt, et declinate ab illis. 18. Hujuscemodi enim Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri : et per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium. 19. Vestra enim obedientia in omnem locum divulgata est. Gaudeo igitur in vobis. Sed volo vos sapientes esse in bono et simplices in malo. 20. Deus autem pacis conteret Satanam sub pedibus vestris velociter. Gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum. 21. Salutat vos Timotheus adjutor meus, et Lucius, et Jason et Sosipater cognati mei. 22. Saluto vos ego Tertius, qui scripsi epistolam, in Domino. 23. Salutat vos Caius hospes meus, et universa Ecclesia. Salutat vos Erastus, arcarius civitatis, et Quartus, frater. 24. Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis. Amen. 25. Ei autem qui potens est vos confirmare juxta Evangelium meum, et prædicationem Jesu Christi, secundum revelationem mysterii temporibus æternis taciti, 26. (quod nunc patefactum est per Scripturas Prophetarum secundum præceptum æterni Dei, ad obeditionem fidei) in cunctis Gentibus cogniti, 27. soli sapienti Deo, per Jesum Christum, cui honos et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

1. COMMENDO VOBIS PHŒBEN SOROREM NOSTRAM, QUÆ EST IN MINISTERIO ECCLESIÆ, QUE EST IN CENCHRIS. — Nota : Paulus vocat Phœben « sororem, » ob cognationem, non carnis, sed fidei et religionis. Sicut enim omnes viri Christiani vocabantur fratres, ita omnes feminæ Christianæ vocabantur sorores. Male ergo quidam recentiores « sororem » interpretantur uxorem Pauli, eum qua, inquiunt, vivebat jam cœlebs. Nam Paulus ipse innuptis se annumerat I *Corinth.* VII, 8. Phœbe hæc, ut hinc patet, Corintho profecta fuit Romam, atque adeo latrix fuit hujus epistolæ ad Romanos, ut habent Græca, Syra et Latina Complut. in fine epistolæ.

Nota *secundo* : Fuit hæc Phœbe « in ministerio Ecclesiæ, » græce διάκονος, id est, ut explicant S. Chrysostomus et Origenes, *diaconissa*. Quænam fuerint olim diaconissæ, dicam I *Timoth.* V, 9 (1).

Nota *tertio* : Cenchri erat portus et pagus Corinthi. Ita Origenes. Ergo etiam in pagis jam tum Christi fides erat pervulgata et celebris.

2. UT EAM SUSCIPIATIS IN DOMINO. — Dominî nomine et amore, propter Dominum, vel in Domini gratia et charitate Christiana. Vide *Can.* 25. Unde subdit Paulus :

DIGNE SANCTIS, — scilicet, uti decet Christianos excipere Christianos, qui quasi sancti recipi debent. Ita S. Chrysostomus.

IPSA QUOQUE ASTITIT MULTIS. — Προστάτις ἐγενήθη, id est *assistrix fuit*, quod Eustathius et Græci nonnulli exponunt πρόξενος, id est præfecta hospitum fuit. Videtur ergo hæc Phœbe fuisse ex illis, de quibus I *Timoth.* V, 10, dicitur : « Si hospitio recepit, si pedes sanctorum lavit, » etc.

(1) Vide et Bingham., *Origin. Eccles.* II, 22.

3. SALUTATE PRISCAM ET AQUILAM, — Judæos sed nopegos, qui nuper Roma a Claudio ejecti, sed jam eo reversi erant, ut hic docet Apostolus. Vide *Actor.* XVIII, 2 (2). Vers. 3. Prisc. Aquil.

4. QUI PRO ANIMA MEA SUAS CERVICES SUPPOSUERUNT, — *q. d.* Qui pro vita mea tuenda suam objecerunt periculo, vel in illa seditione Ephesi per Demetrium excitata, de qua *Actor.* XIX, 24; vel in Corinthiaca, de qua *Actor.* XVIII, 12; vel in alia simili. Vers. 4.

5. ET DOMESTICAM ECCLESIAM (familiam Christianam) EORUM (3). Vers. 5.

SALUTATE EPÆNETUM, QUI EST PRIMITIVUS ASIÆ. — Ita Biblia Romana : nam Syrus et Græca jam habent *Achaiæ*, pro *Asiæ*, *q. d.* Salutate Epænetum, qui primus in Asia ad fidem Christi est conversus. Unde Græca habent, ὅς ἐστιν ἀπαρχὴ τῆς Ἀχαΐας, qui est primitiæ Achaiæ. Ita Chrysostomus et Theodoretus. Epæn.

7. ANDRONICUM ET JUNIAM, COGNATOS MEOS, — gentiles meos, qui scilicet mecum ejusdem sunt gentis, puta sunt Judæi. Sic enim Paulus cap. IX, vers. 3, omnes Judæos vocat suos « cognatos. » Vers. 7. Andron. Junias.

QUI SUNT NOBILES IN APOSTOLIS. — *q. d.* Qui inter Apostolos et doctores sunt insignes et illustres. Ita S. Chrysostomus et Theodoretus. Non enim soli illi duodecim vocati a Christo, sed et Paulus, Silas, Barnabas aliique similes apud Ethnicos et infideles evangelizantes, fuerunt et etiam

(2) Prisca hæc eadem est, quæ in *Actis*, XVIII, 2, Priscilla dicitur. Sic Livilla, Secundilla, Tertulla, pro Livia Secunda, Tertia.

(3) Id est, ceterum, qui in eorum ædibus conveniebant. Nam in ædibus privatis tum Christiani convenire solebant.

num sunt Apostoli. De personis et sanctis hisce vide Baronium, in *Annalibus* et in *Martyrologio*.

QUI ET ANTE ME FUERUNT IN CHRISTO. — In fide Christi, *q. d.* Qui ante me crediderunt, et Christiani fuerunt.

Vers. 10. Apellen. 10. SALUTATE APELLEN PROBUM (græce δόκιμον, *probatum*) IN CHRISTO, — hoc est *christianismo*. Vide *Can.* 37.

Vers. 11. 11. SALUTATE EOS QUI SUNT EX NARCISSI DOMO, QUI SUNT IN DOMINO, — qui sunt in Domini nostri Jesu Christi fide et Ecclesia, *q. d.* Salutate ex Narcissi domo omnes qui credunt Christo. Unde videntur in eadem domo aliqui fuisse infideles, quos salutari non jubet.

Vers. 14. Hermam. 14. HERMAM. — Hic Hermas auctor est libri, qui inscribitur *Pastor*, eo quod in ipso angelus pastor, protector et custos ipsius Hermæ, qui et angelus pœnitentiæ ipsius dicitur, inducatur duodecim præcepta vitæ bene agendæ præscribens : qui liber apud veteres magnæ fuit auctoritatis.

Vers. 16. 16. SALUTATE INVICEM IN OSCULO SANCTO, — non Gentili, sed « sancto, » id est Christiano, religioso, honesto, modesto, casto, sincero, fraterno, de quo plura dicam II *Corinth.* XIII, 12.

Cur S. Paulus non salutet hic S. Petrum? Quæres, cur S. Petrum non salutet hic Paulus? An quia Romæ Petrus nunquam fuit, ut ex hoc loco contendunt Novantes? Respondeo : Minime; sed causa est, vel quod ad Petrum peculiares litteras dederit Paulus, vel quod Petrus, utpote Judæus, ante aliquot annos Roma pulsus a Claudio Imperatore, etiamnum abesset; discurrebat enim ad alias in Italia, Hispania, Africa et Britannia Ecclesias fundandas et juvandas, ut tradit et docet Innocentius I, epist. *ad Decentium*, et ex ea Baronius, Bellarminus et alii. Nam alioqui Priscilla et Aquila, aliique Judæi, quos hic salutat, Romam redierant, edicto Claudii jam obliterato vel revocato, aut certe illo stante furtim et clanculum irrepentes.

Regiones ab Petro peregrinatæ, cum Roma nondum esset.

SALUTANT VOS OMNES ECCLESIÆ CHRISTI. — Non quod ab eis salutandi Romanos accepisset Paulus mandatum, longe enim aberant; sed quia earum charitatem et affectum noverat, quo Romanos salvere et prospere agere cupiebant; et quia ipse erat caput omnium Ecclesiarum, omnes Ecclesias repræsentans, sicut rex regnum. Sicut ergo regnum per regem loquitur et salutat, ita et Ecclesiæ per Paulum; ut quod ipse facit, Ecclesiæ censeantur fecisse.

Sic I *Corinth.* cap. ult., vers. 19, dicit Paulus : « Salutant vos Ecclesiæ Asiæ. » Sic quoque vulgo si vere amicis et familiaribus scribimus : Salutat te ille vel iste familiaris tuus, et meus, etiamsi nobis nil tale dixerit, quia novimus ejus mentem, qua alium salvere et bene agere desiderat. Hæc enim mens est hominum invicem scribentium, hic usus communis, verus et mendacii expers.

17. ROGO UT OBSERVETIS EOS, QUI DISSENSIONES PRÆTER (id est *contra*, ut vertit Erasmus) DOCTRINAM, QUAM VOS DIDICISTIS, FACIUNT. — Sic *Galat.* I, 8, dicit Apostolus anathema iis qui aliud evangelizant, præter, id est *contra* id, quod evangelizatum est.

18. HUJUSCEMODI PER DULCES SERMONES ET BENEDICTIONES (hoc est adulationes, assentationes, inquit Theophylactus) SEDUCUNT CORDA INNOCENTIUM. — Per « dulces sermones; » græce διὰ τῆς χρηστολογίας. Ubi nota : a Græco χρηστὸς, id est utilis vel commodus, Gentilibus vocabantur *Chresti*, homines utiles vel benefici. Unde Lucianus in *Philopatre* : « Pauci, inquit, chresti, id est *frugi*, sunt, quemadmodum ubique video. » Contra vero « chrestologi » dicebantur, qui cum bene loquerentur, male tamen agebant; qua de causa Pertinacem Imperatorem Chrestologum esse appellatum, auctor est Julius Capitolinus. Tales chrestologos Apostolus hic vocat hæreticos et pseudodoctores, eorumque chrestologiam, id est blandiloquentiam, cavendam esse monet.

19. VESTRA OBEDIENTIA (qua prompte et perfecte Evangelio credidistis) IN OMNEM LOCUM DIVULGATA EST. — *q. d.* Ergo, o Romani, uti cœpistis, ita pergite tueri hanc fidem et obedientiam. Vide dicta cap. I, vers. 8.

VOLO VOS SAPIENTES ESSE IN BONO, ET SIMPLICES IN MALO. — « Sapientes, » id est prudentes et cautos, ne a bono quod accepistis, illorum seductorum dulcibus et blandis persuasionibus excidatis. Ad malum autem « simplices, » id est rudes, quasi nescientes male agere, qui nullam nocendi artem teneatis.

Nota : « Simplex » græce dicitur ἀκέραιος, quod deducitur a κέρας, et « privativo, *q. d.* Sine cornu, placidus, innocens; vel ἀπὸ τοῦ κεράννυμι, id est *miscere*, et « privativo, *q. d.* Immixtus, purus, sincerus, et exinde metaphorice, simplex, qui non novit adulterare, miscere, corrumpere, vitiare. Sic *Matth.* X, 16, jubet Christus, ut simus ἀκέραιοι ὡς περιστεραί, simplices sicut columbæ.

20. DEUS PACIS (amator et auctor) CONTERAT SATANAM (qui magister est omnium dissensionum) SUB PEDIBUS VESTRIS VELOCITER. — *q. d.* Deus conterat cito dissensiones vestras cum suo principe. Ita S. Chrysostomus et Theodoretus.

Secundo, Origenes : « Deus conterat Satanam, » hoc est, inquit, omnem spiritum qui adversatur credentibus, quique per suos ministros, quasi serpens insidiatur calcaneo vestro et vos ad defectionem a fide sollicitat. Alludit ad *Genes.* III, 15 : « Ipsa (vel, ut directe habent Hebræa, NVT *hu*, id est ipsum semen, sive proles mulieris, puta Christus) conteret caput tuum. »

Tertio, proprie *Satan*, id est diabolus, conteri, hoc est dejici, calcari ac vinci hic dicitur, cum ejus populus, scilicet idololatræ et infideles, maxime reges et principes qui Evangelio adversantur, dejiciuntur. Orat ergo hic Paulus, ut populus Christianus his omnibus fiat potentior, ut pro Imperatoribus et principibus idololatris Christiani surrogentur, ubique Deus pacis persecutores Ecclesiæ convertat, eosque illi subjiciat. Ita Anselm.

mus. Sic inter alios S. Sempronius martyr productus ad Martis simulacrum, jussusque illud adorare, dixit : « Conterat te Dominus Jesus Christus Filius Dei vivi, » ac mox simulacrum ipsum sensim liquefactum defluxit : ut habent acta S. Nemesii martyris.

Hic sensus accommodus et illustris est : primus tamen sensus quem dedi, magis respondet præcedentibus, puta versui 17 et seq.

22. SALUTO VOS EGO TERTIUS, QUI SCRIPSI EPISTOLAM, IN DOMINO.—Hoc est, propter Dominum, aut potius, *q. d.* Salutem, quæ a Christo Domino est et proficiscitur, vobis precor.

Nota : Pro « Tertius, » aliqui legunt « Terentius, » sed perperam. « Tertius » ergo hic nomen est proprium scribæ, qui dictante Paulo epistolam scripsit. Estque hæc ejus sententia Scriptura sacra, uti reliqua epistola, quia illam ipsam vel Paulo, ut videtur, vel Spiritu Sancto dictante scripsit Tertius. Hunc factum esse Episcopum Iconii Diodorus Tarsensis hic, et Dorotheus in *Synopsi* testantur, ubi et martyrio coronatus est 21 junii, ut habent Martyrologia. De hoc Tertio ita ex Diodoro Tarsensi scribit Sixtus Senensis lib. II, in *Tertio* : « Tertius, inquit, Iconii Episcopus, Pauli discipulus et amanuensis, scripsit dictante Apostolo eam, quæ est ad Romanos epistolam; in cujus fine salutationem quoque suam apponens sit : Saluto vos ego Tertius, qui scripsi epistolam hanc, in Domino. Is cum esset parum sermone peritus, nec satis in scribendo exercitatus, epistolam, quæ propter multitudinem ac sublimitatem quæstionum, cæteris Pauli epistolis obscurior est, longe reddidit obscurissimam, dum sensus et cogitationes Pauli elocutionibus interdum confusis et inabsolutis sententiis, ac transposita nonnunquam ordinis serie conatus est explicare. Diodorus Tarsensis Episcopus, in *Expositione epistolæ ad Romanos*, hujus rei testis est. Theodolus, Cœlesyriæ presbyter, in *Expositione epistolæ ad Romanos*, pro Tertio, Terentium legit. »

23. SALUTAT VOS CAIUS, HOSPES MEUS. — Ad hunc Caium scripsit S. Joannes tertiam suam epistolam Catholicam, in qua eum ab hospitalitate et misericordia in pauperes dilaudat.

ET UNIVERSA ECCLESIA, — scilicet quæ est Corinthi, unde hanc epistolam scripsit Paulus. Videtur ergo ex hoc loco, Caii domus fuisse ecclesia, sive locus ad quem ad synaxes congregabantur Christiani, qui erant Corinthi. Unde Ambrosius, Syrus et Græca legunt, τῆς ἐκκλησίας ὅλης, *q. d.* Caius est hospes non tantum meus, sed etiam universæ Ecclesiæ Corinthiacæ.

ERASTUS, ARCARIUS, (græce οἰκονόμος, id est *quæstor*) CIVITATIS, — Corinthi, ut dixi, cui nimirum commissa erat cura publici ærarii.

24. GRATIA DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI CUM OMNIBUS VOBIS. AMEN. — Nota : Apostolus passim epistolis suis et præmittit et subjungit appreca-

tionem gratiæ, ut doceat nil ita Christiano in votis esse debere, ac Dei gratiam gratisque augmentum, qua scilicet non hominibus, sed Deo grati simus, ac placeamus : sic enim ad omnia virtutum opera validi ac potentes efficimur, degimusque in perpetua pace ac lætitia. Sicut enim famulus qui regi servit, apud quem gratiosus est, nihil tristitiæ sentit, quidquid inimicitiæ vel adversitatis aliunde occurrat; ita nos nihil mœroris sentiemus, sive amici aliique nos deserant et infestent, sive pericula et tribulationes ingruant, si in Dei gratia simus, si Deus nos gratia sua roboret et confirmet. Gratia Dei quæ sit.

Sic insuper, inquit S. Chrysostomus, hom. 10 in epist. II *ad Timoth.* in morali : « Si in gratia Dei sis, terribilis eris non tantum hominibus, sed et dæmonibus. Tales fuere Apostoli, qui, calcatis divitiis, Domini sui imperio sunt potiti. Ille, aiebant, morbo liberetur, ille dæmonibus : illum liga, hunc solve. In terris fiebant ista, sed e cœlis proficiscebantur. » Et rationem subdit dicens : « Hic enim honor redundat in Dominum. Quo enim potentior est famulus, eo majori admirationi est dominus. » Addit deinde Chrysostomus, nos omni vi et violentia nobis et concupiscentiis illata, ad hanc gratiam assequendam conniti debere. Virtus gratiæ Dei.

25. ET QUI POTENS EST VOS CONFIRMARE JUXTA EVANGELIUM MEUM (supple, sit honor et gloria, ut patebit vers. ult. in fine) ET PRÆDICATIONEM JESU CHRISTI (de Jesu Christo Salvatore) SECUNDUM REVELATIONEM MYSTERII, — *q. d.* Prædicatio Evangelii Christi non est prædicatio veritatis et rei humano lumine cognitæ, sed est prædicatio rei cognitæ per revelationem divinam : nimirum est prædicatio magni illius mysterii, quod tota hac epistola tractatum est, scilicet omnes omnino homines, etiam Gentiles et paganos, justificari ex fide Christi, idque gratis et sine ullis cujuspiam meritis. Mysterium hoc quod tota hac epistola tractatum.

TEMPORIBUS ÆTERNIS. — Nota, nec mundum, nec tempus esse ab æterno, uti voluit Plato. Dicuntur ergo tempora æterna, non secundum rem, sed secundum imaginationem, quæ scilicet fingimus ante mundum æternitati coextitisse. Ita Anselmus, *q. d.* Paulus : Non est recens inventum Evangelii; sed ab æterno semper fuit ipsum Evangelium in secreto divinitatis consilio, menteque divina tacitum et occultum, et nunquam hactenus in mundo propalatum aut prædicatum. Unde subdit :

26. QUOD (scilicet mysterium jam dictum : Græcum enim φανερωθέντος referri debet ad μυστηρίου) NUNC PATEFACTUM EST (declaratum et demonstratum est) PER SCRIPTURAS PROPHETARUM (qui Christum, Christique Evangelium prædixerunt), SECUNDUM PRÆCEPTUM ÆTERNI DEI, AD OBEDITIONEM FIDEI, — ut nimirum omnes Gentes Evangelium fidemque Christi audiant, illique credant et obediant.

IN CUNCTIS (quibusvis sine discrimine) GENTIBUS COGNITI, — scilicet mysterii : eo enim τὸ *cognitii* referri patet ex Græco et ex parenthesi Romana, quæ omnia a τὸ *quod nunc patefactum est*, hucusque duobus semicirculis includit. Græcizat ergo hic noster Interpres; cum alioqui clare, uti coperat, dicere debuisset : « Mysterii, quod nunc patefactum est et in cunctis Gentibus cognitum; » vel, ut Græce est, φανερωθέντος, id est notificatum et manifestatum est.

27. SOLI SAPIENTI DEO PER JESUM CHRISTUM. — Hæc refert ad « ei qui potens est, » vers. 25, *q. d.* Soli sapienti et potenti Deo per Christum et Christianam religionem omnis sit honor et gloria sempiterna.

Nota : Gloria sit « soli, » non Patri, ut Ariani; sed « Deo, » id est SS. Trinitati, cui per Christum hominem omnis honor defertur. Ita S. Augustinus, lib. III *Contra Maxim.*, cap. XIII. Nam Christus Deus et homo cum sit, ut Deus honorem recipit cum Patre et Spiritu Sancto; ut homo vero illum defert. Detulit autem, cum prædicavit in mundo SS. Trinitatem, et jussit baptizari in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti omnes gentes.

Sapientia solius Dei est.

Nota *secundo* : Vox « sapienti » innuit, per nullam hominum sapientiam hominem potuisse viam salutis agnoscere : quia solus Deus a seipso, et per essentiam sapiens est, qui eam per fidem nobis manifestavit. Hinc solus sapiens dicitur : respicit enim Paulus ad mysterium, de quo dixit vers. 25. Ita Anselmus. Vide *Baruch*, cap. III, vers. 32 et 37.

CUI HONOR ET GLORIA IN SÆCULA SÆCULORUM. AMEN. — Is cui hebraismo redundat. Ita S. Augustinus. Hebræi enim repetunt relativum cum antecedente. Unde Græca et Syrus non habent τῷ *sui*. Sic ergo hæc omnia ordinanda sunt : Ei qui potens est vos confirmare, videlicet soli sapienti Deo, sit honor et gloria. Amen.

Vide S. Chrysostomum hic in morali, hom. ult., pulchre et pathetice ostendentem quantum S. Paulus suo zelo, labore et fervore honorarit et glorificarit Deum.

O Rex sæculorum, o revelator mysterii temporibus æternis taciti, o æterne Deus, immortalis et invisibilis, o qui habitas in celsis montibus ÆTERNITATIS! qui ex alto despicis arcta vitæ nostræ, omniumque temporum sub te labentium spatia; tibi honor, tibi gloria in sæcula sæculorum! Tu nobis beatæ ÆTERNITATIS aditum, devicta morte, reserasti : fac nos semper ejus memores ita sobrie, juste et pie vivere, ut ejus participes efficiamur; da nobis ita sancte et heroice hoc vitæ momentum transigere, ut in sæcula sæculorum te frui, te laudare, te cum omnibus Angelis et Sanctis celebrare mereamur, o vera charitas, o chara ÆTERNITAS! Deus meus et omnia. Amen (1).

(1) In Græco additur subscriptio hæc : Πρὸς Ῥωμαίους ἐγράφη ἀπὸ Κορίνθου διὰ Φοίβης, τῆς διακόνου, τῆς ἐν Κεγχρεαῖς ἐκκλησίας. Sed certum et exploratum est subscriptiones additas esse ab incertis auctoribus, qui ex certis historiis παρατάσεων collegerunt, ubi epistola quædam scripta, per quem missa, quo tempore exarata sit. Auctor subscriptionis epistolæ *ad Rom.* sic videtur argumentatus esse : Paulus, cap. XV, 26, scripsit Macedonas et Achæos collegisse pecunias in usum pauperum Christianorum Hierosolymitanorum; in Achaia autem fuit Corinthus; ergo epistola scripta est *Corinthi*. Hoc vero non sequi, nemo non videt. Porro, cap. XVI, 1, Paulus commendat Romanis Phœben, diaconissam Cenchreensem; ergo epistola *per eam scripta est*, quum tamen Tertius eam scripsisse dicatur vers. 22. Res itaque manet incerta. Consentiunt tacite Origenes, Theodoretus, Euthalius, et nunc plerique statuunt, Corinthi hanc epistolam esse scriptam; et quidem anno 55, ait Sepp.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

COMMENTARIUS

IN PRIMAM EPISTOLAM (1)

AD CORINTHIOS.

ARGUMENTUM.

Achaia sive Peloponnesus, quæ nunc vulgo Morea dicitur, olim celebres habuit urbes; harum metropolis et nobile emporium erat Corinthus, inquit Chrysostomus, duobus inclyta portubus, quorum Lechæum Ionio, Schonus Ægeo imminet mari. Unde a duplici hoc mari Poetæ « Corinthum bimarem » vocarunt, ut Ovidius, lib. IV *Fastor.* :

Adriacumque patens late, bimarenique Corinthum.

Fertur autem Corinthus primo a Sisypho latrone, Æoli filio, condita fuisse, et Corcyra nominata, auctore Strabone, lib. VIII *Geogr.*, postea Ephyre; deinde eversa, et instaurata a Corintho Marathonis, seu Pelopis (ut Suidæ placet), sive (ut alii malunt) Orestis filio, Corinthus appellata. Hanc urbem Cicero, *pro lege Manilia*, Græciæ totius lumen appellat. Eo enim potentiæ propter situs opportunitatem pervenit, ut vix Romanæ urbi concederet.

Abundabat ergo Corinthus opibus, mercibus et metallis, ac præsertim ære, fuitque æs Corinthiacum celeberrimum et laudatissimum; adeo ut Plinius, lib. IV, cap. II, tradat illud auro et argento æquiparari. Ex hac opulentia manavit Corinthiorum fastus, ingluvies, luxus, libido, magnificentia, ut ea ablerit in proverbium : « Non cuivis homini contingit adire Corinthum. » Ubi Demosthenes mulierculæ, pro horario usu corporis, deposcenti octona auri talenta, respondit : « Ego tanti pœnitere non emo. » Hac de causa in hac eorum vitia subinde, ac præsertim cap. VI, invehitur Apostolus.

Rursum *secundo*, Corinthi erat Oratorum et Philosophorum frequentia; inter quos fuit Periander, unus e septem Græciæ sapientibus. Adiit ergo Paulus Corinthum, ut in urbe tam frequenti et celebri disseminaret Evangelium, in eaque annum et sex menses evangelizavit, ac multos ad Christum convertit, confirmante eum Domino, qui ei per visionem Corinthi apparens : « Noli, inquit, timere, sed loquere, et ne taceas, propter quod ego sum tecum, et nemo apponetur tibi ut nocet te, quoniam populus est mihi multus in hac civitate, » *Actor.* XVIII, 9. Hac Pauli prædicatione Corinthi Christiani mire profecerunt, adeo ut eorum sapientiam, prophetiam, aliasque eis a Deo datas gratias cap. I, 5; XIV, 26, et alibi celebret ipse Paulus. Fruit apud eos prædicatio.

Hinc *tertio*, inter Corinthios orta est superbia, ambitio, et contentiones, præsertim postquam Apollo, vir eloquens et potens in Scripturis, supervenit Corinthum, *Act.* XVIII, 27; tunc enim nonnulli hunc Apollo prætulerunt Paulo, quasi in sermone minus eleganti et eloquenti; indeque orta sunt schismata, uno jactante et dicente : « Ego sum Pauli; » altero : « Ego sum Apollo, » etc. Paulus ergo hanc ad eos scribit epistolam, in qua statim per quatuor prima capita eos ab humanæ sapientiæ et eloquentiæ fastu, atque inani magistrorum suorum Pauli vel Apollo venditatione, ad humilitatem crucis, ad Christi fidem et doctrinam abducit. Corinthiorum ambitio, contentiones et schismata.

Quarto, scripserant Corinthii ad Paulum varia dubia proponentes, ut patet cap. VII, vers. 1, quæ ipse hac epistola resolvit : unde postquam primis quatuor capitibus, eorum schismata et vanæ sapientiæ ambitionem retudisset; deinde, cap. V, jussisset excommunicari et vitari incestuosum, ac cap. VI, litigia eorum coram judice infideli, atque fornicationem insectatus fuisset; cap. VII, primum eorum dubium de matrimonio et virginitate enodat, docetque quæ sint jura matrimonii Christiani, eique opponit et anteponit consilium Evangelicum virginitatis et cælibatus. Mox cap. VIII et X, dubium secundum eorum de idolothytorum esu aggreditur, asseritque illum in se licitum esse, sed cavendum, ubi est scandalum infirmorum. Deinde cap. IX, ut ostendat, quam idolothytorum scandala sint cavenda, asseverat se ob ædificationem proximorum, abstinuisse stipendio sustentationis, sibi evangelizanti debito, ac labore manuum victum sibi comparasse. Inde cap. XI, tertium Corinthiorum dubium, de mulierum velatione, et quartum de cœna Eucharistica ejusque agape resolvit. Mox cap. XII, disputat de gratiis gratis datis, easque varie variis a Spiritu Sancto distribui docet. Cap. XIII, demonstrat inter Dei dona et gratias excellere charitatem. Cap. XIV, quinto Corinthiorum dubio, An donum linguarum præstet prophetiæ? negative respondet. Cap. XV, sextum dubium eorum resolvit, probando multis resurrectionem, ejusque modum et ordinem docendo. Cap. XVI, jubet fieri collectam eleemosynarum pro pauperibus Hierosolymitanis; ac denique salutationibus claudit epistolam. Paulus hac epistola Corinthiorum scismata compescit, dubia resolvit.

Quando et ubi scripta hæc epistola?

Nota *quinto* : Scripta est tam hæc prima, quam secunda ad Corinthios, ante epistolam ad Romanos; nam, ut notat Chrysostomus, Apostolus, I *Corinth.* XVI, 2, Corinthios ad collectam, qua sublevent famem pauperum Hierosolymitanorum, adhortatur, quam *Rom.* XV, 25 et 26, jam factam esse docet. Rursum scriptam esse hanc epistolam Philippis, et missam per Timotheum habent Græca, Syra et Regia Latina, in fine epistolæ; sed videtur potius ex cap. XVI, vers. 8 et aliis Ephesi scripta (*Actor.* XIX, 1) anno Christi 57. Ita Baronius, Œcumenius (1) et alii.

(1) Juxta hodiernos multos, non duas, sed tres epistolas ad Corinthios scripsit Paulus : ea quæ in tabulis *prima* inscribitur, revera *secunda* est; prima autem, nono præcedente, scil. 53, ait Sepp, scripta, nunc est deperdita. Præcipuum autem argumentum petunt e I Cor. V, 9-11. Ita Michaelis, Rosenmullerus, Sepp, op. cit. tom. II, p. 336; conf. D. Glaire, op. tom. VI, p. 69.

(1) De occasione hujus epistolæ egregie disputat Sepp, op. cit. ibid., eamque scriptam dicit ann. 54 ineunte, ita ut in proximum Pascha Corinthum perveniret. Cf. Chronicon quod præfixi *Actis Apostol.*

De stylo et elocutione, vide D. Glaire, ibid. p. 74; hæc vero tradit Rosenmullerus : « In Epistolis Pauli ad *Cor.* frequentior quam in cæteris ejusdem epistolis, et tantum non continuus est respectus ad historicas expositiones, quarum cognitio primis quidem lectoribus, in re præsenti versantibus, obvia fuerat, nobis vero ex ipsis demum Apostoli litteris, et maximam partem obscuris indiciis repetenda est; quæ harum epistolarum propria difficultas. Multa in hanc rem utiliter collegit et accurate disputavit Storrius, in peculiari Commentatione, cui titulus : *Notitiæ historicæ Epistolarum Pauli ad Cor. interpretationi inservientes*, Tubingæ. »

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Agit gratias Deo, pro gratia Corinthiis data, spondetque quod Deus in ea illos confirmabit. Deinde, vers. 10, *insectatur eorum schisma, quo hic dicebat* : Ego sum Pauli ; *ille* : Ego sum Apollo ; *cum omnes sint Christi.*

Tertio, vers. 17, *radicem schismatis succidit, dum docet non debere Corinthios spectare eloquentiam Apollo, vel ulterius prædicatoris ; sed rem prædicatam, scilicet crucem, quæ licet Judæis sit scandalum, Gentibus stultitia, fidelibus tamen est Dei virtus et sapientia.*

Hinc quarto, vers. 26, *consequenter docet Deum non vocasse ad prædicationem et fidem crucis et salutis sapientes, potentes et nobiles mundi, sed stultos, infirmos et ignobiles Apostolos, aliosque primos fideles, idqua ne quis in se, sed tantum in Deo glorietur.*

1. Paulus vocatus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, et Sosthenes frater, 2. Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, sanctificatis in Christo Jesu, vocatis sanctis, cum omnibus qui invocant nomen Domini nostri Jesu Christi, in omni loco ipsorum, et nostro. 3. Gratia vobis et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo. 4. Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei, quæ data est vobis in Christo Jesu : 5. quod in omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo et in omni scientia : 6. sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis ; 7. ita ut nihil vobis desit in ulla gratia, expectantibus revelationem Domini nostri Jesu Christi, 8. qui et confirmabit vos usque in finem sine crimine, in die adventus Domini nostri Jesu Christi. 9. Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem Filii ejus Jesu Christi Domini nostri. 10. Obsecro autem vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata : sitis autem perfecti in eodem sensu et in eadem sententia. 11. Significatum est enim mihi de vobis, fratres mei, ab iis qui sunt Chloes, quia contentiones sunt inter vos. 12. Hoc autem dico, quod unusquisque vestrum dicit : Ego quidem sum Pauli : ego autem Apollo : ego vero Cephæ : ego autem Christi. 13. Divisus est Christus? Numquid Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis? 14. Gratias ago Deo quod neminem vestrum baptizavi, nisi Crispum et Caium : 15. ne quis dicat quod in nomine meo baptizati estis. 16. Baptizavi autem et Stephanæ domum : cæterum nescio si quem alium baptizaverim. 17. Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare : non in sapientia verbi, ut non evacuetur crux Christi. 18. Verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est : iis autem, qui salvi fiunt, id est nobis, Dei virtus est. Scriptum est enim : 19. Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo. 20. Ubi sapiens? ubi scriba? ubi conquisitor hujus sæculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi? 21. Nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes. 22. Quoniam et Judæi signa petunt, et Græci sapientiam quærunt : 23. nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam; 24. ipsis autem vocatis Judæis, atque Græcis, Christum Dei virtutem et Dei sapientiam : 25. quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus ; et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. 26. Videte enim vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles : 27. sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes ; et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; 28. et ignobilia mundi, et contemptibilia elegit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret : 29. ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus. 30. Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redemptio : 31. ut, quemadmodum scriptum est : Qui gloriatur, in Domino glorietur.

1. SOSTHENES (1). — Erat hic princeps synagogæ Corinthi, conversus ad Christum a Paulo, pro fide coram Gallione proconsule acriter verberatus, *Actor.* XVIII, vers. 17, ac post mortem relatus inter Sanctos, 28 novembris.

2. ECCLESIÆ DEI, QUÆ EST CORINTHI, SANCTIFICATIS IN CHRISTO JESU, VOCATIS SANCTIS (supple, scribit, et salutem dicit Paulus, precando) : GRATIA VOBIS ET PAX A DEO. — Pro *vocatis sanctis*, Syrus vertit, *vocatis et sanctis*. Græce enim semper non est participium κεκλημένοις, aut κλητοῖς, id est vocatus, dictus, appellatus ; sed κλητὸς, nomen, quasi dicat : Vocatilius sanctitatis, vel vocatione sanctus, vocatus ad sanctimoniam.

Beneficium vocationis cum admiratione et humilitate recolendum. Error Pelagii circa vocationem.

Nota *primo* hoc beneficium vocationis Paulum toto hoc capite et passim alibi admirari.

Secundo, illud et omnia cætera humiliter ac pie divinæ benevolentiæ et potestati adscribere. De humilitate locum hic habet insignem Chrysostomus, in morali homil. primæ.

Tertio, hinc patet contra Pelagium, non nostris meritis, sed mera Dei gratia nos vocatos esse ad fidem et gratiam Christi. Ita Chrysostomus et passim Augustinus. Rursum, hinc omnes Christiani olim dicti sunt Sancti, non actu, sed vocatione, professione, debito.

Quarto, hos Sanctos dicit « in Christo, » id est per Christi merita, sanctificatos, scilicet in baptismo et deinceps.

Quinto, τὸ *Ecclesiæ* et τὸ *vocatis sanctis* idem sunt. Est enim appositio sive explicatio Ecclesiæ ; ut si quæras, quid sit Ecclesia? respondebo hinc ex S. Paulo : Sunt vocati Sancti; sive est congregatio et cœtus fidelium, qui vocati sunt ad sanctitatem.

Ecclesiam esse visibilem contra hæreticos asseritur.

Unde *sexto*, hinc patet Ecclesiam esse visibilem. Scribit enim Paulus hæc non ideæ abstractæ, sed Ecclesiæ, quæ est Corinthi, quæ ejus litteras legere et videre poterat, ut patet.

Septimo, ex hoc loco liquet eamdem ubique esse Ecclesiam, cujus pars erat Ecclesia Corinthiorum. Unde ait : « Cum omnibus qui invocant nomen Domini nostri Jesu Christi, in omni loco ipsorum et nostro, » id est, omnibus Christianis ubicumque consistant ; sive mecum hoc in loco nostro, sive in alio quolibet suo loco. « Ipsorum » ergo, scilicet Corinthiorum, « et nostro, » scilicet meo et Sosthenis. Addit hoc, ne quis putaret cum dixit, « Domini nostri Jesu Christi, » dicere voluisse Christum dominum esse solius Pauli et Sosthenis. Ita Chrysostomus : « Eoque, ait, tacite innuit Paulus, Corinthios semotis contentionibus debere esse concordes, quasi membra ejusdem Ecclesiæ et capitis Christi. » Deinde innuit se scribere hanc epistolam proprie quidem ad Corinthios, sed tamen cupere esse circularem ad omnes Christianos, uti circulares erant epistolæ aliorum Apostolorum et Episcoporum primis illis sæculis (2). Nam quod Cajetanus τὸ *nostro* interpretatur, *q. d.* Nostra jurisdictio se extendit Corinthum, et ad Corinthios, ut urbs et locus Corinthi sit et ipsorum et noster, coactum est. Denique cur dicatur Ecclesia, vel evocatio, vel cœtus vocatorum ad fidem, quæ olim synagoga, id est congregatio, dicebatur, et quid sit, qualis, quæ ejus notæ, vide Bellarminum, *De Ecclesia*, lib. I, cap. 1, II et seq., solide et docte edisserentem.

4. GRATIAS AGO DEO MEO SEMPER PRO VOBIS IN GRATIA DEI, QUÆ DATA EST VOBIS IN CHRISTO JESU. — « In gratia, » Syrus עַל טוּבְתָא *al tubuta*, græce ἐπὶ τῇ χάριτι, id est, *propter gratiam Dei*, « quæ data est vobis in Christo, » id est, per Christum. Vide *Can.* 23. « Origo, inquit S. Bernardus, serm. 13 *in Cantica*, omnium fontium et fluviorum mare est : virtutum autem et scientiarum origo est Dominus Jesus Christus : continentia a carnis, cordis industria, voluntatis rectitudo ex illo fonte manant ; remittatur (per gratiarum actionem) ad suum principium cœleste profluvium, quo ulterius terræ refundatur : Gloriam meam alteri non dabo, inquit Deus, » *Isaiæ* XLVIII, 11.

Gratiarum actio frequens debet esse Christianis.

5. QUOD IN OMNIBUS DIVITES FACTI ESTIS IN ILLO (per illum Christum) IN OMNI VERBO (prædicationis Evangelii) ET OMNI SCIENTIA, — id est, spirituali ejus intelligentia, *q. d.* Gratias ago Deo, quod vobis copiosam per me et Apollo exhibuerit præ-

(1) Vers. 1-9 continent totius epistolæ exordium, et modestam benevolentiæ captationem.

(2) Quid Paulus voluerit verbis, ἐν παντὶ τόπῳ, αὐτῶν τε καὶ ἡμῶν, *in omni loco ipsorum, et nostro*, aliacirca est. Alii ita vertunt : Qui invocant nomen Domini Jesu Christi *in quovis loco*, Domini, inquam, *tam ipsorum, tum nostri*, ut verba αὐτῶν τε, etc., referenda sint ad Κυρίου, *Domini* : ita Chrysostomus, Photius et Theophylactus. Alii : sive natione sint Gentiles, sive Judæi. Nonnulli existimant Apostolum respicere ad partes in quas ecclesia Corinthiaca erat divisa, quarum alia se a Paulo, alia ab Apollone, alia a Petro, alia a Christo denominabat ; diversas nempe partes diversis quoque locis ad sacra celebranda convenisse ; quare Paulum ab initio statim monuisse se non scribere ad eos solum, qui se nominarent suos (nostro), sed ad Christianos Corinthios omnino omnes, ubicumque demum ad sacra celebranda congregarentur. Alii denique *ei in omni loco ipsorum* sunt Christiani, qui Corinthi, aut Cenchreis, aut in reliqua Achaia versabantur, et cum Corinthiis versati erant ; *ei in loco ipsorum*, qui tum apud Paulum Ephesi versabantur.

dicatíonem et doctrinam Evangelii, ejusque sensum et intelligentiam.

6. SICUT TESTIMONIUM CHRISTI CONFIRMATUM EST IN VOBIS, — id est, quibus, ceu testimoniis duobus Christiana fides fundata et firmata est in vobis. Nam Græci Græcum κάθως, id est *sicut*, per enallagen interpretantur, ἀϑ' ὧν, *per quæ*, scilicet verbum et scientiam. Alii sic explicant « sicut testimonium, » etc. *q. d.* Quibus rebus, scilicet, prædicatione Evangelii ejusque scientia, quasi certo testimonio cognoscitur vos esse fideles et discipulos Christi (1).

7. EXSPECTANTIBUS REVELATIONEM DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI, — in secundo illius adventu, quando omnium gratiarum copiam et consummationem in gloria cœlesti a Christo accipietis.

8. QUI ET CONFIRMABIT VOS (quantum est ex parte sua, id est gratiam dabit, quæ vos confirmare possit et actu confirmabit, si eam recipere, ea uti, et vos confirmare in Christi fide et charitate velitis, de quo rursum vers. 9 : « confirmabit, » inquam, ad hoc, ut sitis et persistatis) USQUE IN FINEM (vitæ) SINE CRIMINE, — græce ἀνεγκλήτους, id est inculpati, quos nemo culpare aut criminari possit, quasi crimen aliquod contra fidem et charitatem Christi commiseritis; *si enim sine crimine* referri ad *confirmabit*, patet ex Græco βεβαιώσει ἀνεγκλήτους, id est confirmabit inculpatos, sive incriminales, ut scilicet tales sint et perseverent.

In ecclesia Corinthiorum plerique erant sancti et inculpati.

Loquitur Apostolus toti Ecclesiæ, in qua plerique erant sancti et inculpati, etiamsi pauci aliqui schismata serarent, quos mox versu sequenti reprehendit et culpat.

IN DIE ADVENTUS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI. — Est ellipsis, frequens Apostolo; supplendum enim est, ut sitis et appareatis sine crimine illo die adventus et judicii Christi : nisi malis ἐν τῇ ἡμέρᾳ poni pro εἰς ἡμέραν, *in die* pro *in diem* (sæpe enim ἐν et εἰς confundit Apostolus), ut explicet τὸ *in finem* per τὸ *in die adventus Christi* : hic enim ultimus noster et rerum omnium erit finis.

Error Calvini circa reliquorum Dei vocationem.

9. FIDELIS DEUS, PER QUEM VOCATI ESTIS IN SOCIETATEM FILII EJUS JESU CHRISTI. — Nota : « Fidelis » S. Paulo idem est quod constans, verax, ut ostendam 1 *Timoth.* I, 15, non quasi, ut vult Calvinus, solum efficaciter a se vocatos eosque omnes Deus salvet, et quemque illorum se salvum fore firma fide credere jubeat et efficiat. Ut quid enim mox vers. sequenti de Corinthiorum salute sollicitus schismata eorum incusat? An non credidérant Corinthii? et tamen in schismata lapsi periculum damnationis incurrerant, ideoque illud ab eis avertere satagit Paulus. Possunt ergo fideles in peccata labi et damnari.

Deus non deserit hominem.

Dicitur itaque Deus « fidelis, » quia non sine causa suum vobis, o Corinthii, subtrahet auxilium, quod dare cœpit, et deinceps se daturum promisit, ut persistatis et confirmemini in fide et societate Jesu; nec vos deseret, nisi prius a vobis deseratur, ut docet Concilium Tridentinum (ex S. Augustino), *sess.* VI, cap. XI et XIII, ubi tria docet eadem quæ hic Apostolus :

Sit perseverantia.

Tria ad beatitudinem requisita ut gratiam vocationis ad electionis duplex.

Primo, justificatis omnibus Deum gratiam Christi dare, qua in justitia perseverare possunt, si velint. *Secundo*, eos sua voluntate posse ab ea excidere. *Tertio*, neminem scire an sit perseveraturus, an sit de numero electorum, nisi specialem hac de re a Deo revelationem habeat.

Nota *secundo* : « Societatem filii » hic vocat Paulus communionem fidei, gratiæ et gloriæ Christi, quæ habetur in Ecclesia Christi; sive ipsum christianismum, in quo habemus societatem filiationis, hereditatis, Sacramentorum et omnium bonorum Christi, *q. d.* Vocati estis, ut sitis filii Dei, socii, membra, fratres et cohæredes Christi. Ita Anselmus, Ambrosius, Theophylactus, Chrysostomus, quem vide. Sic S. Joannes ait *epist.* I, cap. I, 3 : « Ut et vos societatem habeatis nobiscum, et societas nostra sit cum Patre, et cum Filio ejus Jesu Christo. »

Ubi adverte : Licet, ut ait Apostolus, omnes fideles Christiani sint de societate Christi, tamen alii aliis magis sunt de hac societate; scilicet, qui magis Christi vitam et gratiam participant, et qui non tantum præcepta, sed et consilia Christi sequuntur : sicut de societate Christi magis erant Apostoli, quam alii Christiani.

Insulse cavillantur hæretici : Paulus omnes Christianos dicit esse vocatos in societatem Filii Dei : ergo perperam Jesuitæ sibi solis arrogant nomen Societatis Jesu. Pari enim modo inferrent : Omnes Christiani colunt SS. Trinitatem, B. Virginem, angelos : ergo perperam Ecclesia instituit Ordines et Sodalitates nomine SS. Trinitatis, B. Virginis, angelorum, etc. Hæ enim Sodalitates alios non excludunt ab horum cultu, sed nomen aliis commune sibi appropriant, ut eo excitentur ad majorem et singularem pietatem erga SS. Trinitatem, B. Virginem, angelos, utque alios quoque ad eumdem excitent.

Sciant vero Jesuitas hoc nomen sibi non dedisse, sed Summos Pontifices Romanos ipsumque fundatorem S. Ignatium, qui ex humilitate et gloriæ vitandæ causa, suos non voluit vocari Ignatianos, sed Societatis Jesu, idque ex visione quadam, qua agens de Societate fundata, vidit Jesum crucem bajulantem, sibique dicentem : « Ego vobis Romæ propitius ero : » quando divinitus ita illustratus fuit, ut non dubitaret hanc esse Dei voluntatem, hoc nomen Jesu Societati huic dandum esse. Audiant Ribadeneiram, lib. II *Vitæ S. Ignatii*, cap. XI : « Societatem Jesu appellari voluit, ut qui huc vocati fuerint, non se in Ignatii Ordinem aliquem ascriptos, sed in Societatem Filii Dei Jesu Christi Domini nostri vocatos agnoscant : sub illo summo Imperatore mereant; ejus signa sequantur, crucem suam cupide tollant, et

(1) Alii : Nam religionis Christianæ veritas vobis confirmata est.

in auctorem fidei et consummatorem Jesum aspiciant, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta. Et ne defatigentur animis deficientes, certum illis atque persuasum sit ducem suum sibi præsto esse : illum non Ignatio solum et sociis, ut videmus hactenus fuisse, sed sibi quoque futurum semper propitium sperent. » Et Pius V Pontif., in *Bulla Societ.*, pag. 74 : « Qui, inquit, sicut nomen Sociorum Jesu assumpserunt, ita opere, doctrina et exemplis D. N. Jesum Christum imitari, et ejus vestigia sequi nituntur. » Sicut ergo S. Paulus Timotheum, *epist.* II, cap. II, vers. 3, hortatur ut laboret ac certet, « sicut bonus miles Christi Jesu : » ita « Societas Jesu » suo nomine monetur et excitatur ut pro gloria Dei et salute animarum laboret, « quasi militia, seu legio, seu cohors militum socíata sub duce Jesu. » Plura vide apud Julium Nigronium de hoc titulo, et apud Jacobum Gretserum, Franciscum Montanum et alios, qui apologias pro Societate hac scripserunt.

10. OBSECRO VOS, FRATRES, PER NOMEN DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI (in cujus unam eamdemque societatem, familiam, domum et Ecclesiam vocati sumus omnes, quicumque fideles et Christiani sumus), UT IDIPSUM DICATIS OMNES — scilicet, quasi fratres germani, verbis et voce, consentiatis, dicatisque omnes simul : « Ego sum Christi; » non autem hic dicat : « Ego sum Pauli; » ille : « Ego sum Apollo. » Rursum non tantum voce, sed et mente consentiatis; alioqui enim ficta et simulata foret verbalis vestra oris confessio. Unde subdit quasi radicem concordiæ dicens (1) :

Schismata et contentiones Corinthiorum.

Reliqua Apostoli ad concordiam et sequentia dictorum.

SITIS PERFECTI IN EODEM SENSU ET IN EADEM SENTENTIA. — Legunt aliqui in Græco, γνώσει, id est *scientia*, itaque legunt Latina Plantiniana; sed corrigendum est γνώμῃ, id est *sententia*, itaque legunt Latina Romana. Pro « perfecti, » græce est κατηρτισμένοι, id est, ut Theophylactus, « Sitis coagmentati, » sive « perfecte compacti in eodem sensu et in eadem sententia, » ut idem sentiatis, et inter vos consentiatis in Christo, ut vobis invicem apte cohæreatis in una mente et sensu in Christo; καταρτίζω enim significat ita apte et congruenter aliquid componere et coagmentare, ut partes inter se et cum toto congruant; atque quia tunc res perfecta atque absoluta est, cum conjunctæ et congruenter hoc modo compositæ sunt, hinc hoc verbum significat quoque perficere, ut *Psalm.* VIII, 3 : « Ex ore infantium et lactentium perfecisti (græce κατηρτίσω) laudem. » II *ad Corinth.* cap. ult., vers. 11 : « De cætero, fratres, gaudete, perfecti estote, » id est, inter vos mutuo et cum capite vestro congruite. Hoc enim significat Græcum καταρτίζεσθε. *Psal.* XXXIX, 7 : « Aures autem perfecisti mihi, » græce κατηρτίσω μοι.

(1) Vers. 10 — cap. IV, reprehendit Apostolus Corinthios propter factiones et schismata quibus laborabant, atque simplicitatem doctrinæ Christianæ, tum adversus ambitiosos græcanicæ philosophiæ jactatores, tum contra superstitiosos Judæos ita asserit, ut auditores suos ad rectam agendi rationem revocet.

11. SIGNIFICATUM EST ENIM MIHI AB HIS QUI SUNT CHLOES. — Putant aliqui τὸ *Chloes* esse nomen loci : sed hic locus alibi nusquam legitur; nec Græca satis patiuntur Chloes esse locum. Unde verius Chrysostomus et Syrus putant hoc esse nomen familiæ vel feminæ, *q. d.* Ex familia Chloes *audivi*. Simili græcismo dicitur *Roman.* XVI, vers. 10 : « Salutate eos qui sunt ex Aristoboli, Narcissi, » scilicet domo et familia.

Recte loquuntur qui dicunt eos esse Christi, modo non contentiosos Ecclesiæ.

12. QUOD UNUSQUISQUE VESTRUM (hoc est quilibet ex iis, qui inter vos contendunt, et schismatis partem aliquam fovent; erant enim inter Corinthios multi alii cordati et pacifici, a schismate et consequenter a verbis sequentibus alieni) DICIT (vicissim, alternative, vel respective : non enim quisque dicebat) : EGO QUIDEM SUM PAULI, EGO APOLLO, EGO VERO CEPHÆ, — sed vicissim, cum dicerat unus : « Ego sum Pauli; » alter dicebat : « Ego Apollo; » alter : « Ego vero Cephæ. » In voce ergo *unusquisque*, est acceptatio distributiva et disjunctiva familiaris Hebræis; quisque enim ambitiose et contentiose dicebat : « Ego sum Pauli; » vel : « Ego Apollo, Ego vero Cephæ. » Ego sum Pauli, scilicet discipulus, catechumenus; Ego Cephæ, scilicet a B. Petro Pontifice edoctus, vel baptizatus, Antiochiæ, Romæ, aut alibi. Nam hucusque Petrus Corinthi non fuerat, ut colligitur cap. IV, 15. Unde Baronius vult hæc verba esse eorum, qui declinabant schismata, quæ proprie ob Paulum et Apollo exorta erant, ut patet cap. III, 4; utque ea vitarent, aliis suos magistros jactantibus, ipsi dictitabant se nec Pauli, nec Apollo, sed Petri, Præsidis Ecclesiæ, esse discípulos; quasi dicerent : Hic dicit et jactat se esse Pauli discipulum, ille Apollo; ego vero dico me esse Cephæ, id est, me esse discipulum Petri, qui caput est Ecclesiæ et vicarius Christi : illi enim adhæreo, illo glorior; ille per Paulum vel Apollo, aliumve me convertit et baptizavit. Unde alius altius assurgens dicebat : « Ego sum... isti; » qui scilicet est ipse summus Princeps Apostolorum et Ecclesiæ, cujus vicarius est Petrus, cujus ministri sunt Paulus et Apollo.

Notandum est enim quod addit : « Ego autem Christi, » non male, sed recte loquentium esse, si absit contentio, et contemptus Apostolorum et vicariorum Christi, uti jam Anabaptistæ contemnunt Prælatos; omnes enim decebat dicere : Nos sumus Christi, puta Christiani. Taxat ergo Corinthios, ex quibus non omnes, ut par erat, sed aliqui tantum Christianos se esse dicerent, alii vero aut Pauli, aut Apollo, aut Cephæ sese discípulos nuncuparent. Ita Ambrosius, Theophylactus, D. Thomas. Occasio schismatis videtur fuisse, quod Apollo, qui eloquens, acer et potens erat in Scripturis, Corinthi tum docebat, *Actor.* XVIII, 27, ita ut ejus respectu nonnullis Paulus visus sit frigidior et jejunior, utpote qui studio sermonis

et scientiæ cultum et ornatum vitaret, ut ipse ait cap. II, vers. 4.

Denique hinc Hieronymus, *ad Titum* I, putat Episcopum presbyteris jurisdictione esse prælatum, ut schismata hæc tollerentur, cum antea, ait, communi presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernarentur : quæ verba Hieronymi *ad Titum* I elucidanda sunt.

Vers. 13. Baptismus non operatur ex opere operantis.

13. NUMQUID IN NOMINE PAULI BAPTIZATI ESTIS? — *q. d.* Unus est Christus, in cujus nomine æque omnes baptizati estis : ergo frustra pro nobis, baptismi ministris, de præcellentia contenditis. Hinc Theologi docent baptismum et Sacramenta non valere, nec operari ex opere operantis, vel ministri; sed ex opere operato.

Baptizari in nomine Christi quomodo intelligendum?

Ubi nota : baptizari « in nomine Christi » idem est quod in invocatione, professione, virtute, merito et baptismo Christi baptizari, ac consequenter ut nomen Christi transcribi, ut a Christo dicamur Christiani, non Pauliani, vel Apollinistæ. Ita Græci. Vide de potestate excellentiæ, quam habet Christus in baptismo et aliis Sacramentis, S. Thomam.

Forma baptismi Græcorum.

Secundo, hinc S. Thomas et alii, adeoque Græcorum historia docet Græcos accepisse hanc suam baptismi formam, ut non dicant : Ego te baptizo ; sed : « Baptizetur servus Christi in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti; » ne quis dicat : Ego sum Pauli, Ego sum Apollo.

Studium diversum Græcorum et scholarum, ac Novatorum hæreticorum hic reprehenditur contra Erasmum.

Tertio, inepte hinc Erasmus, Faber et Novantes a pari inferunt : Ergo perperam dicit hic : Ego sum Scoti; ille : Ego D. Thomæ; hic : Ego sum Francisci; ille : Ego sum Dominici alumnus et discipulus; quia Apostolus tantum insectatur contentiones de præeminentia et schismata quibus Corinthii aliqui superbiebant, et Ecclesiam scindebant in studia partium, quasi fidei et baptismi vim et excellentiam tribuerent ipsi ministro, Paulo vel Apollo, non autem Christo. Neutiquam vero carpit monastica instituta, vel Philosophorum aut Theologorum scholas et academias : quæ licet exercitiis, ritibus, sententiis discrepent, tamen in eadem fide Christi, charitate et humilitate Christiana connexa sunt. Si quis aliter faxit, vanus is erit, et hujus vanitatem et contentionem cum Paulo ad Corinthios hos amandabimus; hominis hoc vitium est, non Ordinis : uti Corinthiorum quorumdam hoc vitium erat, non Ecclesiæ. Longe verius aptiusque hæc in schismata Novantium retorqueas; ipsi enim dicunt, Ego sum Calvini, Ego Lutheri, Ego Mennonis, idque in rebus fidei et religionis : aliam enim fidem inducit Calvinus, aliam Lutherus, aliam Menno. Hæc enim Religionum et Ordinum varietas ad majorem Ecclesiæ tum decorem, tum fortitudinem, tum unionem inducta est : sic enim castra in suas legiones distributa, sunt magis decora, fortia et unita. Si enim hæc distributione carerent, magna in eis esset confusio. Religiosi variorum Ordinum uniti sunt, non tantum sub uno capite, Summo Pontifice, in una Ecclesia; sed etiam in eo, quod non in statu laico vel ecclesiastico, sed in Religione simul omnes versantur. Religiones enim in Ecclesia unam quasi legionem eamque fortissimam constituunt. Sicut ergo unius corporis membra inter se unita sunt, et sicut unius legionis milites magis inter se, quam cum alia legione uniti sunt; ita prorsus Religiosi qui ad apicem perfectionis contendunt et arctiori nexu religionis et voti Deo devincti sunt, arctius quoque sibi invicem astringuntur.

Religiosus unius, per charitatem omnium est Ordinum.

Si quis ergo est inter eos, qui alteri Ordini detrahit, invidet, impedit, hujus vana est religio; hic non Religiosus, imo non Christianus, sed profanus est; nec spiritui Dei, sed dæmonis agitur.

Verus enim Religiosus cum S. Bernardo in *Apolog.* dicet : « Unum Ordinem opere teneo, cæteros charitate. » Franciscanus sum Ordine, sed charitate Dominicanus. Augustinianus, Benedictus, etc., itaque omnium Ordinum et Religionum Religiosus sum, unius opere, reliquorum charitate; quare omnium Ordinum bonis lætor, omnium prospero successu gaudeo, nulli invideo; omnes enim mea sunt, et ego omnium. « Numquid divisus est Christus » in diversis Religiosorum Ordinibus? Absit. Idem enim Christus omnium Religionum est institutor, auctor et rector, idque ad majorem earum inter se unionem. Quod ergo causa esse debet majoris unionis, non sit causa turpissimæ, Deoque exosæ divisionis; ne audiamus illud : « Cur sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis? » et illud : « An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? » Si Deo placuit Ordines alios aliis adderé, novos veteribus in subsidium submittere, novam eis gratiam et spiritum dare, quis Deum carpat? Quis novis invideat? Quis Ecclesiam talibus operariis defraudet. Esto palmam ferant : gaudebo Deum per eos honorari animasque plures salvari, itaque laborum eorum particeps fiam; non enim meam, sed Dei gloriam quæro.

16. BAPTIZAVI STEPHANE DOMUM. — Stephanas, ait Theophylactus, vir erat Corinthi celebris, quem proinde a fide et charitate laudat Paulus cap. XVI, 17.

17. NON MISIT ME CHRISTUS BAPTIZARE, SED EVANGELIZARE (1). — Hæc duo sunt officia Pastorum, scilicet prædicatio et Sacramentorum administratio; sed illud principalius. Unde Episcoporum, Archiepiscoporum et Primatum præcipuum munus est prædicatio Evangelii; quod per se, nisi legitime impediantur, exercere debent, inquit Con-

Vers. 17. Præcipuum Episcopi munus est prædicare.

(1) Transit Apostolus ad apologiam doctrinæ suæ et modi quo in ea tradenda usus fuerit. Agit nempe, usque ad cap. II, 2, de *sententia* et *argumento* doctrinæ suæ, ipsique negat accommodari ad hominum præjudicatas opiniones, ut instar Philosophorum reticere vel adulterare soleat, quæ plerique improbari et stulta videri sciat; deinde de *modo* quo Corinthi in *exaudienda* doctrina divina usus fuerit.

Abusus Evangelium.

cilium Tridentinum, *sess.* V, cap. II et, *sess.* XXIV, cap. IV. Baptismum vero aliaque Sacramenta Parochis eorumque adjutoribus cum Paulo committere possunt.

Eloquentia et sapientia secularis, vana Pharisæorum et hæreticorum propria.

NON IN SAPIENTIA VERBI (id est cum eloquentia et sermonis ornatu non Evangelico. Græce enim est σοφία, unde Sophi et Sophistæ dicti sunt oratores, maxime forenses, ait Plutarchus in *Themistocle*. Talis fuit Libanius sophista, tales sunt et nostri Novantes spermologi, qui se recte verbi ministros indigitant. Non ita Paulus; idque ut NON EVACUETUR CRUX CHRISTI, — id est inanis redditur, dum putant homines se salutem assecutos, si sibi fidem persuasam esse vi humanæ eloquentiæ, non vi passionis Christi. Hæc fuit origo schismatis dicentium : Ego sum Pauli, Ego Apollo; quod scilicet Apollo eloquens placeret nonnullis Corinthiis delicatis et eloquentiæ studiosis; aliis vero spiritum magis quam verba quærentibus, placeret Paulus, imperitus quidem sermone, sed non scientia. Unde Paulus hic, et per tria sequentia capita, multis eloquentiam et sapientiam secularem insectatur et deprimit. Hinc *secundo*, « sapientia verbi, » græce σοφία λόγου, accipi potest naturalis philosophia, *q. d.* Rationalis sapientia; hanc enim opponit cruci, vers. 18; deinde, vers. 19, 20, 27 explicat illam esse philosophiam, et humanam rationem ac prudentiam. Ita Maldonatus in *Notis*.

18. VERBUM CRUCIS PEREUNTIBUS STULTITIA EST. — *q. d.* Sermo de cruce salvatrice, sive quod per crucem et passionem Christi redempti sumus, incredulis ac perversis hominibus, ideoque perituris stultitia apparet. Et hoc est quod Isaias, cap. VIII, in persona Christi ait : « Ecce ego et pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum et in portentum Israel, » de quo plura dicam *Hebr.* II, 13.

DEI VIRTUS EST. — « Virtus, » Græce δύναμις, id est potentia, robur, fortitudo, de quo plura vers. 24.

19. SCRIPTUM EST ENIM. — *Isaiæ* XXIX, 14, ubi sic ait : « Peribit sapientia a sapientibus ejus, et intellectus prudentium ejus abscondetur, » passive. Sed Septuaginta, quos sequitur Paulus, vertunt active, ἀπολῶ τὴν σοφίαν τῶν σοφῶν, καὶ τὴν σύνεσιν τῶν συνετῶν κρύψω, *Perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium abscondam*. Pro quo Paulus habet *sternam*, *reprobabo*; et, ut Tertullianus vertit, *irritam faciam*; estque idem sensus : peribit enim sapientia, quia Deus eam perdet et abjiciet. Forte etiam Septuaginta pro אברה *abeda*, id est *peribit*, legerunt אאבדה *abbeda* pro אבדה *abbeda*, id est *perdam*, per crasim in futuro Piel. Nota, Paulum referre ad universum genus sapientiæ sæcularis id, quod Propheta proprie de Judæorum sapientia, quæ Pharisaica erat, dixit : Est enim par quoad hoc, utriusque, imo omnis sapientiæ sæcularis, ratio, *q. d.* Faciam ut sapientia sæculari omnes ad salutem uti nolint, sed Evangelio et cruce Christi.

20. UBI SAPIENS (id est *philosophus* Gentilium)? UBI SCRIBA? — id est *doctor* Judæorum. Citat Paulus *Isaiæ* XXXIII, 18 : « Ubi, inquit, est litteratus? ubi legis verba ponderans (id est scriba)? ubi doctor parvulorum? » qui re ipsa « est conquisitor sæculi. »

Vers. 20. Scribæ quales, et unde dicti?

Nota : Sicut Græci suos sapientes vocabant Philosophos, Chaldæi Magos; ita Judæi suos doctores vocabant *Sopharim* : quod Septuaginta γραμματεῖς, Noster *Scribas* vertit; a סָפַר *sepher*, id est littera vel scriptura : quasi dicas, litterati aut scribæ, eo quod circa sacras Litteras versarentur. Illorum enim officium erat sacrum Scripturam incorruptam servare, correctas ejus descriptioni invigilare, illam interpretari, tum scripto, tum voce, et inde responsa conscribere, vel enarrare. Ita Epiphanius, *hæresi* 16. Unde *sopher* potest etiam deduci a סָפַר *saphar*, id est enarrare, recensere, ut *sopher* idem sit quod enarrator et explicator legis. Sed Noster et Septuaginta ad *sepher* respiciunt. Sic Grammatici olim dicti sunt, qui grammata et litteras versabant, et dubias Poetarum sententias explicabant. Judæorum enim studium omne erat in sacris Litteris, nec alias fere norant. Ita Jansenius, Toletus, Maldonatus et alii in Evangelia, ubi crebra Scribarum est mentio.

UBI CONQUISITOR SÆCULI? — Physicus, qui naturæ et mundi arcana curiose scrutatur, *q. d.* Abjecti sunt Philosophi et Scribæ, omnesque mundi sapientes depressi et confusi sunt, per prædicationem Apostolorum et gloriam Evangelii. Ita Chrysostomus (1).

Philosophos vocat Græcos, Christianos a Paulo.

Notat hic Paulus et in seq. tum veteres, tum novos Philosophos; non Christianos, ut volunt Anabaptistæ : tales enim erant Dionysius Areopagita, Hierotheus, Paulus, Clemens Romanus, Nathanael, Gamaliel, Apollo; sed Ethnicos, qui hoc eodem tempore, quasi æmuli Apostolorum orbem circumibant, et specie pietatis, sapientiæ et eloquentiæ populos a Christo et Apostolis ad se traducere, quasi ipsi soli docerent veram sapientiam et viam ad virtutem, justitiam et salutem, conati sunt, qualis fuit Musonius, Dio, Epictetus, Damys, Diogenes minor, Apollonius Tyanæus, qui hoc eodem tempore sua magia ita Græcis admirationi fuit, ut Ephesi statua donatus, et inter divos relatus sit; testis Philostratus, lib. IV : vide Baronium, anno Christi 73, pag. 777.

Eleganter et nervose more suo Tertullianus, lib. *De Idol.*, cap. IX : « Post Evangelium, inquit, nusquam invenias aut sophistas, aut incantatores, aut conjectores, aut magos, nisi plane punitos. Ubi sapiens? ubi litterator? ubi conquisitor hujus ævi? Nonne infatuavit Deus sapientiam hujus sæculi? Nihil scis, mathematice, si nesciebas te futurum Christianum : sin sciebas, hoc quoque

(1) Alii : *Acutus et subtilis disputator* (nam συζητητὴς, *disputare*, apud Græcos usitatissimum est verbum) *hujus ævi*, id est, *hoc ævo viget vel occurrens ævi genio conformis*.

scire debueras, nihil tibi futurum cum ista professione. Ipsa te de periculo suo instituerat, quæ aliorum climacterica precavit. Non est tibi pars, neque sors in ista ratione. Non potest regna cœlorum sperare cujus digitus aut radius abutitur cœlo. »

NONNE STULTAM FECIT DEUS SAPIENTIAM HUJUS MUNDI? — « Stultam fecit, » id est *stultam ostendit* : ponitur verbum reale pro mentali vel verbali, juxta *Can.* 36. « Stultam, » inquam, in crucis et Christi ac salutis cognitione : ad hanc enim fide opus est, non acumine. Ita Chrysostomus. Patet ex seq. Vide *Baruch* III, 22. « Scientia piscatorum, inquit Ambrosius, stultam fecit scientiam Philosophorum, » cum scilicet suos et naturæ terminos egressa est.

In quibus ostenderit Deus stultam mundi sapientiam?

Sic enim in creatione stultum ostendit Deus illud axioma Philosophorum, quo dixerunt : « Ex *nihilo* nihil fit, » ideoque putarunt mundum esse increatum et æternum. Sic in incarnatione stultum ostendit illud eorum dictum : « Deus corpore, loco, tempore claudi nequit. » In passione illud : « Deus pati et mori non potest. » Sic in Eucharistia, stulta ostendit Deus hæc eorumdem, uti et Novantium nostrorum principia : « Accidens non potest esse sine subjecto; corpus nequit esse in puncto; duo corpora non possunt esse in eodem loco. » Licet enim hæc naturæ, non tamen Deo (qui omnipotens est, omnemque naturam transcendit) impossibilia sunt.

Hunc locum Pauli citans S. Paulinus, epist. 27 *ad Aprum*, ex advocato ad vitam monasticam conversum, ideoque hominum ludibriis expositum, ita eum in proposito confirmat docetque hominum risus et sannas contemnere : « Gratulor, inquit, quod illam reprobatam a Deo sapientiam respuisti, et cum parvulis Christi quam cum sapientibus mundi habere consortium maluisti. Inde jam et hanc gratiam mereris a Domino, ut te oderint homines; quod non fieret, nisi versus imitator Christi esse cœpisses. » Et *inferius*, fructum et dignitatem propositi illius demonstrans : « Gaude, inquit, et exulta, ecce enim merces tua copiosa est in cœlis; non enim te, sed illum qui in te esse cœpit, oderunt, cujus opus est in te, et humilitas quam contemnunt, et castitas quam detestantur : in quo te bono Prophetarum Apostolorumque participem esse lætus agnosce. Ab initio sæculorum Christus in suis patitur et triumphat; in Abel, occisus est a fratre; in Noe, irrisus a filio; in Abraham, peregrinatus; in Isaac, oblatus; in Jacob, famulatus; in Joseph, venditus; in Mose, expositus et fugatus; in Prophetis, lapidatus et sectus; in Apostolis, terra marique jactatus; in Martyribus, toties et tam varie occisus. Ipse et in Patitur opprobria, et ipsum in te odit hic mundus : sed gratias ipsi, quod vincit cum judicatur, et triumphat in nobis. » Deinde laudans et admirans vitæ ejus commutationem : « Ubi, inquit, nunc tu ille es aliquando terribilis advocatus et judex? Quis daret mihi pennas, et volarem ad te, videns te, non te, et videns ex leone vitulum : videns in Apro Christum, nunc versa ferocitatis et virtutis vice aprum sæculo, agnum Deo? non enim de silva, sed de segete aper es, qui bonis disciplinarum fructibus opimaris, et in fruge virtutum tibi pastus es (1). »

Mundi sapientia a Deo reprobata; et vicissim mundo odiosa Dei sapientia.

21. QUIA IN DEI SAPIENTIA NON COGNOVIT MUNDUS PER SAPIENTIAM DEUM : PLACUIT DEO PER STULTITIAM PRÆDICATIONIS SALVOS FACERE CREDENTES. — Nota *in Dei sapientia*, quam scilicet ostendit in sapientissima et tam stupenda mundi fabrica et gubernatione, ait D. Thomas, *q. d.* Mundus stultus non cognovit in hac sapienti fabrica Deum practice, ut auctorem salutis, et ducem ad bonam et beatam vitam; nec etiam speculative, quia Deum finxerunt etiam Philosophi impotentem ad creandum, eumque putarunt necessario agere, carere providentia, etc.

Deus rem quæ mundo videtur stulta, sapientem quod stultissimum est, et stulte se accusantem det.

Hinc Deus per rem, quæ mundo videtur stulta, scilicet per crucem, mundo se et salutem veram revelavit, ut stultis se accommodaret et cum eis quasi stulteseret, uti præceptor cum pueris repuerascit et balbutit. Sic Christus, quia non intelligebatur ut Deus, hominibus se revelavit ut homo et passibilis : hoc autem ingens est sapientia. Ita D. Thomas, Anselmus et alii (2).

Præclare S. Leo, serm. 5 *De Nativit.*, citatis hisce Apostoli verbis : « Mundo ergo, inquit, id est prudentibus mundi, sapientia sua cæcitas facta est; nec potuerunt per illam cognoscere Deum, ad cujus notitiam non nisi in sapientia ejus accedimur. Et ideo quia mundus de vanitate suorum dogmatum superbiebat, in eo constituit Dominus salvandorum fidem, quod et indignum videretur et stultum, ut et deficientibus omnibus opinionum præsumptionibus, sola Dei gratia revelaret quod comprehendere humana intelligentia non valeret. »

22. QUONIAM ET JUDÆI SIGNA (miracula) PETUNT : NOS AUTEM PRÆDICAMUS CHRISTUM CRUCIFIXUM. — Thebanus ille, rogatus quid de Romanis sentiret, respondit : « Romani in lanceis, Græci in eloquentia, Thebani in virtutibus gloriantur. » At Apostolus dicit se et Christianos in Christo crucifixo gloriari : hæc nostra est lancea, hæc eloquentia, hæc virtus.

Virtus crucis in se et sui prædicatione elucet in sex admirandis.

Vers. 23.

23. NOS AUTEM PRÆDICAMUS CHRISTUM CRUCIFIXUM : JUDÆIS QUIDEM SCANDALUM, GENTIBUS AUTEM STULTITIAM. — Videtur alludere ad paronomasiam Hebræam, *q. d.* Christi sive Messiæ crux Judæis est מכשל *michscol*, id est scandalum; Gentibus מסכל *miscal*, id est stultitia. « Ipsis autem vocatis » ad fidem est שכל *sechel*, id est in-

Locutio Pauli ex Hebræo illustrata per insignem paronomasiam.

(1) Sensus totius hujus loci est : Ostende mihi Philosophos et doctos homines inter Judæos et Græcos, qui tot homines ad tantam sanctitatem perduxerint, quot et ad quantam nos per sermonem crucis.

(2) « Per sapientiam, » scil. suam, id est, cum (suæ) eruditione sua, ac scientiæ superbo apparatu.

Crux linguam Chaldæa et Judæa, significat Dei sapientiam et virtutem.

dustria, sapientia et virtus, sive potentia (Græce enim δύναμις est) Dei. Hinc auctor Lexici Bibliorum Complutensium, in radice שכל *sachal*, docet משכל *mascal*, tam Chaldæorum, quam Indorum Christianorum S. Thomæ (qui cum a Babyloniis Episcopum accipiant, eorum quoque lingua, puta Chaldæa, quæ Hebrææ est dialectus, in sacris utuntur) lingua significare crucem : atque a se, Indum quemdam Christicolam, qui crucem in manu semper gestabat, interrogatum quo illam nomine lingua sua appellaret, respondisse משכל *mascal*, quasi dicas, sapientiam, industriam; indeque se collegisse Paulum, I *Cor.* I, 24, eo allusisse, cum ait : « Prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam; ipsis autem vocatis Judæis atque Græcis, Christum Dei virtutem et sapientiam. » Siquidem hæc vox, commutatis tantum litteris symbolicis et punctis, crucem, scandalum, stultitiam et sapientiam significat.

Nota cum Chrysostomo, hom. 6 in morali hic, et supra ad vers. 17 : Virtus crucis non tantum in se, sed etiam in sui prædicatione eluxit. *Primo*, in eo quod Apostoli pauci, piscatores, pauperes, illiterati, obscuri, Judæi, toti mundo exosi, orbem tamen cruci subjecerint. *Secundo*, quod hostes infensissimos, dæmones, peccatum, mortem, infernum, reges, principes, philosophos, oratores, Græcos, Barbaros, leges, judicia, religiones antiquissimas et temporis vetustatem pervicerint. *Tertio*, quod non armis, non sapientia, non eloquentia, sed simplici prædicatione persuaserint. *Quarto*, quod tam brevi tempore per totum orbem Christi fidem sparserint. *Quinto*, quod liberrime et fortissime tyrannorum minas, verbera, mortes et tormenta, naturæ viribus intoleranda superarint, per Christi gratiam. *Sexto*, quod doctrinam non de Deo glorioso, sed crucifixo, eoque Salvatore credendo et adorando, legemque Christi, naturæ et carni non gratam, sed repugnantem persuaserint. Quare pulchre et apte Tertullianus, lib. *Contra Judæos*, Christi regnum omnium regum et populorum regnis ita confert et præfert : « Salomon, inquit, regnavit, sed in finibus Judææ tantum a Dan usque ad Bersabee. Babyloniis et Parthis regnavit Darius, non ultra; Ægyptiis Pharao, sed illis tantum. Nabuchodonosor ab India usque ad Æthiopiam habuit regni sui terminum. Alexander Macedo nunquam Asiam universam et cæteras regiones, postquam devicerat, tenuit. Sic Germani, Britanni, Mauri, Romani, imperii sui habent terminos. Christi autem nomen et regnum ubique porrigitur, ubique creditur, ab omnibus gentibus colitur, ubique regnat, ubique adoratur; omnibus æqualis, omnibus Rex, omnibus Judex, omnibus Deus et Dominus est. »

Regnum Christi omnium regum et populorum regna superat.

Porro sapienter Arnobius, lib. I *Contra Gentes*, exemplo Pythagoræ, Socratis et aliorum injuste occisorum, docet crucem Christo non attulisse infamiam, sed gloriam : « Nemo unquam innocens, inquit, male interemptus infamis est, nec turpitudinis alicujus commaculatur nota, qui non suo merito pœnas graves, sed cruciatoris perpetitur sævitatem; et tamen, o isti, qui homitiem noscolere vita functum ignominiosa rideis, nonne Liberum et vos patrem mandratim a Titanis dissipatum, fanorum consecratione mactatis? Nonne Æsculapium medicaminum repertorem, post pœnas et supplicia fulminis, custodem nuncupastis et præsidem sanitatis, valetudinis et salutis? Nonne ipsum Herculem magnum sacrificiis, hostiis et thure invitatis incenso, quem ipsi vos fertis vivum arsisse post pœnas, et concrematum in funestis bustuctis? Nonne illum Atyn Phrygem abscissum et spoliatum viro, magnæ Matris in adytis Deum propitium, Deum sanctum Gallorum conclamatione testamini? Nonne ipsum Romulum patrem, senatorum manibus dilaceratum centum, et Quirinum esse Martium dicitis, et sacerdotibus et pulvinaribus honoratis, et in ædibus adoratis amplissimis, et post omnia cœlum ascendisse juratis? Aut igitur ridendi et vos estis, qui homines gravissimis cruciatibus interemptos Deos putatis, et colitis; aut si certa est ratio, cur id vobis faciendum putetis, et nobis permittite scire, quibus istud causis rationibusque faciamus. »

Christi crux deum victoria et triumphis.

25. QUIA QUOD STULTUM EST DEI, SAPIENTIUS EST HOMINIBUS; ET QUOD INFIRMUM EST DEI, FORTIUS EST HOMINIBUS. — Id est stultitia et infirmitas Dei, id scilicet, quod in Deo et Christo nato et passo putant stultum et infirmum, scilicet Dei humanitas, mortalitas, passio, crux, fuit id, quo sapientissime et fortissime Christus quasi victus, vicit homines, Satanam et totum orbem, ait Ambrosius et Anselmus, *q. d.* In eo patet mira Dei sapientia et virtus, quod per rem stultam et infirmam, scilicet crucem, sapientiam omnem et fortitudinem vicerit. Unde illud *Habacuc* III : « Cornua in manibus ejus, » S. Hieronymus et Augustinus exponunt sic : Fortitudo et arma, quibus quasi cornibus hostes transfixit Christus, fuerunt brachia crucis, cui affixæ erant manus Christi. Hinc et Constantino Magno contra Maxentium pugnaturo crux e cœlo ostensa, cum hac inscriptione : « In hoc signo vinces, » ut testatur Eusebius, lib. I *Vitæ Constant.*, cap. XXII.

Locus *Habacuc* III illustratus.

Litteraliter et moraliter nota : fortitudo et magis sapientia crucis, ut docet D. Thomas, III *part.*, *Quæst.* XLVI, art. 3 et 4, et S. Augustinus, lib. XIII *De Trinit.*, cap. XII, patet *primo*, quia summum Deus in cruce nobis ostendit amorem, ut hac arte nos ad se traheret : Deus enim nulla necessitate compulsus, nulla spe propriæ utilitatis illectus, solo nostri amore ad crucem sponte descendit, ita tamen sapienter, ut per hoc deitatis suæ celsitudini et gloriæ nihil detraheret. Deitas enim in se nihil est passa, sed omnem passionem in humanitate assumpta sustinuit. *Secundo*, quia in cruce redemit hominem, non per potentiam deitatis,

In qua tantæ rei patet et elucet fortitudo et sapientia crucis.

sed per justitiam et humilitatem passionis, ut ait S. Augustinus. *Tertio*, quia in cruce perfectissimum obedientiæ, constantiæ, pœnitentiæ, patientiæ, fortitudinis, mortificationis vitiorum omniumque virtutum exemplar nobis imitandum proposuit. *Quarto*, quia in cruce mundi sapientiam et fastum confutavit, dedítque homini lapso per superbiam et delicias, speculum vitæ, scilicet, modum per humilitatem et crucem reparandi se.

Quocirca S. Bernardus, *ad Milites templi*, XI : « Nec minus, inquit, profuit infirmitas Christi quam majestas : quia etsi ex deitatis potentia peccati jugum jubendo submovit, ex carnis tamen infirmitate mortis jura moriendo concussit. Unde pulchre ait Apostolus : Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. Sed et illa ejus stultitia, per quam ei placuit salvum facere mundum, ut mundi confutaret sapientiam, confunderet sapientes : quod videlicet cum in forma Dei esset, Deo æqualis, semetipsum exinanivit formam servi accipiens ; quod dives cum esset, propter nos egenus factus est, de magno parvus, de celso humilis, infirmus de potente ; quod esurit, quod sitit, quod fatigatus est in itinere, et cætera quæ passus est voluntate, non necessitate : hanc ergo ipsius stultitia nonne fuit nobis via prudentiæ, justitiæ forma, sanctitatis exemplum ? Ob hoc item Apostolus : Quod stultum est, inquit, Dei, sapientius est hominibus. Mors ergo a morte, vita ab errore, a peccato gratia liberavit. Et quidem mors per justitiam suam peregit victoriam : quia justus exsolvendo quæ non rapuit, jure omnino quod amiserat, accepit. »

Perfectis almæ Reginæ et Sancti apicem perfectionis gestant in opprobrio crucis, et stultitia Christi.

Unde Simeon Salus, Franciscus et maximi Sancti quæsierunt stulti haberi a mundo, ut Deo magis placerent ; adeoque Religiones nonnullæ hunc quasi apicem perfectionis et sapientiæ Christianæ suis præscribunt, ut tantum ament, capiant, amplectantur sui contemptum, irrisiones, opprobria, injurias, quin et stulti haberi exoptent, quantum mundani sectantur sapientiæ famam, honorem, nominis celebritatem. Idque *primo*, hac de causa, ut sic mundum perfecte contemnant. *Secundo*, ut seipsos maxime humilient et innatum gloriæ, laudis, honoris ac celsitudinis appetitum extirpent. *Tertio*, ut magis conformentur Christo, ejusque vestibus et insignibus induantur, qui propter nos, et ut daret nobis exemplum virtutis et perfectionis, hæc ipsa elegit, voluit haberi stultus, factus est opprobrium hominum et abjectio plebis. Dicunt ergo ipsi cum Paulo : « Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. »

Hæc omnia docet crux Christi, si eam sæpe contempleris ; nimirum crux est fons sapientiæ. S. Bonaventura rogatus, unde tantam hausisset sapientiam, Crucifixum ostendit oculis pene attritum. B. Jacoponus, vir nobilis et litteratus, cum ex cruce Christi didicisset mundo stultescere, rogatus a Christo sibi apparente amice et familiariter, cur hanc stultitiam ita adamaret, respondit pio lepore, ut solebat : « Quia stultior me fuisti, Domine. »

Virtus et elogia crucis ampla.

Denique virtutem et elogia crucis paucis ita complectitur S. Chrysostomus, homil. 4 *De Cruce et Latrone* : « Si nosse desideras virtutem crucis, et quantum possum ad ejus laudem dicere, audi : Crux spes est Christianorum, resurrectio mortuorum, desperatorum via, claudorum baculus, consolatio pauperum, refrœnatio divitum, destructio superborum, male viventium pœna, adversus dæmones triumphus, devictio diaboli, adolescentium pædagogus, sustentatio inopum, spes desperatorum, navigantium gubernator, pelielitantium portus, obsessorum murus, pater orphanorum, defensor viduarum, justorum consiliarius, tribulatorum requies, parvulorum custos, vivorum caput, senum finis, lumen in tenebris sedentium, regum magnificentia, scutum perpetuum, insensatorum sapientia, libertas servorum, Imperatorum philosophia, lex impiorum, martyrum gloriatio, monachorum abstinentia, virginum castitas, gaudium sacerdotum, Ecclesiæ fundamentum, templorum destructio, idolorum repulsio, scandalum Judæorum, perditio impiorum, invalidorum virtus, ægrotantium medicus, esurientium panis, sitientium fons, nudorum protectio. »

26. VIDETE ENIM VOCATIONEM VESTRAM, FRATRES, QUIA NON MULTI SAPIENTES SECUNDUM CARNEM, NON MULTI POTENTES. — Nota : τὸ *enim* dat causam præcedentium, estque hic alia probatio ejus quod dixit vers. 23 : « Placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes ; » idipsum enim probat duobus argumentis : *Primo*, vers. 23, ex objecto prædicationis, quia scilicet Deo placuit per crucem salvos nos facere, hoc autem mundo videtur stultitia. *Secundo*, idem probat hic ex ipsis ministris prædicationis, quia scilicet ipsi Apostoli prædicantes crucem et salutem fuerunt homines viles, rudes, abjecti et stulti coram mundo.

Bursum, τὸ *enim* hunc versum cum vers. 25 proxime præcedenti apte connectit ; ibi enim dixerat Apostolus : « Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus ; et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. » Quæ sententia indefinita et generalis vera est, tam in ipsa cruce, quam in ipsis crucis prædicatoribus, ut docet Athanasius, Quæst. CXXIX *ad Antiochum*.

Adeoque τὸ *enim* hic significat aptam convenientiam prædicatorum cum ipsa cruce, quasi dicat : Deus voluit stultitia et infirmitate crucis uti, eaque superare et sibi subdere omnium hominum sapientiam et potentiam, idque patet, non solum in ipsa cruce crucisque victoria, sed etiam in Apostolis crucem prædicantibus ; nam non elegit Deus sapientes et potentes mundi, sed pauperes, idiotas et stultos coram mundo Apostolos, qui crucis trophæum per totum orbem circumferrent, crucisque fidem toti mundo persuaderent, ut omnes homines crederent et spectarent se per crucem Christi justitiam et salutem adepturos.

Est ratio a simili, sive ab analogia : qualis enim fuit crux, scilicet vilis, abjecta et stulta mundo, tales decebat quoque esse crucis præcones. Deus enim cruci prædicandæ ita congrue omnia adaptavit mira sua sapientia, ut tam prædicatores, quam ipsi credentes quoque cruci congruerent : primi enim credentes et ad fidem vocati, fuerunt homines plebeii, viles, obscuri, peccatores, publicani et meretrices.

Vocantis et vocati ad fidem ignobilis, pauperis, rudis.

VIDETE VOCATIONEM, — id est rationem et modum vocationis vestræ : quia Apostoli qui vos vocarunt, non sunt sapientes secundum carnem, id est carnalis, terrena, mundana sapientia, quæ spiritualem et divinam neseit. Ita S. Thomas ; loquitur enim maxime de vocantibus Apostolis. *Secundo* tamen, recte Chrysostomus ex vers. 2, etiam de vocatis et conversis accipit ; nam plures indocti fuere conversi ad Christum, pauciores docti et nobiles, utpote superbi, ut, « Videte vocationem, » idem sit, quod videte vocantes et vocatos, quales scilicet sint, vide *Can.* 21 et 30.

Fraus nobilis et sapientis.

Nota : Aliqui sapientes et potentes fuere vocati, ut Dionysius Areopagita, Paulus Proconsul, Nicodemus, Paulus hic noster, sed pauci ; et Apostolus loquitur maxime de Apostolis, qui primi vocati sunt, cum essent pauperes et abjecti. Unde Ambrosius, lib. V *in Lucam*, ad illud cap. VI, *Elegit duodecim ex eis* : « Adverte, ait, cœleste consilium : non sapientes aliquos, non divites, non nobiles, sed piscatores et publicanos, quos diligeret, elegit, ne fraudaxie e prudentia, ne rodemisse divitiis, ne potentiæ nobilitatisque auctoritate traxisse aliquos ad suam gratiam videretur, ut veritatis ratio, non disputationis gratia prævaleret. » Et S. Augustinus, *De Verbis Domini*, serm. 99, tom. X : « Magna, inquit, artificis ars sericordia ; sciebat enim quod, si eligeret senatorem, diceret senator : Dignitas mea electa est ; si eligeret divitem, diceret dives : Opulentia mea electa est ; si regem, diceret rex : Potestas mea ; si oratorem : Eloquentia mea ; si philosophum : Sapientia mea electa est. Interim, inquit Dominus, differuntur superbi isti, multum tament : da mihi prius istum piscatorem ; veni tu, pauper : nihil habes, nihil nosti, sequere me : tam largo fonti vas inane admovendum est : illumsit retia piscator, accepit gratiam, et factus est divinus orator : loquuntur modo verba piscatorum, et subduntur colla oratorum. » Vanum ergo videtur, quod de nobilitate et purpura S. Bartholomæi apostoli fabulantur nonnulli.

Deus pro vera sua sapientia nos vocat, et nobis ?

27. SED QUÆ STULTA SUNT MUNDI ELEGIT DEUS, UT CONFUNDAT SAPIENTES. (Nota : *stulta*, *infirma*, *ignobilia mundo*, per auxesin, vocat Paulus ipsos fideles vocatos in Christum, vel potius ipsos vocantes, scilicet Apostolos ; hos enim, quia rudes, pauperes, ignobiles, ideoque coram mundo stultos, mundique ludibria, opponit sapientibus, fortibus et potentibus mundi ; eosdem vocat) ET QUÆ NON SUNT (id est abjecta, quæ pro nihilo habentur, q. d. Deus elegit Apostolos abjectos, qui pro nihilo habebantur), UT EA QUÆ SUNT (id est, ea quæ habentur in pretio, puta sapientes et potentes mundi) DESTRUERET, — et quasi annihilaret.

Infirma elegit Deus ut confundat fortia.

Ubi nota : Tria quæ mundus solet admirari, scilicet sapientia, potentia et nobilitas, a Deo fuerunt neglecta in vocatione hominum ad fidem, justitiam et salutem ; atque e contrario, tria his contraria fuerunt ab eo electa, scilicet insipientia, impotentia et ignobilitas. Primi enim vocantes Apostoli, æque ac primi vocati, tam Judæi, quam Gentiles, fuerunt secundum mundum insipientes, impotentes, ignobiles. Idque ut ostenderet Deus divinum hoc esse opus, Deique gratiæ, non autem humanæ excellentiæ, ascribendam esse hanc vocationem. Ita secundo post Apostolos sæculo elegit Agnetem, virgunculam tredecim annorum, quæ sua admirabili fortitudine stupefaceret et confunderet Præsides omnesque Gentiles. Unde merito in ejus Collecta orat Ecclesia : « Omnipotens sempiterne Deus, qui infirma mundi eligis ut fortia quæque confundas : concede propitius, ut qui B. Agnetis, virginis et martyris tuæ, solemnia colimus, ejus apud te patrocinia sentiamus. » Tales fuere et S. Agatha, Lucia, Dorothea, Barbara et sexcentæ aliæ, quas ad hoc excitasse videtur Deus, ut in earum debilitate gratiæ suæ vim ostenderet, quodque *virtus divina in infirmitate* humana *perficitur*. Quocirca in earum Collecta orat Ecclesia : « Deus qui inter cætera potentiæ tuæ miracula, etiam in sexu fragili victoriam martyrii contulisti : concede propitius, ut qui beatæ N. virginis et martyris natalitia colimus, per ejus ad te exempla gradiamur. »

29. UT NON GLORIETUR OMNIS CARO. — « Non omnis, » id est *nullus* ; est habraismus. Rursum « caro, » id est *homo* : est synecdoche, q. d. Ideo Deus elegit et vocavit ad Christum non sapientes, nobiles, potentes : sed rudes, ignobiles et impotentes, ut nullus homo glorietur se vocatum ad christianismum ob suam sapientiam, opes, nobilitatem, fortitudinem, merita ; sed sciat se vocatum ex mera Dei gratia. Ita Anselmus.

30. EX IPSO AUTEM VOS ESTIS IN CHRISTO JESU. — « Ex ipso, » id est *ipsius*, scilicet Dei, dono, per ipsius gratiam, et vos vocati estis ad fidem Christoque credilis. Ita Anselmus. *Esse enim in Christo*, est Christo esse incorporatum in baptismo, sive esse in Christi Ecclesia et Christianismo, juxta *Can.* 37.

QUI (Christus) FACTUS EST NOBIS SAPIENTIA A DEO, ET JUSTITIA, ET SANCTIFICATIO, ET REDEMPTIO. — « Justitia, » imputativa, inquiunt Novantes ; quia scilicet non per veram et inhærentem, sed tantum per externam Christi justitiam nobis imputatam

coram Deo, videmur esse justi. Sed contra insto: ergo sic et Christi redemptio activa (hanc enim addit Apostolus) nobis imputabitur, ac consequenter erimus nos redemptores nostri, quod est absurdum. *Secundo*, sapientia nobis inhæret et fide; ergo et justitia : eodem enim modo ait Apostolus Christum factum esse nobis justitiam et sapientiam.

Dico ergo ex *Can.* 21, cum Chrysostomo, Theophylacto, Anselmo, Ambrosio, S. Thoma, sensus hujus loci hic est : Christus factus est nobis auctor et causa veræ et Christianæ sapientiæ, redemptionis, sanctitatis et justitiæ: *Primo*, satisfactorie et meritorie, idque maxime hoc spectat Apostolus; quia Christus pro debito humano, justissimo sanguinis sui pretio satisfecit, et meruit nobis justitiam, sapientiam et sanctitatem, adeoque factus est nobis justitia, quia justitia, id est satisfactio, Christi nostra est, perinde ac si nos Deo satisfecissemus. Unde, ut Theologi docent, in justificatione per Sacramenta quasi prius natura, Christi satisfactio nobis applicatur; ut deinde posterius natura, propter eam remittantur peccata, et gratia infundatur. Damnatur ergo hic error Petri Abailardi, quem jam sequuntur Sociniani, qui docent Christum fuisse doctorem orbis, non redemptorem, nimirum eum missum esse a Patre, ut daret hominibus exemplum perfectæ virtutis, non autem ut a peccatis eos liberaret et redimeret. Quos insectans S. Bernardus, epist. 190 ad *Innocentium Pontificem* : « Finis legis, inquit, Christus, ad salutem omni credenti, *Roman.* x. Denique, qui factus est nobis, inquit, justitia a Deo Patre. Quæ ergo mihi justitia facta est, mea non est? Si mea traducta culpa, cur non et mea indulta justitia? Et sane mihi tutior donata quam innata. Nam ista quidem gloriam habet, sed non apud Deum. Illa autem cum sit salutis efficax, materiam non habet gloriandi, nisi in Domino. Nam et si justus fuero, non levabo caput, inquit Job, cap. x, ne videlicet responsum accipiat : Quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Hinc est justitia hominis in sanguine Redemptoris, quam homo perditionis (Abailardus) exsufflans atque subsannans, in tantum evacuare conatur, ut totum quod Dominus gloriæ semetipsum exinanivit, etc., quod passus indigna, etc., ad id solum putet et disputet redigendum, ut traderet hominibus formam vitæ vivendo et docendo, patiendo autem et moriendo charitatis mutam præbuerat, » etc. Ratio Abailardi erat fallax et frivola : Diabolus, inquit, nullum jus habebat in hominem : ergo homo non egebat liberatore. At etsi antecedens enim verum est de jure legitimo, non de jure usurpato, quo homo peccans sponte subdiderat se diabolo, peccato et inferno.

Secundo, exemplariter, quia Christi justitia perfectissimum est exemplar, ad quod omnis nostra justitia conformaridebet, *q. d.* Paulus : « Christus factus est nobis justitia, » id est exemplar et speculum justitiæ. Christus factus est nobis justitia et sapientia et sanctificatio et redemptio.

Tertio, efficienter, quia justitiam hanc efficit Christus et producit per sua Sacramenta, et quia docet veram sapientiam ac scientiam Sanctorum, quomodo scilicet bene et christiane vivere, et qua via ad cœlum et ad beatitudinem tendere debeamus.

Quarto, finaliter, quia ipse Christus et gloria Christi, finis est nostræ justitiæ et sanctitatis. Symbolice S. Bernardus, serm. 22 in *Cantica*, hæc quatuor, « sapientia, justitia, sanctificatio, redemptio, » adaptat *primo*, quatuor Christi operibus : « Christus, inquit, factus est nobis sapientia in prædicatione, justitia in absolutione peccatorum, sanctificatio in conversatione quam habuit cum peccatoribus, redemptio in passione quam sustinuit pro peccatoribus. » Et inferius : « Christus factus est nobis a Deo sapientia, docens prudentiam; et justitia, delicta donans; et sanctificatio in exemplum temperantiæ, continenter vivens; et redemptio in exemplum patientiæ, fortiter moriens. Ubinam, quæso, vera prudentia, nisi in Christi doctrina? Unde vera justitia, nisi de Christi misericordia? Ubi vera temperantia, nisi in Christi vita? Ubi vera fortitudo, nisi in Christi passione? » *Secundo*, consequenter S. Bernardus hæc quatuor adaptat quatuor virtutibus cardinalibus, prudentiæ, justitiæ, temperantiæ et fortitudini, quas Christus nobis communicat, dum subdit dicens : « Soli ergo qui ejus doctrina imbuti sunt, prudentes dicendi sunt; soli justi, qui de ejus misericordia veniam peccatorum consecuti sunt; soli temperantes, qui ejus vitam imitari student; soli fortes, qui ejus patientiæ documenta fortiter in adversis tenent. Incassum proinde quis laborat in acquisitione virtutum, si aliunde eas sperandas putat, quam a Domino virtutum; cujus doctrina, seminarium prudentiæ; cujus misericordia, opus justitiæ; cujus vita, speculum temperantiæ; cujus mors insigne est fortitudinis. »

31. Ut qui gloriatur, in Domino glorietur. — Citat non verba, sed sensum *Jerem.* IX, 23. Ita Ambrosius, Theophylactus, Anselmus, D. Thomas. Jeremias sic habet : « Non glorietur sapiens in sapientia sua, et non glorietur fortis in fortitudine sua, et non glorietur dives in divitiis suis; sed in hoc glorietur qui gloriatur, scire et nosse me : » hoc autem est « in Domino gloriari. »

Nota : Loquitur Jeremias de liberatione a manibus Nabuchodonosoris et clade Chaldæorum, Judææ imminentium, *q. d.* Judæi gloriantur in consiliis eorum sapientium, in robore militum, in opibus Hierosolymæ, quasi iis tuti futuri sint contra Chaldæos; sed errant : vera enim gloriatio est scire et nosse Deum, id est Dei providentiam; quodque ipse sit, qui facit misericordiam, et quos vult, misericorditer liberat, non autem

Primum et finalius bonum est solus Deus.

Sapientia et Christus nobis est sua justitia, fortitudo, temperantia, redemptio.

homo sapiens, dives, aut fortis; quodque ipse solus justam pœnam infert, cui vult, a qua nemo sapiens, fortis aut dives liberare potest; sicut vobis, o Judæi, inferet, facietque ut mors, id est Chaldæus hostis, mortem inferens, ascendat per fenestras, ut per eas in domos penetrans, parvulos omnesque trucidet.

Triplex gloria Christi in operibus quæ recolit.

Id recte Apostolus hic vocantibus et vocatis ad christianismum adaptat, ut nemo gratiam christianismi sibi, suis viribus, aut naturæ donis tribuat, sed gratiæ Christi, et consequenter tacite infert, *q. d.* Non ergo, o Corinthii, in vobis, non in Paulo, vel Apollo, præceptoribus vestris, sed in Domino gloriamini : hoc enim initio probare proposuit Paulus, eoque omnia referenda sunt. « Ille, ait Anselmus, in solo Domino gloriatur, qui cognoscit non suum, sed illius esse, non solum ut sit, sed etiam ut non nisi ab illo bene sit sibi, a quo habet ut sit. » Rursum, qui habens aliquid, unde placeat Deo, non id suæ sapientiæ, potentiæ, operibus, ingenio, meritis; sed soli gratiæ Dei acceptum fert. *Tertio*, qui in omnibus quæ facit, non suam, sed Domini gloriam quærit.

Scripsit in hæc Apostoli verba insignem sermonem S. Bernardus, *De Triplici Gloria*. Idem, serm. 25 in *Cantic.* : « Propterea, inquit, et omnis gloria Sanctorum intus, non foris est, hoc est, non in flore fœni, aut in ore vulgi, sed in Domino, quod conscientiæ solus sit arbiter Deus, cui soli placere desiderant, et cui placere sola vera et summa gloria est. » Et serm. 13 in *Cantic.* : « Fratres, nemo vestrum velit laudari in vita ista; quia quidquid hic favoris captas, quod ad Deum non retuleris, ipsi furaris. Tu enim, putride pulvis, unde gloria tibi, unde? » Et in *Sententiis* : « Noverat Apostolus gloriam propriam Creatoris esse, non creaturæ; sed consideravit rationalem creaturam adeo affectare gloriam, ut aut vix, aut nunquam ab hoc compesci desiderio possit, quippe quæ ad imaginem facta est Creatoris. Propterea saluberrimum adinvenit consilium, dicens : Quandoquidem nobis persuaderi non potest non gloriari, saltem qui gloriatur, in Domino gloriatur. » Dicamus ergo jugiter cum Psalte : « Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. » Et cum viginti quatuor senioribus mittentibus coronas suas ante thronum : « Sedenti in throno, et Agno benedictio, et honor, et gloria, et potestas in sæcula sæculorum. Amen, » *Apoc.* cap. IV, vers. 11, et cap. V, vers. 13 et 14.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit extollere Christi sapientiam spiritualem super omnem naturalem et animalem.

Unde dicit, primo, se non aliud scire et prædicare quam Christum crucifixum; idque non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis.

Nihilominus secundo, vers. 8, asserit se sapientiam loqui inter perfectos; sapientiam, inquam, mundo absconditam, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, sed solus Dei Spiritus revelavit.

Hinc tertio, 14, docet animalem non percipere ea quæ Dei sunt; spiritalem autem omnia percipere et judicare.

1. Et ego, cum venissem ad vos, fratres, veni non in sublimitate sermonis, aut sapientiæ, annuntians vobis testimonium Christi. 2. Non enim judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum. 3. Et ego in infirmitate, et timore, et tremore multo fui apud vos; 4. et sermo meus, et prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis : 5. ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. 6. Sapientiam autem loquimur inter perfectos; sapientiam vero non hujus sæculi, neque principum hujus sæculi, qui destruuntur : 7. sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram, 8. quam nemo principum hujus sæculi cognovit : si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. 9. Sed, sicut scriptum est : Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum : 10. nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum : Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. 11. Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? ita et quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

coram Deo, videmur esse justi. Sed contra insto: ergo sic et Christi redemptio activa (hanc enim addit Apostolus) nobis imputabitur, ac consequenter erimus nos redemptores nostri, quod est absurdum. *Secundo*, sapientia nobis inhæret et fide; ergo et justitia : eodem enim modo ait Apostolus Christum factum esse nobis justitiam et sapientiam.

Dico ergo ex *Can.* 21, cum Chrysostomo, Theophylacto, Anselmo, Ambrosio, S. Thoma, sensus hujus loci hic est : Christus factus est nobis auctor et causa veræ et Christianæ sapientiæ, redemptionis, sanctitatis et justitiæ: *Primo*, satisfactorie et meritorie, idque maxime hoc spectat Apostolus; quia Christus pro debito humano, justissimo sanguinis sui pretio satisfecit, et meruit nobis justitiam, sapientiam et sanctitatem, adeoque factus est nobis justitia, quia justitia, id est satisfactio, Christi nostra est, perinde ac si nos Deo satisfecissemus. Unde, ut Theologi docent, in justificatione per Sacramenta quasi prius natura, Christi satisfactio nobis applicatur; ut deinde posterius natura, propter eam remittantur peccata, et gratia infundatur. Damnatur ergo hic error Petri Abailardi, quem jam sequuntur Sociniani, qui docent Christum fuisse doctorem orbis, non redemptorem, nimirum eum missum esse a Patre, ut daret hominibus exemplum perfectæ virtutis, non autem ut a peccatis eos liberaret et redimeret. Quos insectans S. Bernardus, epist. 190 ad *Innocentium Pontificem* : « Finis legis, inquit, Christus, ad salutem omni credenti, *Roman.* x. Denique, qui factus est nobis, inquit, justitia a Deo Patre. Quæ ergo mihi justitia facta est, mea non est? Si mea traducta culpa, cur non et mea indulta justitia? Et sane mihi tutior donata quam innata. Nam ista quidem gloriam habet, sed non apud Deum. Illa autem cum sit salutis efficax, materiam non habet gloriandi, nisi in Domino. Nam et si justus fuero, non levabo caput, inquit Job, cap. x, ne videlicet responsum accipiat : Quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Hinc est justitia hominis in sanguine Redemptoris, quam homo perditionis (Abailardus) exsufflans atque subsannans, in tantum evacuare conatur, ut totum quod Dominus gloriæ semetipsum exinanivit, etc., quod passus indigna, etc., ad id solum putet et disputet redigendum, ut traderet hominibus formam vitæ vivendo et docendo, patiendo autem et moriendo charitatis mutam præbuerat, » etc. Ratio Abailardi erat fallax et frivola : Diabolus, inquit, nullum jus habebat in hominem : ergo homo non egebat liberatore. At etsi antecedens enim verum est de jure legitimo, non de jure usurpato, quo homo peccans sponte subdiderat se diabolo, peccato et inferno.

Secundo, exemplariter, quia Christi justitia perfectissimum est exemplar, ad quod omnis nostra justitia conformaridebet, *q. d.* Paulus : « Christus factus est nobis justitia, » id est exemplar et speculum justitiæ. Christus factus est nobis justitia et sapientia et sanctificatio et redemptio.

Tertio, efficienter, quia justitiam hanc efficit Christus et producit per sua Sacramenta, et quia docet veram sapientiam ac scientiam Sanctorum, quomodo scilicet bene et christiane vivere, et qua via ad cœlum et ad beatitudinem tendere debeamus.

Quarto, finaliter, quia ipse Christus et gloria Christi, finis est nostræ justitiæ et sanctitatis. Symbolice S. Bernardus, serm. 22 in *Cantica*, hæc quatuor, « sapientia, justitia, sanctificatio, redemptio, » adaptat *primo*, quatuor Christi operibus : « Christus, inquit, factus est nobis sapientia in prædicatione, justitia in absolutione peccatorum, sanctificatio in conversatione quam habuit cum peccatoribus, redemptio in passione quam sustinuit pro peccatoribus. » Et inferius : « Christus factus est nobis a Deo sapientia, docens prudentiam; et justitia, delicta donans; et sanctificatio in exemplum temperantiæ, continenter vivens; et redemptio in exemplum patientiæ, fortiter moriens. Ubinam, quæso, vera prudentia, nisi in Christi doctrina? Unde vera justitia, nisi de Christi misericordia? Ubi vera temperantia, nisi in Christi vita? Ubi vera fortitudo, nisi in Christi passione? » *Secundo*, consequenter S. Bernardus hæc quatuor adaptat quatuor virtutibus cardinalibus, prudentiæ, justitiæ, temperantiæ et fortitudini, quas Christus nobis communicat, dum subdit dicens : « Soli ergo qui ejus doctrina imbuti sunt, prudentes dicendi sunt; soli justi, qui de ejus misericordia veniam peccatorum consecuti sunt; soli temperantes, qui ejus vitam imitari student; soli fortes, qui ejus patientiæ documenta fortiter in adversis tenent. Incassum proinde quis laborat in acquisitione virtutum, si aliunde eas sperandas putat, quam a Domino virtutum; cujus doctrina, seminarium prudentiæ; cujus misericordia, opus justitiæ; cujus vita, speculum temperantiæ; cujus mors insigne est fortitudinis. »

31. Ut qui gloriatur, in Domino glorietur. — Citat non verba, sed sensum *Jerem.* IX, 23. Ita Ambrosius, Theophylactus, Anselmus, D. Thomas. Jeremias sic habet : « Non glorietur sapiens in sapientia sua, et non glorietur fortis in fortitudine sua, et non glorietur dives in divitiis suis; sed in hoc glorietur qui gloriatur, scire et nosse me : » hoc autem est « in Domino gloriari. »

Nota : Loquitur Jeremias de liberatione a manibus Nabuchodonosoris et clade Chaldæorum, Judææ imminentium, *q. d.* Judæi gloriantur in consiliis eorum sapientium, in robore militum, in opibus Hierosolymæ, quasi iis tuti futuri sint contra Chaldæos; sed errant : vera enim gloriatio est scire et nosse Deum, id est Dei providentiam; quodque ipse sit, qui facit misericordiam, et quos vult, misericorditer liberat, non autem

Primum et finalius bonum est solus Deus.

Sapientia et Christus nobis est sua justitia, fortitudo, temperantia, redemptio.

homo sapiens, dives, aut fortis; quodque ipse solus justam pœnam infert, cui vult, a qua nemo sapiens, fortis aut dives liberare potest; sicut vobis, o Judæi, inferet, facietque ut mors, id est Chaldæus hostis, mortem inferens, ascendat per fenestras, ut per eas in domos penetrans, parvulos omnesque trucidet.

Triplex gloria Christi in operibus quæ recolit.

Id recte Apostolus hic vocantibus et vocatis ad christianismum adaptat, ut nemo gratiam christianismi sibi, suis viribus, aut naturæ donis tribuat, sed gratiæ Christi, et consequenter tacite infert, *q. d.* Non ergo, o Corinthii, in vobis, non in Paulo, vel Apollo, præceptoribus vestris, sed in Domino gloriamini : hoc enim initio probare proposuit Paulus, eoque omnia referenda sunt. « Ille, ait Anselmus, in solo Domino gloriatur, qui cognoscit non suum, sed illius esse, non solum ut sit, sed etiam ut non nisi ab illo bene sit sibi, a quo habet ut sit. » Rursum, qui habens aliquid, unde placeat Deo, non id suæ sapientiæ, potentiæ, operibus, ingenio, meritis; sed soli gratiæ Dei acceptum fert. *Tertio*, qui in omnibus quæ facit, non suam, sed Domini gloriam quærit.

Scripsit in hæc Apostoli verba insignem sermonem S. Bernardus, *De Triplici Gloria*. Idem, serm. 25 in *Cantic.* : « Propterea, inquit, et omnis gloria Sanctorum intus, non foris est, hoc est, non in flore fœni, aut in ore vulgi, sed in Domino, quod conscientiæ solus sit arbiter Deus, cui soli placere desiderant, et cui placere sola vera et summa gloria est. » Et serm. 13 in *Cantic.* : « Fratres, nemo vestrum velit laudari in vita ista; quia quidquid hic favoris captas, quod ad Deum non retuleris, ipsi furaris. Tu enim, putride pulvis, unde gloria tibi, unde? » Et in *Sententiis* : « Noverat Apostolus gloriam propriam Creatoris esse, non creaturæ; sed consideravit rationalem creaturam adeo affectare gloriam, ut aut vix, aut nunquam ab hoc compesci desiderio possit, quippe quæ ad imaginem facta est Creatoris. Propterea saluberrimum adinvenit consilium, dicens : Quandoquidem nobis persuaderi non potest non gloriari, saltem qui gloriatur, in Domino gloriatur. » Dicamus ergo jugiter cum Psalte : « Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. » Et cum viginti quatuor senioribus mittentibus coronas suas ante thronum : « Sedenti in throno, et Agno benedictio, et honor, et gloria, et potestas in sæcula sæculorum. Amen, » *Apoc.* cap. IV, vers. 11, et cap. V, vers. 13 et 14.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit extollere Christi sapientiam spiritualem super omnem naturalem et animalem.

Unde dicit, primo, se non aliud scire et prædicare quam Christum crucifixum; idque non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis.

Nihilominus secundo, vers. 8, asserit se sapientiam loqui inter perfectos; sapientiam, inquam, mundo absconditam, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, sed solus Dei Spiritus revelavit.

Hinc tertio, 14, docet animalem non percipere ea quæ Dei sunt; spiritalem autem omnia percipere et judicare.

1. Et ego, cum venissem ad vos, fratres, veni non in sublimitate sermonis, aut sapientiæ, annuntians vobis testimonium Christi. 2. Non enim judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum. 3. Et ego in infirmitate, et timore, et tremore multo fui apud vos; 4. et sermo meus, et prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis : 5. ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. 6. Sapientiam autem loquimur inter perfectos; sapientiam vero non hujus sæculi, neque principum hujus sæculi, qui destruuntur : 7. sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram, 8. quam nemo principum hujus sæculi cognovit : si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. 9. Sed, sicut scriptum est : Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum : 10. nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum : Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. 11. Quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? ita et quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

12. Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis : 13. quæ et loquimur non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina Spiritus, spiritualibus spiritualia comparantes. 14. Animalis autem homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei : stultitia enim est illi, et non potest intelligere : quia spiritualiter examinatur. 15. Spiritualis autem judicat omnia : et ipse a nemine judicatur. 16. Quis enim cognovit sensum Domini, qui instruat eum? Nos autem sensum Christi habemus.

1. ET EGO, CUM VENISSEM AD VOS, FRATRES, VENI NON IN SUBLIMITATE SERMONIS, AUT SAPIENTIÆ. — Descendit Apostolus a thesi ad hypothesin, *q. d.* Dixi cap. præced. Deum in Evangelio prædicando voluisse uti sapientia sapientium sæcularium, sed eam rejecisse et reprobasse; atque per stultitiam prædicationis voluisse salvos facere credentes, ideoque non multos nobiles et sapientes, sed ignobiles et rudes Apostolos elegisse, ad promulgandum Evangelium; ex hisce infero dicoque : « Et ego, » id est, itaque ego quoque quasi unus e grege Apostolorum, qui juxta electionem et voluntatem Dei non sunt usi eloquentia et sapientia sæculari, iisdem uti nolui, venique ad vos, non in sublimitate, sed in simplicitate sermonis et sapientiæ.

2. NON ENIM JUDICAVI ME SCIRE ALIQUID INTER VOS, NISI JESUM CHRISTUM, ET HUNC CRUCIFIXUM. — Nota « judicavi. » *q. d.* Non reputavi, non æstimavi aliam scientiam, quam eam quæ est de Jesu crucifixo, Salvatore nostro : unde ita me gessi inter vos, quasi nihil scirem sapientiæ humanæ, cum tamen multum ejus callerem, nam alibi Poetas græcos cito; sed apud vos dissimulavi, ut simpliciter, uti alii Apostoli, prædicarem tantum Christum crucifixum : non quod alia fidei mysteria non prædicarim, sed quod præcipue docuerim et inculcarim in una Christi cruce esse gloriandum, et sperandam esse justitiam ac salutem, crucemque, ut addit Anselmus, inulandam esse, ac vilia crucifigenda esse Christiano. In Christo enim crucifixo, præter alia, videre est, hæc tria Christum elegisse et amplexum esse, scilicet summum dolorem, summam paupertatem, sive nuditatem, et summam ignominiam. Christus ergo suo dolore crucifixit nobisque crucifigendam docuit concupiscentiam carnis; pari modo suæ paupertate crucifixit concupiscentiam oculorum, sive philargyriam; ac denique sua ignominia crucifixit superbiam vitæ : quæ tria simul genitalia mundi vitia omniumque peccatorum fontes, ut docet S. Joannes, *epist.* I, cap. II, vers. 16. Vide de cruce Christi dicta cap. I, vers. 23.

3. ET (itaque) EGO IN INFIRMITATE (id est, in ærumnis, tribulatione et persecutione), ET IN TIMORE, ET TREMORE MULTO (ob infestationem Judæorum et Gentium me persequentium [1]) FUI APUD VOS. — Notat Chrysostomus et Anselmus Apostolum hic *epist.* II, cap. XI, vers. 30 et cap. XII, vers. 5, 9, 10 et alibi, *infirmitatem* vocare ærumnas ex periculis, insidiis, exiliis, metu quotidiano, calumniis, odiis. Rursus Paulum ingentes ærumnas et persecutiones passum esse Corinthi, satis patet ex eo, quod oportuerit eum ibidem a Christo in visione contra eas corroborari, *Actor.* XVIII, 9 : « Noli, inquit Christus Paulo, timere : ego sum tecum, nemo apponetur tibi ut nocet te. » Unde mox ibidem tumultum contra Paulum excitarunt Judæi, eumque pertraxerunt ad tribunal Gallionis, præsidis Achaiæ, ac publice coram eo Sosthenem archisynagogum diverberarunt, *Act.* XVIII, 12.

Ærumnæ et tribulationes Pauli Corinthiacæ.

4. ET SERMO MEUS (privatus et familiaris), ET PRÆDICATIO MEA (concio publica : ita sermonem a prædicatione distinguit S. Thomas et Glossa, quin et Seneca, *epist.* 38 : « Plurimum, inquit, proficit sermo, qui minutatim irrepserit animo; disputationes præparate et effusæ, audiente populo (quas postea nominat conciones), plus habent strepitus, minus familiaritatis. » Hic ergo sermo noster, æque ac prædicatio) NON (fuit) IN PERSUASIBILIBUS (id est persuasoriis, sive exquisitis ad persuadendum : sic *incredibilis* in Scripturis idem est, quod *incredulus*) HUMANÆ SAPIENTIÆ VERBIS. — In hisce enim excellebant, Paulumque superabant oratores et philosophi qui erant Corinthi. Paulus vero novam philosophiam, novo dicendi et agendi modo, Corinthiis persuadere debebat, in eoque præcelluit omnibus oratoribus et philosophis, scilicet, « in ostensione spiritus et virtutis. » Ita S. Martinus, teste Sulpitio, dicebat : « Regnum Dei non in eloquentia, sed in fide constat; » et S. Augustinus, serm. 4 *De Accidentibus ad gratiam* : « Non, inquit, vobis tenantia et poetica verba proferimus, non aliqua grammaticorum arte composita, nec eloquentia sæculari diserto sermone tecta, sed prædicamus Christum crucifixum; » et lib. *Contra Felician.*, cap. II : « Nec præsumam, ait, unquam in sapientia verbi, ne evacuetur crux Christi : sed Scripturarum auctoritate contentus, simplicitati obedire potius studeo, quam timori. »

Ratio prædicandi Apostolis efficacissime.

Hæc ergo fuit demonstratio Apostolorum, ostendere maluerunt, *primo*, magnum zelum et spiritum eructantem sapientia et arcana, non humana, sed divina, ita ut manifeste cernerent auditores Spiritum Sanctum per os eorum loqui; *secundo*, ostendere magnas virtutes, id est prodigia et miracula. Unde Origenes, lib. I *Contra Celsum* : « Disciplina, inquit, nostra propriam quamdam habet demonstrationem, diviniorem quam sint Græcorum demonstrationes, quam Apostolus noxinat demonstrationem spiritus et virtutis, utpote Spiritu per prophetias (aliter hic explicat spiritum Origenes, quam explicui, sed, ut videtur, minus genuine) fidem adstruente iis quæ de Christo feruntur; virtute vero, per prodigia quæ facta credimus. » Nam, ut ait Œcumenius, « demonstratio quæ per opera est et signa, firmior est ea quæ ex verbis producitur. » Hæc ergo fuit ratio prædicandi apostolica, eaque efficacissima, quam sibi proponant ac imitentur nostri concionatores, ut nimirum sermo eorum non sit comptus, fucatus, affectatus, « in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis. » Ita evadent Apostolici, ac verba eorum erunt quasi ignitæ sagittæ corda penetrantes, et quasi mallei conterentes petras. Audi S. Hieronymum, epist. 2 *ad Nepotianum* : « Docente, inquit, te in ecclesia, non clamor populi, sed gemitus suscitetur; lacrymæ auditorum laudes tuæ sint. » Hic spiritus, uti et concionis fructus, oratione a Deo impetrandus est. Unde Origenes, lib. VI *Contra Celsum*, citans hæc eadem Apostoli verba : « Hæc verba, inquit, quid aliud sibi volunt, quam non satis esse, ut verum sit et natum ad movendos animos hominum, quod dicimus, nisi doctori divinitus concessa sit vis quædam, et dictis ejus adsit gratiæ cœlestis energia? Et hoc est quod ait David *Psalm.* LXVIII : Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa. »

Lacrymæ auditorum laudes sunt prædicatoris sapientis.

Spiritus et fructus conciones sapientis.

Vers. 5.

5. UT FIDES VESTRA NON SIT IN SAPIENTIA HOMINUM, SED IN VIRTUTE DEI. — *q. d.* Ideo Deus voluit me evangelizare, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis, « ut fides vestra, » id est conversio vestra ad fidem Christi, tributum non hominum sapientiæ et eloquentiæ, sed virtuti, id est potentiæ et efficaciæ Dei; nimirum, ut fides vestra sit fundata, non in hominum, sed in Dei sapientia et potentia. Ita Anselmus et alii.

Conversio non tributum alicujus sapientiæ, sed virtutis.

Vers. 6.

6. SAPIENTIAM AUTEM LOQUIMUR INTER PERFECTOS. — « Sapientiam, » scilicet Christianam; de Christi cruce, gratia, salute et gloria æterna nobis acquisita per Christum, « loquor inter perfectos, » id est fideles; qui licet sint simplices, tamen in rebus salutis præ Aristotele et quovis alio philosopho perfecte sapiunt : ita Chrysostomus et Anselmus; quique non solum baptismo renati, sed etiam sacramento Confirmationis confirmati, perfectionem christianismi adepti, perfectique Christiani effecti sunt. Inde enim a S. Dionysio et aliis sacramentum Confirmationis dicitur τελειωτικὸν, id est *perfectio*, vel *consummatio*; ipsique confirmati vocantur perfecti, vel consummati. Ita Salmeron. Idemque insinuat Irenæus, lib. V, cap. VI, cum ait : « Sapientiam loquimur inter perfectos, dicens perfectos eos qui acceperunt Spiritum Sanctum, et omnibus loquuntur linguis per Spiritum Dei, quemadmodum et ipse loquebatur. »

Confirmationis Sacramentum perfectio dicitur, et consummatio.

Duo desiderant Apostoli in verbo sapientiæ.

Secundo simplicius, « sapientiam, » id est secretiora et altiora fidei mysteria, uti de resurrectione, Antichristo, reprobatione, prædestinatione; vel potius, « sapientiam, » id est profundiorem et altiorem rerum fidei explicationem, uti de modo, consilio et fine incarnationis, passionis et redemptionis Christi; ita enim hanc sapientiam Paulus explicat versibus proxime sequentibus. Hanc non rudibus initio, sed provectis perfectisque loquor et edissero. Unde hos perfectos, vers. 15, vocat spirituales, eosque animalibus, parvulis ac carnalibus opponit, *q. d.* Licet, ut dixi vers. 4, expers videar sapientiæ humanæ, non tamen divinæ; tametsi enim vobis, quia parvulis, tantum lac, id est simplicem et facilem doctrinam, dederim, ut ait cap. seq., vers. 2, tamen sapientiam arcanam et divinam loquor inter perfectos.

Tuetur Apostolus hisce verbis suam auctoritatem apud Corinthios, qui audito Apollo, viro eloquente et sapiente, Paulum quasi ineloquentem et imperitum parvi facere videbantur.

SAPIENTIAM VERO NON HUJUS SÆCULI, NEQUE PRINCIPUM HUJUS SÆCULI. — Anselmus, Ambrosius, Cajetanus et alii per « principes hujus sæculi, » dæmones intelligunt, qui in hoc aere, et in impiis filiisque hujus sæculi dominantur : indeque probant dæmonem ante passionem Christi, licet sciret Christum esse Deum et Messiam, nescisse tamen, an ejus morte dæmonis imperium esset destruendum et homines redimendi, ut dicitur vers. 8. Hoc verum est, verius idipsum est in hominibus.

Unde *secundo*, simplicius Chrysostomus, Theophylactus, Anselmus, Tertullianus, lib. III *Contra Marcionem*, cap. VI; Origenes, homil. 2 *in Cantica*, per *principes sæculi* accipiunt primores, qui inter homines sapientia, opibus, vel potentia præstant : unde ait : « Qui destruuntur, » id est abolentur, transeunt, evanescunt. Hoc enim est Græcum καταργουμένων; et hi proprie Christum crucifixerunt, ut dicitur vers. 8. Tales fuerunt Pilatus, Herodes, Annas, Caiphas aliique principes Judæorum et Gentium.

7. SED LOQUIMUR DEI SAPIENTIAM IN MYSTERIO. — Est hebraismus, ponitur enim ב *bet*, id est *in*, pro regimine genitivi. « Sapientiam in mysterio, » id est sapientiam mysterii, puta magni illius et arcani consilii divini de Verbi incarnatione et redemptione hominum per Christum, quæ nulla ratione naturali cognosci potest ab homine, imo nec ab angelo. Patet *Ephes.* III, vers. 4 et 5. Unde I *Timoth.* III, 16, hanc sapientiam mysterii vocat « magnum pietatis sacramentum. » Ita Theophylactus, Ambrosius, Œcumenius hic, atque Hieronymus et Leo Castrius in *Isaiæ* cap. LXIV. Idem tamen Leo, *secundo*, etiam hanc sapientiam in-

(1) Alii : Me apud vos gessi imbellem (indoctum), valdeque modestum ac verecundum.

terpretatur de magnitudine gloriæ Beatorum : hæc enim finis fuit Verbi incarnati et passi, ut sequitur.

Secundo, simplicius τὸ *in mysterio* refer non ad « sapientiam, » sed ad « loquimur, » *q. d.* « In mysterio, » id est, secreto et apud pauciores, scilicet eos, qui spirituales et perfecti sunt, sapientiam hanc profundiorem et occultam, quæ abscondita est, loquimur. Unde Syrus vertit « loquimur Dei sapientiam in arcano ; » et Tertullianus, « loquimur sapientiam Dei in occulto ; » et quia, si voluisset dicere sapientiam mysterii, potius dixisset : Quod absconditum est ; jam autem dicit : « Quæ abscondita est. » Denique quia hoc proprie est, loqui in mysterio : mystæ enim dicti sunt, ait Eustathius, ἀπὸ τοῦ μύειν τὸ στόμα, id est, a *claudendo* os ; eo quod mysteria et arcana religionis suæ non vulgarent, sed celarent, et tantum ea secreto docerent paucos qui sacerdotes vel sapientiores erant. Hinc S. Dionysius et alii libros scripserunt de Mystica Theologia.

8. QUAM NEMO PRINCIPUM HUJUS SÆCULI COGNOVIT. — Pronomen *quam* refer tam, vel potius, ad *gloriam nostram*, quam ad *sapientiam*, *q. d.* Sic sapientiam, vel potius gloriam, ejusque per eam prædestinationem cognovissent Pilatus, Annas, Caiphas aliique principes Judæorum, nquam Dominum ipsius gloriæ, scilicet Christum, cujus merito nobis ante sæcula, puta ab æterno, prædestinata et præparata est hæc æterna gloria, crucifixissent. Advertit id solerter Gabriel Vasquez, I part., disp. 2, cap. III, et patet ex seq. Hinc facile infert Apostolus, neminem aliorum primorum hanc Christi sapientiam et gloriam cognovisse. Est enim argumentum ab exemplo primario : Judæi enim præ Gentibus erant sapientissimi, maxime in divinis ; si ergo illi non cognoverunt, multo magis alii ignorarunt.

9. SED, — scilicet abscondita fuit eis hæc sapientia et gloria, quæ finis est sapientiæ istius ; idque probat ex eo, quod de ea scripsit Isaias : « Oculus non vidit, nec auris audivit. » Est ellipsis. Vide *Can.* 38.

SICUT SCRIPTUM EST : QUOD OCULUS NON VIDIT, ET AURIS AUDIVIT, NEC IN COR HOMINIS ASCENDIT, QUÆ PRÆPARAVIT DEUS IIS QUI DILIGUNT ILLUM. — Nota, Isaiam cap. LXIV, quem hic citat Paulus, agere de incarnatione Christi et vita præsenti. Unde hunc versiculum de miraculis Christi, deque sapientia, virtutibus omnique gratia, quam Christus nobis hic vivens communicavit, accipiunt Chrysostomus, Ambrosius, Theophylactus, Œcumenius.

Secundo et aptius, videtur admirans Isaias avolare ab incarnatione et Christo homine, ad gloriam cœlestem, quæ fructus est et finis incarnationis Christi. Tales enim raptus et transitus Prophetis, ob lumen propheticum sublime et amplum, sunt familiares.

Patet ex ipsis verbis, et quia ait : « Exspectantibus ; » et : « Occurristi facienti justitiam. » Ergo loquitur de fructu operum justorum, scilicet vita æterna, quam exspectamus : nam fructus incarnationis et fides non occurrit facientibus justitiam, sed sedentibus in tenebris et peccatis. Ita Hieronymus in cap. LXIV *Isaiæ* ; S. Dionysius, *De cœlesti Hierarchia*, cap. XII, et Vasquez loco citato. Unde S. Bernardus, serm. *4 in Vigil. Nativ.* : « Non vidit, inquit, oculus lucem inaccessibilem, non audivit auris pacem incomprehensibilem, etc. Sed quid est quod in cor hominis non ascendit? Utique quia fons est, et ascensum nescit. Scimus enim quia fontium natura est rivos sectari convallium, montium ardua declinare : quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. »

De hac beatitudinis magnitudine pie scribit et dissuaviatur Augustinus in *Meditationibus*, cap. XXII et seq., et *Soliloquiorum* cap. XXXV et XXXVI, qui libelli collecti videntur ab aliquo pio ex operibus Augustini. Apposite vero ad hunc Apostoli locum auctor libri *De Spiritu et Anima* (qui extat tom. III operum S. Augustini), cap. XXXVI : « Sicut, inquit, exterior homo circa ista temporalia quinque partito sensu afficitur, id est visu, auditu, gustu et cæteris ; sic interior homo, in beata vita, circa quinque ineffabilia Dei, ineffabili amore afficitur : cum enim Deum suum amabit, quamdam lucem, quamdam vocem, quemdam odorem, quemdam cibum, et quemdam amplexum interiorem amabit : ibi enim fulget, quod non capit locus ; ibi sonat, quod non rapit tempus ; ibi olet, quod non spargit ventus ; ibi sapit, quod non minuit edacitas ; ibi hæret, quod non divellit satietas ; ibi siquidem videtur Deus sine intermissione ; cognoscitur sine errore ; amatur sine offensione ; laudatur sine fatigatione. »

Beatitudinis istius magnitudo et voluptas.

Hæc Apostoli sententia olim S. Adrianum convertit martyremque effecit : cum enim ipse miles esset florenti ætate, scilicet viginti octo annorum, videretque tantam Christianorum Martyrum in tormentis pro Christi fide tolerandis constantiam, interrogavit eos : Quid pro tantis pœnis exspectatis? quid est quod vos tanta tormenta superare compellit? Responderunt illi : « Speramus bona illa, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus se. » Hac voce tactus Adrianus conversusque, curat se illico inscribi catalogo Martyrum, durumque martyrium alacer subiit Nicomediæ (inspectante et incitante eum S. Natalia uxore), sub Diocletiano, anno Domini 306.

Hæc Apostoli sententia fecit Martyres.

Tertio, plena erit hujus loci intelligentia, si utrumque sensum jam dictum conjungas, *q. d.* « Oculus non vidit, » etc., id est superant omnem sensum, experientiam, cogitationem naturalem, et omne humanum naturale desiderium, ea bona, quæ tu, o Domine Deus, præparasti per Christum, exspectantibus te, tum in hac vita, scilicet iis qui aliquid de illis jam inaudierunt ; tum maxime et propriissime in futura gloria : in illa enim

Superant omne desiderium bona illa Deo præparata.

Deus, qui est omnia bona, dabit se Beatis, et erit omnia in omnibus, ait Anselmus. Hisce enim Isaiæ verbis probat Apostolus id quod dixerat, scilicet arcanam et absconditam esse sapientiam, æque ac gloriam Christi, uti dixi paragrapho præcedenti.

Quid cor tribuatur operationi?

Nota : « In cor hominis non ascendit, » id est in mentem hominis non venit, sive homo naturaliter cogitare, concipere, aut intelligere nequit : cor enim per catachresin Hebræis mentem significat ; nam quod cor est in corpore, scilicet prima et nobilissima corporis pars, adeoque fons et principium vitæ, hoc mens est in anima ; adde, cor subministrat cerebro spiritus animales, qui imaginationi et consequenter intellectioni subserviunt. Hinc Aristoteles, *De Somno et Vigilia*, cap. II, refragante licet Galeno omnibusque medicis, sensum communem non in cerebro, sed in corde collocavit. Pulchre quidam vitales hominis partes, per suas functiones distinxit atque secrevit hoc disticho :

Vitalium hominis partium functiones.

Cor sapit, et pulmo loquitur, fel commovet iram,
Spleo ridere facit, cogit amare jecur.

Hebræi mentis cogitationem vocant ascensum, et cogitare vocant *ascendere in cor* : quia res cogitata et intellecta primo a terra allove objecto ascendit in oculos vel aures, indeque ad sensum communem et phantasiam, inde denique ad mentem quasi arcem et culmen hominis : summum enim in homine est mens.

Hebræi mentis cogitationem ascensum vocant, atque?

Nota *secundo* : Pro *exspectantibus*, ut habet Isaias, Paulus habet *diligentibus*, quia exspectatio a dilectione manat naturaliter.

Vers. 10. 10. NOBIS REVELAVIT DEUS PER SPIRITUM SUUM. — Puta per Spiritum Sanctum. Est prolepsis, sive occupatio : occurrit enim tacite objectioni hujus : Si hanc sapientiam et gloriam quam Christus suis amicis præparavit, oculus non vidit, nec ea in cor hominis ascendit ; unde ergo tu, Paule, eamdem te callere et prædicare jactitas? Respondet Paulus se eamdem scire non per visionem, sensationem, vel conceptionem aliquam naturalem, sed per instinctum et revelationem Dei. Unde Clemens Alexandrinus, lib. I *Pædag.*, cap. XI, sic interpretatur τὸ *nec auris audivit* : « Præter illam, inquit, solam, quæ in tertium cœlum rapta est, » puta Pauli, qui in paradiso aure sua audivit hæc arcana verba, quæ non licet homini loqui. Ait ergo Paulus : « Nobis autem, » scilicet spiritualibus Prophetis et Apostolis, hæc Deus revelavit, ut vos parvulos, o Corinthii, aliosque eadem doceamus.

Sapientiam et gloriam Dei scivit Paulus revelatione divina.

In homine sunt naturalis appetitus beatitudinis et naturalis appetitus videndi Deum scilicet.

Hinc patet gloriam et beatitudinem nostram, non tantum esse supernaturalem in assecutione, sed etiam in cognitione ; cognitione, inquam, non quidditativa, sed obscura et ænigmatica, qualis erat Apostolorum et aliorum viatorum ; et consequenter, non esse in homine perfectum et efficax desiderium, vel appetitum naturalem hujus beatitudinis. Ita Scholastici, I *Part.*, *Quæst.* XII, art. 1.

SPIRITUS OMNIA SCRUTATUR, ETIAM PROFUNDA DEI. — Nota *primo*, catachresin, « scrutatur, » id est penetrat et perspicit : homines enim ut quid ignotum perspiciant, illud scrutari et inquirere solent ; Deus autem sine inquisitione omnia uno mentis cernit in ictu et intuitu. Ita S. Thomas, Theodoretus et Theophylactus.

Secundo, « profunda Dei » vocat omnia intima et secretissima Dei consilia ; inter quæ maximum est hoc mysterium gloriæ et redemptionis hominum per Christum ; hæc omnia penetrat et pervidet Spiritus Sanctus, quia unius cum Deo est essentiæ et cognitionis, ac consequenter ita profunda Dei scrutatur, ut nihil remaneat in Deo incognitum ; sed ejus cognitio et visio objectum suum adæquet, Deumque tantum cognoscat quantum cognosci potest, id est, comprehendat Spiritus Sanctus, utpote Deus, tam Deum et Divinitatem, quam seipsum. Ita Molina, I *part.*, *Quæst.* XIV, art. 3, Theodoretus, S. Thomas. Hinc Ambrosius et veteres contra Macedonium probant Spiritum Sanctum esse Deum, *q. d.* Paulus : Hæc mysteria et arcana Dei revelavit nobis Spiritus Sanctus, ille omnium secretorum Dei est conscius, ideoque scrutatur et pervidet profunda Dei.

11. QUIS HOMINUM SCIT QUÆ SUNT HOMINIS? — Quæ in hominis intimis, puta in corde et mente delitescunt, nimirum cogitationes, volitiones et intentiones, ipsumque profundum cordis humani.

QUÆ DEI SUNT (quæ in Dei mente sunt abscondita, puta cogitationes, consilia et determinationes divinæ voluntatis), NISI NEMO COGNOVIT, NISI SPIRITUS DEI, — id est Spiritus Sanctus, qui eorum æque ac sui ipsius est conscius ; est enim Spiritus Sanctus Deo intimus, æque ac spiritus hominis ipsi est intimus ; ac proinde sicut spiritus hominis humanitatis, ita Spiritus Dei divinitatis divinæque omniscientiæ et omnipotentiæ est particeps.

Nota : Cum ait, « Nemo cognovit, nisi Spiritus, » subaudiendum est, et nisi is cui voluerit Spiritus ea revelare, uti mihi et Apostolis illum ea revelasse dixi vers. 10.

Nota *secundo* : Cum dicit, « Nemo nisi Spiritus, » non excludit Filium : hic enim cum et Verbum, etiam scit profunda Dei. Nam in divinis, cum vox exclusiva vel exceptiva tribuitur uni personæ, respectu essentialium attributorum, non excludit alias personas divinas, sed essentias alias a divina : nam tantum excludit ea, quæ naturæ sunt diversæ a Deo, *q. d.* Nemo scit secreta Dei, nisi Spiritus Dei, et illi qui eamdem cum Spiritu habent naturam, intellectum, cognitionem, scilicet Pater et Filius ; hi soli sciunt profunda Dei, nemo alius.

12. NOS NON SPIRITUM HUJUS MUNDI ACCEPIMUS, SED SPIRITUM QUI EX DEO EST. — Opponit spiritum mundi, Spiritui qui ex Deo est, et hunc sibi et Apostolis, illum mundi sapientibus et hominibus animalibus attribuit. Spiritus ergo mundi est, qui

a mundo suggeritur, a mundana nimirum et animali prudentia, quique ad mundana, terrena et carnalia bona aspirat, facitque homines mundanos et animales; sicuti e contrario spiritus Dei est, qui a Deo et divina sapientia suggeritur, quique nos ad cœlestia et divina bona sectanda impellit, facitque homines spirituales et cœlestes. Unde subdit Apostolus :

UT SCIAMUS QUÆ A DEO DONATA SUNT NOBIS. — *q. d.* Hic spiritus ostendit et revelat nobis, quæ et quanta bona a Deo nobis, scilicet Apostolis, aliisque diligentibus Deum, donata sunt, nimirum tanta quanta nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, ut dixi vers 9: eo enim redit et respicit hic Paulus.

UT SCIAMUS. — Hinc hæretici stabiliunt fidem suam particularem qua quisque fidelis et Christianus certo scit, imo fide divina credere debet, per Christum se habere dona Dei, scilicet remissionem peccatorum, gratiam, justitiam, et, ut Calvinus, se electum esse ad gloriam æternam. Verum hæc non est fides, sed stulta et falsa præsumptio et impostura; quia non certo scimus, an nos ad justitiam rite disposuerimus, et an credamus certo, et ita ut oportet; nec usquam in sacra Scriptura hoc scriptum et revelatum est, scilicet, me credere ut oportet, uti nec me esse justum et electum.

Respondeo ergo, Apostolum loqui in genere de donis, iisque tantum quæ data sunt Apostolis et Ecclesiæ, *q. d.* Ut sciamus nos, Apostoli, quibus et quantis donis et beneficiis in genere, nos, id est Ecclesiam suam, ditarit Christus, scilicet, quanta gratia Spiritus Sancti, redemptione, virtutibus, et maxime quanta gloria : de hac enim egit vers. 9, et hæc sunt in Deo, ut ait vers. 11, id est Dei libera voluntate et prædestinatione; et hæc a Deo Ecclesiæ data esse, per Spiritum ejus et revelationem scimus : hæc enim loquimur et prædicamus, ut sequitur, quasi articulum fidei; sed me esse ex iis, vel eorum esse participem, non est fidei, sed conjecturæ; nec publice prædicandum, sed secreto sperandum est. Vide Can. 9.

Quæ ut clarius et plenius intelligantur, nota, τὸ *ut sciamus* dupliciter, scilicet *primo* objective, *secundo* subjective, posse accipi : objective enim sciebant Apostoli, et omnes fideles, ex prophetiis, miraculis aliisque signis divinis Deum suæ congregationi, sive Ecclesiæ, per Christi Apostolos congregatæ, et deinceps congregandæ, promisisse, et juxta promissa dedisse suam gratiam, remissionem peccatorum, justitiam aliaque gratiarum dona, ac denique spem certam vitæ æternæ : Ecclesiæ, inquam, in communi; non autem in particulari hujus vel illi fideli, quia in particulari nescimus an his vel ille vere sit fidelis.

Hoc modo τὸ *ut sciamus*, idem est, quod ut credamus. Credimus enim Ecclesiam Catholicam esse sanctam, in eaque esse remissionem peccatorum et vitam æternam. Deus ergo tantum revelavit Ecclesiam esse sanctam, non autem me esse sanctum; licet enim revelaverit et promiserit omnibus in Ecclesia rite credentibus et pœnitentibus remissionem peccatorum et justitiam, non tamen revelavit me rite credere et pœnitere; ac proinde nec revelavit mihi remissa esse peccata meque esse justum.

Nec non ea pars hujus loci vel illius.

Secundo, τὸ *ut sciamus* subjective capi potest, *q. d.* Ut nos Apostoli in nobis quasi subjectis, per experientiam sciamus, quantam sapientiam et gratiam nobis donarit Deus; et tunc τὸ *ut sciamus* non significat *credamus*, sed *ut experiamur*. Nec enim quilibet Apostolorum fide divina credebat se habere hanc sapientiam et gratiam; sed ejus actus et effectus in se experiebatur ita vehementes, crebros, claros et certos, ut moraliter non dubitaret se habere veram Dei sapientiam et gratiam. Erant enim Apostoli pleni gratia et sapientia, eamque alios docere, totique mundo aspirare debebant. Licet ergo Apostoli sciverint per experientiam se esse justos et sanctos, non tamen id sciebant, vel sciunt alii fideles; sed tantum sperant, atque ex signis probis et honestæ vitæ conjectant et opinantur. Neutri tamen idipsum credunt fide divina : omnis enim experientia tantum generat fidem humanam, non autem divinam, quæ sola Dei revelatione nititur et gignitur.

Apostoli nonnulli dubitant non pauci, quia habent Dei suppetitum et gratiam.

13. QUÆ ET LOQUIMUR NON IN DOCTIS HUMANÆ SAPIENTIÆ VERBIS, SED IN DOCTRINA SPIRITUS. — « Non in doctis, » id est non in verbis Ciceronianis, Demosthenicis, Aristotelicis, quæ et qualia docet humana sapientia; « sed in doctrina Spiritus, » id est in iis verbis quæ et qualia docet Spiritus Sanctus. Videtur legisse Interpres ἐν διδαχῇ, id est *in doctrina*; jam Græce legitur ἐν διδακτοῖς, id est *in doctis*, uti præcessit, sed idem est sensus.

Qualibus rationibus et disputationibus Paulus usus fuerit Athenis?

SPIRITUALIBUS (rebus) SPIRITUALIA (verba et discursus) COMPARANTES, — et conferentes, *q. d.* Doceo hanc spiritualem sapientiam e Scriptura et aliis spiritualibus discursibus, non autem philosophicis, rhetoricis, aut terrenis rationibus, conceptibus et eloquiis : ita S. Chrysostomus; v. g. « Si quæritur, inquit Œcumenius, an surrexerit tertia die Christus? ex Jona probationes et testimonium adduco. Si quæritur an natus sit Dominus ex Virgine? ex sterilibus Anna et Elisabeth sumitur probatio et comparatio. » Hic causam et rationem a priori assignat Apostolus, cur Deus tanto abstinuerit ab eloquentia et sapientia mundana in sua prædicatione. Causa est, quod sapientia humana et divina plurimum inter se differant. Cum ergo sermo debeat rei esse accommodatus, plane decuit sermonem, quo prædicabatur divina sapientia, illi esse accommodatum, ac differre a sermone humanæ sapientiæ, nimirum ut esset simplex, gravis, efficax et divinus, tanquam a Spiritu Sancto proficiscens, qui omnem orationis fucum respueret : hic enim ornari res ipsa vetat, contenta doceri. Nam sicuti

Causa cur abstinuerit Paulus ab eloquentia et sapientia mundana.

humanam sapientiæ verba vehunt secum sapientiam et spiritum hominis dicentis : ita sermones Spiritus Sancti invehunt in animam sapientiam Dei, et spiritus ejus, per Apostolos loquentis.

14. ANIMALIS HOMO NON PERCIPIT EA QUÆ SUNT SPIRITUS DEI. — « Animalis » hic dicitur, qui tantum sensus et naturalem rationis lumen sequitur; sive qui « secundum animam est, et secundum animam sapit, quique animæ sensa et cogitata sequitur : » quales erant Apostoli ante Spiritum Sanctum, et Corinthii hoc tempore, quærentes eloquentiam; et jam multi fideles etiam non mali, qui altiora non capiunt.

Animalis triplicitur distinguitur.

Nota : *Animalis* dicitur, qui anima vivit, sumiturque tripliciter : *Primo*, qui crescit, nutritur, eget cibo, ut animalia. Sic Adam, creatus licet in gratia, dicitur animalis, I *Cor.* XV, 45 et 46.

Secundo, qui sequitur animæ, id est concupiscentiæ, desideria. Sic Judæos vocat « animales, spiritum non habentes. »

Tertio, qui scientiam, non spiritualem et sublimem, sed animæ sensibus que obviam et facilem sequitur. Ita hic capitur. « Animalitas, inquit S. Bernardus, vel quisquis est auctor tractatus *De Vita solitaria*, post initium, est vitæ modus sensibus corporis serviens, scilicet cum anima quasi extra se, per sensus corporis circa dilectorum delectationes corporum affecta, eorum fruitione pascit vel nutrit sensualitatem suam; seu cum intra se regrediens, et corpora quibus forti glutino amoris et consuetudinis adhæsit, ad locum incorporeæ naturæ secum ferre non prævalens, eorum illuc secum trahit imagines, et amicabiliter ibi eum eis conversatur; quibus assuefacta, nihil putat esse nisi vel quale foris reliquit, vel quale intus contraxit : inde quamdiu licet, jucundum habet secundum delectationes corporis vivere; cum autem ab eis avertitur, nescit nisi torpore imaginando cogitare. »

Facilem animalis vitæ descriptio.

Sic spiritualis dicitur, qui spiritu vivit,

Spiritualis ethnicus triplicitur dici.

Primo, quasi spiritus, non egens cibo : sic Christus post resurrectionem dicitur spiritualis, I *Cor.* XV, 45.

Secundo, qui spiritus instinctum, dictamen et impulsum sequitur. Ita sæpe alibi.

Tertio, qui spiritus sublimem doctrinam capit et haurit. Ita hic vocatur spiritualis, inquit Chrysostomus, D. Thomas et alii. Moraliter S. Bernardus loco jam citato : « Incipientium, inquit, status potest dici animalis; proficientium, rationalis; perfectorum, spiritalis : sunt enim animales, qui per se nec ratione aguntur, nec trahuntur affectu, et tamen vel auctoritate permoti, vel doctrina commoniti, vel exemplo provocati, bonum approbant et imitantur : sunt rationales, qui per rationis judicium, boni cognitionem habent et appetitum, sed nondum habent affectum : sunt perfecti, qui spiritu aguntur, quia S. Spiritu plenius illuminantur, unde et spirituales nominantur; et quoniam sapit eis bonum, cujus trahuntur affectu, sapientes vocantur. » Deinde hæc tria inter se comparans, ex eisque gradus et scalam virtutum conficiens, ista subdit : « Primus status circa corpus se habet; secundus circa animam se exercet; tertius nonnisi in Deo requiem habet; initium boni in conversione est perfecta obedientia; profectus, subjicere corpus suum; perfectio, usu boni consuetudinem vertisse in dilectionem. Initium vero rationalis est intelligere ea, quæ in doctrina fidei apponuntur ei; profectus, talia præparare qualia apponuntur; perfectio, cum in affectum mentis transit judicium rationis. Perfectio vero hominis rationalis initium est hominis spiritalis; profectus ejus, revelata facie speculari gloriam Dei; perfectio vero transformari in eamdem imaginem a claritate in claritatem, sicut a Domini spiritu. »

Incipientium status animalis, proficientium rationalis, perfectorum spiritualis.

QUIA SPIRITUALITER (juxta rationes Spiritus Sancti et regulas fidei) EXAMINANTUR (1). — Ita Biblia Romana : male ergo quidam legunt, « examinatur, » id est examinando revocatur ad intellectum spiritualem et sublimem; dum scilicet in spiritualibus instituitur, vel cum spiritualia animali proponuntur, sive cum animalis in spiritualibus interrogatur et examinatur (hoc enim est ἀνακρίνεται), non potest ea intelligere.

Vers. 15. Spiritualis quia dicatur et sit?

15. SPIRITUALIS AUTEM JUDICAT OMNIA. — Vocatur, ut dixi, « spiritualis, » qui fidem et prudentiam, atque doctrinam Spiritus Sancti sequitur, qui Spiritum rectorem animæ habet, et doctorem. Ita Chrysostomus, Anselmus, D. Thomas.

Fanatici sive et privatus fanaticusque spiritus unde est judex controversiarum de fide, id quam ab quatuor rationes.

JUDICAT OMNIA. — Hinc Calvinus et Anabaptistæ, cujusque spiritualis, id est fidelis, spiritum privatum et fanaticum, faciunt judicem controversiarum fidei et Scripturæ interpretem; sed imperite, quia non omnes Christiani sunt spirituales, sed tantum perfecti, ut dixi vers. 3.

Secundo, quia alii ignorant an quis habeat hunc spiritum, an sit spiritualis, imo an vere sit fidelis. Ergo spiritus hic privatus et occultus non potest publicus omnium esse judex; sed Concilia et Pontifex. Hos enim constat esse spirituales, regi a Spiritu Sancto, qui eos constituit Doctores, et per eos regit et docet Ecclesiam.

Tertio, quia maxime spirituales erant Patres, qui tamen subinde errarunt.

Quarto, quia patet simplices fideles egere Pastoribus et Doctoribus, quos ad docendum posuit Deus in Ecclesia, ut ait Apostolus, *Ephes.* IV, 11.

Vera hujus loci explicatio et sensus.

Respondeo ergo : « Spiritualis judicat omnia, » inquam, in genere, id est tam spiritualia, puta divina et sublimia, quam animalia, puta terrena et facilia; cum animalis tantum judicet animalia, ut sit distributio pro generibus singulorum, non pro singulis generum. Sic dicimus : Ego omni, id est quolibet cibo vescor.

Secundo, « Spiritualis omnia judicat, » id est examinat, rediarguit et discernit secundum regulas fidei et prudentiæ divinæ : quæ habet, ut in

(1) Id est, dijudicanda sunt.

eo quo quis spiritalis est, et a spiritu satis instructus, v. g. in rebus fidei claris et certis, omnia judicet secundum articulos fidei; hæresesque et errores illi contrarios condemnet. Sin autem nova oriatur quæstio in fide aut moribus, eaque obscura et dubia, eadem prudentia dictat homini spirituali, qui in hac quæstione necdum spiritalis est, nec a spiritu satis instructus, ejusdem Spiritus indicio recurrendum esse ad Superiores, ad Doctores, ad Ecclesiam Romanam quasi matricem, ut illa hanc quæstionem decidat et definiat. Hæc enim plane ad mentem Apostoli spiritualis est, et omnia judicat per Spiritus Sancti directionem et assistentiam. Hanc enim S. Petro, et in eo successoribus Petri, promisit Christus, *Matth.* cap. XVIII, vers. 18; *Luc.* cap. XXII, vers. 32. Hi ergo maxime spirituales sunt, hique omnia judicant recte, qui licet de aliis inferioribus, qui licet spirituales sint, sæpe tamen Superiorum judicium exquirere debent: alioqui enim qui spiritualis est, nec patris, nec magistri, nec prælati judicio stare et parere deberet. Quatenus ergo spiritualis ductum Spiritus, vel per se docentis, vel ad doctores mittentis sequitur, eatenus errare non potest. Sic S. Joannes ait eum, qui natus est ex Deo, peccare non posse, quatenus videlicet ex Deo natus, in eo manet. Ita D. Thomas, Anselmus, Ambrosius, Theophylactus, Chrysostomus, *q. d.* Paulus: Vir spiritualis de arcanis fidei mysteriis et rebus passim bene judicat, et si dubitet, scit quid agere, quos consulere debeat, ut instruatur. Sic Aristoteles, *lib. III Ethic.*, IV: « Vir, ait, bonus recte in omnibus judicat, et virtuosus est regula et mensura omnium humanorum; » quia scilicet judicium et affectum habet bene compositum, et conformem rationi et legi, inquit D. Thomas: hic tamen in casibus difficilioribus debet consulere prudentiores et magis legis peritos. Id magis patebit paragrapho sequenti (1).

Prudentia spiritualis in rebus dubiis recurrit ad judicium Ecclesiæ Romanæ.

Spiritualis sequitur ductum Spiritus, vel per se docentis vel ad Doctores mittentis.

(1) Alii: Is enim qui a spiritu edoctus est, convincere quemlibet profanum (nam pro *omnia* Græcum habet ΤΑΝΤΑ, atque *omnia* et *omnem* significans, vertendum autem *omnem*, tanquam singularis numeri accusativum, ut respondeat voci ΕΝΑΠΟ in membro opposito) potest, ipse autem a nullo convinci (erroris).

Et ipse a nemine judicatur, — id est redargui tur, condemnatur. Ita Chrysostomus, quatenus videlicet spiritualiter judicat: alioqui enim et Petrus judicatus, id est redargutus, est a Paulo, *Galat.* II, 11. Contra, animalis a spirituali spiritualiter examinatur et judicatur: licet, ut dixit, non percipiat, nec intelligat: tantum enim toto hoc loco vult Apostolus per spiritualem excludere animalem et mundanam sapientiam, et conferre ac præferre spiritualem animali, qua gloriabantur Corinthii, et cujus imperitum Paulum postponebant Apollo. Unde tacite Corinthios vocat animales, quia quærebant docta humanæ sapientiæ verba, id est humanam sapientiam et eloquentiam, qualem mirabantur in Apollo; dicitque eos non posse judicare de spiritualibus, et Pauli sapientia spirituali: se vero et sibi similes viros spirituales judicare debere tam de sapientia spirituali quam animali, et hoc, et non aliud, vult Apostolus.

Animalis sapientia non illis scientibus odit spiritualia.

16. Quis cognovit (per se scilicet) sensum Domini? — Alludit ad *Isaiæ* XL, 13, ubi pro « quis cognovit? » hebraice est מִי תִכֵּן *mi ticken*, id est quis mensuravit, hoc est, quis plene et adæquate perspexit et penetravit spiritum Domini? *q. d.* Cum spiritualis a Deo sit edoctus, ejusque regulas sequatur, hinc quatenus talis est, a nemine judicari potest (hoc enim quod præcessit probat hic Apostolus); qui enim eum judicare vellet, deberet spiritu Dei sapientior esse aut major, ut spiritum Dei penetrare et quasi mensurare posset. At quis is est? sane nullus. Ita Chrysostomus. Potest tamen et debet sæpe spiritualis judicari, quia nescitur esse spiritualis in tali re. Unde, cap. XIV, 29: « Prophetæ, inquit, duo aut tres dicant, et cæteri dijudicent. » Imo multi se jactant spirituales, qui sunt animales, uti Anabaptistæ: secus de Paulo, quem omnes habebant pro spirituali. Unde sequitur:

Vers. 16. *Isaiæ* XL. Locus hic vertitur ex Hebræa.

Potest et debet sæpe spiritualis judicari.

Nos sensum Christi habemus. — « Sensum, » id est mentem, intelligentiam, sapientiam Christi, puta spiritualem et divinam, non animalem et humanam: nostra enim sapientia non Platonis est, non Pythagoræ, sed Christi, qui sua ipsius dogmata menti nostræ infudit. Ita Chrysostomus.

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Insistit schismati Corinthiorum componendo, per subjectionem et unionem in Christo et Deo.

Unde primo, docet Paulum et Apollo tantum esse ministros Christi, additque: Ego plantavi, Apollo rigavit; sed Deus incrementum dedit.

Secundo, vers. 10, *docet Ecclesiæ fundamentum esse Christum: videat ergo quisque quid illi superædificet: si enim fœnum et stipulam, salvus erit, sic tamen quasi per ignem.*

Tertio, vers. 16: Vos, *inquit*, estis templum Dei; *videte ergo ne per schismata illud scindatis et violetis.*

Ac tandem concludit, vers. 21: Nemo itaque glorietur in hominibus: omnia enim vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.

1. Et ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tanquam parvulis in Christo, 2. lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis; sed nec nunc quidem potestis: adhuc enim carnales estis. 3. Cum enim sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis? 4. Cum enim quis dicat: Ego quidem sum Pauli; alius autem: Ego Apollo, nonne homines estis? Quid igitur est Apollo? quid vero Paulus? 5. Ministri ejus, cui credidistis, et unicuique sicut Dominus dedit. 6. Ego plantavi, Apollo rigavit; sed Deus incrementum dedit. 7. Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat, Deus. 8. Qui autem plantat et qui rigat, unum sunt. Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. 9. Dei enim sumus adjutores: Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis. 10. Secundum gratiam Dei, quæ data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui; alius autem superædificat. Unusquisque autem videat quomodo superædificet. 11. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus. 12. Si quis autem superædificat super fundamentum hoc aurum, argentum, rapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, 13. uniuscujusque opus manifestum erit: dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, et uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. 14. Si cujus opus manserit quod superædificavit, mercedem accipiet. 15. Si cujus opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. 16. Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis? 17. Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. 18. Nemo se seducat: si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat ut sit sapiens. 19. Sapientia enim hujus mundi, stultitia est apud Deum. Scriptum est enim: Comprehendam sapientes in astutia eorum. 20. Et iterum: Dominus novit cogitationes sapientium, quoniam vanæ sunt. 21. Nemo itaque glorietur in hominibus. 22. Omnia enim vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive præsentia, sive futura: omnia enim vestra sunt, 23. vos autem Christi, Christus autem Dei.

1 et 2. Tanquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam. — Apostolus cap. præced., ut tueretur suam auctoritatem, et insipientiæ atque infantiæ in dicendo opinionem de se conceptam ex animis Corinthiorum eximeret, dixit se sapientiam loqui inter perfectos; sapientiam, inquam, absconditam, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, sed Deus revelavit: nunc quasi occurrens tacitæ objectioni, causam dat cur hanc sapientiam non ostenderit apud Corinthios, culpamque a se in Corinthios declinat; quod nimirum ipsi quasi parvuli et carnales tantæ sapientiæ necdum essent capaces, ac proinde non esca, sed lacte nutriendi.

Corinthii quare non esca, sed lacte nutriendi?

eo quo quis spiritalis est, et a spiritu satis instructus, v. g. in rebus fidei claris et certis, omnia judicet secundum articulos fidei; hæresesque et errores illi contrarios condemnet. Sin autem nova oriatur quæstio in fide aut moribus, eaque obscura et dubia, eadem prudentia dictat homini spirituali, qui in hac quæstione necdum spiritalis est, nec a spiritu satis instructus, ejusdem Spiritus indicio recurrendum esse ad Superiores, ad Doctores, ad Ecclesiam Romanam quasi matricem, ut illa hanc quæstionem decidat et definiat. Hæc enim plane ad mentem Apostoli spiritualis est, et omnia judicat per Spiritus Sancti directionem et assistentiam. Hanc enim S. Petro, et in eo successoribus Petri, promisit Christus, *Matth.* cap. XVIII, vers. 18; *Luc.* cap. XXII, vers. 32. Hi ergo maxime spirituales sunt, hique omnia judicant recte, qui licet de aliis inferioribus, qui licet spirituales sint, sæpe tamen Superiorum judicium exquirere debent: alioqui enim qui spiritualis est, nec patris, nec magistri, nec prælati judicio stare et parere deberet. Quatenus ergo spiritualis ductum Spiritus, vel per se docentis, vel ad doctores mittentis sequitur, eatenus errare non potest. Sic S. Joannes ait eum, qui natus est ex Deo, peccare non posse, quatenus videlicet ex Deo natus, in eo manet. Ita D. Thomas, Anselmus, Ambrosius, Theophylactus, Chrysostomus, *q. d.* Paulus: Vir spiritualis de arcanis fidei mysteriis et rebus passim bene judicat, et si dubitet, scit quid agere, quos consulere debeat, ut instruatur. Sic Aristoteles, *lib. III Ethic.*, IV: « Vir, ait, bonus recte in omnibus judicat, et virtuosus est regula et mensura omnium humanorum; » quia scilicet judicium et affectum habet bene compositum, et conformem rationi et legi, inquit D. Thomas: hic tamen in casibus difficilioribus debet consulere prudentiores et magis legis peritos. Id magis patebit paragrapho sequenti (1).

Prudentia spiritualis in rebus dubiis recurrit ad judicium Ecclesiæ Romanæ.

Spiritualis sequitur ductum Spiritus, vel per se docentis vel ad Doctores mittentis.

(1) Alii: Is enim qui a spiritu edoctus est, convincere quemlibet profanum (nam pro *omnia* Græcum habet ΤΑΝΤΑ, atque *omnia* et *omnem* significans, vertendum autem *omnem*, tanquam singularis numeri accusativum, ut respondeat voci ΕΝΑΠΟ in membro opposito) potest, ipse autem a nullo convinci (erroris).

Et ipse a nemine judicatur, — id est redargui tur, condemnatur. Ita Chrysostomus, quatenus videlicet spiritualiter judicat: alioqui enim et Petrus judicatus, id est redargutus, est a Paulo, *Galat.* II, 11. Contra, animalis a spirituali spiritualiter examinatur et judicatur: licet, ut dixit, non percipiat, nec intelligat: tantum enim toto hoc loco vult Apostolus per spiritualem excludere animalem et mundanam sapientiam, et conferre ac præferre spiritualem animali, qua gloriabantur Corinthii, et cujus imperitum Paulum postponebant Apollo. Unde tacite Corinthios vocat animales, quia quærebant docta humanæ sapientiæ verba, id est humanam sapientiam et eloquentiam, qualem mirabantur in Apollo; dicitque eos non posse judicare de spiritualibus, et Pauli sapientia spirituali: se vero et sibi similes viros spirituales judicare debere tam de sapientia spirituali quam animali, et hoc, et non aliud, vult Apostolus.

Animalis sapientia non illis scientibus odit spiritualia.

16. Quis cognovit (per se scilicet) sensum Domini? — Alludit ad *Isaiæ* XL, 13, ubi pro « quis cognovit? » hebraice est מִי תִכֵּן *mi ticken*, id est quis mensuravit, hoc est, quis plene et adæquate perspexit et penetravit spiritum Domini? *q. d.* Cum spiritualis a Deo sit edoctus, ejusque regulas sequatur, hinc quatenus talis est, a nemine judicari potest (hoc enim quod præcessit probat hic Apostolus); qui enim eum judicare vellet, deberet spiritu Dei sapientior esse aut major, ut spiritum Dei penetrare et quasi mensurare posset. At quis is est? sane nullus. Ita Chrysostomus. Potest tamen et debet sæpe spiritualis judicari, quia nescitur esse spiritualis in tali re. Unde, cap. XIV, 29: « Prophetæ, inquit, duo aut tres dicant, et cæteri dijudicent. » Imo multi se jactant spirituales, qui sunt animales, uti Anabaptistæ: secus de Paulo, quem omnes habebant pro spirituali. Unde sequitur:

Vers. 16. *Isaiæ* XL. Locus hic vertitur ex Hebræa.

Potest et debet sæpe spiritualis judicari.

Nos sensum Christi habemus. — « Sensum, » id est mentem, intelligentiam, sapientiam Christi, puta spiritualem et divinam, non animalem et humanam: nostra enim sapientia non Platonis est, non Pythagoræ, sed Christi, qui sua ipsius dogmata menti nostræ infudit. Ita Chrysostomus.

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Insistit schismati Corinthiorum componendo, per subjectionem et unionem in Christo et Deo.

Unde primo, docet Paulum et Apollo tantum esse ministros Christi, additque: Ego plantavi, Apollo rigavit; sed Deus incrementum dedit.

Secundo, vers. 10, *docet Ecclesiæ fundamentum esse Christum: videat ergo quisque quid illi superædificet: si enim fœnum et stipulam, salvus erit, sic tamen quasi per ignem.*

Tertio, vers. 16: Vos, *inquit*, estis templum Dei; *videte ergo ne per schismata illud scindatis et violetis.*

Ac tandem concludit, vers. 21: Nemo itaque glorietur in hominibus: omnia enim vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.

1. Et ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tanquam parvulis in Christo, 2. lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis; sed nec nunc quidem potestis: adhuc enim carnales estis. 3. Cum enim sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis? 4. Cum enim quis dicat: Ego quidem sum Pauli; alius autem: Ego Apollo, nonne homines estis? Quid igitur est Apollo? quid vero Paulus? 5. Ministri ejus, cui credidistis, et unicuique sicut Dominus dedit. 6. Ego plantavi, Apollo rigavit; sed Deus incrementum dedit. 7. Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat, Deus. 8. Qui autem plantat et qui rigat, unum sunt. Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. 9. Dei enim sumus adjutores: Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis. 10. Secundum gratiam Dei, quæ data est mihi, ut sapiens architectus fundamentum posui; alius autem superædificat. Unusquisque autem videat quomodo superædificet. 11. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus. 12. Si quis autem superædificat super fundamentum hoc aurum, argentum, rapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, 13. uniuscujusque opus manifestum erit: dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, et uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. 14. Si cujus opus manserit quod superædificavit, mercedem accipiet. 15. Si cujus opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. 16. Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis? 17. Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. 18. Nemo se seducat: si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat ut sit sapiens. 19. Sapientia enim hujus mundi, stultitia est apud Deum. Scriptum est enim: Comprehendam sapientes in astutia eorum. 20. Et iterum: Dominus novit cogitationes sapientium, quoniam vanæ sunt. 21. Nemo itaque glorietur in hominibus. 22. Omnia enim vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive vita, sive mors, sive præsentia, sive futura: omnia enim vestra sunt, 23. vos autem Christi, Christus autem Dei.

1 et 2. Tanquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam. — Apostolus cap. præced., ut tueretur suam auctoritatem, et insipientiæ atque infantiæ in dicendo opinionem de se conceptam ex animis Corinthiorum eximeret, dixit se sapientiam loqui inter perfectos; sapientiam, inquam, absconditam, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, sed Deus revelavit: nunc quasi occurrens tacitæ objectioni, causam dat cur hanc sapientiam non ostenderit apud Corinthios, culpamque a se in Corinthios declinat; quod nimirum ipsi quasi parvuli et carnales tantæ sapientiæ necdum essent capaces, ac proinde non esca, sed lacte nutriendi.

Corinthii quare non esca, sed lacte nutriendi?

Quid Apostolus per hoc, quid per verum intelligat?

Ubi adverte : « Lac » vocat Apostolus facilioribus rem, suaviorem et simpliciorem doctrinam de Christi cumanitate et gratia ac redemptione, quales convenit catechumenis recens conversis, et adhuc carnalibus ; « escam, » id est solidum cibum, vocat perfectiorem, robustiorem et de altioribus mysteriis doctrinam, uti de Deo, de Dei spiritu et spiritualibus, de crucis sapientia, potentia, amore, de quibus cap. præced. Ita Ambrosius, Theophylactus, S. Thomas, Anselmus, quem vide hic pro morali : « Idem, ait, Christus homini est lac, per incarnationem ; angelo solidus cibus, per divinitatem : idem Christus crucifixus, eadem lectio, eadem concio a carnalibus accipitur ut lac, a spiritualibus ut solidus cibus. »

Duo loca Isaiæ XXVIII et LV explicata.

Alludit hic Paulus more suo ad *Isaiæ* XXVIII, 9, ubi dicitur : « Quem docebit scientia, et quem intelligere faciet auditum? ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus ; » et ad *Isaiæ* LV, 1, ubi sic ait : « Omnes sitientes, venite ad aquas, et qui non habetis argentum, properate, emite et comedite : venite, emite absque ulla commutatione vinum et lac, » *q. d.*, ut vertit Chaldæus : Omnes discere, et sitim cupiditatis extinguere volentes, venite ad aquas doctrinæ et gratiæ Christi : ab eo accipite, haurite et bibite spiritum Evangelicum.

Ubi nota : « Vinum » vocat Isaias, id quod Paulus hic « escam, » sive solidum cibum, qui symbolice significat sapientiam spiritualem et plenam perfectorum, sicut « lac » significat disciplinam imperfectorum et parvulorum. Hinc olim recens baptizatis, et alba veste indutis dabatur vinum et lac : qui mos, ait Hierosolymus in citatum locum Isaiæ, usque hodie in Occidentis Ecclesiis servatur. Alibi iisdem dabatur lac et mel, teste Tertulliano, lib. I *Contra Marcion.*, cap. XIV, ut significaretur *primo*, eorum infantia et innocentia in Christo, lac enim utriusque est symbolum. Unde Homerus, teste Clemente, lib. I *Pædag.*, VI, viros innocentes et justos vocat γαλακτοφάγους, id est, *lacte vescentes*. *Secundo*, ut assimilarentur Christo, de quo cecinit Isaias VII, 15 : « Butyrum et mel comedet. » *Tertio*, ut significaretur vitæ Christianæ suavitas, humilitas et mansuetudo infantilis. Unde et primo Missæ sacrificio, quod audiebant baptizati in paschale, scilicet Dominica in albis, recitabatur illa epistola B. Petri : « Quasi modo geniti infantes, rationabile sine dolo lac concupiscite. » Hinc B. Agnes dicebat : « Lac et mel ex ore ejus suscepi, » teste Ambrosio, *serm.* 90. De hoc lacte fuse disserit Clemens, lib. I *Pædag.*, cap. VI.

Vetus baptismatis ritus dabatur vinum et lac, item et mel. Horum ceremoniarum rationes et significatio.

3. CUM SIT INTER VOS ZELUS ET CONTENTIO, NONNE CARNALES ESTIS? — Nota : « Carnalis » hic vocatur, qui non tantum naturale sensus et rationis judicium ; sed etiam carnis, id est sensualitatis et concupiscentiæ, dictamen et impulsus sequitur ; itaque, ut recte advertit S. Thomas, idem est carnalis, animalis, secundum hominem ambulans, scilicet spiritu Dei destitutus, qui sequitur motus concupiscentiæ, sive naturæ corruptæ.

Vitia pessimi cujusque opera carnis.

Ubi nota *secundo*, hic et *ad Galat.* V, 19, « opera carnis, » id est naturæ corruptæ, non tantum vocari gulam et libidinem (qui propria sunt in carne), sed etiam zelum, æmulationem, contentiones, quæ sunt vitia mentis. Vide dicta *Rom.* VII, 22 et *Galat.* V, vers. 17, *q. d.* Paulus : Vos, o Corinthii, estis carnales, id est contentiosi, quia ut pueri inaniter de dignitate magistrorum contenditis, dum hic suum Paulum, alter suum Apollo præfert et venditat.

5. MINISTRI EJUS, CUI CREDIDISTIS. — Pro *cui*, græce jam est, δι' ὧν, per quos credidistis.

Gratia Dei principaliter operans, ministri autem instrumentum.

ET UNICUIQUE. — ministrorum scilicet, competit ministerium tale et tantum, quale et quantum cuique Dominus dedit. Ergo in uno Deo gloriandum est, non in ministris Paulo vel Apollo : hi enim non sunt domini, vel auctores fidei vestræ, o Corinthii, sed tantum instrumenta, per quæ operatur Deus. Ita Anselmus, Ambrosius, Theophylactus.

6. EGO PLANTAVI, APOLLO RIGAVIT; SED DEUS INCREMENTUM DEDIT. — *q. d.* Ego primus Corinthii fidei semina jeci, primus evangelizavi, quæ deinde superveniens Apollo provexit, patet *Actor.* XVIII, 26. « Sed dedit Deus incrementum, » id est, interius dedit vitam et vigorem gratiæ ad crescendum et adolescendum in fide, virtute et christianismo ; hoc enim solius est Dei. Vide Augustinum, tract. 5 *in Joannem*.

Vers. 6. Comparatio ministrorum in Evangelio.

Nota : Deus plantis dat incrementum, non quasi speciale et quotidianum augmentum per se solum eis suggerat, ut intelligunt rustici ; sed quia ad crescendum vim et vigorem ipsi naturæ seminis vel radicis indidit et conservat, id est, quasi continuo indit et instillat (conservatio enim divina non est aliud quam primæ creationis, vel actionis divinæ continuatio) eique cooperatur ; et ei aliud quia pluviam, æstum, ventos, aliaque ad fruges opportuna sua dispositione regit ac contemperat, quorum contemperatione meliori vel minori, mi. vel mellor vel minor nascitur fructus. Pari modo se res habet in semine verbi Dei, ejusque messe, fructu et profectu in mentibus hominum.

Conservatio divina non aliud quam creatio continuata.

Hinc patet *primo*, exteriorem concionem, vocationem, exempla, miracula non sufficere ad conversionem et vitam spiritualem inchoandam, vel promovendam. *Secundo*, hinc Prosper, lib. II *De Vocat. Gent.*, cap. VI et VIII, probat, quod, licet omnes æqualiter eamdem concionem audiant, alii tamen parum, alii vero multum ex ea proficiant, illi nimirum, quos Deus peculiari interna motione afficit, et quorum corda tangit, ut vitam mutent vel serio proficiant in melius. Unde illi tam concionatores, quam auditores in concione plurimum proficiunt, qui pro hac motione Deum sedulo precantur.

7. NEQUE QUI PLANTAT EST ALIQUID, NEQUE QUI RIGAT; SED QUI INCREMENTUM DAT, DEUS. — *q. d.* **Agricola qui plantat et rigat, parum est, parum**

Vers. 7.

Deus principaliter operans, ministri instrumentum.

affert, et quasi nihil præ Deo; nam tantum exterius agit, et quidquid agit, accipit a Deo agitque in instrumentum Dei : Deus autem, per se interius, ut principale agens, operatur, vimque et vigorem crescendi sufficit et suggerit : actio enim tribuitur principali agenti, et maxime causæ primæ, vide *Can.* 15 et 36 : ita S. Thomas, Theophylactus, et pulchre S. Augustinus, tractatu 7 *in Epist.* I Joannis : « Ministeria forinsecus, inquit, adjutoria sunt et admonitiones : cathedram tamen in cœlo habet, qui corda docet; sic sunt hæc verba quæ forinsecus dicimus, quomodo est agricola ad arborem. Forinsecus enim agricola operatur, quia adhibet aquam diligentiamque agriculturæ, sed tamen poma non format ; » sed ea format Deus cum arbore concurrens, arboriquæ vim poma gignendi indens et suggerens. Pari modo parum facit concionatoris vox : sonat enim tantum exterius; sed Deus est, qui cum ea concurrens interius, per gratiam suam animam illuminat et convertit.

8. QUI PLANTAT ET QUI RIGAT, UNUM SUNT. — « Unum sunt, » officio scilicet et ministerio, inquit S. Thomas, Anselmus et alii, id est, æque omnes sunt ministri, *q. d.* Ergo unus præ alio, puta Paulus præ Apollo, non est contemnendus aut extollendus. Rursum, ergo omnes eadem charitate et unione complecti debetis, non autem propter eos facere schismata : licet enim in se diversi sint, omnes tamen unum idemque officium obeunt, unumque sunt in Christo, qui odit schismata, amat unionem, suosque ministros, licet debiles, fovet ac tuetur, eosque non ut homines, sed ut suos vicarios ab omnibus coli, et in honore ac pretio haberi vult.

Vers. 8. Comparatio ministrorum in Evangelio.

UNUSQUISQUE AUTEM PROPRIAM MERCEDEM ACCIPIET SECUNDUM SUUM LABOREM. — Locus hic clare docet merita bonorum operum : ubi enim merces est, ibi et meritum est. Hæc enim sunt correlativa.

Merita bonorum operum.

Nota : Non dicit, quisque recipiet mercedem secundum fructum quem fecit, sed « recipiet secundum laborem ; » quia fructus non est in nostra, sed Dei dantis incrementum, manu. Itaque unicum laboris præmium essentiale habebis ex concione, vel instructione tua, licet nullus sequatur fructus, nullus hæreticus vel peccator convertatur ; imo sæpe magis, quia difficilius est et magis arduum concionari, ubi nullus vel exiguus apparet fructus, quam ubi concioni multi applaudunt, vel ex concione proficiunt.

Concionatores qui sæpe magnos fructus apostolicos non fecerunt, sed tantum laborem, vel instructionem, vel exhortationem, præmium habebunt.

9. DEI ENIM SUMUS ADJUTORES. — « Angelus hæc, angelica, imo divina est dignitas, ait S. Dionysius, *De Celest. Hierarch.* cap. III, Dei cooperatores fieri in conversione animarum, divinamque in se operationem palam cunctis ostendere. »

Vers. 9. Concionatoris dignitas.

DEI (non autem Pauli, vel Apollo, ut in iis gloriari possitis) AGRICULTURA ESTIS. — Persistit in metaphora concionis. Agricola primarius est Deus, famuli sunt Paulus et Apollo : ager sunt Corinthii, semen est gratia, fructus sunt bona opera : Deus colit interius per Spiritum, Paulus juvat exterius per vocem. Ita Anselmus.

DEI ÆDIFICATIO ESTIS. — Idem dicit alia metaphora ædificii et architecti : primus enim architectus est Deus ; secundus et minister, est Paulus ; ædificium est Ecclesia, et quævis animæ Christianæ. Ita Anselmus.

Nota. Hebræos et Syros gaudere metaphoris et parabolis, easque miscere et conglomerare, atque ab una ad aliam transilire.

Hebræi et Syri gaudent metaphoris.

10. SECUNDUM (id est *per*) GRATIAM DEI, QUÆ DATA EST MIHI, UT SAPIENS ARCHITECTUS FUNDAMENTUM POSUI. — *q. d.* Non mea est hæc fabrica, non meum est hoc opus Ecclesiæ Corinthiacæ ; licet enim ego quasi architectus prima illius fundamenta evangelizando jecerim, tamen quidquid ego in ea feci et perfeci, non meis, sed gratiæ Dei viribus effeci : tota hæc Ecclesiæ vestræ fabrica non mihi, sed gratiæ Dei tribuenda est.

Vers. 10. Omnia gratiæ tribuenda.

11. FUNDAMENTUM ENIM ALIUD NEMO POTEST PONERE, PRÆTER ID QUOD POSITUM EST, QUOD EST CHRISTUS JESUS. — To *enim* dat causam præcedentium, *q. d.* Fundamentum Ecclesiæ vestræ ego posui : Apollo et alii videant quid illi superædificent, non autem quid de novo fundent. Nam non est quod in fundamento collocando occupentur : illud enim ego posui ; et aliud ab eo poni nequit, cum hoc fundamentum sit ipse Christus Jesus. Fundamentum ergo Ecclesiæ, et cujusque in ea animæ fidelis, est Jesus Christus, id est, fides in Christum Jesum Salvatorem nostrum, ac præsertim fides viva per charitatem, super quam ego vos ædificavi. Ita Anselmus et S. Gregorius, lib. VII, *epist.* 47. Hoc sensu solus Christus est Ecclesiæ fundamentum, puta fundamentum fundamentorum, ut ait S. Augustinus in *Psal.* LXXXVI, vers. 1, quod scilicet seipso consistit, omnia sustinet, etiam Petrum. Alio sensu Petrus est fundamentum Ecclesiæ, idque secundarium, quia scilicet ipse firmus est in fide, ut publice errorem docere non possit, sed alios semper in ea confirmet et illuminet. Ita S. Thomas et passim DD. Catholici. Simili sensu non solus Petrus, sed omnes Apostoli vocantur fundamenta Ecclesiæ, *Psal.* LXXXVI, vers. 1, ubi dicitur : « Fundamenta ejus (Sionis, id est Ecclesiæ) in montibus sanctis ; » et Joannes, *Apocal.* XXI, vers. 19, duodecim Apostolos collocat et nominat fundamenta Jerusalem, sive Ecclesiæ cœlestis.

Fundamentum Ecclesiæ et animæ fidelis est Jesus Christus, id est, fides Christi viva per charitatem. Potest secundarium fundamentum Ecclesiæ.

12. SI QUIS SUPERÆDIFICAT SUPER FUNDAMENTUM HOC, AURUM, ARGENTUM, LAPIDES PRETIOSOS, LIGNA, FŒNUM, STIPULAM, 13. UNIUSCUJUSQUE OPUS MANIFESTUM ERIT : DIES ENIM DOMINI DECLARABIT, QUIA IN IGNE REVELABITUR. — Est metaphora a domo per ignem conflagrante, quæ si ex auro et lapidibus pretiosis constructa sit, igne non læditur ; sin ex ligno et stipula, aduritur.

Per ligna, fœnum et stipulam intelligi marmoreos, porphyreticos et similes, non autem admantes et gemmas ; non enim ea læ-

Obliguntur non amovi, non admittes.

sed ex illis, construi solent domus nobilium et principum : quemadmodum de Roma gloriabatur Augustus Cæsar : « Accepi civitatem lateritiam, relinquo marmoream. » Sensus ergo Apostoli est, q. d. Si oriatur incendium, domus ex marmoribus et auro structa, illo non lædetur, sed magis clarescet : vicina vero domus e ligno et stipulis conflagrabit, et qui eam inhabitat, elabetur quidem, sed ambustus; ita si quis Christianorum, præsertim Doctorum et Prædicatorum Evangelii (de his enim egit hactenus a vers. 4, et de hisce potissimum hic agi, patet conferenti vers. 6 et 10 : ita Ambrosius et Anselmus), fidei Christi superædificet aurum et argentum, id est opera sancta (ita Theodoretus et Theophylactus), ac præsertim doctrinam sanam, proficuam et sanctam : hic mercedem accipiet. Ita Ambrosius, Anselmus et S. Thomas, quem vide : « Aurum, ait Ipse, est charitas; argentum, sapientia et contemplatio; lapides pretiosi, sunt virtutes aliæ; » e contrario lignum, fœnum, stipulæ sunt peccata, non gravia illa et mortalia, ut vult Chrysostomus, Theophylactus et Turrianus, lib. IV *Contra Magdeb.* XIII (hæc enim res sunt et plumbum, ut notat S. Augustinus *Eucharidii* cap. LXVIII, Anselmus et S. Thomas; nec etiam superædificantur, sed obruunt et destruunt ædificium, scilicet fidem vivam, quæ meretur mercedem a Christo); sed levia et venialia, quibus scilicet mens adhæret ad vana, v. g. ad carnis commoda, nugas, vanam gloriam.

Superædificat fidei Christi aurum et argentum, qui bona opera superædificat.

Lignum, fœnum, stipula sunt peccata venialia.

Proprie vero ad mentem et scopum Apostoli, lignum, fœnum, stipula, est doctrina incerta, frivola, pomposa, phalerata, curiosa, inutilis. Ita Ambrosius, S. Thomas, Theodoretus, Anselmus. Qui enim hæc superstruit fundamento fidei Christi, hic salvus erit; sic tamen quasi per ignem, ut ait Paulus, vers. 15.

Lignum, fœnum, stipula ad mentem Apostoli est doctrina incerta, curiosa, pomposa, vani doctoris.

Nota : Hoc vers. et vers. 10 digreditur Apostolus, transitque a Corinthiis ad eorum doctores, ac tacite monet Apollo et alios Evangelii præcones, maxime eloquentes, quibus periculum est a vanitate, ut eam caveant et puræ veritatis sint magistri, ne, si secus faciant, igne hoc expiari debeant; nam aliquos tales fuisse Corinthi, eosque contentionis et schismatis fuisse causam vel occasionem, satis insinuat Apostolus tum hic, tum cap. seq., vers. 6, 10, 15, 18, 19, ut ibi dicam.

13. DIES ENIM DOMINI. — Græce tantum est ἡ ἡμέρα, illa dies, scilicet alba, vel atro signanda lapillo, id est, dies judicii, maxime universalis; quia hæc in igne revelabitur. Illa enim Domini, jam nostra est dies, ait Anselmus, Theodoretus, Ambrosius, S. Thomas. Et patet II *Timoth.* IV, 8, ubi ait : « Quam reddet mihi Dominus in illa die, justus judex; » II *Timoth.* I, vers. 12 : « Potens est servare depositum meum in illam diem; » hæc epist., cap. V, vers. 5 : « Ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi. » Quibus aliisque locis per illam diem antonomastice intelligit diem celeberrimum judicii universalis.

Dies Domini dies judicii universalis.

Nota, sub hac die judicii universalis, etiam diem particularis judicii accipi. Est enim unum et idem utriusque judicium, eademque utriusque sententia.

Dies Domini vel dies judicii universalis.

IN IGNE REVELABITUR. — Quæres, quis hic ignis? de eo enim tria hic dicit Apostolus : *primo*, quod dies Domini in igne revelabitur; *secundo*, quod cujusque opus probabit; *tertio*, quod ædificantes lignum, fœnum, stipulam per illum transibunt, salvique erunt, « sic tamen quasi per ignem. »

Quis ignis in die Domini?

Multi veterum, ut Origenes, hom. 14 *in Lucam*; Ambrosius, in *Psal.* XXXVI; Lactantius, lib. VII, cap. XXI; Basilius, in *Isaiæ* IV; Rupertus, lib. II *in Genesim*, cap. XXXII, accipiunt ignem verum, quem putant omnes animas, etiam Petri et Pauli, in coelum euntes transire debere, ut, si impuræ sint, per eum purgentur; sive is sit conflagrationis in fine mundi, sive purgatorius sub terra, sive alius in æthere. Nam Beda, lib. III *Hist.*, XIX, ait S. Furseum vidisse in via ad cœlum maximos ignes, per quos necessario transeundum erat. Sed hæc sententia, licet non sit damnata, nec eam reprobare audeat Bellarminus, lib. II *De Purgatorio*, cap. I, caret tamen fundamento. Nam hic locus Apostoli, quo solo ejus auctores nituntur, aliam habet sensum. Visio illa Fursei visio tantum fuit, quæ per speciem corpoream ignis, spirituale Dei judicium, pœnasque futuras hominibus carnalibus repræsentaret, uti inferius declarabo.

Petrus naturaliter timuit mortem.

Purgatorii ignem debere transire omnes animas etiam Petri et Pauli, contra Calvinum.

Visio Fursei de igne futuro.

Secundo, S. Chrysostomus et Theophylactus quos secuti sunt Græci in Concilio Florentino, respondent esse ignem inferni, in quo peccator manebit salvus, id est vivens et incorruptus, ut semper puniatur. Sed hoc est contortum : salvum enim esse, ubique in Scriptura significat esse incolumem et felicem, non autem vivum manere in pœnis. Ita omnes alii interpretes et Patres Latini initio Concilii Florentini.

Sententia Chrysostomi.

Ubi nota : Licet Chrysostomus hunc locum de inferno intelligat, non tamen negat esse Purgatorium, ut falso asserunt Marcus, Archiepiscopus Ephesinus, in Concil. Florent.; imo illud diserte confitetur hom. 32 *in Matth.*, et hom. 3 *in epist. ad Philipp.*, et hom. 4 *in epist. ad Hebræos*, et alibi; quibus locis hortatur fideles ut oreant pro fidelibus defunctis in Purgatorio existentibus : pro illis enim qui sunt in inferno, ubi non est redemptio, non est orandum.

Locus Concilii Florentini de Purgatorio.

Tertio, hæretici respondent hunc ignem esse ignem tribulationis hujus vitæ (quod etiam insinuat Anselmus et Gregorius, IV *Dial.*, XXXIX, et S. Augustinus *in Psal.* XXXVII, qui tamen etiam de Purgatorio accipiunt), vel confusionis, quam ipsi comminiscuntur Spiritum Sanctum in vita, vel in morte, illustratione sua injicere Sanctis, qua, verbi gratia, ut ipsi aiunt, SS. Bernardo, Francisco, Dominico in morte demonstravit suos errores de monachismo, Missa, confessione, ut eos agnoscerent et retractarent.

Tertia sententia hæreticorum, ex synodo tridentina.

S. Bernardus, Franciscus, Dominicus non retractarunt mortis metum.

Sed hoc fingitur gratis, nec talis extat retractatio horum aliorumque Sanctorum in morte, imo potius constans exhortatio ad suos, ut in vita monastica persistant et proficiant.

Addo, multos subito esse mortuos, et etiamnum mori quosdam in somno et dormientes, qui peccatis venialibus inquinati decedunt : ubi hi purgantur? non utique in cœlo, quia nihil coinquinatum intrabit in illud, *Apoc.* XXI, 27; non in inferno, quia hic est locus damnatorum : ergo in purgatorio. Post hanc vitam enim non est locus solitæ misericordiæ et condonationis, sed justitiæ et justæ satisfactionis, vel potius satispassionis; ne quis dicat Deum sic mortuis gratis remittere peccata, id est omnem culpam et pœnam.

Denique dies mortis non dicitur dies Domini, sed dies judicii : nec ignis significat illam confusionem, sed verum ignem.

Calvinus dicit ignem hic sumi metaphorice, et per lignum, fœnum, stipulas intelligi reliquias.

Objicit Calvinus : lignum, fœnum, stipula capiuntur metaphorice; ergo et ignis. Respondeo negando consequentiam; quia patet diem Domini igne proprie dicto revelandum esse, ut mox pluribus demonstrabo.

Quarto, Sedulius, Lyranus, Cajetanus, Theodoretus, Ambrosius, ignem hunc esse volunt strictum et acre examen divini judicii, puniens peccata post mortem per ignem; aut, ut Bellarminus, esse ignem partim Purgatorii, partim judicii, q. d. Sicut peccatorum opera suum habebunt ignem examinis, sic et ipsi male operantes suum habebunt ignem, sed ultionis in Purgatorio. Figurate enim et analogice ignis vocatur ipsum examen et judicium, quia instar ignis purissimum, sincerissimum, celerrimum, efficacissimum erit, *Malach.* III, 2; *Hebr.* XII, 29. Sed verba Apostoli cum non nisi ignem sonent, et ingeminent secundo et tertio, plane et proprie significare videntur ignem verum et univocum, atque unum eumdemque, non metaphoricum, æquivocum et varium.

Ignem hunc esse examen divini judicii. Bellarminus dicit hunc ignem partim Purgatorii esse, partim judicii.

Prima conclusio : locus hic intelligitur de igne purgatorio.

Hoc ergo *primo*, certum est hunc locum intelligi de igne purgatorio. Ita Concilium Florentinum, Ambrosius, Theodoretus, S. Thomas, Anselmus hic, et passim Patres Græci et Latini, quos fuse citat Bellarminus et Salmeron hic, in fine *disp.* VI. Estque hæc traditio et sensus communis Ecclesiæ et Doctorum, licet verba in particulari alii aliter explicent, et Purgatorio adaptent.

Dices : Si Concilium Florentinum intelligit hunc locum de igne purgatorio, ergo de fide est, de eo intelligi debere, et consequenter de fide est non tantum esse Purgatorium, sed et in eo igne animas purgari.

Schisis aliquantisper contra hanc locum.

Respondeo : Nego consequentiam; quia licet Patres Latini in Florentino Concilio ita intelligant, ac consequenter certum sit esse ignem purgatorium, noluerunt tamen definire quasi de fide esse ignem, sed tantum esse Purgatorium; adquo ne Græcos offenderent, qui concedebant quidem Purgatorium, negabant tamen in eo esse ignem,

Conclusio secunda : hæc ignem propria esse conflagrationis mundi.

sed dicebant esse locum obscurum, et laborum plenum.

Dico *secundo* : ignis de quo Apostolus hic agit, proprie est ignis conflagrationis mundi. Patet, quia erit in die Domini, id est judicii extremi : hic autem dies passim in Scriptura describitur per ignem, quo conflagrabit mundus : ut *Psalm.* XCVII : « Ignis ante ipsum præcedet; » II *Thessal.* I, 8, dicitur judex Christus revelandus « in flamma ignis. » Idem dicit Joel, cap. II, 3; et S. Petrus, *epist.* II, cap. III, vers. 12; et Ecclesia cum canit : « Qui venturus est judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem. » Hic enim ignis simul erit conflagrationis mundi et simul probatorius et purgatorius eorum qui tunc vivent : ita passim Theologi; erit que prævius, imo comes et lictor Christi judicis; et si non omnibus (v. g. puris omnino : hoc enim nimis durum videtur, ut recte advertit Franciscus Suarez), certe impuris mortem et pœnam afferet, acrem magis vel minus pro meritis cujusque : damnatos deinde secum hic ignis in infernum convolvet, et sic dicitur, quod « dies Domini in igne revelabitur. » Quod licet Œcumenius referat ad *opus*, quod sequitur, q. d. Revelabitur, et uniuscujusque opus probabit ignis; alii vero referant ad *Dominus*, quasi dicant : Dominus revelabitur in igne, quia dies non tam revelari videtur, quam alia omnia revelare : tamen melius dicitur, quod ipsa dies revelabitur, quod sit Domini, id est per ignem apparebit quod sit dies divinæ ultionis et judicii.

Quomodo dies Domini in igne revelabitur?

Petes : Quomodo hic ignis purgat opera quæ jam transierunt, et non sunt?

Quomodo hic ignis purget opera quæ transierunt, et jam non sunt?

Respondeo : Quia Scriptura sic loquitur, quod opera bonorum et malorum sequuntur eos, quasi adhuc homini post mortem adsint et insint, quia scilicet reatus eorum manet in homine, quo hominem obligant ad pœnam, vel præmium.

Petes *secundo* : Quomodo opera dicuntur ardere?

Quomodo dicuntur ardere operæ.

Respondeo : Dupliciter; *primo*, metaphorice, quia comparantur stipulæ, quæ proprie ardet; opera vero ardent metaphorice, id est puniuntur, reprobantur, abolentur, uti lignum quod igne consumitur.

Secundo, metonymice, quia ipse operans propter opera sua ardet et uritur.

Ubi nota : Utitur hac metaphora et metonymia Apostolus, ut persistat in metaphora ædificii, quam cœpit a vers. 9 hucusque, et quia alludit ad ignem conflagrationis, qui omnia ædificia mundi comburet. Homo enim operibus suis sibi quasi ædificium ædificat, sicut bombyces et cruce serico quod nent, folliculos, quasi domos sibi conficiunt, quibus se involvunt, ut si folliculum aduras, bombyces aduras, et contra : ita hic metaphorice opus, quasi ædificium aduritur, quia ipse operans et ædificator, cui opera adhærent et quasi inhærent, aduritur. Adde opera dici exuri potius, quam operantem, quia operans non

Fulchers simillimo quo declaratur quomodo opera metaphorice exurantur.

exuritur, sed salvus fit, sic tamen quasi per ignem : operum autem reatus hoc igne exuritur et aboletur.

Petes *tertio* : Quomodo aurum et argentum, id est bona opera, hic ignis probat ?

Quomodo hic ignis probat bona opera ?

Respondeo : Hoc ipso quo ea non attingit, et operantes quasi omnino puros, illæsos et intactos relinquit, satis probat operum et operariorum perfectionem; lignum vero, stipulam, fœnum manifestabit et uret, id est puniet, cum eos qui venialia operati sunt, invadet et uret, et ab iis purificabit, ita ut salvi sint, sic tamen quasi per ignem. Sic olim dicebatur et fiebat [quod postea per Canones prohibitum est, quasi tentativum Dei] criminis proba per ferrum candens : offerebatur enim illud reo tractandum manibus, vel pedibus nudis; quod si vere reus erat, urebatur; si innocens, non lædebatur, uti contigit S. Cunegundi, uxori Henrici Imperatoris et tribus pueris in fornace Babylonia : illa enim suam castitatem ferro candente, super quo nudis plantis ambulavit; hi suam innocentiam, in fornace ignita illæsi, probarunt.

Canones prohibuerunt criminis probam per ferrum candens. S. Cunegundis suam castitatem ferro candente probavit.

Dices : Quomodo ignis uniuscujusque opus probat? Paulus enim, et omnes jam mortui, non experiuntur ignem conflagrationis mundi.

Quomodo hic ignis unicuique opus probare dicitur, cum jam nemo vivat illum ignem experiturus ?

Respondeo : Quia Paulus ita loqui solet, quasi sibi et suis instet dies mundi ultimus, et hic ignis, ut scilicet stimulet omnes, ut se parent ad istum diem, quasi incertum et vicinum.

Adde : Ille ignis erit purgatorius totius mundi, et omnium quæ sunt in eo, adeoque si quid in aliquo olim mortuo necdum sat purgatum esset, id ab illo igne invaderetur et expiaretur, et sic cujusque, etiam olim mortui, opus hic ignis manifestabit; erit enim ultima hæc totius mundi proba et expiatio.

Conclusio tertia. Apostolus per hunc ignem intelligit ignem Purgatorii.

Dico *tertio* : Sunt sub die Domini intelligit Apostolus diem mortis, et sub judicio extremo intelligit particulare, quasi unum et idem; ita a pari sub igne, Christum judicem ad universale judicium comitaturo, et purgaturo quidquid illo tempore purgandum restabit, proportionaliter intelligi vult ignem, quo statim animæ purgantur post mortem. Per hunc ignem ergo intelligit ignem Purgatorii.

Nec obstat, quod ignis conflagrationis sit ante mortem, ut multi volunt, quia post mortem esse debaret; expiabit enim totius vitæ et mortis peccata; sed esse nequit post mortem, ita ut mortuos purget; quia mortui tunc a morte statim resurgent et rapientur ad judicium.

Probatur pro hac conclusione intelligi ignem Purgatorii. Primo, quia ignis, qui vere ignem conflagrationis non erant visuri, sed suum purgatorium hic post mortem, æque ut illi in morte habituri. Cur enim hi magis quam illi sint immunes ab igne, si æque illum sunt meriti ?

Adde, si quis ante mortem non satis eo purgatus esset, post mortem eodem igne, quasi purgatorio, plene expiabitur. Probatur hac sententia, quia loquitur Apostolus præsentibus, qui vere ignem conflagrationis non erant visuri, sed suum purgatorium hic post mortem, æque ut illi in morte habituri. Cur enim hi magis quam illi sint immunes ab igne, si æque illum sunt meriti ?

Secundo, quia Græce est ἀποκαλύπτεται, id est *revelatur*, scilicet in præsenti, dies Domini, puta in præsenti vita cum morimur.

Secundo ex verbo Græco.

Tertio, quia uniuscujusque opus hoc igne Purgatorii expiabitur, cum igne conflagrationis tantum expiandum sit eorum opus, qui hunc vivent.

Tertio.

Quarto, quia de igne Purgatorii hunc locum accipiunt omnes Catholici Patres, et Doctores Latini et Concilium Florentinum, initio, estque consensus et traditio Ecclesiæ.

Quarto.

Quinto, quia hoc proprie est opus Purgatorii, probare scilicet et purgare, et de eo propriissime dicitur, quod «salvus erit,» sic tamen quasi per ignem : salvus, inquam, statim a morte, cum plene purgatus ex purgatorio evolabit in cœlum, ante ignem conflagrationis et diem Domini.

Quinto.

Quomodo per ignem salvus erit ?

Sicut ergo igni conflagrationis recte competit, quod ait Apostolus, quod per eum dies Domini revelelur : sic igni Purgatorii proprie competit, quod uniuscujusque opus probabit, et quod justus qui peccavit, salvus erit, sic tamen quasi per ignem.

Addo graves Theologos, ut Franciscus Suarez, III *part.*, tom. II, disp. LVII, sect. 1, negare ignem conflagrationis homines occisurum et purgaturum, sed tantum post resurrectionem, in ipso universali judicio, ignem illum fore, ad terrorem et raptum damnandorum, et ut post judicium mundum exurat et renovet; dici tamen subinde, quod bonos probabit et purgabit, quia testis erit Christo ferenti sententiam innocentiæ et purgationis antea factæ in igne Purgatorii : ergo magis certum est probationem, de qua hic agit Apostolus, futuram per ignem Purgatorii, quam per ignem conflagrationis mundi.

Suarez negat ignem conflagrationis homines occisurum.

Totus ergo hic Apostoli locus de die judicii, tam particularis, quam universalis, deque igne tam Purgatorii, quam conflagrationis mundi intelligendus est.

Petes *primo*, cur hæc ita commiscet Apostolus, ut mixtim loquatur de utroque judicio et utroque igne? Causa est, *primo*, quia sicut unum et idem erit utrumque judicium, puta universale et particulare, ita quasi unus et idem est ignis Purgatorii et conflagrationis mundi : hic enim immundum, ille homines purgat; et ignis Purgatorii ad ignem conflagrationis, quasi ad universale mundi purgatorium, tanquam pars ad totum ordinatur, in eumque desinet, et forte commutabitur; ut idem numero ignis, qui jam est Purgatorii, Purgatorio desinente et finito in fine mundi, fiat ignis conflagrationis.

Cur Apostolus hic de utroque judicio et utroque igne loquatur.

Ignis Purgatorii ex quo modo Christo in particulari judicio assistit ?

Secundo, quia ita loqui solet Apostolus de die judicii universalis, ac si statim a morte et judicio particulari instet et immineat, ac consequenter perinde ac si ab igne Purgatorii mox transiturus ad ignem conflagrationis et consummationis mundi; idque ut omnes ad illum diem tam terribilem sancte et pie vivendo se comparent. Id patet I *Thessal.* IV, 15; *Hebr.* XI, vers. ultim.; II *Corinth.*

cap. V, 1, 3, 4. Pari modo Prophetæ sæpe, et Christus ipse, *Matthæi* XXIV, mixtim loquuntur de typo et antitypo, puta de excidio urbis Jerusalem et de excidio orbis totius, quasi de uno eodemque excidio, et quasi post excidium urbis Jerusalem mox secuturum sit excidium orbis; adeo ut ita revera futurum, tunc cum hæc diceret Christus, putarent Apostoli, licet postea melius edocti contrarium senserint et docuerint.

Petes *secundo* : Quomodo judicio particulari applicari potest, quod ait Apostolus, « quia in igne revelabitur ? » Quis ignis assistet Christo judici in judicio particulari, ut probet et declaret cujusque hominis opera?

Quis ignis assistet Christo in judicio particulari ?

Respondeo : Christo in judicio particulari assistet ignis Purgatorii, quia Christo judici ad manum paratus adest, ut probet, puniat et purget cujusque opera.

Examen particulare tribunal Apostolus igni Purgatorio, per quod ignem.

Notanda enim est prosopopœia, qua utitur hic Apostolus, dum hoc examen et probationem tribuit igni Purgatorii; quasi ignis hic esset assessor judicis Christi, coram quo omnes mortui transire debeant, tanquam milites coram suo duce, ut ab eo lustrentur, ut si quos ineptos et impuros viderit, corripiat et purget. Facit autem hoc Apostolus, *primo*, ut persistat in metaphora auri, et conflatoris, qui per ignem omnia probat et purgat; *secundo*, ut apta proportione respondeat ignis hic purgatorius igni conflagrationis et purgationis mundi, ad quem primario, ut dixi, respicit, dum ait : « Dies Domini in igne revelabitur. »

Ubi nota : Sicuti dum Prophetæ et Christus typum cum antitypo commiscent, mixtimque loquuntur, verbi gratia, de Salomone et Christo, de excidio urbis et orbis, quædam quæ magis uni, puta typo; quædam quæ magis alteri, puta antitypo, conveniunt, commemorant : ita facit et Paulus hic; nam quod ait : « Dies Domini in igne revelabitur, » magis convenit igni conflagrationis mundi; quod vero addit : « Uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit, et ipse salvus erit, sic tamen quasi per ignem, » magis convenit igni Purgatorii, ut patet ex dictis.

Ignis ergo Purgatorii Christo judici in particulari judicio paratus adest et assistit, tanquam explorator, lictor, carcer et vindex, ut singulorum opera examinet, scilicet bonorum aurea opera intacta relinquendo, aliorum vero lignum, fœnum, stipulam, quasi sibi proportionata corripiendo, urendo, puniendo, eo modo quo dixi conclusione secunda; et ita « detrimentum » quisque « patietur, » Græce ζημιωθήσεται, id est pœna mulctabitur, operans, ita tamen, ut salvus fiat per ignem, et sic in die obitus et judicii particularis cuique revelatur hic ignis. Et hoc significat dicta visio Fursei : cum enim ipse quasi mortuus videret ignem sibi appropinquantem, dixit angelo suo : « Domine, ecce ignis mihi appropinquat. Respondit angelus : Quod non accendisti, non ardebit te. Licet enim terribilis et grandis rogus videatur, tamen juxta merita operum singulos examinat, quia uniuscujusque cupiditas ita hoc igne ardebit. Sicut enim quis ardet in corpore per illicitam cupiditatem, ita solutus a corpore ardebit per debitam pœnam. »

Ignis Purgatorii Christo judici quasi explorator assistens. Beati mundum purifice, ut mal. jocunde mulctentur. Colloquium Fursei cum angelo suo.

Sensus ergo totius hujus loci est, *q. d.* Paulus : Vide, o Apollo, videte, o magistri, videte, o Corinthii, quid doceatis, quid discatis, an fœnum, an vana, an ventosa, an curiosa, an terrena; quia ignis Purgatorii Christo judici quasi explorator assistens, probabit cujusque opus et doctrinam, statim post mortem, in judicio particulari; et consequenter ignis conflagrationis mundi, in quem desinet ignis Purgatorii, in judicio universali declarabit opus cujusque igne Purgatorii probatum et purgatum esse, ut in judicio hoc, coram toto mundo appareat, quale fuerit; adeoque si quod opus necdum plene probatum sit igne Purgatorii, idipsum igne conflagrationis mundi probabitur et purgabitur : erit enim hæc ultima mundi proba.

IPSE SALVUS ERIT, SIC TAMEN QUASI PER IGNEM. — Perperam Isidorus Clarius vertit ex Græco, « ipsum, scilicet, fundamentum salvum erit. » Licet enim σῶζεται, id est *fundamentum*, sit masculini generis, ut congruere possit cum ἐστὶν, id est *ipse*; tamen id huic loco et menti Apostoli non convenit. Vult enim Apostolus hac similitudine ostendere, igne puniendos esse doctores, qui fidei Christi vana et curiosa superædificant.

Rursum, τὸ *mercedem accipiet*, non ad *fundamentum*, sed ad *doctrinam* referri debet, ut patet. Ergo et quod illi opponitur, scilicet, « ipse salvus erit, sic tamen quasi per ignem, » ad doctorem pariter, sed vana ædificantem et docentem, referendum est.

Nota : Τὸ *quasi* signum est veritatis, non similitudinis, ut et *Joannis* I, 14 : « Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, » id est vidimus eam gloriam Christi, quæ decebat vere unigenitum Patris; et alibi sæpe.

Secundo, potest τὸ *quasi* esse nota similitudinis, *q. d.* Salvus erit sicut is, qui ex incensa domo elabitur, et transit ambustus per ignem, ut dixi vers. 12. Hinc patet ergo esse Purgatorium, et esse ignem. Unde Chrysostomus, homil. 69 *ad Popul.* : « Statuerunt, ait, Apostoli, ut in Missæ sacrificio oretur pro defunctis. » Et Dionysius Areopagita, cap. VII, part. III *Eccles. Hierarch.*, tradit has orationes, easque ait se accepisse ab Apostolis. Nam, ut S. Augustinus in *Psal.* XXXVII ait : « Quia dicitur, Salvus erit, hinc ignis ille contemnitur; sed gravior erit, quam quidquid homo pati potest in hac vita. » Et S. Bernardus, *De obitu Humberti* : « Quod hic negleximus, illic centupliciter reddemus. »

Unde ignem Purgatorii multi volunt eumdem esse cum igne inferni, cui vicinum est Purgatorium, sed ab eo differentem, quod hic æternum sit, ille temporarius. Ex quibus prudenter conclu-

dit Anselmus : « Si propter tormenta vitanda hic regi paremus, pareamus voluntati Dei, ut ignem illum acerbiorem omnibus tormentis evadamus. » Et S. Chrysostomus, homil. 5 *De Pœnit.* : « Pœnitentiæ, inquit, tempus nunc est, præoccupet pœnitentia pœnam, præoccupemus faciem ejus in confessione : rogum peccatorum extinguamus, non jam aquis multis, sed paucis lacrymis. » Sane satius et suavius est purgari fonte quam igne : satius est in Purgatorio pœnitentiæ per totam vitam degere, quam in Purgatorio ignis per annum commorari.

Tropologice : Totum hunc locum apposite pertractat S. Bernardus, serm. *De ligno, fœno et stipula* : « Fundamentum, inquit, Christus est, lignum fragile est, fœnum molle, stipula levis. Lignum sunt, qui fortiter inceperunt, sed fracti non renodantur. Fœnum sunt, qui fugienda mollitie tepefacti, nec summitate digiti (ut dicitur) labores arduos attingere volunt. Stipula sunt, qui levitatis motibus exsufflati, nunquam in eodem statu permanent. Et timendum quidem est de istis, sed non desperandum : quia si in fundamento Christum habuerint, hoc est in hac via vitam finierint, salvi erunt, sic tamen per ignem. » Deinde ignem hunc non litteraliter, sed tropologice explicat : « Ignis, inquit, tria habet, fumum, lucem, ardorem. Fumus excitat lacrymas, lux vicina illuminat, ardor adurit. Ita et qui ejusmodi est, fumum, hoc est amaritudinem in mente habere debet, quia tepidus est, quia remissus est, quia levis, quia ordinem quantum in se est subruit et perturbat. Sed et lucem in ore, ut qualis est in mente, talem se in confessione et dicat et plangat; ut et linguam acuat conscientia, et conscientiam arguat lingua. Necesse est quoque ut ardorem sentiat in corpore, id est pœnitentiæ tribulationem, et si non multimodam, aliquam tamen. Putas quia sic compunctos corde, ore confessos, corpore fatigatos abjiciet, qui omnes homines vult salvos fieri, et neminem vult perire? » Denique de aliis subdit : « Sunt et alii qui ædificant super fundamentum hoc aurum, argentum et lapides pretiosos, qui vehementer incipiunt, vehementius proficiunt, vehementissime perficiunt, non attendentes quid caro possit, sed quid spiritus velit. »

16. NESCITIS QUIA TEMPLUM DEI ESTIS. — Respicit et redit Apostolus ad vers. 9 : « Dei ædificatio estis, » q. d. Estis ædificium non hominis, sed Dei, ac consequenter non profanum, sed sanctum, puta templum Dei, in quo Deus habitat per fidem, gratiam, charitatem et dona sua. Ita Anselmus et alii passim. De templo hoc plura dicam II *Cor.* VI, 16.

Quomodo anima dedicetur Deo in templum, vide S. Bernardum, serm. 1 *De Dedic. Eccles.*, ubi ait : Quinque sunt in dedicatione, aspersio, inscriptio, inunctio, illuminatio, benedictio ; hæc ex in anima spiritualiter fiunt : quæ fuse deinde explicat.

Nota : Hactenus egit Apostolus de iis Doctoribus et fidelibus qui superædificant ædificio sancto, id est templo : jam de illis agit, qui everterunt illud ; unde subdit :

17. SI QUIS AUTEM TEMPLUM DEI VIOLAVERIT, DISPERDET ILLUM DEUS. — Pro « si quis violaverit, » græce est φθείρει, id est *corrumpit* vel *vitiat*, uti legit Tertullianus, scilicet per mortalem superbiam sapientiæ animalis et humanæ, per novam, erroneam et pestiferam doctrinam ; per schismata, uti vos facitis, o Corinthii, inquit Anselmus ; et qui quovis alio modo Ecclesiam, vel animam fidelem, quæ est templum Dei, corrumpit, hunc disperdet Deus. Loquitur Apostolus maxime de corruptione, quæ fit docendo et persuadendo falsam doctrinam superbiendo, aliis invidendo, schismata concitando. De doctoribus enim uti cæpit, ita et finit hoc caput. Patet ex seqq. q. d. Hic corruptor non salvus erit per ignem, sed in igne æterno ardebit.

18. SI QUIS VIDETUR INTER VOS SAPIENS ESSE IN HOC SÆCULO (sapientia scilicet et eloquentia sæculari, rhetorica, philosophica, mundana, terrena, ideoque quasi sapiens superbiat, et ex fastu alios despiciat), STULTUS FIAT, UT SIT SAPIENS. — « Stultus, » nimirum humilitatis fideique, et crucis Christi stultitia, de qua dixi cap. I, vers. 21 et seqq., coram mundo : quæque tamen coram Deo vera et sola est sapientia, ait Anselmus. Cum enim sapientia hujus mundi stultitia sit apud Deum, et contra, sequitur nos non posse aliter vere sapere, nisi secundum mundum stulti simus, ut, licet magni sapientesque mundo videamur, tamen quasi pueri, imo quasi stulti subdamus nos fidei, disciplinæ, cruci et obedientiæ Christi. « Ita tres magi Puerum adorantes in præsepio, inquit S. Bernardus, serm. 1 *De Epiphania*, insipientes facti sunt, ut fierent sapientes, et perdocuit eos Spiritus quod postea prædicavit Apostolus : Qui vult sapiens esse, stultus fiat, ut sit sapiens ; ingrediuntur stabulum, inveniunt pannis involutum infantulum : non illis sordet stabulum, non pannis offenduntur, non scandalizantur lactentis infantia ; procidunt, venerantur ut regem, adorant ut Deum ; sed profecto qui illos adduxit, ipse et instruxit : et qui per stellam foris admonuit, ipse in occulto cordis edocuit. » Quærit S. Basilius in *Regul. brevior.*, interrog. 274 : « Quomodo efficitur aliquis stultus in hoc sæculo ? » ac respondet : « Si formidaverit judicium Domini dicentis : Væ qui sapientes estis in oculis vestris, et coram vobismetipsis prudentes ; et illum fuerit imitatus, qui dixit : Ut jumentum factus sum apud te ; atque abjecta omni cassa opinione prudentiæ suæ, de iis quæ cogitaverit, nihil antea tanquam rectum approbaverit, imo ne initio quidem prorsus quidquam cogitaverit, priusquam ab ipso Domini mandato scire didicerit, quid placeat Deo, sive in opere, sive in verbo, sive in cogitatione. »

19. SAPIENTIA HUJUS MUNDI, STULTITIA EST APUD

DEUM, — quia Deus reprobavit sapientiam sæcularem, et abjecit quasi fatuam : *Prima*, quia nihil sapit salutare et divinum, nihil etiam facit ad negotium salutis.

Secundo, Deus ea uti noluit in Evangelio prædicando, sed potius rudibus Apostolis.

Tertio, quia sæpe contraria est fidei, tum in speculativis, uti mysterio Sanctissimæ Trinitatis, incarnationis, mortis Filii Dei, repugnant omnes sæculi sapientes, quasi illa impossibilia et incredibilia sint ; tum in practicis et moralibus. Christus enim jubet diligere inimicos, mundana sapientia jubet eos odio prosequi ; Christus jubet vincere in bono malum, mundana sapientia jubet in malo vincere malum ; Christus beatos prædicat pauperes, mites, flentes, esurientes, persecutionem patientes : mundus vero beatos prædicat divites, elatos, ridentes, epulantes, dominantes.

SCRIPTUM EST ENIM : COMPREHENDAM SAPIENTES IN ASTUTIA EORUM. — Citat *Job* cap. V, vers. 13. Pro « comprehendam, » hebraice est לכד *loched*, græce δ παγιεύων, id est *capiens manu injecta* ; participium ponitur pro verbo : capiens, id est capiam, comprehendam. Vide Cau. 29.

Sunt hæc verba non Job, sed Eliphaz, qui falso disputat contra Job, volens probare Job peccasse, et per peccata calamitates suas esse promeritum : unde redarguitur a Deo, *Job* XLII, 7, ac proinde verba hæc Eliphaz non habent auctoritatem sacræ Scripturæ, sed viri sapientis, ut dixi *Job* IV. Probat enim Paulus hanc Eliphaz sententiam, quia in se vera est, et sapienter a sapiente illo dicta.

Nota : Comprehendit Deus sapientes in astutia sua, quando per id, quo astute volebant evertere consilium Dei, Deus illud ipsum adimplet : ut cum fratres Joseph, volentes ejus somnia de principatu ipsius futuro evertere, illum depresserunt, et quasi servum vendiderunt in Ægyptum ; Deus vero per hoc ipsum exaltavit, et principem Ægypti constituit, fratresque eum adorare coegit. Pari modo Deus comprehendit sapientiam Pharaonis in mari Rubro, Saulis et Achitophelis volentium perdere Davidem, Aman in cruce, qua cogitabat perdere Mardochæum. Ita S. Thomas.

20. ET ITERUM (scriptum est *Ps.* XCIII, vers. 11) : DOMINUS NOVIT COGITATIONES SAPIENTIUM, QUONIAM VANÆ SUNT. — Pro « sapientium, » *Ps.* XCIII, 11, habetur *hominum*, scilicet non vulgarium, sed sapientium ; hi enim sua sapientia multa cogitant et machinantur. Omnibus hisce sententiis et rationibus Apostolus docet Corinthios, vanam et inanem esse sapientiam et eloquentiam sæcularem, in qua ipsi gloriabantur, et ob quam Apollo præponebant Paulo. Veram autem sapientiam esse fidem et doctrinam Christianam, quam ipse ea, simplici licet sermone, ardenti tamen et efficaci spiritu prædicaverat.

Moraliter S. Hieronymus, in *Psalm.* XCIII : « Vultis, inquit, scire quoniam cogitationes hominum vanæ sunt : pater et mater nutriunt filium, promittunt sibi de illo felicitatem, mittunt ad studia, erudiunt, venit usque ad adolescentiam, disponunt ut etiam militet ; cum omnia cogitaverint per annos triginta, una febricula venit et tollit omnes cogitationes. O curas hominum ! o quantum est in rebus inane ! Una cogitatio felix est, cogitare de Domino. »

21. NEMO GLORIETUR IN HOMINIBUS (eloquentibus, vel sapientibus, puta Apollo, Paulo, etc.). 22. OMNIA ENIM VESTRA SUNT, SIVE PAULUS, SIVE APOLLO, SIVE CEPHAS, SIVE MUNDUS, SIVE VITA, SIVE MORS, SIVE PRÆSENTIA, SIVE FUTURA, — *q. d.* Noli tu in Paulo, ille in Apollo gloriari, quia tam Paulus quam Apollo et omnes alii homines, imo omnes creaturæ, cuivis vestrum communes sunt, vobisque communiter ad salutem vestram procurandam subserviunt.

Nota, « omnia vestra sunt, » non quasi omnia bona sint communia, uti erant in statu innocentiæ ; aut quasi justi omnium rerum sint proprie domini, ut delirant Hus, Wiclef et alii ; sed « vestra sunt, » non possessione, sed fine et usu, quia scilicet vobis in ministerium et auxilium salutis deputata et data sunt : ita Anselmus, Ambrosius, Theodoretus, S. Thomas, Chrysostomus ; data, inquam, ad usum vel realem, vel mentalem, qui est in omnibus creaturis agnoscere et laudare creatorem, et hoc est quod vulgo dicitur : « Fideli totus mundus divitiarum est. » Vide Theodoretum, serm. 10 *De Providentia*. Unde Chrysostomus ait : « Alia ratione nos Christi, alia ratione Christus est Dei, alia mundus est noster ; nos enim Christi sumus, ut opus ; Christus autem est Dei, ut filius charissimus ; noster vero mundus est, non ut opus, sed quasi propter nos factus est. » Vester ergo est mundus, id est, omnes creaturæ mundi corpori et animæ vestræ serviunt ; vestra est vita, ut in ea merita colligatis ; vestra mors, quia per mortem transitis ad vitam æternam ; vel mors, id est martyrium vestrum est ; vestra sunt præsentia, tam adversa quam prospera, quia illis utimini in bonum ; vestra sunt futura bona, quia illis fruemini : unde jam vestra sunt in spe, re ipsa erunt in cœlo. Ita S. Thomas et Anselmus. Vestra quoque sunt mala, infernus et damnati, ut illis dominemini.

23. VOS AUTEM CHRISTI, — ut membra mystica Christi capitis et domini estis, ac consequenter Christi possessio estis, sanguine ejus empti. Ita Anselmus et S. Thomas, *q. d.* Ergo vobis, o Corinthii, non in hominibus Paulo, vel Apollo, sed in Christo gloriandum est.

CHRISTUS AUTEM DEI, — supple, est, idque *primo*, quia qua Deus, Dei est Filius. Ita Chrysostomus, Theodoretus, Anselmus, Ambrosius, qui ait : « Christus est Dei Filius ejus faciens voluntatem, ut et nos ipsius faciamus voluntatem. »

Secundo et aptius : Christus qua homo, Dei est, quasi domini et capitis sui, creatura et possessio, ait S. Thomas et Cajetanus.

Ex dictis patet, fideles sanctos et maxime electos, esse finem propter quem Deus omnia creavit : horum vero omnium finis est Christus, ut homo. Hæc enim gloria per se tali homini debebatur, scilicet, ut omnium creaturarum et hominum esset finis, ut omnia illi servirent, ut omnia ad ejus gloriam ordinarentur : Christus autem est propter Deum et Dei gloriam, *q. d.* Apostolus : Ergo non in Paulo, vel Apollo, sed in solo Deo, ad quem omnia alia reducuntur, est gloriandum.

Pulchre in morali *hom.* 10, S. Chrysostomus : « Omnia, ait, nostra a Christo habemus, et quod sumus, et vitam, et lucem, et spiritum, et aerem, et terram; et si quid horum abstulerit, peribimus; inquilini enim sumus et peregrini : Meum quippe et Tuum verba tantum inania sunt; re autem non existunt (intellige ut ita sit tuum, sicut est Dei, ut scilicet absolutum, independens et perpetuum rei habeas dominium. Nam ad tempus tantum tibi concessit Deus dominium, quod si cum Dei dominio comparetur, potius usus est quam dominium). Licet domum tuam esse dixeris, inaniter loqueris, siquidem et aer, et terra, et materia, conditoris est, et tu ipse, qui eam effugis, item et alia omnia; quod si usus tuus est, incertus tamen est, non tantum propter mortem, sed ante mortem quoque propter rerum instabilitatem. Duplici namque ratione sumus Dei, creationis et fidei; et anima tua non est tua, quomodo pecuniæ erunt tuæ? Cum vero non sint tua, sed Domini, in conservos ea te erogare oportet. Noli ergo dicere : Item meam consumo : non tua est, sed aliena, imo communia sunt tibi et conservo, quemadmodum et sol, et aer, et omnia. » Hactenus Chrysostomus.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit in schismate, fastu et gloriatione Corinthiorum, ac præsertim Doctorum aliquorum arrogantium, qui Paulum despiciebant, exellendis.

Idque primo, ostendens se non curare, nec curanda esse hominum judicia, sed solius Dei.

Secundo, vers. 7, *eorum inflationem redarguit, dicens :* Quid habes quod non accepisti?

Tertio et maxime, urget eos, vers. 9, *suo et aliorum Apostolorum exemplo, qui in omni humilitate, afflictione et despectu, quasi purgamenta mundi et peripsema, ubique evangelizabant.*

Quarto, premit eos, vers. 15, *tanquam filios suos, quod quasi Pater illos genuerit in Christo, minaturque se brevi venturum Corinthum, ut hos pseudodoctores gloriosos et inflatos redarguat et punat.*

1. Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei. 2. Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. 3. Mihi autem pro minimo est ut a vobis judicer, aut ab humano die : sed neque meipsum judico. 4. Nihil enim mihi conscius sum; sed non in hoc justificatus sum : qui autem judicat me, Dominus est. 5. Itaque nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus : qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium; et tunc laus erit unicuique a Deo. 6. Hæc autem, fratres, transfiguravi in me et Apollo, propter vos : ut in nobis discatis, ne supra quam scriptum est, unus adversus alterum infletur pro alio. 7. Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? 8. Jam saturati estis, jam divites facti estis : sine nobis regnatis; et utinam regnetis, ut et nos vobiscum regnemus! 9. Puto enim quod Deus nos Apostolos novissimos ostendit, tanquam morti destinatos : quia spectaculum facti sumus mundo, et angelis, et hominibus. 10. Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo : nos infirmi, vos autem fortes : vos nobiles, nos autem ignobiles. 11. Usque in hanc horam et esurimus, et sitimus, et nudi sumus, et colaphis cædimur, et instabiles sumus, 12. et laboramus operantes manibus nostris : maledicimur, et benedicimus : persecutionem patimur, et sustinemus : 13. blasphemamur, et obsecramus : tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc. 14. Non ut confundam vos, hæc scribo, sed ut filios meos charissimos moneo. 15. Nam si decem millia pædagogorum habeatis in Christo,

sed non multos patres. Nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui. 16. Rogo ergo vos, imitatores mei estote, sicut et ego Christi. 17. Ideo misi ad vos Timotheum, qui est filius meus charissimus et fidelis in Domino : qui vos commonefaciet vias meas, quæ sunt in Christo Jesu, sicut ubique in omni Ecclesia doceo. 18. Tanquam non venturus sim ad vos, sic inflati sunt quidam. 19. Veniam autem ad vos cito, si Dominus voluerit : et cognoscam non sermonem eorum qui inflati sunt, sed virtutem. 20. Non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute. 21. Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate et spiritu mansuetudinis?

1. SIC NOS EXISTIMET HOMO UT MINISTROS CHRISTI (1). — « Homo, » id est unusquisque. Hoc enim est Hebræum אִישׁ *ish*, *q. d.* Velut *ego* in hominibus, Paulo et Apollo, gloriemini; ne quis hinc nos contemnat, dico : Sic nos quisque Apostolos existimet, id est æstimet, quasi ministros Christi et dispensatores mysteriorum Christi.

DISPENSATORES. — Kemnitius cavillatur, hinc Concilium Tridentinum probare Pontificem posse dispensare in votis et legibus; sed perperam, inquit, quia hic dispensare non significat relaxare, ut vult Concilium, sed distribuere. Respondeo, Concilium id optime intellexisse, sed tantum ita argumentari : Si credita est Pontifici dispensatio rerum Ecclesiæ, ergo potest certis casibus, ubi res exigit, dispensare, id est solvere vota, juramenta, pœnitentias et debitum pœnæ temporariæ remittere; sicut dispensator in domo multa potest, ubi honor vel utilitas domini id exigit, dispensare, donare, vel relaxare; hoc enim ad regimen domus sibi commissum spectat, modo ea bene dispenset, non temere dissipet, ut docet S. Bernardus, lib. *De Præcept. et disp.*, et lib. III *De Consider. ad Eugenium* : « Quæritur, inquit, inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. Ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio est. Ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est. Utilitas dico communis, non propria : nam cum nihil horum est, non plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est. »

Ubi nota : Pro *dispensator*, græce est œconomus, qui domus curam habet, in ea omnia regit, distribuit, ordinat : quin et donat et debita relaxat, ubi sincere credit hoc domino suo placere, vel utile esse ad domini sui honorem. Ejus enim præcipua virtus est fidelitas et prudentia. Sic Pontifex in Ecclesia quasi domo Dei, omnia ordinat, dat indulgentias, relaxat vota, quasi œconomus et vicarius Christi.

MYSTERIORUM DEI — mysticæ, arcanæ et divinæ doctrinæ, atque Sacramentorum Christi. Utraque enim hæc sunt mysteria Christi, eaque Christus credidit Paulo et Apostolis, quasi œconomis suis. Unde Corinthiorum contentio et schisma maxime ex sacramento Baptismi oriebatur, quod hic jactaret se baptizatum a Paulo, ille ab Apollo, ut patet cap. 1, 13.

2. HIC JAM QUÆRITUR INTER DISPENSATORES, UT FIDELIS QUIS INVENIATUR, — *q. d.* Avocavi vos, o Corinthii, a sapientiæ et eloquentiæ humanæ examine, ad simplicem et humilem Christi doctrinam, ut non disputetis an Paulus, an Apollo sit sapientior vel eloquentior, dixique utrumque nostrum tantum esse dispensatorem hujus doctrinæ : forte vos in comparationem nostri proclivos, jam de fideli nostra dispensatione disputare incipietis, et quærere quod de dispensatore homines quærere solent, an fideles simus, et an Paulus sit fidelior quam Apollo, an vero Apollo Paulo sit fidelior in suo prædicationis officio. Multi vestrum dicunt : Paulus est fidelior et efficacior, sed Apollo eloquentior. Alii alios suos catechistas et magistros ostentantes suam sapientiam jactant, quasi nobis meliores et fideliores. Quare ut omnem hanc comparationem et vestra judicia succidam, dico me non curare vestra et quorumvis judicia, sed solius Dei. Ita ex Chrysostomo Theophylactus (2).

Nota : Præcipua dos dispensatoris est fidelitas, ut notat Christus *Lucæ* XII, 42 : « Quis putas, inquit, est fidelis dispensator et prudens? » Ad quam Christi sententiam alludit hic Paulus. « Fidelis autem est, inquit Theophylactus, si herilia bona sibi non vendicet et attribuat, ut non veluti dominus res tractet, sed veluti aliena et herilia dispenset; non sua esse dicens, quæ sunt heri, sed e diverso quæ sua sunt, heri esse. » Talis est doctor et prædicator, qui non suam, sed Dei unius gloriam et animarum conversionem *salutemque* quærit et spectat, eamque omni diligentia, non tantum prædicatione sua, sed et sanctimonia, perfectæque vitæ exemplo procurare satagit.

3. MIHI PRO MINIMO EST (parvi æstimarim) UT A VOBIS JUDICER, AUT AB HUMANO DIE — id est, *ab humano judicio*. Sic enim dies Domini vocatur et est judicium Domini : sic reis dicitur dies, cum citantur ut sistant se judicio, metonymice. Ita Hieronymus *ad Algas.*, Quæst. X. Ubi addit, Paulum utpote ex Tarso Ciliciæ oriundum, ex more cum phrasi Græca, humanum diem vocasse humanum judicium.

(1) Ostendit nunc Apostolus quo loco haberi debeant, quibus Corinthii hactenus justo plus vel minus tribuerint, cap. I, 12; III, 4, 5. Igitur, vers. 1-6 hujus capitis proxime cohærent cum capite præced.

(2) « Hic jam quæritur, » id est *cæterum requiritur*, etc.

Ex dictis patet, fideles sanctos et maxime electos, esse finem propter quem Deus omnia creavit : horum vero omnium finis est Christus, ut homo. Hæc enim gloria per se tali homini debebatur, scilicet, ut omnium creaturarum et hominum esset finis, ut omnia illi servirent, ut omnia ad ejus gloriam ordinarentur : Christus autem est propter Deum et Dei gloriam, *q. d.* Apostolus : Ergo non in Paulo, vel Apollo, sed in solo Deo, ad quem omnia alia reducuntur, est gloriandum.

Pulchre in morali *hom.* 10, S. Chrysostomus : « Omnia, ait, nostra a Christo habemus, et quod sumus, et vitam, et lucem, et spiritum, et aerem, et terram; et si quid horum abstulerit, peribimus; inquilini enim sumus et peregrini : Meum quippe et Tuum verba tantum inania sunt; re autem non existunt (intellige ut ita sit tuum, sicut est Dei, ut scilicet absolutum, independens et perpetuum rei habeas dominium. Nam ad tempus tantum tibi concessit Deus dominium, quod si cum Dei dominio comparetur, potius usus est quam dominium). Licet domum tuam esse dixeris, inaniter loqueris, siquidem et aer, et terra, et materia, conditoris est, et tu ipse, qui eam effugis, item et alia omnia; quod si usus tuus est, incertus tamen est, non tantum propter mortem, sed ante mortem quoque propter rerum instabilitatem. Duplici namque ratione sumus Dei, creationis et fidei; et anima tua non est tua, quomodo pecuniæ erunt tuæ? Cum vero non sint tua, sed Domini, in conservos ea te erogare oportet. Noli ergo dicere : Item meam consumo : non tua est, sed aliena, imo communia sunt tibi et conservo, quemadmodum et sol, et aer, et omnia. » Hactenus Chrysostomus.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit in schismate, fastu et gloriatione Corinthiorum, ac præsertim Doctorum aliquorum arrogantium, qui Paulum despiciebant, exellendis.

Idque primo, ostendens se non curare, nec curanda esse hominum judicia, sed solius Dei.

Secundo, vers. 7, *eorum inflationem redarguit, dicens :* Quid habes quod non accepisti?

Tertio et maxime, urget eos, vers. 9, *suo et aliorum Apostolorum exemplo, qui in omni humilitate, afflictione et despectu, quasi purgamenta mundi et peripsema, ubique evangelizabant.*

Quarto, premit eos, vers. 15, *tanquam filios suos, quod quasi Pater illos genuerit in Christo, minaturque se brevi venturum Corinthum, ut hos pseudodoctores gloriosos et inflatos redarguat et punat.*

1. Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei. 2. Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. 3. Mihi autem pro minimo est ut a vobis judicer, aut ab humano die : sed neque meipsum judico. 4. Nihil enim mihi conscius sum; sed non in hoc justificatus sum : qui autem judicat me, Dominus est. 5. Itaque nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus : qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium; et tunc laus erit unicuique a Deo. 6. Hæc autem, fratres, transfiguravi in me et Apollo, propter vos : ut in nobis discatis, ne supra quam scriptum est, unus adversus alterum infletur pro alio. 7. Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? 8. Jam saturati estis, jam divites facti estis : sine nobis regnatis; et utinam regnetis, ut et nos vobiscum regnemus! 9. Puto enim quod Deus nos Apostolos novissimos ostendit, tanquam morti destinatos : quia spectaculum facti sumus mundo, et angelis, et hominibus. 10. Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo : nos infirmi, vos autem fortes : vos nobiles, nos autem ignobiles. 11. Usque in hanc horam et esurimus, et sitimus, et nudi sumus, et colaphis cædimur, et instabiles sumus, 12. et laboramus operantes manibus nostris : maledicimur, et benedicimus : persecutionem patimur, et sustinemus : 13. blasphemamur, et obsecramus : tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc. 14. Non ut confundam vos, hæc scribo, sed ut filios meos charissimos moneo. 15. Nam si decem millia pædagogorum habeatis in Christo,

sed non multos patres. Nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui. 16. Rogo ergo vos, imitatores mei estote, sicut et ego Christi. 17. Ideo misi ad vos Timotheum, qui est filius meus charissimus et fidelis in Domino : qui vos commonefaciet vias meas, quæ sunt in Christo Jesu, sicut ubique in omni Ecclesia doceo. 18. Tanquam non venturus sim ad vos, sic inflati sunt quidam. 19. Veniam autem ad vos cito, si Dominus voluerit : et cognoscam non sermonem eorum qui inflati sunt, sed virtutem. 20. Non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute. 21. Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in charitate et spiritu mansuetudinis?

1. SIC NOS EXISTIMET HOMO UT MINISTROS CHRISTI (1). — « Homo, » id est unusquisque. Hoc enim est Hebræum אִישׁ *ish*, *q. d.* Velut *ego* in hominibus, Paulo et Apollo, gloriemini; ne quis hinc nos contemnat, dico : Sic nos quisque Apostolos existimet, id est æstimet, quasi ministros Christi et dispensatores mysteriorum Christi.

DISPENSATORES. — Kemnitius cavillatur, hinc Concilium Tridentinum probare Pontificem posse dispensare in votis et legibus; sed perperam, inquit, quia hic dispensare non significat relaxare, ut vult Concilium, sed distribuere. Respondeo, Concilium id optime intellexisse, sed tantum ita argumentari : Si credita est Pontifici dispensatio rerum Ecclesiæ, ergo potest certis casibus, ubi res exigit, dispensare, id est solvere vota, juramenta, pœnitentias et debitum pœnæ temporariæ remittere; sicut dispensator in domo multa potest, ubi honor vel utilitas domini id exigit, dispensare, donare, vel relaxare; hoc enim ad regimen domus sibi commissum spectat, modo ea bene dispenset, non temere dissipet, ut docet S. Bernardus, lib. *De Præcept. et disp.*, et lib. III *De Consider. ad Eugenium* : « Quæritur, inquit, inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. Ubi necessitas urget, excusabilis dispensatio est. Ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est. Utilitas dico communis, non propria : nam cum nihil horum est, non plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est. »

Ubi nota : Pro *dispensator*, græce est œconomus, qui domus curam habet, in ea omnia regit, distribuit, ordinat : quin et donat et debita relaxat, ubi sincere credit hoc domino suo placere, vel utile esse ad domini sui honorem. Ejus enim præcipua virtus est fidelitas et prudentia. Sic Pontifex in Ecclesia quasi domo Dei, omnia ordinat, dat indulgentias, relaxat vota, quasi œconomus et vicarius Christi.

MYSTERIORUM DEI — mysticæ, arcanæ et divinæ doctrinæ, atque Sacramentorum Christi. Utraque enim hæc sunt mysteria Christi, eaque Christus credidit Paulo et Apostolis, quasi œconomis suis. Unde Corinthiorum contentio et schisma maxime ex sacramento Baptismi oriebatur, quod hic jactaret se baptizatum a Paulo, ille ab Apollo, ut patet cap. 1, 13.

2. HIC JAM QUÆRITUR INTER DISPENSATORES, UT FIDELIS QUIS INVENIATUR, — *q. d.* Avocavi vos, o Corinthii, a sapientiæ et eloquentiæ humanæ examine, ad simplicem et humilem Christi doctrinam, ut non disputetis an Paulus, an Apollo sit sapientior vel eloquentior, dixique utrumque nostrum tantum esse dispensatorem hujus doctrinæ : forte vos in comparationem nostri proclivos, jam de fideli nostra dispensatione disputare incipietis, et quærere quod de dispensatore homines quærere solent, an fideles simus, et an Paulus sit fidelior quam Apollo, an vero Apollo Paulo sit fidelior in suo prædicationis officio. Multi vestrum dicunt : Paulus est fidelior et efficacior, sed Apollo eloquentior. Alii alios suos catechistas et magistros ostentantes suam sapientiam jactant, quasi nobis meliores et fideliores. Quare ut omnem hanc comparationem et vestra judicia succidam, dico me non curare vestra et quorumvis judicia, sed solius Dei. Ita ex Chrysostomo Theophylactus (2).

Nota : Præcipua dos dispensatoris est fidelitas, ut notat Christus *Lucæ* XII, 42 : « Quis putas, inquit, est fidelis dispensator et prudens? » Ad quam Christi sententiam alludit hic Paulus. « Fidelis autem est, inquit Theophylactus, si herilia bona sibi non vendicet et attribuat, ut non veluti dominus res tractet, sed veluti aliena et herilia dispenset; non sua esse dicens, quæ sunt heri, sed e diverso quæ sua sunt, heri esse. » Talis est doctor et prædicator, qui non suam, sed Dei unius gloriam et animarum conversionem *salutemque* quærit et spectat, eamque omni diligentia, non tantum prædicatione sua, sed et sanctimonia, perfectæque vitæ exemplo procurare satagit.

3. MIHI PRO MINIMO EST (parvi æstimarim) UT A VOBIS JUDICER, AUT AB HUMANO DIE — id est, *ab humano judicio*. Sic enim dies Domini vocatur et est judicium Domini : sic reis dicitur dies, cum citantur ut sistant se judicio, metonymice. Ita Hieronymus *ad Algas.*, Quæst. X. Ubi addit, Paulum utpote ex Tarso Ciliciæ oriundum, ex more cum phrasi Græca, humanum diem vocasse humanum judicium.

(1) Ostendit nunc Apostolus quo loco haberi debeant, quibus Corinthii hactenus justo plus vel minus tribuerint, cap. I, 12; III, 4, 5. Igitur, vers. 1-6 hujus capitis proxime cohærent cum capite præced.

(2) « Hic jam quæritur, » id est *cæterum requiritur*, etc.

Verum potius Paulus Hebræos, ab Hebræorum idiotismo hanc phrasim mutuatus videtur; alludit enim ad *Jerem.* XVII, 16, ubi Jeremias a suis irrisus et afflictus ob suas prophetias, sic ait : « Diem hominis non desideravi, Domine, tu scis. » Ubi nota : Dies hominis est ille, quo homo prosperatur, et tanquam potens, felix et gloriosus honoratur et laudatur ab omnibus, *q. d.* Jeremias : Non desideravi vitam longiorem, prosperitatem, opes, honores, delicias, plausus hominum : si enim hæc spectassem, non tristis et dira mis prophetassem, sed eorum gloriæ et cupiditati bus applausissem; jam autem id minime feci, nec diem et plausum hominis desideravi. Scio enim quod homo sit אנוש *enosch*, id est miser, fragilis, et cito cum suo plausu omnibusque suis bonis peritarus et moriturus : hoc sciens et cogitans, non homini, sed tibi soli, o Domine Deus, in meis prophetiis et concionibus servire, placere, obedire, et a te solo commendari desideravi; ideoque te judicem et testem unicum huius mei desiderii invoco, dicens : « Tu scis, » perinde ac Job invocat dicens, cap. XVI, vers. 20 : « Ecce enim in cœlo testis meus, et conscius meus in excelsis. » Ita S. Hieronymus, Rabanus, Hugo, S. Thomas, Lyranus in *Jerem.* XVII. Jeremiam ergo imitatur, Apostolus ait : « Mihi pro minimo est, ut a vobis judicer, aut ab humano die, » id est, a potentia et sapientia hujus mundi, ab hominum favore et commendatione, ab humano judicio. Nihil timeo quid vos de me judicetis, aut potentissimi et clarissimi hujus mundi. Felix qui dicere potuit : « Diem hominis non desideravi » ita ut hujus rei testem habeat Deum. Hæc summa perfectio est, qua omnia ut stercora reputamus, ut Christum lucrifaciamus. Id Moses jam grandis effecit (grandium enim hæc res est), negans se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem, *Hebr.* XI.

Egregie S. Chrysostomus, in morali hic : « Ne igitur, inquit, aliorum laudes requiramus. Hoc enim illi (Domino Deo) injuria est, si tanquam non sufficiat ad nos laudandum, eo omisso, ad conservos festinemus. Quemadmodum enim qui in parvo theatro certant, magnum sibi inquirunt, ac si illud non satis sit ad præbendum de se spectaculum : sic qui in Dei conspectu certantes, inde hominum sibi famam quærunt, majori omisso theatro, minoris cupiditate magnum sibi supplicium accersunt. Hoc igitur omnia perverti, hoc universum orbem terrarum perturbavit, quoniam hominum respectu omnia facimus, et in bonis operibus nulla nobis cura est, ut laudatorem Deum habeamus, sed laudem nobis a conservis nostris inquirimus. In sceleribus rursum, Deo contempto, homines formidamus, et homine præsente nemo scortaretur; sed licet majorem in modum libidine flagraret, affectus tamen violentia, pudore hominum vinceretur. Cum autem Deus videat, non modo adulterantur, non modo scortantur, verum et alia longe graviora et ausi sunt, et audent. Nonne hoc vel solum satis esset, quo cœlitus innumeris peteremur fulminibus? Hinc omnia orta sunt mala, quod scilicet in rebus turpibus non Deum, sed homines timemus. »

Idem Chrysostomus, hom. 17 *in epist. ad Rom.* : « Quemadmodum, ait, pueri ludentes ex fœno coronas invicem imponunt, coronatum autem sæpenumero, ejus rei ignarum, post tergum irridendo; ita sane et nunc, qui te in faciem prædicant, apud seipsos clanculum subsannant, atque ita quid aliud fit, quam quod et nobis invicem fœnum coronantes imponimus? Et utinam nihil aliud quam fœnum! Nunc autem multo etiam documento plena est hæc nostra corona : nam omnia nostra recte facta perdit. Considerata itaque ipsius vilitate, damnum illud effugito. Quod si centum, vel mille, vel innumeri existerint laudatores qui applaudant, nihil tamen illi omnes a graculis desuper garrientibus differrent. Imo si angelorum theatrum perpenderis, apparebunt illi vermibus etiam viliores, illorumque præconium, aranearum textura, fumisque et somnio infirmius. Die ad animam tuam quemadmodum Paulus dixit : Ignoras quod angelos judicabimus? atque ab hoc cœno excitatim increpato deinceps, ac dicito : Angelos judicatura es, et vis ab immundis judicari? »

Prudenter quoque S. Hieronymus *ad Pammach. de obita Paulinæ* : « Prima, inquit, monachi virtus est, contemnere hominum judicia, et semper Apostoli recordari dicentis : Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem. Tale quid et Dominus loquitur ad Prophetas : quod posuerit faciem eorum quasi urbem æneam et lapidem adamantinum et columnam ferream, ne paverent ad injurias populi, sed impudentiam subsannantium frontis rigore contererent. »

Prima monachi virtus est contemnere hominum judicia.

Denique Anselmus hic : « Justi, inquit, non humana judicia, sed æterni judicis examen aspiciunt, atque ideo derogantium verba cum Paulo despiciunt. » Hoc est ergo quod quidam Sanctorum dixit : « Si vis esse beatus, disce contemnere et contemni. »

SED NEQUE MEIPSUM JUDICO. — Græce ἀνακρίνω, id est *dijudico*, *q. d.* Non possum certo judicare me, mea opera, intentionem, conscientiam.

4. NIHIL MIHI CONSCIUS SUM, SED NON IN HOC JUSTIFICATUS SUM, — *q. d.* Non judico me, nam licet nullius infidelitatis in munere Apostolico mihi conscius sim, non ideo tamen revera justus sum; non coram hominibus : horum enim judicium non curo, ut dixi; sed coram Deo : ipse enim forte in me peccata videt, quæ ego non video. Unde S. Basilius, in *Constit. Monast.* cap. I : « Cum in multis rebus, inquit, offendamus omnes, majorem tamen offensarum partem ne intelligimus quidem. Idcirco Apostolus dicebat : Nihil mihi conscius sum, sed in hoc justificatus non sum; quod idem est ac si diceret : Multa delicta committo, quæ committere me non intelligo. Propter hanc causam etiam Propheta ait : Delicta quis intelligit? Quare nihil mentitus sis, si te peccatorem appellaveris. »

Justi non certo noverunt se esse justos.

Hinc patet contra Novantes, justos non certo scire, multo minus credere, se esse justos. Respondent ipsi, Apostolum nescisse se justum esse, spectando tantum opera sua, id tamen scivisse ex fide, et sacra Scriptura, quæ promittit omni in Christum credenti justitiam, *q. d.* Scio me esse justum, non quia vito peccatum et sancte vivo, sed per misericordiam Dei, quia credo Christum gratis me justificare. Sed hæc responsio frivola est et commentitia; subdit enim Apostolus :

Aliqui ex hoc loco damnantur.

Vers. 5.

5. QUOADUSQUE VENIAT DOMINUS, QUI ET ILLUMINABIT ABSCONDITA TENEBRARUM, — id est tenebrosas, obscuras, occultas hominum cogitationes et actiones. Ergo vult soli Deo arcana hominis, maxime intentiones, secretas inclinationes et fundum cordis, qui homini est profunda abyssus, ac consequenter justitiam certo patere; ita ut nemo alterum, imo nec seipsum judicare debeat, sive ex fide, sive ex operibus, sive ex gratia Christi, nisi solus Deus. Putamus enim sæpe nos bene agere, cum male agimus; nos ex gratia et Dei amore facere, quod amore nostræ gloriæ, vel cupiditatis facimus. Ita Chrysostomus, Ambrosius hic, et Hieronymus, dialog. 2 *Contra Pelag.*, initio, ac Basilius, *Constitut. Monast.* cap. II, ubi sic ait : « Cum multis in rebus offendamus Deum, majorem tamen offensarum partem ne intelligimus quidem; idcirco Apostolus dicebat : Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum; quod idem est ac si diceret : Multa delicta committo, quæ committere me non intelligo. Propter hanc causam Propheta ait : Delicta quis intelligit? » Pulchre quoque hac de re disserit S. Augustinus, in *Psalm.* XLI, ad illud : *Abyssus*, scilicet humanæ miseriæ et cæcitatis, *abyssum* divini luminis et misericordiæ *invocat*.

Solus Deus est cordium cognitor.

Confirmatur *primo*, quia etiam Deus non scit nos esse justos ex operibus, sed ex fide; et hoc tam scimus nos, quam Deus, quia fide credimus secundum Novantes; ergo secundum ipsos falsum est quod ait Apostolus, nos id non scire, sed solum Deum.

Secundo, quia Deum illuminare abscondita tenebrarum et manifestare consilia cordium, non est Deum pervidere et manifestare fidem, sed machinationes, intentiones et opera cujusque.

Tertio, quia sicut opera nostra nobis incerta sunt, ita et fides, quæ sola juxta Novantes justificat; quia non certo scit homo, se credere in Christum fide firma et divina; ergo multo minus scit se per illam esse justum. Idem alibi sæpe docet Spiritus Sanctus, ut *Ecclesiast.* IX, 1 : « Nescit homo utrum amore, an odio dignus sit. » *Proverb.* cap. XX, vers. 9 : « Quis potest dicere : Mundum est cor meum? *Job* IX, 21 : « Si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea. » *Jerem.* XVII, 9 : « Pravum est cor omnium, et inscrutabile. »

6. HÆC AUTEM TRANSFIGURAVI IN ME ET APOLLO, PROPTER VOS, UT IN NOBIS DISCATIS, NE SUPRA QUAM SCRIPTUM EST (quam scripsi cap. II, vers. 2, 3. *Secundo*, S. Chrysostomus, « ne supra, » id est, *contra* Sacram Scripturam, quæ docet non esse superbiendum. Insulse ergo hoc loco abutuntur Novantes contra traditiones), UNUS ADVERSUS ALTERUM INFLETUR PRO ALIO. — « Hæc autem, » scilicet quæ dixi contra inanem discretionem et gloriationem magistrorum, et de non curanda laude et judicio hominum, sed Dei solius; « transfiguravi, » græce μετεσχημάτισα, in figuram transtuli, typum et exemplum eorum constitui in me et Apollo, *q. d.* Aliorum personam in nos duos transposui, et de iis sub nostro nomine locutus sum, ne quos magistros, qui infideles sunt dispensatores vanique doctores (contra quos maxime ago hoc capite), eorumve discipulos apud vos vel nominando, vel generatim perstringendo offenderem. « Ut in nobis, » id est, sub persona et nomine nostro, qui primi vestri patres sumus, multo magis alios magistros (qui hujus schismatis vestri sunt occasio, cum ego et Apollo ab illo simus immunes et innocentes) intelligatis; utque nostro exemplo, modestia, concordia, vos, o Corinthii, non inflemini, nec gloriemini « pro alio, » scilicet catechista, vel præceptore, dicendo : Ego ab Apollo baptizatus sum; Ego a Paulo conversus. Vel potius vos, o magistri, non superbiatis, et quasi aliis magistris sapientiores et eloquentiores, « pro alio, » id est, pro discipulis vestris quasi sapientioribus, præ aliorum magistrorum discipulis, non inflemini, supra quam a me jam scriptum est; non vos jactetis de vestra schola et disciplina, nec discipulis jactandi detis occasionem.

Deinceps enim magis ipsos magistros, quam Corinthios arguit, sed modeste et tacito nomine; magistros, inquam, qui hujus vanitatis, contentionis et schismatis inter discipulos suos Corinthios erant causa et fomes. Patet vers. 15, 18, 19, et cap. præced., vers. 10 et 12, et cap. XI toto epistolæ II. Nam iidem videntur esse pseudodoctores, quos hic modestius, utpote latentes, et necdum satis se prodentes, et quos *epist.* II, cap. XI, acrius, utpote jam impostura, judaismi et pseudodoctrinæ convictos, taxat et redarguit. Unde in Græco, ut notant ex Chrysostomo Theophylactus et Œcumenius, prius Paulus taxat magistros. Habet enim, ἵνα ἐν ἡμῖν μάθητε τὸ μὴ ὑπὲρ ἃ γέγραπται, φρονεῖν, id est, ut discatis (vos o magistri) in nobis Paulo et Apollo magistris, non sentire supra id quod scriptum est, scilicet a me, puta nos (et multo magis vos) tantum esse dispensatores Dei. Deinde consequenter comprimit discipulos dicens : ἵνα μὴ εἷς ὑπὲρ τοῦ ἑνὸς φυσιοῦσθε κατὰ τοῦ ἑτέρου, id est, ut unus non inflatur contra alterum, pro alio, scilicet præceptore suo, quasi sapien-

tiore ve' eloquentiore. Videtur ergo Paulus hic ad Corinthios continuare sermonem ; sed in eis, et per eos objurgat hic eorum doctores, et, ut vers. 15 ait, pædagogos : sicut solers et discretus pædagogus, volens filios principis increpare, honoris et reverentiæ causa, eorum famulos increpat, quasi facti auctores, ut idipsum sibi filii principis attribuant.

INFLETUR, — id est, superbiat et intumescat typho elationis et arrogantiæ. Nota : Apte superbus dicitur *inflatus* et *inflari*, id est, superbire, metophora sumpta ab utribus. Utres enim dicuntur inflari, cum intus licet inanes et vani, flatu tamen ac vento ita distenduntur et tument, ut corporis crassi molem et speciem præ se ferant. Pari modo superbus, qui ob scientiam, eloquentiam, similemve dotem turget et extollitur, intus vera scientia, sapientia et virtute vacuus, exterius vanæ præsumptionis et arrogantiæ vento ita inflatur et tumet, ut utri inflato et ventoso quam simillimus sit.

7. QUIS ENIM TE DISCERNIT ? — Græcum διακρίνει tam anteponit et præfert, quam discernit, segregat, adjudicat, significat. Theophylactus vertit, ἐκρίνει, *q. d.* Cujus suffragio tibi hæc discretio et præcellentia tribuitur? Jam sententiam hanc Chrysostomus et Theophylactus sic explicant : « Quis, » nimirum non homo, sed Deus, te « discernit? » ut rediat Paulus ad vers. 3 et 4. Idem enim hic græce est verbum διακρίνω, quod ibi, *q. d.* Dei est te discernere, id est, judicare; hominum judicia curare non debes.

Secundo et melius, *q. d.* Quis te discernit, id est, segregat, aut eximit a cæterorum grege, tanquam iis præstantiorem, o Corinthie catechumene? *q. d.* Nullus, nisi tu qui inflaris : licet enim a sanctiore, eloquentiore, doctiore esses baptizatus aut edoctus, non ideo es sanctior aut doctior. Ad hanc enim discipulorum discretionem Apostolum proprie respicere, patet ex omnibus præcedentibus, et docent Ambrosius, Anselmus, Theodoretus.

Tertio et maxime ad mentem Apostoli, qui videtur, ut dixi, potius magistris loqui, quam discipulis, hic videtur genuinus hujus loci esse sensus : Quis te, o magister, discernit, quasi in Christianismo aut evangelizando majorem et meliorem, nisi tu qui ob sapientiam et eloquentiam te vane præ aliis extollis, et tui, quos quasi Psaphonis aves, te quasi suum magistrum extollere et laudare docuisti? Si dicas : Labor, studium, industria mea me discernit ab aliis, quibus præsto. Respondeo : « Quid habes quod non accepisti? » *q. d.* Tuum laborem, et ingenium, et alia naturæ dona, in quibus gloriaris, accepisti a Deo ; multo magis supernaturalia accepisti a Deo ; ergo Deo dare debes omnem gloriam. Sapienter S. Ephrem, tract. *De Pœnitentia* : « Præbe, inquit, Deo non tua, ut tibi det quæ sunt sua. » Item Concilium Arausicanum, *can.* 22, definit nos a nobis nihil habere, nisi mendacium et peccatum. Hic est sensus litteralis, et mens Apostoli (1).

NIHIL a nobis habemus nisi mendacium et peccatum.

Ubi tamen nota, quod S. Augustinus sæpe, Prosper, Fulgentius et Concilium Arausicanum II, *can.* 6, hanc generalem Apostoli sententiam : « Quis te discernit? » a discretione donorum naturalium, puta sapientiæ et eloquentiæ, de qua proprie loquitur hic Apostolus, ex paritate rationis transferunt ad discretionem donorum supernaturalium gratiæ et prædestinationis divinæ : tam enim alia naturæ dona, et bona opera solis naturæ viribus facta, quam labor, studium et sapientia magistrorum impertinentia sunt ad gratiam et sanctitatem ; et si illa dona non discernunt hominem, ut in naturalibus gloriari possit quasi sapientior, eloquentior, excellentior, multo minus eadem discernent hominem in supernaturalibus rebus, ut glorietur, quod ex iis factus sit sanctus vel sanctior. Hac de causa itaque S. Augustinus cum suis, « *quis te discernit* ? refert ad gratiam et prædestinationem, hoc sensu, quod nemo se a massa perditionis et peccatorum secernere possit, et ordiri initium salutis suæ per se et viribus naturæ suæ, uti volebant Pelagiani et Semipelagiani.

Opera naturæ viribus facta, ad gratiam et prædestinationem impertinentia sunt.

Nemo potest ordiri initium salutis per semetipsum naturæ viribus.

Sic ergo Deus discernit justum a non justo, non naturæ vires, quia Deus est prima et præcipua causa donorum, quæ sunt in justificato : ita ut nil habeat justificatus, quo a non justificato discernitur, quod a Deo non acceperit, atque adeo de quo gloriari possit, quasi id non acceperit : id tamen non tollit, quin illud ipsum simul pendeat a libera cooperatione voluntatis nostræ, sine qua illud ipsum non esset. Nam per liberum arbitrium adjutum gratia discernere se cum qui convertitur, ab eo qui non convertitur, docet S. Augustinus, *De Spir. et Litt.*, cap. XXXIV, ubi sic ait : « Consentire vocationi divinæ, vel ab ea dissentire, proprium voluntatis est ; quæ res non solum non infirmat quod dictum est : Quid enim habes, quod non accepisti? verum etiam confirmat. Accipere quippe et habere anima non potest dona, de quibus hoc audit, nisi consentiendo ; ac per hoc quid habeat, et quid accipiat, Dei est : accipere autem et habere utique accipientis et habentis est, » puta consentientis libere Dei vocationi et gratiæ, ut ante dixit S. Augustinus. Breviter quoque et nervose S. Bernardus, tract. *De Gratia et libero arbitr.* : « Quod, inquit, a Deo soli datur libero arbitrio, tam absque consensu non potest esse adjectionis, quam absque gratia dantis. »

Opera naturæ viribus facta ad gratiam impertinentia.

Si ergo quæras : Quis discernit credentem a nolente credere, posito quod parem cum eo a Deo acceperit gratiam excitantem ad credendum?

(1) Vanum quemdam inanique tumore inflatum doctorem Paulus alloquitur, qui fortassis Apostolum, a quo tamen Christianam doctrinam acceperat, nunc contemnebat ; sed et alios huic similes intelligit.

Accepta gratia credere conferens voluntate se discernat ab incredulum.

Respondeo : Credens sua libera voluntate, non per vires naturæ, uti voluit Pelagius, sed per vires gratiæ, se discernit a non credente : in ipsius enim arbitrio erat gratiæ assentiri, vel non assentiri, ac consequenter credere, vel non credere ; cum ergo credit, libere credit, libere gratiæ Dei assentitur, libere se a non credente discernit.

Dices : Ergo in eo, quod se discernit, gloriari potest.

Respondeo, non ita posse gloriari, quin præcipuum, imo totum tribuat Deo, et in eo glorietur, cujus gratia se discernit. Ratio est, quia neque actum illum quo se discernit, neque gratiæ amplexum, qui non distinguitur a consensu, neque ullum omnino conatum, motum aut nutum in illum actum fecit, aut facere potuit, aut voluit virtute naturali, sed tantum viribus gratiæ. Nam in eo actu ne minima quidem est ratio formalis, quæ solis liberi arbitrii viribus sit effecta. Totum enim illud opus secundum substantiam suam, et omnes modos reales est a gratia, et totum a libero arbitrio ; sicut quodque opus totum a Deo est, ut causa prima, et totum a causa secunda ; sed a gratia habet, quod sit supernaturale, meritorium, omnemque suam dignitatem ; a libero arbitrio tantum habet, quod sit opus liberum. Sic ergo quia ipse actus et cooperatio liberi arbitrii est a gratia excitante et cooperante, hinc non magis gloriari potest in sua cooperatione et electione homo, quam pauper cui offerantur centum aurei, gloriari potest se eos acceptasse. Et hoc tantum vult Apostolus, scilicet neminem in aliquo ita gloriari posse, quasi suum sit, et a Deo idipsum non acceperit. Alioqui enim omnis virtus et virtuosus per se laude et gloria est dignus ; sed laus hæc ultimo, uti et virtus, Deo est danda : viribus enim non naturæ, non suis, sed gratiæ, id est, viribus Dei, se discernit et convertit, quicumque se convertit et discernit.

Actus a Deo a gratia habet, quod sit supernaturalis et meritorius ; a libero arbitrio, quod sit liber.

Omnis virtus et virtuosus, laus et gloria ejus Deo debetur.

Nec aliud velle Apostolum patet, quia, ut dixi, loquitur ad litteram de discretione in sapientia, eloquentia et aliis donis naturalibus, quæ clarum est hominem posse suo labore, industria ac studio comparare, ut in iis excellat, ac se ab aliis minus doctis secernat, ac consequenter posse illa suo labori et studio tribuere, in eoque gloriari, sed modeste. Tantum ergo gloriationem illam excludit Apostolus, quæ ex superbia et aliorum contemptu oritur ; si videlicet ita superbe glorieris, quasi hæc dona de quibus gloriaris, a te habeas, nec a Deo acceperis, ut in Deum quasi primum auctorem illa non refundas : hoc enim est, quod se explicans, diserte subdit Apostolus, dum ait : « Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? » Ergo si eamdem hanc Apostoli sententiam : « Quis te discernit? » accommodes gratiæ ac rebus supernaturalibus, tantum excludet illa ex usu et mente Pauli secretionem et gloriationem

Gloriatio ea tantum quæ est superbia, et aliorum contemptus oritur.

similem, scilicet ortam ex superbia, qua alios contemnas, omnia tibi tribuas, nec ultimate in primum fontem Deum, Deique gratiam referas : hoc autem non facis, si dicas te viribus ac robore gratiæ libere teipsum discernere et secernere a peccatoribus, volentibus in peccato remanere : tunc enim primam et ultimam laudem et gloriam das Deo et gratiæ Dei ; etsi liberum arbitrium suam quoque laudem et gloriam habeat, sed a gratia et a Deo acceptam.

Ex dictis sequitur, eum qui convertitur, ab eo qui non convertitur, discerni et converti tum per gratiam, tum per liberum arbitrium : licet enim gratiam prævenientem cum alio sæpe physice æqualem tantum habeat, tamen insuper habet gratiam cooperantem, quam non habet illa qui non vult converti : cum ex eam libere se discernit et convertitur. Rursum, gratia ejus præveniens prævisa est hic et nunc in eo fore efficax ; et cum hoc prævideret Deus, illam illi destinavit, cum qua sciebat certissimo illum cooperaturum et convertendum : talem autem non dedit alteri, qui non convertitur ; hoc autem in genere moris æstimandum est, utpote quo re ipsa convertimur et salvamur. Est enim hæc gratia efficax propria prædestinatorum et electorum, si nimirum in finem usque vitæ efficax perseveret. Ita S. Augustinus. Unde patet non tam liberum arbitrium, quam gratiam discernere justum a non justo ; quia gratia operatur conversionem et justificationem in justo, qui non impedit efficaciam et operationem gratiæ, sed illi consentit et cooperatur. Id autem gratia non operatur in non justo, quia is ponit obicem et impedimentum gratiæ in eo, quod illi consentire et cooperari renuit ; itaque fit, ut gratia in ipso sit inefficax et cassa. Quocirca sapienter monet S. Ephrem, tract. in illud, *Attende tibi*, cap. x : « Charitatem, ait, cum omnibus habe, et ab omnibus abstine. » Hæc enim duo, beneficentia et continentia, summæ sanctitatis sunt indicia, quæ homines, quantumvis barbaros, emolliunt sibique devinciunt. Ac proinde hæc duo sunt insignia Dei dona, quæque illustres Dei gratiæ, quæ præ aliis sanctum a non sancto secernunt ac segregant.

Opera ex gratia facta pendent simul a libera cooperatione voluntatis nostræ.

8. JAM SATURATI ESTIS, — oppleti scilicet sapientia, gratia et donis Spiritus Sancti, quibus vos jactatis, non tam Corinthii, quam magistri, quasi nil discendum vobis restet in Christianismo, sed quasi doctores sitis perfecti, cum vix sitis discipuli veræ et perfectæ sapientiæ. Est ironia. Ita Chrysostomus, Theophylactus, Anselmus. « Paucis satiari, ait S. Chrysostomus, imbecillis est animæ ; et parva accessione putare se ditescere, nauseabundæ est et miseræ : siquidem pietas insatiabilis est. »

Vers. 8. Ironia Apostoli ad Corinthios.

Notat S. Thomas Paulum hic in Corinthiis, vel potius eorum magistris, tangere quatuor superbiæ species : *Prima* est, cum qui bonum quod habet, id se non a Deo, sed a seipso habere putat ;

Quatuor superbiæ species in magistris Co-

Risibilem. hanc tangit, cum ait : « Quid gloriaris quasi non acceperis ? » quibus verbis etiam tangit *Secundam*, quæ est, cum quis bonum, quod habet, suis meritis ascribit. *Tertia* est, cum quis jactat se habere quod non habet; hanc tangit, cum ait : « Jam saturati, jam divites facti estis. » *Quarta* est, cum quis alios despicit, vultque haberi singularis; hanc tangit, cum ait : « Sine nobis regnatis. »

SINE NOBIS REGNATIS (sine nostro auxilio omnibus Dei bonis excellere et triumphare vos putatis, o Corinthii; et magis vos, o magistri, inter discipulos quasi comparato regno, summam dignitatem nobis vindicatis, nobis exclusis); ET UTINAM REGNETIS, UT ET NOS VOBISCUM REGNEMUS, — quasi sequaces et æmuli vestri, aut potius quasi patres vestri; hoc enim revera sumus. Ita Theophylactus, Anselmus et Chrysostomus, *q. d.* Non recuso socios in regno Christi, id est, in regenda Ecclesia, modo regant ut oportet, hoc est, saluti fidelium incumbant.

9. PUTO QUOD DEUS NOS APOSTOLOS NOVISSIMOS OSTENDIT, TANQUAM MORTI DESTINATOS. — Opponit se et similes Apostolos vanis magistris, suamque gloriam et commoda quærentibus, *q. d.* Dixi : Utinam nos Apostoli vobiscum regnemus : adeo enim nos non regnamus, non triumphamus, ut putem, quod « novissimos, » id est postremos et abjectissimos, « ostendit, » id est, exhibuit nos Deus, quasi sontes morti destinatos.

Secunda et simplicius : « Deus nos Apostolos novissimos, » id est, qui eamus novissimi, quos scilicet ultimis hisce temporibus misit in mundum; « ostendit, » Græce ἀπέδειξε, id est *designavit*, ὡς ἐπιθανατίους, tanquam homines morti destinatos et addictos, v. g. damnatos ad bestias. Unde Tertullianus legit, *velut bestiarios*, *q. d.* Deus designavit nos non regno et triumphis, sed morti, persecutioni et martyrio.

Isaiæ, Jeremiæ et alii Prophetæ quos Apostoli sibi similes sunt ad Judæos. Paulus novissimus apostolorum. Nota : Apostolos « novissimos » vocat, respectu priorum, scilicet Isaiæ, Jeremiæ et aliorum prophetarum, quos Deus quasi Apostolos misit ad Judæos, *Isaiæ* VI, 9 et alibi : et maxime se vocat novissimum, quia post cæteros Apostolos a Christo in terris vivente vocatus et missus, ipse a Christo regnante jam in cœlis, vocatus est ad apostolatum.

Rursum, « ostendit, » id est *primo*, designavit; *secundo*, effecit, exhibuit, et, ut Syrus, *constituit*. Sic *ostendere*, in Scriptura, significat sæpe exhibere et facere, ut *Psalm.* LIX, 5 : « Ostendisti populo tuo dura; » *Psalm.* LXX, 20 : « Quantas ostendisti mihi tribulationes ? » « Ostendisti, » id est immisisti, exhibuisti. *Tertio*, « ostendit, » id est in ostentum et exemplum aliorum proposuit. Unde sequitur :

Spectaculum. SPECTACULUM FACTI SUMUS MUNDO, ET ANGELIS, ET HOMINIBUS. — « Spectaculum, » Græce θέατρον. Unde S. Hieronymus in *Epitaphio Paulæ* legit : « Theatrum facti sumus, » *q. d.* Facti sumus ut damnati, qui in theatro morituri, vel cum bestiis pugnaturi ab omnibus spectantur. Videtur alludere ab bestiarios, qui Romæ et alibi inclusi caveis, spectante populo bestiis objiciebantur, *q. d.* Mundus spectare nos gestit, quasi stultos, magos aut novitatum circumforaneos, vel potius ut homines ad bestias damnatos.

Facti sumus mundo. Allusio ad Paulum ad bestias.

Nota : « Mundo, » id est, angelis et hominibus : hi enim soli *in mundo* nos spectant. Unde angeli et homines carent Græco articulo, quem habet mundus : τῷ κόσμῳ, καὶ ἀγγέλοις, καὶ ἀνθρώποις. Angelis bonis spectaculum facti sumus compassionis, et pariter dignæ admirationis ac venerationis; malis autem odii et gaudii (gaudent enim mali angeli et homines de nostra contumelia, afflictione et morte), sed et pariter confusionis et terroris : hominibus bonis spectaculum sumus et exemplum fortitudinis, fidei, innocentiæ, patientiæ, mansuetudinis, constantiæ et sanctæ conversationis, ait Titelmannus.

Afflictionibus nostris exerciti boni compatiuntur, mali congaudent.

Moraliter vide de theatro hujus vitæ, in quo eorum Deo omnia agimus, Chrysostomum in morali *hom.* 12. Sic Augustus moriturus, ait Suetonius, ad amicos astantes : Satisne, inquit, commode personam nostram hac scena, hoc theatro egimus ? Commode, responderunt amici; tum ille : Valete et plaudite; et reductis cortinis animam efflavit. Melius et aptius Edmundus Campianus, nobilis Angliæ martyr, vere Campianus, vere pugil et athleta Christi, jam martyrio afficiendus in theatro hoc ultimum concionis suæ thema proclamavit : Spectaculum facti sumus mundo, et angelis, et hominibus. Tale enim theatrum et spectaculum hic ad litteram intelligit Apostolus. « Nullum theatrum virtute et conscientia (ac præsertim apud Christianos, martyrio), majus est, » inquit Cicero, II *Quæst. Tuscul.*

Theatrum vitæ.

Theatrum martyrii.

Apte quoque et pie magna illa Paula, ut refert Hieronymus in ejus *Epitaphio*, cuidam susurroni suggerenti, quod præ nimio fervore virtutum quibusdam videretur insana, et cerebrum illius dicerent confovendum, respondit : « Theatrum, seu spectaculum, facti sumus Deo, et angelis, et hominibus. Et : Nos stulti propter Christum, sed stultum Dei sapientius est hominibus. Unde et Salvator loquitur ad Patrem : Tu scis insipientiam meam. Et iterum : Tanquam prodigium factus sum multis, et tu adjutor fortis. Ut jumentum factus sum apud te, et ego semper tecum. »

Theatrum S. Paul.

Denique S. Chrysostomus, homil. 17 *in epist. ad Rom.*, hinc docet nos fugere debere ophthalmoduliam, id est, oculorum humanorum servitutem, ut in oculos Dei oculos nostros conjiciamus, et in illius conspectu theatroque perpetuo versemur. Duo, inquit, sunt theatra : alterum amplissimum, ubi Rex regum, hoc est Deus, debilissimis angelis stipatus, ad spectandum sedet; alterum angustissimum, ubi æthiopes pauci, rerum ignari stant, id est, homines. Magna igitur

insania est, amplissimum Dei angelorumque theatrum repudiare; in paucorum vero æthiopum theatro versari, illorumque oculis magno labore inservire : cum habeas in cœlis theatrum constitutum, cur in terra spectatores tibi colligis ? Paulo aliter, apposite tamen ad mores, hæc verba tractat S. Bernardus, *serm.* 31 inter parvos : « Spectaculum, inquit, facti sumus mundo, et angelis, et hominibus. Ita plane et malis et bonis pariter. Illos enim sollicitat invidiæ passio, istos compassio misericordiæ, ut in nos incessanter intendant : illi quidem defectum nostrum, læti profectum desiderantes. Nimirum in probatione sumus, inter paradisum et infernum intermedii, velut inter claustrum et sæculum constituti. Diligenter consideratur utrimque quid agimus; utrimque dicitur : O si ad nos transeat! intentione quidem dissimili, sed non dispari forsitan voluntate. Quod si ita omnium oculi in nos, nostri quo abierunt, aut quare soli recesserunt a nobis ? » Et mox : « Exurgamus aliquando, fratres, nec in vano accipiamus animas nostras, pro quibus alii tanto zelo, vel in bonum vigilant, vel in malum. »

10. NOS STULTI PROPTER CHRISTUM, VOS AUTEM PRUDENTES IN CHRISTO. — Pergit in ironia versus octavi, *q. d.* Nos stulti reputamur propter Christum crucifixum quem prædicamus, et cujus causa temere videmur nos objicere tot periculis : hoc enim Gentibus videtur stultitia. Vos autem videmini vobis ipsis esse prudentes in Evangelio Christi, ob eloquentiam et philosophiam, quas illi miscetis, et quia sic prædicatis Christum, ut caute caveatis, ne quid periculi ejus causa incurratis : hinc

NOS INFIRMI, — quia multa gravia et adversa, puta famem, sitim, nuditatem, labores, calumnias, maledicta, persecutiones, ut sequitur vers. 11, sufferimus, nec resistimus, quod infirmitatis videtur.

VOS FORTES (et validi, quia vestra sæcularis eloquentia, sapientia, amicitia, mala et adversa quæ occurrunt, facile avertitis : hinc) vos NOBILES, (id est, gloriosi), NOS IGNOBILES, — inglorii, inhonorati, ignominiosi. Modeste; sed acriter, suo utpote magistri exemplo docet, non in gloria, opibus, sapientia, eloquentia, hominum favore,

In cruce Christi gloriandum et Christianos. sed contumelia, gloriæ contemptu, Christique cruce gloriandum esse Christiano præsertim doctori et prædicatori : ita Chrysostomus. Itaque rubore injicit et ipsis magistris delicatis, vanis et mollibus, et Corinthiis, qui tales potius sectarentur, quam Christi Apostolos, qui labores, opes, famam et vitam pro ipsis profundebant. Sic Isaias in persona tum sua et Prophetarum, tum Pauli et Apostolorum, VIII, 18, ait : « Ecce ego et pueri mei, quos dedit mihi Dominus in portentum Israel. » Et, ut habent Annales Minorum, S. Franciscus dicebat se esse fatuellum Christi in mundo, qui hoc a Christo ipso delectum.

11. USQUE IN HANC HORAM ET ESURIMUS, ET SITIMUS, ET NUDI SUMUS, ET COLAPHIS CÆDIMUR, ET INSTABILES SUMUS. — Pro *instabiles sumus*, græce est ἀστατοῦμεν, certam sedem non habemus, incertis sedibus erramus et vagamur. Ita Syrus, Chrysostomus et alii. Nota hic insignem descriptionem vitæ Apostolicæ : similis est epist. II, cap. XI, vers. 23, quam sibi præfigere debent et æmulari, qui ad eamdem vocantur; uti faciunt magno zelo viri Apostolici in Anglia, Hollandia, India, Japonia. Vers. 11. Insignis descriptio vitæ Apostolicæ.

Præclare S. Chrysostomus, homil. 32 *in Acta Apost.*, exponens verba illa S. Pauli, *Actorum* XXVI, *Opto omnes, qui audiunt, fieri tales, qualis et ego sum, exceptis vinculis his* : « Talis, inquit, est anima cœlesti amore sublimis, ut pro ingenti ducat gloria, vinctum esse pro Christo. Sicut enim procus non spectat nisi amasiam, et amasia fit si omnia : sic qui igne Christi captus fuerit, talis fit, qualis esset homo solus super terram habitans, qui nihil curat gloriam et ignominiam. Tentationes enim sic contemnit ac flagella et carceres, quasi in alieno corpore paterentur, quemadmodum si adamantinum possideret corpus. Ea autem quæ suavia sunt in hac vita, ita ridet et non sentit sicut nos, vel ipsi mortui corpora mortua : tantum autem abest ne ab affectione quadam capiatur, quantum aurum, quod digne probatur, a macula abscedit. Hæc omnia operatur amor hominis ad Deum, si ingens fuerit. » Nos autem hæc non capimus, quia frigidi sumus, et cœlestis hujus philosophiæ imperiti. Vidit hoc, sed eminus et per umbram, Diogenes philosophus, qui interrogatus, quinam essent hominum nobilissimi ? respondit : « Contemptores opum, gloriæ, voluptatis et vitæ; contrariis autem, puta paupertate, obscuritate, fame, labore ac morte superiores. » Testis est Lacrtius et alii in ejus Vita. Vidit hoc Diogenes, sed præstare non potuit; fuit enim et ipse vanitatis et gloriæ mancipium. Amor Dei magna quanta operetur in homine.

12. MALEDICIMUR, ET BENEDICIMUS. — *q. d.* Infideles et Judæi nos subsannant, nobisque male precantur, dicendo : Maledicantur, pereant, eant in malam crucem isti novi Dei crucifixi præcones; at nos iis bene precamur, ut Deus iis suam lucem, gratiam et salutem impertiatur. S. Basilius, in *Regulis brevior.*, regul. 226, notat hic ulterius per « maledicere et benedicere, » significari *malefacere* et *benefacere* : « Nimirum, inquit, monemur, ut patientia utamur adversus omnes, et ut eos qui inique nos insectantur, benigne factis remuneremur : ut videlicet hoc non adversus maledicos tantum servemus, sed adversus quemcumque, qui malevolentiam suam adversum nos exerceat, et dicto illi pareamus : Noli vinci a malo, sed vince in bono malum. » Vers. 12.

13. BLASPHEMAMUR, — probris afficimur, vocamur magi et malefici. « Blasphemare » ergo est maledicere, conviciari. Sic *ad Titum*, III, 2 : « Nominem blasphemare, » id est conviciari.

Et obsecramus, — mansuete eos compellamus more obsecrantium : ita Græci; vel, Deum pro iis obsecramus : ita Cajetanus; sed prius melius respondet Græco παρακαλοῦμεν. Aliter S. Basilius, reg. 226 paulo ante citata, ubi παρακαλοῦμεν more communi vertit, *consolamur*, id est, inquit, explemus animos eorum in veritatis perceptione. Sic sumitur consolari, *Roman.* I : « Ut aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis ad confirmandos vos, id est, simul consolari in vobis, per eam quæ invicem est, fidem vestram atque meam. »

Tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus. — « Purgamenta » vocat fæces, excrementa, sordes, inquit Theophylactus et Theodoretus. Unde Syrus vertit כמהאי *nefâta*, id est, tanquam stercus mundi facti sumus, idque non semel, sed semper usque ad hanc horam. Ita Theophylactus. Græce est ὡς περικαθάρματα, *q. d.* Tanquam sordes undique everrendo collectæ facti sumus; hoc enim notat περί, *q. d.* Habemur contemptissimi, abjectissimi, indigni hominum consortio, mundo ejiciendi, exterminandi.

Alludit Paulus ad Jeremiam, qui *Thren.* III, 45, ait : « Eradicationem et abjectionem posuisti me in medio populorum : » ubi hebr. סחי ומאוס *sechi umaos*, id est, abrasionem sive rasuram, et reprobationem, sive sordes quæ reprobantur et ejiciuntur, fecistis me : quod Paulus clare expressit, dum *sechi* sive abrasionem vertit, « purgamenta; » *maos* sive reprobatam scobem et sordes, vocat « peripsema. » Jeremias enim a Judæis incarceratus, abrasus et reprobatus, adeoque damnatus ad mortem, fuit typus Pauli et Apostolorum, qui a Judæis et Gentibus incarcerati, abrasi, rejecti et tandem occisi fuerunt.

Secundo, Gagnæus et alii legunt per diastolen, ἐστὲ περικαθάρματα, quasi piacula, aut piaculares hostiæ : unde Ambrosius in *Psal.* CXVIII, serm. 8, legit : « Facti sumus lustrumenta mundi. »

Quid sit περικάθαρμα vel ἀπόψημα?

Ubi nota : περικάθαρμα, vel anathema, Gentilibus erant scelesti et exitiales homines, qui famis, tempestatis alteriusve publicæ calamitatis sedandæ causa immolabantur : quales se fecerunt Decii devoventes se pro patria, et Curtius, qui ad lucum comitium sedandam et numen placandum, hostium pro salute patriæ se devovit; atque armatus Romæ in terræ hiatum insiliit. Sic Servius in illud *Æneid.* III :

Quid non mortalia pectora cogis, auri sacra fames!

Massilienses peste laborantes pauperibus sacrificabant, eosque ritu sacro lapidabant.

notat famem dici sacram ex more Gallorum. Cum enim Massilienses peste laborarent, unus e pauperibus se offerebat alendum anno integro publicis et purioribus cibis, postea verbenis vestibusque sacris ornatus, circumducebatur per urbem, cum execrationibus, ut in eum incideret omnia mala civitatis; sicque mactabatur, vel in aquas projiciebatur. Unde Budæus ex Suida et aliis : περικάθαρμα, ait, erant homines sacri, quos quasi onustos totius civitatis sceleribus in mare projiciebant, et Neptuno sacrificabant, addentes hæc verba : Περίψημα ἡμῶν γενοῦ : Esto nostrum peripsema, id est, nostra piacularis victima. Tale piaculum fuit apud Hebræos, caper emissarius, *Levit.* XVI, 21. Sed, ut dixi, Noster et Græca passim legunt περικαθάρματα, id est, *purgamenta* : unde prior sensus verior et simplicior est; agit enim Paulus de sui et suorum contemptu, quod quasi sordes et res vilissimæ omnium linguis et pedibus calcarentur. Unde sequitur :

Placula in victimis apud Hebræos caper emissarius.

Omnium peripsema usque adhuc. — « Peripsema » est abjecta scobs, ramentum resque vilissimæ, quæ abjiciuntur et calcantur ab omnibus. Ita Chrysostomus, Theophylactus, Anselmus. Περίψημα enim abstergere, limare, radere significat. Œcumenius per « peripsema » intelligit vilem panniculum, vel strophiolum quo sudores absterguntur. *Secundo*, alii ex Budæo, ut dixi, « peripsema » vertunt, piacularis hostia. Unde et Syrus transtulit, כופרא דכלנש *cuphara decullenas*, id est, piaculum omnium.

Quid sit peripsema?

14 et 15. Non ut confundam vos hæc scribo (id scilicet vobis hæc exprobrem). Nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui, — ac per consequens ego solus vobis sum pater spiritualis; cæteri vero doctores vobis tantum sunt instar pedagogi, qui puerum a patre genitum format et instruit. Subindicat Paulus revera Corinthiis pudendum fuisse, quod postpositis Apostolis, qui ipsos ad Christum converterant, quique ipsorum causa tanta patiebantur, sectarentur gloriosulos quosdam magistros, eorumque discipuli dici vellent (1).

Vers. 14 et 15. Pater Corinthiorum Paulus.

17. Qui vos commonefaciet vias meas, — meam scilicet doctrinam, et vitam christianam, inquit S. Thomas et Anselmus.

Vers. 17.

In Christo, — in Christi religione, in Christianismo, vide *Can.* 37.

19. Cognoscam non sermonem (facundiam) eorum, sed virtutem. — Græce, δύναμιν, id est, *energiam*.

Vers. 19.

20. Non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute. — Id est virtus, energia spiritus, et perfectio christiana et maxime apostolica, qua Deus regnat, et Evangelii suæque gratiæ et spiritus efficaciam ostendit in nobis et in Ecclesia, non est sita in eloquentia, sed in potenti operatione Spiritus Sancti, scilicet in efficacia sermonis, potestate miraculorum, expulsione dæmonum : et potius, inquit Theophylactus et Cajetanus, in tolerantia et vita apostolica, quam describit vers. 9, 10, 11, morum conversione et sanctimonia. Sic et Chrysostomus et Anselmus; nam S. Joannes Baptista nullum fecit miraculum, et tamen regnum Dei prædicare cœpit in virtute sanctæ vitæ, spiritu et efficacia sermonis et prædicationis. Si-

Vers. 20. Perfectio Apostolica non sita in eloquentia, sed in potenti operatione Spiritus Sancti.

S. Joannes Baptista nullum fecit miraculum.

(1) Dicere poterant Corinthii : Nos habemus alios patres, id est, alios doctores præter te, qui nos moneant. Respondet Paulus : Isti ceteri doctores vestri non tam patres, quam potius pædagogi vestri sunt; magis semper quam vestrum commodum quærunt.

mile est ad *Roman.* XIV, 17 : « Regnum Dei non est esca et potus. »

21. Quid vultis? in virga veniam ad vos? — quæ me quasi patrem vestrum, ut dixi vers. 15, decet. « Virga, » inquam, id est severitate correptionis et potestate puniendi. Ita Chrysostomus, Theophylactus, Anselmus.

Potestas puniendi in Ecclesia ejusque Prælatis.

Nota hic potestatem puniendi in Ecclesia, et Prælatis Ecclesiæ, quam cap. sequent. exercet Paulus. Œcumenius et Cajetanus hæc Apostoli verba referunt ad caput sequens, in quo acriter objurgat Corinthios, ob incestum fornicarii. Recte tamen hæc verba aptari possunt præcedentibus, in quibus taxavit inflationem Corinthiorum.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Transit Apostolus a schismate Corinthiorum, ad scandalum incestus; itaque Corinthios reprehendit, quod in incestu publice viventem tolerarent; quare ipse eumdem jubet excommunicari et tradi Satanæ.

Secundo, vers. 6, *mandat ut hoc et quodlibet aliud peccati fermentum expurgent, quo puri Pascha perenne celebrent, et jugiter epulentur in azymis sinceritatis et veritatis.*

Tertio, *imperat eis*, vers. 9, *ne commisceantur Christianis palam criminosis; nam quod ad infideles et Paganos attinet, asserit eos non subesse suo et Ecclesiæ judicio.*

1. Omnino auditur inter vos fornicatio, et talis fornicatio, qualis nec inter Gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat. 2. Et vos inflati estis; et non magis luctum habuistis ut tollatur de medio vestrum qui hoc opus fecit. 3. Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens, eum qui sic operatus est, 4. in nomine Domini nostri Jesu Christi, congregatis vobis et meo spiritu, cum virtute Domini nostri Jesu 5. tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi. 6. Non est bona gloriatio vestra. Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit? 7. Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. 8. Itaque epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ et nequitiæ; sed in azymis sinceritatis et veritatis. 9. Scripsi vobis in epistola : Ne commisceamini fornicariis. 10. Non utique fornicariis hujus mundi, aut avaris, aut rapacibus, aut idolis servientibus : alioquin debueratis de hoc mundo exiisse. 11. Nunc autem scripsi vobis non commisceri : si is, qui frater nominatur, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax : cum ejusmodi nec cibum sumere. 12. Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare? Nonne de iis, qui intus sunt, vos judicatis? 13. Nam eos qui foris sunt, Deus judicabit. Auferte malum ex vobis ipsis.

Vers. 1.

1. Omnino (non vago rumore, sed certa fama et judicio) auditur inter vos talis fornicatio, qualis nec inter Gentes, ita ut uxorem patris sui (id est *novercam*) aliquis habeat, — scilicet sibi concubinam. Nota, Gentes non barbaras, sed civiles et honestas, ex dictamine et pudore naturali, aversatas esse congressum privigni cum noverca. Unde Poebe laudant Hippolytum, qui maluit patris Thesei iram incurrere, quam Phedræ novercali libidini parere : sollicitatus enim a Phedra, cum renuisset facinus, accusatus ab ea falso, quod se sollicitasset, apud patrem, ab eo quatuor equis discerptus fuit. Extat tamen apud Valerium

Gentes arguuntur quod cognitum privigni cum noverca.

V, cap. *De Parentum amore in liberos*, hujus copulæ exemplum in Seleuco rege, qui Antiocho filio Stratonicem uxorem suam tradidit, cum Antiochus amore illius ægrotaret ad mortem, idque ex medico cognovisset Seleucus.

Nota *secundo* : Theodoretus in præfatione epistolæ, et Chrysostomus hic, hunc fornicarium fuisse insignem, potentem, et ducem factionis et schismatis inter Corinthios. Unde et ex schismate cap. præced. statim ad eum transit hoc cap. V.

Hic fornicarius uxorem

Quæritur, an hic fornicarius, vel potius incestuosus, uxorem patris viventis an mortui acceperit? Respondent aliqui, mortui : sed videtur potius viventis patris fuisse uxor; hæc enim proprie dicitur uxor patris. Et quia *epist.* II, cap. VII,

Patris vi habeat sibi consilium.

vers. 12, ait : « Hæc scripsi, non propter eum qui fecit injuriam, nec propter eum qui passus est, » scilicet pater : ergo vivebat adhuc pater. Ita Anselmus et alii. Erat ergo hic incestus simul et adulterium, in quo contumaciter hic homo permanebat; sine contumacia enim non potuisset excommunicari (1).

2. ET VOS INFLATI ESTIS. — *q. d.* Et vos interim in vestris superbis contentionibus occupamini, et negligitis correctionem hujus incestus, nec curatis ut reus tollatur, id est expellatur, e cœtu vestro, et excommunicetur. Ita Chrysostomus, Theophylactus, Anselmus. Disce hic quanta cura sataspere debeant non tantum Prælati, sed etiam fideles quique, ut scandala et scandalosi de Ecclesia tollantur.

Vers. 3. Excommunicatur a Paulo fornicarius.

3. EGO QUIDEM ABSENS CORPORE, PRÆSENS AUTEM SPIRITU (uti Pastorem et Episcopum Ecclesiæ suæ cura sua et vigilantia præsentem semper esse oportet, etiamsi corpore ab ea sit absens), JAM JUDICAVI (id est statui, et de facto hisce verbis statuo, judico et impero eum excommunicari et tradi Satanæ, idque) IN NOMINE CHRISTI, — id est auctoritate et vice Christi, qua fungor, dum impero et judico.

Chrysostomus vero τὸ *in nomine Christi*, refert ad id quod sequitur, *congregatis vobis*, *q. d.* Nomine Christi vos congregante, pro quo convenistis. Vult enim Paulus, ut congregatis omnibus, sive in publica Corinthiorum congregatione ex Ecclesia excommunicetur hic fornicarius. Potest *tertio*, τὸ *in nomine Domini nostri Jesu Christi* referri ad *tradere Satanæ*. Quia traditio hæc et executio sententiæ fit virtute, nomine et vice Christi.

Vers. 4 et 5.

4. CONGREGATIS VOBIS ET MEO SPIRITU, CUM VIRTUTE DOMINI NOSTRI JESU, TRADERE HUJUSMODI SATANÆ. — *q. d.* Judico et jubeo, ut dum vos, o Corinthii, in Ecclesia estis congregati, quibus « meo spiritu, » hoc est animo, affectu et auctoritate sum præsens cum potestate et virtute Christi mihi data, excommunicetur, et tradatur incestuosus Satanæ, qui extra Ecclesiam regnat, ibique excommunicatos solet in anima, et etiam in corpore hoc tempore affligere. Hinc patet, hoc non dici a Paulo, quasi in Ecclesia, id est tota congregatione, et plebe ac laicis sit potestas excommunicandi, non autem in Prælatis, ut volunt hæretici; contrarium enim dicit : « Ego, inquit, judicavi; » sed tantum, quod velit Apostolus publice excommunicationem fieri per præpositum Ecclesiæ, ad terrorem aliorum. Unde non dicit : Ut vos congregati tradatis eum; sed, « Congregatis vobis, » id est in congregatione et Ecclesia vestra, judicavi tradere eum Satanæ, scilicet per illum, cujus est tradere, puta qui nomine Christi vice mea præest Ecclesiæ vestræ. Sic enim in omni republica judicium facit respublica, non voce populari, sed per suos judices et magistratus.

Non est plebi et laicis potestas excommunicandi.

Adde, hac phrasi uti Apostolum, ut significet hanc potestatem et spiritum Ecclesiæ esse datum, et se ac Prælatos nomine Ecclesiæ illa potestate fungi eamque exercere : hoc sensu, non quod tota Ecclesia immediate eam a Christo acceperit, sed quod Christus hanc potestatem dederit Paulo et Prælatis non propter se, sed ad bonum Ecclesiæ, ut, quia Ecclesia tota non potest eam exercere (sic enim in ea esset magna confusio, si singuli deberent rogari et dicere sententiam), eam saltem exerceat per sua capita et rectores. Denique, quia res odiosa est excommunicatio, vult Paulus eam ex communi Ecclesiæ consensu et spiritu fieri, ut sic omnes sibi conciliet, ne quis fornicarium virum potentem tueatur, et Paulum nimiæ severitatis accuset. Unde sponte sua defert illis tacite quasi judicium, et ex modestia Corinthios sibi adsciscit, quasi judices, id est approbatores et executores sententiæ a se latæ, ut fornicarium hunc publice excommunicent per Ecclesiæ præpositum. Sic enim solent modesti principes, et duces exercitus in causa ardua et periculosa, si primarius aliquis miles plectendus sit, ne exercitum exacerbent, primariorum militum sententiam exquirere, imo illis quasi judicium deferre. Ita Chrysostomus, Ambrosius, Theophylactus, Anselmus.

Quæ a Paulo Corinthios ut adhiberi queat, qui ad excommunicandum fornicarium?

CUM VIRTUTE DOMINI NOSTRI JESU. — Refer ad « tradere, » vel potius cum Ambrosio ad « congregatis vobis et meo spiritu, » *q. d.* In hac actione, puta excommunicatione, Christi Spiritus vobis adest, et maxime meo spiritui adest. Christus enim Ecclesiæ suam virtutem et potestatem communicavit, ut Ecclesia per suos rectores et Prælatos posset contumaces excommunicare et tradere Satanæ.

5. TRADERE SATANÆ. — Putat Theophylactus his verbis Paulum acta excommunicare fornicarium; sed verius est, tantum iis jubere Paulum, ut excommunicetur a Prælatis in ipsa Corinthiorum Ecclesia. Ita Syrus. Hoc enim est « judicavi tradere, » id est, ut tradatur : alioqui dixisset : Trado. Hoc etiam significat « congregatis vobis, » *q. d.* In vestra congregatione et Ecclesia tradatur Satanæ.

Ubi nota, veteres hunc locum accipere de excommunicatione et potestate excommunicandi, quæ est in Prælatis Ecclesiæ. Ita Chrysostomus, Anselmus, Augustinus, etc., quos vide apud Baronium, anno Christi 57, pag. 448.

Quæ ea excommunicati detrimenta contrahi dicantur?

Nota *secundo* : Excommunicati dicuntur *tradi Satanæ*, quia ejecti extra societatem Christi et Ecclesiæ, ejusque bonis privati, scilicet orationibus, suffragiis, sacrificiis, Sacramentis, Dei protectione, cura pastorali, tyrannidi et incursibus diaboli, cujus regnum est extra Ecclesiam, ita exponuntur, ut in eos magis quam ante grassetur, et in omne malum impellat. Ita Ambrosius, Augustinus, lib. III *Contra epist. Parmen.*, cap. 11; Hieronymus, epist. I *ad Heliod.* cap. 1; Innocentius apud S. Augustinum, *epist.* 31.

Quomodo excommunicatus tradatur diabolo in interitum carnis?

IN INTERITUM CARNIS, — ut ægritudine corporis, vulneribus, aut plagis ipsum maceret diabolus, ut caro ejus afteratur carnisque vigor intereat, ut ita humiliatus resipiscat. Ita Theodoretus, Chrysostomus, Theophylactus, Œcumenius, Anselmus.

Secundo, Ambrosius et Anselmus hic, et S. Augustinus loco paulo ante citato, sic explicant, *q. d.* « In interitum carnis, » id est, ut carnalis voluptas in eo intereat per hanc confusionem et pudorem : hac de causa trado eum Satanæ. Verum quia pudor hic, licet coerceat hominem ab actu externo, si periculum sit quod is in vulgus erumpet, non tamen internam carnis concupiscentiam interimit : hinc prior plurium Patrum sensus est verior et aptior.

Excommunicati olim a dæmone corripiebantur vexabantur.

Ex quibus Patribus colligitur, excommunicatos olim dæmoni traditos (ut discerent excommunicationem timere), etiam ab eo corporaliter (quod aliqui hic negant) fuisse divexatos, et quasi possessos. Id enim diserte docet Theodoretus tum hic, tum I *Timoth.* 1, 20, et ibidem Ambrosius dicit hanc esse majorum traditionem, idque proprie significat hic interitus carnis. Hoc etiam illa phrasis innuit, qua excommunicati dicuntur possideri a diabolo, ut habetur cap. *Audi*, et cap. *Omnis*, 11, Quæst. III. Hæc enim phrasis ex illa corporali vexatione, quam in primitiva Ecclesia dæmon in excommunicatos exercebat, manasse videtur.

Exempla crebra sunt in Vitis Patrum, ac nominatim in Vita S. Ambrosii scripta per Paulinum. Cum enim Ambrosius quemdam Satanæ tradidisset, dæmon eodem momento eum abripiens, discerpere cœpit. Et hac de causa, *Matth.* x, dedit Christus Apostolis potestatem spirituum immundorum, scilicet tum ad eos expellendum, tum ad eos immittendum, ad vexationem corporis, ait D. Thomas. Denique excommunicatos traditos ab Ecclesia Satanæ, possessos ac vexatos fuisse a dæmone multis exemplis docent Delrio, *De Magia*, lib. III, *part.* I, Quæst. VII; Petrus Tyræus, *De Dæmon.*, *part.* II, cap. XXX; Serarius, in *Tobiæ* cap. VI, Quæst. XX.

Exemplum quidem pet.

UT SPIRITUS SALVUS SIT IN DIE DOMINI. — *q. d.* Ut anima et mens hæc pœna resipiscens et renovata, salva sit in die judicii. Hinc patet finem excommunicationis eo ferri debere, ut pudorem et afflictionem excommunicato injiciat, quo humilietur, ut recipi oret, veniamque roget Ecclesiam et deum; utque fideles pro eo secreto orent, et curent ut rursus sibi uniatur.

Finis excommunicationis.

6. NON EST BONA GLORIATIO VESTRA, — jactantia vestra, qua vos jactatis de sapientia sæculari, quaque dicitis : Ego sum Pauli, ego Apollo, mala est et intempestiva; eum potius oculos et animos demittere deberetis, eo quod tantum scelus inter vos sustineatis. Ita Anselmus. Addit ex Chrysostomo Theophylactus : « Obscure, inquit, et clanculum subindicat, quod ipsi Corinthii non permiserint hunc fornicarium resipiscere, gloriantes ejus nomine : erat enim unus ex ipsorum sapientibus. »

Quid sit corrumpi grave est fermentum.

MODICUM FERMENTUM TOTAM MASSAM CORRUMPIT ? — Græce ζυμοῖ, id est *fermentat*, puta totam farinæ conspersæ massam sapore et acore suo inficit. Unde Tertullianus vertit, *desipit*, id est desipidam facit. Est ergo sensus Pauli, *q. d.* Hæc unius fornicarii labes omnes vos quasi fermentum pervadit et aspergit, *primo*, ut propter unum ira Dei in vos omnes totamque Ecclesiam, quæ illam tolerat labem, sævire possit. Ita Ambrosius et Anselmus. *Secundo*, ut unius hoc exemplum, si inultum maneat, alii sequantur, et scandalum hoc alios inficiat. Ita Chrysostomus, *q. d.* Agite ergo, scandalum hoc tollite, et separate ab Ecclesia per excommunicationem.

7. EXPURGATE VETUS FERMENTUM, — putidum istum fornicarium e cœtu vestro, ne eum totum quasi fermentum inficiat, ejicite. Ergo non soli prædestinati, aut peccatores occulti, sed et publici (qualis erat hic fornicarius) sunt in Ecclesia, donec excommunicentur. Ita Chrysostomus et Anselmus, qui secundo apte, generalius etiam accipiunt fermentum pro fornicatione, ejusque dissimulatione, et quavis malitia ac vitio, quod pari ratione jubet Apostolus ex anima cujusque et tota Ecclesia auferri, hoc vers. et seq. et 11, *q. d.* Expurgate et ejicite a vobis hoc fornicationis et quodvis aliud peccati alterius fermentum : proprie tamen et directe respicit Apostolus (ut jam dixi) ad fornicarium ejusque incestum.

Quid ut conspersio.

UT SITIS NOVA CONSPERSIO, — id est nova massa, hoc est, ut sit vestra Ecclesia nova et pura. « Conspersio » enim græce dicitur φύραμα (ἀπὸ τοῦ φυρᾶν, id est a *miscendo*), hebraice בצק *batsac*, id est farina aqua mixta et macerata, massa conspersa, quæ vulgo pasta dicitur.

Hebræis dicitur Græcis sanctificari.

SICUT ESTIS AZYMI, — id est, ut Chrysostomus et Anselmus, sicut per baptismum facti estis « azymi, » id est a fermento peccati puri, et consequenter deinceps vocatione et professione estis, hoc est esse debetis « azymi, » puri scilicet et sancti. Hebræis enim fieri dicitur, quod fieri debet; et, quod non fiet, significat id quod fieri non debet. Sic Christiani vocantur Sancti, quia debent esse sancti. Alii proprie accipiunt τὸ *estis*, *q. d.* Sicut præter unicum incestuosum, reliqui fere omnes reipsa estis azymi, id est puri (1).

Hæc vitæ et morum azyma tam verbis, quam cæremoniis in baptismo cuique proponit Ecclesia, dum post signatum chrismate verticem, baptizatum induit veste candida, et porrigens ardentem cereum, dicit illi : « Accipe vestem

(1) Si Maimonidi fides habenda est, Judæi putabant licitas esse nuptias cum noverca post transitum a gentilismo ad Judaicam religionem (Maimonides ex *Jebamoth*, c. 98). Cf. Sepp, op. cit. tom. II., p. 339.

(1) Forsan respicit Paulus ad festum Paschæ, quo hanc epistolam Corinthii receperant, et in quo etiam Christiani ex Judæis vescebantur azymis, ut sensus sit : sicut nunc vivitis festos dies azymorum, etc.

camlidam, sanctam et immaculatam, quam perferas sine macula ante tribunal Domini nostri Jesu Christi, et habeas vitam æternam, et vivas in sæcula sæculorum. Amen. »

Quid per candelam et vestem candidam in baptismo significetur?

Vel, ut S. Hieronymus habet in epist. *ad Damasum* : « Accipe lampadem ardentem irreprehensibilem, custodi baptismum tuum, serva Dei mandata, ut, cum Dominus venerit ad nuptias, possis occurrere ei una cum omnibus Sanctis, in aula cœlesti, habeasque vitam æternam, et vivas in sæcula sæculorum. Amen. » Tum enim candela ardente, quam veste candida significatur *primo*, pura et exemplaris vita et conversatio ; *secundo*, mansuetudo et libertas a potestate peccati et diaboli ; *tertio*, de eisdem victoria et triumphus. Romani enim veste candida donabant servos, cum eos in libertatem asserebant ; candida etiam triumphantes utebantur. De hac veste S. Ambrosius, lib. *De iis qui initiantur mysteriis*, cap. VII, jam baptizatum alloquens : « Accepisti, inquit, vestimenta candida, ut esset indicium, quod exueris involucrum peccatorum, et indueris innocentiæ casta velamina. » De eadem Paulinus sic canit :

Inde parens sacro ducit de fonte sacerdos
Infantes niveos corpore, corde, habitu.

Vide S. Augustinum, Lactantium et Victorem Uticensem, quorum verba recitavi *Rom.* cap. VI, vers. 4.

Unde dicitur Sabbatum in albis, et quomodo ea in albis?

Hinc et sabbatum primum a festo Paschæ, sabbatum in albis, et sequens dies Dominica in albis vocatur, quod tunc candidam vestem neophyti deponebant : ita tamen ut (sicuti recte annotavit Baronius anno Christi 58, pag. 606) candidum agnum Dei (ut vocant) ex cereo paschali confectum et a Pontifice benedictum acciperent, eumque ex collo suspensum gestarent, ut perpetuo admonerentur puritatis et innocentiæ, atque a Christo Agno paschali discerent deinceps in omni opere esse azymi, puri, mites et humiles corde.

ETENIM PASCHA NOSTRUM IMMOLATUS EST CHRISTUS. — Nota τὸ *etenim*, *q. d.* Jure exigo ut sitis azymi et puri, quia pascha agitis, in quo omnia Judæis erant azyma ; sicut enim pascha typus erat Christi, ita panes azymi erant typus Christianorum et innocentiæ baptismalis, ac vitæ puræ et Christianæ. Argumentatur Apostolus a sensu allegorico paschæ et azymorum.

Panes azymi erant typus cujus?

PASCHA. — Nota : Ex Hebreo פסח *pesach*, Syri et Chaldæi de more addentes א, formant *pischa*, vel *pascha*. Noster, *Exodi* XII, 11 et alibi, transfert *phase*, ut sit facilior vox, et magis vicina Græcis et Latinis : hi enim nullas habent voces quæ desinant in *ch*, unde Hebræum *chet* finale Septuaginta in dissyllabis in *E* vertere solent. Sic pro *Noach*, Hebræo vertunt Noe, pro *Corach* Core, pro *Therach* Thare ; ita hic pro *pesach*, phase. Est ergo *pascha* Hebræa, vel potius Chaldæa vox, non Græca ἀπὸ τοῦ πάσχειν, a patiendo, quasi pascha idem sit quod passio Domini, ut nonnulli linguarum imperiti opinati sunt : deducitur enim ab Hebræo פסח *pasach*, quod transire, vel potius transilire significat : inde enim פסח *pissach*, hebraice dicitur claudus, quod quasi saltitans incedat. Unde Symmachus et Josephus pascha vertunt, ὑπέρβασιν, id est *transcensum* ; S. Hieronymus, in *Nominib. Hebraicis*, transgressum vel transcentionem. Pascha ergo dicitur, id est transcensus, quia angelus videns postes Hebræorum sanguine agni pro hoc transitu vel transcensu immolati, illitos, transiliebat Hebræorum domos, ut in eis nullum primogenitorum percuteret, et in vicinas Ægyptiorum domos sanguine agni non notatas insiliebat, in iisque omnia primogenita occidebat. Hinc a felici hoc transitu vel transcensu, agnus pro eo immolatus dicitur phase, vel pascha, id est hostia paschalis, hoc est hostia pro hoc transitu et transcensu immolata, *Exodi* XII, 11 et seq. Inde et dies ipse, et festum quo hoc contigit, quoque annua ejus memoria recurrit et celebratur, proprie dicitur Pascha.

Quid sit pascha?

Allegorice hic agnus significabat Christum. « Pascha ergo nostrum, » id est, agnus paschalis noster pro nobis immolatus est Christus, ut quicumque ejus sanguine et passione in baptismo et Sacramentis tinguntur, tuti sint et immunes a devastante angelo, qui eos transiliat, et insiliat in infideles et impios, qui non sunt tincti sanguine Christi, ut eos morte æterna occidat : tinctos enim a Pharaonis, id est diaboli et peccati, jugo eripuit Christus, eosque omni libertate, donis et gratiis cumulavit, et in dies cumulat. Græci addunt ὑπὲρ ἡμῶν, *pro nobis*, ut hæc sit sententia : « Etenim pascha nostrum pro nobis immolatus est Christus. » Vide de paschæ origine et ritu dicta *Exodi* XII.

Agnus paschalis allegorice est Christus.

Moraliter, S. Bernardus, serm. 1 *in die Paschæ* : « Pascha, inquit, nostrum immolatus est Christus. Amplectamur commendatas nobis in cruce virtutes, humilitatem, patientiam, obedientiam et charitatem. In hac quoque tam præcipua solemnitate quid commendetur nobis, sedula cogitatione pensemus ; nempe resurrectio, transitus et transmigratio. Christus enim, fratres, non recidit hodie, sed resurrexit ; non rediit, sed transiit ; transmigravit, non remeavit. Denique et ipsum quod celebramus pascha, transitus, non reditus interpretatur ; et Galilæa, ubi videndus nobis promittitur qui resurrexit, non remeationem sonat, sed transmigrationem. » Deinde illa explicans subdit : « Luximus his diebus, compunctioni et orationi, gravitati et abstinentiæ dediti. Si negligentias planximus, quid causæ est ut nunc recidamus in easdem ? Inveniemur nunc iterum curiosi ut ante, verbosi ut ante, pigri et negligentes ut ante, vani, suspiciosi, detractores, iracundi, cæterisque impliciti vitiis quæ tam anxie deploravimus his diebus ? Lavi pedes meos : quomodo iterum inquinabo eos ? Proh dolor ! peccandi tempus, terminus recidendi facta est resurrectio

Salvatoris ; ex hoc nempe comessationes et ebrietates redeunt, cubilia et impudicitiæ repetuntur : quasi ad hoc surrexerit Christus, et non magis ad justificationem nostram. Non est hic transitus, sed reditus. Propter hoc (ut ait Apostolus) multi infirmi, et imbecilles, et dormiunt multi. Propter hoc crebra in diversis regionibus hominum mortalitas, specialiter his diebus. » Idem notat S. Anselmus in I *Cor.* XI, 30, scilicet in paschate grassari morbos et multos mori, ob indignam multorum communionem, et peccata vel non rite expiata, vel repetita.

Pascha est Christus in Ecclesia ritus.

Vers. 8. 8. ITAQUE EPULEMUR. — Græcus, Syrus et Ambrosius legunt, *itaque festum agamus* ; hoc enim est Græcum ἑορτάζωμεν. Noster tamen vertit, *epulemur*, quia solebant festa solemnibus epulis celebrari, in signum lætitiæ.

Nota : Epulum et festum hoc est, vel agni paschalis, vel azymorum. Pro quo adverte ex *Exodi*, XII, vesperam 14 lunæ, sive paschæ, proprie non fuisse festum, sed sequens mane, quod dicebatur solemnitas primi azymorum, quæ durabat dies septem, quibus nonnisi azymis vesci licebat ; illisque diebus vice agni paschalis prius, puta præcedente decima quarta luna, sive die (Hebræi enim uti menses, ita et dies habebant lunares : nam novilunium erat prima dies mensis, et ab eo consequenter cæteros dies numerabant) mensis primi Nisan, immolati, immolabant alias victimas paschales, puta holocausta et pacifica, de quibus *Num.* XXVIII, 19.

Vespera 14 lunæ ejus pars, die proprie non fuit festa.

Sensus ergo est : Christus pro nobis quasi phase immolatus, nos redemit, nobisque initiavit solemnitatem azymorum. Itaque post hoc pascha, post Christi immolationem et redemptionem, agamus festum hoc azymorum spirituale, ut simus azymi et puri ; ac consequenter vescamur azymis, id est, fruamur puritate vitæ per septimanam nostræ vitæ, id est, per totum ejus decursum (septem enim diebus revolutis omne nostrum tempus decurrit : unde septenarius universitatis est symbolum), eoque memoriam redemptionis Christi, agni paschalis nostri, puris et dignis moribus, sacrificiis et laudibus celebremus. Verum, quia vespera paschæ poterat etiam referri ad sequens mane primi azymorum, nam a vespere in vesperam celebrabant Judæi sua festa : hinc etiam hæc vespera festum dici potest, aut certe vocari festa, id est, festiva immolatio, et epulum agni. Unde Noster vertit hic, *epulemur*.

Quid sit vivi azymi, et agnus paschalis Christus expositio.

Hinc colligi potest secundus sensus, videlicet, *q. d.* Perenne habeamus pascha, unus continuusque sit nobis dies festus paschæ ; ut Christo agno paschali ejusque beneficiis et donis quotidie vescamur, et festive epulemur spiritualiter fide, spe, charitate, aut etiam realiter in venerabili Sacramento, idque in azymis, id est cum azymis, sinceritatis et veritatis. Vide Chrysostomum et Anselmum. Nam licet agnus paschalis quoad immolationem figuram esset sacrificii Christi in cruce, tamen quoad azyma et esum magis erat figura sacrificii incruenti, in Eucharistia. Ita per *pascha* hic, Christum in Eucharistiæ sacrificio immolatum et manducatum intelligunt S. Cyprianus, serm. *De Cœna Domini* ; Nazianzenus, orat. *De Pascha* ; Chrysostomus, serm. *De Prodit. Judæ* ; Ambrosius, in cap. I *Lucæ* ; Hieronymus et Origenes, in cap. XXVI *Matth.* Unde S. Andreas Apostolus ad Ægeam tyrannum : « Ego, ait, quotidie Agnum immaculatum immolo, cujus carnem cum omnis populus comederit, agnus tamen qui sacrificatus est, integer perseverat, et vivus. » Hinc etiam Ecclesia hunc locum Apostoli, pro epistola legit in solemnitate paschæ, quando omnes communicare, et de hoc Agno paschali manducare præcipit ; cum in primitiva Ecclesia de eodem fideles quotidie manducarent, uti hic hortatur Apostolus.

Pascha tale celebravit quotidie S. Andreas.

Moraliter Chrysostomus epulandum dicit, non quia pascha est, aut pentecoste, sed quia omne tempus, tempus epulationis est Christianis, ob collatorum beneficiorum excellentiam : « Quid enim boni, inquit, non concessit Filius Dei pro te natus, mortuus ? Te liberavit et in regnum vocavit, quomodo ergo non semper epularis ? » Hinc S. Sylvester omnes dies vocavit ferias, ut dicamus feria prima, secunda, tertia, quia omni die Christiani a peccato fieri debent et Deo vacare, et festum agere spirituale. Hinc et Clemens Alexandrinus, lib. VII *Stromat.* : « Universa, inquit, vita viri justi est quidam celebris ac sanctus dies festus. »

Morale de jugi epulatione Christianorum.

Unde dicamus feria prima, secunda, tertia, etc.?

NON IN FERMENTO MALITIÆ ET NEQUITIÆ. — « Nequitiæ, » græce κακίας, quod Vatablus recte, *versutiæ* ; alii, *gravitatis*, vertunt : neqnam enim est, qui meditate, et cum dolo ac fraude male agit. Veteres Latini per malitiam et nequitiam significabant omnia hominum vitia et scelera. Hinc illud Publii Africani apud *Gellium*, lib. VII, cap. XI : « Omnia mala, probra, flagitia quæ homines faciunt, in duabus rebus sunt : malitia atque nequitia. »

Quæ azymis sinceritatis et veritatis?

SED IN AZYMIS SINCERITATIS ET VERITATIS. — Est hebraismus, *q. d.* Epulemur, non in panibus azymis, non triticeis, sed spiritualibus, qui sunt « sinceritas (id est puritas) et veritas, » non intellectus, neque oris tantum ; sed veritas vitæ, id est, justitia Christiana, hoc est, debitum quodvis Christianæ virtutis, seu id ad quod obligantur Christiani, quod est omnis virtutis honestas, maxime simplicitas, fidelitas, veracitas. Opponitur enim hic *sinceritas*, id est sincera ac pura vita, *malitiæ* ; *veritas* vero, vel vita vera, *nequitiæ* ; vel, ut Vatablus vertit, *versutiæ*, id est, hypocrisi, dolo, fraudi. Ita Theophylactus. Alludit ad cenas puras paschatis, in quibus non fermento, sed azymo, id est, puro pane vescebantur, quæ symbolum erant absolutissimæ puritatis.

9. SCRIPSI VOBIS, — nimirum vers. 2 hujus cap. : ita Theodoretus et Chrysostomus, licet D. Thomas,

Glossa, Lyranus, Cajetanus, putent alia anteriori epistola, quæ interciderit, id scripsisse Paulum : scripsi, inquam, id quod sequitur :

9 et 10. NE COMMISCEAMINI (ne habeatis consortium cum) FORNICARIIS, NON UTIQUE FORNICARIIS HUJUS MUNDI (*q. d.* Cum dixi et scripsi : Ne commisceamini fornicariis, non intellexi fornicarios Paganos esse vitandos) : ALIQUIN DEBUERATIS DE HOC MUNDO EXISSE ; — totus enim mundus plenus est Paganis, eisque vel fornicariis, vel avaris, vel idolis servientibus ; sed « si is qui frater est, » id est, si sit Christianus, ait Ambrosius, et publice male audiat quasi fornicator, hunc vitate.

11. SI IS, QUI FRATER « NOMINATUR, EST FORNICATOR. — *Ti nominatur* refer ad *frater*, quanquam ex Græco cum Œcumenio referri potest ad *fornicator* ; *q. d.* Qui publice nominatur fornicator. Unde Augustinus, lib. III *contra Parmen.*, cap. II : *Nominatur*, inquit, id est, judicatur, condemnatur in judicio de fornicatione, tanquam fornicator (1).

Quos avaros, quia rapax ?

AUT AVARUS, AUT RAPAX. — « Avarus » est, qui clam aliena capit per fraudes ; « rapax, » qui per vim apertam. Nec enim avarus qui tenacius sua retinet, cœlo excludetur, nisi neget eleemosynam pauperi in extrema et gravi necessitate ; multo minus a societate fidelium est excludendus : quod tamen hic jubet Apostolus. « Avarum » ergo intelligit furem, vel raptorem, ut dixi. Unde pro « avarus, » græce est πλεονέκτης, quod idem est atque κλέπτης, ἁρπαστής ; autem Aristoteli dicitur fraudator et circumscriptor, ait Budæus. Πλεο-

(1) « Nunc autem scripsi vobis, » id est, sed hæc fuit mea mens, quum ita scriberem. *Nunc* hic vim habet adversativam, ut apud Ciceronem sæpe ponitur, *nunc vero*.

12. QUID ENIM MIHI DE HIS, QUI FORIS SUNT, JUDICARE? Vers. 12.
NONNE DE HIS, QUI INTUS SUNT, VOS JUDICATIS? — Nota : « Judicare » hic uti et alibi, idem est quod damnare et punire fornicarios, v. g. pœna separationis et vitationis, quasi excommunicationis cujusdam, quæ fertur hoc ipso, quo aliis puris et innocentibus præcipitur, ut cum fornicariis hisce non commisceantur, *q. d.* Hoc ipso quo edico, Non commisceamini fornicariis, indirecte et consequenter judico et damno ipsosmet fornicarios, quasi sontes et noxios cavendos et fugiendos ; idque hac de causa, ut nimirum ipsi, cum vident se hac lege ab aliis vitari, confundantur et resipiscant : damno, inquam, fornicarios, non eos qui « foris, » id est extra Ecclesiam, sunt, puta Paganos (hi enim cum sint extra Ecclesiam, pariter extra meam jurisdictionem sunt) ; sed eos qui in Ecclesia sunt, puta fideles, qui meæ curæ et jurisdictioni sunt subjecti. Patres non judicat Ecclesia ?

Dices : Si eos qui foris sunt non possumus judicare : ergo Ecclesia non potest judicare et punire hæreticos et schismaticos ; hi enim sunt foris, id est extra Ecclesiam.

Respondeo, eos esse extra Ecclesiam, quia bonis Ecclesiæ sunt privati ; intus tamen sunt, quia ejus jurisdictioni subsunt ; hoc ipso enim quo schismatici sunt in Ecclesia. Qui re vera non sint in Ecclesia.

13. AUFERTE MALUM EX VOBIS IPSIS, — ejicite e cœtu vestro fornicarium : nam Græce est τὸν πονηρόν. Vers. 13.

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Transit Apostolus ad litigia et judicia, arguitque Corinthios, quod lites instituant coram judice Ethnico, easque subinde iniquas et injustas.

Inde secundo, vers. 9, docet iniquos, quorum varias species enumerat, regnum Dei non possessuros.

Tertio, vers. 13, transit ad fornicationem, eamque insectatur multis argumentis. Colligam ea in fine capitis.

1. Audet aliquis vestrum habens negotium adversus alterum, judicari apud iniquos, et non apud sanctos? 2. An nescitis quoniam sancti de hoc mundo judicabunt? Et si in vobis judicabitur mundus, indigni estis qui de minimis judicetis? 3. Nescitis quoniam angelos judicabimus? quanto magis sæcularia? 4. Sæcularia igitur judicia si habueritis, contemptibiles, qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum. 5. Ad verecundiam vestram dico. Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit judicare inter fratrem suum? 6. Sed frater cum fratre judicio contendit : et hoc apud infideles? 7. Jam quidem omnino

delictum est in vobis, quod judicia habetis inter vos. Quare non magis injuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini? 8. Sed vos injuriam facitis, et fraudatis : et hoc fratribus. 9. An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare : neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, 10. neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt. 11. Et hæc quidam fuistis : sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri. 12. Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate. 13. Esca ventri, et venter escis : Deus autem et hunc et has destruet : corpus autem non fornicationi, sed Domino, et Dominus corpori. 14. Deus vero et Dominum suscitavit, et nos suscitabit per virtutem suam. 15. Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit. 16. An nescitis quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur? Erunt enim (inquit) duo in carne una. 17. Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est. 18. Fugite fornicationem. Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est : qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. 19. An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri? 20. Empti enim estis pretio magno. Glorificate, et portate Deum in corpore vestro.

Vers. 1. Quid hic de judicibus sæcu-laribus ?

1. AUDET ALIQUIS VESTRUM HABENS NEGOTIUM (litem) ADVERSUS ALTERUM (puta fratrem, sive Christianum. Ita Syrus) JUDICARI? — Syrus דדנין *dandin*, id est judicio experiri, judicio contendere : sic enim Hebræi dicunt נשפט *nispat*, judicatus est, pro judicio contendit, ut I *Reg.* XII, 7, dicit Samuel : « Nunc ergo state, ut judicio contendam (hebraice אשפטה *isscapeta*, id est judicer) adversum vos coram Domino. » Et *Ezech.* XX, 35 : « Adducam vos in desertum populorum, et judicabor (id est judicium subibo, litigabo) vobiscum ibi facie ad faciem : sicut judicio contendi adversum patres vestros in deserto terræ Ægypti. » Et *Jerem.* II, 35 : « Ecce ego judicio contendam tecum, » hebraice נשפט אותך *nispat otach*, id est judicabor tecum. Pari modo Græcum κρίνεσθαι, id est judicari, verbum medium est, tam activæ quam passivæ significationis : hic autem activæ est. Nam Apostolus non carpit eos, qui ad tribunalia Ethnicorum trahebantur, hi enim ea declinare non poterant ; sed eos, qui fratres ad hæc tribunalia trahebant, aut communi utriusque litigantis consensu eadem adibant (1).

JUDICARI APUD INIQUOS (puta apud Gentiles infideles : *iniquos* enim opponit *sanctis*, cum ait) ET NON APUD SANCTOS. — « Sancti » autem vocabantur fideles et Christiani, uti sæpe jam dixi. Ita Chrysostomus, Theophylactus, Anselmus. Græce est ἐπὶ τῶν ἀδίκων, id est, *apud injustos*, quia infideles utent fide, qua justus vivit, ac consequenter injusti sunt, et sæpe proprie injustitiam committunt, *q. d.* Cum sint injusti hi judices, ab eis justitia non est exspectanda, cum sæpe uti fidem, ita et justitiam pervertant.

In causa tali judicandi sunt homines et angeli bonos et malos ?

2. SI IN VOBIS JUDICABITUR MUNDUS, INDIGNI ESTIS QUI DE MINIMIS JUDICETIS? — *q. d.* Si per vos Christianos et sanctos judicabitur totus mundus, quanto magis per vos, quasi arbitros, minimæ vestræ lites componi debent? Vers. 2. Mundus judicabitur per Sanctos et Christianos.

3. NESCITIS QUONIAM ANGELOS JUDICABIMUS? — Aliqui per « angelos » sacerdotes intelligunt : hi enim a *Malachia*, cap. II, vocantur « angeli Domini exercituum. » Sed hoc alienum est a mente Pauli. Unde et Patres passim hic proprie angelos accipiunt. Vers. 3.

Nota hic agi de die judicii generalis. Ita Chrysostomus, Theodoretus, Ambrosius, Anselmus.

Hinc sequitur *primo*, illo die judicandos esse non tantum homines, sed et angelos bonos et malos (de malis angelis hunc locum accipiunt Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Anselmus). Est enim una Ecclesia hominum et angelorum, unumque caput et judex Christus. Hoc etiam pertinet ad publicam gloriam divinæ justitiæ et ad laudem angelorum.

Quomodo homines sancti judicabunt angelos bonos et malos?

Sequitur *secundo*, quod Christus et Sancti non improprie, quomodo dicitur *Matth.* XII, 41, quod regina Austri et Ninivitæ surgent in judicio, et condemnabunt generationem istam, gentem scilicet Judæorum ; sed judicio proprie dicto (tali enim judicabant sæcularia Corinthii) judicabunt sua potestate et auctoritate angelos, uti et homines : bonos quidem judicio approbationis, laudis et glorificationis ; malos vero propriissime judicio condemnationis et exprobrationis : quod scilicet ipsi, cum homines essent in corpore fragili, Dei cultum omnemque puritatem amplexi sint, quod

(1) Judæis permissum erat a Romanis, habere litium suarum arbitros ex suis civibus. Eodem privilegio igitur et Christiani gaudebant, præcipue illi ex Judæis. Sed nonnulli Corinthii, spretis arbitris Christianis, judices Ethnicos adibant.

Glossa, Lyranus, Cajetanus, putent alia anteriori epistola, quæ interciderit, id scripsisse Paulum : scripsi, inquam, id quod sequitur :

9 et 10. NE COMMISCEAMINI (ne habeatis consortium cum) FORNICARIIS, NON UTIQUE FORNICARIIS HUJUS MUNDI (*q. d.* Cum dixi et scripsi : Ne commisceamini fornicariis, non intellexi fornicarios Paganos esse vitandos) : ALIQUIN DEBUERATIS DE HOC MUNDO EXISSE ; — totus enim mundus plenus est Paganis, eisque vel fornicariis, vel avaris, vel idolis servientibus ; sed « si is qui frater est, » id est, si sit Christianus, ait Ambrosius, et publice male audiat quasi fornicator, hunc vitate.

11. SI IS, QUI FRATER « NOMINATUR, EST FORNICATOR. — *Ti nominatur* refer ad *frater*, quanquam ex Græco cum Œcumenio referri potest ad *fornicator* ; *q. d.* Qui publice nominatur fornicator. Unde Augustinus, lib. III *contra Parmen.*, cap. II : *Nominatur*, inquit, id est, judicatur, condemnatur in judicio de fornicatione, tanquam fornicator (1).

Quos avaros, quia rapax ?

AUT AVARUS, AUT RAPAX. — « Avarus » est, qui clam aliena capit per fraudes ; « rapax, » qui per vim apertam. Nec enim avarus qui tenacius sua retinet, cœlo excludetur, nisi neget eleemosynam pauperi in extrema et gravi necessitate ; multo minus a societate fidelium est excludendus : quod tamen hic jubet Apostolus. « Avarum » ergo intelligit furem, vel raptorem, ut dixi. Unde pro « avarus, » græce est πλεονέκτης, quod idem est atque κλέπτης, ἁρπαστής ; autem Aristoteli dicitur fraudator et circumscriptor, ait Budæus. Πλεο-

(1) « Nunc autem scripsi vobis, » id est, sed hæc fuit mea mens, quum ita scriberem. *Nunc* hic vim habet adversativam, ut apud Ciceronem sæpe ponitur, *nunc vero*.

12. QUID ENIM MIHI DE HIS, QUI FORIS SUNT, JUDICARE? Vers. 12.
NONNE DE HIS, QUI INTUS SUNT, VOS JUDICATIS? — Nota : « Judicare » hic uti et alibi, idem est quod damnare et punire fornicarios, v. g. pœna separationis et vitationis, quasi excommunicationis cujusdam, quæ fertur hoc ipso, quo aliis puris et innocentibus præcipitur, ut cum fornicariis hisce non commisceantur, *q. d.* Hoc ipso quo edico, Non commisceamini fornicariis, indirecte et consequenter judico et damno ipsosmet fornicarios, quasi sontes et noxios cavendos et fugiendos ; idque hac de causa, ut nimirum ipsi, cum vident se hac lege ab aliis vitari, confundantur et resipiscant : damno, inquam, fornicarios, non eos qui « foris, » id est extra Ecclesiam, sunt, puta Paganos (hi enim cum sint extra Ecclesiam, pariter extra meam jurisdictionem sunt) ; sed eos qui in Ecclesia sunt, puta fideles, qui meæ curæ et jurisdictioni sunt subjecti. Patres non judicat Ecclesia ?

Dices : Si eos qui foris sunt non possumus judicare : ergo Ecclesia non potest judicare et punire hæreticos et schismaticos ; hi enim sunt foris, id est extra Ecclesiam.

Respondeo, eos esse extra Ecclesiam, quia bonis Ecclesiæ sunt privati ; intus tamen sunt, quia ejus jurisdictioni subsunt ; hoc ipso enim quo schismatici sunt in Ecclesia. Qui re vera non sint in Ecclesia.

13. AUFERTE MALUM EX VOBIS IPSIS, — ejicite e cœtu vestro fornicarium : nam Græce est τὸν πονηρόν. Vers. 13.

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Transit Apostolus ad litigia et judicia, arguitque Corinthios, quod lites instituant coram judice Ethnico, easque subinde iniquas et injustas.

Inde secundo, vers. 9, docet iniquos, quorum varias species enumerat, regnum Dei non possessuros.

Tertio, vers. 13, transit ad fornicationem, eamque insectatur multis argumentis. Colligam ea in fine capitis.

1. Audet aliquis vestrum habens negotium adversus alterum, judicari apud iniquos, et non apud sanctos? 2. An nescitis quoniam sancti de hoc mundo judicabunt? Et si in vobis judicabitur mundus, indigni estis qui de minimis judicetis? 3. Nescitis quoniam angelos judicabimus? quanto magis sæcularia? 4. Sæcularia igitur judicia si habueritis, contemptibiles, qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum. 5. Ad verecundiam vestram dico. Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit judicare inter fratrem suum? 6. Sed frater cum fratre judicio contendit : et hoc apud infideles? 7. Jam quidem omnino

delictum est in vobis, quod judicia habetis inter vos. Quare non magis injuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini? 8. Sed vos injuriam facitis, et fraudatis : et hoc fratribus. 9. An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare : neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, 10. neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt. 11. Et hæc quidam fuistis : sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri. 12. Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate. 13. Esca ventri, et venter escis : Deus autem et hunc et has destruet : corpus autem non fornicationi, sed Domino, et Dominus corpori. 14. Deus vero et Dominum suscitavit, et nos suscitabit per virtutem suam. 15. Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit. 16. An nescitis quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur? Erunt enim (inquit) duo in carne una. 17. Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est. 18. Fugite fornicationem. Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est : qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. 19. An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri? 20. Empti enim estis pretio magno. Glorificate, et portate Deum in corpore vestro.

Vers. 1. Quid hic de judicibus sæcu-laribus ?

1. AUDET ALIQUIS VESTRUM HABENS NEGOTIUM (litem) ADVERSUS ALTERUM (puta fratrem, sive Christianum. Ita Syrus) JUDICARI? — Syrus דדנין *dandin*, id est judicio experiri, judicio contendere : sic enim Hebræi dicunt נשפט *nispat*, judicatus est, pro judicio contendit, ut I *Reg.* XII, 7, dicit Samuel : « Nunc ergo state, ut judicio contendam (hebraice אשפטה *isscapeta*, id est judicer) adversum vos coram Domino. » Et *Ezech.* XX, 35 : « Adducam vos in desertum populorum, et judicabor (id est judicium subibo, litigabo) vobiscum ibi facie ad faciem : sicut judicio contendi adversum patres vestros in deserto terræ Ægypti. » Et *Jerem.* II, 35 : « Ecce ego judicio contendam tecum, » hebraice נשפט אותך *nispat otach*, id est judicabor tecum. Pari modo Græcum κρίνεσθαι, id est judicari, verbum medium est, tam activæ quam passivæ significationis : hic autem activæ est. Nam Apostolus non carpit eos, qui ad tribunalia Ethnicorum trahebantur, hi enim ea declinare non poterant ; sed eos, qui fratres ad hæc tribunalia trahebant, aut communi utriusque litigantis consensu eadem adibant (1).

JUDICARI APUD INIQUOS (puta apud Gentiles infideles : *iniquos* enim opponit *sanctis*, cum ait) ET NON APUD SANCTOS. — « Sancti » autem vocabantur fideles et Christiani, uti sæpe jam dixi. Ita Chrysostomus, Theophylactus, Anselmus. Græce est ἐπὶ τῶν ἀδίκων, id est, *apud injustos*, quia infideles utent fide, qua justus vivit, ac consequenter injusti sunt, et sæpe proprie injustitiam committunt, *q. d.* Cum sint injusti hi judices, ab eis justitia non est exspectanda, cum sæpe uti fidem, ita et justitiam pervertant.

In causa tali judicandi sunt homines et angeli bonos et malos ?

2. SI IN VOBIS JUDICABITUR MUNDUS, INDIGNI ESTIS QUI DE MINIMIS JUDICETIS? — *q. d.* Si per vos Christianos et sanctos judicabitur totus mundus, quanto magis per vos, quasi arbitros, minimæ vestræ lites componi debent? Vers. 2. Mundus judicabitur per Sanctos et Christianos.

3. NESCITIS QUONIAM ANGELOS JUDICABIMUS? — Aliqui per « angelos » sacerdotes intelligunt : hi enim a *Malachia*, cap. II, vocantur « angeli Domini exercituum. » Sed hoc alienum est a mente Pauli. Unde et Patres passim hic proprie angelos accipiunt. Vers. 3.

Nota hic agi de die judicii generalis. Ita Chrysostomus, Theodoretus, Ambrosius, Anselmus.

Hinc sequitur *primo*, illo die judicandos esse non tantum homines, sed et angelos bonos et malos (de malis angelis hunc locum accipiunt Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Anselmus). Est enim una Ecclesia hominum et angelorum, unumque caput et judex Christus. Hoc etiam pertinet ad publicam gloriam divinæ justitiæ et ad laudem angelorum.

Quomodo homines sancti judicabunt angelos bonos et malos?

Sequitur *secundo*, quod Christus et Sancti non improprie, quomodo dicitur *Matth.* XII, 41, quod regina Austri et Ninivitæ surgent in judicio, et condemnabunt generationem istam, gentem scilicet Judæorum ; sed judicio proprie dicto (tali enim judicabant sæcularia Corinthii) judicabunt sua potestate et auctoritate angelos, uti et homines : bonos quidem judicio approbationis, laudis et glorificationis ; malos vero propriissime judicio condemnationis et exprobrationis : quod scilicet ipsi, cum homines essent in corpore fragili, Dei cultum omnemque puritatem amplexi sint, quod

(1) Judæis permissum erat a Romanis, habere litium suarum arbitros ex suis civibus. Eodem privilegio igitur et Christiani gaudebant, præcipue illi ex Judæis. Sed nonnulli Corinthii, spretis arbitris Christianis, judices Ethnicos adibant.

illi, cum essent incorporei et puri spiritus, facere noluerunt, ait Theophylactus et Theodoretus. Rursum, quia Sancti victores dæmonis in hac vita fuerunt, hinc pro præmio in judicio malitiam ejus, superbiam et imbecillitatem coram toto mundo traducent et quasi victo, vili, contemptibili, a Deo projecto et in æternum damnato insultabunt; uti et Christus, *Coloss.* II, 15. Quæ res dæmonibus superbissimis maxima et molestissima pœna erit, ut pulchre docet Franciscus Suarez, III *part., Quæst.* LIX, disp. LVII, sect. 8. Adde Apostolos et viros Apostolicos, qui, relictis omnibus, Christum proxime secuti sunt, judici Christo proximos fore, quasi primores et assessores regni; itaque una et eadem cum Christo sententia, uti Cardinales cum Papa, omnes alios judicabunt, *Matth.* XIX, 28.

QUANTO MAGIS SECULARIA? — scilicet negotia, quæ ad communem hominum usum pertinent (hoc enim significat Græcum βιωτικά), subaudi, dignos et aptos sumus judicare: si nimirum hoc judicium ad nos deferatur a partibus litigantibus, aut si huic judicio præficiamur ab Ecclesia, vel a republica: nam si angelos judicare valemus, quidni et sæcularia? Angeli enim tantum sæcularibus præstant, quantum cœlum terræ præcellit.

4. CONTEMPTIBILES IN ECCLESIA (potius quam Gentiles, judices sive arbitros) CONSTITUITE AD JUDICANDUM. — Ita Theodoretus (1). Unde subdit:

5. SIC NON EST INTER VOS QUISQUAM SAPIENS, QUI POSSIT JUDICARE INTER FRATREM SUUM? — Est mycterismus, sive ironia cum stomacho, et tacita quædam subsannatione et exprobratione. Paulo aliter hæc, quasi serio dicta accipiunt Sedulius, et Gregorius, lib. XIX *Moral.*, cap. XXI: « Contemptibiles, inquiunt, qui sunt, constituite ad judicandum. Quasi dicat. Qui minoris sunt meriti in Ecclesia, et nullis magnarum virtutum donis pollent, ipsi de terrenis negotiis judicent: quatenus per quos magna nequeunt, bona minora suppleantur. »

Judicium causarum sæcularium committere fuit presbyteris.

Nota: Hoc judicium causarum sæcularium postea inter Christianos commissum fuit presbyteris et Episcopis, ut patet ex Clemente, lib. I *Constit.*, cap. XLIX; L, LI, et epist. I *ad Jacobum fratrem Domini*: « Si qui, inquit, fratres negotia habent inter se, apud cognitores sæculi ne judicentur, sed apud presbyteros Ecclesiæ quidquid est illud dirimatur, et omni modo obediant statutis eorum. » Idque postea lege Cæsarea, quæ exstat XI, *Quæst.* I, can. *Quicumque*, et can. *Volumus*, statuit Theodosius Imperator et confirmavit Carolus Magnus, nimirum ut quisque, sive reus, sive actor, possit, relicto tribunali sæculari, etiam post litem contestatam, adire judicem Ecclesiasticum. Inde hoc munere judicis inter fideles suos functi sint Gregorius Thaumaturgus, Neocæsariensis Episcopus, ut patet ex Nysseno in ejus Vita; S. Ambrosius, ut patet lib. II *Offic.*, cap. XXIX, ubi etiam Imperatorum injusta judicia irritasse se dicit; S. Augustinus, ut patet *De Opere monach.*, cap. XXVI; Synesius, ut patet *epist.* 57 et 58. Sed crescente nimis numero Christianorum et litium, Episcopi hoc judicium ad judices sæculares, sed Christianos, rejecerunt; idque ex doctrina et institutione S. Petri, qui ad Clementem, et in eo ad quosvis Episcopos ita loquitur, *epist.* I Clementis citata: « Nec enim judicem, inquit, aut cognitorem sæcularium negotiorum hodie te ordinatum vult Christus, ne præfocatus præsentibus non possis verbo Dei vacare, et secundum veritatis regulam secernere bonos a malis. »

Judicium sæcularium rerum solet a judicibus sæcularibus ad sæculares judices devenire.

Dices: Cur ergo Apostolus judicium non demandat hic Episcopo? Respondet Ambrosius, quia is nondum erat Corinthi: « Necdum, ait, rector in eorum Ecclesia erat constitutus; » recenter enim a Paulo conversi erant Corinthii, erantque fideles adhuc pauci.

SIC NON EST (Græce οὕτω οὐκ ἔνι, PRO οὐκ ἔστι) INTER VOS SAPIENS, QUI POSSIT JUDICARE INTER FRATREM? — Subaudi, et fratrem, hoc est, inter fratres, puta Christianos litigantes.

7. JAM QUIDEM OMNINO DELICTUM EST IN VOBIS. — « Delictum, » Græce ἥττημα, quod Theophylactus vertit, « condemnatio et pudor. » *Secundo*, simplicius, ἥττημα, id est *minoratio*, diminutio, defectus; ut cum quis ab alio vincitur, et per hoc viribus aut animo minuitur, *q. d.* Imperfectio, dejectio, impotentia animi est in vobis, quod scilicet iræ, lucri, contentionisque affectu vincimini, et quod nihil pati et sufferre potestis. Parvi enim et abjecti est animi, ab ira, ab injuria, ab avaritia, ab impatientia vinci: magnanimus enim animum habet supra hæc omnia elatum et excelsum; omnia ut se minora et indigna despicit, ideoque injurias non curat, sed contemnit: impotentia, inquam, animi et lucri cupido sunt, quæ vos impellunt, ut in infidelium tribunali litigetis, cum scandalo aliorum, tum fidelium, tum infidelium, qui sic Christi fidem contemnunt.

Quis ait vere magnanimus?

QUARE NON MAGIS INJURIAM ACCIPITIS? — Id est, ut græce, ἀδικεῖσθε, damnum patimini, ut decet Christianos novos in tanta paucitate, primo fervore, pacis et perfectionis professione.

Unde nota: Hic locus non favet Anabaptistis, qui hinc volunt omnem potestatem judiciariam auferre magistratibus. Nam, ut Chrysostomus, Apostolus hic non judicium taxat, sed *primo*, impatientiam litigantium. *Secundo*, quod fratribus, id est Christianis, injuriam faciant; hoc enim est quod ait vers. 8: « Sed vos injuriam facitis, et fraudatis, et hoc fratribus. » *Tertio*, quod de his judicium infidelibus et injustis permittant. *Quarto*, quod apud eos per calumniam pauperes opprimant. *Quinto*, quod pacem fraternam, vinculum charitatis, fidemque ipsam hoc scandalo lædant. Addit Cajetanus alterutrum litigantium semper

Apostolus hic judicem a judicio hic non taxat, sed volunt Anabaptistæ.

(1) Alii Græcum κατίζετε in indicativo, cum interrogandi signo, vertunt: *an contemptos*, scil. ethnicos, *apud Ecclesiam arbitros et judices constituitis?*

delinquere, quia alteruter fovet injustam causam, nisi per ignorantiam excusetur. Quare S. Augustinus, *Enchirid.* cap. LXXVIII, lites etiam justas vix suscipi ait sine peccato, saltem veniali: quia fere procedunt ex nimio amore rerum temporalium, et vix carent periculo odii, malevolentiæ, calumniæ. Accedit jactura temporis, pacis ac tranquillitatis internæ, quæ nisi bono majore compensentur, non sine peccato lites etiam justæ suscipiuntur. Hinc Christus, *Matth.* V, 40, ita sancit: « Ei qui vult tecum in judicio contendere, et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium. » Bonum majus est necessitas propria, publica, familiæ, pietas, justitiæ obligatio; ut cum monasterii aut pauperum bona vis tutari aut recuperare publico judicio. Sic Paulus ad judicium Cæsaris appellat, *Act.* XXV, 11. Denique Apostolus non reprehendit hic judicia ex parte judicis, sed ex parte litigantium. Itaque etiamsi peccatum esset litigare, non tamen peccatum esset judicare; judicia enim finem imponunt litibus, quod valde bonum est. S. Paulo astipulatur S. Clemens Romanus illi coævus, imo discipulus, lib. II *Constit. Apost.*, XLV: « Pulchra, ait, christiani hominis laus est, cum nemine litigare. Sin autem alicujus opera aut tentatione quapiam factum fuerit, ut incidat ei lis, det operam, ut dirimatur, quamvis opus sit aliquid damni facere, et ne adeat ad judicium gentilium; imo ne patiamini, ut sæculares magistratus de causis vestris judicent: per eos enim diabolus studet, ut famulis Dei probrum etiam excitet; quasi non habeatis vos quempiam sapientem, qui possit inter vos jus dicere, aut controversiam dirimere. »

Quare omnino delictum est litigare?

Vers. 9 et 10.

9 et 10. NEQUE FORNICARI, NEQUE ADULTERI, etc., REGNUM DEI POSSIDEBUNT. — Hinc patet non tantum adulterium, sed etiam fornicationem, qua solutus cum soluta peccat, esse contra legem, tum Christi quam naturæ. Erravit turpiter in hac re R. Moses Ægyptius, lib. III *More*, cap. L, ubi congressum Judæ cum Thamar, *Genes.* XXXVIII, excusat hoc nomine, quod ante legem Mosis licitum esset meretricari. Turpius errant nostri politici, qui licet concedant lege Christi vetitam esse fornicationem, negant tamen eam lege Mosis fuisse vetitam. Id enim admittit Moses, et alii Rabbini passim docent, *Exod.* XX, sexto Decalogi præcepto: *Non mœchaberis*, non solum mœchiam sive adulterium, sed etiam incestum, sodomiam, fornicationem omnemque concubitum et libidinem, quæ limites matrimonii egreditur, esse vetitam. Ita Tobias, cap. IV: « Attende, inquit, fili mi, ab omni fornicatione, et præter uxorem tuam, nunquam patiaris crimen scire. » Ita Apostolus ait fornicationem annumerat adulterio, idololatriæ aliisque peccatis quæ sunt contra legem naturæ et Decalogi, hominesque natura sua excludunt a regno Dei: repugnat enim fornicatio primæ creationi hominis et institutioni matrimonii, qua Deus naturæ omniumque Dominus alligavit usum

Male politici negant lege Mosis vetitam fornicationem.

Quare fornicatio sit contra naturam.

membrorum generationi servientium, matrimonio, et extra illud homini utendi facultatem ademit: repugnat et fidei conjugali atque bono prolis, quæ recte educari nequit in fornicatione, sed tantum in matrimonio. Hinc *Deuter.* XXII, 21, jubetur lapidari puella, quæ ante nuptias in domo patris fornicata est. Et Sapiens, *Eccli.* XIX, 3, ait: « Qui se jungit fornicariis, erit nequam: putredo et vermis hæreditabunt illum. » Denique ut alia taceam, *Num.* XXV, 9, ob fornicationem Hebræorum cum filiabus Moabitidis ex eis viginti quatuor millia.

Legumina furata?

Gravissimum peccatum fornicationis.

MOLLES. — Mollities est pollutio.

AVARI. — Hi sunt qui per fraudes, injustos contractus et dolosas lites aliena expilant. Distinguuntur enim hic a furibus et a rapacibus. Vide dicta cap. V, 10.

Qui molles, avari etc.

EBRIOSI. — Græcum μέθυσοι, tam ebrium, quam ebriosum significat: quare « ebriosi » hic non proprie frequentium, vel consuetudinem se inebriandi, sed actum denotat: sic enim et cætera hic, ut *fur*, maledicus, adulter, actum significant; unus enim eorum actus eos a cœlo excludet. Idem patet *Galat.* V, 21. Una ergo perfecta ebrietas est peccatum mortale, quia privat hominem usu rationis, ut sit quasi bestia; et hominem exponit periculo rixæ, libidinis et multorum peccatorum. Aliter S. Thomas: Ebrietas, inquit, non est peccatum mortale, ob ignorantiam fortitudinis vini, vel debilitatem proprii capitis: quamtamen excusatio tollitur per frequentem experientiam: ideo signanter ait Apostolus « ebriosus, » non *ebrius*. Sed prior explicatio est solidior.

Et ebrietas ait?

Quare perfecta ebrietas est peccatum mortale?

Vers. 11.

11. SED ABLUTI ESTIS, SED SANCTIFICATI ESTIS, SED JUSTIFICATI ESTIS (per baptismum), IN SPIRITU DEI NOSTRI, — per Spiritum Sanctum. Ita Chrysostomus, Theophylactus, Œcumenius. Pulchrum hujus ablutionis et mutationis morum per baptismum et Christianismum factæ exemplum de seipso narrat S. Cyprianus, epist. 2 *ad Donatum*, ubi candide confitetur, qualis fuerit ante baptismum, qualis subito evaserit per gratiam baptismi, quidque sibi contulerit Christianismus, qui, ut ipse ait, est « mors criminum et vita virtutum. » Similia habet Nazianzenus, *Orat. funebr. in laudem Cypriani*, ubi enarrat mirabilem ejus conversionem, et cordis vitæque commutationem, quam baptismo percepit.

Quid Paulus velit per ablutionis nomine?

Vers. 12.

12. OMNIA MIHI LICENT, SED NON OMNIA EXPEDIUNT (1). — « Omnia mihi licent, » per liberum arbitrium, inquit Theodoretus et Œcumenius, puta licet, et in mea potestate est fornicari, rapere, inebriari et cætera, quæ hic præmisit Apostolus: ve-

(1) Non male suspicatur Storrius, in *Notitiis historicis Epistolarum Pauli ad Cor. interpretationi inservientibus*, licentiores Corinthios verba πάντα μοι ἔξεστι, quæ olim ex Apostolo, de cibis locuto, forte audierant, et de cibis per se spectatis intelligere desiderant, transtulisse ad eum cum idololatria conjunctum, imo ad consequentem epulis idololatricis συνεσίαν, vers. 10.

rum hæc non expediunt saluti animæ meæ, quia peccata sunt.

Sed hunc sensum recte refellit Ambrosius : « Quomodo, inquit, licet quod prohibetur? aut certe si omnia licent, nihil potest esse illicitum, » *q. d.* Ambrosius : Illud dicitur licere quod nulla lege est prohibitum; non autem id quod est liberi arbitrii facere, vel omittere. Sensus itaque hujus loci est : « Omnia mihi licent, » *omnia* nimirum adiaphora, et lege non prohibita. Ita Chrysostomus, qui cum Theophylacto hæc refert ad verba sequent.

13. ESCA VENTRI, ET VENTER ESCIS. — *q. d.* Licet mihi omnibus cibis vesci, sed non sinam gulam alicujus cibi mihi dominari, ut fiam mancipium ventris.

Secundo, Ambrosius et S. Thomas referunt ad sumptus, *q. d.* Licet mihi evangelizanti a vobis accipere sumptus et victum; sed ego eos non accipiam, ne illi fiam obnoxius et meam libertatem perdam; ut more episcopi varia misceat Apostolus, quæ sciebat illos ad quos scribit, aliunde intelligere.

Tertio et optissime, Anselmus et S. Thomas referunt hanc sententiam ad superiora de judiciis, *q. d.* Hæc contra judicia dixi, non quasi illicitum sit ex se in judicio sum repetere, sed quod nolim subalternos, scilicet judicum, advocatorum, procuratorum, maxime infidelium, potestatem vos redigi. Unde vertit Syrus, *nemo in me potestatem exercebit*.

Quæ consideranda in omnibus nostris operibus?

Moraliter S. Bernardus, lib. III *De Consider. ad Eugenium* : « Spiritualis, inquit, homo omne opus suum trina consideratione præveniet, primo, an liceat; deinde, an deceat; postremo, an expediat. Nam etsi constat, in Christiana utique philosophia, non decere nisi quæ licent, non expedire nisi quæ decent et licent; non continuo tamen omne quod licet, decere aut expedire consequens erit. »

ESCA VENTRI (scilicet destinata est, æque ac) VENTER ESCIS. — *q. d.* Cur lites suscipitis ob temporalia, quæ fere ad escas et ventrem tendunt? Esca enim res caduca est et vilis, ad hoc facta, ut in ventrem projiciatur; venter autem vilissima pars hominis tantum est ad hoc, ut escas coquat, digerat, egerat, corrumpat, estque vas sordium; et tam esca quam venter peribunt, quia in morte fient esca vermium; et licet venter resurget, non tamen amplius escas admittet. Simul *secundo*, transit hic ex composito ad gulam Apostolus, quia gula est mater libidinis, quam deinceps insectatur. Ita Theophylactus. Unde S. Athanasius, vel quisquis est auctor (nam non esse S. Athanasium Alexandrinum, patet ex eo quod Quæst. XXIII citet ipsum Athanasium, et ab eo diversam sequatur sententiam; et ex eo, quod citet Epiphanium et Gregorium Nyssenum, qui S. Athanasio fuerunt posteriores), Athanasius, inquam, ad Antiochum, Quæst. CXXXIII, per ventrem hic intelligit ingluviem et crapulam, *q. d.* « Esca ventri et venter escis, id est ad crapulam venter habet desiderium, et hæc ad illum : verum qui crapulæ ventrique deditus est, non potest servire Deo, sed sui ipsius ventris servus est, ideo abolebit illum Deus. »

Venter vilissima pars hominis.

Crapulæ deditus non potest servire Deo.

DEUS ET HUNC (ventrem) ET HAS (escas) DESTRUET — καταργήσει, abolebit, in morte et resurrectione, ut scilicet non sit amplius venter escarum, qui escis pascatur; nec escæ sint ventris, ut ventrem inesceut et impleant.

CORPUS NON FORNICATIONI (destinatum et datum est, ut fornicemur), SED (ut) DOMINO (casto corpore serviamus, Christumque ut caput castis et sanctis moribus sequamur. Ita Anselmus et Chrysostomus. Unde sequitur), ET DOMINUS CORPORI. — Christus scilicet corpori nostro datus est in caput, ut illi quasi imminear, *q. d.* Ergo corpora nostra non fornicationi, sed Christo capiti quasi membra pure servire debent, semperque caput suum Christum, Christique puritatem æmulari. *Secundo*, « Dominus corpori, » id est Christus corpori casto et puro erit præmium, eique incorruptionem et immortalitatem donabit. Ita Ambrosius et Anselmus. Prior sensus est simplicior, nam de resurrectione sequitur, cum subdit :

14. DEUS VERO ET DOMINUM (Christum et crucifixum et mortuum) SUSCITAVIT : ET NOS (si cum Christo gulæ et libidini moriamur, eaque crucifigamus) SUSCITABIT. Vers. 14.

15. NESCITIS QUONIAM CORPORA VESTRA MEMBRA SUNT CHRISTI? — Vos ipsi enim, ac consequenter corpus et anima vestra, estis membra Ecclesiæ Christi. Pulchre S. Augustinus, *serm.* 18 in hæc Apostoli verba : « Vita, inquit, corporis anima est, vita animæ Deus est. Spiritus Dei habitat in anima, et per animam in corpore, ut et corpora nostra templum sint Spiritus Sancti, quem habemus a Deo. » Vers. 15. Corpora nostra et anima nostra membra Christi.

TOLLENS ERGO MEMBRA CHRISTI, FACIAM MEMBRA MERETRICIS? ABSIT. — « Tollens, » non quasi avellens et separans a Christo; Christi enim et Ecclesiæ membrum manet fornicator, quamdiu fidem veram retinet. Sed « tollens, » id est accipiens, et, ut D. Thomas, injuste subtrahens sua membra generationi destinata, obsequio et servitio Christi, cujus sunt. Fidelis enim fornicans hæc generationis membra et corpus suum, quasi membrum, Christo, cujus est, suffuratur, et dat meretrici. Tollit ergo a Christo corporis sui usum, non dominium.

16. QUI ADHÆRET MERETRICI, UNUM CORPUS EFFICITUR. ERUNT ENIM, INQUIT, DEO IN CARNE UNA. — « Unum corpus, » per corporum unionem et commixtionem, ut, sicut mercatores in societate unas habent opes, quia communes, sic fornicarii unum habeant corpus, quia utriusque corpus est utrique commune, ait Cajetanus. Et sic sunt « duo in carne una, » id est duo sunt una caro, *q. d.* E duobus fiet unus homo, non spiritalis, sed carnalis, et quasi totus caro. Vers. 16. Quomodo fornicarius cum meretrice unum corpus efficiat?

ERUNT ENIM, INQUIT (Scriptura sacra), DUO IN CARNE UNA. — Citat hæc verba Paulus ex Gen. cap. II, vers. 24, ubi dicuntur de conjugibus : bene tamen Apostolus ea refert ad fornicantes, quia actus externi seu conjugum, seu fornicantium, secundum speciem naturæ non differunt, licet in genere moris specie, imo genere, differant : horum enim actus sunt libidinis et vitii, illorum vero actus sunt temperantiæ, justitiæ et virtutis. Ita S. Thomas.

Quomodo intelligitur : *Erunt duo in carne una?*

Nota : De conjugibus dicitur, quod « erunt duo in carne una, » id est duo erunt una caro : *primo*, per copulam carnalem, ut hic explicat Apostolus. *Secundo*, « erunt una caro, » synecdochice, id est unus homo, una persona : vir enim et femina civiliter unum sunt, et censentur una persona civilis. *Tertio*, quia conjux est dominus corporis sui comparis, et sic unius caro est alterius caro. Patet cap. seq., vers. 3. *Quarto*, effective, quia unam carnem, scilicet prolem, generant.

Quare Deus ex costa Adami fecit Evam?

Nota *secundo* : Hac phrasi utitur Scriptura hoc fine, ut ostendat inter humanas necessitudines arctissimum et inviolabile esse vinculum matrimonii. Hinc ex Adami costa fecit Deus Evam, quasi vir et femina non tam duo quam unus sint, debeantque unum esse amore et voluntate, adeoque si sit opus, conjux conjugis causa debeat patrem et matrem deserere, ut dicitur Genes. II, 24. Citat ergo Apostolus hunc locum, ut demonstret quantum se dejiciat et infamet fornicator, utpote qui tam arcte conjungator cum meretricula vilissima, ut unum fiat cum illa, et in ipsum, in scortum scilicet et meretricem, se quasi transformet.

Vers. 17. Quando fidelis adhæret Domino, unus est spiritus cum eo?

17. QUI AUTEM ADHÆRET DOMINO (cum eo fit et) EST UNUS SPIRITUS. — « Unus, » non essentialiter, ut volunt Almaricus et illuminati quidam fanatici, teste Ruisbrochio, lib. *De alta Contemplatione*, sed accidentaliter : unus, inquam, charitate, voluntatis consensu, gratia et gloria, quæ hominem faciunt quasi divinum et Deum, ut cum Deo quasi unus idemque sit spiritus. Ita Ambrosius, Anselmus, Œcumenius. Unde ex hoc loco S. Basilius, lib. *De Vera Virginit.*, demonstrat animam castam et sanctam esse sponsam Dei, eamque in divinæ imaginis excellentiam transferri, ut cum Deo unus fiat spiritus; atque ex hac cum Deo conjunctione haurire omnem puritatem, virtutem, incorruptionem, pacem et tranquillitatem : « Quocirca, inquit, anima quæ Christo copulata est tanquam sapientiæ Verbi Dei sponsa, sapiens ac prudens sit necesse est, ut omni stultitiæ et insipientiæ nota jugi divinarum rerum meditatione explosa, sapientiæ, cui conjuncta est, ornetur pulchritudine : donec æternam sapientiam sibi penitus jungat, unumque cum eo, cui inhæsit, effecta, ex corruptibili fiat incorruptibilis, ex imperita prudens ac sapientissima, tanquam Verbi cui adhæsit costa, atque (ut breviter dicam) ex homine mortali immortalis Deus; sic ut illa, cui conjuncta est, omnibus manifestetur. »

Qualis debeat esse anima Christo adhærens?

Excellentia et utilitas boni cum Deo unionis.

Præclare vero S. Bernardus, serm. 7 *in Cantica*, hoc Dei cum anima (quæ pura et casta dilectione Deo adhæret) connubium, et ex eo manantem bonorum communicationem ita describit : « Anima, inquit, quæ diligit Deum, sponsa vocatur : hæc enim duo nomina, sponsa et sponsus, maxime indicant internos affectus; his enim omnia communia sunt, una hæreditas, una domus, una mensa, unus lectus, una caro. Propter hanc relinquet homo patrem et matrem, etc., et erunt duo in carne una. » Deinde eorumdem amorem et osculum prosequitur dicens : « Sponsa itaque dicitur illa, quæ amat; amat autem quæ osculum petit, non petit libertatem, non mercedem, non hæreditatem, sed osculum more plane castissimæ sponsæ, ac sacrum spirantis amorem, nec omnino valentis flammam dissimulare, quam patitur. Osculetur, inquit, me osculo oris sui. Quasi dicat : Quid mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram? » Denique hujus amoris puritatem et vehementiam ita explicat : « Amat profecto caste quæ ipsum, quem amat, quærit, non aliud quid præter ipsum. Amat sancte, quia non in concupiscentia carnis, sed in puritate spiritus. Amat ardenter, quæ ita proprio inebriatur amore, ut majestatem non cogitet. Quid enim? respicit terram, et facit eam tremere; tangit montes, et fumigant; et ista se ab eo postulat osculari? ebria est? ebria certe, quia fortassis de cella vinaria egressa erat. O quanta amoris vis! quanta in spiritu libertatis fiducia! Perfecta charitas foras mittit timorem. Nec dicit : Me osculetur iste, vel ille sponsus, vel amicus, vel rex; sed indeterminate loquitur : Osculetur me, quemadmodum et Maria Magdalena dixit, loquens de Christo Domino, quem in monumento non reperiens, sublatum credidit : Si tu sustulisti eum, dicito mihi, ubi posuisti eum, et ego eum tollam. Quem eum? non aperit; quia palam omnibus esse credit, quod a suo corde nec ad instans recedere potest. Sic sponsa : Osculetur me, ait, ille qui nunquam a corde meo absens est : quia amore accensa credit nomen sponsi omnibus conspicuum esse. » Plura de hac animæ Deo adhærentis cum Deo desponsatione et conjunctione dicam II *Corinth.* XI, 2.

Rursum idem Bernardus, sive auctor tract. *De Vita solitar.*, ante finem : « Unitas, inquit, spiritus cum Deo hominis cor sursum habentis, proficientis in Deum voluntatis est perfectio. Cum jam non solum vult quæ Deus vult, sed ex eo non tantum affectus, sed etiam in affectu profectus, ut non possit velle nisi quod Deus vult; velle autem quod Deus vult, hoc jam simile Deo esse est : non posse velle nisi quod vult Deus, hoc est jam esse quod Deus est, cui jam velle et esse idipsum est. Unde bene dicitur, quod tunc videbimus eum sicuti est; cum sic similes ei eri-

mus, hoc erimus quod ipse est : quibus enim potestas data est filios Dei fieri, data est potestas, non quidem ut sint Deus, sed sint tamen quod Deus est. »

Unitas spiritus cum Deo et similitudo libido Dei.

Deinde prosequitur Bernardus triplicem similitudinem hominum cum Deo, ac deinde subjungit : « Dicitur autem hæc similitudo Dei unitas spiritus, non tantum quia efficit eam, vel afficit ei spiritum hominis Spiritus Sanctus, sed quia est ipsa Spiritus Sanctus, Deus charitas : qui cum sit amor Patris et Filii, et unitas, et suavitas, et bonum, et osculum, et amplexus, et quidquid commune potest esse amborum in summa illa unitate veritatis et veritate unitatis, hoc idem homini suo modo fit ad Deum, quod cum substantiali unitate Filio est ad Patrem, et Patri ad Filium : cum in amplexu Patris et Filii mediam quodammodo se invenit hominis beata conscientia : cum modo ineffabili incogitabilique fieri meretur homo Dei, non Deus ; sed tamen quod Deus est ex natura, homo ex gratia. »

Vers. 18. Sola libido fugiendo vincitur.

18. FUGITE FORNICATIONEM. — Quia, ut Anselmus, Cassianus et passim Patres docent, alia vitia pugnando, sola libido fugiendo vincitur, scilicet fugiendo feminas, objecta, occasiones libidinis, diverlendo oculos et mentem, ut alia videat et cogitet. Si enim turpi tentationi te opponas et cogitationi repugnes, cogitando magis commoves imaginationem earumdem, indeque carnem et concupiscentiam innatam et in libidinem profusam magis accendis.

OMNE PECCATUM EXTRA CORPUS EST, — corpus proprium non maculat, non polluit.

Dices : Si quis se occidat, mutilet, castret, hic in corpus suum peccabit : ergo non omne peccatum a fornicatione distinctum extra corpus est.

Respondeo : *Omne peccatum*, id est omne genus peccatorum, quod communiter et ordinarie committunt homines, extra corpus est. Septem enim sunt vitia capitalia, quæ Theologi ex S. Paulo dividunt in spiritualia, et corporalia sive carnalia : carnalia duo sunt, gula, et libido : spiritualia sunt quinque, puta superbia, avaritia, ira, invidia, acedia, ex quibus ira et invidia subinde per se prorumpunt in necem proximi, non autem in necem propriam nisi per accidens, raro et extraordinarie ; ac consequenter iracundus per se et ordinarie non peccat in corpus proprium, sed alienum, quod lædit vel occidit, *q. d.* Apostolus : *Omne peccatum*, id est pleraque omnia peccata, quæ ordinarie et communiter faciunt homines, extra corpus sunt. Non ergo sub *omne peccatum*, comprehendit sui mutilationem vel occisionem, quæ per accidens, raro et extravaganter fiunt : non etiam comprehendit gulam, uti mox dicam.

Vitia capitalia dividuntur in spiritualia et carnalia Theologi.

Septem peccatum pertinentia extra corpus sunt

QUI FORNICATUR, IN CORPUS SUUM PECCAT. — S. Hieronymus, epist. *ad Amandum*, tom. III, duas hujus loci expositiones affert, quarum *prima* est : fornicator peccat in corpus, id est in uxorem suam. *Secunda*, in corpore defigit stimulos veneris, qui etiam post peccatum, cum vult pœnitere, ad pristina eum titillent. « Alia, ait S. Hieronymus, peccata forinsecus sunt, quæ post factum pœnitudinem habent, et licet invitet lucrum, mordet conscientia. Sola libido etiam in ipso tempore pœnitendi, præteritos stimulos patitur, et titillationem carnis et incentiva peccati, ut per hæc quæ corrigi cupimus cogitantes, rursum sit materia peccandi. » Id expertum se fatetur S. Hieronymus, epist. 22 *ad Eustochium*. Experta idipsum est et sancta Maria Ægyptiaca, quæ totidem annos quot veneri servierat, scilicet 17, hos stimulos pœnitens est passa, ut narrat Sophronius, Hierosolymorum Patriarcha, in ejus Vita.

Quæ peccatis relinquat libido.

Œcumenius decem alias ejus loci habet expositiones. Totidem adfert Isidorus Pelusiota, lib. IV, *epist.* 129. Verum sensus proprius et genuinus hujus loci est : « Qui fornicatur, in corpus suum peccat, » hoc est, qui fornicatur, corpori suo injurius est, corpori suo gravem injuriam irrogat : *primo*, quia corpus suum polluit, coinquinat et maculat. Ita Nyssenus, oratione in hanc Apostoli sententiam.

ejusque mala effectus.

Quare fornicator in corpus suum peccet ? Prima causa.

Secundo, quia corpus suum fornicando debilitat, exhaurit, et sæpe lue venerea, aliisque morbis inficit et consumit. Ita S. Athanasius apud Œcumenium. Utroque modo gulosus quoque et ebrius in corpus suum peccat : quia illud phelgmatibus, vomitu aliisque sordibus sæpe dedecorat, illiusque vires et calorem naturalem debilitat, lædit et obruit. Unde sub fornicatione hic gula et ebrietas quasi illi affinis, imo mater, intelligi potest : qua de causa de gula paulo ante, vers. 13, egisse videtur Apostolus : hæc enim duo, scilicet gula et libido, propria sunt vitia corporis, unde et peccata carnalia vocantur ; reliqua vitia sunt spiritus et mentis, uti paulo ante dixi.

Secunda.

Quare ebrietas et gulositas in suum corpus peccat ?

Tertio, fornicator corpori suo injurius est, quia ipse solus corpus suum liberum, parum et nobile vilissimæ meretricis juri, servituti et potestati subjicit, ut cum ea quasi unum quid fiat. Perinde enim ac si quis corpus nobile, sanum et speciosum colligaret corpori alicujus putidi leprosi, decerneret injuriam gravem facere corpori tam nobili et pulchro : ita qui corpus suum liberum, purum ac nobile, a Deo creatum, et sanguine Christi redemptum et ablutum, meretrici sordidæ, abjectæ et infami commiscet, gravem corpori suo injuriam irrogat ; hanc enim injuriam omnibus hisce versibus exaggerat Apostolus.

Tertio.

Similitudo declaratur quam facinus sit meretricium.

Quarto, fornicator in corpus suum peccat et injurius est, quia in corpore fœdam et pudendam libidinem excitat, quæ ita mentem absorbet, ut in illius actu nihil aliud homo cogitare possit. Facit ergo fornicator corpus suum mancipium libidinis et concupiscentiæ, ut in eo fœda libido dominetur, illudque totum sibi vindicet : nec gula, nec aliud vitium in corpore tam pudendam et tam vehementem concupiscentiam excitat, quæ

Quarto.

Sola libido dominatur corpori, et illudque concupiscentia et peccato inficit.

ita sibi corpus mancipet, ut libido. Sola ergo libido dominatur corpori, illudque sua concupiscentia et peccato inficit, subjugat et corrumpit.

Vers. 19.

19. AN NESCITIS QUONIAM MEMBRA VESTRA TEMPLUM SUNT SPIRITUS SANCTI ? etc. — Ergo quasi sacrilegi sunt, qui per libidinem polluunt corpora sua, quæ sunt templa Spiritus Sancti. Illi enim injuriam irrogant, dum corpus ipsi dicatum auferunt et transferunt ad veneris dæmonem. Porro corpora fidelium templum sunt Spiritus Christi, quia ipsi membra sunt Christi, et quia fideles cum Deo unus sunt Spiritus. Vide dicta vers. 16 et 17, et quæ dicturus sum *Epist.* II, cap. VI, vers. 16. Acute et eleganter Tertullianus, *De Cultu fœmin.*, cap. I, hujus templi æduitam et antistitem constituit pudicitiam : « Nam cum omnes, inquit, templum simus Dei, illato in nos et consecrato Spiritu Sancto, ejus templi æditua et antistes pudicitia est, quæ nihil immundum, nec profanum inferri sinat, ne Deus ille qui inhabitat, inquinatam sedem offensus derelinquat. » Fidelis ergo et justus est templum, in quo per gratiam habitat et colitur Spiritus Sanctus, quem iis dedit Deus, ut in iis operetur sanctas cogitationes, affectiones, sermones, actus. Quare indignum est, ut ejus corpus et anima per fornicationem fiat fanum impuræ Veneris et Priapi : hæc enim gravis est injuria in Deum et Spiritum Sanctum. Hinc S. Seraphia virgo et martyr, cum Præses ei diceret : « Ubi est templum Christi quem adoras, et quo sacrificio ? » respondit : « Ego castitatem colens templum sum Christi, cui meipsam in sacrificium offero. » Ait Præses : « Si castitas tibi ablata fuerit, Christi templum esse desines ? » Ad quem virgo : « Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. » Immisit igitur Præses duos juvenes qui eam violarent ; sed illa orante terræmotus extitit, juvenesque exanimati cecidere ; verum illius precibus vitæ restituti sunt. Ita habet ejus *Vita* apud Surium, 3 septembris.

Quando et a quo ecclesiasticis officiis Mamluchi ?

Quæ templa Spiritus Sancti ?

Templum Spiritus Sancti quæ ?

20. EMPTI ESTIS PRETIO MAGNO. GLORIFICATE ET PORTATE DEUM IN CORPORE VESTRO, — *q. d.* Magni æstimate, magni facite vestra corpora, cum ea licetur dæmon turpi et brevi corporis voluptate. Ne corpus tuum vilipendas, ne gratis vendas, imo maximi ducas : hæc est enim gloria Dei, si magni fiant illa corpora, quæ Deus tanto sibi pretio comparavit, scilicet sanguine suo. Hinc nomen gloriosum Christiani est Emptus et Redemptus, scilicet a peccato et gentilismo, idque pretio sanguinis Christi. Sic olim filii Christianorum empti a Turcis, et a christianismo ad turcismum traducti, vocabantur *mamluchi*, id est empti. Cum enim Tartari subegissent Armeniam, vendiderunt pueros Christianorum : hos Melech-Sala, Ægypti Sultanus, emit magno numero, ipsosque in militia exerceri curavit, et vocavit *mamluchos*, id est emptos. מלך *malac* enim Arabice significat emere et acquirere. Post mortem Sultani Melech-Sala cœperunt Mamluchi ex suo collegio, quod solis

Sex argumenta Pauli dehortantur Corinthios a fornicatione.

Filii Christianorum a Turcis empti olim Mamluchi vocabantur.

Christianis apostatis constabat, regem constituere anno Christi 1252. Ut autem cœperunt Mamluchi sub Frederico II Imperatore, ita extirpati sunt a Selymo Ægyptum occupante, anno Christi 1516. Tunc enim Mamluchi regnare et esse desierunt.

GLORIFICATE DEUM IN CORPORE VESTRO, — castum illud servando in obsequium spiritus et Dei.

Nota : Τὸ *portate* non est in Græco. Ut equus, ait D. Thomas, portat dominum et sessorem, et ad ejus voluntatem movetur ; ita corpus Dei voluntati et obsequio mancipetur. Græca addunt : καὶ ἐν τῷ πνεύματι ὑμῶν, ἅτινά ἐστι τοῦ Θεοῦ, *et in spiritu vestro, quæ sunt Dei, q. d.* Glorificate et portate Deum, et in corpore et in mente, quia utraque sunt Dei.

Nota, Corinthios fuisse in venerem, ac consequenter in gulam propensos. Id patet ex Suida verbo *Cothys*, qui ait : « Cothys dæmon apud Corinthios colitur, præses effeminatorum et impudicorum. » Idem docet Herodotus in *Clio*, et Strabo, lib. VIII : « Fanum Veneris, ait Strabo, Corinthi ita fuit lociuples, ut plures quam mille habuerit sacrorum famulas meretrices, quas Deæ viri mulieresque dedicarunt. » Inde in proverbium abiit κορινθιάζειν, hoc est, lascivire, genio et libidini vacare. Hinc Apostolus impense Corinthios dehortatur a solita fornicatione ; idque variis rationibus ex diversis locis petitis : *primo*, a creatione ; *secundo*, a resurrectione corporis ; *tertio*, a fœditate libidinis et injuria in corpus ; *quarto*, a dignitate corporis.

Cothys est præses impudicorum.

Proverbium κορινθιάζειν.

Ex quibus colligas sex argumenta, quibus eos deterret a scortatione. *Primum* est, quia corpus non est nostrum, sed Domini, vers. 13. *Secundum*, quia, si castum sit, resurget in gloria, vers. 14. *Tertium*, quia corpus nostrum membrum est Christi, vers. 15. *Quartum*, quia corpus castum templum est Spiritus Sancti, ut per castitatem Deo adhæreus fiat unus spiritus cum Deo, vers. 17. *Quintum*, quia libido corpus dedecorat et contaminat, vers. 18. *Sextum*, quia corpus nostrum Christi sanguine emptum est ; ergo indignum est, et Deo, Christo ac Spiritui Sancto injurium, si quis illud det meretrici, vers. 20. Vide Chrysostomum in *Morali*.

Moraliter et S. Bernardus in psal. *Qui habitat*, serm. 7 : « Glorificate, inquit, dilectissimi, et portate interim Christum in corpore vestro, onus delectabile, suave pondus, sarcinam salutarem, etiamsi premere aliquando forte videtur, etiamsi interdum latera tundit et flagellat recalcitrantem, etiamsi aliquando in camo et fræno maxillas constringit, et coercet omnino feliciter. Esto ut jumentum, minime tamen jumentum, patienter quidem sustinens onus, sed honorem inte ligens : sapienter et delectabiliter cogitans tara ipsius oneris qualitatem, quam propriam utilitatem. »

Sic S. Ignatius Martyr vocatus est Deifer et Christifer, idemque B. Virginem in suis ad eam epistolis *Christiferam consalutat*, ait S. Bernardus.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Quinque quæstiones Corinthiorum matrimonium respicientes a Paulo dissolvit hic Apostolus.

Respondet Corinthiorum quæstionibus de jure matrimonii, et consilio virginitatis ac cælibatus.

Prima quæstio est, An Christiano, utpote jam renato, et sanctificato, liceat matrimonium ejusque usus?

Respondet Paulus, licere, imo conjugi petenti debitum reddi debere : Uxori, inquit, vir debitum reddat, et uxor viro : adeoque melius esse nubere, quam uri.

Secunda est vers. 10, de divortio, An liceat fovere divortium? Respondet Paulus negative.

Tertia est vers. 12, Quid si fidelis conjugem habeat infidelem, potestne cum eo manere et habitare? Respondet posse, imo debere, si infidelis consentiat pacifice habitare cum fideli.

Quarta est vers. 17, An ob christianismum mutandus sit status? ut conjux, v. g. qui servus fuit in paganismo, per christianismum fiat liber; qui Ethnicus fuit, fiat Judæus. Respondet negative, adeoque quemque in suo statu manere debere.

Quinta est vers. 25, An saltem illæ quæ virgines conventuntur ad Christum, manere debeant virgines? Respondet, virginitatem nemini præcipi, sed omnibus consuli, quasi matrimonio meliorem ob suas rationes.

Prima est, ob necessitatem præsentis temporis, quod breve nobis datum est ad lucra, non temporalia, sed æterna comparanda : hæc autem comparandis tota insistit virgo, vers. 26.

Secunda vers. 27, quia conjugatus, conjugio quasi vinculo alligatus est uxori : cælebs autem solutus est et liber.

Tertia vers. 28, quia cælebs caret tribulatione carnis, quæ est in conjugio.

Quarta vers. 32, quia virgo tantum cogitat quomodo placeat Deo; conjugatus divisum habet cor et curam in uxorem et Deum.

Quinta vers. 34, quia virgo sancta est et corpore et spiritu; conjugatus nec corpore, nec spiritu sæpe.

Sexta vers. 35, quia cælibatus facultatem præbet virgini sine impedimento Dominum obsecrandi; cum conjugatus mille habeat impedimenta devotionis et pietatis.

1. De quibus autem scripsistis mihi : Bonum est homini mulierem non tangere ; 2. propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquæque suum virum habeat. 3. Uxori vir debitum reddat : similiter autem et uxor viro. 4. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. 5. Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi : et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram. 6. Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium. 7. Volo enim omnes vos esse sicut meipsum ; sed unusquisque proprium donum habet ex Deo : alius quidem sic, alius vero sic. 8. Dico autem non nuptis et viduis : bonum est illis si sic permaneant, sicut et ego. 9. Quod si non se continent, nubant. Melius est enim nubere, quam uri. 10. Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere : 11. quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat. 12. Nam cæteris ego dico, non Dominus. Si quis frater uxorem habet infidelem, et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. 13. Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum : 14. sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem : alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt. 15. Quod si infidelis discedit, discedat : non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi : in pace autem vocavit nos Deus. 16. Unde enim scis, mulier, si virum salvum facies? aut unde scis, vir, si mulierem salvam facies? 17. Nisi unicuique sicut divisit Dominus, unumquemque sicut vocavit Deus, ita ambulet, et sicut in omnibus Ecclesiis doceo. 18. Circumcisus aliquis vocatus est? non adducat præputium. In præputio aliquis vocatus est? non circumcidatur. 19. Circumcisio nihil est, et præputium nihil est : sed observatio mandatorum Dei. 20. Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. 21. Servus vocatus es? non sit tibi curæ : sed et si potes fieri liber, magis utere. 22. Qui enim in Domino vocatus est servus, libertus est Domini ; similiter qui liber vocatus est, servus est Christi. 23. Pretio empti estis, nolite fieri servi hominum. 24. Unusquisque in quo vocatus est, fratres, in hoc permaneat apud Deum. 25. De virginibus autem præceptum Domini non habeo : consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis. 26. Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse. 27. Alligatus es uxori? noli quærere solutionem. Solutus es ab uxore? noli quærere uxorem. 28. Si autem acceperis uxorem, non peccasti. Et si nupserit virgo, non peccavit : tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi. Ego autem vobis parco. 29. Hoc itaque dico, fratres : Tempus breve est : reliquum est, ut et qui habent uxores, tanquam non habentes sint; 30. et qui flent, tanquam non flentes; et qui gaudent, tanquam non gaudentes; et qui emunt, tanquam non possidentes : 31. et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur : præterit enim figura hujus mundi. 32. Volo autem vos sine sollicitudine esse. Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. 33. Qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est. 34. Et mulier innupta, et virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. 35. Porro hoc ad utilitatem vestram dico : non ut laqueum vobis injiciam, sed ad id, quod honestum est, et quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi. 36. Si quis autem turpem se videri existimat super virginem suam, quod sit superadulta, et ita oportet fieri : quod vult faciat ; non peccat, si nubat. 37. Nam qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, et hoc judicavit in corde suo, servare virginem suam, bene facit. 38. Igitur et qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit ; et qui non jungit, melius facit. 39. Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit, quod si dormierit vir ejus, liberata est : cui vult nubat : tantum in Domino. 40. Beatior autem erit si sic permanserit secundum meum consilium : puto autem quod et ego Spiritum Dei habeam.

Vers. 1. Pseudo-apostoli quidam docebant nuptias esse spernendas.

1. DE QUIBUS AUTEM SCRIPSISTIS MIHI. — *q. d.* Quod attinet ad quæstiones quas mihi proposuistis de matrimonii et cælibatus jure, usu, fructu, sic respondeo : « Bonum est homini mulierem non tangere. » Ubi nota ex S. Anselmo et Ambrosio, Pseudo-apostoli quidam, ut sanctiores viderentur, docebant nuptias esse spernendas, idque ex verbis Christi, *Matth.* XIX, 12 : « Sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum : » quod ipsi de omnibus Christianis dictum interpretabantur ; maxime cum actus fornicationis, quem tantopere insectatus est Apostolus cap. præced., non multum distare videatur, imo physice idem sit cum actu conjugii. Quæsierunt ergo Corinthii per litteras a Paulo, an Christiani tam sancti esse deberent, itaque vacare orationi, pietati, castitati, ut a re uxoria prorsus abstinere deberentur, etiam conjugati?

BONUM EST HOMINI MULIEREM NON TANGERE. — « Bonum, » græce καλὸν, id est, pulchrum, res præclara, eximia est. Ita Theophylactus. « Bonum » ergo non est hic idem quod utile, vel commodum, ut vertit Erasmus ; sed est bonum morale et spirituale, quod per se facit ad concupiscentiæ victoriam, pietatem et salutem, ut patet vers. 32, 34, 35. Rursum, *tangere*, vel cognoscere *mulierem* Hebræis honeste et modeste loquentibus idem est, quod exercere actum conjugii.

Quantum periculum mulier tangere.

Addit S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovinian.*, Apostolum dicere « tangere, » quia vel ipse mulieris tactus, quasi contagiosus est et viro fugiendus. Audi S. Hieronymum : « Non dicit Apostolus : Bonum est uxorem non habere ; sed, Bonum est mulierem non tangere, quasi et in tactu periculum sit, quod qui illam tetigerit, non evadat ; nempe quæ virorum præfocat animas rapit, et facit adolescentium evolare corda. Alligabit quis in sinu ignem, et non comburetur? aut ambula-

bit super carbones ignis, et non ardebit? Quomodo igitur qui ignem tetigerit, statim aduritur : ita viri tactus et feminæ sentit naturam suam, et diversitatem sexus intelligit. Narrant et Gentilium fabulæ, Mithram et Erichthonium, vel in lapide, vel in terra, de solo æstu libidinis esse generatos. Unde et noster Joseph, quia tangere eum volebat Ægyptia, fugit ex manibus ejus; et quasi ad morsum rabidissimæ carnis, ne paulatim virus serperet, pallium quod tetigerat, abjecit. » Hucusque S. Hieronymus. Notent hoc viri, noti et adolescentes.

Fractatum fuse in Joh. et Epist. ad castitatem.

Refert Cardinalis a Vitrineo, vir gravis et doctus, de S. Maria d'Oignies, quod ipsa jejuniis ita corpus macerarit et siccarit, ut per plures annos ne primos quidem libidinis motus senserit; cumque quidam gravis vir casto et spiritali affectu manum ejus stringeret, indeque sentiret carnis motus, illa hoc ignorans audivit vocem de cœlo : « Noli me tangere, » nec intellexit, sed eam narravit alteri qui rem intellexit, et deinceps tali contactu abstinuit.

Narrat S. Gregorius, lib. IV *Dialog.*, cap. XI, S. Ursinum presbyterum ab uxore separatum caste vixisse; cumque moriturus ultimum traheret spiritum, accessit uxor naribus ejus aurem admovens, ut sentiret si quod adhuc ei vitale spiramen inesset. Quod ille sentiens, cui tenuissimus inerat flatus, quanto valuit citius eam secum collegit, dicens : « Recede a me, mulier, adhuc igniculus vivit, paleam tolle. » Vere Poeta :

> Regales ut visa, Siren Acheloia canta,
> Et quæ rat afrieta Thessala saga levi :
> Sic ocellis, manibus, sic ardi femina cantu;
> Sic trilidum fulmen Vajovis esse queat.

Infert hinc recte S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovinian.* : Ergo malum est homini mulierem tangere; non dicit, peccatum, ut Jovinianus et alii calumniati sunt S. Hieronymum, sed *malum est* : quia hoc tangere actus est concupiscentiæ, et carnalis pravæque delectationis, quæ tamen excusatur per bonum conjugii, sed plane tollitur per bonum cœlibatus.

Dices, Genes. II, 18, dicitur : « Non est bonum hominem esse solum; » ergo bonum est homini mulierem tangere.

Respondeo : Deus in *Genesi* loquitur de bono speciei, Paulus de bono individui; Deus tempore mundi vacui, Paulus pleni; Deus de bono temporali, Paulus de bono vitæ spiritalis et æternæ. In hac enim bonum est homini mulierem non tangere.

Vers. 2. 2. PROPTER FORNICATIONEM AUTEM (ne scilicet in eam incidat, si cœlebs sit, et tamen caste vivere nolit), UNUSQUISQUE SUAM UXOREM HABEAT. — Si « unusquisque, » ergo et sacerdos et monachus, aiunt Malanchthon et Bucerus, uxorem habere debet. Respondeo : « Unusquisque, » liber scilicet, nec voto, morbo, senio aliove impedimento adstrictus; hic enim est incapax matrimonii. Loges autem et documenta accipienda sunt pro subjecta materia; et tantum dantur capacibus, non impeditis : ei ergo qui liber est et solutus ac habilis, Apostolus non præcipit, sed consulit et permittit, ut, si timeat fornicationem, uxorem ducat, vel ducta utatur, potius quam in periculum fornicationis incidat. Ita Patres quos citabo vers. 9, in fine. Et patet, quia alioqui secum pugnaret Apostolus; nam toto capite suadet castitatem.

Quibus permittitur?

Adde, Apostolum proprie tantum loqui conjugalis, non autem iis qui cœlibes sunt; hisce enim loqui incipit vers. 8, ut patet ex conjunctione adversativa *autem*, cum ait : « Dico autem non nuptis et viduis, » et ex eo, quod hic dicit *habeat*, non autem, *ducat*, quia scilicet loquebatur illis qui jam duxerant uxores. Ita Hieronymus, lib I *Contra Jovian.*, *q. d.* : « Unusquisque *conjugatus* uxorem suam habeat, » id est habere pergat, retineat, non eam dimittat aut repudiet, sed potius ea legitime et caste utatur; τὸ enim *habeat* significat actum, non inchoatum, sed continuatum. Sic II *Timoth.*, I, 13 : « Formam, inquit, habe sanorum verborum; » *habe*, id est, retine et conserva ea quæ habes et accepisti a me. Sic *Lucæ* XIX, 26 : « Omni habenti (id est, talento suo utenti) dabitur; ab eo autem qui non habet (id est qui non utitur, non exercet talentum suum), et quod habet auferetur ab eo : » alioqui enim proprie non potest auferri a quoquam id quod non habet. Vide *Gen.* 32. Hunc esse sensum patet ex sequentibus; subdit enim explicans se Apostolus : « Uxori vir debitum reddat, similiter et uxor viro, » etc.

Explicatur locus S. Lucæ cap. XIX, v. 26.

Vers. 3. 3. UXORI VIR DEBITUM REDDAT. — « Debitum, » græce ὀφειλόμενον εὔνοιαν, *debitam benevolentiam* : ita honesta periphrasi debitum conjugale circumscribit Apostolus.

Vers. 4. 4. MULIER SUI CORPORIS POTESTATEM NON HABET, SED VIR. — « Sui corporis, » scilicet, secundum ea membra quæ sexum distinguunt, et quatenus ea serviunt actui conjugali; « potestatem, » ut pro sua voluntate possit continere, vel alteri se conjungere; « non habet mulier, » puta uxor; sed maritus, idque sibi tantum, non alteri. Ita S. Augustinus, lib. V *Contra Julian.*, cap. IV. Unde pro « potestatem non habet, » græce est, οὐκ ἐξουσιάζει, id est, jus non habet, scilicet ad continendum, vel ut alteri corpus suum tradat.

Quomodo mulier non habet potestatem sui corporis?

SIMILITER ET VIR (maritus) SUI CORPORIS POTESTATEM NON HABET, SED MULIER. — Unde patet, licet in administratione familiæ uxor inferior et subjecta esse debeat marito, in jure tamen et debito conjugali exigendo et reddendo eamdem parem esse marito, et æquale cum eo jus mutui corporis habere, idque ex contractu matrimonii, in quo alter alteri æqualiter tradidit potestatem corporis sui, et parem potestatem in corpus alterius, puta conjugis, accepit : tam ergo maritus uxori,

Ita quo modo uxor marito, et maritus uxori obsequium debet?

quam uxor marito in fide et debito conjugali obstringitur. Ita diserte ex hoc Apostoli loco docent S. Chrysostomus, Theophylactus, Œcumenius, Primasius, Anselmus hic, et S. Hieronymus citatus XXXII, *Quæst.* II, cap. *Apostolus* I. « Ad paria, inquit Hieronymus, judicantur vir et uxor. » « Cum ergo, inquit Chrysostomus hic *homil.* 19, ad tentandum meretrix accesserit, dicas non esse tuum corpus, sed uxoris; itidem et uxor dicat iis, qui volunt expugnare pudicitiam : Corpus meum non est meum, sed viri. »

5. NOLITE FRAUDARE INVICEM (negando debitum conjugale), NISI FORTE EX CONSENSU AD TEMPUS, UT VACETIS ORATIONI. — Græca addunt, καὶ τῇ νηστείᾳ, *et jejunio*. Hinc Nicolaus I, cap. I *in Responsis ad quæstiones Bulgarorum*, scribit eisdem, ut tota Quadragesima usu uxorum abstineant. Hoc consilii est.

Paulus permittit ea ipsa conjugii, non præcipit. Idque patet ex ejusque rationibus.

ET ITERUM REVERTIMINI IN IDIPSUM. — Græce ἐπὶ τὸ αὐτὸ συέρχεσθε, *in idem convenite*, scilicet ad consuetum debitum conjugale reddendum. Hinc P. Martyr et Magdeburgenses volunt, non licere conjugibus ex mutuo consensu vovere perpetuam continentiam.

Verum respondeo, Apostolum hic non præcipere, sed permittere conjugibus usum conjugii. Patet id *primo*, nam subdit :

Vers. 6. 6. HOC AUTEM DICO SECUNDUM INDULGENTIAM, NON SECUNDUM IMPERIUM. — *q. d.* Copulam indulgeo (1), non præcipio. Imo S. Augustinus, *Enchirid.* cap. LXXVIII, legit : « Hoc dico secundum veniam. » Græcum enim συγγνώμην ignoscentiam, sive veniam significat, et inde colligit S. Augustinus esse peccatum veniale misceri conjugi, non filiorum, sed carnalis voluptatis causa, ad vitandas tentationes Satanæ : peccato enim datur venia; sic et indulgentia est de peccato, vel certe minori bono, ut recte annotavit D. Thomas. *Secundo*, quia permittit Apostolus, ut conjuges ad tempus, quo vacant orationi et jejunio, contineant se. Ergo si tota vita velint vacare orationi et jejunio, permittit eis, ut tota vita se contineant. *Tertio*, « Revertimini, » ait; et causam affert : « Ne tentet vos Satanas, propter incontinentiam vestram, » ut scilicet periculum sit ne labamini in adulterium, vel alias libidines, eo quod sitis incontinentes. Ergo si cesset causa, scilicet periculum incontinentiæ, uti cessat in iis qui eam generose frenant et domant, permittit, ut se semper contineant. *Quarto*, quia ait vers. 7 : « Volo enim omnes esse sicut meipsum, » id est, non castos quomodolibet, sed omnino continentes, cœlibes, imo virgines, uti ego cœlebs sum. Ita Ambrosius, Theodoretus, Theophylactus, Anselmus, Chrysostomus, Œcumenius hic, et Epiphanius, *hæres.* 78; Hieronymus, epist 22 *ad Eustochium*.

Permittitur ut conjuges tota vita se contineant.

Quomodo mulier non habet potestatem sui corporis?

Exemplum conjugum qui virginitatem servarunt.

Quinto, quia primis Ecclesiæ temporibus multos conjuges juxta hæc monita Pauli, ex mutuo consensu perpetuam servasse castitatem, docet Tertullianus, lib. I *Ad Uxorem*, cap. VI, et lib. *De Resurr. carnis*, cap. VIII, et lib. *De Veland. virg.*, cap. XIII. Idem testatur auctor commentariorum *De Singularitate Clericorum* apud S. Cyprianum.

Accipe exemplum conjugum, non e plebe, sed illustrium tum genere, quam sanctitate et gloria, qui in conjugio continentiam et castitatem illibatam servarunt. *Primum* sit B. Virginis et Josephi, qui vexillum castitatis non tantum virginibus, sed et conjugatis erexerunt. *Secundum*, S. Cæciliæ et Valeriani, nobilium martyrum, ut merito S. Cæciliæ corpus hoc sæculo a Clemente VIII, post tot annorum centurias, illæsum et integrum sit repertum. *Tertium*, S. Juliani et Basilissæ, quorum Vita illustris extat apud Surium. *Quartum*, S. Pulcheriæ Augustæ, sororis Theodosii Imperatoris, quæ cum perpetuam Deo vovisset virginitatem, mortuo Theodosio, ea conditione nupsit Marciano, eumque creavit Imperatorem, ut suam castitatem Deo votam conservaret, quod et præstitit, teste Cedreno et aliis. *Quintum*, Henrici II Imperatoris et Cunegundis, quæ ut suam virginitatem probaret, illæsa super ferrum candens ambulavit. *Sextum*, Boleslai V, Polonorum principis, qui inde Pudici nomen accepit, et Cunegundis, Belæ Hungarorum regis filiæ. *Septimum*, Conradi regis, filii Henrici IV Imperatoris, cum conjuge sua Mathilde. *Octavum*, Alfonsi II, Asturum regis, qui cum conjuge sua continentiam servans, Casti nomen accepit. *Nonum* exemplum det Richardis regina, quæ cum marito Carolo Crasso rege, cœlebs permansit. *Decimum* det Pharaildis, neptis S. Amelbergæ æque ac Pipini, perpetua in conjugio virgo. *Undecimum* det Eduardus III et Egitha virgines et conjuges. *Duodecimum* det Ethelreda, Orientalium Anglorum regina, quæ bis conjugata, semper virgo permansit. Denique *decimum tertium* dent duo conjuges Arvernenses, de quibus narrat Gregorius Turonensis, lib. *De Gloria Confess.*, cap. XXXII, quod cum uxor obiisset, maritus elevatis in cœlum manibus dixerit : « Gratias tibi, rerum omnium Artifex, ago, quod, sicut mihi eam commendare dignatus es, ita tibi reddo ab omni volaptatis conjugio impollutam. At illa subridens ait : Sile, sile, vir Dei, quia non est necesse prodere nostrum secretum. Paulo post mortuus est maritus alioque loco sepultus; et ecce mane facto, inventa sunt pariter esse sepulcra, quæ usque hodie sic perdurant : idcirco nunc incolæ, Duos Amantes vocitant, et summo venerantur honore. » Hodie quoque exempla non desunt.

7. VOLO ENIM OMNES ESSE SICUT MEIPSUM, — quoad cœlibatum et continentiam uti jam dixi.

Nota volo, id est velim, cuperem, optarem, si commode fieri posset. *Volo* ergo significat non actum volendi inchoatum et imperfectum, juxta

(1) Igitur συγγνώμην hic non veniam delicti, sed *æquam concessionem* significat. Juxta quosdam, *hoc*, scil. quod nunc dicam vers. 7 et 8.

Can. 32. Id patet ex eo quod hoc *volo* corrigens Apostolus subdit : « Sed unusquisque proprium donum habet ex Deo. » Rursum *vs omnes*, id est singulos, sive *omnes* seorsim, non collectim. Nam si collectim omnes abstinerent, nullum esset matrimonium, et species humana ac mundus interiret. Sic dicimur posse vitare omnia peccata venialia ; omnia, non collectim, sed seorsim, hoc est singula. Alii *omnes* collectim accipiunt : quia si Deus omnibus hanc mentem continendi inspiraret, signum esset jam compleri electorum numerum, Deumque velle mundo finem inducere. Sed Paulus scibat Deum pro illo tempore velle contrarium, scilicet ut adhuc Ecclesia Dei cresceret et propagaretur per matrimonia. Prior ergo explicatio verior.

Omnes, id est singuli.

Male hæretici dicunt sacerdotes posse intrare matrimonium.

SED UNUSQUISQUE PROPRIUM DONUM HABET EX DEO : ALIUS QUIDEM SIC, ALIUS VERO SIC. — « Proprium donum habet, » scilicet propriæ voluntatis, inquit liber *De Castitate* falso adscriptus Sixto III Pontifici, qui extat tom. V *Bibliothecæ SS. Patrum*, est enim Pelagiani alicujus. Nam toto libro docet castitatem esse opus liberi arbitrii et propriæ voluntatis, non gratiæ Dei. Vide Bellarminum, lib. II *De Monachis*, cap. XXXI, et lib. I *De Clericis*, cap. XXI, ad 4. Verum hic est error Pelagii : propria enim voluntas, si ab ea tollas gratiam Dei, non potest dici *proprium* Dei *donum*. Nam propria voluntas non est aliud, quam electio liberæ propriæ voluntatis. Deus enim voluntatem liberam, similem et æqualem omnibus indidit : quare quod hic eligat castitatem, ille matrimonium, non potest dici donum Dei, si tollas Dei gratiam ; sed idipsum tribuendum est cujusque liberæ electioni, quæ proinde in diversis dispar est et diversa.

Dico ergo, *proprium donum*, castitatis nimirum conjugalis, virginalis, aut vidualis : Ergo, inquiunt hæretici, sacerdotes et monachi, si non habent donum virginitatis, possunt inire matrimonium. Sed sic pariter inferam : Ergo conjuges, si non habent donum castitatis conjugalis, ut sunt multi qui adulterantur, poterunt adulterari, vel eum adulteris secundas inire nuptias. Rursum, si uxor absit, nolit, vel ægrotet, poterit maritus aliam adire, si dicat se non habere donum viduitatis. Quos dicet admittat furens Lutherus, horrent tamen omnes, et instar monstri habuerunt Romani aliique Gentiles ex ipso naturæ instinctu et dictamine.

Respondeo ergo cum Chrysostomo et Patribus citatis : Apostolus hic consolatur et indulget infirmioribus et conjugatis, quod donum et statum castitatis conjugalis amplexi sint, cum antea virginalis amplecti potuissent. Nam de aliis non nuptis subdit, « bonum esse si sic permaneant, » id est, permanere velint, *q. d.* « Volo, id est velim, omnes esse sicut me ipsum, » hoc est, esse virgines, utl ego virgo sum : sed nolo id præcipere, imo consolor conjuges, eisque usum conjugii indulgeo, ut se solentur cogitando quod unusquisque proprium donum habet ex Deo, se vero habere donum conjugii, id est castitatem conjugalem : nam et conjugium est donum Dei et a Deo institutum. Vult enim Deus ad complementum universi aliquos, sed in genere et indeterminate, esse in conjugio : licet donum hoc conjugii minus sit dono virginitatis.

Dices : Non tantum donum conjugii est a Deo, sed et quod illud sit huic homini proprium, aliud alteri, v. g. quod hic sit virgo, ille conjugatus, est a Deo.

Respondeo : Hoc subinde verum est, ut, cum Deus huic inspirat animum ad cælibatum, illi ad conjugium, v. g. reginæ alicui, quæ prolem pro bam et regno et Ecclesiæ perutilem gignere potest : non tamen semper id facit Deus, sed indifferenter sæpe se habet, ita ut in multorum arbitrio omnino relinquat, ut eligant vel matrimonium, vel cælibatum.

Instabis, quomodo ergo, ait Apostolus : « Unusquisque proprium donum habet ex Deo ? » Respondeo : *Donum* hoc dupliciter accipi potest. *Primo*, status ipse, v. g. matrimonii, cælibatus, religionis. *Secundo*, gratia necessaria et propria huic vel illi statui. Si primo modo sumas, tunc donum cujusque proprium est a Deo, sed materialiter tantum, quia donum id, quod quisque elegit et sibi proprium fecit, est etiam a Deo. Deus enim conjugium, cælibatum aliosque status vel per se, vel per Ecclesiam instituit, et volenti hunc illumve amplecti, hunc illumve tribuit et concedit ; atque sic proprium donum quisque habet partim ex Deo, partim ex se et suo voluntario amplexu. Nam proprie et formaliter, quod donum illud huic vel illi sit proprium, sæpe est a libera electione : potest tamen eatenus dici a Deo esse, quatenus omnis directio causarum secundarum et omnis boni providentia est a Deo. Deus enim communi sua providentia dirigit quemque per parentes, socios, confessarios, præceptores, et alias occasiones et causas secundas, quibus fit ut hic matrimonio, ille sacerdotio se addicat, sed libere. Nam omnis hæc directio, non necessaria est ei, sed libera.

Ubi nota : Potuisset dicere Apostolus : Quisque proprium statum habet ex se, quem sua libertate elegit ; maluit tamen dicere : « Unusquisque donum proprium habet ex Deo, » quia vult conjugatos consolari. Ne quis ergo eorum pusillanimis et pœnitens excrucietur se et dicat : Paulus vult nos esse similes sui, virgines et cælibes ; ut quid ergo ego miser et infelix conjugium inii ? Mea est culpa, quod statum virginitatis meliorem non sim amplexus, quod tanto bono me fraudaverim, quod in distractiones has et molestias conjugii me conjecerim. Hic enim mos est hominum pusillanimium, afflictorum et melancholicorum : maxime cum in suo statu difficultates experiuntur, ideoque meliora et perfectiora appetunt, ut se

Illum matrimonium vel cælibatum, hanc aliamve plerumque quis Deus relinquit.

Donum proprium a Deo dupliciter accipitur.

Deus omnibus media ad salutem necessaria dat.

Quisque proprium donum habet a Deo, quatenus a Deo dirigitur.

Quare non dixit Paulus, Quisque proprium statum habet ex se ?

exrucient, dum sibi et suæ imprudentiæ tribuunt luctri, vel boni alicujus jacturam, et miserias quas incurrerunt. Paulus ergo, ut hoc disentiat, dicit, non hominis hoc esse, sed Dei (eo sensu quo dixi) donum ; ut quisque in suo statu et vocatione quasi Dei dono conquiescat, lætus vivat, sese perficiat beoque gratius agat.

Secundo, potest hoc *donum* esse gratia propria cuique statui : aliam enim gratiam requirunt conjuges, ut in fide conjugali ; aliam virgines, ut in virginitate vivant ; et hæc gratia propria cuique, formaliter est a Deo, quia posito quod elegeris statum certum, v. g. matrimonii aut cælibatus, Deus dabit tibi gratiam et donum proprium illi statui, ut in eo recte vivere possis, si velis. Hoc enim spectat ad rectam et ordinatam Dei providentiam, ut cum noluerit singulis statum certum præscribere, sed status electionem, uti et alia pleraque hominis arbitrio et electioni reliquerit : ubi is elegerit eum, hominem non deserat, sed gratiam illi statui necessariam ad honeste vivendum ipsi tribuat. Deus enim et natura non desunt in necessariis ; maxime, quia Deus, ut ait Apostolus, vult omnes homines, in quovis statu, salvos fieri ; ac consequenter omnibus media ad salutem necessaria suppeditat, quibus si uti velint, sancte vivere et salvari possunt. Alioqui enim multis impossibile esset salvari, puta Religiosis aliisque qui se voto castitatis ; conjugibus, qui se matrimonio cum certa persona, difficili, infirma, vel exosa astrinxerunt : ad quod superandum et præstandum gratiam propriam et sufficientem a Deo non acceperunt. Nec enim conjuges matrimonio, nec Religiosi voto suo absolvi possunt, ut alium statum sibi magis convenientem capessant.

Hoc modo sensus hujus loci : « Unusquisque proprium donum habet ex Deo, » est, *q. d.* Eligo statum quemvis, et Deus dabit tibi gratiam competentem et propriam, ut in illo statu decenter et sancte vivas. Ita Ambrosius. Et hoc proprie hic intendit Apostolus, ut patet ex voce, *Volo autem*, *q. d.* Dixi me conjugatis usum conjugii indulgere, non imperare : vellem enim omnes eo abstinere, et colere castitatem, exerceroque cælibatum ; sed quisque proprium habet donum, eo se soletur, illud exerceat, ut scilicet cælebs, qui castitatem virginalem vel vidualem accepit, id est, gratiam qua possit se continere, eam acceptet quasi donum Dei ; conjugatus, qui castitatem conjugalem accepit, id est gratiam caste utendi conjugio, eam acceptet quasi donum Dei, ea contentus sit, ea se soletur, ea utatur quasi dono Dei.

Quisque suo proprio dono sustentatur.

Sensus horum verborum Pauli.

Hinc sequitur *primo*, Deum monachis, etiam apostatis, dare donum et gratiam sufficientem, qua casti esse possint si velint ; si videlicet Deum orent, vacent jejunio, piæ lectioni, labori, perpetuæ occupationi : alioqui enim obligarentur ad impossibile, et Deus deesset in necessariis, nec haberent ipsi suo statui proprium donum, quod tamen hic asserit Apostolus : « Unusquisque, » inquit, scilicet tam cælebs, tam virgo, quam conjugatus, « donum habet » castitatis, sibi et suo statui proprium.

Deus monachis, etiam apostatis, dat gratiam sufficientem ad castitatem servandam, si velint.

Sequitur *secundo*, si quis statum mutet in melius, Deum etiam mutare, et dare ei majus donum, et majorem propriamque illi statui gratiam. Hoc enim ad statum perfectiorem necessarium est. Ita definit Concilium Tridentinum, *sess.* XXIV, can. 9 : « Si quis dixerit, inquit, clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel regulares castitatem solemniter professos, qui non sentiunt se castitatis habere donum, posse contrahere matrimonium, anathema sit, cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id quod possumus tentari. »

Casus Tridentini de conditionibus certis et regularibus.

DONUM HABET EX DEO. — Nota, duplicia Dei esse dona. *Primo*, quædam tota sunt ex Deo. Sic dona naturæ, id est Dei, quatenus est auctor et opifex naturæ, sunt ingenium, judicium, memoria, bona indoles. Dona vero gratiæ sunt fides, spes, charitas omnesque virtutes infusæ a Deo, quatenus est auctor gratiæ.

Duplicia sunt Dei dona.

Secundo, alia dona sunt quidem a Deo, sed requirunt quoad suum effectum nostram cooperationem : sic gratiæ prævenientes et inspirationes bonæ sunt dona Dei ; sic opera bona et actus omnium virtutum sunt dona Dei, ait S. Augustinus, quia Deus gratiam dat, *primo* prævenientem, qua excitat ad hæc opera et hos actus ; *secundo*, cooperantem, qua cum homine eadem operatur et producit ; sed ita ut velit ea libere fieri ab homine, essequa in ejus potestate, ut ea faciat vel non faciat, ut gratia data utatur vel non utatur. Sic ergo opera bona sunt dona Dei ; sunt tamen homini libera, et in arbitrio hominis ac potestate. Tale donum castitatis, scilicet secundi generis, intelligit hic Apostolus. Donum ergo hoc castitatis proprie est habitus infusus, vel acquisitus castitatis in iis qui habient hunc habitum ; in iis vero qui nondum habent habitum, est sufficiens auxilium gratiæ, tum internæ, tum externæ, singulis præparatum a Deo, ut cum libera sua cooperatione castus in suo statu esse quisque possit, si velit illo auxilio uti. Quod patet, quia, ut dicitur vers. 25, 35, 38, cælibatus est consilium Dei et Christi, qui illum omnibus proponit et consulit : non consulit autem, nisi quod in cujusque est potestate ; in potestate autem cujusque non est cælibatus, nisi voluntas a gratia Dei adjuvetur ; ergo Christus cuique hanc gratiam ad cælibatum et virginitatem necessariam præparavit, et paratus est dare. Si cuique paratus est dare castitatem virginalem, ergo multo magis maritalem. Quisque ergo sui status proprium donum, id est proprium gratiam habet in actu primo, in Dei præparatione, et habebit eamdem in actu secundo, si velit serio et constanter Deum orare, ut gratiam sibi præparatam exhibeat, et si gratiæ exhibitæ strenue velit cooperari.

Omnia bona opera sunt dona Dei.

Omnia bona opera sunt donanti libera.

Castitatis uti conjugalis est potestate ; si Dei gratiam velit vacare, eique cooperari velit, quæ præbetur.

8. DICO NON NUPTIS ET VIDUIS : BONUM EST ILLIS SI SIC PERMANEANT (scilicet innuptæ uti sunt), SICUT ET EGO — innuptus permaneo. Hinc clarissimum est S. Paulum non habuisse uxorem, sed cælibem fuisse. Ita Patres citati vers. 7.

Vers. 8. Paulus cum aliis *Matres* est solet quæ ad uri, illos ad *Ezech.* 16.

9. SI NON SE CONTINENT, NUBANT : MELIUS (satius) EST ENIM NUBERE, QUAM URI. — Videtur Apostolus alludere ad verba Noemi, quibus nurus suas Moabitidas hortatur, ut in patriam suam Moab redeant, ibique nubant, dicens, *Ruth* cap. I, vers. 13 : לְהֵן תֵּעָגֹנָה לִבְלְתִּי הֱיוֹת לְאִישׁ *lahhen teagena liebelti heioth leisch*, id est *numquid adjuvenum absque marito?* Præstat enim juvenculas redire et nubere marito, quam mecum manere cælibes absque marito et uri ; licet S. Hieronymus verlat, *virtutis eritis antequam nubatis* : accipit enim adustionem pro senecta, quæ vi caloris consumpto humido radicali adusta et consumpta videtur. Nam quod Pagninus et alii vertunt, *Numquid eritis clausæ absque marito?* commentum videtur R. Kimchi, quem sequuntur ; qui fingit radicem תעגנה *teagena* esse דגה *aga*, eamque significare claudere ; cum nusquam alibi nec significatio hæc, nec radix hæc *aga* inveniatur. Radix ergo *teagena* non est *aga*, sed עגג *ug* usitata Hebræis, quæ significat urere, ustulare, adurere : unde עגות *uggot* vocantur panes subcineritii, qui sub prunis sunt cocti et ustulati.

Quo modo melius est nubere quam uri?

Jam « melius est nubere quam uri, » scilicet, nisi jam per votum nupseris Christo. Vide S. Ambrosium, *ad Virgin. lapsam*, cap. V. Voto enim castitatis obstrictis, eamque professis, æque ut maritis, satius est uri et fornicari, quam secundo nubere. Nuptiæ enim hæ permanens sacrilegium sunt, vel adulterium, quod pejus est fornicatione, vel sacrilegio transeunte : sicut satius est peccare quam esse in statu continuo peccati, et peccare ex obstinatione et contemptu. Verum optimum est nec nubere, nec uri, sed continere, inquit Ambrosius, quod possunt facere omnes castitatem professi, ut dixi vers. 7, licet gravissime tententur, uti fecit in sua tentatione tam molesta

In igne concupiscentiæ et libidinis ardere, magnum vitium.

Apostolus, II *Corinth.* XII, 9, aliique sancti plurimi, ac nominatim ille, cui fortissime gravi tentatione resistentibus fugarunt dæmones ab eo victi et confusi : « Vicisti, vicisti ; quia in igne fuisti, et non arsisti. »

Nota : *Uri* non significat calere, aut tentari libidinis ardoribus, sed iis lædi, vinci, cedere et consentire : nam uri dicitur ab igne, non qui ejus calorem sentit, sed qui ab eo læditur et aduritur. Sic de Didone, quæ superata et capta erat amore Æneæ, canit Virgilius, IV *Æneid.* :

> Uritur infelix Dido, totaque vagatur urbe furens.

Quam Paulus

Et *Ecclesiasticus*, cap. XXIII, vers. 22 : « Anima, inquit, calida, æstuans libidine, quasi ignis ardens non extinguetur, donec aliquid glutiat. » Apostolus enim dat causam, cur velit incontinentes et fragiles nubere, ne scilicet urantur, id est fornicentur : nam alios generosos pugiles vult continere, *q. d.* Qui se non continent, nubant : melius est enim nubere, quam non continere. Ita Theodoretus, Ambrosius, Anselmus, S. Thomas, Augustinus, *De sancta Virgin.*, cap. LXXIV ; Hieronymus, *Apolog. pro libris contra Jovin.* Melius, inquit Hieronymus, est nubere quam uri, id est melius est maritum ducere, quam fornicari. Et Ambrosius : « Uri, inquit, est desideriis agi, vel vinci ; cum enim voluntas calori carnis consentit, uritur : nam desideria pati, et non vinci, illustris viri est et perfecti. »

Dices : S. Cyprianus, epist. 11, lib. I *ad Pomponium*, ait de virginibus Christo dicatis : « Si perseverare nolint, aut non possint, melius est nubere, quam uri. »

Non debent virgines Christo se dicare, si nolint perseverare.

Respondet bene ex Turriano et Hosio Pamelius, non loqui Cyprianum de virginibus Christo jam dicatis, sed dicendis ; has monet, ne se Christo dicent et devoveant, si perseverare nolint : nam eadem epistola docet illas esse adulteras Christi, si post votum castitatis viris copulentur. Loquitur ergo de liberis et solutis, nec voto astrictis, æque ut Apostolus hic. Perperam ergo et impudenter Erasmus more suo ad citatum Cypriani locum in margine annotat hæc verba : Virginibus sacris permittit Cyprianus nubere.

Quomodo dicat S. Augustinus melius esse nubere, si fornicari, quam uri.

Dices *secunda*, S. Augustinus, lib. *De sancta Virgin.*, cap. XXXIV, ait, quod illæ quæ voto adstrictæ fornicantur, melius facerent si nuberent, quam urerentur, id est, flamma concupiscentiæ vastarentur.

Respondeo *primo*, obiter hoc dicit S. Augustinus hoc sensu, quod nimirum talibus melius, id est, minus malum sit nubere, quam fornicari : non ergo negat eas peccare nubendo, sed tantum asserit eas minus peccare nubendo, quam fornicando. Sic diceremus latroni : melius est hominem spoliare, quam occidere : melius, id est, minus malum est. *Secundo*, talibus etiam absolute melius est nubere, quam uri, si videlicet legitime has nuptias eneant, puta cum consensu Ecclesiæ et dispensatione Pontificis in voto continentiæ. *Tertio*, forte S. Augustinus fuit in hac sententia, quæ non videtur improbabilis, scilicet, quod etiam seclusa dispensatione talibus, voto licet astrictis, satius sit nubere, quam fornicari, videlicet assidue ; quia nimirum vivunt et degunt in statu fornicationis et concubinatu. Et ratio est, quia talis, si nubat, peccat quidem graviter contra votum, nubendo ; post nuptias tamen potest servare votum castitatis, ita ut non peccet, si videlicet non exigat, sed tantum reddat debitum, uti fere fit in mulieribus, de quibus loquitur S. Augustinus ; sin autem talis assidue fornicetur, tunc assidue iteratis actibus violat votum, ac consequenter gravius peccat quam si nuberet. Illi enim actus fornicationis assidue iterati, videntur longe gravius esse malum et graviora peccata, quam

Vota obstricta servanda sunt, non autem irrita.

nullus actus et contractus matrimonii contra votum continentiæ initus : licet enim hic unus actus virtute et implicite includat multos, puta petitionem et redditionem debiti conjugalis quoties conjugi lubebit, tamen hoc tantum fit remote et implicite ; qui autem assidue fornicatur, proxime et explicite peccat, et quotidie iterat hosce actus ; ergo gravius peccat : pejus enim est explicite et multis actibus peccare, quam uno tacito et implicito.

Ubi adverte, tempore S. Augustini illæ quæ voverant et professæ erant castitatem, licet peccarent nubendo, validum tamen contrahebant matrimonium : necdum enim illo tempore ab Ecclesia votum solemne constitutum erat impedimentum dirimens matrimonium, uti satis hic insinuat Augustinus. Denique, quod S. Augustinus censeat tales simpliciter et absolute debere servare votum suum et continere, patet ex sequentibus ; subdit enim : « Hæc quæ pœnitet professionis, et piget confessionis, nisi correctum cor dirigant, et Dei timore rursus libidinem vincant, in mortuis deputandæ sunt. »

Ad extremum, quod Apostolus hic loquatur iis qui liberi sunt, non autem iis qui voto astricti sunt, diserte docent Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Œcumenius hic, Epiphanius, *hæres.* 61 ; Ambrosius, *Ad Virgin. lapsam*, cap. V ; Augustinus, lib. I *De Adulter. conjug.*, cap. XV ; Hieronymus, lib. I *Contra Jovinian.* Exactissime vero S. Ephrem ante 1300 annos rogatus, ad quem pertinent hæc Apostoli sententia, « Melius est nubere quam uri ; » hæc de re tractatum scripsit, in quo multis demonstrat, eam non ad Religiosos aut clericos, eosque qui castitatem voverunt, sed ad seculares qui liberi et soluti sunt, pertinere.

10. IIS AUTEM QUI MATRIMONIO JUNCTI SUNT. — Transit Apostolus a quæstione de matrimonio ad quæstionem de divortio. Proposuerant enim Corinthii Paulo, ut patet ex ejus responsione hoc versu, secundam hanc de divortio quæstionem : nimirum, posito quod in matrimonio licitus, imo debitus sit usus illius, uti jam respondit Paulus, an saltem non liceat fideli conjugi matrimonium solvere, ac facere divortium. Rursum, an facto divortio, non possit alteri nubere, vel aliam ducere. Huic quæstioni respondet hic Apostolus dicens :

11. IIS QUI MATRIMONIO JUNCTI SUNT, PRÆCIPIO NON EGO, SED DOMINUS, UXOREM A VIRO NON DISCEDERE : QUOD SI DISCESSERIT, MANERE INNUPTAM, AUT VIRO SUO RECONCILIARI. — « Manere innuptam. » Hinc sequitur divortium, etiam justum et licitum, non solvere matrimonii vinculum, sed tantum tori consortium, ut si conjux sit adultera, non liceat viro innocenti aliud inire matrimonium. Eadem est ratio uxoris, si vir sit adulter.

Hæc nota contra hæreticos et Erasmum, Cajetanum et Catharinum, qui dicunt id e Scriptura non posse probari, sed tantum e Canonibus. Ve-

Adulterium tehorum solvere non eisentium, Patres et Concilia docent.

rum errant, ut patet ex hoc loco Pauli. Nam Apostolum hic de justo divortio (quod facit uxor cum est innocens et læsa a marito, v. g. quia adulter est) loqui, patet, quia permittit, ut separata maneat, aut ut reconcilietur viro : si enim de divortio injusto (v. g. cum uxor fugit a marito sine ulla mariti culpa) loqueretur, non separationem permittere, sed omnino reconciliationem imperare deberet.

Dices : Vox *reconciliari* notat offensam et injustitiam in uxore, quæ fecit divortium ; ergo intelligit divortium injustum.

Respondeo negando antecedens : nam *reconciliari* significat tantum in gratiam mutuam redire, et tam offendens dicitur reconciliari offenso, quam offensus offendenti, ut II *Machab.* I, 5 : « Ut Deus exaudiat orationes vestras, et reconcilietur vobis. » Ita hunc locum explicant Concilia et Patres, indeque docent fornicationem solvere matrimonium quoad torum et cohabitationem, non autem quoad vinculum, ita ut liceat aliam ducere. Sic explicant et docent Concilium Milevitanum, cap. XVII ; Elibertinum, cap. IX ; Florentinum, in *Instruct. Armen. de matrim.* ; Tridentinum, *sess.* XX, can. 7 ; Evaristus Papa, *epist.* 2 ; S. Augustinus, lib. II *De Adulteriuis conjug.*, cap. IV ; Hieronymus, epist. *ad Amandum* ; Theodoretus, Œcumenius, Haymo, Anselmus et alii hic.

Dices : Ambrosius hic ait Apostolum tantum nominare uxorem, quia huic nunquam licet alteri nubere post divortium ; viro autem licet, postquam adulteram uxorem dimiserit, aliam ducere, quia est caput mulieris.

Respondeo : Ex hisce et similibus patet hunc commentarium in Epistolas Pauli non esse S. Ambrosii, aut certe hæc ei inserta esse. Nam in matrimonio et divortio par esse jus tam uxoris, quam viri ; docet verus Ambrosius, lib. VIII *in Lucam*, et lib. I *De Abraham*, cap. IV. Apostolus ergo quod de uxore dicit, pari jure de viro intelligit : loquitur enim iis omnibus qui matrimonio juncti sunt, ut ipse ait ; et vers. 4 docuit par esse uxoris et viri in matrimonio jus, et parem mutui corporis potestatem.

ET VIR UXOREM NON DIMITTAT — sine gravi et justa causa. Nam ob fornicationem et aliis justis de causis licet dimittere.

12. NAM CÆTERIS EGO DICO, NON DOMINUS. SI QUIS FRATER UXOREM HABET INFIDELEM, ET HÆC CONSENTIT HABITARE CUM ILLO, NON DIMITTAT ILLAM. — « Cæteris, » scilicet conjugibus disparis cultus, « ego dico, si frater, » puta fidelis Christianus, habeat uxorem infidelem, etc. *q. d.* Vers. 10 et hactenus tacite locutus sum conjugibus utrimque fidelibus, uti satis innui vers. 3 dicens : « Ut vacetis orationi ; » hic autem iis loquor, quorum alter fidelis est, alter infidelis. Ita multi explicant cum S. Augustino mox citando.

Verum si ita est, valde mirum est cur hoc non clarius expresserit Apostolus, quod unico ver-

addito facere potuisset, dicendo : « Fidelibus autem qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus : cæteris vero (puta infidelibus, videlicet si fidelis ducat infidelem) ego dico, non Dominus. » Jam vero dicendo, non, « fidelibus ; » sed, « iis qui matrimonio juncti sunt, » videtur generatim et abstracte loqui de omnibus conjugatis, sive ii fideles sint, sive infideles ; nam quod vers. 5 ad fideles obiter se convertat, mirum non est. Excipit enim ibi a generali lege debiti conjugalis conjuges fideles, cum ex mutuo consensu vacant orationi. Hæc autem exceptio ad generales conjugii leges, quas hic omnibus conjugibus præscribit Apostolus, non est extendenda. Adde, hactenus Apostolus ne verbum quidem fecit de infideli, vel de dispari cultu.

Unde *secundo* et melius, « cæteris » scilicet, qui matrimonio juncti non sunt. Opponit enim hunc versum versui 10, ut patet ex voce *nam*, et ex voce *cæteris* : quod mox clarius patebit.

Fidelis infidelem conjugem pacificam non potest dimittere.

Ego dico, non Dominus. — « Ego dico, » id est ego præcipio, inquit Theodoretus. *Secundo* et melius, S. Augustinus, lib. I *De Adulterin. conjugiis*, cap. XIII et seq., Anselmus et S. Thomas, « ego dico, » id est, ego consulo id quod sequitur, scilicet, ut fidelis infidelem conjugem pacificam non dimittat.

Tertio et optime, Romana, Plantiniana aliaque correctissima Biblia sic distinguunt, ut post vocem *cæteris ego dico, non Dominus*, ponant punctum, sicque hæc verba a sequentibus disjungant, quasi referenda sint ad superiora : « cæteris » scilicet matrimonio non junctis et non nuptis, non Dominus præcipit (is enim *præcipit* subaudiendum reliquit ex antithesi versus præcedentis, ubi sic ait : « iis qui matrimonio juncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus ; cæteris autem, » id est non junctis matrimonio, « Dominus non præcipit »), sed ego dico et consulo id, quod paulo ante dixi et consului vers. 8, scilicet : « Bonum est si sic permaneant, » puta innupti. Ad præcedentia enim debere hæc referri, non ad sequentia, patet ex puncto interjecto, ut dixi, et quia *cæteris* opponit Apostolus præcedentibus, scilicet iis qui matrimonio juncti sunt : ergo cæteri sunt qui matrimonio non sunt juncti, id est innupti, non autem conjuges disparis cultus ; horum enim hactenus ne meminit quidem. Denique ita se explicat vers. 25, cum ait : « De virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do ; » quod idem est cum eo quod hic ait : « Cæteris ego dico, non Dominus. »

Virginis non est præceptum, sed consilium.

Tertia quæstio Corinthiorum, an fidelis possit conjugari et cohabitare infideli?

Si QUIS FRATER UXOREM HABET INFIDELEM. — Tertia est hæc quæstio a Corinthiis Paulo proposita, an conjux fidelis possit cohabitare conjugi infideli. S. Augustinus et alii, ut dixi, necnunt hæc præcedentibus : « Cæteris ego dico, non Dominus, » *q. d.* Quamvis Christus fideli permiserit dimittere uxorem infidelem, tamen ego dico et consulo ut eam non dimittat ; quia eam dimitti non expedit saluti prolium et conjugis infidelis, si illa consentit, scilicet sine contumelia Creatoris et fidei, fideli cohabitare. Hinc multi Doctores, quos citat Henriquez, lib. XI *De Matrim.*, cap. VIII, colligunt indirecte per antithesin : ergo cum Paulus velet quod Christus permittit, poterit ex Christi permissione fidelis conjux conjugem infidelem nolentem converti dimittere, et alias inire nuptias. Sicut e contrario eum uterque fidelis est, neutrum licet, uti præcessit. Sed si disjungamus hæc, uti Romana, aliaque passim per punctum interjectum disjungunt, nihil tale hinc probari potest. Imo Thomas Sanchez, tom. II *De Matrim.*, disp. LXXIII, num. 7, qui legit sine puncto, ut S. Augustinus, ad sequentia hæc referendo, tantum vult hinc præcise evinci, Christum fideli conjugi permittere tori divortium, non autem matrimonii cum infideli initi dissolutionem. Posset *tertio*, aliquis sic explicare : « Ego dico, non Christus ; » quia Christus hac de re nihil statuit, sed permisit statuendum Apostolis et Ecclesiæ, pro varietate temporum, uti postea Ecclesia irritavit matrimonium fidelis cum infideli, si fidelis existens ducat infidelem ; ergo secundum lectionem S. Augustini hæc sententia ex hoc loco obscure et dubie elicitur : secundum vero lectionem Romanam et veriorem, nullo modo hinc elici potest. Tantum enim vult Apostolus ut fidelis infidelem non dimittat, si consentit infidelis habitare cum fideli. De quo plura vers. 13.

Nota : Infidelitas tempore S. Pauli nec erat impedimentum dirimens matrimonium cum fideli contractum, nec impediens contrahendum aut contractum, si fideli non erat periculum perversionis, sed infidelis consentiret cum fideli manente fideli pacifice habitare, ut hic docet Apostolus. Jam autem consuetudine inductum est in Ecclesia, ut non hæresis, sed infidelitas, non tantum impediat, sed et dirimat matrimonium, quod fidelis existens fidelis contrahere vellet cum infideli.

Infidelitas (una olim) impedit et dirimit matrimonium.

14. SANCTIFICATUS EST ENIM VIR INFIDELIS PER MULIEREM FIDELEM, — *q. d.* Matrimonium et conjunctio ista sancta est : unde non profanatur, nec polluitur fidelis per contactum infidelis, uti vos scrupulose timetis ; sed potius infidelis morali quadam denominatione et quasi sanctitatis aspergine, ait Anselmus, inde sanctificatur : tum quia maritus est sanctæ, id est fidelis conjugis ; tum quia eam in fide sua non impediendo, et benevole cum ea vivendo, quasi viam sternit sibi, ut per preces, merita, verba et exempla fidelis conjugis convertatur et ipse, fiatque sanctus : sicut S. Cæcilia maritum suum Valerianum convertit, Theodora Sisinnium, Clotildis Clodovæum. Ita Anselmus, Theophylactus, Chrysostomus.

Vers. 14. Quomodo vir infidelis per uxorem sanctificetur?

Cæcilia maritum suum convertit, et ipsa.

Illustris fuit S. Natalia, uxor S. Adriani martyris, quæ maritum non tantum ad fidem, sed et ad gloriosum pro ea martyrium obeundum provexit. Cum enim audisset vetitum esse feminis ne *sæ*

virent Martyribus, neve ad eos in carcerem aditus illis aperiretur, totondit capillos suos, et veste virili induta carcerem ingressa Martyres suis officiis recreavit. Quam post secutæ sunt aliæ matronæ habitu similiter mentito. Ac tandem cum Maximianus tyrannus id comperisset, jussit incudem in carcerem inferri, et Martyrum pedibus subjici, vectoque ferreo manus ac tibias illorum confringi. Fecerunt lictores quod jussi fuerant. Id ut vidit B. Natalia, occurrit eis, rogavitque ut ab Adriano inciperent. Obtemperarunt carnifices, et cum imposuissent Adriani tibiam super incudem, B. Natalia pedem ejus apprehendens extendit super incudem. Carnifices vero multa vi cædentes, amputarunt pedes ejus, et crura confregerunt. Porro B. Natalia ait ad Adrianum : « Precor te, mi domine, serve Christi, dum adhuc in te hæret spiritus, extende etiam manum, ut amputent eam, ut sanctis Martyribus similis efficiaris per omnia : majora enim supplicia illi perpessi sunt, quam tu. » Extendit ergo manum beatissimus Adrianus et porrexit eam Nataliæ, illa imposuit illam incudi, et carnifices similiter eam amputarunt. Deinde amovent ab illo incudem, et mox spiritum reddidit. Ita habet *Vita* ejus, 8 septembris.

Memorabile est quod scribit Gennadius, Patriarcha Constantinopolitanus, in expositione Concilii Florentini, sess. V, de Theophilo, Imperatore non pagano, sed hæretico, Michaelis Balbi filio, precibus Augustæ uxoris ejus salvato. Cum enim ipse sacras imagines oppugnasset, os ejus admodum diductum est, ut viscera ejus conspicerentur : ad mentem ergo rediit, et sacram imaginem osculatus est. Paulo post inde ad Dei tribunal raptus est, pro quo cum assidue preces a sanctis viris et a regina effunderentur, ei venia data est. Nam Theophilum in somnis regina conspexit vinctum tractumque ab innumerabili præcedentium et subsequentium multitudine. Ante illum ferebantur diversa instrumentorum genera ad torquendum accommodata, ipsaque videbatur eos sequi qui ad pœnam adducebantur, quousque ad conspectum terribilis judicis pervenerunt. Theophilumque ante ipsum statuerunt. Provoluta igitur ad judicis illius tremendi pedes enixe multis lacrymis Augusta pro viro suo deprecabatur. Ad quam terribilis judex dixit : « Mulier, magna est fides tua, propter te sacerdotumque tuorum preces conjugi tuo do veniam. » Tunc ministris suis dixit : « Solvite eum uxorique ejus tradite. » Similiter et Patriarcha, Methodius scilicet, omnium hæreticorum, Theophilique ipsius adnotatis scripsisque nominibus, hæc eadem sub sacra mensa collocavit, eademque nocte qua regina visionem adspexit, vidit et ipse divinum angelum magnum emplum ingredientem, qui dixit : « Episcopo, exauditæ sunt preces tuæ, et veniam Theophilus impetravit. » Somno ergo experrectus ad sacram mensam venit, ibique cum legeret paulo ante conscriptum libellum, invenit (o Dei judicia !) Theophili nomen abolitum. Ita Gennadius supra citatus, et Baronius, tom. IX *Annal.*, ad annum Christi 842.

ALIOQUI FILII VESTRI IMMUNDI ESSENT (*q. d.* Si ab infideli conjuge faceretis divortium, filii vestri haberentur quasi nati ex illicito toro, adulterini, illegitimi), NUNC AUTEM SANCTI SUNT, — id est *mundi*. Ut enim *sancti* opponitur immundis : mundi autem, id est ex honesto et legitimo matrimonio concepti et nati. Ita Ambrosius, Anselmus, Augustinus, lib. II *De Pecat. meritis*, cap. XXVI.

Secundo, proprie *immundi* essent, quia a parente infideli, in odium conjugis fidelis facientis divortium, pellicientur et educabuntur in infidelitate, præsertim si infidelis sit pater ; quia in repudio plerumque proles sequuntur patrem. Nunc autem manente fideli cum infideli in conjugio, « sancti sunt, » quia connivente infideli, facile fidelis parentis fide, diligentia ac cura sanctificari, baptizari et christiane educari possunt. Ita S. Augustinus, lib. III *De Pecat. meritis*, cap. XII, et ex Tertulliano Hieronymus, epist. 133 *ad Paulinum*.

Illinc Calvinus et Beza suum dogma de traduce justitiæ hauserunt, docentique fidelium filios proprie esse sanctos, et sine baptismo salvari : quia hoc ipso quo fidelium sunt filii, censentur esse in Ecclesia nati, juxta fœdus divinum : « Ero Deus tuus et seminis tui, » *Genes.* XVII, 7. Quemadmodum jure civili censentur liberi, qui ex altero parente libero nascuntur.

Sed errant : quia pariter ait Apostolus sanctificari virum infidelem per conjugem fidelem : talis autem vir per conjugem suam præcise et proprie non sanctificatur, ut patet ; ergo nec filius. *Secundo*, Ecclesia non est civilis respublica, sed supernaturalis, et in ea nemo nascitur Christianus, sed baptismo, uti et olim circumcisione, *Genes.* XVII, spiritaliter renascitur quisque et fit sanctus, non civiliter, sed realiter per fidem, spem et charitatem animæ infusam. Ita Patres et tota Ecclesia. *Tertio*, quia *Joan.* III, 5, absolute dicitur : « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. » Ergo falsum est, quod aliquis non renatus ex aqua, scilicet, qui natus est ex parentibus fidelibus, possit introire in regnum Dei.

15. QUOD SI INFIDELIS DISCEDIT, DISCEDAT. — Si nimirum infidelis dissolutionem quærit, vel non vult cohabitare sine Creatoris injuria, quia scilicet, vult conjugem pertrahere ad infidelitatem, aut aliud crimen, vel blasphemias jactat in Deum, fidem, aut Christum, ait ex communi Doctorum sententia, Thomas Sanchez, tomo citato, disp. LXXIV : hoc enim ipso moraliter cessatur velle discedere et quærere separationem, tunc discedat et fidelis a tali conjuge infideli, quia melius est, inquit Chrysostomus, divortium nuptiarum facere, quam pietatis.

Nota, Apostolum permittere hoc casu non tantum tori divortium, et vult Dominicus Soto in IV, disp. XXXIX, art. 4, sed etiam matrimonii, ita ut possit conjux fidelis aliud matrimonium inire: hoc enim in gratiam fidei concessit Christus. Alioquin enim servituti subjectus esset frater aut soror, id est Christianus aut Christiana : magna enim servitus est teneri matrimonio et obstrictum esse infideli, ita ut alteri nubere non possis; sed etiamsi discedat infidelis, continere debeas si vivere cælebs. Ita S. Augustinus, lib. I *De Adulter. conjug.*, cap. XIII, S. Thomas et Ambrosius, qui ait : « Non debetur ei reverentia conjugii, qui horret Auctorem conjugii, sed potest alteri se jungere. » Et patet cap. *Quante*, et cap. *Gaudemus*, tit. *de divort.*, et cap. *Si infidelis*, 28, *Quæst.* II.

Imo multi Doctores, quos citat Henriquez, lib. XI *De Matrim.*, cap. VIII, post initium, inter quos est S. Augustinus, lib. I *De Adulter. conjug.*, cap. XIX et seq., ex hoc versu et vers. 12 colligunt fidelem, cujus conjux infidelis non vult converti, licet sine contumelia Creatoris velit fideli cohabitare, hoc ipso habere jus aliud matrimonium ineundi.

Sed S. Paulus et citata Jura canonica tantum exprimunt casum, quo infidelis vult discedere, vel est in fidem blasphemus. Unde alii Doctores, quos citat Henriquez, putant hoc tantum casu licere fideli nubere alteri, idque sane verius est, quia, ut dixi, hoc tantum vult S. Paulus et canones citati. Et quia priores Doctores contrariæ sententiæ tantum obtuntur glossis in capitula quæ paulo ante citavi, quæ glossæ subinde Aurelianenses sunt, et textui deformes ac reformandæ.

Adde, Glossam per se non posse condere jus nut legem novam : cum ergo constet fuisse verum matrimonium, quod conjuges infideles contraxerunt, nec constet per conversionem alterius conjugis illud solvi, eo quod nec jus divinum, nec Ecclesiasticum extet, quod illud solvat; sequitur in matrimonio jam contracto, quod natura sua est insolubile, illis esse persistendum. Confirmatur, quia uterque conjux est in possessione bonæ fidei; ergo ea depelli nequit, nisi constet, ad matrimonium hoc, alterutrum vel utrumque nullum jus habere, aut hoc jure excidisse per conversionem alterius : hoc autem non constat, sed ut summum dubium est; in dubio autem melior est conditio possidentis, nec possessor ob dubium superveniens possessione justa depelli potest.

Addit tamen Sanchez, disp. LXXIV, num. 9, licere fideli converso alteri nubere, quia Ecclesia jam illi velat, ne maneat cum infideli, qui non vult converti, ob periculum perversionis, quod fere semper est : tunc enim censeri infidelem discedere, quia non vult licito et debito modo fideli cohabitare. Hoc autem, scilicet, ne maneat fidelis cum infideli, vult Sanchez, Ecclesiam jam passim vetare. Sed id negant Navarrus et alii : quia licet Concilium Toletanum IV, can. 61, vetet conjugi fideli manere cum infideli, si infidelis sit et manere velit Judæus, quia Judæi pervicacissimi sunt, et in sua secta perversissimi; non tamen id vetat si infidelis conjux sit Paganus : nec alia exstat lex id vetans.

Adde Concilium Toletanum fuisse particulare, et illum canonem varie a variis explicari, ut refert Sanchez, disp. LXXIII, num. 6. Et sane nimis durum esset et scandalosum, si in India, Japonia, China, ubi jam primum inducitur fides, sub regibus infidelibus cogerentur Christiani dimittere uxores, quas in infidelitate duxerunt : aut si uxores cogerentur deserere maritos, præsertim nobiles et principes, nolentes ad fidem Christi converti, qui inde caperent occasionem eliminandi Christianos et Christianam fidem. Secus est in Hispania et inter Christianos, ubi Ecclesia hoc statuere posset sine scandalo, idque vel lege generali, qualis tamen nulla exstat scripta, ut dixi, vel ex usu et consuetudine, vetando singulis in particulari, ne maneant cum infideli conjuge, ob periculum perversionis : cui præcepto parere debebit fidelis, et consequenter non ipse erit in culpa, sed infidelis (qui secundum legem conjugis fidelis et Ecclesiæ præceptum cum eo habitare non vult), cur fiat divortium, censebiturque hoc ipso infidelis velle discedere, ac consequenter fideli fas erit, ad aliud matrimonium transire, ut docte dixit Sanchez. Ita Cæsara regina, uxor Persarum regis, tempore Mauritii Imperatoris, Constantinopolim secreto fugiens, ibique conversa et baptizata, cum maritus eam repeteret, ad eum redire noluit, nisi ipse Christianus fieret; quare ipse Constantinopolim veniens, ibique baptizatus, et ab Augusto de fonte levatus, accepta conjuge lætus ad suos rediit. Id configit sub annum Domini 893, uti ex Paulo Diacono et Gregorio Turonensi refert Baronius. Hæc omnia quæ dixi, intellige de matrimonio quod uterque conjux in infidelitate contraxit, si alter postea ad fidem convertatur, alter vero nolit converti. Nam matrimonium quo fidelis nubit infideli, non a Paulo, sed ab Ecclesia postea irritatum est : unde cultus disparitas est impedimentum dirimens matrimonium. Quare Theresia, soror Adelfonsi regis Legionis, Abdullæ regi Arabum nubere noluit, nisi ipse Christianus fieret; promisit ille, sed ficte. Ergo Theresiæ advenienti et reluctanti vim intulit; sed morbo a Deo percussus sanari non potuit, nisi Theresiam ad fratrem remitteret: ita refert Rodericus, Vazæus et Baronius anno Christi 983.

Et S. Eurosia, Bohemiæ regis filia, capta a Maurorum principe, mori maluit quam ei nubere, cumque ferientis gladium patienter exspectaret, audita est hæc angelica vox : « Veni, electa mea, sponsa Christi, accipe coronam quam tibi Dominus præparavit; et donum, ut, quotiescumque pro pluvia, vel contra quamcumque tempestatem fueris a Christi fidelibus invocata, erit eorum oratio exaudita. » Cum hoc audisset, brachiis detruncatis et pedibus, expiravit miraculis celebris, ut refert Lucius Marinæus Siculus, lib. V *De Rebus Hispan.*

IN PACE AUTEM VOCAVIT NOS DEUS. — « In pace, » id est, ut Syrus, *ad pacem* (is de more ponitur pro *ut*), scilicet conscientiæ cum Deo, et concordiæ cum hominibus, *q. d.* Ergo ex parte nostra a maritis infidelibus non discedamus, sed quam possumus pacifice maneamus. *Secundo* et aptius, per *pacem* hic accipias quietem vitamque quietam, quam conjugi fideli suadet Apostolus, ut eam in divortio et solitudine præferat conjugio et conjugi infideli, qui vult discedere, dum suis jurgiis et litigiis fidelem incessit, pacemque illius perturbat : sic enim melius cum discessione, de qua proxime præcessit, hæc cohærent, de quo mox plura.

16. UNDE SCIS, MULIER, SI VIRUM SALVUM FACIES? Sequendo priorem jam dictam pacis significationem, sensus erit, *q. d.* In pace mane et vive, quoad potes, o fidelis, cum conjuge infideli, quia nescis bonum, quod inde consequi potest : forte manendo cum conjuge infideli, cum convertes et salvum facies. Ita Chrysostomus, Ambrosius, Anselmus, Theophylactus et alii.

Nota hebraismum *si*, id est forte : simile est *Joelis* II, 14 et alibi. Dat enim causam, cur in pace vocarit nos Deus, velitque pacifice conjugem fidelem cum infideli manere et vivere, ut scilicet per pacem hanc fidelis infidelem convertat.

Secundo et planius (sequendo posteriorem jam dictam pacis acceptionem) aptior hic sensus erit : « In pace vocavit nos Deus. Unde enim scis, mulier, si virum salvum facies? » *q. d.* Donum Christi est pax; ad hanc, non autem ad servitutem inquietam et rixosam, vocati sumus a Christo. Si ergo infidelis rixis, probris, minis in fidem et fidelem conjugem discessionem quærit, discede, o conjux fidelis, ab eo, ut pacifice vivas, neque prætendas spem conversionis ejus. Unde enim id speres in homine pagano, blasphemo, rixoso? ac consequenter, unde scis, vel unde speras, quod eum salvum facies?

17. NISI UNICUIQUE SICUT DIVISIT DOMINUS, UNUMQUEQUE SICUT VOCAVIT DEUS, ITA AMBULET. — Hæc clara syntaxi ita construe : Ita ambulet quisque, sicut unicuique divisit Dominus, et sicut unumquemque vocavit Deus.

Nota : Τὸ *nisi* hic, ut vertit Syrus, idem est quod אֶלָּא *ella*, id est *sed, verumtamen*, vel, hoc tamen salvo : vide *Can.* 23, *q.* 4. Hæc dixi de conjugio fidelis cum infideli, deque discessione et divortio, si infidelis illud quærat, deque pace et pacifica vita; ita tamen, ut nolim divortium queri, aut pacem turbari, per cupidinem et desiderium imitandi statum, quod videlicet fidelis, quia fidelis et in Christianam libertatem assertus, cupiat et prætendat mutare statum et conditionem suam servilem in liberam, Gentilem in Judaicam. Sancio ergo ut quisque fidelis statum et conditionem, quam dedit Dominus, quamque habuit antequam esset fidelis, retineat, sive Judæus sit, sive Gentilis : sive servus sit, sive liber; quisque in sua sorte ambulet, ea contentus christiane vivat, nec ob Christianismum statum mutet inquiete, et cum scandalo Gentilium. Græce pro *nisi*, est εἰ μή, quod recentiores vertunt, *an non*, et ad præcedentem sententiam referunt, *q. d.* Unde scis si mulierem salvam facies, an non? Sed Græcum εἰ μὴ significat etiam *nisi alioqui*. Ita Noster, Erasmus et alii, qui id ipsum jungunt sequentibus.

Videtur hæc quarta fuisse quæstio, quam Corinthii proposuerunt Paulo : An scilicet Christiani, si ante conversionem fuissent servi, per Christianismum fierent liberi, adeoque, an omnes servi et mancipia, si converterentur ad Christum, hoc ipso assererentur in libertatem? hoc enim suadere et exigere videtur Christiana libertas, in quam a Christo redempti et asserti sumus. Rursum, an Gentiles, facti vel futuri Christiani, deberent circumcidi fierique Judæi? quia enim Apostoli et primi Christiani fuerunt Judæi, et ex Judæis cœpit Christianismus : hinc putabant nonnulli neminem posse esse Christianum, nisi prius Judaismo initiaretur. Utrique quæstioni respondet hic Paulus negative.

18. CIRCUMCISUS ALIQUIS VOCATUS EST? NON ADDUCAT PREPUTIUM. — Græce μὴ ἐπισπάσθω, id est *non attrahat*, scilicet ferro, præputium. Ita Theophylactus et Photius.

Nota circumcisis præputium potuisse reduci, cute per instrumentum attractorium, quod spatisterem vocant, adducta, ut glandem rursus operiret, ut docet Celsus, lib. VII, cap. XXV. Idque eos, qui a Judæis apostatabant ad Gentes, facere solitos esse, patet I *Machab.* I, 18; et ex Josepho, lib. XII *Antiq.*, cap. VI; et ex Epiphanio, lib. *De Fonder. et Mensur.*; ubi hujus reductionis auctorem ponit Esau, ideoque dictum esse : « Esau odio habui. » Indeque docet Judæos, cum ad Samaritas transirent, vel contra, secundo circumcidi solitos, et sic secundo se circumcidisse Symmachum, qui æque ac Aquila et Theodotion celebris fuit sacræ Scripturæ interpres; sicuti Anabaptistæ suos transfugas secundo baptizant.

Inde putavit interpres apud Martialem, explicans illud epigrammatis I, *in Cæsiam* :

Nec recutitorum fugis inguina Judæorum,

recutitos esse Judæos, ita dictos : Quoniam, inquit, Judæis pueris cutis inguinis rescindebatur, postea cum cutis succresceret, dicebantur *recutiti*. Et Persius, *saipyay*, « Recutita sabbata » vocat Judaica festa. Ubi interpres : Judæos, inquit, vocat recutitos, quibus nova cutis restituta est. Aliis tamen locis tam ipse, quam alii appellant recutitos, id est circumcisos, quasi recisos cute, ut recutitus sit idem, quod *apella*, id est, sine pelle, de quo Poeta :

—— Credat Judæus apella,
Non ego.

Idque verius est : nam non est verisimile, naturaliter per se recrevisse eutem circumcisione præcisam, maxime in viris; et quia alioqui non arte, sed natura factum esset : cum tamen Celsus et Epiphanius arti id tribuant, eamque describant.

Aliter hunc locum explicat S. Hieronymus, in cap. LIII *Isaiæ* : « Circumcisus, inquit, aliquis vocatus est, non adducat præputium, id est, ut aliis verbis subdit Apostolus : Absque uxore vocatus es, non ducas uxorem. » Sed hic sensus mysticus et symbolicus est, non litteralis et genuinus.

19. CIRCUMCISIO NIHIL EST.—*q. d.* Circumcisio nec prodest, nec obest ad salutem homini Christiano; agitenim de Judæis ad Christianismum conversis, ut patet ex præced. Vide Cajetanum, Ambrosium, Anselmum.

20. UNUSQUISQUE IN QUA VOCATIONE VOCATUS EST, IN EA PERMANEAT. — Ut si circumcisus, servus, conjugatus venerit ad Christianismum, propter eum, statum non mutet, sed maneat circumcisus, servus, conjugatus, *q. d.* Statum tuum retine, quisquis ille sit, scilicet si status sit licitus et honestus; nam alias S. Cyprianus noluit histriones ad Ecclesiæ Sacramenta admitti.

Præclare S. Ephrem, *Adhortatione* 4, tom. II : « In quo, ait, vocatus es opere, firma anchoras ne fumes (ut ibi quasi in portu a procellis tutus consistas) ne in pelagus tua navis impellatur. »

21. SERVUS VOCATUS ES? NON SIT TIBI CURÆ,—ne de eo sis anxie sollicitus, quod servus sis, quasi servitus sit conditio christianis hominibus indigna : sed de eo potius te consolare, quod a misera servitute peccati ac mortis sis per Christum manumissus, Deique servus effectus, licet in hac vita homini servias, quamdiu Deo visum fuerit : patet ex vers. seq. Vide hac de re apophthegmata quæ citavi *Exod.* I, 12.

Aurea est gnome S. Augustini in *Sententiis*, num. 53 : « Justis, ait, quidquid malorum aliquis dominus irrogat, non pœna est criminis, sed examen virtutis. Nam etiam bonus si serviat, liber est : malus autem etsi regnet, servus est, nec unius hominis, sed, quod gravius est, tot dominorum, quot vitiorum. » Et num. 124 : « Libera semper est servitus apud Deum, cui non necessitas servit, sed charitas. »

SED ET SI POTES FIERI LIBER, MAGIS UTERE, — scilicet ipsa servitute, ad Domini gloriam, humilitatis causa. Unde Theodoretus sic exponit : Gratia, inquit, non novit differentiam servitutis et dominii. Ne fugias ergo servitutem tanquam fide indignam. Quod si fieri possit ut libertatem assequaris, perge servire, et exspecta remunerationem. Sic quoque explicant S. Chrysostomus, Theophylactus et D. Thomas. Huic expositioni apte cohæret id quod sequitur : « Qui enim in Domino vocatus est servus, libertus est Domini. »

Secundo, aptius et planius : « Si potes fieri li-, » si potes a servitute liberari, « magis utere, » scilicet potestate et commoditate, ac servitutem exeute, *q. d.* Si potes fieri liber, libertatem amplectere, eaque fruere : hoc enim plane significat τὸ *magis utere*; hocque præ alio suadendum, æque ac optandum est. Quis enim non malit fieri liber, quam manere servus? præsertim si infideli serviat, ita ut libere Christo servire non possit; hoc etiam mox clare suadet Paulus dicens : « Pretio empti estis; nolite fieri servi hominum. »

Libertas amplectenda et præstanda si non, cooperetur ad gloriam Christi.

Nota : Servos hic intelligit Apostolus, non mercenarios, quales jam sunt apud Christianos, sed mancipia, qualia habebant Gentiles, etiam conversi ad Christum, et etiamnum ex Turcis et Mauris habent Christiani. Opponit enim servos liberis.

S. Hieronymus, in *Apolog. pro libris ad Jovinian.*, ex Origene, initio lib. I *in Epistol. ad Roman.*, aliter hæc explicat, nimirum de servitute matrimonii, *q. d.* Si tanquam servus alligatus es matrimonio, « non sit tibi curæ, » id est non te exercucia, quasi in matrimonio pie vivere et salutem assequi nequeas. « Sed et si potes fieri liber, magis utere, » *q. d.* Si tamen potes persuadere uxori, ut separatim cælibes vivatis, magis hoc amplectere. Verum prior sensus planior est et germanior.

22. QUI ENIM IN DOMINO VOCATUS EST SERVUS. —Hæc verba non ad proxime præcedentia : « Sed et si potes fieri liber, magis utere; » sed ad præcedentia more Hebræo referenda sunt, scilicet ad illa : « Servus vocatus es? non sit tibi curæ; » hoc enim præcipue intendit hic Apostolus, scilicet, ut servos doceat sua servili conditione esse contentos eamque patienter ferre, donec Dei providentia aliud statuat eosque servitute liberet. Jam « in Domino, » id est a Domino, et ad fidem gratiamque Domini Jesu. Vide *Can.* 25.

LIBERTUS EST DOMINI. — A Domino, scilicet Christo, est manumissus, et in libertatem Christianam assertus, *q. d.* Servi heriles, si fiant Christiani, non ambiant fieri liberi a servitute herili, sed glorientur quod a servitute peccati asserti sint in libertatem gratiæ et adoptionis filiorum Dei. Vide Chrysostomum hic, et in morali *hom.* 19, quam servitus libertati Christianæ non obsit.

23. PRETIO EMPTI ESTIS (puta sanguine Christi, qui antonomastice dicitur *pretium*, utpote ingens et immensum. Ita Ambrosius, *q. d.* Christus vos pretio maximo e servitute peccati emit et redemit, fecitque sibi liberos; ergo) NOLITE FIERI SERVI HOMINUM, — ne vos in servos vendatis, aut servituti mancipetis, si possitis libertate gaudere : hæc enim civilis libertas decet Christi libertum, ut eo melius toti Christo serviatis, quo minus ulli hero, Ethnico præsertim, servitis.

Vers. 22. Sanguis Christi antonomastice dicitur *pretium*.

Hinc postea Constantinus Magnus, sub annum Christi 330, in honorem Christi et favorem Christianæ religionis sanxit, ne ullo modo Judæus Christianum servum haberet, aut possideret : Judæum autem qui secus faceret, jussit capite plecti, et servum talem libertate donari, ut patet lege unica lib. I *Codicis*, titul. *ne Christianum mancipium hæreticus, vel Judæus, vel Paganus habeat* : neque enim fas esse censebat Christi redemptoris occisoribus, Christianos Christi morte redemptos, servitutis jugo subjici. Quam legem tres Constantini filii deinde confirmarunt, teste Sozomeno, lib. III, cap. XVII. Sic S. Gregorius sanxit ut servus Judæi, volens converti ad Christianismum, hoc ipso fieret liber, ut patet lib. III, *epist.* 9. Similia habet Concilium Toletanum IV, cap. LXIV.

Constantinus Magnus servit ne Judæus Christianum servum haberet.

Hæc intellige de Judæis et Paganis, qui jurisdictionis alicujus principis Christiani subjecti sunt : talium enim servi Christiani hoc ipso fiunt liberi, ab proinde possunt dominum deserere; imo si sint infideles, possunt fugere ad Ecclesiam, ut fiant Christiani et consequenter liberi. De his enim leges loquuntur : « In illis vero infidelibus, qui temporaliter Ecclesiæ vel ejus membris non subjacent, prædictum jus Ecclesia non statuit, licet posset instituere de jure. Habet enim auctoritatem Dei, et infidelis merito suæ infidelitatis merentur potestatem amittere super fideles, qui transferuntur in filios Dei. Verum hoc non facit Ecclesia, ad scandalum vitandum, » inquit S. Thomas, II II, *Quæst.* X, art. 10.

Secundo, alii non male sic quoque explicant : « Nolite fieri servi hominum, » ita videlicet, ut hominibus serviendo Dei obsequium negligatis. Illi enim fiunt servi hominum, qui homines præcipue respiciunt, eisque adulantur etiam cum male agunt, atque eis per omnia obediunt et serviunt, etiamsi peccata præcipiant. Ita S. Chrysostomus et Hieronymus in cap. VI *ad Ephes.* Sic enim Apostolus *ad Ephesios* VI, præcipit servis, ut serviant heris, non sicut hominibus, sed sicut Domino, et propter Dominum (1).

Vers. 24. 24. UNUSQUISQUE IN QUO VOCATUS EST, FRATRES, IN HOC PERMANEAT APUD DEUM, — *q. d.* Verumtamen quisque in suo statu, sive herili, sive servili, in quo vocatus est, et venit ad Christianismum, permaneat.

Nota τὸ *apud Deum*, cui scilicet servit et adhæret in Christianismo et Ecclesia, *q. d.* In eodem statu, in quo vocatus et conversus est, quisque permaneat in Christianismo et Dei obsequio, ne Gentes causentur per Christianismum servos fieri inquietos, et ambire libertatem.

Vers. 25. 25. DE VIRGINIBUS (ut scilicet maneant virgines, et serviant Deo in virginitate) PRÆCEPTUM DOMINI NON HABEO : CONSILIUM AUTEM DO, — ut id faciant. Vide *Can.* 38. Est hæc quæstio quinta Corinthiorum, an virgines in Christianismo debeant manere virgines? Respondet Paulus lege Christi nullis præcipi virginitatem, sed eamdem omnibus consuli.

Quinta quæstio Corinthiorum. An virgines debeant manere virgines?

(1) Vel : Nolite in vos ultro arcessere servitutem non necessariam, quam vobis imponere volunt pro suo lubitu, v. g. doctores nonnulli, qui omnibus ad Christianam religionem accessuris circumcisionem præcipiunt : ita Alliotii.

Ex hoc loco probatur communis illa Patrum sententia, qua asserunt cælibatum esse in potestate nostra, si illum a Deo petamus, et ad eum conemur heroica fortitudine, cooperemurque Dei gratiæ per debita media, ita ut quilibet sine conjuge cælebs vivere possit, si velit, quantumvis a natura vel habitu in libidinem proclivis sit. Ita docet Tertullianus, lib. *De Monogamia*, prope finem; Chrysostomus, Origenes et Hieronymus in cap. XIX *Matth.*; Nazianzenus, orat. 13; Ambrosius, lib. *De Viduis*; Augustinus in *Psal.* CXXXVII : « Qui hortatur, inquit Augustinus, ut voveas, ipse adjuvat ut reddas. » Et lib. VI *Conf.*, cap. XI : « Utique daress continentiam, si genuit interno pulsarem aures tuas. » Idem satis insinuat Paulus hoc versu et vers. 7, ubi omnibus communiter consulit virginitatem : non consulitur autem, ubi nec præcipitur, nisi id quod est in nostra potestate, id est, nisi id quod possumus facere cum gratia Dei, quam scilicet Deus nobis præparavit et offert, si eam imploremus eique cooperari velimus.

Idem docet Christus, *Matth.* XIX, ubi Apostolis dicentibus, ob onera et difficultates matrimonii non expedire nubere, Christus, illud approbans, subjungit *primo* : « Non omnes capiunt verbum istud; » Græce τὸ χωροῦσιν, quod Origenes et Nazianzenus, orat. 31 *De Tribus eunuchorum generibus*, vertunt, « non omnes sunt capaces; » per capacitatem intelligentes propensionem naturalem ad castitatem, quam non omnes habent. Verum melius alii passim, τὸ τὸ χωροῦσιν vertunt, tanquam vasa non suscipiunt in se, non approbant, non comprehendunt, non amplectuntur castitatem, utpote difficilem.

Hinc *secundo*, subdit Christus : « Sunt eunuchi qui se castraverunt, » sua scilicet libera voluntate se castos effecerunt, idque perpetuo voto firmarunt. Hoc enim significat vox *eunuchi*, scilicet impotentiam moralem : idem significat vox *castraverunt*. Alioqui enim potius dixisset Christus : Sunt qui se castrant, aut castrare nituntur. Ita S. Hieronymus, ibidem; Epiphanius, *hæresi* 58; Fulgentius, lib. *De Fide ad Petrum*, cap. 10; Augustinus, *De Sancta virgin.*, cap. XXX.

Tertio, addit Christus hos eunuchos ita se castresse, non propter molestias rei uxoriæ, non etiam propter Evangelium, ut melius illud prædicent, quemadmodum detorquent hæc Christi verba hæretici; sed propter « regnum cœlorum, » scilicet promerendum. Ita Origenes, Hilarius, Chrysostomus, Euthymius ibidem, et S. Augustinus, cap. XXIII, lib. *De Sancta virgin.*

Denique concludit Christus dicens : « Qui potest capere, capiat. » Quæ verba sunt cohortantis et excitantis ad heroicam virtutem, æque ac ad præmium illustre. Hisce ergo verbis Christus proponit omnibus consilium castitatis, quasi rem valde heroicam et eximiam. Non dicit Christus, inquit Chrysostomus, non omnes possunt, sed

non omnes capiunt, id est omnes quidem capere possunt, sed tamen non omnes capere volunt; et Hieronymus : « His, inquit, datum est a Deo castrare se, qui petierunt, qui voluerunt, qui ut acciperent, laboraverunt. »

Dices : Quomodo ergo ait Christus : « Qui potest capere, capiat? » Hisce enim verbis significat, non omnes posse hoc capere. Respondeo, τὸ *qui potest*, tantum significat rem hanc esse arduam et difficilem, *q. d.* Qui vult sibi vim inferre, qui vult omnibus viribus ad rem tam arduam conniti, ille eam capiat et apprehendat. Sic ille apud Comicum : « Non possum, inquit, mater, hanc uxorem accipere. » *Non possum*, id est nolo, quia mihi difficile est, quia hæc uxor mihi non placet; et sic in Scriptura sæpe impossibile vocatur id, quod est difficile. Rursum, non omnes possunt continere potentia propinqua, remota tamen possunt; quia possunt orare, suaque orationi et cooperatione parare sibi potentiam propinquam continendi.

Impossibile sæpe vocatur quod est difficile.

Licet ergo non omnes habeant donum continentiæ quo actu contineant, sicut non omnes justi habent donum perseverantiæ, quo actu in gratia perseverent : tamen sicut omnes justi habent donum perseverantiæ, quo possint perseverare, si velint; ita omnes possunt habere donum continentiæ, si scilicet vires ad hoc a Deo petant, et Dei gratiæ per debita media cooperentur. Sensus est de dono prophetiæ aliisque gratiis gratis datis, quæ sæpe nec orando, nec collaborando impetrare possumus. Quia tamen nonnulli natura et consuetudine in libidinem proclives, non eos habent animos, nec eum adhibent conatum et constantiam heroicam, quam cum Dei gratia possent, sed facile sicunt se a natura et consuetudine abduci, ut tentationi veneræ succumbant; hinc talibus et tam infirmis præstat inire matrimonium : « Melius enim est nubere, quam uri. » Ita Apostolus, vers. 2, 5 et 9.

Donum continentiæ cæteris gratiis gratis datis præstantius.

TANQUAM MISERICORDIAM CONSECUTUS A DOMINO, UT SIM FIDELIS, — virginitatem, inquit, consulo, tanquam is qui misericorditer assumptus sum ad gratiam Apostolici muneris apud Gentes, ut fideliter illis consulam : ita Ambrosius, Anselmus, Theodoretus, *q. d.* Quo præ aliis Apostolis indignior, majori gratia et misericordia vocatus sum ad apostolatum, eo magis in eo decet me esse fidelem, et fideliter consulere iis, ad quos a Christo missus sum Apostolus.

Humiliatas Paulo.

26. EXISTIMO ERGO HOC BONUM ESSE. — *Hoc*, scilicet virginitatem. Ita S. Ambrosius et alii. Vel aptius *hoc*, ut scilicet sint et maneant virgines, uti dixi vers. præcedenti.

PROPTER INSTANTEM NECESSITATEM, — evangelizandi et discurrendi per totum orbem, inquiunt nonnulli : hoc enim cum uxore et multa prole tum fuisset difficile. Verum Paulus non scribit hæc Apostolis aut Evangelistis, sed Corinthi civibus. Unde alii accipiunt « necessitatem » persecutionum et fugarum in primitiva Ecclesia : virgini enim facile, conjugati vero ægre, utpote uxore et prole gravati, tyrannos effugere poterant. Tunc ergo ob hæc pericula et fugas satius erat esse cælibem, quam conjugatum. Ita hæretici.

Sed hoc carpit Calvinus : fatetur enim ipse, Apostolum *hoc*, puta virginitatem et cælibatum omnibus sæculis, etiam pacatis et nostris, toto orbe jam Christiano consulere; necessitatem ergo intelligit Calvinus inquietudinem et afflictiones varias, quibus Sancti in hac vita agitantur, ob quæ magis consulendus est cælibatus, quam matrimonium. Sed hoc quoque remotius est et generalius.

Quomodo hæretici intelligant tempus illud esse aptius cælibem vivere quam conjugatum?

Dico ergo : « Instans hæc necessitas » est illa, quam in seq. determinat et explicat Apostolus, vers. 28 et 29, istque duplex.

Quæ illæ duæ necessitates?

Pro quo nota Græcum ἀνάγκας duo significare : *Primum, instantem*, id est præsentem necessitatem. Sic enim Paulus opponit ἀνάγκαις καὶ θλίψεσιν, præsentia futuris, *Rom.* VIII, 38, et I *Corinth.* III, 22; et Græcis ἐνεστὼς χρόνος est *præsens tempus*. *Secundo*, proprie ἀνάγκη, id est *instans*, imminens, insistens, urgens, incumbens necessitas. Utraque significatio hic coaluit. Rursum « necessitas » Hebræis idem est quod angustia, afflictio, tribulatio, et quidquid hominem arctat, angustiat, stringit. Unde Psaltes : « De necessitatibus, » id est de angustiis, « erue me. » Et sic Apostolus suas angustias sæpe vocat « necessitates. »

Primo ergo, instans hæc necessitas est imminens et incumbens matrimonio, urgensque rei uxoriæ difficultas, molestia, afflictio, scilicet onera uteri, partus dolores, educationes liberorum, curæ, timores, zelotypia, rixæ, familiæ apparatus; opum, affinitatum, statuum curandorum et augendorum sollicitudo; mariti dominatio, cholera, ebrietas, prodigalitas, paupertas, orbitates, et ex his perpetua animi distractio, et circa hæc occupatio. Hæc enim explicans vers. 28, vocat « tribulationem carnis, » quam conjugii voluptati opponit. Ita Ambrosius, Anselmus, Chrysostomus, Theophylactus.

Tempus instans matrimonii.

Secundo, simplicius et planius : « Instans necessitas, » vel, ut vertit Erasmus, Vatablus et alii, « præsens necessitas, » est, ut Syrus, אנקתא *anankî dessahna*, necessitas temporis, id est angustia præsentis vitæ, quæ nobis vitæque nostræ incumbit et imminet, eamque arctat et urget, ut properet ad mortem et æternitatem. « Instans ergo necessitas, » est brevitas temporis, quod nobis datur ad æternitatis conquisitionem; quæ proinde non mundo, non conjugi, sed animæ et Deo danda est. Ita Chrysostomus, Anselmus et S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovinian.* : « Necessitas, ait, hæc est brevi moriendi, » *q. d.* Paulus : In hac brevi vita necessitas est placendi Deo, et studiose parandi victum et necessaria, scilicet bona opera, ut inde vivamus beati in tota æternitate Ergo consulo virginitatem : hæc enim uni Deo

Alia explicatio instantis necessitatis.

intendere potest, cum conjugati per onera conjugii distrahantur : sicut formica tota æstate colligit grana in hiemem, ita tu collige merita in æternitatem. Hanc enim necessitatem explicans vers. 29, ait : « Hoc itaque dico, fratres : Tempus breve est; reliquum est, ut qui habent uxores, tanquam non habentes sint, etc., præterit enim figura hujus mundi, » *q. d.* Ambis sponsam, prolem, uxorias voluptates? iis inhias, in eas omnes cogitationes et curas defigis? moliris perpetuare familiam, nomen, genus? opes congeris, fundos coemis, domos construis quasi perenniter hic victurus? memineris illius Horatiani :

Linquenda tellus, et domus, et placens
Uxor.

Bona conjugii quam caduca sint et illa pereitura.

Primo, quid te fatigas et laboribus excrucias? Brevem voluptatem, famas nominis et familiæ, quantis doloribus emis? Quid longa speras? breve est quidquid hic vides, quidquid ambis; arcta est præsens vita. Ex sæculorum et temporum decursu viceni, triceni anni vitæ tuæ assignati et circumscripti sunt. Audi Poetam :

Vitæ summa brevis spem nos vetat inchoare longam.

Secundo, urget te imminens mors : ad eam curris pernici cursu; instat judicium, instat æternitas, longa, inquam, et nunquam finienda æternitas : arctat te Deus, cogitque ut ad eam te compares et festines.

Tertio, præsentem hanc vitam, hoc breve tempus tibi dedit Deus, non ut hic in conjugio voluptueris, non ut familiam stabilias, non ut præsentibus fruaris, non ut sedem figas, quasi hic diu vel in æternum mansurus; sed tantum ad hoc, ut in eo quasi stadio virtutum decurras ad metam et bravium, ad beatam, inquam, æternitatem; ut in illam oculis, animo, mente intendas et contendas, ut hunc tibi omnibusque actionibus tuis scopum præfigas. Quare licet mundus plenus sit insania, nulla tamen major aut patentior est, quam quod adeo negligat summa et sempiterna, et tanto studio sectetur infirma et transitoria, cum tanto æternæ damnationis periculo.

Quare Deus hoc breve tempus vitæ tu conjugio dedit?

Præter loca de brevitate vitæ, et de morte Sanctorum.

Quarto, indies cogites : Tantum jam vitæ meæ demptum est, forte non tantum superest : quot diebus vivo, totidem arctor et urgeor ad mortem; quid si hodie, si cras illa obveniat? Itane vixi, ut mori non dubitem? cibosne comparavi, merita, inquam, bonorum operum, quibus in omnem æternitatem mihi vivendum est? In hoc vertitur cardo salutis tuæ : quin ergo in id totus incumbis?

Quinto, quid alia tractas? Quid partiris animum in uxorem, proles, familiam, ut per diem vix semel de Deo, de cœlo cogites? Quin totum colligis in illud unum quod est necessarium, ut cum Maria optimam partem eligas? Quid lucro, quid opibus, quid statibus, quid jungendis affinitatibus inhias? « O curas hominum, o quantum est in rebus inane! Stulte, hac nocte animam tuam repetent a te; quæ autem parasti, cujus erunt? » Succedent immemores filii, pro quibus sudasti, laborasti, corpus morti, animam inferno oppigneraști, relinques ea ingratis hæredibus : si grati sint, te ex inferno liberare non poterunt.

Salus animæ præ cunctis procuranda hac brevi tempore vitæ.

Sexto, quin misereris animæ tuæ; quin, inquam, unius animulæ tuæ, quam Deus tibi curandam et salvandam dedit, curam geris? Quin animum a conjugio, a sponsa, a liberis; cogitationes a familia, a negotiis et curis uxoriis, quæ te terræ et terrenis immergunt, distrahunt, absorbent, avocas?

Septimo, quin cælibatum quem suadeo, amplecteris? Dabit ille otium cogitandi, non quomodo mundo, sed quomodo Deo placeas, quomodo ad iter in cœlum te compares, quomodo rationes tuas ad judicium futurum componas et adæques, quomodo Deo te sistas : scilicet dabit ille facultatem sine impedimento, libere et expedite Domino serviendi, Dominum assidue obsecrandi, ut orationibus, jejuniis, eleemosynis insistendo merearis pariter in cœlo, in gloria excellere, et vicinus Deo assistere, eoque beatissime frui in omnem æternitatem, ubi cum B. Agnete apud S. Ambrosium, *serm.* 90, semper canas : « Illi sum juncta in cœlis, quem in terris posita tota animi intentione dilexi. » Et : « Regna mundi, et omnem gloriam eorum contempsi propter amorem Domini mei Jesu Christi, in quem credidi, quem dilexi, in quem speravi. »

Fructus et commoda cælibatus.

Denique Maldonatus in *Notis manuscr.* : « Propter instantem necessitatem, » id est, ait, propter instantem finem mundi, ut ad eum nos comparantes, non implicemur matrimonio et terrenis negotiis. Unde, vers. 29, de eo ait : « Tempus breve est. »

Ex dictis ruit argumentum Joviniani et Calvini : Apostolus, inquiunt, instans vel præsens opponit futuro; ergo, si cælibatus bonus est tantum propter instantem necessitatem, non erit bonus ob futuram mercedem.

Respondeo : falsum est antecedens; imo, ut dixi, instans vel præsens necessitas est, quæ nos urget ut per cælibatum in hac brevi vita cogitemus et paremus nobis æternam mercedem. Quinimo S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovinian.* : Addit, inquit, Apostolus præsens futuro, ne quis putet virgines feliciores esse quidem quoad spiritualia, non autem quoad carnalia, cum in utroque conjugatis præstent, et in utraque vita, tam in tempore, quam in æternitate. Idem docet et diserte refellit hoc argumentum Calvini S. Augustinus, lib. *De Sancta virginit.*, cap. XXII, tom. VI, et Apostolus hic vers. 33 et 35, ut ibi fusius ostendam.

Dupliciter virginum conjugatis præstant.

QUONIAM BONUM EST HOMINI SIC ESSE. — Τὸ *quoniam* non causam reddit; redderet enim causam sui ipsius, quasi diceret : « Bonum est, quoniam bonum est. » Vox ergo *quoniam* respicit et revo-

cat, id quod præcessit; Apostolus enim, per epanalepsin, repetit id quod dixit, ut illud inculcet. *q. d.* Existimo bonum esse manere virginem propter instantem necessitatem; *quoniam*, id est quod, inquam, hominis sit bonum sic esse, scilicet in virginitate.

Si nupserit virgo (habilis scilicet ad nubendum, puta libera et innupta, nec Deo consecrata. Ita Theodoretus, Theophylactus, Photius et S. Hieronymus supra: talis nubendo) non peccavit, — vide dicta vers. 2.

Tribulationem tamen carnis habebunt hujus modi, — aperientes sibi per conjugii copulam dolorum officinam, inquit S. Basilius, lib. *De Sancta virginit.*, ante finem. Vocat Apostolus « tribulationem carnis » conjugii, liberorum et familiæ onera, quæ jam dixi, de quibus S. Augustinus, lib. *De Sancta virginit.*, cap. XVI; S. Ambrosius, lib. I *De Virgin.*, et S. Hieronymus, *Contra Jovin.* « Tribulationem » ergo « carnis » appellat eam, quæ circa carnem et carnalia versatur, quæque carnem affligit. Hanc opponit voluptati carnis, quæ est in conjugio; illa enim per hanc tribulationem, utpote longe graviorem, ita opprimitur et eliditur, ut vix sentiatur. Voluptas enim quæ est in actu conjugali valde vilis est, brutalis, facions hominem epilepticum, uti dicebat Alexander Magnus, et verecundiæ plena, et momento transit, stalimque innumeris incommodis compensatur. Mox enim a conceptu subeunt fastidia, insomnia, vertigines, melancholiæ, præcordiorum angustiæ, absurdi appetitus, et naturæ totius perturbatio. Sequuntur partus dolores acerrimi, qui multis mortem afferunt. *Secundo*, proles edita mox quotidie et continuo mundanda est, cibanda, fasciauda, vestienda, reponenda, cunis agitanda ut dormiat, eximenda ut sugat, disponenda ut exoneret, verbis et cantu assidue mulcenda ne ploret; ita ut matres totos dies et noctes circa infantes occupentur, nec aliud fere facere aut cogitare possint. Omitto sordes, pedorem, ejulatus, morbos, pericula tam matrum quam parvulorum. *Tertio*, proles grandior effecta majores affert curas et dolores. Quantus dolor si contingat eam exfingui, si malo consortio ad flagitia et dedecora abripi? si rebellem parentibus se præbeat? si alea et poculis bona parentum consumat? si inconsulto matrimonio se involvat? Etsi enim parentes sint sanctissimi, tamen sæpe contingit ut filii sint scelerati, itaque gravissime parentes crucient. Exempla sunt in Adamo et Caino, in Noe et Cham, in Abrahamo et Ismael, in Isaac et Esau, in Jacob et Ruben, cæterisque omnibus fere ejus filiis, in David, Amnon et Absalom, aliisque plurimis.

Ob hæc conjugum onera, hanoque tribulationem S. Augustinus secutus S. Ambrosium nulli unquam conjugem et conjugium suadere voluit. « Hæcque tria homini Dei servanda monebat, inquit Possidonius in *Vita S. Augustini*, cap. XXVII: primum, ut uxorem cuiquam nunquam posceret; secundum, ut militare volentem ad hoc non commendaret; tertium, ut in sua patria petitus ad convivium non iret; causamque singulorum dabat: *primi*, ne dum inter se conjugali jurgantur, eum maledicant, per quem conjuncti sunt; *secundi*, ne militiæ commendatus male agens, suam culpam suffragatori tribueret; *tertii*, ne per frequentiam in patriæ conviviis constitutus, temperantiæ amitteretur modus. »

Ego autem vobis parco, — quod eligatis statum tribulationum, scilicet matrimonium, indulgeo, non retraho. Ita Ambrosius (1).

29. Hoc itaque dico, fratres: Tempus breve est, — ὁ καιρὸς συνεσταλμένος, *tempus*, id est vitæ nostræ spatium, *contractum est*, et ut Tertullianus legit, *in collecto est*: ut cogitemus nos his non quasi inquilinos uxoribus, et rebus quibusvis præsentibus frui; sed iis quasi peregrinos ad breve tempus uti debere, ut tendamus ad gloriosam illam civitatem, in quam quasi cives æterni conscribamur. Amplius hoc tempus accipit Ambrosius, scilicet tempus sæculi hujus, *q. d.* Breve est omne hoc tempus, et imminet dies judicii; non ergo temporaneis sæculi voluptatibus immoremur, sed comparemus nos ad judicium.

Reliquum est ut et qui habent uxores, tanquam non habentes sint, — ut scilicet non magnopere rei uxoriæ afficiantur, ut animum, mentem atque amorem magis in Domino, quam uxoribus defigant. Ita Ambrosius et Anselmus. Addit S. Augustinus, lib. I *De Serm. Domini in monte*, cap. XIV, in fine, ut pari consensu, si fieri potest, castitatem servent.

30. Et qui emunt, tanquam non possidentes, — perpetui nimirum, sed tanquam usufructuarii ad vitam. Vetat enim Paulus hic immodicum rerum usum et affectum, quasi non illas possideamus, sed ab illis possideamur, ut scilicet non apponamus cor rebus momentaneis, nec nimio affectu inhæreamus ulli creaturæ ita fluxæ. Ita Anselmus. Pulchre S. Augustinus, tractatu 40 in *Joan.*, cuivis diviti modum utendi pecuniis præscribens: « Utere, inquit, nummo quemadmodum viator in stabulo (in hospitio: hinc olim hospes vocabatur stabularius, ut patet *Luc.* X, 35) ; ut ita mensa, calice, urceo; dimissurus, non permansurus. »

Hoc ipsum ut Judæos efficaciter doceret Deus, instituit annum quinquagesimum jubilei, sanxitque ut illo anno omnes agri et prædia coempta ab emptore redirent sine pretio ad priorem dominum, qui ea vendiderat, cujus sanctionis causam dat *Levit.* XXV, 23, dicens: « Terra quoque non vendetur in perpetuum: quia mea est, et vos advenæ et coloni mei estis. Unde cuncta regio possessionis vestræ sub redemptionis conditione vendetur, » *q. d.* Ego Deus altum transcendens, verum ac proprium in terram vestram habeo dominium: quare licet mihi quas volo conditiones venditioni ejus apponere, maxime cum in eam vos tanquam advenas et colonos induxerim, talesque semper manere velim. Quare volo et statuo ut possessiones quælibet, anno jubilei, redeant ad priores dominos, idque hac de causa: ut nimirum sciatis, inquit Philo, lib. *De Cherubim*, solum Deum proprie rerum omnium esse dominum et possessorem; homines vero earum tantum habere usumfructum ad vitam, non vero dominium. « Hinc liquet, inquit Philo, nos alienis uti possessionibus: nec gloriam, nec divitias, nec honores, nec imperia, nec aliud quidpiam, vel corporis vel animi proprium, quasi hæc juris et dominii nostri sint, possidemus; sed eorum usumfructum, dum hic vivimus, habemus solum. »

31. Et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur. — ὡς μὴ καταχρώμενοι, id est *tanquam non abutentes*, scilicet non nimium eorum usu adhærentes. Noster Interpres verbum compositum in Græco accepit pro simplici, uti sæpe Græci faciunt: *tanquam non abutentes*, id est *tanquam non utentes*, scilicet usu firmo et tenaci, quod est abuti. Utendum enim est re tanter, qualis est. Mundo ergo fluxo fluxe et quasi obiter utendum est, tanquam eo non utaris: sin mundo adhærere vis, eo abuteris; quia re fluxa quasi non fluxa, sed firma, solida et stabili uteris. Abusus enim, ait Theophylactus, est superfluus usus, et modum ac naturam rei exsuperans. Hinc Syrus vertit, *qui utuntur hoc mundo, præter æquum usum non utantur*. Sic abuti, pro *plene uti* capitur cap. IX, vers. 18. Quocirca S. Basilius in *Regul. brev.*, interrog. 70: « Abusum, inquit, damnat Apostolus, cum dicit: Tanquam utentes hoc mundo, non tanquam abutentes. Usus enim modum, ipsa inevitabilis rerum ad usum pertinentium necessitas definit. Qui autem ultra necessitatem progreditur, is aut intemperantis habendi cupiditatis, aut voluptatis libidinis, aut inanis gloriæ morbum habet. »

Præclare S. Leo, serm. 5 *De Jejunio septimi mensis*: « In dilectione Dei, inquit, nulla nimia; in dilectione autem mundi, cuncta sunt noxia. Et ideo æternis bonis inæparabiliter est inhærendum, temporalibus vero transeunter utendum est, ut peregrinantibus nobis, et ad patriam redire properantibus, quidquid de prosperitatibus mundi hujus occurrerit, viaticum sit itineris, non illecebra mansionis. Ideo Apostolus prædicat dicens: Tempus breve est; reliquum est ut qui habent uxores, tanquam non habentes sint, etc. Præterit enim figura mundi hujus. Sed quod de specie, de copia, de varietate blanditur, non facile declinatur, nisi in illa visibilium pulchritudine Creator potius quam creatura diligatur. » Idem, serm. 11 *De Quadrag.*, citatis hisce Apostoli verbis, subdit: « Beata enim mens, quæ peregrinationis suæ tempora casta sobrietate transcurrit, et in iis per quæ necesse est eam ambulare, non remanet, ut hospita magis quam domina terrenorum, nec affectibus sit innixa humanis, nec promissionibus desit divinis. »

Præterit figura hujus mundi. — « Præterit, » Græcum παράγει, verti etiam potest, *decipit*, vel transversum agit, figura et species mundi. Nam, ut ait Augustinus, epist. 39 *ad Licentium*: « Vincula hujus mundi asperitatem habent veram, jucunditatem falsam; certum dolorem, incertam voluptatem; durum timorem timidamque quietem; rem plenam miseriæ, spem beatitudinis inanem: his tu inseras manus et pedes? » Idem serm. 23 *De Verbis Apost.*: « Temporalia, inquit, bona non cessant nos inflammare ventura, corrumpere venientia, torquere transeuntia: concupita inardescunt, adepta vilescunt, amissa vanescunt. » Et S. Bernardus: « Noli, ait, amare præsentia, quæ possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant.

Rursum D. Gregorius, lib. VI epist. *ad Andream*: « Vita, inquit, nostra navigranti est similis: is namque qui navigat, stat, sedet, jacet, vadit, quia impulsu navis ducitur. Ita ergo et nos sumus, qui sive vigilantes, sive dormientes, sive tacentes, sive loquentes, sive ambulantes, sive volentes, sive nolentes, per momenta temporum ad finem quotidie tendimus. Cum igitur finis nostri dies advenerit, ubi nobis erit omne quod modo cum tanta cura quæritur, et cum sollicitudine congregatur? Non ergo honor, non divitiæ quærendæ sunt, quæ dimittuntur. Sed si bona quærimus, illa diligamus, quæ sine fine habebimus: si autem mala pertimescimus, illa timeamus, quæ reprobis sine fine toleranter. » Unde eidem Andreæ mox consulit parvo hujus vitæ et peregrinationis tempore « sacris lectionibus vacare, cœlestia verba meditari, in æternitatis amore se accendere, de terrenis rebus secundum vires bona opera agere, et regnum perpetuum in eorum remunerationem sperare. Sic autem vivere jam in æternitatis vita partem habere est. » S. Hilarion, ait S. Hieronymus in ejus *Vita*, « singulos hortabatur præterire figuram mundi, et eam esse veram vitam, quæ vitæ præsentis emeretur incommodo. »

Figura. — Græce σχῆμα, id est habitus, species ac status mundi fugax. Ita Ambrosius et Anselmus.

Nota: Mundo non tribuit Apostolus formam: hæc enim solidior est et constantior; sed figuram, quæ mobilis est, fugax, evanida, ut dixi *Rom.* XII, 2. « Nolite, ait Anselmus, constanter mundum diligere, quando ipse, quem diligitis, non potest constare; incassum cor quasi manenter figitis, dum fugit ipse, quem amatis. » Si mundus fugit, ergo et nuptiæ, et omnia quæ mundo claudantur.

Præterit ista dies; nescitur origo secundi,
An labor, an requies: sic transit gloria mundi.

(1) Alii: Vestram miserationem dicor, id est, tutos et incolumes ab his calamitatibus vos avastare vellem.

Et ut noster Lipsius, vir tam sapiens, quam homine et humanis cunctis celsior, cum de scientiarum et rerum humanarum vanitate sæpe et familiariter colloqueremur, magno animi sensu solebat dicere, quod diu præmeditatum suo sepulcro inscribi jussit :

Vis altiore voce me tecum loqui?
Humana cuncta, fumus, umbra, vanitas,
Et scenæ imago, et, verbo ut absolvam, nihil.

Est enim mundus instar scenæ in qua peragitur fabula vitæ hujus, homines personæ sunt, intrant, abeunt : locus theatri est terra. « Generatio præterit, inquit Ecclesiastes, cap. I, vers. 4, et generatio advenit; terra autem in æternum stat. » Duæ in scena sunt portæ : ingredientibus ortus, egredientibus occasus, sive mors; vestes quisque hic commodato accipit : qui regem agit, non auferet secum purpuram, quam hic gestavit. Brevi finitur hæc comœdia. Audi Senecam :

Prima quæ vitam dedit hora, carpit.

Vulgo dicimus : Dic mihi, o villa, o domus, o præbenda, o pecunia, quot dominos habuisti et quot adhuc habitura es? Dic, ubi Salomon ille rex sapientissimus, ubi Samson fortissimus, ubi Absalom pulcherrimus, ubi Cicero disertissimus, ubi Aristoteles acutissimus? Tot clari proceres, tot rerum spatia, tot ora Præsulum, tot membra fortia, tot mundi principes, tanta potentia? in ictu oculi claudantur omnia. O esca vermium! o massa pulveris! o ros, o vanitas, quid sic extolleris! quid quæris? quid ambis? felix qui potuit mundum contemnere!

Pulcherrime et brevissime singularum rerum quæ sunt in hoc mundo fugacem vanitatem, sigillatim et quasi punctim perstringens describit Nazianzenus, tract. *De Vitæ itineribus*, qui extat sub finem operum ejus : « Quis sum? inquit, unde in vitam veni? quis rursus, postquam aliquantisper terræ gremio retentus, a pulvere ad vitam rediero, futurus sum? ubinam tandem me Deus collocabit? multæ quippe ærumnosæ vitæ hujus viæ sunt, nec ullum bonum apud homines est, quod non aliquid vitii admixtum habeat. Atque utinam non majorem quoque partem mala sibi vendicarent! Insidiæ sunt opes, sublimiumque tironorum et dignitatum fastus mera sunt insomnia. Imperio alterius subesse, grave ac molestum; paupertas pedica; pulchritudo porro brevis, atque fulgetri similis; juventus nihil aliud, quam temporis fervor; canities, tristis vitæ occasus. Sermones vere alati, gloria aer, nobilitas vetus sanguis, robur cum apris commune, satietas petulans, matrimonium vinculum, liberorum copia curæ necessariæ mater, orbitas morbus, forum vitiorum schola, quies imbecillitas, artes abjectorum hominum, angustus alienus panis, agricultura labor, navigantium major pars in orco, patria proprium barathrum, externa regio probrum. » Deinde omnia simul complectens eorum vanitatem multis aptisque similitudinibus spectandam proponit, aitque : « Omnia denique mortalibus laboriosa sunt, humana omnia metus, risus, luctus, umbra, ros, flatus, volatus, vapor, insomnium, fluctus, navis, vestigium, aura, pulvis, orbis quidam perpetua conversione similia omnia volveas, nunc stabilis, nunc rotans, nunc labilis, nunc fixus anni tem poribus, diebus, noctibus, laboribus, morte, mœroribus, voluptatibus, morbis, calamitatibus, secundisque rerum successibus. Nunc vero non sine magna sapientia hoc a te, Christe, constitutum est, ut res omnes hujus vitæ incertæ atque instabiles sint : nempe ut rerum firmarum stabiliumque amore ac desiderio inardescamus, utque discamus a stultæ carnis cogitatione mentem abrumpere, imaginemque, illam quam divinitus accepimus, puram atque integram conservare, vitam ab hac vita alienam ducere, ac denique cum altero mundo mundum hunc commutando, difficultates omnes hujus vitæ molestiasque forti animo perferre. »

Apte quoque S. Augustinus, in *Psal.* CIX ad illud : *De torrente in via bibet.* « Torrens, ait, profluxio mortalitatis humanæ est : sicut enim torrens pluvialibus aquis colligitur, redundat, perstrepit, currit, et currendo decurrit, id est, cursum finit : sic est omnis iste cursus mortalitatis. Nascuntur homines, vivunt, moriuntur, et aliis morientibus alii nascuntur. Quid hic tenetur? quid hic non decurrit? quid non quasi de pluvia collectum it in mare, in abyssum? »

Figura hæc mundi facit eum personatum et larvatum. Sicut ergo si quis tibi equum phaleratum venderet, phaleras demeres, equi corpus et membra considerares, antequam eum emeres : ita et hic facito. Personatos tibi honores, larvatas voluptates, phaleratas divitias mundus vendit : tolle phaleras, tolle larvas : introrsum quid lateat, considera : videbis omnia exilia, gracilia, inania esse.

Pathetice vero Sapiens, cap. V, vers. 8, impiorum querelam et seram pœnitentiam hujus vanitatis adamatæ describens, eamdem comparat tenui umbræ, nuntio percurrenti, navi mare secanti, avi transvolanti, sagittæ emissæ, lanugini, spumæ, fumo, vento, hospitio unius diei. Hæc ipsa fusius explicat S. Hieronymus, epist. *Ad Cyprianum*, explanans verba illa *Psal.* LXXXIX, *Mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna quæ præterit* : « Æternitati, inquit, comparata, brevis est omnium temporum longitudo. » Et inferius explicans vers. 6, *Mane sicut herba transeat, mane floreat et transeat, vespere decidat, induratur et arescat* : « Sicut enim, inquit, mane virens herba, et suis floribus vernans delectat oculos contemplantium, paulatimque marcescens amittit pulchritudinem, et in fœnum, quod conterendum est, vertitur : ita omnis species hominum vernat in parvulis, floret in juvenibus, viget in perfectæ ætatis robore; et repente dum nescit, incanescit caput, rugatur facies, cutis prius extenta contrahitur, et extremo fine, quod hic dicitur vespere, id est senectute, vix moveri potest : ita ut non cognoscatur quis prior fuerit, sed pene in alium commutetur : ac denique, ut Symmachus vertit psalmo illo LXXXIX, vers. 10, succidimur repente, et avolamus. »

32. VOLO (velim, vide dicta vers. 7) AUTEM VOS SINE SOLLICITUDINE ESSE, — ac consequenter in virginitate et cælibatu vivere.

33. QUI CUM UXORE EST, SOLLICITUS EST QUOMODO PLACEAT UXORI. — Mulier, inquit Plautus, et navis nunquam satis ornantur : qui ergo opus quærit, uxorem ducat, et navim instruat.

ET DIVISUS EST, — in multas nimirum curas distractus, ut uni Domino vacare non possit, sed partem Deus, partem et potiorem uxor et filii sibi vindicent. Ita Ambrosius.

Nota Græcos, Chrysostomum, Œcumenium, Theophylactum, Basilium et Syrum hæc sequentibus jungere, sic : μεμέρισται ἡ γυνὴ καὶ ἡ παρθένος, *divisa est mulier*, sive uxor, *et virgo*, q. d. Diversa sunt uxoris et virginis studia; aut, ut Chrysostomus, virginem a non virgine definit et dividit otium et negotium : virgo otium, non virgo negotium agit. Sed S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovin.*, asserit hanc lectionem non esse Apostolicæ veritatis : jamque Græca et Latina aliter distinguunt, eo sensu, quem jam dedi.

34. ET MULIER INNUPTA ET VIRGO COGITAT (μεριμνᾷ, sollicite meditatur, et curat) QUÆ DOMINI SUNT, ET QUOMODO SIT SANCTA CORPORE ET SPIRITU. — « Sancta, » id est pura et immaculata. « Virgo, inquit Œcumenius, corpore sancta est, propter familiaritatem cum Deo et Spiritus Sancti inhabitationem. »

Nota hic locum apertissimum pro consiliis Evangelicis, et nominatim virginitatis : hanc enim crebro hic commendat et consulit Paulus, ut vers. 7, 8, 25, 26, 34, 35, 40. Unde Petrus Martyr et Beza hic fatentur virginitatis custodiam, non tantum ad vitandas temporarias curas et molestias, meliorem esse matrimonio, uti voluit Lutherus; sed etiam hoc præstare, quod aptior sit cultui Dei. Addunt tamen eamdem in se non esse Dei cultum, vel certe non majorem, nec meliorem matrimonio.

Verum certum est virginitatem in hoc statu esse in se virtutem illustrem, qua Deus honoratur et colitur, longe meliorem et præstantiorem matrimonio, et præmia longe majora mereri, adeoque aureolam propriam in cœlis. Dico, in hoc statu : nam in statu innocentiæ virginitas non fuisset virtus, imo non fuisset, uti nec concupiscentia.

Jam quod dixi probatur *primo*, quia Apostolus docet hic virginitatem esse sanctitatem corporis et spiritus, et per eam nos placere Deo. Sensus enim est : Sicut mulier conjugata cogitat quomodo se pulchram conservet et ornet, ut viro placeat; ita virgo cogitat quomodo servet corporis integritatem et sanctitatem, ut sit casta corpore et mente, ut ita placeat Deo (ita Anselmus, Theophylactus, Œcumenius, Chrysostomus et alii passim); utque hanc castitatem orationibus aliisque virtutibus ornet et augeat, quo magis placeat Deo, ut innuit Ambrosius; ergo per castitatem virginalem virgo placet Deo, adeoque ipsa castitas et virginitas est sanctitas : ita enim eam hic vocat Apostolus; si virginitas est sanctitas, profecto est et Dei cultus.

Secundo, vers. seq. Apostolus cælibatum vocat honestum, id est, honestiorem matrimonio : ergo cælibatus est virtus. Virtutis enim proprium objectum est bonum honestum.

Tertio, virginitas et cælibatus per se est pars temperantiæ ejusque actus heroicus, elicitus scilicet a summa castitate, fortitudine et lucta, estque perfecta refrænatio concupiscentiæ; et sæpe a charitate, religione, voto imperatur. Unde sic argumentor : Sicut concupiscentia, maxime libidinis, mala est in se, ita eam frænare in se bonum est et Deo gratum, et magis eam frænare, magis bonum est, et magis Deo gratum; atqui virginitas magis, imo in totum refrænat concupiscentiam, cum conjugium illi indulgeat : ergo virginitas majus bonum est, et Deo gratior ac melior matrimonio; idque diserte docet Apostolus, vers. 38 : « Qui matrimonio, inquit, jungit virginem suam, bene facit; et qui non jungit, melius facit; » quia nimirum facit opus melioris et præstantioris virtutis. Unde Fulgentius, *epistola 3*, cap. IV : « Adeo, inquit, virginitas virtus est, ut a virtute nomen acceperit virgo. » Et S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovinian.* : « Virginitas, ait, hostia Christi est. »

Denique id expresse contra Jovinianum, Calvinum et similes docent S. Ambrosius, Augustinus, Chrysostomus, Athanasius, Basilius, libris quos ad hanc rem probandam de virginitate ex professo scripserunt, atque S. Thomas II II, *Quæst.* CLII, et ibidem Scholastici omnesque catholici Doctores.

Præclare S. Aldhelmus, Occidentalium Saxonum Episcopus, sub annum Domini 680, tom. III Bibliothecæ SS. Patrum, in libello *De Laudibus Virginitatis*, cap. IX : « Cum tres, inquit, sint status in Ecclesia, virginitas, cælibatus et conjugium, ex revelatione angelica didicimus, si meritorum ratio habenda est, eum has inter virtutes constituendum esse ordinem, ut sit virginitas aurum, cælibatus argentum, conjugium æramentum : virginitas divitiæ, cælibatus mediocritas, conjugium paupertas : virginitas pax, cælibatus redemptio, conjugium captivitas : virginitas sol, cælibatus lucerna, conjugium tenebræ : virginitas regina, cælibatus dominus, jugalitas ancilla. » Hæc ille.

Tertullianus quoque, lib. *De Pudicitia* : « Pudicitia, inquit, flos morum, honor corporum, de-

cor sexuum, fundamentum sanctitatis, præjudicium omnis bonæ mentis : quanquam rara, vixque perpetua, tamen aliquatenus in sæculo morabitur, si disciplina persuaserit, si censura compresserit. »

Denique « S. Martinus videns pratum, cujus unam partem boves depaverant, secundam porci suffoderant, tertiam illæsam, quæ diversis floribus quasi picta vernabat, dixit : Prima pars speciem gerit conjugii, quæ a pecore depasta, etsi non penitus gratiam amisit herbarum, nullam tamen florum retinet dignitatem. Secunda, quam porci pecora immunda foderunt, fornicationis fœdam imaginem prætendit. Tertia, quæ nullam sensit injuriam, gloriam virginitatis ostendit : unde herbis fœcunda luxuriat, leni in ea fructus exuberat, et ultra omnem speciem distincta floribus, quasi gemmis micantibus ornata radiat. » Ita Sulpitius, *Dialog.* 2, cap. XI.

Octo excellentia virginitatis. Prima.

Ex hisce collige octo prærogativas virginitatis et vitæ cælibis. *Prima* est, quod sit imitatio vitæ et integritatis angelicæ. Angeli enim non nubunt, sed toti Deo intendunt et famulantur : idem faciunt et virgines. Audi S. Athanasium, lib. *De Virginitate*, sub finem : « O virginitas, opulentia indeficiens, corona immarcescibilis, templum Dei, domicilium Spiritus Sancti, margarita pretiosa, mortis et inferni profligatrix, angelorum vita, corona Sanctorum, » etc. Et S. Chrysostomus, lib. *De Virginit.*, cap. XI : « Virginitas, ait, tanto nuptiis præstat, quanto cœlum terræ, quanto hominibus angeli antecellunt. » Et S. Augustinus, lib. *De Sancta virgin.*, cap. XIII : « Virginalis, ait, integritas angelica portio est, et in carne corruptibili incorruptionis perpetuæ meditatio. » Rursum hæc est angelorum familia illa nova, quam Christus in terra instituit, ut docet S. Hieronymus, epist. 22 *ad Eustachium* : « Statim, inquit, ut Filius Dei ingressus est super terram, novam sibi familiam instituit, ut qui ab angelis adorabatur in cœlo, haberet angelos in terris. » Vide S. Fulgentium, epist. 3 *ad Probam*, cap. IX.

Secunda est, quod virginitas sit holocaustum, ut ait S. Hieronymus in *Psal.* XCV ; corpus enim, et cum corpore mentem addicit et consecrat Deo, rebusque divinis : unde S. Ignatius, epist. *ad Tarsenses*, virgines vocat *sacerdotes Christi*. « Eas, inquit, quæ in virginitate degunt, in pretio habete, tanquam Christi sacerdotes. » Hinc S. Ambrosius in *Psal.* CXVIII, 5, virgines vocat *martyres* : graviorem enim sæpe habent luctam quam Martyres, cum amores et vitales animæ concupiscentias pro Deo obtruncant.

Tertia, quod virgo connubium spirituale ineat cum Christo, uti dicam *Epist.* II, cap. XI, vers. 2. Proles hujus conjugii sunt non corporales, sed spirituales, puta *primo*, opera virtutum ; *secundo*, eleemosynæ aliaque officia charitatis ; *tertio*, exempla sancta, quibus plures animas ad Christi obsequium adducunt, itaque eas Christo pariunt. Ita S. Cæcilia Valerianum maritum, Tiburtium fratrem, aliosque non tantum christianos, sed et virgines et martyres effecit. Unde de ea canit Ecclesia : « Domine Jesu Christe, seminator casti consilii, suscipe seminum fructus quos in Cæcilia seminasti. » Et : « Cæcilia famula tua quasi apis tibi argumentosa deservit. »

Quarta, quod virgines plus cæteris a Christo amantur ; Christus enim quasi sponsus, virgines quasi sponsas suas adamat, uti docet S. Ambrosius, lib. I *De Virgin.* Rursum amat eas tanquam milites suos. Unde ibidem Ambrosius : « Hæc est, inquit, militia illa cœlestis, quam laudantium exercitus angelorum promittebat in terris. » Vide de his militibus S. Chrysostomum, homil. 71 *in Matth.*

Quinta, quod virgines sint nobilissima pars Ecclesiæ. Audi S. Cyprianum, lib. *De Discipl. et habitu virgin.* : « Nunc nobis ad virgines sermo est, quarum quo sublimior gloria est, eo major et cura est. Flos est ille ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritualis, læta indoles, laudis et honoris opus integrum et incorruptum, Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi. » Et S. Hieronymus, lib II *Contra Jovinian.* : « Virginibus, ait, et continentibus quasi gemmis pulcherrimis Ecclesiæ monile decoratur. » Et Ecclesiasticus, cap. XXVI : « Omnis, inquit, ponderatio non est digna animæ continentis » in conjugio (de eo enim loquitur) ; multo ergo magis omnino continentis in cælibatu.

Hinc S. Athanasius, lib. *De Virgin.*, docet virginitatem esse notam veræ religionis et Ecclesiæ. Nam vera religio virginitatem et cælibatum suadet, complectitur, extollit : infidelitas et hæresis dissuadet, abjicit, deprimit. Et S. Ambrosius, lib. *De Viduis* : « Illi, ait, qui deorum suorum adulteria et probra venerantur, cælibatus et viduitatis statuere pœnas, ut æmuli criminum mulctarent studia virtutum. »

Quare hæretici et infideles non sunt, nec esse possunt virgines : sine gratia enim Dei (cujus initium est fides) impossibile est inter tot carnis illecebras et tentationes, virginitatem servare et tueri. Unde S. Athanasius in *Apolog. ad Constantium Imp.* : « Nusquam alibi, inquit, sanctum illud et cœleste æternæ virginitatis mandatum feliciter adimpletur, nisi duntaxat apud Christianos. »

Sexta, quod, ut ait S. Cyprianus supra, « nuptiæ repleant terram, continentia cœlum ; » adeoque, ut ait S. Basilius, « virgines anticipent gloriam resurrectionis. » In hac enim, ut ait Christus, non nubent, neque nubentur.

Septima, quod virgines in cœlis eximium habeant præmium et coronam, quodque sequantur Agnum quocumque ierit, cantantes canticum novum, quod nemo alius cantare potest. *Apocal.* XIV, 3 et 4.

Octava, quod virginitas faciat hominem similem Deo et S. Trinitati, de quo vers. seq. Atque hæc omnia tam locum habent in virginibus quæ domi, quam in iis quæ in monasterio degunt. Tempore enim S. Pauli et Ignatii necdum erant monasteria. Cum ipsi ergo consulunt et laudant virginitatem, consulunt et laudant eam quæ domi servabatur. Ita Philippus diaconus domi habebat quatuor filias virgines, *Acter.* XXI, 9, quæ etiam spiritu prophetico præditæ fuerunt, ut ibidem dicitur ; idque in præmium virginitatis, ait S. Hieronymus *ad Demetr.* Philippus Apostolus ante Apostolatum tres genuit filias, quarum duæ in virginitate consenuerunt, ut ait Polycrates apud S. Hieronymum, lib. *De Script. Eccles.*, in *Polycrate*. S. Thecla, hortatu S. Pauli, coluit virginitatem, uti testatur S. Ambrosius, lib. II *De Virginit.* Eamdem coluerunt S. Iphigenia, filia regis, hortatu S. Matthæi, ut testatur Abdias in ejus *Vita* ; et S. Flavia Domitilla, filia Clementis Consulis Romani, hortatu S. Clementis, teste Beda in *Martyrologio*, 7 maii ; et S. Pudentiana et Praxedes, filiæ Pudentis senatoris, aliæque plurimæ. Adeo ut S. Ambrosius, lib. III *De Virgin.*, dicat, « in Ecclesia Orientali et Africana plures consecrari virgines, quam Mediolani, et in Italia nascantur homines : inde tamen non minui genus humanum, sed multiplicari. » Cujus ratio est, quia Deus non vult vinci liberalitate : si parentes ipsi unam vel alteram prolem offerunt, ipse octo vel decem reponit, fœcunditatem et felices partus tribuens et domum sua benedictione replens. Ita Annæ pro Samuele sibi oblato, quinque alias proles reposuit. Ita divitibus dantibus eleemosynam Deus majores opes agrisque eorum majorem fertilitatem tribuit, ut ait S. Augustinus, serm. 219 *De Tempore*.

Vers. 35. 35. PORRO HOC AD UTILITATEM VESTRAM DICO, — ad majorem scilicet perfectionem, et profectum vestrum in spiritu et virtute, cælibatum vobis consulo.

Quis laqueus dicatur ?

NON UT LAQUEUM VOBIS INJICIAM, — non quod vobis imponere velim necessitatem continendi, et vos eo cogere. Ita Œcumenius, Theophylactus, Chrysostomus. Hoc enim præceptum laqueus esset iis, qui ægre se continere possunt, quia spoliaret eos remedio suæ incontinentiæ, scilicet conjugio, et adigeret eos in peccatum fornicationis. Dabet ex seq., quia laqueum, id est præceptum, opponit consilio, dum ait : « Sed ad id quod honestum est, » scilicet vos adhortans ; « ad honestum, » id est honestiorem et meliorem vivendi conditionem in cælibatu, q. d. Hæc dico de conditionibus virginitatis, non ut laqueum injiciam, id est, quasi eam imperans, sed quasi consulens. Ita Theodorus, Theophylactus, Anselmus, Œcumenius.

Perperam ergo Petrus Martyr et Bucerus putant laqueum hunc esse necessitatem voti : hanc enim non Apostolus aut alius, sed sibi quisque injicit, dum sponte vovet castitatem : qui autem sponte vovet, non magis injicit sibi laqueum, quam is qui sponte illigat se matrimonio, et uni alicui conjugi sæpe molestæ et rixosæ.

Vota non sunt temere.

Adde vota non suscipi nisi post experimentum, et non nisi prævio maturo consilio et deliberatione ; uti in monasteriis novitius datur annus probationis, ut vires suas explorent, et deliberent an velint vovere nec ne. Quod si hunc annum haberent conjuges, ut eo se invicem probarent ante matrimonium, credo plures resilirent, et tamen jam contracto matrimonio manere coguntur cum ignota sæpe, inexperta et ingrata conjuge : quidni ergo illi qui solemni promissione Deo facta professi sunt castitatem, quam prius experiri potuerunt et debuerunt, adigantur ut reddant vota, quæ sponte voverunt Domino Deo suo ?

Castitatem esse impossibilem, ideoque posse vel quasi coactus voti.

Longe verius est laqueus hoc dogma Buceri et Novantium, castitatem scilicet esse impossibilem, ac consequenter licere post vota nubere. Hoc enim laqueo multæ Religiosorum animæ, quin et conjugatorum, strangulant se, ut adulterentur, scortentur et damentur : dum enim persuadent sibi impossibilem esse castitatem virginalem aut conjugalem, necessum est ut in adulteria et sacrilegia hac sua persuasione et phantasia adigantur.

QUOD FACULTATEM PRÆBEAT (vobis virginibus) SINE IMPEDIMENTO DOMINUM OBSECRANDI. — Græce πρὸς τὸ εὐπάρεδρον (Erasmus et Robertus Stephanus legunt eodem sensu εὐπερίσπαστον) τῷ Κυρίῳ ἀπερισπάστως, q. d. Ad id quod assideat Deo indistracte, seu, ut in cælibatu indivulse semper assideatis et adhæreatis Deo. Ita Theophylactus et Theodoretus, scilicet ut sit vobis facultas « Dominum assidue obsecrandi, » ut legunt Romana. Sed Plantiniana et alia passim legunt, *Dominum observandi* ; S. Gregorius, p. III *Pastor.*, admon. 38, legit, *Domino observiendi*. Omnes hæ lectiones Græcæ phrasi jam dictæ respondent : nam et per obsecrationem, et per observationem, et per servitium Deo adhæremus et assidemus ; atque ad hæc omnia magnam facultatem præbet cælibatus, ut hic ait Apostolus. Sic Magdalena sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius, *Lucæ* X, 39.

Quid significet εὐπάρεδρον ?

Secundo, S. Hieronymus, *Contra Jovinian.*, vertit, « Quod intente facit servire Domino absque ulla distractione ; » εὐπάρεδρον enim duo significat, *primo*, esse assessorem constantem ; *secundo*, esse assiduum in aliqua re. Sicut ergo Socrates dicitur suum habuisse genium paredrum, cujus consilio et monitu omnia agebat, et magi in annalibus, atque hæresiarchæ in sua hæresi fabricanda, ut docet Irenæus, lib. I, cap. IX et XX, suggestores habent dæmones paredros, id est familiares, hic vice versa casti vocantur paredri, id est familiares et quasi assessores Dei, tanquam angeli quidam terrestres, qui semper ob castitatem vident faciem Patris. Hinc passim Patres comparant castos angelis. S. Bernardus, *epist.* 42 : « Diffe-

Hæresiarchæ dæmones suos suggestores et familiares habent.

Casti angeli.

Mentes angelis.

runt, inquit, homo pudicus et angelus felicitate, non virtute : angeli castitas felicior, hominis fortior. » Climacus, *gradu* 15, et Basilius, *De Sancta virgin.*, dicunt nos Deo similes per castitatem fieri, et habere speciem incorruptionis cœlestis et divinæ. Imo Gentilis Cato aiebat vitam nostram similem fore vitæ deorum, si sine uxore esse possemus : itaque uxorem malum esse, sed necessarium. In quo erravit Cato : S. Paulus enim docet per gratiam Christi non esse necessarium, sed liberum cuique tam conjugium, quam cœlibatum. Unde festive et acute B. Thomas Morus martyr roganti cur tam parvam duxisset uxorem, respondit se e malis libere et prudenter elegisse minimum. Verissime Sapiens, *Sap.* VI, 20 : « Incorruptio, inquit, facit esse proximum Deo : » nam, ut ait Nazianzenus in *Carmine de virgin.*, SS. Trinitas prima est virgo, quam omnes virgines imitantur :

Catonis dictum quo castitatem laudat.

Lepide beati Thomæ Mori.

88. Trinitas prima virgo.

Primus (inquit) Trias virgo est; siquidem Patre natus anarcho
Filius est; nec enim Pater ortum traxit ab ullo.

Et, ut ait Ambrosius, lib. I *De Virginibus* : « Virginitas e cœlo accersivit, quod imitaretur in terris. Hoc nubes, aera, angelos sideraque transcendens Verbum Dei in ipso sinu Patris invenit, Elias etiam quia nullius corporei cœlus fuisse permixtus cupiditatibus invenitur, ideo curru raptus ad cœlum. » Atque hac de causa virgines non in monte, sed supra montem Sion a S. Joanne conspecti sunt, *Apoc.* XIV, ante thronum Dei cantantes canticum novum, et sequentes Agnum quocumque ierit. Hinc et vitam cœlibem dici quasi cœlitem, illudque verum cœlibis esse etymon censet S. Hieronymus, lib. II *Contra Jovinian.*, in fine (quidquid ibidem S. Hieronymo obstrepat Erasmus), et Caius Jurisconsultus, et nuper Lipsius. « Caius, inquit Quintilianus, lib. I, cap. X, cœlibes dixit, quasi cœlites et cœlestes, quod onere gravissimo vacent nuptiarum. Per continentiam quippe colligimur et redigimur in unum, a quo in multa defluximus. » Hoc præclare et intellexerunt et prætulerunt quatuor illæ heroinæ et reginæ sorores Theodosii Imperatoris, inter quas eminuit Pulcheria, quæ virginitatem Deo voverunt, ad quas B. Cyrillus scripsit librum *De Fide ad Reginas*, de quibus Nicephorus, lib. XIV, cap. II, pag. 612, tom. I. Additque Nicephorus de hisce reginis : « Diu, inquit, noctuque hymnis laudibusque celebrabant Deum : institutum namque, propter quod virginitatem erant complexæ, nec ignaviam, nec otium decere existimabant. »

Cyrillus curru raptus ad cœlum?

Cœlibes dicti quasi cœlites.

Cœlibatus optimus ad sapientiam omnem acquirendam.

Atque hinc consequitur cœlibatum aptissimum esse ad sapientiam omnem acquirendam : quod Aristoteles quoque et Philosophi docuerunt, et Cicero reipsa præstitit ; cum enim Terentiam uxorem suam repudiasset, rogatus cur aliam non duceret, respondit se non posse simul philosophari et uxori operam dare : nam cœlebs ab aliis curis liber totus sapientiæ intendit. Rursum, animum purum ac sapientiæ capacem habet. *Tertio*, a Deo cui familiaris est, mire illustratur. Cum enim castus paredrus et assessor sit Dei, ut *hic* ait Apostolus, sequitur castum quoque esse assessorem divinæ et æternæ sapientiæ : hæc enim paredrus et assessor est Dei. « Da mihi (inquit Salomon, *Sapient.* IX, 4), Domine, sedium tuarum assistricem (Græce παρέδρον, id est *assistricem*) sapientiam. » Unde S. Hieronymus, lib. I *Contra Jovinian.*, asserit Sibyllas ob virginitatem obtinuisse a Deo donum prophetiæ.

Cælibatus optimus ad sapientiam acquirendam. Dictum Græcum.

Hinc sapientia et castitas quasi sorores S. Gregorium Nazianzenum complexæ sunt. Nam, ut narrat Ruffinus in *Prologo apolog.*, et S. Aldhelmus, *De Laudib. virgin.*, cap. XII : « Cum B. Nazianzenus Athenis studiis vacaret, vidit per soporem sedenti sibi et legenti duas decoras dextra lævaque feminas assedisse : quas ille castitatis insinctu oculo torviore inspiciens, quænam essent, quidnam vellent percunctabatur ; at illæ familiarius eum et ambitiosius complectentes aiunt : Ne moleste accipias, juvenis, notæ tibi satis et familiares sumus ; altera enim ex nobis sapientia, altera castitas dicitur, et missæ sumus a Domino tecum habitare, quia jucundum nobis et mundum in tuo corde habitaculum præparasti. » En tibi sorores gemellæ castitas et sapientia.

Vitæ B. Gregorii Nazianzeni ut de re castitatis.

Hinc *secundo*, consequitur tanta Dei et angelorum cum virginibus communicatio, familiaritas et protectio, qua illarum vicissim quasi paredri easdem illæsas et inviolatas ab omni vi et petulantia tyrannorum servaverunt : cujus rei testis est S. Basilius, *De Vera virgin.*

Deus angeli paredri mutui virginum.

Illustre exemplum extat in *Vita* S. Theophilæ, quæ sub Maximiano Imperatore ad prostibulum damnata, cum eo duceretur, sic orabat : « Mi Jesu, meus amor, mea lux, meus spiritus, meus custos castitatis et vitæ, vide eam quæ tibi desponsata est, festina ne lupi tuam pecudem lanient : serva, sponse, sponsam ; meam conserva castitatem, fons castitatis. » Ingressa ergo prostibulum, librum Evangeliorum e sinu protulit, attenteque legit : affuit mox angelus, qui primum juvenem procacem ad eam ingredi volentem morte, secundum cæcitate, alios aliis pœnis mulctavit, ita ut nemo amplius ad eam ingredi auderet. Sed libidine in reverentiam versa, cum plures religione tacti locum intrassent, viderunt Theophilam honeste sedentem, et libro incumbentem : adolescentem autem quemdam prope eam stantem, luce quadam ineffabili, pulchritudine vero incredibili, veluti quædam fulguris tela emittentem ex oculis ; qui tandem Theophilam educens ad ecclesiam, eamque in vestibulo statuens, cum *Pax tibi* dixisset, recessit, attonitis Gentibus et exclamantibus : Quis est sicut Christianorum Deus? Similia sunt in Vita S. Agnetis, Cæciliæ, Luciæ et aliarum virginum. Adeoque mirum hoc et notatu dignum in vita et martyrio SS. Virginum, quod, cum pulcherrimas virgines ab impuris

Illustre exemplum S. Theophilæ de virginitate.

Deus et simis tyrannis, promissis, minis et vi ad stuprum sollicitatus, imo publico judicio damnatas sæpissime legamus, nullam tamen violatam, sed omnes Deo et angelis tutoribus virginitatem conservasse, adeoque auxisse martyrio conspicimus.

Deus angelis tutoribus virginum.

36. Si quis turpem se videri existimat super virginem suam : — εἰ δέ τις ἀσχημονεῖν ἐπὶ τὴν παρθένον αὐτοῦ νομίζει, id est, si quis indecens esse putat, et apud mundanos homines se suamque filiam despici, ait Syrus : quasi turpe sit et indecorum, quod illa virgo plus æquo sit superadulta, græce ὑπέρακμος, *superætatana*, super ætatem sit nubilis, nec tamen viro tradatur, quasi florem ætatis, vel ætatem maturam conjugio prætereat. Ita Theophylactus et Syrus.

Et ita oportet fieri, — et ita potius fieri debere putat pater, ut collocet illam viro in matrimonium, vel quia ipsa non vult continere, vel quia stirpem et prolem ex ea quærit, vel alias ob causas.

Quod vult faciat, — filiam tradat nuptui si vult ; vel servet virginem, si id malit.

Pater est in patria potestate filiæ servare virginem, aut matrimonio jungere, si ipsa nolit.

Nota, hinc Apostoli sententiam non significare in patris potestate esse filiam servare virginem, etiamsi ipsa nolit ; aut patrem posse filiam dare marito cui ipsi libuerit, etiamsi filia in eum non consentiat ; aut consensum filiæ in maritum non sufficere ad matrimonium, nisi et pater aut tutor in illud consentiat, uti statuerunt Jura civilia, dum sanxerunt filiorum vel filiarum familias matrimonia esse irrita, nisi is consentiat qui habet eos in potestate, ut habetur *Instit. de nuptiis*, et ff. *De jure nuptiarum*. Contrarium enim sanxit Jus naturale, divinum et canonicum. Tantum ergo innuit Apostolus hic, et vers. 37, consultum et congruum esse, ut parentes videntes filiæ vel filii propensionem ad nubendum, tanquam sapientiores conjugem idoneam, more veterum, quærant illi, filiumque ac filiam in hac re debere parentum consilium et voluntatem sequi, si prudenter sibi et familiæ consulere velit, nisi justam afferat excusationem (1). Sic Abrahum, Isaac, Tobias filiis suis sponsas designaverunt, quas filii parentis voluntatem et consilium secuti sponte amplexi sunt.

Si nubat. — Græca post *non peccat*, ponunt punctum, et pro *nubat* habent γαμησάτω, jungantur matrimonio, si videlicet illud eligant et malint. Ubi tur plurali, ut et virginem et procum comprehendat, quem significavit aliquid in eam minus honestum committere, ut in procis et amasiis fieri solet : ne hoc ulterius fiat, dicit γαμείτωσαν, id est, copulentur matrimonio. Ita Maldonatus in *Notis*.

Nemo peccat si nubat.

37. Nam qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, etc., servabe virginem suam, bene facit. — Τὸ ἴσον dat causam ejus, quod dixit : « Quod vult faciat ; » nam sive nubat, non peccat ; sive non nubat, sed virgo servatur, bene facit, imo melius facit, tam pater, quam virgo filia. Unde Græca clarius habent ὃς δέ, qui vero non dat nuptui, sed servat virginem, bene facit, *q. d.* Prior non male, hic vero bene, imo melius facit.

Non habens necessitatem, — dare filiam nuptui, ob carentiam doni continentiæ, aiunt hæretici, *q. d.* Qui cogitur filiam dare nuptui, eo quod careat dono continentiæ, si eam servet virginem, male facit : qui autem non cogitur dare, eo quod filia habeat donum continentiæ, si eam servat virginem, bene facit.

Sed errant, quia *non habens necessitatem*, sicut et *si habens potestatem*, referitur ad « servare virginem, » *q. d.* Bene facit qui servat filiam virginem, nisi necessitate cogatur eam servare virginem sine conjugio, ob inopiam, infamiam, aut quia nemo eam vult conjugem, aliisve de causis. Hoc enim necessitatis est, non virtutis : virtutis vero est, si nulla cogat necessitas, sed impellat pietas, ut virginitatem eligat libera voluntas. Ita Chrysostomus, Theophylactus, Œcumenius.

Potestatem autem habens suæ voluntatis, — ut possit pater quod vult, id est, ut ei sit liberum servare virginem, quia videlicet virgo consentit manere virgo.

Nemo habet in libera arbitrium filiam in supernaturalibus.

Nota hæc Apostoli verba, et ex iis disce hominem habere liberum arbitrium, etiam in moralibus et supernaturalibus, uti hic est perpetua virginitas. Pater enim non potest eam velle in filia, nisi filia eam eligat et amplectatur libere.

Possit *secundo* simpliciter sic accipi, *non habens necessitatem*, scilicet præcepti, sed *potestatem voluntatis*, id est liberam electionem, ut sine peccato eligat quod vult, *q. d.* Virginitas non præcepti est, sed consilii : qui ergo vult filiam servare virginem, ad id nulla lege cogitur ; bene tamen facit, quia consilium Christi et meum adimplet.

Quid sit « in Domino » ex tribus sententiis.

39. Quod si dormierit, — mortuus sit. Mors fidelium dicitur somnus : ex eo enim evigilabunt in resurrectione. Hinc pii Christiani cum quis defunctus est, obdormivit, inquiunt, in Domino, id est mortuus est.

Cui vult nubat, tantum in Domino. — Græci Patres sic accipiunt τῷ *in Domino*, *q. d.* Secundum Dei legem, quæ jubet ut cum temperantia, et prolis, non libidinis causa matrimonium contrahas. Ita S. Basilius, lib. *De Vera virginit.* : « Quid, ait, est in Domino nubere? non ut vile mancipium voluptatibus carnis ad concubitum pertrahi, sed judicio et commodioris vitæ ratione nuptias eligere. Ideo enim et matrimonii necessitatem Creator in natura constituit. »

Secundo, « in Domino, » id est religiose, cum Dei timore et ad Domini gloriam : quod fiet maxime, si nubat viro probo et Christiano.

Unde *tertio*, proprie ad mentem Apostoli, « in

(1) Paulus hic loquitur more Judæorum, imo Græcorum, apud quos filiorum matrimonia ex paterna auctoritate pendebant. De hujusmodi autem moris æquitate nihil Apostolus.

Domino, » id est, in Domini Ecclesia et christianismo. « Nubat » ergo « in Domino, » id est, nubat viro Christiano. Vide *Can.* 23 et 37. Ita Ambrosius, Theodoretus, Theophylactus, Anselmus, Sedulius, D. Thomas, Augustinus, lib. I *De Adulter. conjug.*, cap. XXI.

Quare vetuit Ecclesia matrimonium Catholici cum hæretica, et Christiani cum Pagana?

Hinc Ecclesia postea omnino vetuit ob periculum perversionis, et ob indecentiam, matrimonium Catholici cum hæretica, et irritavit matrimonium Christiani cum pagana : estque peccatum mortale contrahere cum hæretico vel impotentia. Excipe Germaniam, Poloniam, Galliam, ubi cum Catholicis permixti vivunt hæretici; ibi unimi id licet, modo conjux Catholica libere permittatur, et absque perversionis periculo in fide permanere, et in eumdem prolem educare, ut docet Thomas, Sanchez, *disp.* LXXII, *num.* 3, *tom.* II. Sed quia hoc difficile fit, hinc passim cavenda et dissuadenda sunt talium connubia. Hinc denique contra Tertullianum, Montanistas, Novatianum patet licitas esse secundas nuptias.

Quarto, « nubat in Domino, » hoc est secundum leges et ritus Ecclesiæ, ab ipsis Apostolis (qui Domini vice et auctoritate fungebantur) traditos. Ritus autem ab Apostolis instituti, et a tota Ecclesia recepti hi sunt potissimi : *Primo*, ut contrahatur in præsentia sacerdotis ad id legitime deputati. « Decet enim, ut ait S. Ignatius ad Polycarpum, ut et ducentes uxores, et nubentes cum Episcopi arbitrio conjungantur, ut nuptiæ juxta præceptum Domini, non autem ob concupiscentiam coïsse videantur. » *Secundo*, ut in celebratione matrimonii sacrificium Missæ offeratur. *Tertio*, ut contrahentes Eucharistiam percipiant, etc. Unde Tertullianus, lib. II *Ad uxorem*, in fine : « Unde, ait, sufficiam ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii, quod Ecclesia conciliat, et confirmat oblatio (Missæ sacrificium), et obsignatum angeli (id est sacerdotes) renuntiant? »

40. BEATIOR AUTEM ERIT (tum hic in quiete et sanctiore vita, tum in futuro : majori beatitudine felicior et gloriosior erit in cœlo, ait Ambrosius), SI SIC (separata in viduitate) PERMANSERIT. — Hinc patet consilium viduitatis, tanquam melioris matrimonio, et patet ex dictis et ex Patribus citatis vers. 7. Vide S. Augustinum, lib. *De Bono viduitatis*, tom. IV, et Ambrosium, lib. *De Viduis*, tom. I.

Viduitas melior et beatior matrimonio.

PUTO AUTEM, QUOD ET EGO SPIRITUM DEI HABEAM, — nimirum spiritum consilii, secundum quem puto me ista fideliter suadere : ita Anselmus et alii.

Nota τὸ *et ego*, q. d. Sicut et alii Apostoli, ita et ego Spiritum Dei habeo. Modeste suam auctoritatem interponit, ne videatur hæc humano, non divino spiritu dicere et consulere. *Secundo*, notat S. Augustinus, tract. 37 *in Joan.*, τὸ *puto* non dubitantis esse, sed asseverantis et increpantis.

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Respondet Paulus secundæ quæstioni ejus, quam Corinthii proposuerant.

Tractat secundam quæstionem generalem sibi a Corinthiis propositam de idolothytis, an iis vesci liceat? Ac respondet primo, per se id non esse illicitum, cum idolum nihil sit.

Secundo, tamen docet id esse illicitum, si fiat repugnante conscientia, aut cum scandalo infirmorum, quod valde cavendum esse inculcat.

1. De iis autem, quæ idolis sacrificantur, scimus quia omnes scientiam habemus. Scientia inflat, charitas vero ædificat. 2. Si quis autem se existimat scire aliquid, nondum cognovit quemadmodum oporteat eum scire. 3. Si quis autem diligit Deum, hic cognitus est ab eo. 4. De escis autem, quæ idolis immolantur, scimus quia nihil est idolum in mundo, et quod nullus est Deus, nisi unus. 5. Nam etsi sunt qui dicantur dii sive in cœlo, sive in terra (siquidem sunt dii multi, et domini multi), 6. nobis tamen unus Deus, Pater, ex quo omnia, et nos in illum : et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum. 7. Sed non in omnibus est scientia. Quidam autem cum conscientia usque nunc idoli, quasi idolothytum manducant : et conscientia ipsorum cum sit infirma, polluitur. 8. Esca autem nos non commendat in Deo. Neque enim si manducaverimus, abundabimus : neque si non manducaverimus, deficiemus. 9. Videte autem, ne forte hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis. 10. Si enim quis viderit eum, qui habet scientiam, in idolio recumbentem : nonne conscientia ejus, cum sit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta? 11. Et peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est? 12. Sic autem peccantes in fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. 13. Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.

Quid sint idolothyta?

Pro intellectu trium sequentium capitum,

Nota : Idolothyta sunt idolis immolata, puta carnes, panis, vinum, etc., quæ idolis offerebantur : ita dicuntur ἀπὸ τοῦ εἰδώλων καὶ θύειν, ab immolando idolis. Hæc idolothyta comedere per se non erat peccatum, ut docet D. Thomas I II, *Quæst.* CIII, *art.* 4, ad 3. Erat tamen peccatum, *primo*, si id fieret ex infidelitate, ut si quis idololatra ad idoli cultum ea comederet, vel si id fieret ex infirmitate fidei, quod crebrum erat tempore Pauli. Nam multi recens conversi et rudiores erant, qui vel non plene abjecerant opinionem suam de idolis et idolothytis, quasi aliquid numinis vel divini haberent; vel certe ex pristina consuetudine non poterant vincere phantasiam suam de diis suis, Jove, Minerva, Marte (quos paulo ante quasi deos coluerant), et de sanctitate ciborum illis consecratorum. Semper enim cibos hos quasi sanctos et consecratos imaginabantur, etiamsi fides Christi illis contrarium dictaret.

Quando idolothyta vesci peccatum? Primo casu.

Secundo, ex conscientia erronea, si quis putans esse illicitum comedere idolothytum, illud contra conscientiam comederet, putans scilicet hoc esse participationem cum idolis et professionem idololatriæ; vel carnem ab idolo, sive dæmone, cui oblata est, esse contaminatam, et comedentem contaminare, ut docuit Apostolus, *Rom.* XIV.

Tertio, ex scandalo, si quis sciens idolum nihil esse, tamen ad ostendendam suam scientiam et libertatem coram infirmis idolothyta comedat, itaque eos provocet (ait Paulus, vers. 10), ut et ipsi contra conscientiam eadem comedant, vel ut putent eum qui illa comedit peccare in fidem, vel redire ad idolorum cultum, et alios eodem trahere.

Quarto, ex præcepto Apostolico, quo *Actor.* XV, 19, vetant Apostoli idolothytorum esum.

Quinto, si eo modo et iis circumstantiis quis ea comedat, v. g. in idolio, cum peragitur sacrificium idololatricum, ut censeatur id fieri ad idolorum cultum, et comedens censeatur profiteri idololatriam; perinde atque is qui accedit ad cœnam Calvinisticam, censetur profiteri calvinismum. De quo casu ait S. Augustinus, lib. *De Bono conjugali*, cap. XVI, quod citatur 32, *Quæst.* IV, cap. *Sicut autem* : « Satius est fame mori, quam idolothytis vesci. »

Quomodo Julianus Imperator ut Catholicos ad esum idolothytorum adegerit.

Quomodo Julianus Imperator ut Catholicos Constantinopolitanos ad speciem quamdam externam idololatriæ compelleret, omnes idolothytis vesci coegit. Rem gestam ita narrat Nectarius, Episcopus Constantinopolitanus, oratione quam habuit in exordio jejunii Quadragesimalis : « Cuncta, inquit, cibaria, quæ venum publice in foris exponi solerent, sacrificiis diis immolatis infecit ac polluit, ut sic omnes illi cogerentur vesci cibis immolatitiis, nisi fame confici vellent; cum oraculo Theodori Martyris, quonam modo consulendum esset fidelibus fame periclitantibus, fuit divinitus demonstratum : nempe, ut tunc loco panis cocto frumento omnes uterentur in cibum, quod ditiores pauperioribus liberaliter elargiti sunt per totam hebdomadam, quando Julianus desperans se quod volebat perficere posse, victus Christianorum continentia et constantia, rursus puros cibos absque ulla labe in foris apponi jussit. » Ubi

Cur ita Christianorum contra Julianum.

Nota, quod ait « victus continentia Christianorum : » magna enim et spontanea fuit hæc eorum abstinentia. Licet enim potuissent cibis a Juliano contaminatis vesci, tanquam cibis communibus; sed noluerunt, idque in odium Juliani et idolorum. Quod licite poterant iis vesci, patet, quia non poterat Julianus cibos communes hoc contactu vitiare, vel dæmonibus sacros efficere, ita ut qui illis vescerentur, censeretur idola colere, et idololatriam profiteri. Esto enim Julianus hoc intenderet, tamen unus ipse erat, nec poterat commune hominum judicium mutare, qui censebant rem hanc non esse idololatricam, sed adiaphoram. Unde Antiocheni cives, cum simili modo cibum et potum eorum infecisset Julianus, libere et sine scrupulo eumdem manducarunt et biberunt, ut narrat Theodoretus, lib. I *Histor.*, cap. XIV. Illine S. Augustinus, *epist.* 154, docet licere vesci olere, quod in horto idoli nascitur, et bibere de puteo, vel fonte, qui est in templo idoli, vel in quem cecidit idolothytum. De hac re plura dicam cap. X, vers. 21.

Licet bibere de puteo qui est in templo Idoli.

Nota *secundo* : Corinthi erant aliqui doctiores qui sciebant et sentiebant quod ita res erat, scilicet idola cum idolothytis nullam vim habere : itaque comedebant illa etiam cum scandalo rudiorum et infirmorum, idque ut ostentarent suam scientiam et libertatem. Alii vero rudiores, vel non plene abjecerant opinionem suam de idolis et idolothytis, vel certe ex pristina consuetudine de iis quasi sanctis et sanctificatis, non poterant vincere phantasiam suam uti dixi : unde facile ad ea relabi poterant. Hinc Apostolus timens illis periculum idololatriæ, cap. X, 14, ait : « Fugite ab idolorum cultura. » Proposuerunt ergo Corinthii quæstionem hanc Apostolo, an liceat idolothytis vesci? Unde

Idolothytis abstinendum est, ubi est scandalum.

Nota *tertio* : Apostolus illi quæstioni hic respondet *primo*, idolum et idolothyta nullam vim habere; *secundo*, idolothytis abstinendum esse, ubi est scandalum, idque agit hoc capite.

Nota *quarto*, Apostolum hic tantum inchoare responsionem ad quæstionem de idolothytis co-

Domino, » id est, in Domini Ecclesia et christianismo. « Nubat » ergo « in Domino, » id est, nubat viro Christiano. Vide *Can.* 23 et 37. Ita Ambrosius, Theodoretus, Theophylactus, Anselmus, Sedulius, D. Thomas, Augustinus, lib. I *De Adulter. conjug.*, cap. XXI.

Quare vetuit Ecclesia matrimonium Catholici cum hæretica, et Christiani cum Pagana?

Hinc Ecclesia postea omnino vetuit ob periculum perversionis, et ob indecentiam, matrimonium Catholici cum hæretica, et irritavit matrimonium Christiani cum pagana : estque peccatum mortale contrahere cum hæretico vel impotentia. Excipe Germaniam, Poloniam, Galliam, ubi cum Catholicis permixti vivunt hæretici; ibi unimi id licet, modo conjux Catholica libere permittatur, et absque perversionis periculo in fide permanere, et in eumdem prolem educare, ut docet Thomas, Sanchez, *disp.* LXXII, *num.* 3, *tom.* II. Sed quia hoc difficile fit, hinc passim cavenda et dissuadenda sunt talium connubia. Hinc denique contra Tertullianum, Montanistas, Novatianum patet licitas esse secundas nuptias.

Quarto, « nubat in Domino, » hoc est secundum leges et ritus Ecclesiæ, ab ipsis Apostolis (qui Domini vice et auctoritate fungebantur) traditos. Ritus autem ab Apostolis instituti, et a tota Ecclesia recepti hi sunt potissimi : *Primo*, ut contrahatur in præsentia sacerdotis ad id legitime deputati. « Decet enim, ut ait S. Ignatius ad Polycarpum, ut et ducentes uxores, et nubentes cum Episcopi arbitrio conjungantur, ut nuptiæ juxta præceptum Domini, non autem ob concupiscentiam coïsse videantur. » *Secundo*, ut in celebratione matrimonii sacrificium Missæ offeratur. *Tertio*, ut contrahentes Eucharistiam percipiant, etc. Unde Tertullianus, lib. II *Ad uxorem*, in fine : « Unde, ait, sufficiam ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii, quod Ecclesia conciliat, et confirmat oblatio (Missæ sacrificium), et obsignatum angeli (id est sacerdotes) renuntiant? »

40. BEATIOR AUTEM ERIT (tum hic in quiete et sanctiore vita, tum in futuro : majori beatitudine felicior et gloriosior erit in cœlo, ait Ambrosius), SI SIC (separata in viduitate) PERMANSERIT. — Hinc patet consilium viduitatis, tanquam melioris matrimonio, et patet ex dictis et ex Patribus citatis vers. 7. Vide S. Augustinum, lib. *De Bono viduitatis*, tom. IV, et Ambrosium, lib. *De Viduis*, tom. I.

Viduitas melior et beatior matrimonio.

PUTO AUTEM, QUOD ET EGO SPIRITUM DEI HABEAM, — nimirum spiritum consilii, secundum quem puto me ista fideliter suadere : ita Anselmus et alii.

Nota τὸ *et ego*, q. d. Sicut et alii Apostoli, ita et ego Spiritum Dei habeo. Modeste suam auctoritatem interponit, ne videatur hæc humano, non divino spiritu dicere et consulere. *Secundo*, notat S. Augustinus, tract. 37 *in Joan.*, τὸ *puto* non dubitantis esse, sed asseverantis et increpantis.

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Respondet Paulus secundæ quæstioni ejus, quam Corinthii proposuerant.

Tractat secundam quæstionem generalem sibi a Corinthiis propositam de idolothytis, an iis vesci liceat? Ac respondet primo, per se id non esse illicitum, cum idolum nihil sit.

Secundo, tamen docet id esse illicitum, si fiat repugnante conscientia, aut cum scandalo infirmorum, quod valde cavendum esse inculcat.

1. De iis autem, quæ idolis sacrificantur, scimus quia omnes scientiam habemus. Scientia inflat, charitas vero ædificat. 2. Si quis autem se existimat scire aliquid, nondum cognovit quemadmodum oporteat eum scire. 3. Si quis autem diligit Deum, hic cognitus est ab eo. 4. De escis autem, quæ idolis immolantur, scimus quia nihil est idolum in mundo, et quod nullus est Deus, nisi unus. 5. Nam etsi sunt qui dicantur dii sive in cœlo, sive in terra (siquidem sunt dii multi, et domini multi), 6. nobis tamen unus Deus, Pater, ex quo omnia, et nos in illum : et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum. 7. Sed non in omnibus est scientia. Quidam autem cum conscientia usque nunc idoli, quasi idolothytum manducant : et conscientia ipsorum cum sit infirma, polluitur. 8. Esca autem nos non commendat in Deo. Neque enim si manducaverimus, abundabimus : neque si non manducaverimus, deficiemus. 9. Videte autem, ne forte hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis. 10. Si enim quis viderit eum, qui habet scientiam, in idolio recumbentem : nonne conscientia ejus, cum sit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta? 11. Et peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est? 12. Sic autem peccantes in fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. 13. Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem.

Quid sint idolothyta?

Pro intellectu trium sequentium capitum,

Nota : Idolothyta sunt idolis immolata, puta carnes, panis, vinum, etc., quæ idolis offerebantur : ita dicuntur ἀπὸ τοῦ εἰδώλων καὶ θύειν, ab immolando idolis. Hæc idolothyta comedere per se non erat peccatum, ut docet D. Thomas I II, *Quæst.* CIII, *art.* 4, ad 3. Erat tamen peccatum, *primo*, si id fieret ex infidelitate, ut si quis idololatra ad idoli cultum ea comederet, vel si id fieret ex infirmitate fidei, quod crebrum erat tempore Pauli. Nam multi recens conversi et rudiores erant, qui vel non plene abjecerant opinionem suam de idolis et idolothytis, quasi aliquid numinis vel divini haberent; vel certe ex pristina consuetudine non poterant vincere phantasiam suam de diis suis, Jove, Minerva, Marte (quos paulo ante quasi deos coluerant), et de sanctitate ciborum illis consecratorum. Semper enim cibos hos quasi sanctos et consecratos imaginabantur, etiamsi fides Christi illis contrarium dictaret.

Quando idolothyta vesci peccatum? Primo casu.

Secundo, ex conscientia erronea, si quis putans esse illicitum comedere idolothytum, illud contra conscientiam comederet, putans scilicet hoc esse participationem cum idolis et professionem idololatriæ; vel carnem ab idolo, sive dæmone, cui oblata est, esse contaminatam, et comedentem contaminare, ut docuit Apostolus, *Rom.* XIV.

Tertio, ex scandalo, si quis sciens idolum nihil esse, tamen ad ostendendam suam scientiam et libertatem coram infirmis idolothyta comedat, itaque eos provocet (ait Paulus, vers. 10), ut et ipsi contra conscientiam eadem comedant, vel ut putent eum qui illa comedit peccare in fidem, vel redire ad idolorum cultum, et alios eodem trahere.

Quarto, ex præcepto Apostolico, quo *Actor.* XV, 19, vetant Apostoli idolothytorum esum.

Quinto, si eo modo et iis circumstantiis quis ea comedat, v. g. in idolio, cum peragitur sacrificium idololatricum, ut censeatur id fieri ad idolorum cultum, et comedens censeatur profiteri idololatriam; perinde atque is qui accedit ad cœnam Calvinisticam, censetur profiteri calvinismum. De quo casu ait S. Augustinus, lib. *De Bono conjugali*, cap. XVI, quod citatur 32, *Quæst.* IV, cap. *Sicut autem* : « Satius est fame mori, quam idolothytis vesci. »

Quomodo Julianus Imperator ut Catholicos ad esum idolothytorum adegerit.

Quomodo Julianus Imperator ut Catholicos Constantinopolitanos ad speciem quamdam externam idololatriæ compelleret, omnes idolothytis vesci coegit. Rem gestam ita narrat Nectarius, Episcopus Constantinopolitanus, oratione quam habuit in exordio jejunii Quadragesimalis : « Cuncta, inquit, cibaria, quæ venum publice in foris exponi solerent, sacrificiis diis immolatis infecit ac polluit, ut sic omnes illi cogerentur vesci cibis immolatitiis, nisi fame confici vellent; cum oraculo Theodori Martyris, quonam modo consulendum esset fidelibus fame periclitantibus, fuit divinitus demonstratum : nempe, ut tunc loco panis cocto frumento omnes uterentur in cibum, quod ditiores pauperioribus liberaliter elargiti sunt per totam hebdomadam, quando Julianus desperans se quod volebat perficere posse, victus Christianorum continentia et constantia, rursus puros cibos absque ulla labe in foris apponi jussit. » Ubi

Cur ita Christianorum contra Julianum.

Nota, quod ait « victus continentia Christianorum : » magna enim et spontanea fuit hæc eorum abstinentia. Licet enim potuissent cibis a Juliano contaminatis vesci, tanquam cibis communibus; sed noluerunt, idque in odium Juliani et idolorum. Quod licite poterant iis vesci, patet, quia non poterat Julianus cibos communes hoc contactu vitiare, vel dæmonibus sacros efficere, ita ut qui illis vescerentur, censeretur idola colere, et idololatriam profiteri. Esto enim Julianus hoc intenderet, tamen unus ipse erat, nec poterat commune hominum judicium mutare, qui censebant rem hanc non esse idololatricam, sed adiaphoram. Unde Antiocheni cives, cum simili modo cibum et potum eorum infecisset Julianus, libere et sine scrupulo eumdem manducarunt et biberunt, ut narrat Theodoretus, lib. I *Histor.*, cap. XIV. Illine S. Augustinus, *epist.* 154, docet licere vesci olere, quod in horto idoli nascitur, et bibere de puteo, vel fonte, qui est in templo idoli, vel in quem cecidit idolothytum. De hac re plura dicam cap. X, vers. 21.

Licet bibere de puteo qui est in templo Idoli.

Nota *secundo* : Corinthi erant aliqui doctiores qui sciebant et sentiebant quod ita res erat, scilicet idola cum idolothytis nullam vim habere : itaque comedebant illa etiam cum scandalo rudiorum et infirmorum, idque ut ostentarent suam scientiam et libertatem. Alii vero rudiores, vel non plene abjecerant opinionem suam de idolis et idolothytis, vel certe ex pristina consuetudine de iis quasi sanctis et sanctificatis, non poterant vincere phantasiam suam uti dixi : unde facile ad ea relabi poterant. Hinc Apostolus timens illis periculum idololatriæ, cap. X, 14, ait : « Fugite ab idolorum cultura. » Proposuerunt ergo Corinthii quæstionem hanc Apostolo, an liceat idolothytis vesci? Unde

Idolothytis abstinendum est, ubi est scandalum.

Nota *tertio* : Apostolus illi quæstioni hic respondet *primo*, idolum et idolothyta nullam vim habere; *secundo*, idolothytis abstinendum esse, ubi est scandalum, idque agit hoc capite.

Nota *quarto*, Apostolum hic tantum inchoare responsionem ad quæstionem de idolothytis co-

medendis : illam enim absolvit, et perfecte respondet cap. X, vers. 20 et 21 ; nam non tantum ob scandalum non licet iis vesci, sed etiam cessante scandalo absolute in idoliis, id est templis, aris, vel mensis idolorum, ubi illa comedi solebant, coram idololatris illa offerentibus, iis vesci non licet. Hoc enim esset profiteri idololatriam, et colere idolum epulo, quo consummatur sacrificium illi oblatum : hoc enim epulum pars quædam erat et perfectio sacrificii. Et sic intelligendum est *Apocal.* II, 14 et 20, ubi angelus, id est Episcopus, Pergami et Thyatiræ redarguitur, quod permiserit suos manducare de idolothytis, nimirum quasi cibis sacris et divinis, idque in honorem idolorum. Hoc enim fuit scandalum, quod Balac rex instinctu Balaam mîsit coram filiis Israel ; illisce enim idolothytis pellecti sunt filii Israel ad cultum et adorationem Beelphegor, *Num.* XXV, 2. Eadem de causa vetantur idolothyta in Concilio Gangrensi, cap. II, et in Concilio III Aurelianensi, cap. XIX.

Idolothytis non licet vesci in idoliis. Quare angelus, id est Episcopus, Pergami et Thyatiræ redarguitur, quod permiserit suos manducare de idolothytis. Filii Israel ad cultum et adorationem Beelphegor, *Num.* XXV, 2. Apostoli absolute vetarunt esum idolothytorum.

Nota *quinto*, Apostolum subticere præceptum Apostolorum *Actor.* XV, quo absolute vetant esum idolothytorum : quia illud præceptum tantum dirigebatur ad Antiochenos eorumque vicinos (ut patet ex vers. 23 ibidem), ubi plurimi erant Judæi, qui idola et idolothyta execrabantur. Ili enim cum Gentibus miserant legatos Hierosolymam ad Apostolos, ut quæstionem de legalibus servandis deciderent : quibus Apostoli respondent legalia non esse servanda ; sed tamen abstinendum esse ab esu idolothytorum, idque concordiæ Judæorum cum Gentibus causa : licet postea etiam aliæ Gentes ab Antochia remotissimæ hoc præceptum Apostolicum amplexæ sint sponte, ob reverentiam Apostolorum, ut ostendit Baronius, anno Christi 51, post medium, p. 411.

1. DE HIS AUTEM QUÆ IDOLIS SACRIFICANTUR, SCIMUS, — quod, scilicet, immolata idolis ab aliis cibis non differant, nec plus habeant numinis vel religionis, ut quidam vestrum, o Corinthii, persuasi videntur. Vide Chrysostomum.

QUIA OMNES (bene et plane in fide Christi instituti) SCIENTIAM (id est, sufficientem rerum Christianarum cognitionem) HABEMUS, — ex qua scimus idolothyta esse adiaphora.

SCIENTIA INFLAT. — *q. d.* Scientia hæc vestra, qua scitis idola nihil esse, et consequenter licitum idolothytis vesci, iisque vescimini cum scandalo ignorantium hoc : hæc, inquam, scientia facit vos superbire contra ignorantes, eosque despicere. Pro *inflat* græce est φυσιᾷ, id est, tumet, turget instar follis vento distenti. Talis enim est vanilosa scientia. Hinc superbus diabolus dictus est ὑπέρφυσος quasi ὑπέρφυσος, id est doctus, peritus, scitus, inquit Plato in *Cratylo*. Vere S. Augustinus in *Sentent.*, n. 241 : « Illuminat, ait, virtus est, de scientia non gloriari, quia communis est omnibus sicut lucis, ita participatio veritatis. »

Quæ scientia inflat?

ICAT, — scilicet infirmos et ignaros : ut eos enim in fide et pietate Christiana contineat et promoveat, id quod eis obesse potest, scilicet idolothytorum esum, dimittit. Superbum ergo facit ventosa scientia, nisi charitate temperetur. Ita Anselmus.

Hinc patet hanc scientiam inflantem contrariam esse charitati : inducit enim contemptum proximorum, cum charitas pro proximis sollicita sit, ut eos ædificet. Apposite S. Bernardus, serm. 36 *in Cantica* : « Sicut, inquit, cibus indigestus malos generat humores, et corpus non nutrit, sed corrumpit, ita ex multa scientia ingesta stomacho animæ, qui est memoria, si igne Christi decocta non fuerit, et sic per quosdam artus animæ, mores scilicet atque actus, transfusa atque digesta, nonne reputabitur in peccatum, tanquam cibus conversus in pravos noxiosque humores (1) ? »

Scientia inflans comparatur cibo indigesto.

2. SI QUIS SE EXISTIMAT SCIRE ALIQUID, NONDUM COGNOVIT QUEMADMODUM OPORTEAT EUM SCIRE. — Id est, qui putans se aliquid scire inde inflatur, hic necdum scit quis sit finis, usus et modus scientiæ, videlicet ut per scientiam non superbias, prosis quibus possis, nemini obsis, neminem scandalizes ; et sic a Deo agnoscaris et ameris, ut sequitur. Notat ostentantes suam scientiam de idolothytis quod liceret iis vesci, quodque iis vescerentur cum scandalo rudiorum.

Vers. 2. Qui putat se aliquid scire, cum et modum nescit.

Pulchre S. Bernardus, *serm.* 36 jam citato, explicans hunc Apostoli locum : « Vides, inquit, quoniam non probat multa scientem, si modum sciendi nescierit. Modus est, ut scias quo ordine, quo studio, quo fine quæque nosse opus. Quo ordine ? ut id prius quod maturius ad salutem. Quo studio ? ut id ardentius quod vehementius ad amorem. Quo fine ? ut non ad inanem gloriam, curiositatem aut aliquid simile, sed tantum ad ædificationem tuam vel proximi. Sunt namque qui scire volunt, eo fine tantum ut sciant, et turpis curiositas est. Et sunt qui scire volunt ut sciantur et ipsi, et turpis vanitas est, qui profecto non evadent subsannantem Salyricum :

Quinque modis aliquis scientiam quærit, quorum quatuor pravi sunt, quinto modo quærendum est.

Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter.

Et sunt qui scire volunt ut scientiam suam ven-

(1) Alii cum Noesselto verba, *scimus quia omnes scientiam habemus*, non Pauli esse arbitrantur, sed Corinthiorum, quorum sententiam recitet, atque tum contra dicat : Hujusmodi autem intelligentia, vel scientia, contemnit alios, et facit, ut nullam rationem habeamus ejus quod aliis de ea re videatur ; charitas vero consulit iis, curat quod aliis prodest. Necesse ti ratio est, quod Paulus, qui infra vers. 7, scribat, *sed non in omnibus est scientia*, aperte sibi contradixisset, si vers. 1 affirmasset *quia omnes scientiam habemus*.

Multi interpretes verba *scimus quia*, usque ad *cognitus est* eb eo, parenthesi concludenda putant, hac ratione ducti, quod vers. 4 iisdem pene verbis Paulus orationem persequatur. Sed non est eadem sententia vers. 1-3 et vers. 4 seq. ; nostro enim loco *universe* admonet, cavendum esse, ne illo recto judicio abutantur ; sed vers. 4 et seq. examinat rationem qua Corinthii jus suum defendebant.

dant, et turpis quæstus est. Sed sunt quoque qui scire volunt ut ædificent, et charitas est : et item scire volunt ut ædificentur, et prudentia est. Horum omnium soli ultimi duo non inveniuntur in abusione scientiæ, quippe qui ad hoc volunt intelligere ut benefaciant. » Idem, lib. *De Conscientia*, cap. II : « Multi, ait, quærunt scientiam, pauci conscientiam. Si vero tanto studio et sollicitudine quæreretur conscientia, quanto quæritur sæcularis et vana scientia, et citius apprehenderetur, et utilius retineretur. »

3. SI QUIS DILIGIT DEUM (et propter Deum proximum, ut cum idolothytorum esu aliave re non scandalizet, sed ædificet), HIC COGNITUS EST AB EO, — id est, hic a Deo approbatus et dilectus est, in hujus scientia complacitum est Deo (1).

Qui Deum diligit, etiam proximum diligit. Vers. 3.

Nota : Qui diligit Deum, diligit et proximum, quia dilectio Dei jubet et imperat ut proximus diligatur propter Deum ; et in dilectione proximi probatur et cernitur dilectio Dei, ut ait Joannes, *epist.* I, cap. IV, 20.

4. DE ESCIS QUÆ IDOLIS IMMOLANTUR, SCIMUS QUIA NIHIL EST IDOLUM (*q. d.* Idolum non est id quod existimatur, et quod repræsentat, non est Deus. Unde explicans subdit), ET QUOD NULLUS EST DEUS, NISI UNUS. — *q. d.* Idolum nihil est, id est, nihil tale est quale præ se fert, quia nihil habet numinis ; materialiter est lignum, formaliter nihil : quia imago est falsæ rei, sive Dei qui non est ; ac consequenter idolothytum qua tale, nihil est, id est nihil habet numinis vel sanctitatis ex idolo, cui est oblatum (2).

Vers. 4.

Alludit Apostolus ad hebraeum אלילי *elil* : nam idolum dicitur אליל *elil*, id est vanitas, res vana, inanis : vel potius, ut *elil* sit diminutivum ab אל *el*, id est, Deus fortis, *q. d. Elil*, id est deiculus, forticulus : vel, ut alii, *elil* quasi אל אל *al el*, id est, non Deus, non habens potentiam, fortitudinem Dei, inops ad consolandum et juvandum, *q. d.* idolum non est Deus, sed vana, falsa et inanis umbra Dei. Sic idolum Græcis priscis erat imago quævis inanis et mendax, qualia sunt vana phantasmata, spectra, umbræ mortuorum et, ut Virgilius ait : « Tenues sine corpore vitæ, » et « cava sub imagine formæ. » Id patet ex Platone in *Theæteto*, ex Luciano in dialogo *De Mortuis*, ex Homero *Odyssee* XI, et Enstathio, ibidem. « Εἶδος græce *formam* sonat, ab eo per diminutionem « εἴδωλον deductum idem est quod formula, » ait Tertullianus, lib. *De Idolol.*, cap. III. Unde sacra Scriptura et scriptores Ecclesiastici nomen

Idolum dicitur *elil*, quia nihil est.

idoli arctarunt ad imaginem Dei qui habetur Deus, revera non est, ut patet hic ex Apostolo. Et passim simulacra et deos Gentium Septuaginta in veteri Testamento vertunt et vocant idola.

Quare falluntur et fallunt Henricus Stephanus et Joannes Scapula in lexicis suis asserentes idolum apud scriptores Ecclesiasticos vocari omne simulacrum numen aliquod repræsentans, quod honore et cultu dignamur. Non enim omne simulacrum, vel imago numinis cujuslibet, est idolum, sed tantum numinis *falsi*. Ita Cyprianus, *De Exhort. mart.*, cap. I ; Tertullianus, lib. de *De Idololatria* ; Athanasius, orat. *Contra Idola*, sub finem.

Falsa idolum esse omne simulacrum numen aliquod repræsentans.

Fraus ergo illa Novantium cavenda, qui idolum cum imagine confundunt, ut, cum idola in Scripturis vetantur, inde concludant omnes imagines vetari. Vide Bellarminum, lib. II *De Imaginibus*, cap. V, ubi solide demonstrat quod idolum sit similitudo rei falsæ, imago vero rei veræ.

Idolum cum imagine non confundendum.

5. NAM ETSI SUNT QUI DICANTUR DII (a Paganis, et apud eos sunt dii et domini multi, ut sequitur : dii, inquam, tam cœlestes, uti sol, luna, stellæ ; quam terrestres, ut Jupiter, Apollo, Hercules), 6. NOBIS TAMEN UNUS EST DEUS, PATER, EX QUO OMNIA, ET NOS IN ILLUM, — in illius scilicet gloriam et cultum creati sumus.

Vers. 5. Qui dii colantur, qui terrestres? Vers. 6.

Nota : Scriptura tribuit Patri præpositionem *ex*, ut primo principio ; Filio *per*, quia idea est et Verbum, per quod omnia facta sunt. Unde hic Apostolus : « Et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum, » scilicet creati et redempti sumus. Spiritui Sancto tribuit *in*, quia Spiritus Sanctus est vinculum et amor Patris et Filii. Vide dicta *Rom.* cap. XI, vers. ultimo.

Quare Scriptura tribuat Patri præpositionem ex ; Filio, per ; Spiritui Sancto, in?

Nota contra Arianos : Cum ait Paulus : « Unus Deus, » excludit tantum falsos deos, non Filium et Spiritum Sanctum ; sic cum subdit : « Unus Dominus Jesus, » excludit tantum falsos dominos, puta deos, non Patrem et Spiritum Sanctum.

7. SED IN OMNIBUS EST SCIENTIA, — jam dicta, quod idolum et idolothytum nihil sit. Nam, ut sequitur :

QUIDAM AUTEM (id est, quidam enim, juxta *Cant.* 2:5) CUM CONSCIENTIA IDOLI (ex erronea conscientia putantes quod idolum habeat aliquid divinitatis) QUASI IDOLOTHYTUM MANDUCANT, — id est, cum reverentia, quasi venerandum, quod numini in idolo latenti sit oblatum et sanctificatum. Ita Anselmus.

Aliter explicat Theophylactus, *q. d.* Paulus : Quidam comedunt idolothytum cum erronea conscientia, qua putant, quod idolothytum ab idolo sit immutatum, et physice a dæmone afflatum, perinde ac si halitu diabolico infectum esset, vel certe ac si moraliter vitiatum et pollutum esset ex eo, quod censeatur jam esse res diaboli et cibus dæmonis, itaque comedentem immutet et contaminet ; comedunt ergo idolothytum cum

(1) Alii pro *cognitus est*, vertunt *recte edoctus est*, more Hebræorum qui verbis neutris adhibent pro activis.

(2) Refellit nunc Paulus duplicem rationem, qua Corinthii sententiam suam de jure idolothytis vescendi defendebant, vel consuetudinem excusabant, unam vers. 4-7, alteram vers. 8 seq. Prima igitur ratio erat, deos gentium non esse deos, et ne existere quidem. Rem ipsam concedit quidem Apostolus et confirmat, sed falsum esse id, quod Corinthii ex hac propositione in se vera concludebant, ostendit vers. 7.

conscientia quod per illud polluentur et inficientur.

Hic sensus etiam commodus et probabilis est : nam non est dubium inter Corinthios recens conversos, alios nimis scrupulosos, alios nimis superstitiosos fuisse.

CONSCIENTIA ENIM CUM SIT INFIRMA (non plene in fide instructa circa idolothyta), POLLUITUR. — Quia contra conscientiam, aliorum exemplo manducant idolothyta. Ita Chrysostomus.

Refutatur doctrina Libertinorum de exercitio peccandi. Insanibant Libertini, dum ex hoc loco docent nec fornicationem, nec ebrietatem, nec quid aliud esse peccatum, nisi quis ea in re sibi formet peccati conscientiam et scrupulum. Suadent itaque ipsi deponendam esse omnem conscientiam, ut non peccet, quidquid agat. Libertini ergo nullam habent conscientiam; ac proinde videntur et hominem, et rationem, et virtutem omnem exuisse: quæ vero dementia est hoc Apostolo tribuere? Quis enim non videt Apostolum hic loqui non de peccatis rebusve illicitis, sed adiaphoris, quale est manducare idolothyta.

8. ESCA AUTEM NOS NON COMMENDAT DEO. — *q. d.* Idolothytorum, vel aliorum ciborum esus per se nihil facit ad pietatem, qua Deo placeatur; ideoque non debemus nos finxisse, quasi pietatis causa, velle passim omnibus indifferenter uti. Convertit enim hic se Apostolus ad perfectiores, eos monens, ut vitent scandalum infirmorum.

Quomodo esca non commendet nos Deo? Incipit ergo, imo perperam abutuntur hoc loco hæretici contra delectum ciborum et jejunia Ecclesiæ : esca enim non commendat nos Deo, quia non est virtus : sed abstinentia ab esca vetita est actus temperantiæ, obedientiæ et religionis. Ideoque nos Deo commendat, sicut commendavit Danielem cum sociis, Rechabitas, Joannem Baptistam et alios. Vide dicta *Rom.* XIV, 17.

NEQUE ENIM SI MANDUCAVERIMUS (idolothyta), ABUNDABIMUS, — scilicet virtute, merito et gratia, quæ nos commendet apud Deum, uti præcessit, *q. d.* Per esum idolothytorum nihil magnum, abundans, copiosum, nihil gratiæ spiritualis nobis accedet, ut iis inhiare non debeamus. Ita Chrysostomus.

Secundo, et simplicius, ut sit nova ratio dissuadens esum idolothytorum. Sensus est, *q. d.* Sive edamus idolothyta, non ideo escis et deliciis, bonisque abundabimus; sive non edamus, non ideo escis et deliciis deficiemus : aliis enim vesci licebit. Sic vulgo dicimus, sive ad convivium hoc vocer, sive non, non ideo saturabor vel esuriam, non ideo pinguior ero vel macrior, ditior vel pauperior. Ostendit quam esca sint res viles et exiles, ideoque omittendæ ob scandalum, et postponendæ ædificationi proximorum. Ita Anselmus.

9. VIDETE, NE HÆC LICENTIA VESTRA (comedendi idolothyta) OFFENDICULUM FIAT INFIRMIS. 10. SI ENIM QUIS VIDERIT EUM, QUI HABET SCIENTIAM (idolothytum nihil esse), IN IDOLIO RECUMBENTEM : NONNE CONSCIENTIA IPSIUS, CUM SIT INFIRMA, ÆDIFICABITUR AD MANDUCANDUM IDOLOTHYTA? — « In idolio, » id est, inquit Erasmus, in epulo idolorum; *secundo*, proprie, « in idolio, » id est, templo vel mensa idolis consecrata. Nam ibi accumbebant comesturi idolothyta : tales enim epulas, utpote sacras, in templo instrui solere, docet Herodotus in *Clio*, Virgilius VIII *Æneid.*, in sacrificio Evandri et epulo cum Trojanis. Sic et Judæi victimas pacificas comedebant in atrio templi, *Deuter.* XVI, 11. Hinc Syrus hic vertit, *si quis te viderit accumbentem inter idola.*

Quando idolothyta in idolio est sumere? Utrum ea scienti admissa sint? Unde patet, idolothyta edere in idolio, non tantum esse malum propter scandalum, sed etiam per se, quia est professio idololatriæ, ut dicetur cap. X.

Tropologice Anselmus : Scientia idolothytorum est scientia vanitatis philosophorum, poetarum, oratorum Gentilium; hæc cavenda est. Absit ut ore Christiano sonet : Jupiter omnipotens, et me Hercules, et me Castor, et cætera portenta magis quam numina.

Nota : « Ædificabitur, » id est provocabitur, erigetur ut comedat idolothyta quasi sacra, et quasi quid gratiæ inde accepturus, aut sacrificaturus numini cuipiam, sicque redeat ad idololatriam. Alii : « ædificabitur, » inquiunt, id est provocabitur, ut contra conscientiam, qua putat cibum idolo oblatum ab eo esse afflatum et contaminatum, indeque se contaminandum, cum manducet, ut dixi vers. 7.

Scandalo zanus pœnitentia in Christianum peccat. 12. SIC PECCANTES IN FRATRES, ET PERCUTIENTES (scandalizantes, et per scandalum vulnerantes) CONSCIENTIAM EORUM INFIRMAM, IN CHRISTUM PECCATIS. — Christus enim sibi factum arrogat quod uni ex minimis suis factum fuerit, *Matth.* XXV, 40. Iterum qui scandalizant proximum, in Christum peccant : quia Christi fabricam, puta proximorum probitatem et salutem, quam Christus suo sanguine construxit, malo suo exemplo destruunt et evertunt.

Vers. 13. 13. QUAPROPTER SI ESCA SCANDALIZAT FRATREM MEUM : NON MANDUCABO CARNEM IN ÆTERNUM. — « Hoc magistri (inquit Chrysostomus) optimi est officium, suo exemplo docere quæ præcipit. Et non dicit, sive juste, sive injuste, sed quomodocumque. Et non dico, inquit, idolothytum, quod et propter aliam causam prohibetur : sed si quod licet et permittitur, scandalizat, etiam illo abstineo; neque una aut altera die, sed tota vitæ tempore. Non enim manducabo, inquit, carnes in æternum. Et non inquit : Ne perdam fratrem, sed simpliciter : Ut non scandalizem. Etenim ultimæ amentiæ est, quæ Christo pretiosissima sunt, et talia, ut eorum gratia mortem obire non recusaverit, ita nos despicatissima arbitrari, ut escis propterea non abstinemus. »

Vide de scandalo S. Basilium in *Regulis brevi* Reg. 64, ubi in fine ait, eo scandalum esse

jus, quo is qui illud dat, majori scientia aut gradu præditus est; additque quod Deus de manu ejus sanguinem peccantium, qui illius malum exemplum sequuntur, requiret et reposcet.

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

***Pergit** suo exemplo docere, quam sint cavenda scandala, narratque se stipendium, sive alimenta prædicatoribus debita accipere noluisse, idque majoris tum meriti, tum ædificationis causa.*

Hinc secundo, vers. 7, *probat* sex argumentis (*quæ colligam vers.* 12) *hæc alimenta sibi aliisque evangelizantibus deberi.*

Tertio, vers 20, *eadem de causa ostendit se omnibus omnia esse factum, ut discant Corinthii, quam cuique ædificatio et salus proximi curanda sit.*

Quarto, vers. 24, *ad eamdem ædificationem incitat, docens vitam nostram esse stadium et agonem virtutis, in quo semper ad meliora, et ad bravium jugi abstinentia, et corporis castigatione currendum et certandum est.*

1. Non sum liber? Non sum Apostolus? Nonne Christum Jesum Dominum nostrum vidi? Nonne opus meum vos estis in Domino? 2. Et si aliis non sum Apostolus, sed tamen vobis sum : nam signaculum apostolatus mei vos estis in Domino. 3. Mea defensio apud eos, qui me interrogant, hæc est : 4. Numquid non habemus potestatem manducandi et bibendi? 5. Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut et cæteri Apostoli, et fratres Domini, et Cephas? 6. Aut ego solus, et Barnabas, non habemus potestatem hoc operandi? 7. Quis militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam, et de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, et de lacte gregis non manducat? 8. Numquid secundum hominem hæc dico? An et lex hæc non dicit? 9. Scriptum est enim in lege Moysis : Non alligabis os bovi trituranti. Numquid de bobus cura est Deo? 10. An non propter nos utique hoc dicit? Nam propter nos scripta sunt : Quoniam debet in spe, qui arat, arare, et qui triturat, in spe fructus percipiendi. 11. Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus? 12. Si alii potestatis vestræ participes sunt, quare non potius nos? sed non usi sumus hac potestate : sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Evangelio Christi. 13. Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt? et qui altari participant? Ita et Dominus ordinavit iis, qui Evangelium enuntiant, de Evangelio vivere. 15. Ego autem nullo horum usus sum. Non autem scripsi hæc ut ita fiant in me : bonum est enim mihi magis mori, quam ut gloriam meam quis evacuet. 16. Nam si evangelizavero, non est mihi gloria : necessitas enim mihi incumbit : væ enim mihi est, si non evangelizavero. 17. Si enim volens hoc ago, mercedem habeo : si autem invitus, dispensatio mihi credita est. 18. Quæ est ergo merces mea? Ut Evangelium prædicans, sine sumptu ponam Evangelium, ut non abutar potestate mea in Evangelio. 19. Nam cum liber essem ex omnibus, omnium me servum feci, ut plures lucrifacerem. 20. Et factus sum Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrarer. 21. Iis qui sub lege sunt, quasi sub lege essem (cum ipse Judæus, ut Judæos lucrarer. 21. Iis qui sub lege sunt, quasi sub lege essem (cum ipse non essem sub lege), ut eos, qui sub lege erant, lucrifacerem. Iis qui sine lege erant, tanquam sine lege essem (cum sine lege Dei non essem : sed in lege essem Christi), ut lucrifacerem eos, qui sine lege erant. 22. Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos. 23. Omnia autem facio propter Evangelium, ut particeps ejus efficiar. 24. Nescitis quod ii qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Sic currite ut comprehendatis. 25. Omnis

autem, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet; et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant : nos autem incorruptam. 26. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum; sic pugno, non quasi aerem verberans. 27. Sed castigo corpus meum, et in servitutem redigo : ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.

Docet Paulus cavendæ mæ scandala.

4. NON SUM LIBER? NON SUM APOSTOLUS? — Quæres : Quomodo hæc cohærent præcedentibus? videtur enim ex abrupto hic loqui Paulus.

Respondeo : Dixerat Paulus in fine cap. præced. omnino cavendæ esse scandala : hic ut illud persuadeat, proponit se in exemplum, quod tum ad cavendum scandalum, quam ad dandum rara virtutis exemplum, jure suo tot nominibus sibi debito cesserit, nolens recipere stipendium prædicationis sum, sed proprio labore victum sibi parans; ut et Corinthii suo jure desedant, ne præsertim non vescantur idolothytis, in gratiam proximorum, cum videant eos inde scandalizari, aut in periculum peccati induci. Simul tamen Paulus tacite, et quasi aliud agens contra pseudoapostolos suæ prædicationis sinceritatem et auctoritatem hac narratione tuetur, utpote qui gratis tanto labore evangelizarit, cum pseudoapostoli sua lucra ex Evangelio captarent. Dicit ergo : « Non sum liber? non sum Apostolus? » *q. d.* Nonne mei juris sum, ut tanquam Christi Apostolus sumptus et alimoniam a vobis exigere et accipere possim? hoc tamen non facio, ut ostendam quanti sit faciendа proximi salus, et consequenter quam vos scandala idolothytorum, et alia quævis vitare debeatis. Ita Chrysostomus, quem vide in moral. hic homil. 20 *De cavendo scandalo.*

Quare Hebræi sæpe assumant interrogationes?

Nota : Utitur hic crebra interrogatione Apostolus, tum ex phrasi Hebræorum, qui ea gaudent, cum se insinuare, vel aliquid inculcare volunt; tum ad majorem emphasim et energiam orationis.

Probat Paulus se esse Apostolum.

NONNE CHRISTUM VIDI? NONNE OPUS MEUM VOS? — *q. d.* Hinc patet me esse Apostolum, quia Christum vidi, et ab eo ad evangelizandum missus sum. *Actor.* IX, 5, et *Actor.* XXII, 18.

Unde dicatur Ecclesia ædificata?

Secundo, quia vos meum estis opus in Christo Domino, id est, quia ego per Evangelium in Christo vos genui; vestra Ecclesia a me ædificata est, vos estis mea structura. Alludit ad Hebræum בֵּן *ben*, id est filius : dicitur enim בֵּן *ben*, quasi בּוֹנֶה *banon*, id est fabrica, vel ædificium, a radice בָּנָה *bana*, id est ædificavit, quasi filius sit fabrica et ædificium patris, *q. d.* Vos estis mei filii, mea fabrica, meum ædificium in Christo.

Vers. 2. Quibus signis se probet Paulus esse Apostolum?

2. NAM SIGNACULUM APOSTOLATUS MEI VOS ESTIS IN DOMINO. — « Signaculum, græce σφραγὶς, sigillum, id est testimonium apostolatus mei exstat in vobis, scilicet in evangelizando, in edendis miraculis, in labore et periculis, quæ vel suscepi, vel foci apud vos ad vestram conversionem, quibus quasi sigillis divinis consignavi, confirmavi et corroboravi apostolatum meum. Hæc enim claro testantur me esse verum Apostolum, a Deo missum ad vos docendos et salvandos.

3. MEA DEFENSIO APUD EOS, QUI ME INTERROGANT (qui inquirunt de mea vocatione et apostolatu), HÆC EST, — quæ extat in vobis, ut dixi vers. præced. Ita Anselmus. Sed Chrysostomus et Ambrosius æque apposite hæc referunt ad sequentem versum.

Nota : *Interrogare*, id est inquirere, est judiciale verbum : Latini enim dicunt, interrogare aliquem de legibus, id est examinare secundum leges (1).

Vers. 4. Quomodo a Paulo distinguatur a pseudoapostolis?

4. NUMQUID NON HABEMUS POTESTATEM MANDUCANDI? — scilicet de sumptibus vestris, *q. d.* Hæc est gloria et defensio mea, et mei apostolatus, quod nullo pretio; ut pseudoapostoli; imo nec ullo sumptu accepto, uti Apostoli alii, sed gratis evangelizem, cum tamen ad sumptum hunc jus ac potestatem habeam, æque ac alii.

Vers. 5. Fratres Domini per hebraismum quinque sunt.

5. NUMQUID NON HABEMUS POTESTATEM MULIEREM SORORem CIRCUMDUCENDI, SICUT ET CETERI APOSTOLI. — « Mulierem sororem, » græce γυναῖκα ἀδελφὴν. Quod Beza, Petrus Martyr, Valablus et Valla vertunt; *sororem uxorem*. Ergo, inquiunt, Petrus Paulus fuit conjugatus. Licet enim Græcum γυναῖκα et mulierem et uxorem significet, hic tamen significare uxorem, patet ex verbo « circumducendi. » Virorum enim est circumducere uxores, non sorores.

Hoc falsum dicitur contra fidem.

Sed errant : Christus enim circumduxit mulieres, non ut maritus uxores, sed ut doctor discipulas et quasi famulas, vel vitæ et victus administras, *Lucæ* VIII, 3.

Secundo, quia inepte dicitur soror uxor, et redundat vox *soror*.

Tertio, quia in Græco non est articulus τὴν designans certam mulierem, scilicet uxorem.

Quarto, quia Paulum fuisse virginem, patet cap. VII, vers. 8. Ita diserte docent et explicant hunc locum S. Augustinus, *De Opere monachor.*, cap. IV; Hieronymus, lib. I *Contra Jovinian.*; Chrysostomus, Ambrosius, Theodoretus, Theophylactus hic et alii Patres passim, præter unum Clementem Alexandrinum, lib. III *Stromat.* Imo S. Hieronymus docet inter Apostolos solum Petrum habuisse uxorem, idque tantum ante conversionem; idem tradit Tertullianus, lib. *De Monogamia*, ante medium : « Petrum, inquit, solum invenio maritum. »

Dico ergo, « sororem mulierem » esse Christarum matronarum (sic in *Actis Apost.* dicitur, « Viri fratres, » id est viri Christiani), quæ scilicet Paulo subministraret necessaria de suis facultatibus, *q. d.* Possem matronam quæ me aleret, circumducere, æque ut Petrus, sed nolo; quia scilicet hæc res Gentiles, quorum Paulus erat Apostolus, offendere, eisque malam suspicionem indere potuisset. Ita Ambrosius, Chrysostomus, Theodoretus, Œcumenius, Anselmus.

Dices : S. Ignatius, epist. *ad Philadelph.*, ponit Paulum inter conjugatos. Respondet bene Baronius anno Christi 57, pag. 548, et alii, Pauli nomen ibi insertum esse a Græcis clericis posterioribus, ut suo conjugio Pauli exemplum prætexerent : nam exemplaria epistolarum S. Ignatii Vaticana, Sfortiana et alia antiquissima et correctissima non habent nomen Pauli.

Clemens Alexandrinus explicatur de conjugio Petri.

Dices *secundo* : Clemens Alexandrinus, lib. III *Stromat.*, hic per γυναῖκα intelligit uxorem Pauli. Respondeo *primo* : Verum est; sed addit illum post apostolatum non habuisse eam ut uxorem, sed ut sororem : quod est contra hæreticos. *Secundo*, contra Clementem sunt omnes Patres.

Fratres Domini. — Est hebraismus : « fratres, » id est cognati Christi, scilicet Jacobus, Joannes, Judas. Ita Anselmus.

Et Cephas, — imo Petrus, princeps Apostolorum et Ecclesiæ (1).

Vers. 7. Quis militat suis stipendiis unquam? — *q. d.* Sicut æquum est milites ali et vivere suis stipendiis; vinitorem pasci fructu suæ vineæ, pastorem lacte gregis quem pascit : ita par est præcones Evangelii vivere ex Evangelio, puta ex sua vinea, scilicet Ecclesia, et ex suo grege, id est Christianorum bonis, sumptus et alimoniam accipere. Incipit hic Apostolus multis jus suum de acciplendo prædicationis stipendio probare, ut posteri omnes sciant illud plane prædicatoribus verbi Dei deberi, utque ostendat quanto et quam claro jure suo cesserit ipse, dum hæc stipendia recusavit in gratiam Corinthiorum, ut eos hac liberalitate et generositate sua pellicceret ad Christum, et ad salutem promoveret. Rationes ejus omnes colligam et dicam vers. 12.

8. NUMQUID SECUNDUM HOMINEM HÆC DICO? — an humanis tantum rationibus et similitudinibus militis, vinitoris, pastoris jam allatis meæ dicta probo et confirmo? Minime. Quin vero illa ipsa ex lege et divina stabilio et communio.

9. SCRIPTUM EST IN LEGE MOSIS (*Deuter.* XXV) : NON ALLIGABIS OS BOVI TRITURANTI, — quia nimirum par est ut animalia laborantia comedant : unde ego Deus veto claudi capistro ora boum triturantium ne comedant ex sua tritura. Solebant enim in Palæstina, ut etiamnum in Canariis et nonnullis regionibus fit, per boves, qui circumacti ungulis pedum suorum segetes terebant, ut grana excutere. Unde poeta :

In Palæstina, in Canariis, etc., etc.

Quæ tritura per multos annos fieri consueverit?

—— Bobusque triturant.

Hunc esse sensum litteralem, patet ex verbis, quæ legem hanc duris Judæis insinuant.

Explicatur locus *Deut.* XXV de bove triturante.

Dices : Apostolus hic videtur excludere hunc sensum; ait enim : « Numquid de bobus cura est Deo? » Respondet Abulensis in *Deuter.* XXV, hujus sententiæ : « Non alligabis os bovi trituranti, » duplicem esse sensum litteralem : *Primum* planum de bobus, ut verba sonant, quem jam dedi, qui tamen minus præcipuus est. *Secundum*, quem hic affert Apostolus de prædicatoribus, eumque esse præcipuum et magis intentum a Spiritu Sancto, *q. d.* Apostolus, minus præcipuam Dei curam esse de bobus; præcipuam vero de prædicatoribus, ideoque magis ad litteram præcepisse ut prædicatores alantur, quam ut boves, cum dixit : « Non alligabis os bovi trituranti. »

Verum non esse utrumque hunc sensum litteralem, sed primum tantum, patet. Nam bos litteraliter non significat prædicatorem, sed tantum verum bovem, prædicatorem autem tantum significat typice. Alioqui enim omnis allegoria esset sensus litteralis : quod plane est falsum. Nam sensus litteralis est is, qui primo per sententiam aliquam significatur; allegoricus autem vel typicus, qui secundo, seu mediante sensu litterali. Sicut ergo umbra corporis non est corpus, ita typicus sensus non potest esse litteralis, sed tantum litterali sensu adumbratus.

Quis tropologice ejusdem loci sensus?

Dico ergo sensum litteralem esse quem diximus, typicum autem, vel tropologicum esse quem dat Apostolus, videlicet prædicatoribus dandam esse alimoniam, eosque posse vivere ex Evangelio, sicut bos alitur sua tritura; quorum quia præcipua Deo est cura, ut præcipue hac lege intenderet significare typice, prædicatores alendos esse; hinc Apostolus ait : « Numquid de bobus cura est Deo? »

De fide est eorum esse usu de bobus cæteris quæ sunt mandata.

Ubi nota : De fide est, Deo curam esse de bobus; Deus enim sua providentia curat et prospicit passeribus de victu rebusque necessariis; *Matth.* X, 29, et pullis corvorum invocantibus eum, *Psal.* CXLVI, cunctisque animalibus et creaturis, ut docet Psaltes tum alibi, tum toto *Psal.* CIII. Sensus ergo Apostoli est, *q. d.* Præcipua cura Dei in hac lege non fuit boum, sed altius quid spectavit, videlicet nos et nostri similes, qui sumus boves typici laborantes et triturantes in agro et area Dominica, ex Evangelio posse vivere, et hoc est quod subdit :

10. AN NON PROPTER NOS UTIQUE HOC DICIT? NAM PROPTER NOS SCRIPTA SUNT. — Apostolus ergo hic, uti sæpe alias, argumentatur ex sensu, non litterali, sed allegorico; vel potius ex sensu litterali argumentatur ad allegoricum, per argumentum a minori ad majus, *q. d.* Si bos vivit ex tritura, ergo multo magis Apostolus ex Evangelio. Ita

(1) De industria usurpavit Apostolus hoc forense vocabulum, ut obiter perstringat eorum audaciam, qui ipsius vocationem in dubium vocabant, quasi judices sederent de hac causa cogituri.

(1) Vers. 6 in Græco, pro *hoc operari*, scil. idem facere quod Cephas, etc., legitur μὴ ἐργάζεσθαι, id est « *habere* nummum victus causa *abstinere*.

Tertullianus, lib. V *Contra Marc.*, cap. VII, et Theodoretus, Quæst. XXI *in Deut.* Ubi

Nota, licet sensus litteralis sit primus, allegoricum tamen posse esse primarium, et præcipuum, sive magis intentum a Spiritu Sancto, uti hic fit.

QUONIAM DEBET IN SPE, QUI ARAT, ARARE. — Est nova ratio ab exemplo aratorum et triturantium, *q. d.* Qui arant et triturant, arant et triturant « in spe, » sperantes scilicet mercedem, et quod participes erunt messis et trituræ suæ. Ergo et prædicator sperare potest alimoniam ex sua prædicatione. Pulcre de hac spe canit Ovidius, lib. I *De Ponto* :

Spes foret agricolæ, spes saltis credit aratis
Semina, quæ magno fenore reddat ager.

Operari spe mercedis alteræ, bonum est et meritorium.

Hinc a propositione minoris ad majus deducitur et evincitur esse actum spei et virtutis, si quis spe mercedis æternæ operetur, et consequenter actum hunc bonum esse et meritorium. Unde Facultas Parisiensis, ut testatur in hunc locum scribens Claudius Guillaudus, ex hac et similibus Apostoli sententiis, definivit hunc articulum cujusdam, « Qui præmii causa certat, non certaturus nisi sciat dandum præmium, is seipsum præmio frustratur, » erroneum esse. Idem definit Concilium Tridentinum, sess. VI, can. 31.

12. SI ALII POTESTATIS VESTRÆ PARTICIPES SUNT, QUARE NON POTIUS NOS? — « Potestatis vestræ, » id est juris sui quod habent in vos. Unde Græce clarius dicitur, ἐξουσίας ὑμῶν, *potestatis vestrum*, id est quam habent in vos. *Vestræ* enim passive capitur, juxta Can. 30, *q. d.* Si alii usi sunt jure accipiendi alimoniam, quod habent in vos, cur non et ego uti possim? P. Salmeron Græcum ἐξουσίαν, id est *potestatis*, accipit pro *ἕξεως*, id est *substantiæ*, *q. d.* Si alii participes sunt vestræ substantiæ, facultatum et opum, cur non et ego? Sed volim videre locum et exemplum, ubi ἐξουσία significet opes.

Sex argumentis Paulus probat illi oure ministris Ecclesiæ a suis sumptus accipere.

Nota : Apostolus probat hic sex argumentis licere sibi aliisque ministris verbi Dei et Ecclesiæ, a suis sumptus accipere : *primo*, exemplis aliorum Apostolorum, vers. 5 ; *secundo*, similitudinibus nullium, pastorum et agricolarum, vers. 7 ; *tertio*, ex lege Moysis, vers. 9 ; *quarto*, vers. 13, ex exemplo sacerdotum et Levitarum veteris Testamenti, qui ex victimis et oblationibus altaris, cui serviebant, vivebant : *quinto*, vers. 14, ex Dei et Christi ordinatione ; *sexto*, vers. 11, ex ipsa rei natura, sive jure, non tantum divino positivo, sed etiam naturali, quod dictat, sicut operario debetur merces, ita ministro verbi et Ecclesiæ deberi stipendium, non quasi pretium rei sacræ (hoc enim indignum esset et simoniacum), sed quasi stipendium sustentationis quod vocant, quo scilicet sustentetur, ut suas functiones sacras pro populo obire possit. Unde hoc stipendium ei debetur ex justitia. Ita Chrysostomus.

Quo titulo debetur merces ministris verbi Dei?

SED NON USI SUMUS HAC POTESTATE (jure accipiendi stipendium) : SED OMNIA SUSTINEMUS, — omnem scilicet penuriam, et omnes labores, quo pecuniam levemus, laborando manibus nostris suscipimus et toleramus.

NE QUOD OFFENDICULUM DEMUS EVANGELIO CHRISTI. — « Offendiculum, » Græce ἐγκοπὴν, id est interruptionem, interpellationem, remoram, *q. d.* Ne accipiendo sumptus demus occasionem, qua homines tenaces et indiscreti abutantur, ut renuentur Evangelium, illique obloquantur. Nam non fuisse hic scandalum ab Apostolis datum, sed acceptum ab aliis ; in Apostolo autem fuisse opus illiberæ supererogationis, quod noluerit stipendium sibi debitum accipere, patet ex omnibus antecedentibus, et vers. 15, ubi ait : « Bonum est mihi magis (id est melius et satius duco) mori, quam ut gloriam meam (quod gratis et liberaliter evangelizem) quis evacuet. »

13. NESCITIS QUONIAM QUI IN SACRARIO (id est in templo) OPERANTUR (id est sacris funguntur aut subserviunt, ut sacerdotes et Levitæ), QUÆ DE SACRARIO SUNT (id est hostias aut templi proventus, puta decimas et primitias, participant et) EDUNT? — Nota *operantur*. Sacerdotum enim erat jugulare, excoriare, secare, coquere, comburere victimas : quod operosum est, estque alias opus laniorum. Græca jam habent οἱ τὰ ἱερὰ ἐργαζόμενοι, τὰ τοῦ ἱεροῦ ἐσθίουσι, *qui sacris operantur, de sacrario comedunt*. Noster et Syrus aptius legerunt, οἱ ἐν τῷ ἱερῷ ἐργαζόμενοι, *qui in sacrario operantur*.

Operis pretium, quia in hoc sua quia.

ET QUI ALTARI DESERVIUNT. — Græce τῷ θυσιαστηρίῳ παρεδρεύοντες, id est *sacrario assistentes*, sive *assidentes*. Non dicit, ait S. Chrysostomus, sacerdotes, sed qui assident altari, ut intelligamus assiduum cultum sacrorum requiri a ministris templi Christi, qui de bonis templi participant. Contra hodie nulli magis absunt ab altari, quam aliqui qui maxime participes sunt altarium et decimarum, quos Concilium Tridentinum damnat.

Diligentia ministrorum templi Ecclesiæ.

CUM ALTARI (de oblationibus altaris) PARTICIPANT. — Est metonymia.

14. ITA ET DOMINUS ORDINAVIT HIS QUI EVANGELIUM ANNUNTIANT, DE EVANGELIO VIVERE. — Ita enim sanctè Christus, *Lucæ* X, 7 : « in eadem autem domo manete edentes et bibentes quæ apud illos sunt. Dignus est enim operarius mercede sua. » Similia habet Matthæus X, 10, 11 et 14.

Alterum explicatio hujus loci.

15. BONUM EST MIHI MAGIS (melius est) MORI, QUAM UT GLORIAM MEAM QUIS EVACUET. — « Gloriam meam, » evangelizandi scilicet gratis, sine sumptibus ; sive « gloriam » de opere liberali, indebito et supererogationis, patet ex vers. 18. Hinc patet esse consilium Evangelicum, evangelizare gratis non accipiendo sumptus, quod modo nonnulli viri Apostolici et Religiosi sequuntur. Ita Theophylactus, Theodoretus et Anselmus. Vide Chrysostomum et Anselmum.

Consilium Evangelicum evangelizare gratis.

Nota : Pro *gloria*, græce non est δόξα, id est gloria, sed καύχημα, id est *gloriatio*, qua scilicet gloriari poterat Paulus apud Deum, vel potius apud homines, maxime pseudoapostolos, qui Corinthiis gravos erant et sumptuosi, se eis ἀπάνως, prædicasse Evangelium. Unde contra hos gloriatur cap. XI, *epist.* II, 7 et seq., se nulli in sumptu oneri fuisse.

Sub mercedis petitione finis præsumptum Apostolicæ evangelizare. Eadem præcepto tenentur Pastores, Episcopi, Archiepiscopi, Vers. 17.

VÆ MIHI EST, SI NON EVANGELIZAVERO. — Hinc patet gravi præcepto præceptum fuisse Apostolis, *Matth.* XXVIII, 19, ut evangelizent, et docerent omnes Gentes, adeo ut, si neglexissent evangelizare, peccassent mortaliter : talibus enim intentatur væ iræ Dei et gehennæ. Eodem præcepto jam tenentur Pastores, Episcopi, Archiepiscopi, ut dixi cap. I, 17.

17. SI ENIM VOLENS HOC AGO, MERCEDEM HABEO, — id est, ut Chrysostomus, Theophylactus, Œcumenius, Anselmus, si voluntarius, liberaliter et gratis prædicem, habeo non qualem qualem mercedem operis præcepti, scilicet prædicationis, ut alii Apostoli, sed mercedem per excellentiam, scilicet copiosam gloriam operis indebiti et herolei (quale est gratis prædicare) animique sponte sua tam liberalis apud Deum.

SI AUTEM INVITUS. — Græce ἄκων, non ultroneus, nec liberaliter aut gratis prædicem, sed quasi coactus præcepto Dei, vel metu pœnæ. Opponit enim Apostolus hæc duo, ἄκων et ἑκών ; aliqui ἑκὼν Græcis idem est quod sponte sua, sua voluntate, electione, et motu proprio rem agere : ergo ἄκων idem hic est, quod jussum, motum et quasi coactum aliena voluntate et præcepto operari.

Quare Paulus gratis evangelizaverit?

DISPENSATIO MIHI CREDITA EST, — *q. d.* Tutiè non habeo gloriam illam singularem, sed neque pecco, quia officio fungor meo, et facio quod jubeor. Nam commissa est mihi et demandata hæc dispensatio, sive administratio Evangelii. Tunc non pecco, sed serviliter ago, sicut agit dispensans sibi credita non sponte, sed propter præceptum domini, eo quasi adactus, quia quod debuit facere fecit, ut ait Christus in parabola, *Lucæ* XVII, 8. Ita Patres citati, et patet ex antecedentibus et sequentibus.

Ab aliquibus alimoniam accepit, ab aliis non accepit Paulus ut evangelizaret.

Aliter aliqui explicant, nimirum sic : Si *volens hoc ago*, id est evangelizo, habeo meritum et mercedem, quia libera voluntate præceptum Christi impleo : sin invitus et voluntate reluctante, carco merito et mercede, quia præcepto ad hoc cogor. « Dispensatio » enim Evangelii « mihi credita est, » commissa et præcepta, et sic per me licet invitum dispensatur et propagatur Evangelium Christi, ut aliis proficiam, licet non mihi : quia hoc verba propria et simpliciter sonare videntur. Et huic explicationi favent S. Thomas, Lyranus et commentarius Ambrosii. Sed antecedentia et sequentia priorem sensum, qui est Græcorum et Communis, requirunt : mercedem enim non vocat qualem qualem, sed « gloriam, » id est gloriosum et singularem ex opere tam heroico, indebito et liberali, quale est evangelizare gratis.

18. QUÆ EST ERGO MERCES MEA? — gloriosa illa Vers. 17 et singularis jam dicta (1).

Merces hic pro meritoria gratuita.

Nota : Merces pontur hic pro merito, sive opere heroico et meritorio magnæ mercedis per metonymiam. Sequitur enim : « Ut Evangelium prædicans, sine sumptu ponam, » tradam et annuntiem : Græce ἀδάπανον, id est a sumptibus immune, redditum Evangelium : immunes enim civitates vocat Cicero, quæ nullum solvunt vectigal. Esse merces, id est meritum, Pauli, scilicet sine sumptu prædicare Evangelium.

Non omnia opera bona esse præcepti, sed nonnulla esse consilii et alia quæ præcepti, sed aliqui sunt consilii.

Ex hoc ergo loco clare patet, non omnia opera bona esse præcepti ; sed nonnulla esse consilii et supererogationis, taliaque insignem et illustrem gloriam et coronam apud Deum promereri. Inter consilia itaque Evangelica ponit hic Apostolus prædicare gratis, ut dixi vers. 10. Ita S. Chrysostomus, Ambrosius et S. Augustinus, lib. *De Opere monachor.*, cap. V. Vide Bellarminum, lib. II *De Monachis*, cap. IX.

Nota : Alii Apostoli, utpote zelo Dei pleni, æque ac Paulus gratis evangelizasset, si inde majorem animarum fructum et gloriam apud Deum sperassent. Verum hæc non sperabant : nam fideles in eos erant liberales, ac Judæi eis erant addicti, sponteque omnia sua eis offerebant, ut patet *Actor.* IV, 34. Paulus autem quasi extra ordinem et numerum duodecim Apostolorum, post mortem Christi ad apostolatum vocatus, auctoritatem sibi conciliare debebat, ad eamque rem perutile fore censuit, si gratis prædicaret. Illorum Corinthii, licet divites, tenaciores tamen erant : ne ergo illi putarent Paulum non se, sed sua bona quærere, hac de causa Paulus gratis eis prædicavit. A Thessalonicensibus vero et Philippensibus, utpote liberalioribus, alimoniam accepit, ut infra videbimus. Denique voluit Paulus hac ratione Judæis, quibus invisus erat, et pseudoapostolis os claudere. Hanc causam ipsemet assignat *epist.* II, cap. XI, vers. 12, ubi ait : « Quod autem facio (quod gratis prædico) et faciam, ut amputem occasionem eorum, qui volunt occasionem, ut in quo gloriantur, inveniantur sicut et nos. »

UT NON ABUTAR POTESTATE MEA IN EVANGELIO. — Id est, ut non utar summo jure et libertate mea in majus bonum Evangelii. Non quod recipere sumptus pro prædicatione revera sit abusus, sed quia minoris boni est usus. Unde recte Theophylactus : *Abutor*, id est, inquit, omnino utar omni jure meo : sic enim καταχρῆσθαι pro χρῆσθαι, abusum pro pleno usu posuit, cap. VII, vers. 31 in Græco, et ibidem annotavi. Sic vocem *abuti* capit S. Patrinus, *epist.* II, cum ait : « Itaque prompto filii imperatoris assensu, mater Augusta, patefactis ad opera bona thesauris, toto abusa fisco est. »

Dices : Ambrosius hic abusum intelligit propriè

(1) Vers. 18. Quidnam igitur est, cur præmium et *mercedem* expectare queam a Deo quod ita Evangelium annuntio, ut nullam *mercedem* accipiam, ab hominibus scilicet.

talem qui sit peccatum, ait enim : Qui utuntur jure suo cum non expedit, seu cum alius detrimentum patitur, rei fiunt : ergo peccant. Respondeo : Hoc verum est, cum facile possunt cedere jure suo, et ni hoc faciant, alii grave damnum patientur ; tunc enim charitas jubet ut cedas : quod Ambrosio adscriptus Commentarius hic videtur putare locum habuisse in Paulo et Corinthiis.

Quam difficile fuerit Paulo cedere jure sustentationis sibi a Corinthiis debitæ.

Verum contrarium est longe verius ; nam valde difficile erat Apostolo cedere jure sustentationis sibi a Corinthiis debitæ, quia cedendo debebat ipse manibus laborando noctes ducere insomnes, ut sibi et suis victum compararet, cum Corinthii, qui divites erant et permulti, facile eum alere potuissent : nec debuisset in eo scandalizari, quia alii Apostoli ita faciebant, et omnia lex et ratio dictat esse æquissimum, ut qui pro alio laborat, ab eo alatur. Voluit ergo Apostolus dare illustre exemplum paupertatis, sinceritatis, zeli, ad majorem apud fideles in fide et divites avaros, fidei et christianismi commendationem et propagationem. Hoc autem tam heroicum opus charitas non præcipit, sed consulit. Unde vers. seq. dicit se in hisce fuisse liberum.

Quare Paulus cesserit jure sustentationis ?

Vers. 19. 19. NAM CUM LIBER ESSEM EX OMNIBUS (ab omnibus, *q. d.* Cum nemini essem obstrictus), OMNIUM (*hominum*) SE SERVUM FECI, — ad omnia me demisi, etiam ad inopiam et famem, omnium infirmitatibus me accommodavi, ut, cum Corinthios viderem in danda Apostolis sustentatione tardiores et parciores, ego noluerim quidquam ab eis in sumptum accipere ut eorum infirmitati condescenderem, et sic omnes lucrifacerem.

Vers. 21. 21. IIS QUI SUB LEGE SUNT (Judæis, factus sum) QUASI SUB LEGE ESSEM, — Mosaica nimirum. Factus est Paulus quasi sub lege, cum Timotheum circumcidit, ait Œcumenius, cum purificatus voti causa templum adiit, *Actor.* XXI, 26.

Paulus Timotheum circumcidit.

IIS QUI SINE LEGE ERANT (Gentilibus, factus sum meque exhibui) TANQUAM SINE LEGE ESSEM, — quasi naturam tantum ducem et lucem sequerer, ut faciunt Gentiles. Ita Œcumenius, Theophylactus et Chrysostomus.

Vers. 22. 22. OMNIBUS OMNIA FACTUS SUM, — non mentiendo, vel peccantis astu, sed compatientis affectu, ut omnium moribus me contemperans quantum honestas et Dei lex patitur, omnium morbis mederi possem. Ita S. Augustinus, *epist.* 9 et 19 : « Non mentiendo, inquit, sed compatiendo ; non simulantis astu, sed commiserantis affectu omnibus omnia factus est Paulus. »

Quomodo Paulus omnibus omnia factus sit ?

Non ergo vult Apostolus id, quod volunt et agunt politici, ut nimirum per fas et nefas omnibus se accommodent, et simulent se cum hæreticis hæreticos, cum Turcis Turcas, cum castis castos, cum obscœnis obscœnos. Id enim reprobat Paulus ad *Galat.* II, 11 et sequent. Quocirca prudens est dogma S. Ephrem in illud, *Attende tibi*, cap. X : « Charitatem cum omnibus habe, et ab omnibus abstine. » Et illud S. Bernardi, quod omnem virtutem complectitur : « Vive cautus tibi, utilis aliis, gratus Deo. » S. Jordanes, successor S. Dominici in Generalatu Ordinis, solebat dicere, ut habet ejus *Vita* : « Si unicumque scientiæ aut disciplinæ tantum studuissem, quantum studui huic sententiæ S. Pauli : Omnibus omnis factus sum, essem doctissimus et eminentissimus in illa : quia tota vita mea studui me accommodare cuilibet, ut essem miles cum milite, nobilis cum nobili, plebeius cum plebeio, procurando semper hac ratione ipsorum emendationem, atque advigilando ne perderem aut lederem animam meam per lucrum alienæ. »

23. OMNIA FACIO PROPTER EVANGELIUM, UT PARTICEPS EJUS EFFICIAR, — ut nimirum fructum prædicati Evangelii suo tempore percipiam et participem cum aliis prædicatoribus. Græce enim pro *particeps* est συγκοινωνός, *q. d.* Comparticeps, consocius. Unde *secundo*, Chrysostomus : Evangelii, inquit, id est fidelium Evangelii, *q. d.* Ut coronarum fidelibus repositarum fiam particeps. Ubi recte advertit Chrysostomus mirum Pauli humilitatem, utpote qui aliis, etiam communibus fidelibus se æquat, cum omnium non tantum fidelium, sed etiam Apostolorum labores superasset, ut patet 1 *Cor.* XV, 10.

Mira Pauli humilitas.

24. IN QUI IN STADIO CURRUNT, OMNES QUIDEM CURRUNT, SED UNUS ACCIPIT BRAVIUM, — *q. d.* Ideo sine sumptu evangelizo, ideo omnibus omnia fio, ideo laboro, quia in stadio hoc curro, quia ad bravium concerto pro præmio, etiam primo et maximo (1).

Quomodo intelligendum est unus accipit bravium ?

UNUS ACCIPIT BRAVIUM, — *q. d.* Sicut in stadio, ita in via et vita Christiana non omnes currentes accipient bravium, sed tantum bene et rite currentes ad metam usque. Rite, inquam, secundum leges stadii, quas agonotheta Christus cursoribus præscripsit, et secundum quas rite currentibus bravium promisit. Cum ergo ait « unus, » non negat plures accipere bravium. Non enim vult dicere, ut recte advertit S. Chrysostomus, quod unus tantum Christianus cæteris omnibus præcurrens et ferventior ad opera virtutis, bravium sit accepturus. Nam similitudo non debet per omnia esse similis, sed tantum in eo, in quo fit comparatio : hic autem fit in eo, quod sicut in stadio qui recte currit, accipit bravium, sic et qui recte currit in christianismo, coronam gloriæ accipiat. Quod patet, quia sic explicat se dicens : « Sic currite ut comprehendatis, » non unus, sed singuli. Adde, in stadio sæpe non tantum ille qui primo metam attingit, et velocissime currit, sed et secundo, tertio, quarto, suum dari bravium.

(1) Suum exemplum jam Paulus comparatione quadam Corinthiis commendat inculcatius, et quidem similitudine a re ipsis maxime nota, desumpta. Se omnes vires intendere, ait, ut consequatur illud præmium de quo vers. 23, et monet Corinthios ut hoc suum exemplum imitentur.

Apostolus tamen dicit *unus*, non *tres*, vel *quatuor*, quia proprie respicit ad bravium, id est aureolam et excellens præmium, quod non omnibus electis, sed paucis heroice certantibus datur, ut iis qui non tantum præcepta, sed et consilia Christi heroice sequuntur. Respicit enim Paulus vel bravium, quod sibi exspectat ex eo, quod unus ipse præ omnibus Apostolis evangelizasset gratis, ingenti labore et charitate, « omnibus omnia factus, » vers. 18 et 22, *q. d.* O Christiani, currite non tantum rite, ut comprehendatis, sed et quam optime et velocissime currite, ut primum et nobilissimum gloriæ bravium reportetis. Socordis enim animæ est dicere : Sufficit mihi si salver, si ad cœlum perveniam. Quisque enim conari debet ut in cœlo sit primus, primumque ibidem referat bravium, inquit Chrysostomus.

Quisque debet conare ut primus sit in cœlo.

Alii hæc de mansionibus, vel coronis et braviis, singulis electis præparatis accipiunt, *q. d.* unusquisque sic curral, ut suum bravium comprehendat. Sed id acutius est, quam simplicius.

Aliter quoque Anselmus : Currunt, inquit, Ethnici, hæretici, reprobi, sed unus Christianorum et electorum populus bravium accipit. Verum Apostolus solis Christianis loquitur quasi currentibus, eosque incitat ut currant et comprehendant bravium, ad quod per Christi Evangelium vocantur.

Sic CURRITE UT COMPREHENDATIS, — scilicet coronam gloriæ et bravium victoriæ. Alludit ad stadiodromos, qui cursu certantes in stadio, coronam ex edito appensam, et certantibus propositam currendo manibus prendebant, itaque victores evadebant, eaque coronabantur, uti ex *Agonisticis* lib. II, cap. VII, Petri Fabri ostendi *Apocal.* III, ad illud vers. 11 : « Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam. » Vox *sic* notat rectitudinem, diligentiam, celeritatem et perseverantiam, quæ maxime in cursu ad bravium requiritur. Talis fuit cursus Christi, quem omnes Christiani imitandum sibi proponere debent. « Ipse (inquit Bernardus, epist. 234 *ad Guarinum*) hominis seculique auctor, quamdiu cum hominibus conversatus est, numquid stetit ? et quidem teste Scriptura pertransiit benefaciendo, et sanando omnes. Pertransiit ergo sicut non infructuose, ita non remisse, non pigre, non lento gradu, sed, quemadmodum de eo scriptum est : Exultavit ut gigas ad currendam viam. Porro curriculum non apprehendit, qui et ipse pariter non currit : et quid prodest Christum sequi, si non continga consequi ? Ideo Paulus alebat : Sic currite, ut comprehendatis. Ibi, Christiane, figo tui cursus profectusque metam, ubi Christus posuit suam. Factus est, inquit, obediens usque ad mortem. Quantumlibet ergo cucurreris, si usque ad mortem non perveneris, bravium non apprehendes. Bravium Christus est. » Deinde docet quod in stadio virtutis non currere, sed sistere, sit deficere et regredi. « Quod si, inquit, illo currente, tu gradum sistis, non Christo appropias, sed te aut deorsum aut ad sinistra segnitie. »

Quam sit magis elongare a te, Domine, perihunt. Itaque, si proficere currere est, ubi et proficere, ibi et currere desinis : ubi vero non currere, ibi et deficere incipis. Hinc plane colligitur, quia nolle proficere, nonnisi deficere est. Vidit scalam Jacob, et in scala angelos, ubi nullus residens, nullus subsistens apparuit ; sed vel ascendere vel descendere videbantur universi, quatenus palam daretur intelligi, inter profectum et defectum in hoc statu mortalis vitæ nihil medium inveniri : sed quomodo ipsum corpus nostrum continue aut crescere constat aut decrescere, sic necesse sit et spiritum aut proficere semper, aut deficere. »

Inter profectum et defectum in hac vita nihil medium est.

25. OMNIS QUI IN AGONE CONTENDIT (ἀγωνιζόμενος, id est *agonizans*, in agone decertans, gymnasticam exercens), AB OMNIBUS (scilicet eum in agone impedientibus) SE ABSTINET. — Nota : Alludit ad agones Olympicos aliaque certamina Græcorum, maxime Isthmia, quæ Corinthi celebrabantur in honorem Neptuni et Melicertæ, in quibus victor donabatur corona pinea. De quibus Archias poeta ita canit :

Vers. 25.

Alludit Paulus ad ludicra certamina, et quænam illa?

Sacra per Argivos certamina quatuor urbes
Sunt duo facta viris et duo cælitibus ;
Et Jovis et Phœbi, Meucertæque, Archemorique
Præmia : olearter, poma, opium, picea.

Hinc *secundo*, consequenter alludit ad athletas, palæstritas et pugiles, qui pugnis ; ad stadiodromos, qui cursu in stadio certabant ; ad acrochiristas, qui summis inter se manibus depugnabant ; ad pancratiastas, qui toto corpore, manibus pedibusque certabant. Ubi

Varia genera certaminum.

Nota *tertio* : Ili omnes delicatis cibis abstinebant, et certo necessario victu utebantur ; quem Aristoteles ἀνυπερβλησίαν, quasi cibi sumendi necessitatem appellat, et panis eorum coliphium dicebatur, ἀπὸ τοῦ κόπτειν καὶ ἔρειν ; id est a *robore membrorum*. Hinc Juvenalis :

Quibus cibis athletæ utebantur?

Luctantur pauca, comedunt coliphia pauca.

Idemque ex Quintiliano, Cicerone, Aristotele docet Budæus in *Pandectis*, pag. 180. Inde dictus est victus athleticus, valetudo pugilica et athletica, id est firmissima. Et hoc est quod ait Apostolus : « Qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, » Græce πάντα ἐγκρατεύεται, per omnia temperans est ; et, ut Cyprianus, continens. Addit Clemens Alexandrinus, lib. III *Stromat.*, secutus Platonem, lib. VIII *De Legibus*, athletas abstinuisse venere. Sicut enim libido corpus debilitat, enervat et exhaurit ; ita continentia et castitas roborat corpus, ac multo magis mentem. Et ita hoc Apostoli dictum, « ab omnibus, » id est *ob omnem libidinem*, « se illud robore abstinet, » explicat S. Ephrem tractatu in illud Apostoli : « Melius est nubere, quam uri. »

Libido corpus debilitat, castitas roborat.

Nota *quarto* : Stadium est vita præsens, vel

Sistere in stadio virtutis, quidem.

Cujusque status stadium est.

christianismus, vel cujusque status, maxime evangelizandi; stadiodromus et pugil est quisque Christianus. Unde S. Dionysius, lib. *De Ecclesiast. hierarch.*, cap. VII, pag. 3, docet eos qui baptizantur, oleo inungi, ut intelligant hoc signo se inungi quasi athletas Christi, ac consequenter vocari ad sacra certamina pro fide et pietate obeunda; additque etiam mortuis eisdem solere oleum infundi, quasi athletis morte consummatis.

Quare oleo ungantur qui baptizantur?

« Atque tunc quidem, inquit, olei unctio baptizandum avocabat ad sacra certamina: nunc autem (in morte) infusum etiam designat eum qui defunctus est, eadem sacra exegisse certamina, sicque fuisse consummatum. »

Qui sint antagonistæ in hoc stadio, quæ pugna?

Nota *quinto*: In hoc stadio et certamine antagonista est mundus, caro, dæmon; coliphium est victus sobrius et jejunium; pugna est castigatio corporis, et omnia ardua virtutis officia, quæ cum conflictu interno vel externo peraguntur; maxime autem talis est Evangelii prædicatio et propagatio: ex quibus oritur victoria contra mundum, carnem, dæmonem. Bravium est corona incorrupta, id est gloria æterna, ad quam jam victor anhelans Paulus, II *Timoth.* IV: « Bonum, inquit, certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex. »

Quæ pœna victi?

Pœna victi est reprobatio et confusio æterna, vers. ult. *q. d.* Sicut athleta corpus abstinentia, exercitio, labore subigit, exercet, parat ad cursum et luctam, ut in ea legitime et generose decertans vincat, et quasi victor coronam corruptibilem adipiscatur; ita multo magis pro corona æterna nos Christiani, et ego imprimis Apostolus vester corpus meum macero, labore, fatigatione subigo et exerceo, acerbe a me omnia officia pugilum exigo, quasi athleta certaminis divini; ne corpus meum continentiæ, et severioris vitæ lacertos in delicias mutet, et in imbellium vanescat licentioris vitæ. Sed potius ut luctaturus cum dæmone, carne et mundo athleticis viribus decertem, vincam, atque coroner. Agite ergo, o Corinthii, in stadio hoc mecum decurrite, et non tantum idolothytis ob scandalum, sed et deliciis, vino et venere abstinete, ut luctaturi victoriam et bravium reportetis. Occasione enim idolothytorum, ut iis abstineant Corinthii, hæc dicit et hucusque excurrit Apostolus, ut dixi cap. VIII initio.

Pugna et meditatio Stadio Pauli.

Epaminondæ gloriosum certamen.

Epaminondas, dux Thebanus, fortissime in bello dimicans, læsus ad mortem, mortem rogavit, an suus clypeus esset salvus, et an hostes essent cæsi; cum et illum salvum, et hos cæsos audisset: « Nunc finis, ait, vitæ meæ: sed melius et ultius initium advenit: nunc Epaminondas nascitur, quia sic moritur. » Ita Valerius Maximus. Si Epaminondas pro victoria temporaria, pro hinc et gloria corruptibili ita certavit, ita lete et gloriose mortuus est; quid faciet miles Christi pro corona incorruptibili, pro gloria sempiterna?

Præclare Tertullianus, *ad Martyres*, cap. IV: « Si tantum, inquit, terrenæ gloriæ licet de corporis et animi rigore, ut gladium, ignem, crucem, bestias, tormenta contemnant, sub præmio laudis humanæ; possum dicere: Modicæ sunt istæ passiones ad consecutionem gloriæ cœlestis. Tanti virtum, quanti verum margaritum? Quis ergo non libentissime tantum pro vero habeat erogare, quantum alii pro falso? »

De Junio Bruto jubente occidi filios, qui cum Tarquinii contra Romanos conspiraverant, dixit Virgilius:

Vicit amor patriæ, laudumque immensa cupido.

Christianum ergo:

Vincat amor Christi, cœlique immensa cupido.

Audiat pugil Christi classicum S. Chrysostomi, serm. *De Martyribus*, tom. III: « Delicatus es miles, si putas te posse sine pugna vincere, sine certamine triumphare. Exsere vires, fortiter dimica, atrociter in prælio isto concerta. Considera pactum, conditionem attende, militiam nosce: pactum, quod spopondisti; conditionem, qua accessisti; militiam, cui nomen dedisti. »

Non sola fides ad salutem sufficit, sed opera etiam requiruntur.

Illinc patet, ait Chrysostomus, non solam fidem sufficere ad salutem, sed etiam opera requiri, imo labores athleticos, atque imprimis insignem continentiam ab omnibus mundi illecebris. Nam, ut ait S. Hieronymus, epist. 34 *ad Julianum*: « Difficile, imo impossibile est, ut præsentibus quis et futuris fruatur bonis, ut hic ventrem et ibi mentem expleat, ut de deliciis transeat ad delicias, ut in utroque sæculo primus sit, ut in cœlo et in terra appareat gloriosus. »

Christus athletas suos coronat et coronas.

Moraliter S. Augustinus athletas Christi pie ex Dei ope consolatur et animat *serm.* 105, ubi sic ait: « Adjuvat certantes, qui certamen indixit; non te sic spectat Deus in agone certantem, ut populus solet athletam: clamore enim populus monet athletam, adjuvare non novit. Coronam parare potest qui indixit certamen, vires autem subministrare non potest. Deus autem quando spectat certantes suos, adjuvat eos certantes et invocantes. Nam vox athletæ ipsius est *Psalm.* XCIII: Si dicebam: Motus est pes meus, misericordia tua, Domine, adjuvat me. » Et S. Dionysius, *De Ecclesiast. hierarch.*, cap. II, sub finem: « Certantibus, inquit, Dominus præmia proponit ut Deus; leges autem certaminis tulit ut sapiens, præmiaque vincentibus decora constituit et pulcherrima: et quod est profecto divinius, ipse ut est summe clemens et bonus, in suis bellatoribus vincit, dum in illis habitans, pro illorum salute atque victoria adversus mortis et corruptionis imperium pugnat. »

Quomodo Et castigatio corporis?

26. EGO SIC PUGNO, NON QUASI AEREM VERBERANS.— *Pugno*, id est, prælior in bello, inquit S. Thomas. Verum græce est πυκτεύω, id est, *pugilem ago, pugnis certo*. Persistit enim in palæstra et athletis.

Aerem verberare et frustra laborare. Dæmon et mundus per sensus nostros excitat stimulos. Vers. 27.

NON QUASI AEREM VERBERANS. — Id est, frustra et inaniter laborans; sed hostem verbero, scilicet corpus et carnem meam subigo, qua subacta facile duo reliqui hostes, scilicet dæmon et mundus, subiguntur. Nec enim dæmon et mundus nos, nisi per corpus nostrum, puta per oculos, aures, linguam aliosque sensus aggredi, tentare, ferire, sauciare, occidere possunt.

27. SED CASTIGO CORPUS MEUM, ET IN SERVITUTEM REDIGO. — « Castigo, ait Ambrosius, jejuniis ango; » S. Basilius, lib. *De Virginit.*, « plagis affligo. » Origenes, « macero. » « Dæmon, ait S. Augustinus, *De Utilit. jejunii*, sæpe assumit patrocinium ipsius (carnis) contra animam, et dicit: Quid facis, quia jejunas? ubi ipsi pœnam ingeris, tuus ipse torter et trucidator existis. Responde ei: Castigo, ne me hoc jumentum præcipitet. » Caro enim nostra est instrumentum, imo « laqueus diaboli, » ut ait S. Bernardus, serm. 8 *in Psalm.* XC. Græce ὑπωπιάζω, quod Erasmus ex Theophylacto, et Paulinus, epist. 58 *ad S. Augustinum*, vertunt, *livi dum facio*, vel livoris et sanguinis nota suggillo oculos. Græci enim ὑπῶπες, oculos vocant; ὑπώπια, tales oculorum notas, teste Hesychio et Suida.

Quid ὑπωπιάζω, id est castigo?

Et in gymnicis pugil, qui antagonistam in humum deiciebat, eum supplantare dicebatur; suggillare vero, cum notam insignem faciei infixisset.

Quid sit expleta carnis antagonistam, quid sit suggillare?

Verum alii omnes generalius accipiunt hic ὑπωπιάζω, ut sit idem quod ὑπτιάζω, id est, subigo, coerceo, contundo. Nostrum *castigo* utrique sensui convenit, sed melius secundo, qui planior et simplicior est, et Græco convenientior. Nam juxta priorem sensum, ὑπωπιάζω non per « micron, » sed per « mega » scribendum esset: derivatur enim ab ὑπὼψ, ut dixi. Jam autem communiter etiam veteres legunt hic per « micron; » Theophylactus tamen, Œcumenius et Erasmus legunt per « mega; » quæ lectio satis apte pugili congruit.

Incertitudo gratiæ et prædestinationis etiam in Paulo.

Porro castigatio corporis fit per jejunia, cilicia, humiliationes, plagas aliasque carnis macerationes et afflictiones. Hinc nonnulli censent Paulum corpori suo plagas et verbera infixisse. Hoc enim proprie significat τὸ *castigo*, et ὑπωπιάζω, quod Beza, Malianchthon, Castalion et Illyricus Stephanus vertunt, *contundo*: contusio autem non fit sine percussione et verbere, sive baculo, sive flagellis, aliove instrumento et modo illa fiat. Et quia jejunium (quod nonnulli, ut Ambrosius, Gregorius et Chrysostomus mox citandi, putant fuisse hanc Pauli castigationem) non tam pugna et lucta est, quam præparatio ad luctam; de illo enim dixit: « Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet. » Pluribus id probat Jacobus Gretserus, lib. I *De Disciplinis*, cap. IV.

In quibus consistat lucta Christiana?

Rursum, ut notant Anselmus et S. Gregorius loco mox citando, Apostolus dum carnem castigat et flagellat, hoc ipso simul dæmonem antagonistam suum, cum concupiscentia nostra carnali confœderatum, et in lustro carnis delitescentem, per eamque nos tentantem et oppugnantem flagellat et verberat.

A qua debellata de incohandum est Christianis. Morale de castigatione corporis. Asceticum non est recedere vita ad salutem.

NE REPROBUS EFFICIAR, — id est, *reprobatus*, *q. d.* Ne reprober et rejiciar a Deo cœloque excludar. Erudite Maldonatus in *Notis manusc.*: ἀδόκιμος, ait, id est *reprobus*, vocari arbitror hoc loco, qui in certamine vincitur, quia de pugilibus agitur, *q. d.* Ne cum ego docceam alios vincere, ipse vincar. Loquitur Apostolus non de reprobatione æterna, quæ est in mente divina, sed temporali, quæ est executio æternæ. Hanc enim significat verbum *efficiar*. Alludit ad *Jerem.* cap. VI, vers. ultim., ubi sic dicitur: « Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus projecit, » hebraice נִמְאָס *meus*, id est *reprobavit*, « illos. »

Duplex reprobatio, æterna et temporalis.

Unde patet Apostolum non loqui, uti aliqui volunt, de reprobatione hominum, de qua loquitur *epist.* II, cap. XIII, vers. 7, *q. d.* Quod docco, hoc facio, nimirum non laute vivo, sed castigo corpus meum, ne ab hominibus rejiciar et reprober, quasi qui non faciam ea quæ docco. Jeremias enim clare loquitur de reprobatione, non hominum, sed Dei: et hanc passim alibi significat reprobatio, et reprobus, cum absolute ponitur, et ad homines non restringitur, uti restringitur citato cap. XIII, *epist.* II. Hinc patet incertitudo gratiæ et prædestinationis. Paulus meluit damnari, tu fide credes te salvandum?

Ecclesiæ locus S. Ambrosii.

Secundo, hinc colligitur Paulum non habuisse revelationem de sua salute. Ita S. Gregorius, lib. VI, epist. 22 *ad Gregorium*.

Tertio, non ita fuisse confirmatum in gratia, quin ab ea excidere potuisset.

Ex hoc Apostoli loco patet pugnam et luctam Christianam, tum in aliis conflictibus, tum maxime in corpore et carne subigenda et castiganda sitam esse. Hic enim est internus et gravissimus noster hostis, ideoque præ cæteris omnibus carnis insidiæ formidandæ sunt, ut ait Origenes in cap. VIII *ad Rom.*, in fine. Atque ad hanc luctam per coliphium, id est, sobrietatem, nos comparare debemus, adeoque in ipsa sobrietate hanc luctam inchoare, in eaque quotidie increscere, roborari et perfici; a gula ergo debellanda Christiano incipiendum est: ea enim debellata facilius cætera vitia profligabit, ut Cassianus aliique docent. Hinc ergo patet, pugili et militi Christiano castigandum esse corpus, ne illius concupiscentiis cum in perditionem abripiant; adeoque cortis omni in perditionem abripiant; adeoque corporis castigationem per vigilias, jejunia aliasque afflictiones et austeritates rectam esse ad salutem viam, eosque instrumentum aptissimum ad virtutem et perfectionem, planumque vitiorum victoriam, si sit discreta, et viribus ac valetudini commensurata, ut docet S. Thomas II II, *Quæst.* CLXXXVIII, art. 7.

Sed veteres Ecclesiæ Doctores hac de re audiamus. Ambrosius, epist. *ad Eccles. Vercellensem*: « Audio, inquit, homines qui dicunt nullum esse abstinentiæ meritum, delirare eos qui castigant se ac-

tra hæreticos delicias quadrupedantes.

carnem suam, ut menti subditam faciant, quod nunquam fecisset, neque scripsisset Paulus, si deliramentum putasset (notent hoc Novantes nostri); gloriatur autem dicens: Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne, cum aliis prædicaverim, ipse reprobus inveniar. Ergo qui non castigant corpus suum, et volunt prædicare aliis, ipsi reprobi habentur. Quæ istos Epicuros nova schola misit, qui voluptatem prædicent, delicias suadeant? Dominus Jesus, volens nos adversus diaboli tentamenta fortiores reddere, certaturus jejunavit, ut sciremus quia aliter illecebras mali non possemus vincere. Qua causa Christus jejunaverit, hi astruant, nisi ut nobis exemplo esset ejus jejunium? »

Et Gregorii de gula refrenanda;

S. Gregorius, lib. XXX *Moral.*, cap. XXVI: « Muros Jerusalem coquorum princeps (Nabuzardan) destruit, quia virtutes animæ, dum non restringitur venter, perdit. Hinc est quod Paulus contra Jerusalem mœnia decertanti vires coquorum principi (id est ventri) subtrahebat, cum diceret: Castigo corpus meum, et servituti subjicio. Unde prætmiserat: Sic pugno non quasi aerem verberans, quia, cum carnem restringimus, ipsis abstinentiæ nostræ ictibus, non aerem, sed immundos spiritus verberamus; et cum hoc quod est intra nos subjicimus, extra positis adversariis pugnos damus. Hinc est quod, cum rex Babylonis succendi fornacem jubet, stuppæ et picis ministrari congeriem præcepit, sed tamen abstinentes pueros hoc igne minime consumit: quia antiquus hostis, licet innumeras ciborum concupiscentias nostris obtutibus opponat, quibus libidinis ignis crescat, bonis tamen mentibus superni Spiritus gratia insibilat, ut a carnalis concupiscentiæ æstibus illæsæ perdurent. »

Et S. Basilii de corpore castigando.

S. Basilius, hom. *De Legendis Gentilium libris*: « Est, inquit, corpus castigandum, ac feræ cujusdam instar cohibendum, et ab ipso adversus animam tumultus orientes, ratione veluti flagello compescendi, ne frænum voluptati omnino laxando, mens velut auriga ab equis contumacibus, et minime obtemperantibus, feratur ac rapiatur; ac inter cetera Pythagoræ meminisse dicti oportet, qui videns quemdam exercitationibus ac cibis laute appositeque sese curantem ac saginantem: Heus, inquit, miser, non desinis continuo duriorem tibi carcerem præparare! Ideo et Platonem dicunt, cognito quod ex corpore est nocumento, Academiam Athenis loco pestilenti elegisse,

Num Plato Academiam in loco pestilenti elegit?

ut nimiam corporis prosperitatem, veluti vitem palmite luxuriantem amputaret. Ego vero bonam valetudinem quæ in summo sit, ex medicis sæpe audivi fallacem esse. Quando igitur ipsa corporis diligentia et corpori pariter et animæ inutilis esse apparet, hanc sarcinam delinire, et illi famulari, manifesta fuerit insania. Si autem hoc contemnere studeamus, nihil aliud rerum humanarum facile admirabimur. » Idem Basilius in *Regul. fusius disp.*, Reg., 17: « Uti, inquit, optimus corporis habitus, et coloris bonitas pugilem a cæteris distinguit; sic Christianum a cæteris secernit macilentia corporis, pallorque defloreseens, qui continentiæ velut adjunctus est comes: indicio est enim Christi mandatorum vere pugilem esse, qui in infirmitate corporis adversarium suum in lucta prosternit; et quam potens sit in pietatis certaminibus, declarat convenienter verbis illis: Cum infirmor, tunc potens sum. »

Docet macie ac pallore, ac S. Basilius.

S. Chrysostomus hic: « Castigo corpus meum, q. d. Multum sustineo laborem, ut sobrie vivam; si quidem intractabilis est cupiditas, ventris voracitas; verumtamen eam cohibeo, et non trado meipsum affectibus, sed affectus comprimo, et ipsam naturam multis sudoribus subjicio; hæc autem dico, ut nemo a certando desperet pro virtute; nam laboriosum est. Quare, inquit, castigo et in servitutem redigo; non dixit, Perdo et punio, non enim inimica caro est; sed, Castigo et redigo in servitutem, quod Domini est, non hostis; magistri, non inimici; exercitatoris, non adversarii; ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus inveniar. Quod si Paulus hoc timuit, cum talis esset præceptor, et post prædicationem, et orbis terrarum susceptum patrocinium formidavit; quidnam nos dicemus? »

S. Chrysostomus de castigando corpore.

S. Hieronymus contra Jovinianum hæreticum, hostem jejunii, castitatis et austeritatis, hæc ipse mire tuetur et deprædicat, adeoque sub finem lib. II: « Quod multi, inquit, acquiescunt sententiæ tuæ, o Jovinisne, indicium voluptatis est; et pro magna sapientia deputas, si plures porci post te currant, quos gehennæ succidiæ (vel, ut alii legunt, succendio) nutrias. Basilides, magister luxuriæ et turpissimorum complexuum, post tot annos in Jovinianum, quasi in Euphorbum, transformatus est, ut Latina quoque lingua haberet hæresim suam. Vexillum crucis, et prædicationis austeritas (notent hæc Novantes) idolorum templa destruxerat. E regione luxuria penis, ventris et gutturis subvertere nititur fortitudinem crucis. Semper pseudoprophetæ dulcia pollicentur, nec modicum placent. Amara est veritas, et qui eam prædicant, replentur amaritudine. »

S. Hieronymus de frenanda gula eos imprimis monet.

Pseudoprophetæ dulcia pollicentur.

Cassianus, lib. V. *De Instit. remunt.*, cap. XVII et seq: « Vis, inquit, audire verum athletam Christi, legitimo agonis jure certantem? Ego igitur, inquit, sic curro non quasi in incertum; sic pugno non quasi aerem verberans; sed castigo corpus meum et servituti subjicio, ne aliis prædicans ipse reprobus efficiar. Vides ut in scipso, id est, in carne sua, collectationum summam, velut in base quadam firmissima statuerit, et proventum pugnæ in sola castigatione carnis, et in subjectione sui corporis collocarit? » Et aliquanto post repetitis hisce Apostoli verbis, subdit: « Quod propriis ad continentiæ labores et corporale jejunium atque afflictionem carnis pertinet: per hanc se pugilem quemdam strenuum suæ carnis esse describens, nec in vanum adversus eam ictus continentiæ exercuisse designans, sed triumphum pugnæ mortificatione sui corporis acquisisse: quo verberibus continentiæ castigato, et æstibus jejuniorum eliso, victori spiritui immortalitatis coronam, et incorruptionis contulit palmam. » Et paucis interjectis: « Sic pugnat, jejuniis scilicet et afflictione carnali, non quasi aerem verberans, id est, in vanum ictus continentiæ porrigens, per quos non aerem vacuum, sed illos spiritus qui in eo versantur castigatione sui corporis verberabat. Qui enim dicit: Non quasi aerem verberans, ostendit se tametsi non aerem vacuum et inanem, aliquos tamen in aere verberare. »

Porro non tantum ad libidinem, sed et superbiam omniaque vitia frangenda, et quasvis virtutes comparandas, castigandum esse corpus, docet S. Hieronymus, epist. 14 *ad Celantiam*: « Qui, sit, probabiliter ac scienter abstinentiæ virtutem tenent, eo affligunt carnem suam, quo animæ frangant superbiam; ut quasi de quodam fastigio contemptus sui atque arrogantiæ descendant ad implendam Domini voluntatem, quæ maxime in humilitate perficitur. Idcirco a variis ciborum desideriis mentem retrahunt, ut totam ejus vim occupent in cupiditate virtutum. Jamque minus jejuniorum et abstinentiæ laborem caro sentit, anima esuriente justitiam. Nam et vas electionis Paulus, dum castigat corpus suum et in servitutem redigit, ne aliis prædicans ipse reprobus inveniatur, non ob solam, ut quidam imperiti putant, hoc facit castitatem; non enim huic tantum modo, sed omnibus omnino virtutibus abstinentia opitulatur. »

Exempla Sanctorum qui in castigando corpore illustres fuerunt.

Denique prisci illi sanctissimi in eremo patres studio perfectionis ita corpus castigarunt, ut pene videatur incredibile; Deoque id placuisse, patet ex vita eorum tam sancta, quam longæva et felici. Videre est Hieronymum in Vita S. Hilarionis, S. Pauli, S. Malchi; Athanasium in Vita S. Antonii, Theodoretum in Vita Simeonis Stylitis, qui 80 annos perpetuo noctu diuque sub dio stetit in columna, vix cibum, vix somnum capiens, aliorumque plurimorum. Adeoque a viris prudentibus in *Vitis Sanctorum* solerter observatum est, nullos pene Sanctos miraculis, et gestorum rerumque admirandarum gloria claruisse, nisi illos qui jejuniis et vitæ austeritate excelluerunt, quique corpus afflixerunt, aut a Deo morbis, vel ab hostibus et tyrannis tormentis et ærumnis afflicti fuerunt; cæteros Sanctos qui communem vitam egerunt, multum quidem sibi et Ecclesiæ profuisse, sed miracula aut nulla, aut rara patrasse.

Sed secundum vitæ claruerunt miracula.

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Occasione agonis, in quo abstinentes riteque certantes præmiantur, inertes luxuique dediti reprobantur et confunduntur, de quo egit in fine capitis præcedentis, digreditur hic Apostolus ad veterum Hebræorum mores, concupiscentias et vitia, maxime idololatriam; punitionem pariter et reprobationem; ut horum exemplo docent Corinthios, quam cavenda sint vitia et tentationes, maxime idololatria.

Hinc consequenter, vers. 18, *descendit et redit ad idolothyta, quæstionemque de iis, cap.* VIII, *inchoatam absolvit; ac primo, docet iis non licere vesci, quatenus idolothyta seu idolis immolata sunt: hoc enim esset immolationi et sacrificio idololatrico consentire, et profiteri idololatriam.*

Secundo, vers. 23, *docet non licere idolothytis vesci, ubi infirmiores hac re scandalizantur. Unde, vers.* 31, *ædificationem maxime Corinthiis commendat, utque omnia in gloriam Dei, et salutem proximorum faciant.*

1. Nolo enim vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes mare transierunt: 2. et omnes in Moyse baptizati sunt in nube et in mari: 3. et omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt, 4. et omnes eumdem potum spiritalem biberunt (bibebant autem de spirituali, consequente eos petra: petra autem erat Christus); 5. sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo, nam prostrati sunt in deserto. 6. Hæc autem in figura facta sunt nostri, ut non simus concupiscentes malorum, sicut et illi concupierunt. 7. Neque idololatræ efficiamini, sicut quidam ex ipsis: quemadmodum scriptum est: Sedit populus manducare, et bibere, et surrexerunt ludere. 8. Neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, et ceciderunt una die viginti tria millia. 9. Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt, et a serpentibus perierunt. 10. Neque murmuraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt, et perierunt ab exterminatore.

tra hæreticos delicias quadrupedantes.

carnem suam, ut menti subditam faciant, quod nunquam fecisset, neque scripsisset Paulus, si deliramentum putasset (notent hoc Novantes nostri); gloriatur autem dicens: Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne, cum aliis prædicaverim, ipse reprobus inveniar. Ergo qui non castigant corpus suum, et volunt prædicare aliis, ipsi reprobi habentur. Quæ istos Epicuros nova schola misit, qui voluptatem prædicent, delicias suadeant? Dominus Jesus, volens nos adversus diaboli tentamenta fortiores reddere, certaturus jejunavit, ut sciremus quia aliter illecebras mali non possemus vincere. Qua causa Christus jejunaverit, hi astruant, nisi ut nobis exemplo esset ejus jejunium? »

Et Gregorii de gula refrenanda;

S. Gregorius, lib. XXX *Moral.*, cap. XXVI: « Muros Jerusalem coquorum princeps (Nabuzardan) destruit, quia virtutes animæ, dum non restringitur venter, perdit. Hinc est quod Paulus contra Jerusalem mœnia decertanti vires coquorum principi (id est ventri) subtrahebat, cum diceret: Castigo corpus meum, et servituti subjicio. Unde prætmiserat: Sic pugno non quasi aerem verberans, quia, cum carnem restringimus, ipsis abstinentiæ nostræ ictibus, non aerem, sed immundos spiritus verberamus; et cum hoc quod est intra nos subjicimus, extra positis adversariis pugnos damus. Hinc est quod, cum rex Babylonis succendi fornacem jubet, stuppæ et picis ministrari congeriem præcepit, sed tamen abstinentes pueros hoc igne minime consumit: quia antiquus hostis, licet innumeras ciborum concupiscentias nostris obtutibus opponat, quibus libidinis ignis crescat, bonis tamen mentibus superni Spiritus gratia insibilat, ut a carnalis concupiscentiæ æstibus illæsæ perdurent. »

Et S. Basilii de corpore castigando.

S. Basilius, hom. *De Legendis Gentilium libris*: « Est, inquit, corpus castigandum, ac feræ cujusdam instar cohibendum, et ab ipso adversus animam tumultus orientes, ratione veluti flagello compescendi, ne frænum voluptati omnino laxando, mens velut auriga ab equis contumacibus, et minime obtemperantibus, feratur ac rapiatur; ac inter cetera Pythagoræ meminisse dicti oportet, qui videns quemdam exercitationibus ac cibis laute appositeque sese curantem ac saginantem: Heus, inquit, miser, non desinis continuo duriorem tibi carcerem præparare! Ideo et Platonem dicunt, cognito quod ex corpore est nocumento, Academiam Athenis loco pestilenti elegisse,

Num Plato Academiam in loco pestilenti elegit?

ut nimiam corporis prosperitatem, veluti vitem palmite luxuriantem amputaret. Ego vero bonam valetudinem quæ in summo sit, ex medicis sæpe audivi fallacem esse. Quando igitur ipsa corporis diligentia et corpori pariter et animæ inutilis esse apparet, hanc sarcinam delinire, et illi famulari, manifesta fuerit insania. Si autem hoc contemnere studeamus, nihil aliud rerum humanarum facile admirabimur. » Idem Basilius in *Regul. fusius disp.*, Reg., 17: « Uti, inquit, optimus corporis habitus, et coloris bonitas pugilem a cæteris distinguit; sic Christianum a cæteris secernit macilentia corporis, pallorque defloreseens, qui continentiæ velut adjunctus est comes: indicio est enim Christi mandatorum vere pugilem esse, qui in infirmitate corporis adversarium suum in lucta prosternit; et quam potens sit in pietatis certaminibus, declarat convenienter verbis illis: Cum infirmor, tunc potens sum. »

Docet macie ac pallore, ac S. Basilius.

S. Chrysostomus hic: « Castigo corpus meum, q. d. Multum sustineo laborem, ut sobrie vivam; si quidem intractabilis est cupiditas, ventris voracitas; verumtamen eam cohibeo, et non trado meipsum affectibus, sed affectus comprimo, et ipsam naturam multis sudoribus subjicio; hæc autem dico, ut nemo a certando desperet pro virtute; nam laboriosum est. Quare, inquit, castigo et in servitutem redigo; non dixit, Perdo et punio, non enim inimica caro est; sed, Castigo et redigo in servitutem, quod Domini est, non hostis; magistri, non inimici; exercitatoris, non adversarii; ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus inveniar. Quod si Paulus hoc timuit, cum talis esset præceptor, et post prædicationem, et orbis terrarum susceptum patrocinium formidavit; quidnam nos dicemus? »

S. Chrysostomus de castigando corpore.

S. Hieronymus contra Jovinianum hæreticum, hostem jejunii, castitatis et austeritatis, hæc ipse mire tuetur et deprædicat, adeoque sub finem lib. II: « Quod multi, inquit, acquiescunt sententiæ tuæ, o Jovinisne, indicium voluptatis est; et pro magna sapientia deputas, si plures porci post te currant, quos gehennæ succidiæ (vel, ut alii legunt, succendio) nutrias. Basilides, magister luxuriæ et turpissimorum complexuum, post tot annos in Jovinianum, quasi in Euphorbum, transformatus est, ut Latina quoque lingua haberet hæresim suam. Vexillum crucis, et prædicationis austeritas (notent hæc Novantes) idolorum templa destruxerat. E regione luxuria penis, ventris et gutturis subvertere nititur fortitudinem crucis. Semper pseudoprophetæ dulcia pollicentur, nec modicum placent. Amara est veritas, et qui eam prædicant, replentur amaritudine. »

S. Hieronymus de frenanda gula eos imprimis monet.

Pseudoprophetæ dulcia pollicentur.

Cassianus, lib. V. *De Instit. remunt.*, cap. XVII et seq: « Vis, inquit, audire verum athletam Christi, legitimo agonis jure certantem? Ego igitur, inquit, sic curro non quasi in incertum; sic pugno non quasi aerem verberans; sed castigo corpus meum et servituti subjicio, ne aliis prædicans ipse reprobus efficiar. Vides ut in scipso, id est, in carne sua, collectationum summam, velut in base quadam firmissima statuerit, et proventum pugnæ in sola castigatione carnis, et in subjectione sui corporis collocarit? » Et aliquanto post repetitis hisce Apostoli verbis, subdit: « Quod propriis ad continentiæ labores et corporale jejunium atque afflictionem carnis pertinet: per hanc se pugilem quemdam strenuum suæ carnis esse describens, nec in vanum adversus eam ictus continentiæ exercuisse designans, sed triumphum pugnæ mortificatione sui corporis acquisisse: quo verberibus continentiæ castigato, et æstibus jejuniorum eliso, victori spiritui immortalitatis coronam, et incorruptionis contulit palmam. » Et paucis interjectis: « Sic pugnat, jejuniis scilicet et afflictione carnali, non quasi aerem verberans, id est, in vanum ictus continentiæ porrigens, per quos non aerem vacuum, sed illos spiritus qui in eo versantur castigatione sui corporis verberabat. Qui enim dicit: Non quasi aerem verberans, ostendit se tametsi non aerem vacuum et inanem, aliquos tamen in aere verberare. »

Porro non tantum ad libidinem, sed et superbiam omniaque vitia frangenda, et quasvis virtutes comparandas, castigandum esse corpus, docet S. Hieronymus, epist. 14 *ad Celantiam*: « Qui, sit, probabiliter ac scienter abstinentiæ virtutem tenent, eo affligunt carnem suam, quo animæ frangant superbiam; ut quasi de quodam fastigio contemptus sui atque arrogantiæ descendant ad implendam Domini voluntatem, quæ maxime in humilitate perficitur. Idcirco a variis ciborum desideriis mentem retrahunt, ut totam ejus vim occupent in cupiditate virtutum. Jamque minus jejuniorum et abstinentiæ laborem caro sentit, anima esuriente justitiam. Nam et vas electionis Paulus, dum castigat corpus suum et in servitutem redigit, ne aliis prædicans ipse reprobus inveniatur, non ob solam, ut quidam imperiti putant, hoc facit castitatem; non enim huic tantum modo, sed omnibus omnino virtutibus abstinentia opitulatur. »

Exempla Sanctorum qui in castigando corpore illustres fuerunt.

Denique prisci illi sanctissimi in eremo patres studio perfectionis ita corpus castigarunt, ut pene videatur incredibile; Deoque id placuisse, patet ex vita eorum tam sancta, quam longæva et felici. Videre est Hieronymum in Vita S. Hilarionis, S. Pauli, S. Malchi; Athanasium in Vita S. Antonii, Theodoretum in Vita Simeonis Stylitis, qui 80 annos perpetuo noctu diuque sub dio stetit in columna, vix cibum, vix somnum capiens, aliorumque plurimorum. Adeoque a viris prudentibus in *Vitis Sanctorum* solerter observatum est, nullos pene Sanctos miraculis, et gestorum rerumque admirandarum gloria claruisse, nisi illos qui jejuniis et vitæ austeritate excelluerunt, quique corpus afflixerunt, aut a Deo morbis, vel ab hostibus et tyrannis tormentis et ærumnis afflicti fuerunt; cæteros Sanctos qui communem vitam egerunt, multum quidem sibi et Ecclesiæ profuisse, sed miracula aut nulla, aut rara patrasse.

Sed secundum vitæ claruerunt miracula.

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Occasione agonis, in quo abstinentes riteque certantes præmiantur, inertes luxuique dediti reprobantur et confunduntur, de quo egit in fine capitis præcedentis, digreditur hic Apostolus ad veterum Hebræorum mores, concupiscentias et vitia, maxime idololatriam; punitionem pariter et reprobationem; ut horum exemplo docent Corinthios, quam cavenda sint vitia et tentationes, maxime idololatria.

Hinc consequenter, vers. 18, *descendit et redit ad idolothyta, quæstionemque de iis, cap.* VIII, *inchoatam absolvit; ac primo, docet iis non licere vesci, quatenus idolothyta seu idolis immolata sunt: hoc enim esset immolationi et sacrificio idololatrico consentire, et profiteri idololatriam.*

Secundo, vers. 23, *docet non licere idolothytis vesci, ubi infirmiores hac re scandalizantur. Unde, vers.* 31, *ædificationem maxime Corinthiis commendat, utque omnia in gloriam Dei, et salutem proximorum faciant.*

1. Nolo enim vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes mare transierunt: 2. et omnes in Moyse baptizati sunt in nube et in mari: 3. et omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt, 4. et omnes eumdem potum spiritalem biberunt (bibebant autem de spirituali, consequente eos petra: petra autem erat Christus); 5. sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo, nam prostrati sunt in deserto. 6. Hæc autem in figura facta sunt nostri, ut non simus concupiscentes malorum, sicut et illi concupierunt. 7. Neque idololatræ efficiamini, sicut quidam ex ipsis: quemadmodum scriptum est: Sedit populus manducare, et bibere, et surrexerunt ludere. 8. Neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, et ceciderunt una die viginti tria millia. 9. Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentaverunt, et a serpentibus perierunt. 10. Neque murmuraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt, et perierunt ab exterminatore.

11. Hæc autem omnia in figura contingebant illis : scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum devenerunt. 12. Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat. 13. Tentatio vos non apprehendat, nisi humana : fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere. 14. Propter quod, charissimi mihi, fugite ab idolorum cultura. 15. Ut prudentibus loquor, vos ipsi judicate quod dico. 16. Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? 17. Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus. 18. Videte Israel secundum carnem : nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris? 19. Quid ergo? dico quod idolis immolatum sit aliquid? aut quod idolum sit aliquid? 20. Sed quæ immolant Gentes, dæmoniis immolant, et non Deo. Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum : non potestis calicem Domini bibere, et calicem dæmoniorum : 21. non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ dæmoniorum. 22. An æmulamur Dominum? Numquid fortiores illo sumus? Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. 23. Omnia mihi licent, sed non omnia ædificant. 24. Nemo quod suum est quærat, sed quod alterius. 25. Omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. 26. Domini est terra, et plenitudo ejus. 27. Si quis vocat vos infidelium, et vultis ire : omne quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. 28. Si quis autem dixerit : Hoc immolatum est idolis : nolite manducare propter illum qui indicavit, et propter conscientiam : 29. conscientiam autem dico non tuam, sed alterius. Ut quid enim libertas mea judicatur ab aliena conscientia? 30. Si ego cum gratia participo, quid blasphemor pro eo quod gratias ago? 31. Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. 32. Sine offensione estote Judæis, et Gentibus, et Ecclesiæ Dei : 33. sicut et ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis : ut salvi fiant.

Vers. 1. 1. NOLO ENIM VOS IGNORARE, FRATRES, QUONIAM PATRES NOSTRI OMNES SUB NUBE FUERUNT. — VOX *enim* causam dat dictorum in fine cap. præcedentis, *q. d.* Ideo dixi post baptismum Christianis esse certandum in agone, ne reprobi fiant, et bravium amittant, quia sic Hebræi post typicum baptismum et escam cœlestem, scilicet manna, terram promissionis et bravium inertes per peccata amiserunt, et e sexcentis millibus soli Josue et Caleb terram promissam ingressi sunt. Cavete ergo vos, o Corinthii, ne pariter ob inertiam et vitam fidei et baptismo difformem eodo excludamini. Ita Chrysostomus et Anselmus. Argumentatur a typo seu figura ad rem figuratam (1).

Certandum est post baptismum Christianis.

(1) Hunc versuum 1-11 sensum statuit Allioli : Gratiæ spirituales quas accepistis, o Corinthii, ne vos nimis securos reddant, ita ut, iis confisi, peccata admittatis. Patres vestri sint in exemplum. Fuerunt sub nube, *baptismum vestrum præfigurante, qualenus acti. concupiscentiæ fomitem vedat, illuminat mentem* ; mari Rubro salvi exierunt, *sicut vos pueri et sancti ex undis baptismi existis* ; manducaverunt manna, *vos Eucharistiam* ; potaverunt aquam de petra pluribus in locis, ita ut dici possit, petram illam eos esse comitatam (vel, ut Rosenmullerus, aquam de petra, Messiæ præsentis et Israelitas comitantis symbolo ac documento), *eos sanguinem Christi potantis, ejus gratiis quasi irrigati fuistis* : cavete ergo, ne, sicut Israelitæ post tot beneficia Deo inobedientes, in deserto mortui sunt, ita et vos, iisdem, imo majoribus gratiis adjuti, reprobi sitis, si videlicet in fornicationem aut idolatriam delabimini.

PATRES NOSTRI. — Patres Judæorum, e quibus ego sum, et multi inter vos, o Corinthii.

Quis sit nubes sub qua patres fuerunt?

SUB NUBE. — Nubes hæc fuit columna per diem obumbrans Hebræos ut nubes, per noctem lucens ut ignis, quæ eos duxit per desertum quadraginta annis arcæ incubans, et castra eorum præcedens, eaque protegens ab æstu, super castra universa se expandendo, cujus motor et quasi auriga erat angelus : de qua plura *Exod.* XIII.

ET OMNES MARE (Rubrum, sive sinum Arabicum) TRANSIERUNT, — sicco pede, Mose per virgam suam aquas percutiente et dividente.

Vers. 2. 2. ET OMNES IN MOSE BAPTIZATI SUNT IN NUBE ET IN MARI, — *Exod.* XIV. Nota transitum maris Rubri typum fuisse baptismi, in quo sanguine Christi rubricamur, et mergimus Ægyptios, scilicet peccata; Moses typus est Christi, nubes est Spiritus Sanctus æstum concupiscentiæ refrigerans, nosque illuminans. Unde Theodoretus : « Illa, inquit, erant nostrorum typus : mare enim imitabatur piscinam seu lavacrum, nubes autem gratiam spiritus; Moses vero sacerdotem, virga autem crucem; Israel vero significabat eos qui baptizantur; persequentes vero Ægyptii implebant figuram dæmonum; ipse autem Pharao erat imago diaboli. »

Transitus maris Rubri typus fuit baptismi.

Nota *secundo* : PRO *in Mose*, græce est εἰς τὸν Μωσῆν, *in Mosem*, scilicet legislatorem, id est in legem Mosaicam, specie quadam baptismatis transeundo mare, initiati sunt Hebræi; uti nos in Christum baptizamur, id est, Christo et Christianismo per baptismum initiamur et incorporamur. Unde *Exod.* XIV, subditur post transitum maris Rubri : « Crediderunt Domino, et Moysi servo, » id est legislatori, « ejus. » Ita aliqui.

Verum baptismus noster non fuit typus baptismi Hebræorum in mari Rubro, sed contra Hebræorum transitus in mari fuit typus nostri baptismi. Adde, in hoc transitu Hebræos non esse initiatos legi Mosaicæ, imo nondum eam accepisse, sed postea in Sina.

In transitu maris Rubri non erant Judæi initiati legi Mosaicæ.

Dico ergo simplicius, *in Mosem*, id est *in Mose*: εἰς enim sæpe ponit Apostolus pro ἐν. Jam « in Mose, » id est, ut Syrus, Chrysostomus, Theophylactus, « per Mosem, » duce Mose. Sensus itaque est, *q. d.* Omnes Hebræi per Mosem baptizati sunt spiritualiter et typice, seu typum gesserunt baptismi nostri, eo ipso quod cum viderunt per Mosem mare divisum, et primum Mosem mare transeuntem, ait Chrysostomus, etiam ipsi mari se credere ausi sunt; idque « in nube, » id est sub ducatu et protectione nobis præeuntis; « et in mari, » scilicet, in quo demersis Ægyptiis in signum futuri baptismatis, ab Ægyptiaca servitute in libertatem et vitæ novitatem transibant, sicut nos per aquas baptismi transimus a servitute diaboli in regnum Christi. Ita Anselmus, Chrysostomus, Ambrosius, Theophylactus.

Omnes Hebræi baptizati per Mosen typice.

Ubi adverte cum Chrysostomo Scripturam nomen typi antitypo tribuere, et contra. Ita hic transitus maris Rubri vocatur baptismus, quia erat typus baptismi. Unde explicatur vers. VI : « Hæc, inquit, in figura facta sunt nostri. »

Vers. 3. 3. ET OMNES EANDEM ESCAM SPIRITALEM MANDUCAVERUNT. — « Eamdem, » non nobiscum, ut vult Calvinus, quasi tam Christiani quam Hebræi non verum Christi corpus, sed typicum comedant.

Quomodo intelligendum eamdem escam spiritalem manducaverunt?

Dices : S. Augustinus, tract. 23 *in Joan.*, et S. Thomas explicant, « eamdem » nobiscum. Respondeo : Intelligunt « eamdem » analogice, quia Hebræi in signo recipiunt, quod nos re ipsa. Sed hoc est præter mentem Apostoli, qui intelligit « eamdem, » non nobiscum, sed inter se, *q. d.* Omnes Hebræi tam boni quam mali comederunt eamdem escam, id est idem manna. Patet ex textu et seq., ait enim : « Sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo, » *q. d.* Licet omnes idem manna comederint, eamdem aquam de petra biberint, tamen non omnes placuerunt Deo. Sicut ergo illi unum habuere baptismum, et unam escam spiritalem, uti et nos; et tamen non omnes salvi facti sunt, sed multi ex iis perierunt : sic et verendum est ne multi ex nobis

pereant, quamvis eamdem inter nos Sacramenta communia habeamus. Ita Chrysostomus, Theophylactus, Anselmus et alii. Cum quibus adverte manna hic dici « escam spiritalem, » id est, mysticam, sive typicam, quia manna erat typus et figura Eucharistiæ. Sic aqua petræ dicitur « potus spiritalis, » quia typus erat sanguinis Christi. Alii « spiritalem » interpretantur miraculosam, scilicet non vi naturæ, sed spirituum, puta Dei et Angelorum, productam. Tale enim fuit manna, de quo canit Psaltes : « Panem Angelorum manducavit homo, » *Psalm.* LXXVII, 25.

Quid sit hic manna? Aqua petræ typus erat sanguinis Christi.

Nota : *Manna* allegorice significabat Christum in Venerabili Sacramento, ut patet *Joan.* VI, 49 et 50; maxime vero manna significabat rem contentam et effectum sacramenti, ut fuse in citatum locum Joannis docet Chrysostomus, Theophylactus et Cyrillus. Unde et Apostolus hic ait : « Omnes eamdem escam spiritalem manducaverunt, et eumdem potum spiritalem biberunt. » Quod de sacra cœna etiam Calvinus accipit, dicitque manna fuisse typum corporis Christi. Ex quo recte colligas in Venerabili Sacramento vere esse carnem Christi, siquidem manna rei veræ existentis, non autem chimericæ fuerit symbolum; alioqui enim tam nos quam Judæi escam spiritalem, id est carnem typicam et symbolicam, manducabimus, neque plus veritatis significatæ habebimus quam ipsi Judæi, imo longe minus. Manna enim sapidius erat nostro pane, et longe clarius repræsentabat Christi corpus quam aridus panis. Consequentiam hanc, utpote claram, quidam nuper ex novo hoc grege Minister concessit. Sed quis non videt id repugnare et S. Scripturæ, et rationi? Lex enim nova præstantior est lege veteri; ergo et sacramenta nova præstant veteribus. Unde Apostolus ait : « Hæc in figura facta sunt nostri. » Res autem figurata sua figura nobilior est, sicut corpus sua umbra, ac homo sua imagine nobilior est : ergo Sacramenta legis novæ, et præsertim Eucharistia, quasi res figurata, nobilior esse debet Sacramentis legis veteris, ipsoque manna, quod tantum typus fuit et figura Eucharistiæ nostræ. Rursum, *Joan.* VI, Christus disertissime corpus suum in Eucharistia præfert ipsi manna, vers. 48 et 59 : « Ille est panis, inquit, qui de cœlo descendit; non sicut manducaverunt patres vestri manna, et mortui sunt : qui manducat hunc panem (scilicet divinum, consecratum, et transsubstantiatum in corpus Christi) vivet in æternum. » Quod autem manna clarius repræsentet corpus Christi, quam panis, quis non videt? id enim multis ostendi potest.

Declaratur veritas Eucharistiæ.

Manna allegorice significat Christum.

Manna vi naturæ erat panis, vi Sacramenti corpus Christi.

Unde nota *secundo* : Aptissime congruit manna cum corpore Christi in Eucharistia, illudque pulcherrime adumbravit. *Primo*, idem est color specierum Eucharistiæ et manna. *Secundo*, sapor dulcis utriusque. *Tertio*, nonnisi relictis ollis Egyptiacis, et carnis voluptatibus inventur, an sapit utrumque. *Quarto*, infidelibus avaris in

Eucharistia cum manna comparatur in 14 analogiis.

termem et judicium vertitur utrumque. *Quarto*, manna non datum est nisi post transitum maris : Eucharistia non datur nisi post baptismum. *Sexto*, post manna Hebræi cum Amalec pugnarunt, cum ante solus pro eis Deus pugnasset contra Ægyptios : pugnarunt, inquam, et vicerunt; sic vitæ cœlestis impedimenta et tentationes, quas nonnisi solidioribus objici patitur Deus, Eucharistiæ virtute superantur. *Septimo*, manna panis erat absque semine, absque aratione aut alio humano opere ab Angelis factus; sic Christi corpus ex sola Virgine et Spiritus Sancti irroratione natum est. *Octavo*, manna bonis et piis omnem saporis varietatem dabat. Unde *Sapient.* XVI, 20, dicitur de manna : « Angelorum esca nutrivisti populum tuum, et paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnem saporis suavitatem. » Ita Christus parvulis est lac, infantibus otus, perfectis solidus cibus, ait Nyssenus. *Nono*, manna erat minutum; Christus parva hostia est circumscriptus. *Decimo*, manna pilo unum fuit; Christus pilo crucis mortalitate exutus est. *Undecimo*, fideles admirabundi *wan ha!* quid hoc, ut nobiscum sit Deus! exclamant. *Duodecimo*, omnes de manna æqualem mensuram, unumquemque gomor unum, colligebant; sic totum Christum æqualiter omnes recipiunt, etsi species, sive hostia major sit aut minor. Ita Rupertus. *Decimo tertio*, sex diebus tantum colligebatur in deserto manna : sic in sabbato æternitatis et in terra promissionis velamen Sacramenti cessabit, Christoque facie ad faciem in summa quiete perfruemur. *Decimo quarto*, sole liquescebat manna : sic resolutis calore speciebus Sacramentum dissolvitur. Hæc et plura dixi et ostendi *Exod.* XXII.

Tentationes vitæ cœlestis Eucharistia superatur.

Vers. 4. Petra apud Hebræos typus erat Christi.

4. BIBEBANT AUTEM DE SPIRITALI (id est typica) CONSEQUENTE EOS PETRA. — Petra enim quæ dedit aquam Hebræis, erat typus Christi, qui est vera petra, e qua fluxit sanguis sitim concupiscentiæ nostræ restinguens. Sed quomodo hæc petra consequens, id est secuta, dicitur Hebræos?

Tradunt Hebræi petram Israelitis in deserto manantem ad instar fontis Hebræos secutam.

Respondent et tradunt Hebræi, et Chaldæus *Num.* XXI, 16, petram hanc per miraculum Judæos in deserto assidue secutam fuisse usque in Chanaan, eisque aquam dedisse. Unde et Syrus hic vertit : « Bibebant de petra spirituali quæ cum ipsis veniebat. » Et Tertullianus, lib. *De Baptismo*, cap. IX, hanc petram vocat *comitem* : « Hæc est, inquit, aqua, quæ de comite petra populo defluebat; » sed mox petram hanc interpretatur Christum, qui quoad divinitatem comitabatur et deducebat Hebræos per desertum. Unde idem, lib. III *Contra Marcion.*, cap. V : « Petram, inquit, potui subministrando comitem, Christum adleget fuisse. » Et S. Ambrosius, in *Psal.* XXXVIII, tom. II : « Umbra, inquit, in petra, quæ aquam fluxit, et populum sequebatur. Nonne umbra erat aqua de petra, quasi sanguis ex Christo, qui fugientes se populos sequebatur, ut biberent, et non sitirent; redimerentur, et non perirent? » Idem tamen pariter per petram accipit Christum, lib. V *De Sacramentis*, cap. I : « Non immobilis petra, inquit, quæ populum sequebatur. Et tu bibe, ut te Christus sequatur. » Sed velim hujus traditionis certiores habere auctores; illi enim obstat, quod post hanc aquam e petra, *Num.* cap. XX, vers. 11, rursum murmurarunt ob aquæ inopiam, *Num.* XXI, 5. Unde, vers. 16, dedit eis Deus puteum aquæ.

Hinc alii jam hoc emolliunt, et sic explicant : « De petra consequente, » quia, inquiunt, *aquæ* ex petra erumpentes per longum spatium fluebant, ac quasi torrentem faciebant, qui sequebatur Hebræos donec venirent ad locum, ubi aquarum erat copia : nam si fuisset hoc unius diei beneficium, fuisset postero die, et tertio, ac quarto iterum semper percutienda petra ad aquas ex ea eliciendum. Et probatur hæc expositio : nam manna materialiter hic accipitur, ergo et petra, et potus materialis intelligi debet : sed illa quæ diximus obstare priori sententiæ, etiam huic obstant.

Aquæ ex petra erumpentes longo tempore novitas Hebræos quidam putant.

Tertio, Photius pro « consequente, » vertit *obsequante*, *q. d.* Petra hæc obsequebatur Hebræorum siti et desiderio; sed Græcum ἀκολουθοῦν proprie sequi et consequi significat, non obsequi.

Quarto, ergo certius et aptius accipio hæc de petra spirituali, id est typica, sed significata, non significante, scilicet Christo (vide *Can.* 3), *q. d.* Paulus : Christi divinitatis virtute, quæ erat petra spiritalis significata per petram dantem Hebræis aquam, quæque Hebræos semper comes per desertum sequebatur, data est Hebræis aqua de petra illa materiali. Ita S. Chrysostomus, Ambrosius, Anselmus, Œcumenius.

Quid propre ok hic petra consequens?

Dices : Per « escam spiritalem » Apostolus accipit manna, non corpus Christi; et per « potum spiritalem » accipit ipsam aquam significantem sanguinem Christi, non autem ipsum sanguinem significatum : ergo pariter per petram spiritalem accipit petram realem significantem Christum, non autem ipsum Christum per petram significatum.

Objectio ex eo ducta, quia petra non significat, sed significata est.

Respondeo : Nego consequentiam, quia Apostolus in petra invertit phrasim, et transiit a signo ad significatum. Id patet, quia explicans hanc spiritalem petram, ait : « Petra autem erat Christus, » *q. d.* Cum petram spiritalem dico, Christum intelligo : quid clarius? Non enim materialis et significans, sed spiritalis et significata petra erat Christus.

Instabis : Græca pro « bibebant autem; » habent ἔπινον γάρ, *bibebant enim* : ergo talem petram qualem potum intelligunt, *q. d.* Bibebant potum spiritalem, id est typicum : nam et petra dans hunc potum erat spiritalis, id est typica. Quæ enim esset connexio et ratio dicere : Bibebant potum typicum, quia petra typica erat Christus.

Respondeo : Apta est connexio et ratio, quia

vox *enim* dat et assignat causam efficientem tanti miraculi, et potus tam miraculosi, *q. d.* Bibebant Hebræi aquam typicam : Christus enim per petram typicam, quæ hanc aquam eructabat, adumbratus, hanc aquam typicam miraculose eis dabat, ut Christum eam dantem agnoscerent et colerent : quod tamen, ut sequitur, plurimi eorum non fecerunt.

Quid per petra illa allegorice significabat?

Nota : Petra illa dans aquam, allegorice significabat Christum, quia scilicet Christus quasi petra firmissima sustinet Ecclesiam, et « percussus, » id est occisus, « a Mose, » hoc est a Judæis, idque « virga, » hoc est cruce, « aquas » uberrimas gratiarum effudit, incredulis « contradictionis, » fidelibus « sanctificationis, » maxime aquas sanguinis sui in Eucharistia, quibus nos in hoc vitæ deserto potat, ut iis roborati tendamus ad civitatem nostram in cœlis. Unde ipse Christus dicit *Joan.* VII, 37 : « Si quis sitit, veniat ad me, et bibat. » Et *Joan.* IV, 14 : « Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. » Ita S. Augustinus, lib. XVI *Contra Faustum*, cap. XV.

Dices : Nonnulli Catholici juxta primam expositionem datam sic explicant : « Petra erat Christus, » id est typus Christi; ergo pariter de Eucharistia dici poterit : « Hoc est corpus meum, » id est figura corporis mei.

Hoc est corpus meum, hoc significat, hoc est, figura corporis mei.

Respondeo *primo* : Nego consequentiam, quia petra est res disparata a Christo, qualis una non potest esse alia, ut lapis non potest esse lignum : pronomen autem *hoc* non est disparatum a Christi corpore, imo designat ipsum corpus; sed simile esset, si Christus dixisset : Hic panis spiritualis, sive typicus, est corpus meum; tunc enim exponi deberet sic : Hic panis est figura corporis mei.

Adde, Apostolum explicare se de petra non vera, sed spiritali; ait enim : « Bibebant autem de spirituali consequente eos petra; petra autem, » scilicet spiritalis illa jam dicta, « erat Christus. » Dicitur enim petra spiritualis, id est typica, quia typus erat Christi et Christum typice representabat : non ita loquitur Christus, nec S. Paulus de Eucharistia; sed tam ipse, quam omnes Evangelistæ constanter narrant Christum dixisse : « Hoc est corpus meum; » non autem : Hoc est spirituale vel typicum corpus meum. *Secundo*, ad antecedens respondeo, illam aliquorum explicationem parum esse probabilem : nam petra illa spiritalis, id est typica et significata, vere erat Christus, non typus Christi, ut dixi. Id enim clare convincunt verba S. Pauli, ut jam ostendi.

Vers. 5. Qui ex Hebræis hernm pœnas dederint?

5. NAM PROSTRATI SUNT IN DESERTO. — Omnes enim Hebræi, qui duce Mose egressi sunt ex Ægypto, ob peccata sua, præsertim murmurationem, mortui sunt in deserto, dempto Josue et Caleb, qui soli cum nova mortuorum sobole ingressi sunt terram promissam, *Num.* XIV, 29.

Vers. 6.

6. HÆC AUTEM IN FIGURA FACTA SUNT NOSTRI. — « Figura » hic tam exemplum, quam typum significat. Voluit enim Deus Hebræos statuere Christianis in exemplum, ut ex ipsorum punitione discerent Deum revereri, illique obedire, de quo plura vers. 10. Unde sequitur :

Unde dicta Sepulcra concupiscentiæ?

SICUT ET ILLI (patres nostri, de quibus dixi vers. 1, scilicet prisci Hebræi) CONCUPIERUNT — delicias carnium, in loco qui inde dictus est « Sepulcra concupiscentiæ, » eo quod Hebræi ibidem ob hanc carnium concupiscentiam cæsi sint a Deo, *Num.* XI, 33 et 34.

Vers. 7.

7. NEQUE IDOLOLATRÆ EFFICIAMINI, SICUT QUIDAM EX IPSIS, QUEMADMODUM SCRIPTUM EST (*Exodi* XXXII, 6,) : SEDIT POPULUS MANDUCARE ET BIBERE, ET SURREXERUNT LUDERE, — cum scilicet vitulum aureum conflarunt Hebræi, dedicarunt, adoraverunt : tunc enim hujus sui idoli et festi lætitiam clauserunt læto epulo. Unde cœpit populus manducare ex hostiis pacificis vitulo immolatis, ut ita solemnitatem novi hujusce dei sui, more Ægyptiorum aliorumque Gentilium, communi et sacro convivio, æque ac ludis celebrarent et consummarent. Unde et « surrexerunt ludere, » saltando nimirum, et choros agendo; hos enim paulo post descendens e monte vidit Moses, *Exodi* XXXII, 19; sic enim Gentiles post sacrificia, in honorem deorum suorum ludos agebant, eosque sæpe obscenissimos. Unde Rabbini et Tertullianus, lib. *De Jejunio contra Psychicos*, lusum hunc Judæorum apte interpretantur fornicationem et impudicitiam. Edebant et publica spectacula, quæ quia idolis, æque ac idolothyta, dicata, vetita esse Christianis, docet Tertullianus, lib. *De Spectaculis*, quem ea de causa scripsit. Verum mox ira Dei in populum vitulantem et luscivientem desævit, cæsis per Levitas, jubente Mose, viginti tribus hominum millibus. Inculcat hæc Corinthiis Paulus, quia est verisimile eos in gentilismo similes ludos et convivia agitasse, atque idolothyta comedisse in honorem deorum suorum, ac præsertim Veneris, cui mille puellas quotidie ad meretricandum exponebant, erantque in luxum et venerem propensissimi. Unde eos tantopere vers. seq., et cap. VI, vers. 9 et seq., a scortatione deterret, ut ibi dixi, *q. d.* Paulus : Videte ergo, o Corinthii, ne ad idola redeatis, neve idolothyta eis immolata comedatis, ut sacrificiorum idololatricorum participes efficiamini; nec lusibus, luxui et luxuriæ vos dedatis : alioqui æque ut Hebræi, quasi apostatæ et idolatræ, quasi helluones et ventres, a Deo puniemini.

Gentilium in sacrificiis ludis acta.

Gentilibus in sacrificiis ludos et convivia agitasse, atque idolothyta comedisse probatur.

Vers. 8. Quis ille Beel-phegor?

8. SICUT QUIDAM EX IPSIS FORNICATI SUNT, — CUM scilicet Hebræi coluerunt Beel-phegor, id est Priapum, et in ejus gratiam et cultum fornicati sunt cum filiabus Moab, *Num.* XXV.

ET CECIDERUNT UNA DIE VIGINTI TRIA MILLIA — Chrysostomus, Anselmus, Cajetanus referunt hoc ad plagam ob fornicationem cum filiabus Moab, de qua jam dixi, quæ recensetur *Num.* XXV; sed ibi, vers. 9, dicuntur cæsa viginti quatuor millia, hic autem sunt tantum « viginti tria millia : »

hæc aliqui respondeant, uno die tantum cæsa esse viginti tria millia, mille autem unum priore die esse cæsum. Sed hoc gratis dicitur : nam nihil tale dicit Scriptura. *Secundo*, Cajetanus respondet errore scribarum poni 23 pro 24. *Tertio*, Œcumenius ait quosdam legere 23 millia, *Num.* XXV, æque ut hic. *Quarto*, alii respondent Apostolum dicere verum, quia major numerus, scilicet 24, includit minorem, scilicet 23. Sed planius et apertius dicemus, Apostolum respicere ad *Exodi* XXXII, 28, ubi ob adoratum vitulum cæsa dicuntur 23 millia, ut habent Biblia Romana. Hanc ergo pœnam non refert Paulus ad fornicatores proxime præcedentes, sed remotius more Hebræorum ad idololatras, de quibus egit vers. 7 ; nam ubilibus pœnam tanto sceleri illatam exponere, quasi postliminio illam tradit : sic enim in sequentibus sceleribus pœnam semper subnectit ; idque ut magis Corinthios ab idolis et idolothytis avertat ; maxime, quia idolotatria vituli et luxus, cum cultu et fornicatione Beel-phegor, uti in culpa, ita in pœna valde consentit. Sane Græca Pauli verba consentiunt cum Græcis Exodi verbis, ut patet omnino olim Græca in Exodo ita habuisse, uti jam habet Paulus : scilicet, ἐπεσον ἐκεῖ χιλιάδες, id est *viginti tria millia* ; non autem, οἱ πεσόντες, id est *ad tria millia*, uti jam habent Græca in Exodo, depravata, ut videtur, facili vicinoque litterarum lapsu (1).

Pœnam vituli alibi non cæsi, quorum hic commemini fit. Quem ergo hic commemini fit Paulus?

9. NEQUE TENTEMUS CHRISTUM, — quasi diffidentes ejus promissis, ut aliqui Corinthiorum dubitabant de resurrectione, ut patet cap. XV, ideoque signa petamus, ut *Petri* III, 3.

SICUT QUIDAM EORUM TENTAVERUNT, — Citat *Num.* XXI, 5, ubi dicitur : « Et locutus est populus Itineris ac laboris, locutusque contra Dominum et Moysen, ait : Cur eduxisti nos de Ægypto, ut moreremur in solitudine? Deest panis, non sunt aquæ : anima nostra jam nauseat super cibo isto levissimo. » Ubi nota τὸν κύριον *contra Dominum*. Hinc enim Dominum Paulus explicat hic esse Christum ; ergo Christus est Dominus et Deus. Hinc Græci Patres docent angelum, qui Abrahæ, Isaac et Jacob apparuit, et Hebræos ex Ægypto eduxit, typum gessisse Christi in carne venturi, id est secundæ personæ in SS. Trinitate, scilicet Filii : hic enim est Christus.

Angelum qui Abrahæ, Isaac, etc. apparuit, typum Filii Christi.

ET A SERPENTIBUS PERIERUNT. — Patet *Num.* XXI, ubi post murmur Hebræorum jam dictum hanc pœnam eis infligit Deus vers. 6 : « Quamobrem, inquit, misit Dominus in populum ignitos serpentes. » Ubi nota, « ignitos » dici serpentes, non quod essent naturæ ignæ : hoc enim repugnat naturæ serpentum ; sed ab effectu, quia suo morsu et afflatu calidissimo tantum calorem inducebant, ut qui ab eis erant morsi sibi uri viderentur : qua de causa Græcis Præsteres et Causones vocantur, quales gignuntur in Libya et Arabia, per quam transibant Hebræi in Palæstinam. Unde pro « ignitos, » hebraice est שרפים *seraphim*, quod Vatablus *urentes* vertit ; Septuaginta vertunt, ἀπολλυμένους, id est morte afflictos.

Quare serpentes illi dicti sint ignitei?

Præsteres et Causones.

10. SICUT QUIDAM EORUM MURMURAVERUNT, ET PERIERUNT AB EXTERMINATORE, — angelo scilicet, per quem Deus pœnas Hebræis murmurantibus infixit, ut Core cum suis a terra vivus absorberetur, alia 14 millia et 700 igne perirent. *Num.* XVI, 30, 35, 40, 45. Ita Anselmus, et patet *Sapient.* XVIII, 20. Hic angelus videtur fuisse Michael, dux populi, et legis in Sina dator et vindex, *Exodi* XXIII, 21, typusque Christi, ut dixi vers. 9. Alii « exterminatorem » hunc putant fuisse angelum malum, sive dæmonem, et favere videtur *Psal.* LXXVII, 49, ubi dicitur : « Misit in eos (Ægyptios) iram et immissiones, » puta plagas a Mose inflictas, « per angelos malos. » Verum loquitur ibi Psaltes de plaga Ægyptiis ; Paulus vero de ea quæ Hebræis a Deo est irrogata. Adde, verius est plagas Ægyptiis inflictas fuisse ab angelis bonis, non malis : nam, ut notat S. Augustinus in citatum versum *Psal.* LXXVII, satis constat per bonos angelos Mosen vertisse aquas in sanguinem, ranas et cyniphes produxisse : hisce enim prodigiosis pœnis certabat Moses angelique boni cum Magis Pharaonis, eorumque dæmonibus : unde illi in tertio cyniphum prodigio victi exclamaverunt : « Digitus Dei est hic. » Boni ergo angeli vocantur *Psal.* LXXVIII, 49, *mali*, id est mala et supplicia infendes, per eaque nocentes Ægyptiis. Unde hebraice est מלאכי רעים *malachi raim*, id est per *angelos malorum*, et ut Symmachus vertit, per *angelos mala infligentes*.

Exterminatorem videtur fuisse S. Michael.

Vetus est plagas Ægyptiis inflictas fuisse ab angelis bonis, non malis.

Nota : Sæpius murmurarunt Hebræi in deserto, et fere semper punivit eos Deus, ut ostenderet quam præ aliis peccatis sibi displiceat murmur et rebellio. Sic *Numer.* XI, murmurantes ob concupiscentiam carnium occidit, indeque locus dictus est « Sepulcra concupiscentiæ. » Sic omnes murmurantes ob relationem exploratorum, dicentium terram Chanaan esse inexpugnabilem, ita exclusit, et interfecit in deserto, et e sexcentis millibus solus Josue et Caleb cum ingressi sunt, *Numer.* XIV, 29. Sic clarissime et severissime punivit murmur Core cum suis, ut dictum est.

Deus vult delicta et eorum pœnas a nobis detestari.

11. HÆC AUTEM OMNIA IN FIGURA CONTINGEBANT ILLIS. — « Hæc omnia, » nimirum quæ jam dixi ; non autem absolute omnia quæ veteri Testamento describuntur, quasi nihil in eo sit, quod non figurate aliquid futurum in novo Testamento significet. Vere enim ait S. Augustinus, lib. XVII *De Civitate*, cap. V : « Mihi sicuti multum errare videntur, qui nullas res gestas in eo genere litterarum aliquid aliud, præter id quod eo modo gestæ sunt, significare arbitrantur : ita multum audere, qui prorsus ibi omnia significationibus allegoricis involuta esse contendunt. »

IN FIGURA. — Notat recte Gabriel Vasquez in I *part.*, *Quæst.* I, art. 10, disp. XIV, cap. VI, *figuram* hic non tam sensum allegoricum, vel mysticum significare, quam exemplum quod per accommodationem plurimum valet ad suadendum. Unde figuram explicans Paulus subdit : « Scripta sunt autem ad correptionem, » vel, ut græce est, νουθεσίαν, id est *admonitionem nostram*, *q.* d. Deus punivit Hebræos in figura nostri, hoc est, ad exemplum nostrum, ut eorum pœna sapiamus. Unde Græca hoc versu et vers. 6, habent, τύποι δὲ τῶν ἡμῶν ἐγενήθησαν, quod Syrus vertit, *hæc nobis fuerunt figura*, *typi* ; et, ut Vatablus, *exempla* : ut essent scilicet nobis exempla vitæ, et fugæ peccatorum et suppliciorum, quæ Deus peccatis infligit.

Figuram videtur hic accommodationem significare.

IN QUOS FINES SÆCULORUM DEVENERUNT. — « Fines sæculorum » sunt ultima mundi ætas. Hinc enim tempus Messiæ Prophetæ vocant « tempus novissimum ; » et *Joan.* epist. I, cap. II, 18 : « Horam novissimam ; » *horam*, id est tempus, synecdochice. Addit Ambrosius et Chrysostomus, Apostolum ita solere loqui, tanquam instet finis mundi, ut teneat omnes suspensos, metuentes ne instet dies judicii, ut assidue ad eum singuli se parent. De quo plura I *Thessal.* IV, 15.

12. QUI SE EXISTIMAT STARE, VIDEAT NE CADAT. — Utile est, inquit S. Augustinus, lib. *De Bono perseu.*, cap. VIII, omnibus, vel pene omnibus, ut quales futuri sunt, scire non possint, ut quisque, dum nescit an sit in bono perseveraturus, humiliter et sollicite Dei gratiam imploret, cum eaque casum cavere et in gratia perseverare satagat.

13. TENTATIO VOS NON APPREHENDAT, NISI HUMANA. — Græca jam, Chrysostomus et Syrus legunt, λήμψεται, in præterito, id est *apprehendit*, non λαμβάνει, in imperativo, id est *apprehendat*. Unde et S. Cyprianus, lib. III *ad Quirinum*, cap. XCI, legit, « Tentatio vos non occupavit, nisi humana, » *q. d.* Esto, o Corinthii, tentemini et sollicitemini ad schismata, ad litigia, ad luxum et venerem, ad idola et idolothyta ; constantes tamen estote : quia hæ tentationes, quæ vos apprehendunt et occupant, communes sunt et humanæ, quas facile, si velitis, vincetis.

Optimum tentationis remedium est divina oratio.

Quisque habet auxilium sufficiens ad vincendas tentationes tam modicas.

Sed corrige eum Romanis, et lege, *non apprehendat* : hoc est, cum, ut sæpe fit, tentatio aliqua ex iis quas jam commemoravi, aut alia quælibet in animum irrepit, nolite eum fovere et apprehendere, ita ut sensim increscat, fiatque tandem insuperabilis : nam humanas et leves tentationes omnino excludere, ut eas nunquam sentiatis, est impossibile. Dæmoniacum enim est, ait Anselmus, maligna tentatione vinci, et peccare ex malitia ; angelicum, eam non sentire ; humanum, sentire et vincere. Idem habet S. Gregorius, part. I *Pastoral.*, cap. XI.

Anselmus : est tentationem non sentire, humanum est eam sentire et vincere.

FIDELIS DEUS EST, QUI NON PATIETUR VOS TENTARI SUPRA ID QUOD POTESTIS. — Hinc primo infero, si non patitur Deus nos tentari supra vires, ergo multo minus, imo nullo modo impellit nos Deus ad peccata, ut vult Calvinus.

Secundo, ergo Deus non præcipit impossibilia, ut vult Lutherus, imo nec permittit.

Tertio, hinc sequitur nos posse tentari tam valide a dæmone et carne, ut resistere non possimus, nisi Dei gratia succurrat. Ita Chrysostomus, Anselmus.

Quarto, de facto tentationem nullam esse tantam, quin Dei gratia vinci possit.

Quinto, optimum tentationis remedium esse orationem, ut Dei opem et gratiam invocemus nostris diffisi viribus, *Matth.* XXVI, 41.

Sexto, hanc gratiam non solum electis, hic et alibi promitti, sed omnibus Deum rite invocantibus. Ita Concilium Tridentinum, *sess.* XXIV, can. 9, et *sess.* VI, can. 11. Loquitur enim Apostolus fidelibus, qui erant Corinthi, quorum multi non erant electi, sed aliqui contentiosi, scandalosi, ebrii, ut patet cap. XI, vers 21 ; imo nemo eorum sciebat se electum, ut posset hanc consolationem sibi appropriare.

Septimo, hinc sequitur in Christiani cujusque potestate esse habere auxilium sufficiens, ad vincendas omnes tentationes et peccata. Deus enim ad hoc, quasi fidelis, jis fidem suam obligat, ut docet hic Apostolus, *q. d.* Tentatio vos non apprehendat ex parte et negligentia vestra, nisi humana ; nam ex parte Dei spondeo, quod Deus qui fidelis est, sicut promisit et præstabit, ut non patiatur vos tentari supra id quod potestis, hoc est, nonnisi humana tentatione tentari vos permittat. Intellige, si ejus gratiam et opem, ut par est, imploretis, eique cooperemini. « Deus, ait S. Augustinus, lib. *De Natur. et Gratia*, cap. XLIII, et ex eo Concilium Tridentinum, *sess.* VI, can. 11, Deus, inquam, impossibilia non jubet (cum jubet ut cuivis tentationi resistamus) ; sed jubendo monet et facere quod possis, et petere quod non possis, et adjuvat ut possis. » Hinc Christus, *Matth.* XI : « Jugum, inquit, meum suave est, et onus meum leve. » Et I *Joan.* V, 3, dicitur : « Mandata ejus gravia non sunt. »

Pulchra similitudine jumentorum et vasorum figuli hanc Apostoli sententiam declarat S. Ephrem, tract. *De Patientia* : Si enim, inquit, homines suis jumentis non plus oneris imponunt quam ferre queant, multo minus hominibus plus tentationum imponet Deus, quam ferre queant. Rursum, si figulus vasa sua igne excoquit eo usque, dum rite coquantur, nec ante ea eximit, ne minus cocta et solida sint ; nec rursum ulterius ea sinit in igne, ne adurantur, flantque inutilia : multo magis idem facit Deus, ut igne tentationum eo usque nos coquat, dum percoquat et perficiat ; ulterius vero tentatione aduri et consumi nos non sinet.

SED FACIET ETIAM CUM TENTATIONE PROVENTUM, UT POSSITIS SUSTINERE. — Græce est, ποιήσει σὺν τῷ πειρασμῷ καὶ τὴν ἔκβασιν, *faciet cum tentatione etiam*

evasionem; et, ut S. Augustinus in *Psal.* LXI, et *epist.* 89, legit, *exitum*; et, ut Erasmus, *eventum*, q. d. Deus qui sinit vos incidere in tentationem, idem faciet ut tentatio bene eveniat : et, ut Anselmus, eam prout vobis et vestræ saluti expedit, hoiet provenire, ut ex ea evadere possitis sine lesione, imo cum victoria et gloria : et hoc significat nostrum *proventus*. Itaque Græcum ἔκβασιν significat.

Quid sit quovestras in tentatione?

Primo, ut Theophylactus, Œcumenius et Græci, felicem exitum tentationis, ut ea bene cadat, et ad bonum proveniat : quia Deus facit ut, aut cito cesset tentatio, nec permittatur quarto die eam pati, qui scitur eam ultra triduum non posse tolerare, ait Ambrosius; aut, si prolixior fuerit, det tolerandi facilitatem, ait idem Ambrosius et Anselmus.

Secundo, Græcum ἔκβασιν non qualem qualem evasionem significat, sed qua miles e prælio vel duello evadit victor, gloriosior et fortior : tales enim Sancti e tentatione evaserunt, quod Noster advertens solerter vertit, *proventum*. Unde Græcum ἔκβασις in re hic idem est, quod πρόοδος vel προκοπή, id est progressus, q. d. Deus facit ut tentatio adeo vobis non obsit, ut cedat etiam in progressum, id est in fortitudinis, virtutis, gratiæ, victoriæ et gloriæ augmentum, ut magis in via virtutis, et via ad cœlum et gloriam progrediamini. Ita Photius. Unde sequitur : « Ut possitis sustinere, » ubi pro *sustinere*, græce est ὑπενεγκεῖν, id est ita sustinere, ut supersint adhuc vires ad plus aliquid sustinendum : itaque tale tantumque auxilium Deus confert, ut cum magno excessu possit quis tentationem superare. Hinc potant Patres passim, per tentationes hominem maxime progredi in virtute, et per eas virtutes augeri et roborari; et ratio est, quia eis resisti non potest, nisi per contrarios virtutum actus, eosque fortes et intensos, quos dum elicit tentatus, per eos magis habitus earum corroborat et intendit.

Homo per tentationes in virtute progredi-tur.

Secundo, quia justus per tales actus meretur, impetrat et accipit a Deo infusum sibi earumdem virtutum et gratiæ augmentum.

14. PROPTER QUOD, CHARISSIMI MEI, FUGITE AB IDOLORUM CULTURA, — non tantum, ut ea expresso sacrificio vel invocatione non colatis, sed etiam ne idololhyta, id est sacrificia eis immolata, comedatis, quasi sacra et sacrificia, uti ea comedunt Gentiles peracto sacrificio ad aras, vel in templis idolorum : sic enim participaretis hisce eorum sacrificiis, et censeremini iis consentire, et facite ea laudare, imo et offerre. Ad idolothytorum enim esum descendit Apostolus in seq. Ex quibus patet Apostolum post longas digressiones, cap. IX, de stipendiis et gratuita prædicatione, deque Christiano agone, bravio et athletis, et hoc cap. X de factis et pœnis Hebræorum, ad quam occasione idolothytorum digressus est, hoc loco ad eadem redire, atque quæstionem de idolothytis, cap. VIII inchoatam, hic absolvere (1). Unde per τὸ *propter quod*, significat se omnia precedentia dixisse, ad hoc, ut absterreat eos ab idolatria et idolothytis.

16. CALIX BENEDICTIONIS, CUI BENEDICIMUS, NONNE COMMUNICATIO SANGUINIS CHRISTI EST? — Sensus est, q. d. « Calix benedictionis, » id est potus calicis benedicti a sacerdote, et consequenter ipse calix continens hunc potum benedictum, nonne ipsum Christi sanguinem nobis communicat? Potest *secundo*, dici calix benedictionis, quia nos benedicit et gratia cumulat. Ita Anselmus et Chrysostomus. *Tertio* et præcise, dicitur « calix benedictionis, » quia Christus ante consecrationem benedixit, id est Dei opem ad futuram transmutationem tam pani quam calici apprecatus est, *Matth.* XXVI, 26.

Vers. 16. Quis sit calix benedictionis? Prima explicatio. Secunda. Tertia.

Unde nota ex historia ultimæ cœnæ Christi, quam describit Matthæus cap. XXVI, Lucas cap. XXII, et Paulus hic et cap. XI, Christum ante consecrationem Eucharistiæ primo gratias egisse Deo Patri, uti habent Lucas et Paulus, idque oculis de more suo in cœlum elevatis, ut habetur in canone nostro et Liturgia S. Jacobi. Unde hoc Sacramentum dictum est *Eucharistia*, id est gratiarum actio, quia ipsum maxima est gratia, ac consequenter cum maxima gratiarum actione sumendum.

Christus ante consecrationem gratias egit Deo Patri.

Unde Vet. Sacramentum dictum est Eucharistia?

Secundo nota, Christum benedixisse, non Patrem, ut volunt hæretici, sed panem et vinum, ut expresse habet hic Paulus : Τὸ εὐτύχημα, inquit, τῆς εὐλογίας, ὃ εὐλογοῦμεν, id est, *calix benedictionis, quem benedicimus*. Benedixit autem Christus panem et calicem, hoc est, Dei benedictionem et omnipotentiam super panem et vinum invocavit, ut præsto esset, et jam, et in futuris omnibus consecrationibus, ad panem convertendum in corpus, et vinum calicis in sanguinem Christi, quando legitime pronuntiantur verba consecrationis. Similis fuit benedictio panum, *Lucæ* IX, 16. Non ergo benedictio hæc fuit consecratio, licet id velit D. Thomas, III *part.*, *Quæst.* LXXVIII, art. 1, ad 1, sed prævia oratio. Ita Concilium Tridentinum, *sess.* XIII, can. 1. Unde in Liturgia S. Jacobi, Basilii, et nostra, Christi exemplo petimus ut Deus benedicat hæc dona, ut divina virtus in panem et calicem descendat ad perficiendam consecrationem : et hinc dicitur *calix benedictionis*, id est a Christo benedictus.

In Eucharistia est benedictio non consecratio.

NONNE COMMUNICATIO SANGUINIS CHRISTI EST? — Κοινωνία, id est communio, vel communicatio corporis et sanguinis Christi, non *sensum* significat nos sumere idem corpus et eumdem sanguinem Christi, sed etiam nos fieri unum corpus et unum sanguinem, uti explicat vers. 17. Ergo, non typus

(1) Et quidem docet *primo*, vers. 14-24, non licere Christianis interesse ipsis epulis sacris Gentilium : hoc enim esse idololatriæ genus; *secundo*, vers. 25-33, licere ipsis carnes edere, quæ in macello venduntur, et in epulis communibus apponi solent, quamvis fortasse diis immolatæ fuerint.

Calix sanguinis non est typus sanguinis Christi, ut Calvinus ait.

sanguinis, ut vult Calvinus, sed ipsissimus sanguis Christi est, et nobis communicatur in calice Eucharistiæ. Si dicam, Do tibi aureum, verum intelliges, non pictum; si te invitassem ad cœnam, et epulum capti in venatione leporis, vel cervi, et pro lepore et cervo imaginem leporis, et pictum in scutella cervum tibi proponerem, an non ridiculus tibi essem? an non impostor audirem? Nonne ergo ridiculi sunt Novantes qui sanguinem et carnem, quam Christus se dare assorit, in typum et figuram sanguinis et carnis transformant? nonne Christum impostorem faciunt?

In Eucharistia est corpus Christi idem quod Maria adoravit in præsepi.

Secundo, si calix hic typus tantum est sanguinis, ut volunt Novantes, ergo non plus, imo minus habemus in Eucharistia, quam Judæi in manna et potu aquæ miraculosæ habuerunt : et Apostolus debuisset dicere, nos edere corpus spiritale, et bibere sanguinem Christi spiritalem, id est typicum, sicut Judæos dixit comedisse escam spiritalem, id est manna, et bibisse potum spiritalem, id est aquam e petra : jam vero opponit sanguinem et carnem Christi in Eucharistia, quasi corpus et rem significatam, ipsi manna et aquæ, quasi figuræ et typo spirituli, carnem et sanguinem Christi significanti; et manna vocat escam spiritalem, id est typicam, et aquam vocat potum spiritalem : carnem vero Christi in Eucharistia vocat corpus, sanguinem vocat sanguinem. Quis ergo dubitet, sicut manna fuit vere typus et umbra, sic in Eucharistia vere esse sanguinem, carnem et corpus Christi?

In Eucharistia vere est corpus Christi.

Effectus sancte eucharistiæ.

Probatur idem *tertio*, ex eo quod, sicut dixi, hunc locum diserte explicant Theodoretus, Theophylactus, Anselmus, S. Thomas. « Non dixit, inquit Theophylactus, μετοχὴν, id est *participatio*, sed κοινωνίαν, id est *communicatio*, ut aliquid excellentius indicaret, puta summam unionem : quod autem dicit hujusmodi est : Hoc quod in calice est, illud est, quod effluxit de latere Christi; et ex eo accipientes communicamus, id est unimur Christo : non pudet itaque vos, o Corinthii, ad idolorum calicem recurrere, a calice hoc, qui nos ab idolis liberavit? »

In Eucharistia præsentia beneficio-rum non corporis Christi.

Insignis S. Chrysostomi doctrina de reali præsentia Corporis Christi in Eucharistia contra Capharnaitas.

Apertissime vero S. Chrysostomus hic, in morali *homil.* 24, ubi per sacram Synaxin exhortans Christianos ad charitatem mutuam, ita ait : « Hæc ergo cum intelligamus, dilectissimi, velimus quoque invicem unitatem servare : ad hoc enim induxit sacrificium illud formidandum et admirabile, quod jubet nobis, ut concordia et charitate maxima ad se accedamus, et aquilæ in hac vita facti, ad ipsum cœlum evolemus, vel potius supra cœlum. » Et infra, quod et quale sit corpus Christi in Eucharistia ita explicat : « Si hominis vestem nemo tenere attingeret, quo pacto Domini corpus purum et immaculatum, quod divinæ illius naturæ particeps est, propter quod et sumus et vivimus, propter quod portæ inferi fractæ sunt, et cœlorum apertæ, tanta cum ignominia suscipimus? Hoc corpus affixum, verberatum, morte victum non est : hoc corpus sol crucifixum videns radios averlit : propter hoc velum templi scissum est, et petræ, et universa terra tremuit : hoc idem corpus cruentatum, et lancea vulneratum, sanguinis et aquæ fontes universo orbi salutares scaturivit. » Et inferius, Christi corpus in Eucharistia idem esse cum eo, quod fuit in præsepi, ita docet : « Hoc corpus in præsepi reveriti sunt Magi, et cum timore et tremore plurimo adoraverunt : tu vero, non in præsepi, sed in altari; non mulierem quæ in ulnis teneat, sed sacerdotem præsentem et spiritum perabunde super proposito Sacramento diffusum vides. Excitemur ergo horrescamusque, et majorem quam barbari illi, pro nobis ferumus pietatem. » Et nonnullis interjectis, nos in Eucharistia Deum ipsum tangere, et manducare, et ab eo omnia bona percipere clarissime asseverat, dicens : « Hæc mensa animæ nostræ vis est, nervi mentis, fiduciæ vinculum, fundamentum, spes, salus, lux, vita nostra. Si hinc hoc sacrificio muniti migrabimus, maxima cum fiducia sanctum ascendemus vestibulum. Et quid futura commemoro? nam dum in hac vita sumus, ut terra nobis sit cœlum, facit hoc mysterium : sicut enim in cœlis, ita in terra regium corpus tibi videndum proponitur : non angelos, non Archangelos, non cœlos, non cœlorum, sed ipsum horum omnium Dominum tibi ostendo; neque eum conspicaris tantum, sed tangis, et comedis, non hominis regium puerum, sed unigenitum Dei Filium accipis, quomodo non horrescis? et omnium secularium rerum amorem abjicis? » Hæc et plura S. Chrysostomus.

Refutatur insolens effugium quorumdam Sectariorum ministrorum.

Respondit nuper quidam novus novi Dei verbi præco, hæc concionatorie a S. Chrysostomo dici. Sed tam insulsum, quam nullum est hoc effugium. Nam S. Chrysostomus orator est, fateor, sed est doctor : orator est, sed Christianus et verax orator. Hinc in ipso commentario dogmatice loquitur, quia agit litteralem Apostoli interpretem : in morali vero subinde oratorie amplificat, sed ita ut non amplificet supra et contra veritatem rei, ut dicat v. g. lapidem esse lignum, hominem esse brutum, panem esse carnem : alioqui enim non concionator esset, sed impostor et mendax; idque in rebus fidei. Sicut enim concionator mendax esset et stolidus, qui aquam baptismi diceret esse ipsissimum Christi sanguinem, qui e latere Christi fluxit, quem Judæi suis clavis et plagis e corpore Christi elicuerunt, esse ipsum Deum ac Dominum omnium, intelligendo animirum, aquam baptismi esse typum sanguinis Christi, eumque nobis applicare ad abluenda peccata : ita sane mendax est et stolidus, qui panem et vinum dicit esse ipsum sanguinem, ipsum corpus Christi, quod in præsepi adoratum est a Magis, quod in cruce suspensum, quod a Judæis flagellatum, cruentatum, crucifixum est, imo esse ipsum rerum omnium Dominum, atque unigenitum Dei Filium, uti S. Chry-

sostomus hic loquitur. Appello te, lector, qui sincero oculo, et æqua mente hæc Chrysostomi verba legis : de manna, de agno paschali, aliave figura et typo hæccine vera sunt? hæccine de illis typis dixisset Chrysostomus? hæccine de sua cœna diceret Calvinus, Viretus, Zuinglius, aut alius ex eorum grege, quantumvis concionator facundissimus? Si ita auctorum sententias, Patrum dicta elevare et invertere licet, omnem fidem, omnem historiam, omnia eorum dogmata invertere, et plane in contrarium sensum torquere licebit. Denique hæc omnia magis patebunt vers. sequentibus.

PANIS QUEM FRANGIMUS, NONNE PARTICIPATIO CORPORIS DOMINI EST? — Sensus est, communicatio vel esus panis, quem frangimus, communicat nobis ipsum Christi corpus, ut illud revera singuli in Eucharistia participemus.

Dices : Eucharistia hic dicitur *panis*, ergo non est caro Christi.

Eucharistia dicitur panis per hebraismum.

Respondeo : *Panis* hebraismo significat quemvis cibum, ut patet IV *Reg.* VI, 22 et 23. Sic *Joan.* VI, 31, manna, et vers. 41, ipse Christus vocatur *panis* : panis enim communis omnium et necessarius est cibus. Adde, non dici nude panem, sed, « panem quem frangimus, » id est Eucharisticum, sive transsubstantiatum, qui est corpus Christi, panis tamen speciem et operationem retinet. Iis omnes Patres et Doctores orthodoxi.

Nota : Christus hunc alias, tum in ultima cœna dicitur *panem* fregisse et distribuisse ex more Hebræorum, apud quos paterfamilias mensæ benedicens, discumbentibus convivis panem frangere ac cibos dividere solebat : habebant enim Orientales non panes elevatos, ut nos habemus; ita ut ad scindendum cultro esset opus; sed latos pinsebant, atque subtiles *instar* placentæ, unde manibus eos frangebant, ut inter alios annotavit heteroloxus, licet Stuckius, lib. II *Convival.*, cap. III. Hinc in Scriptura *frangere panem* significat convivari, et fractio panis significat quodvis convivium, cœnam, refectionem; et in novo Testamento appropriatur ad hoc, ut significet cœnam et communionem Eucharisticam. Hinc *frangere panem*, est verbum ecclesiasticum et sacramentale. Unde Paulus hic Eucharistiam vocat *panem quem frangimus*, scilicet in Sacramento species corporis Christi frangentes et comedentes; et in sacrificio illas offerentes, sumentes et consumentes; de quo plura cap. seq., vers. 21.

Quales panes Orientales hebraicos habuerint?

17. QUONIAM UNUS PANIS, UNUM CORPUS MULTI SUMUS, OMNES QUI DE UNO PANE PARTICIPAMUS. — Ut, sicuti ex multis granis fit unus panis, ita ex multis fidelibus fiat unus panis sacer et vivus, puta unum corpus Christi mysticum, scilicet Ecclesia, non tantum generaliter et mystice, sed proprie et corporaliter, quia omnes realiter uniuntur corpori Christi, cum eoque fiunt unum in Eucharistia, sicut cibus fit unum cum comedente. Hinc recte contra Novantes inferri potest : Ergo idem corpus Christi omnes vere comedimus. Respondent ipsi, in Eucharistia omnes Christianos fieri unum, quia eumdem panem sacramentalem, qui est typus corporis Christi, omnes manducant. Sed contra : Quis unquam de talibus convivis dicet quod fiant unum corpus, et unus panis, eo quod de eadem mensa et pane comedant? hoc enim falso et inepte dicitur : vere autem et recte dicitur de corpore Christi, quod idem numero omnes manducamus; maxime quia hic panis sacer, ut ait S. Augustinus, comestus non mutatur in nostram substantiam, sed nos potius in se transmutat, sibique unit et similes facit, quod non facit panis communis. Unde Cyrillus Alexandrinus, lib. IV *in Joan.*, cap. XVII : « Sicut, inquit, cera miscetur ceræ, et fermentum pani, sic et nos corpori Christi; » et Cyrillus Hierosolymitanus, *cateches.* 4 : « in sacra communione, inquit, fimus non tantum Christiferi, sed et concorporei et consanguinei Christi; » quia in ea et Christus nobis, et nos carni Christi, ac consequenter personæ, et divinitati, et omnipotentiæ ejus realiter communicamur. Idem asserit Irenæus, lib. IV, cap. XXXIV; Hilarius, *De Trinit.*, lib. VIII, Chrysostomus hic.

Corpus Christi non est unit, de cujus similibus.

In Eucharistia datur communio et communicatio Christi.

Hac de causa a Patribus Eucharistia dicitur *communio*, quia realiter omnes unit corpori Christi, ita ut in eo, et cum eo omnes unum sint, *q. d.* Communio, id est, communis unio fidelium, qui edendo idem corpus Christi verum in Eucharistia, unum corpus Christi mysticum, id est una Ecclesia, efficiuntur, ita ex S. Augustino Beda. Unde et Concilium Tridentinum, *sess.* XIII, cap. VIII, sit : « Hoc Sacramentum (Eucharistiæ) est signum unitatis, vinculum charitatis, pacis et concordiæ symbolum; » quia nimirum singulari modo significat et perficit unitatem corporis Christi, scilicet fidelium Ecclesiæ. Hinc etiam infantibus olim dabatur Eucharistia post baptismum, ut perfecte incorporarentur Christo : nam, ut ait Christus, *Joan.* VI, 55 : « Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo. » Denique hac de causa Eucharistia a S. Dionysio dicta est « synaxis, » id est congregatio, eo quod solerent fideles congregati in Ecclesiam ad sumendam Eucharistiam; imo Tertullianus, lib. *De Oratione*, cap. ult., ait solvendam esse orationem corpore Domini accepto. Unde cap. seq., vers. 20, ait Apostolus : « Convenientibus vobis in unum, jam non est Dominicam cœnam manducare. » Licet enim Ecclesia per fidem et baptismum fiat corpus Christi, magis tamen realiter et proprie fit ipsum corpus Christi in Eucharistia.

Quid de unitate communionis?

Quare olim infantibus post baptismum dabatur Eucharistia?

Eucharistia est sacrificium.

Quare Eucharistia appellata sit synaxis?

Objiciunt hæretici, ergo soli boni et justi sunt partes et membra Ecclesiæ, quia Apostolus dicit : « Panis unus omnes sumus; » atqui panis fit ex granis tritici, non ex paleis : ergo et Ecclesia conflatur ex justis, et non ex injustis : justi enim sunt grana, injusti sunt paleæ.

Respondeo *primo* : Nego consequentiam, quia similitudo non per omnia similis esse debet.

Refutatur objectio hæreticorum.

Secundo, nego antecedens, quia sæpe paleæ, zizaniæ, lentes miscentur tritico, et cum eo conflant panem. Unde Apostolus, cap. XI, 29, ait etiam malos de hoc pane edere; atqui hic ait omnes qui de hoc pane participant, esse unum corpus Christi, quod est Ecclesia : ergo et mali, qui hunc panem comedunt, sunt de Ecclesia. Vide S. Cyprianum, lib. I, epist. 6 *ad Magnum*.

18. VIDETE ISRAEL SECUNDUM CARNEM : NONNE QUI EDUNT HOSTIAS, PARTICIPES SUNT ALTARIS (1)? — *Altaris*, id est, victimæ in altari oblatæ : *altare* enim ponit pro sacrificio quod in altari offertur; est metonymia. Hæc omnia eo spectant, ut probet Apostolus non esse comedenda idolothyta, sensusque est : Videte, o Christiani Corinthii, carnales Israelitas : nonne ipsi dum comedunt hostias Deo oblatas, consentur participes esse sacrificii in altari Deo oblati, et consummare ipsum sacrificium, ac per hoc quodammodo sacrificare? *q. d.* Eodem modo qui comedunt de pane Eucharistico, participes sunt sacrificii Eucharistici; et qui comedunt idolothyta, participant de sacrificiis idololatricis, illaque consummant, ac per hoc quasi sacrificant idolis. Probat ab exemplo Judæorum, eos qui vescuntur idolothytis, consentire sacrificiis idolorum, et quasi tacite sacrificare idolis. Ita Patres.

Avertit Corinthios ab idolothytis.

Vers. 19. 19. QUID ERGO? DICO QUOD IDOLIS IMMOLATUM SIT ALIQUID? AUT QUOD IDOLUM SIT ALIQUID? — *q. d.* Minime : idolum enim, et consequenter idolothytum, nihil est, nihil habet numinis vel virtutis, ut dixi cap. VIII, vers. 4.

Vers. 20. 20. SED (dico quod ea) QUÆ IMMOLANT GENTES, DÆMONIIS IMMOLANT, ET NON DEO. NOLO AUTEM VOS SOCIOS FIERI DÆMONIORUM. 21. NON POTESTIS CALICEM DOMINI BIBERE, ET CALICEM DÆMONIORUM; NON POTESTIS MENSÆ DOMINI PARTICIPES ESSE, ET MENSÆ DÆMONIORUM. — *Mensæ*, sacræ scilicet, id est altaris, quæ est quasi mensa Dei, in qua Deus quasi convivatur nobiscum, ut dixi *Levit.* I, et patet *Malachiæ* I, 12. ita Ambrosius, Anselmus et Concilium Tridentinum, *sess.* XXII, cap. I, ubi ex hoc loco docet Eucharistiam esse sacrificium. De eo enim Apostolum agere, non de sacrificio crucis, patet *primo*, quia crucis victima transiit, et jam diu desiit : hic autem agit Apostolus de sacrificio, cujus Corinthii in dies erant participes.

Vers. 21.

Sacrificia et festa olim apud idolatras.

Secundo, ex voce « panis et mensæ Domini, » id est altaris : ubi enim est altare, ibi est et sacerdos et sacrificium; hæc enim tria sunt correlativa. Si ergo Corinthii habebant altare, habebant et sacrificium : utique non aliud, quam Eucharistiæ.

Tertio, « calix Domini » non aliud significat quam calicem Domino sacrificatum : nam « calix dæmoniorum » non alius est quam iis oblatus et sacrificatus.

Quid sit calix dæmoniorum?

Quarto, ex ipsa comparatione et argumentatione Apostoli, quæ talis est : sicut Judæi comedentes victimas pacificas, participant et consentiunt earum sacrificio, in altari Deo oblato; ita et idolothyta comedentes in idolio, participant et consentiunt eorum sacrificio, in altari dæmonibus oblato : sic et Christiani Eucharistiam sumentes, participes sunt sacrificii Eucharistici, et per sacerdotem Deo Eucharistiam sacrificant; ac consequenter indecens omnino est ut iidem dæmoni sacrificent, hoc ipso quo idolothyta participant, quasi partem et consummationem sacrificii idolatrici. Nemo enim potest sacrificare Deo simul et dæmoni. Ita S. Augustinus, lib. I *Contra advers. legis et prophet.*, cap. XIX, tom. VI; Chrysostomus in *Morali*, Anselmus; et innumeri Theophylactus, Œcumenius, Ambrosius, Theodoretus. Diserte vero idipsum docet, multisque exemplis eorum, qui postquam idolothyta comedissent, accedentes ad Eucharistiam a Deo puniti sunt, confirmat S. Cyprianus, serm. *De Lapsis*, additque : Non ferret terrenus imperator aliquem ex militibus suis per fugam in castris adversariorum agere, quanto minus permittat Deus, ut sui accedant ad epulas dæmoniorum?

Quare olim communio fidelibus non fuerit sub utraque specie?

Nota *primo* : Post sacrificium peractum transferebantur ex altari mensaque idoli carnes illi immolatæ, ad mensam hominum, juxta altare vel templum positam, ut ex iis comederent illi, qui eas obtulerant, cum suis amicis et invitis. Solebant enim sacrificia et festa epulo hoc sacro claudere. Sic *Æneid.* VIII post sacrificium Evandrum et Æneam fecisse, docet Virgilius dicens :

Sacrificia et festa olim epulo claudebantur.

> Tunc lecti juvenes certatim, æraque sacerdos
> Viscera tosta ferunt taurorum, onerantque canistris
> Dona laboratæ Cereris. Berchumque ministrat ex æquo
> Nexitur Æneas, simul et Trojana juventus
> Pergenti tergo bovis, et lustralibus exit.

Sic et Judæi de sacrificiis quæ obtulerant, comedebant in atrio ante templum, ut patet I *Reg.* IX, 13 et alibi. Sic et Christus sacrificium Eucharisticum, ejusdem epulo et distributione inter Apostolos conclusit : hinc et in primitiva Ecclesia omnes fideles in Missa communicabant, ut sacrificii participes fierent, illudque hoc epulo clauderent. Rursum Gentiles, qui offerebant et immolabant victimas idolis suis, post sacrificium ex eis partem, id est partes, secum domum asportabant, ut eas domesticis distribuerent, et ad amicos transmitterent, sicque absentes sacrificii participes facerent, ut ex Herodoto et aliis docet Giraldus *De Diis Gentium*, in fine operis. Pari modo Christiani, tempore persecutionis, Eucharistiam domum deferebant, imo ad absentes mittebant, in symbolum amicitiæ et communionis, utque eos sacrificii participes

Quare olim communio fidelibus sub utraque specie data sit?

(1) Allo Paulus utitur exemplo, ut ostendat, Christianos qui Gentilium sacris epulis interessent, in societatem venire cultus idololatrici. Addit *ex secundum carnem*, ut distinguat Judæos nondum ad Christum conversos a *Christianis* ex Judæis, seu Israelitis κατὰ πνεῦμα, id est *secundum spiritum*.

Fierent Eucherius? facerent. Testis est Eusebius, lib. V *Histor.*, cap. XXIV et XXIX.

Quomodo sani possint vesci idolothytis? Nota *secundo* : Præcise hic Apostolus respondet quæstioni de idolothytis, an iis vesci liceat? respondet autem, nunquam licuisse, nec licere idolothytis vesci quasi idolothytis, id est, quasi idolo sacris, seu eo quod illi immolata et consecrata sunt : qui enim sic ea comedit, ipso facto tacite profitetur idolum esse sacrum, esse numen, et per idolum carnem illi oblatam esse sacram, tanquam numini alicui oblatam : quod est idolatria. Hoc autem fit, quando eo loco, modo et circumstantiis idolothytum comeditur, ut moraliter censeatur comedens ad idoli honorem et reverentiam illud comedere, ut cum his partes quasi sacras ea mente, scilicet ad idolum colendum, mittebant offerentes, et recipiebant ac comedebant amici. Rursum et clarius, si statim a sacrificio juxta aram vel templum, in idolio cum offerentibus et sacrificantibus, coram idololatris idolothytum comedas, censeris in honorem idoli illud comedere; secus est, si postea et solus ex fame aut etiam ex cupiditate illo vescaris, sive domi, sive etiam in idolio : tunc enim non censeris illo vesci quasi sacro ad honorem idoli, sed tantum videris velle satisfacere fami, aut cupiditati tuæ.

Dices : S. Augustinus, *epist.* 154, et lib. *De Bono conjug.*, XVI, et lib. XXXII *Contra Faust.*, XIII, quærit, an Christianus viator fame pressus, si nihil invenirat, nisi cibum in idolio positum, et nemo adsit, possit illum edere, an satius sit emori? ac respondet : Aut certum est, idolothytum esse, aut certum est non esse, aut ignoratur : si certum est esse, melius Christiana virtute respuitur; si autem non esse scitur, vel ignoratur, sine ullo conscientiæ scrupulo in usum necessitatis assumitur : alias, ut dixi, melius respuitur, ne comedens idolis communicasse videatur. Ergo idolothyto, si constet esse idolothytum, abstinendum est.

Explicatur Augustinus de cibo idolothytorum.

Licet vitam sanctitati vel aut profectui alterius anteponere.

Respondeo : Non dicit S. Augustinus : Abstinendum est idolothyto, si certum est esse; sed dicit : « Melius Christiana virtute respuitur : » satis ergo insinuat, licitum esse eo vesci, melius tamen et generosius eum facturum, qui eo abstineat, et malit mori quam eo vesci. Simile est in Carthusiano : huic enim in extrema necessitate licet carnibus vesci, ut vitam tueatur; melius tamen et sanctius ipse faciet, si ex professione sua iis abstineat, itaque moriatur, ut docet Victoria, *Relect. de temperantia*, num. 8; Azorius, lib. V *Moral.* cap. VI, in fine, et alii. Non enim tenetur vitam omni modo et tempore conservare, sed potest eam voti, aut potius professionis suæ sanctitati postponere, idque ad dandum aliis virtutis exemplum, et sanciendam Ordinis sui disciplinam et rigorem : nec enim votum expressum abstinendi carnibus faciunt Carthusiani, sed tantum abstinentia hæc constitutionibus eorum præscribitur.

Vers. 22. 22. AN ÆMULAMUR DOMINUM? — Græce παραζηλοῦμεν, id est, an provocamus Dominum ad iram et zelum? an Domino æmulum rivalemque opponimus? ut eo quasi sponso relicto, dæmoni ejusque idolothytis adhæreamus, vel certe utrique adhærere, et dæmonem Deo jungere velimus. Ita Chrysostomus, Anselmus, Theophylactus. Alludit Paulus ad *Deuter.* XXXII, 21, ubi dicitur : « Ipsi me provocaverunt in eo qui non erat Deus, et irritaverunt in vanitatibus (idolis) suis. » Recte S. Hieronymus in II *Habacuc* ait, omnibus idolis assidere immundos spiritus, qui idola invocantibus respondent, dantque oracula, vel opem ferunt.

Annexi idolis spiritus immundi.

NUMQUID FORTIORES ILLO SUMUS? — *q. d.* Minime, ergo non impune nobis cedet illa æmulatio, et Dei ad iram provocatio, de qua jam dixi.

Vers. 23. 23. OMNIA MIHI LICENT. — « Omnia » scilicet adiaphora, quale est comedere idolothyta, non quasi sacra, aut quasi idolothyta, sed tanquam communes cibos.

Quomodo intelligendum nihil interrogantes propter conscientiam?

Ubi nota : Hactenus egit Paulus de idolothytis, qua talibus, sicque vetuit ea comedere; unde vers. 14 : « Fugite, ait, ab idolorum cultura, » scilicet, ne sitis mensæ et calicis dæmoniorum participes, ut explicat vers. 20. puta, comedendo cibos idolis oblatos, eo modo et iis circumstantiis, quibus consecrantur eos quasi sacros, seu quasi idolothytum in honorem idoli velle comedere. Hoc vero versu transit ad secundum casum, scilicet, quo idolothytum non formaliter qua idolothytum, sed materialiter qua cibus vel caro est, comeditur, et de hoc ait : « Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt; » quia, ut sequitur, non omnia ædificant, *q. d.* Materialiter licet vesci idolothyto per se, per accidens tamen non licet, si sequatur scandalum, patet ex vers. 27, 28, 33. Vere dixit Clemens, lib. III. *Strom.*, post principium : « Qui faciunt quidquid licet, facile dilabuntur ut faciant quod non licet; » aliter hæc explicat Theophylactus, sed præter mentem Apostoli.

Quo ratione Jejunii Apostolici non licet vesci idolothytis etiam ad idololatriam cogere cognoscentibus.

Vers. 24. 24. NEMO QUOD SUUM EST QUÆRAT, SED QUOD ALTERIUS. — *q. d.* Nemo quærat emative carnem, v. g. idolis immolatam, sibi commodam, gratam, sapidam, vilis pretii; sed in hac re aliisque similibus quærat alterius, proximi scilicet, ædificationem, ut non cum ejus scandalo et damno spirituali illam emat et comedat. Ita Theophylactus.

Non licet Paulis jejunia Ecclesiæ.

Vers. 25. 25. OMNE QUOD IN MACELLO VENIT, MANDUCATE, NIHIL INTERROGANTES. — « Omne, » scilicet omnia tam idolis immolata, quam non immolata indifferenter comedite. « Nihil interrogantes, » græce μηδὲν ἀνακρίνοντες, id est nihil dijudicantes, vel discernentes; Ambrosius, *nihil disquirentes*; Theophylactus, *nihil hæsitantes*.

IN MACELLO. — Græce ἐν μακέλλῳ, pro ἐν κρεωπωλίῳ; sic et Syrus retinet vocem Latinam *macelli* : sic *prætorium, Cæsar, denarius, speculator*, etc., græce usurpant Evangelistæ, cum sint Latina : quia Græci a Latinis et Romanis sibi dominantibus ea quasi vulgo trita acceptarunt.

Carnes sacrificatæ et idolis oblatæ emuntur ad macellum.

Nota ex Herodoto in *Clio*, et S. Augustino, in expositione inchoata *epist. ad Rom.*, cap. XXXVIII : Solebant Gentiles carnes idolis sacrificatas et oblatas, post sacrificium et epulum superfluas, mittere ad macellum vendendas, quarum lucrum ad sacerdotes derivabatur. In macello ergo censebantur, uti aliæ carnes, ad profanum et communem usum redire. « Quidam, inquit S. Augustinus, infirmiores illo tempore abstinebant a carnibus et a vino, ut ne vel nescientes inciderent in ea quæ idolis sacrificabantur : omnis enim tunc immolatitia caro in macello venundabatur, et de primitiis vini libabant Gentes simulacris suis, et quidam ipsis torcularibus sacrificia faciebant. » Unde Apostolus hunc scrupulum dispellens, monet ut promiscue emant et comedant quæ in macello proponuntur, nihil discernentes vel interrogantes, an veniant ab idolio necne, propter conscientiam, quasi illa iis maculanda sit, si veniant ab idolio. Hoc Apostoli documentum sunt secuti Christiani Antiocheni, cum Julianus Apostata eos per idolothyta ad idololatriam quasi cogere et irretire vellet. Rem gestam ita narrat Theodoretus, lib. I, cap. XIV : « Julianus, inquit, primo fontes scelerati victimis contaminavit, quo singuli qui aquam gustarent, tetra nequitiæ labe inficerentur. Deinde quæ in foro exponebantur, eadem sceleris macula inquinavit; nam panes, carnes, fructus, olera, et alia omnia esculenta aqua lustrali aspergebantur, quæ cum viderent Christiani, etsi non poterant non gemere, et scelera illa detestari, tamen eisdem vescebantur, legi Apostoli obsecuti, ita jubenti : Quidquid in macello venit, comedite, nihil interrogantes propter conscientiam. »

PROPTER CONSCIENTIAM, — quasi scrupulus sit faciendus, si vendant idolothyta, illudque rogare debeatis, an scilicet carnes quas emere vultis, fuerint idolis oblatæ, nec tales emere et comedere liceat. Ita Anselmus, Ambrosius, Theodoretus. Unde patet Paulum non loqui de jejuniis Ecclesiæ, quasi quolibet die, etiam jejunii liceat comedere carnes, quæ in macello venales exponuntur. Hæc enim jejunia et abstinentiæ non sunt adiaphora, sed præcepta ab Ecclesia. Quare Paulus, *Actor.* XV et XVI, jussit servari decretum abstinentiæ a sanguine et suffocato : quod mere est positivum et a solis Apostolis sancitum.

26. DOMINI EST TERRA, ET PLENITUDO EJUS. — *q. d.* Omnis creatura, quia Domini est, bona est et munda : sic et idolothyta non immunda sunt, ut vos putatis esse, ex eo quod dæmoni sunt oblata; sed munda sunt, quia a Domino creata sunt. Ita Chrysostomus, Theophylactus, Anselmus. Alium insuper sensum affert Theophylactus, *q. d.* Abstine a cibo isto idolis immolato : universa enim terra Domini est, ac licet tibi aliunde abunde sat iari et impleri; in Græco enim codice Theophylacti pro ἄνωθεν, id est a supernis, corrigendum videtur ἀλλοθεν, id est aliunde. Sed hic sensus non apte cohæret cum eo quod præcessit : « Omne quod in macello venit, manducate. »

Vers. 27. 27. SI QUIS VOCAT VOS (ad prandium vel coenam, ut habent hic nonnulli codices manuscripti) INFIDELIUM, ET VULTIS IRE : OMNE (etiamsi idolothytum sit) QUOD VOBIS APPONITUR, MANDUCATE, NIHIL INTERROGANTES PROPTER CONSCIENTIAM, — scilicet eo sensu, quem jam attuli : idque, ait Theophylactus : « Ne sollicitiore cura, nimiave curiositate videamini formidare idola, utque liberam et illæsam vestram retineatis conscientiam. » Si enim rogetis, et respondeatur esse idolothytum, conscientia vestra constringetur, eoque vesci non poterit, unde sequitur :

Quomodo licet vesci idolothytis?

28. SI QUIS AUTEM DIXERIT (in prandio vel coena) : HOC IMMOLATUM EST IDOLIS, NOLITE MANDUCARE, PROPTER ILLUM QUI INDICAVIT, — carnem scilicet hanc esse idolis oblatam et sacram, ac consequenter religiose edendam, si videlicet indicans sit infidelis, qui te ad prandium vocavit, aut alius idololatra : si enim post illius indicium ea comedas, putabit ille te secum idololatriæ participem fieri; sin indicans sit Christianus et scrupulosus, putans non licere ea vesci, tanquam per idololatriam polluta, post illius indicium noli ea vesci, ne cum scandalizes : alioqui enim si omne tam fidelium quam infidelium scandalum cesset, idolothytis etiam indicatis et cognitis vesci licet, ut dixi cap. VIII, initio.

ET PROPTER CONSCIENTIAM. — Ne scilicet lædas conscientiam fratris tui in fide infirmi, tibi in mensa assidentis, dum eum tuo exemplo provocas, ut contra conscientiam suam idolothyta comedat. Unde explicans subdit Apostolus : « Conscientiam autem dico, non tuam, sed alterius. »

Vers. 29. 29. UT QUID ENIM LIBERTAS MEA JUDICATUR AB ALIENA CONSCIENTIA? — *q. d.* Quare utar libertate mea cum scandalo, ut damner ab aliena conscientia? illa enim cum infirma sit et rudis, putat me rem damnabilem facere, si comedam idolothyta, *q. d.* Neutiquam id faciendum est. Ita Ambrosius (1).

Vers. 30. 30. SI EGO CUM GRATIA PARTICIPO, QUID BLASPHEMOR PRO EO QUOD GRATIAS AGO (2)? — *q. d.* Etsi mihi licet vesci idolothytis ex gratia Evangelicæ libertatis gratias agendo Domino, quorsum tamen cum scandalo id faciens, « blasphemor, » id est, aliorum maledictis me exponam, ut male de me loquantur quasi idololatra sim, aut idolorum communione pollutus? Posset *secundo*, sic accipi « cum gratia, » id est cum gratiarum actione. Unde sequitur explicationis ergo : « Pro eo quod

(1) Alii ante *ut quid enim* subaudiunt : *Tibi autem qui meliorem cognitionem habes, licet vesci omnibus carnibus, si nemo offendatur*; et interpretantur, *quomodo enim condemnari et eripi mihi possit libertas mea, a conscientia aliena?*

(2) Si cum gratiarum actione edo, quid ego meæ libertatis obtrectatione propter id cujus causa gratias ago? ita multi.

Gratiarum actio et benedictio in mensis vetus fuit mos.

gratias ago.» Hinc colligitur veterum morem fuisse, ut ante mensam illi benedicerent, et post eam Deo gratias agerent, qua de re plura dicam I *Timoth.* cap. IV, vers. 4 et 5.

Vers. 31. An omnia facere ad Dei gloriam præcepti? Prima responsio.

31. SIVE MANDUCATIS, SIVE BIBITIS, SIVE ALIUD QUID FACITIS : OMNIA IN GLORIAM DEI FACITE. — Consilii hoc est, non præcepti : nec enim tenemur omnia actu, imo nec virtute, in Dei gloriam facere, licet id valde pium sit. Simili modo cap. XVI ait : « Omnia vestra in charitate fiant. » *Secundo*, si quis præceptum esse velit, cum Anselmo, Ambrosio et Cajetano de aptitudine et habilitate exponat, *q. d.* ita manducate, bibite, omniaque vestra ita facite, ut apta et habilia sint ad gloriam Dei promovendam, scilicet ut talia sint, ex quibus glorificari possit Deus, nemo offendi, nec Dei gloria lædi; sed potius omnes ædificari, et consequenter Dei gloria celebrari et propagari. Et secundum hic aptius esse, patet ex præcedentibus, ubi agitur de vitando scandalo. Unde et sequitur : « Sine offensione estote Judæis, et Gentibus, et Ecclesiæ Dei. » Opponit enim Paulus gloriam Dei gloriæ dæmonum, cui serviunt qui idolothyta comedunt in honorem idoli, vel cum scandalo proximorum; cum e contrario gloriæ Dei serviant, qui idolothytis abstinent, eaque manducant et agunt, quæ Dei honorem et cultum, salutemque proximorum juvant et promovent.

Responsio S. Thomæ.

Aliter S. Thomas, I II, *Quæst.* C, art. 10, ad 2, respondet præceptum esse, ut aliquando homo se et omnia sua in genere referat ad Dei gloriam, quasi ad ultimum finem. Verum Apostolus hic non de uno aut altero actu, sed de eo quod continuo et semper facere oportet, loquitur.

Partis et plenius.

Tertio, plenior sensus erit, si exponas, *q. d.* Ita studiose Dei gloriam promovete in omnibus (quod est consilii), « ut omnino caveatis, ne quid facitis quod gloriæ Dei adversetur, aut scandalum in idolothytorum comestione (ad hanc enim proprie respicit) aut alia re detis, quo Deus vituperetur, quod est præcepti. Licet enim sit affirmativum hoc dictum et consilium Apostoli, tamen negativum præceptum includit. Unde non sequitur hinc omnia infidelium opera esse peccata, eo quod non faciant ea ad gloriam Dei veri, utpote quem ignorant : quia, ut dixi, omnia sua opera facere, actaque ea referre ad Dei gloriam, non est præcepti, sed consilii.

Sunt præcepta.

Moraliter hinc Tertullianus, lib. *De Corona Militis*, et S. Hieronymus, *ad Eustochium*, asserunt, moris tunc fuisse apud Christianos, ut initio operis cujusque se signarent cruce, quasi dicerent : Hoc opus fiat ad gloriam Dei in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Quærit S. Basilius in *Regul. brevior.*, Reg. 196, Quomodo quis manducat et bibit ad gloriam Dei? Respondet, si beneficiorum Dei memor, ita animo et corpore sit compositus, ut non tanquam securus omnino manducet, sed ut qui inspectorem habeat Deum, et si proponat, non ut ventris mancipium ob voluptatem manducare, sed ut operarius Dei, ut vires habeat ad fortius ei serviendum, et opera ac mandata Christi exequendum : hoc est (ut brevissime dicam), si comestionem et potum referat ad laudem Dei, non quærens cibi voluptatem, sed ordinans eam et offerens ad Dei gloriam, quod sane facere et consuescere deceret omnes, non tantum Religiosos, sed et Christianos verosque Dei cultores. Quare pulchre idem Basilius, hom. in *Julittam Martyr.*, citans hunc Apostoli locum : « Sive comeditis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia ad gloriam Dei facite, » ita nos hortatur : « Accumbens mensæ, ora : esitans panem, largitori gratiam rependito : bibis vinum, memento ejus qui illud tibi dedit ad lætitiam et infirmitatum solamen : tunicam induens, gratias agito benigno datori : suspicis in cœlum et siderum pulchritudinem, procide Deo, et cole eum qui cuncta hæc in sapientia condidit. Pari modo, oriente sole et occidente, in somno et vigilia, Deo gratias age, qui hæc omnia ad tuum commodum creavit et ordinavit, ut creatorem agnoscas, ames et laudes. »

Christiani olim in initio operis signabant crucem.

Quomodo quis possit manducare ad gloriam Dei.

Pulchre S. Basilius docet quomodo in particulari omnia ad Dei honorem sint facienda?

33. SICUT ET EGO PER OMNIA OMNIBUS PLACEO, — id est placere conor et satago, ut omnes ædificem, neminem offendam et scandalizem; licet actu nonnullis vel ignaris, vel æmulis, vel perversis displiceam. « Placeo » enim significat hic actum inchoatum, sive studium placendi, juxta *Can.* 32. Unde explicans subdit Apostolus : « Non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant. »

Vers. 33. *Placeo*, id est placere conor.

CAPUT UNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Quinque rationibus probat Paulus velandas esse mulierum capita.

Transit Apostolus a secunda quæstione de idolothytis ad tertiam quæstionem principalem, de velamine mulierum. Quæsierant enim Corinthii a Paulo, an mulieres Christianæ essent velandæ, necne? Respondet hic Paulus eas debere caput velare, maxime dum publice orant, idque probat quinque rationibus. Prima est, vers. 3 et 14, quia hoc exigit honestas et verecundia muliebris. Secunda, vers. 7 et seq., quia subditæ sunt viris. Tertia, vers. 10, quia si nudo capite prodeant, offendent angelos. Quarta, vers. 15, quia natura dedit illis comam pro velamine. Quinta, vers. 16, quia hæc est Ecclesiæ consuetudo.

Altera parte capitis, vers. 17, agit de cœna Eucharistiæ, carpitque in ea abusum, quod scilicet in agapæ sive cœna communi divites excluderent pauperes, et seorsim quisque cum suis genio et ebrietati indulgeret. Unde, vers. 23, recenset Eucharistiæ a Christo institutionem, et scelus ac panam indigne ad illam accedentium, jubetque ut prius quisque seipsum probet, antequam accedat.

1. Imitatores mei estote, sicut et ego Christi. 2. Laudo autem vos, fratres, quod per omnia mei memores estis : et sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis. 3. Volo autem vos scire quod omnis viri caput Christus est : caput autem mulieris, vir : caput vero Christi, Deus. 4. Omnis vir orans, aut prophetans velato capite, deturpat caput suum. 5. Omnis autem mulier orans, aut prophetans non velato capite, deturpat caput suum : unum enim est ac si decalvetur. 6. Nam si non velatur mulier, tondeatur. Si vero turpe est mulieri tonderi, aut decalvari, velet caput suum. 7. Vir quidem non debet velare caput suum : quoniam imago et gloria Dei est, mulier autem gloria viri est. 8. Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro. 9. Etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum. 10. Ideo debet mulier potestatem habere supra caput propter angelos. 11. Verumtamen neque vir sine muliere, neque mulier sine viro, in Domino. 12. Nam sicut mulier de viro, ita et vir per mulierem : omnia autem ex Deo. 13. Vos ipsi judicate : decet mulierem non velatam orare Deum? 14. Nec ipsa natura docet vos, quod vir quidem si comam nutriat, ignominia est illi; 15. mulier vero si comam nutriat, gloria est illi, quoniam capilli pro velamine ei dati sunt. 16. Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. 17. Hoc autem præcipio : non laudans quod non in melius, sed in deterius convenitis. 18. Primum quidem convenientibus vobis in Ecclesiam, audio scissuras esse inter vos, et ex parte credo. 19. Nam oportet et hæreses esse, ut et qui probati sunt, manifesti fiant in vobis. 20. Convenientibus ergo vobis in unum, jam non est Dominicam cœnam manducare. 21. Unusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum. Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est. 22. Numquid domos non habetis ad manducandum et bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis, et confunditis eos, qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos? in hoc non laudo. 23. Ego enim accepi a Domino quod et tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, 24. et gratias agens fregit, et dixit : Accipite, et manducate : hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur : hoc facite in meam commemorationem. 25. Similiter et calicem, postquam cœnavit, dicens : Hic calix novum testamentum est in meo sanguine. Hoc facite quotiescumque bibetis, in meam commemorationem. 26. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat. 27. Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. 28. Probet autem

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Gratiarum actio et benedictio in mensis vetus fuit mos.

gratias ago.» Hinc colligitur veterum morem fuisse, ut ante mensam illi benedicerent, et post eam Deo gratias agerent, qua de re plura dicam I *Timoth.* cap. IV, vers. 4 et 5.

Vers. 31. An omnia facere ad Dei gloriam præcepti? Prima responsio.

31. SIVE MANDUCATIS, SIVE BIBITIS, SIVE ALIUD QUID FACITIS : OMNIA IN GLORIAM DEI FACITE. — Consilii hoc est, non præcepti : nec enim tenemur omnia actu, imo nec virtute, in Dei gloriam facere, licet id valde pium sit. Simili modo cap. XVI ait : « Omnia vestra in charitate fiant. » *Secundo*, si quis præceptum esse velit, cum Anselmo, Ambrosio et Cajetano de aptitudine et habilitate exponat, *q. d.* ita manducate, bibite, omniaque vestra ita facite, ut apta et habilia sint ad gloriam Dei promovendam, scilicet ut talia sint, ex quibus glorificari possit Deus, nemo offendi, nec Dei gloria lædi; sed potius omnes ædificari, et consequenter Dei gloria celebrari et propagari. Et secundum hic aptius esse, patet ex præcedentibus, ubi agitur de vitando scandalo. Unde et sequitur : « Sine offensione estote Judæis, et Gentibus, et Ecclesiæ Dei. » Opponit enim Paulus gloriam Dei gloriæ dæmonum, cui serviunt qui idolothyta comedunt in honorem idoli, vel cum scandalo proximorum; cum e contrario gloriæ Dei serviant, qui idolothytis abstinent, eaque manducant et agunt, quæ Dei honorem et cultum, salutemque proximorum juvant et promovent.

Responsio S. Thomæ.

Aliter S. Thomas, I II, *Quæst.* C, art. 10, ad 2, respondet præceptum esse, ut aliquando homo se et omnia sua in genere referat ad Dei gloriam, quasi ad ultimum finem. Verum Apostolus hic non de uno aut altero actu, sed de eo quod continuo et semper facere oportet, loquitur.

Partis et plenius.

Tertio, plenior sensus erit, si exponas, *q. d.* Ita studiose Dei gloriam promovete in omnibus (quod est consilii), « ut omnino caveatis, ne quid facitis quod gloriæ Dei adversetur, aut scandalum in idolothytorum comestione (ad hanc enim proprie respicit) aut alia re detis, quo Deus vituperetur, quod est præcepti. Licet enim sit affirmativum hoc dictum et consilium Apostoli, tamen negativum præceptum includit. Unde non sequitur hinc omnia infidelium opera esse peccata, eo quod non faciant ea ad gloriam Dei veri, utpote quem ignorant : quia, ut dixi, omnia sua opera facere, actaque ea referre ad Dei gloriam, non est præcepti, sed consilii.

Sunt præcepta.

Moraliter hinc Tertullianus, lib. *De Corona Militis*, et S. Hieronymus, *ad Eustochium*, asserunt, moris tunc fuisse apud Christianos, ut initio operis cujusque se signarent cruce, quasi dicerent : Hoc opus fiat ad gloriam Dei in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Quærit S. Basilius in *Regul. brevior.*, Reg. 196, Quomodo quis manducat et bibit ad gloriam Dei? Respondet, si beneficiorum Dei memor, ita animo et corpore sit compositus, ut non tanquam securus omnino manducet, sed ut qui inspectorem habeat Deum, et si proponat, non ut ventris mancipium ob voluptatem manducare, sed ut operarius Dei, ut vires habeat ad fortius ei serviendum, et opera ac mandata Christi exequendum : hoc est (ut brevissime dicam), si comestionem et potum referat ad laudem Dei, non quærens cibi voluptatem, sed ordinans eam et offerens ad Dei gloriam, quod sane facere et consuescere deceret omnes, non tantum Religiosos, sed et Christianos verosque Dei cultores. Quare pulchre idem Basilius, hom. in *Julittam Martyr.*, citans hunc Apostoli locum : « Sive comeditis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia ad gloriam Dei facite, » ita nos hortatur : « Accumbens mensæ, ora : esitans panem, largitori gratiam rependito : bibis vinum, memento ejus qui illud tibi dedit ad lætitiam et infirmitatum solamen : tunicam induens, gratias agito benigno datori : suspicis in cœlum et siderum pulchritudinem, procide Deo, et cole eum qui cuncta hæc in sapientia condidit. Pari modo, oriente sole et occidente, in somno et vigilia, Deo gratias age, qui hæc omnia ad tuum commodum creavit et ordinavit, ut creatorem agnoscas, ames et laudes. »

Christiani olim in initio operis signabant crucem.

Quomodo quis possit manducare ad gloriam Dei.

Pulchre S. Basilius docet quomodo in particulari omnia ad Dei honorem sint facienda?

33. SICUT ET EGO PER OMNIA OMNIBUS PLACEO, — id est placere conor et satago, ut omnes ædificem, neminem offendam et scandalizem; licet actu nonnullis vel ignaris, vel æmulis, vel perversis displiceam. « Placeo » enim significat hic actum inchoatum, sive studium placendi, juxta *Can.* 32. Unde explicans subdit Apostolus : « Non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant. »

Vers. 33. *Placeo*, id est placere conor.

CAPUT UNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Quinque rationibus probat Paulus velandas esse mulierum capita.

Transit Apostolus a secunda quæstione de idolothytis ad tertiam quæstionem principalem, de velamine mulierum. Quæsierant enim Corinthii a Paulo, an mulieres Christianæ essent velandæ, necne? Respondet hic Paulus eas debere caput velare, maxime dum publice orant, idque probat quinque rationibus. Prima est, vers. 3 et 14, quia hoc exigit honestas et verecundia muliebris. Secunda, vers. 7 et seq., quia subditæ sunt viris. Tertia, vers. 10, quia si nudo capite prodeant, offendent angelos. Quarta, vers. 15, quia natura dedit illis comam pro velamine. Quinta, vers. 16, quia hæc est Ecclesiæ consuetudo.

Altera parte capitis, vers. 17, agit de cœna Eucharistiæ, carpitque in ea abusum, quod scilicet in agapæ sive cœna communi divites excluderent pauperes, et seorsim quisque cum suis genio et ebrietati indulgeret. Unde, vers. 23, recenset Eucharistiæ a Christo institutionem, et scelus ac panam indigne ad illam accedentium, jubetque ut prius quisque seipsum probet, antequam accedat.

1. Imitatores mei estote, sicut et ego Christi. 2. Laudo autem vos, fratres, quod per omnia mei memores estis : et sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis. 3. Volo autem vos scire quod omnis viri caput Christus est : caput autem mulieris, vir : caput vero Christi, Deus. 4. Omnis vir orans, aut prophetans velato capite, deturpat caput suum. 5. Omnis autem mulier orans, aut prophetans non velato capite, deturpat caput suum : unum enim est ac si decalvetur. 6. Nam si non velatur mulier, tondeatur. Si vero turpe est mulieri tonderi, aut decalvari, velet caput suum. 7. Vir quidem non debet velare caput suum : quoniam imago et gloria Dei est, mulier autem gloria viri est. 8. Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro. 9. Etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum. 10. Ideo debet mulier potestatem habere supra caput propter angelos. 11. Verumtamen neque vir sine muliere, neque mulier sine viro, in Domino. 12. Nam sicut mulier de viro, ita et vir per mulierem : omnia autem ex Deo. 13. Vos ipsi judicate : decet mulierem non velatam orare Deum? 14. Nec ipsa natura docet vos, quod vir quidem si comam nutriat, ignominia est illi; 15. mulier vero si comam nutriat, gloria est illi, quoniam capilli pro velamine ei dati sunt. 16. Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. 17. Hoc autem præcipio : non laudans quod non in melius, sed in deterius convenitis. 18. Primum quidem convenientibus vobis in Ecclesiam, audio scissuras esse inter vos, et ex parte credo. 19. Nam oportet et hæreses esse, ut et qui probati sunt, manifesti fiant in vobis. 20. Convenientibus ergo vobis in unum, jam non est Dominicam cœnam manducare. 21. Unusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum. Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est. 22. Numquid domos non habetis ad manducandum et bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis, et confunditis eos, qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos? in hoc non laudo. 23. Ego enim accepi a Domino quod et tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, 24. et gratias agens fregit, et dixit : Accipite, et manducate : hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur : hoc facite in meam commemorationem. 25. Similiter et calicem, postquam cœnavit, dicens : Hic calix novum testamentum est in meo sanguine. Hoc facite quotiescumque bibetis, in meam commemorationem. 26. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat. 27. Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. 28. Probet autem

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat. 29. Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini. 30. Ideo inter vos multi infirmi et imbecilles, et dormiunt multi. 31. Quod si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur. 32. Dum judicamur autem, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur. 33. Itaque fratres mei, cum convenitis ad manducandum, invicem expectate. 34. Si quis esurit, domi manducet, ut non in judicium conveniatis. Cætera autem, cum venero, disponam.

1. IMITATORES MEI ESTOTE, SICUT ET EGO CHRISTI. — Cohærent hæc cum fine capitis præcedentis, *q. d.* Imitamini me, o Corinthii, in eo, quod dixi me quærere non quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant : in hoc enim animarum zelo ego Christum imitor, qui non sua commoda quæsivit, sed nostram salutem, cum pro ea e cœlis in terram, et carnem nostram descendit, laboravit, sudavit, mortique et cruci se obtulit.

Vers. 2. 2. LAUDO VOS, FRATRES, QUOD PER OMNIA MEI MEMORES ESTIS. — Est hæc transitio et præmunitio ad novam quæstionem et admonitionem : quia enim Paulus mox seq. versu carpere incipit Corinthiorum abusus, de non velandis mulieribus et quod ad cœnam Eucharisticam temulenti ac discordes accederent, hinc correptionem suam de more præmollit, ut quasi pilulam saccharo oblitam facilius et suavius eam capiant et hauriant Corinthii. Dicit ergo : « Laudo vos, quod per omnia mei memores estis; græce ὅτι πάντα μου μέμνησθε, id est, ut Erasmus, *quod omnia mea memoria teneatis*; vel, ut Euthymius, *quod omnium quæ mea sunt memores sitis*. Noster intelligit ὅτι κατὰ, id est *secundum*, *per*; sed idem est sensus. « Omnia, » intellige præcepta, documenta, monita, ut sequitur. Rursum hæc « omnia, » id est pleraque omnia, non quidem ab omnibus, sed a plerisque melioribus et potioribus vestrum observantur : nam alioqui hac epistola nonnulla Corinthiorum vitia, ac in primis hoc capite abusum cœnæ Eucharisticæ, quasi a suo et Christi præcepto dissidentem, Paulus carpit et redarguit.

SICUT TRADIDI VOBIS PRÆCEPTA MEA. — Græce, καθὼς παρέδωκα ὑμῖν τὰς παραδόσεις μου, id est, ut etiam Beza vertit, tradidi vobis traditiones. Unde eum hæ non sint scriptæ ab Apostolo; nec enim alia prior hac (est enim hæc prima) Pauli ad Corinthios extat epistola, qua hasce traditiones eis præscripserit : hinc manifeste sequitur, non omnia quæ fidem et mores spectant, esse scripta in sacra Scriptura, sed multa viva voce tradidisse Paulum et Apostolos, ut diserte docet Paulus hoc vers., et clarius vers. 23 et xii. Idque patet, quia antequam scripta essent ea, quæ de cœna allisque hic scribit Apostolus, eadem tamen a Paulo et a Christo, ut ipse ait vers. 23, præcepta servare tenebantur Corinthii. Eadem est ratio eorum, quæ solum tradita, nec unquam scripta sunt : lex enim tradita æque obligat atque lex scripta. Ita ex Chrysostomo Theophylactus et alii.

Multa vera ab Apostolis edita sunt.

Lex tradita æque obligat ac scripta.

3. VOLO AUTEM VOS SCIRE, QUOD OMNIS VIRI CAPUT CHRISTUS EST : CAPUT AUTEM MULIERIS, VIR : CAPUT VERO CHRISTI, DEUS. — Hic materiam de velandis mulieribus aggreditur Apostolus. Pro quo nota : Corinthias mulieres non tantum luxui, sed et cultui Veneris erant addictissimæ, adeo ut quotidie mille puellas in honorem Veneris, ad ipsius templum lenonibus et lenociniis exponerent, ut dixi cap. VI in fine, idque sibi honori et pietati ducerent, putarentque se hoc modo deam Venerem sibi suisque ad felix matrimonium incundum, vel continuandum, conciliaturas. Hinc consequenter erant impudentes et amasiorum illices, quos ut ad sui amorem allicerent, aperto vultu, oculis et capite incedebant, suam formam ostentantes; adeo, ut hic mos Corinthi honestus, decens et elegans haberetur, et Christianæ mulieres eumdem morem, quasi patrium, sibi retinendum censerent. Monuerunt hac de re Paulum nonnulli Corinthii cordatiores, hanc que quæstionem ei proposuerant, an Christianis feminis liceat, vel conveniat, nudo capite incedere, vel versari, maxime in Ecclesia? Paulus respondet id non decere, nec licere, idque incipit hic probare; estque hæc prima ejus ratio : mulier est subjecta viro, quasi capiti suo; ergo velanda est : e contrario vir est subjectus Deo, tanquam gloria et imago Dei; ergo vir non est velandus; consequentiam utramque probabit vers. 7 et 10.

Vers. 3.

Nota tantum et idololatriam mulierum Corinthiarum.

Nota : *Caput* hic idem est quod dominus, superior, rector; sic Christi hominis, sive humanitatis Christi, caput et rector est Deus, caput scilicet heterogeneum, sive alterius naturæ, et transcendens; Christus vero proprium et homogeneum est caput Ecclesiæ, idque quatuor modis, ait D. Thomas : *primo*, ratione conformitatis naturæ cum aliis hominibus; Christus enim ut homo, est caput Ecclesiæ; *secundo*, ratione perfectionis gratiarum; *tertio*, ratione sublimitatis super omnem creaturam; *quarto*, ratione influentiæ in omnes, et maxime in Ecclesiam. Sic vir quatuor modis est caput mulieris, inquit D. Thomas : « Nam *primo*, vir est perfectior muliere, non solum quantum ad corpus, quia, ut Philosophus dicit in libro *De Generatione animalium*, femina est mas occasionatus; sed etiam quantum ad animæ vigorem, secundum illud *Eccles.* VII : Virum de mille unum reperi, mulierem ex omnibus non inveni. *Secundo*, quia vir naturaliter supereminet feminæ, secundum illud *Ephes.* V : Mulieres viris suis subjectæ

Quatuor modis Christus est caput Ecclesiæ.

Quatuor modis vir est caput mulieris.

sint, sicut Domino, quoniam vir caput est mulieris. *Tertio*, quia vir influit gubernando mulierem, secundum illud *Genes.* III : Sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui. *Quarto*, vir et femina conformes sunt in natura, secundum illud *Genes.* II : Faciamus ei adjutorium simile sibi. »

Vers. 4 et 5. 4 et 5. OMNIS VIR ORANS, AUT PROPHETANS VELATO CAPITE, DETURPAT CAPUT SUUM : OMNIS AUTEM MULIER ORANS, AUT PROPHETANS NON VELATO CAPITE, DETURPAT CAPUT SUUM. — Est hæc secunda ratio : Turpe est viro velari, adeoque honestas, libertas et viriditas viri requirit ut vir caput non velet, sed illud apertum liberumque exponat; e contrario turpe est mulieri non velari : nam honestas et pudor muliebris requirit ut mulier velet caput suum; ergo mulier velanda est, non autem vir. Nota ex *mulier orans, aut prophetans* : « prophetans » enim hic non sumitur proprie ut idem sit quod prophetiam proloquens, aut explicans; sed improprie, idemque est, quod sacris hymnis et psalmis Deum laudans, eosque Deo decantans. Nam loquitur hic Paulus de publico conventu, ubi non permittit mulieri loqui, nec docere, sed bene canere, cum scilicet totus cœtus canit. Sic « propheta » pro cantore capitur I *Paral.* XXV, 1, et I *Reg.* X, 10. Sic Saul dicitur fuisse inter prophetas, id est inter cantores, Dei laudes canentes. Sic filii prophetarum in libris Regum dicuntur ii, qui Dei laudibus et cultui serviebant.

Prophetare hic idem est quod canere.

Aliqui sic explicant, « prophetans, » id est prophetiam audiens. Verum nusquam sic capitur *prophetare* passive, sed semper active. Rursum mulierem hic quamlibet intelligit Apostolus, scilicet tam virginem et innuptam, quam nuptam et corruptam : omnes enim omnino velari jubet, ut docet Tertullianus, lib. *De Velandis virgin.*, cap. IV et V, addilque ita Paulum intellexisse Corinthios, qui usque hodie, inquit, ex Pauli præcepto velant non tantum conjuges, sed et virgines suas.

Non licet mulieri nude ecclesiæ incedere.

DETURPAT. — Græce κατασχύνει, id est *dedecorat*, probro afficit caput suum, *q. d.* Si non velet se mulier in templo, facit contra naturalem honestatem et verecundiam illi inditam a Deo.

Quæstio nulla Carinthis ut caput Ecclesiæ.

UNUM ENIM EST (perinde est, æque turpe est mulieri, si non veletur) AC SI DECALVETUR (†).

(†) Non modo apud Judæos, sed etiam apud gentes cultiores, obtinuit mos, ut virgines et mulieres velarent caput; contra vero turpe et indecorum est habitum, mulieris nuptæ vultum in publico aspici et oculis alioram usurpari posse. Græca autem consuetudo videtur fuisse, ut mulieres velamina, alias nitata, in templis tantisper reponerent, quam consuetudinem nonnulli Corinthii odio Judaismi in Ecclesiam invehere voluerunt. Paulus de ea muliere, quæ haud velata sacris Christianis intersit, dicit : *Dehonestat caput suum*, id est, suum ipsius corpus, scipsam. Negligentia enim velaminis in publico, quam Rabbini inter repudii causas retulerunt, ipsa etiam Pauli ætate suspicionem impudicitiæ habuit. *Unum enim est ac si decalvetur*, id est, rasa esset. Nam feminæ tonderi non solebant, nisi quum turpes videri vellent, ut in lecto; aut juberentur, quod erat adulterarum pœna. Cf. Westenium ad h. l.

Quæstio publica confessio sublata sit

6. NAM SI NON VELATUR MULIER, TONDEATUR. — *nam* hic non est causale, sed continuativum cum emphasi, idemque valet, quod, Atque adeo *si non* velatur mulier, tondeatur.

TONDEATUR. — Græce καὶ κειράσθω, id est *etiam tondeatur*, quia par est turpitudo : scilicet tam turpe est mulieri non velari, quam tonderi, vel decalvari. Hinc inferunt hæretici : ergo perperam et turpiter Religiosæ virgines tondentur.

Non est turpe Religiosæ aut invitæ tondere.

Respondeo : Nego consequentiam; quia Apostolus loquitur in genere de mulieribus sæcularibus, maxime maritatis, iis scilicet, quæ publice in templo spectantur, non autem loquitur de Religiosis aut reclusis. Hæ enim recte comam deponunt, ut ostendant : *primo*, se omnem sæculi ornatum contemnere; *secundo*, se non esse sub potestate viri, sed sponsum habere Christum. Isque mos fuit tempore S. Hieronymi, ut ipse ait epist. 48 *ad Sabiniaxum*. Idem faciebant Nazarei, *Num.* cap. VI.

Quam muliercs Græcæ velint tonderi?

Dices : Concilium Gangrense, *Can.* 17, vetat religionis prætextu virgines tonderi.

Respondeo ex Sozomeno, lib. III, cap. XIII, Canon iste loquitur non de Religiosis, sed de hæreticis mulieribus, quæ relictis et invitis maritis, quasi Religionis prætextu, caput tondebant, et virilem habitum assumebant : has enim excommunicat, ut recte demonstrat Baronius, in fine tomi IV *Annal.* Adde Religiosas pro coma habere sacrum velum.

Quam Theodosius vetuit tondere?

Ubi notandum est, licet Theodosius Imperator, lib. XXVII *De Episcop. et Cler.*, Codice Theodosiano, vetuerit in Occidente virgines tonderi, illas nimirum quæ juniores essent, quæque extra monasterii claustra, in sæculo publice castitatem et vitam quasi religiosam profiteri vellent; idque ob periculum scandali, si, uti subinde fiebat, contingeret eas resilire et labi; nam, ut bene advertit Baronius anno Christi 390 (hanc quoque legis hujus causam assignat Sozomenus, lib. VII, cap. XVI), eodem anno lata est a Theodosio lex hæc, quo Constantinopoli matrona illa nobilis et juvencula, diaconissaque, ut videtur, a diacono in ecclesia vitiata, cum de more jussu confessarii publicam quorumdam peccatorum confessionem perageret, longius progresso, etiam hoc fornicationis peccatum confessa est, magno populi scandalo : qua de causa Nectarius hunc publicum pœnitentiarium et publicam confessionem sustulit; tamen communis usus semper fuit in Ecclesia, ut virgines dum religionem ingrediuntur, tondeantur. Unde in Ægypto et Syria crines resecare solitas virgines Deo sacras, docet S. Hieronymus dicta *epist.* 48 : « Moris est, inquit, in Ægypti et Syriæ monasteriis, ut tam virgo quam vidua, quæ se Deo voverint, et sæculo renuntiantes omnes delicias sæculi conculcarint, crinem monasteriorum matribus offerant desecandum, non intecto postea, contra Apostoli voluntatem, incessuræ capite, sed ligato pariter atque velato. » Ta-

Sennesiotas quoque sanctissimas virgines, quas S. Pachomius ab angelo monitus instituit, idem factitasse, auctor est Palladius, in *Lausiaco*: imo S. Basilius in *Regula monachorum* præscribit, ut in ipsa initiatione conversionis monasticæ capita radant. Hunc enim habitum decere eum, qui luget peccata.

Vers. 7. 7. VIR NON DEBET VELARE CAPUT SUUM : QUONIAM IMAGO ET GLORIA DEI EST. — Est hendiadys. Sicut enim dicit poeta : « Aurum frenosque momordit, » id est frenos aureos momordit : sic dicit hic Apostolus, quod vir sit Dei imago et gloria, id est imago gloriæ vel gloriosa, in qua scilicet maxime elucet Dei majestas et imperium : est enim vir in supremo rerum gradu collocatus in hoc mundo, et tanquam secundarius aliquis Deus, dominans omnibus (1). Hæc est major propositio syllogismi Paulini, sub qua hanc capesse minorem : Atqui gloria Dei revelanda est, hominis vero gloria occultanda est : ergo cum mulier sit gloria viri, vir vero Dei, sequitur quod mulier velanda sit, non vir. S. Aniectus, epist. *ad Episcopos Galliæ*, hanc Apostoli sententiam intelligit maxime de viris qui sunt in clero, seu sacerdotibus, qui ex ordinatione Apostolorum non tantum aperto capite, sed et tonso instar coronæ esse debent, uti fuit S. Petrus, ait Beda, lib. V *Hist. Angl.*, cap. XXIII, et Gregorius Turonensis, lib. *De Glor. Confess.*, XXVIII, ut scilicet repræsentent et quasi gestent coronam spineam Christi, et opprobrium S. Petri aliorumque Apostolorum, atque exinde coronam gloriæ in cœlis exspectent.

Laus viri est, quod sit imago et gloria Dei.

Corona sacerdotalis quid significet?

Olim omnes sacerdotes nudis pedibus et tecto capite sacrificabant, quod Christo conspicuus et manifestus est, qui in lege veteri Judæis erat velatus et absconditus.

Ub inota : In veteri Testamento summus sacerdos nudis pedibus, et tecto capite, tiara nimirum redimitus, sacrificia et sacra peragebat, ut patet *Exod.* XXVIII, 37 ; in novo Testamento sacerdotes Missæ sacrificium calceati, et nudo capite paraguant : quia, ut docet Epiphanius, hæresi 80, quæ est Messalianorum, in novo Testamento Christus, qui caput nostrum est, nobis conspicuus et manifestus est, qui in lege veteri Judæis erat velatus et absconditus. Apostolus tamen hic non solis clericis, sed omnibus viris in genere loquitur, ut patet.

Nota : Non est contra hoc præceptum Apostoli, quod sacerdotes nostri dum celebrant, amictu suntur inter vestes sacras ; nunquam enim illo nter sacrificandum caput tegunt, « sed super os rsulæ revolvunt, » ut ait Rupertus, lib. I *De Divin. Offic.*, cap. X. Non est ergo amictus ad tegendum caput, sed ad repræsentandum superhumerale pontificis in lege antiqua, ut scribunt Alcuinus et Rabanus ; vel ad significandum velum quo Judæi texerunt oculos Christi, *Matth.* cap. XXVI, ut docent Dominicus Soto in IV, dist. 13, Quæst. II, art. 4 ; Hugo Victorinus, lib. II *De Sacrament.*, cap. IV, et alii.

Sed vult Paulus abolere Gentilium morem, qui (quemadmodum primus instituerat Æneas, ut scribunt Plutarchus et Servius), velato capite, diis suis sacrificabant et supplicabant. Quod discrimen inter Christianos orantes et Gentiles annotavit in *Apologetico* Tertullianus, adeoque ipsas feminas Romanas inter sacrificandum fuisse capite velatas testatur Varro, lib. IV *De Lingua latina*, his verbis : « A ritu rica est dicta, quod Romano ritu, sacrificium feminæ cum faciant, capita velant. »

MULIER AUTEM GLORIA VIRI EST. — id est mulier facta est ad gloriam viri ex viro, velut ejus opificium et imago : unde illi subjecta est, et in signum subjectionis velanda.

Nota : « Mulier, » puta conjux, « est viri gloria, » id est gloriosa imago, ut dixi supra, quia Deus mulierem, scilicet Evam, formavit ex viro, ad viri similitudinem, ut virum tanquam suum exemplar ipsa quasi imago repræsentaret. Sita est hæc imago in mente et ratione ; quod scilicet mulier instar viri sit prædita anima rationali, intellectu, voluntate, memoria, libertate, capaxque sit omnis sapientiæ, gratiæ et gloriæ, æque ac vir ; ac proinde mulier est imago viri, non proprie : nam mulier in anima rationali par est et æqualis viro, et uterque, scilicet tam mulier quam vir, factus est ad imaginem Dei ; sed improprie et analogice : quia scilicet mulier tanquam posterior et inferior facta est ex viro, illique similis creata est. Unde Apostolus non expresse dicit : Mulier est imago viri ; sed tantum : « Mulier est gloria viri : » quia nimirum, ut recte annotavit Salmeron, mulier est insigne viri ornamentum, utpote quæ viro data est, tum in adjutorium ad propagandum liberos et familiam gubernandam, tum in materiam et quasi ditionem, in quam vir exerceat suam jurisdictionem et dominium. Dominium enim viri non tantum se extendit ad inanima et animalia bruta, sed etiam ad rationalia, puta ad mulieres et conjuges.

Quando mulier est viri gloria.

8. NON VIR EX MULIERE EST, SED MULIER EX VIRO. Vers. 8. — Probat duabus rationibus vel indiciis, quod mulier sit gloria viri, quasi capitis sui.

Primum est, quia mulier est viro posterior, et ex viro producta, ac consequenter vir est origo et principium ex quo orta est mulier.

9. *Secundum* est : ETENIM NON EST CREATUS VIR Vers. 9. PROPTER MULIEREM, SED MULIER PROPTER VIRUM, — ut scilicet esset viro in adjutorium, ad vitæ societatem et prolis propagationem ; sicut ergo VIR ..t principium ex quo, ita est et finis propter quem producta est mulier ; ac consequenter mulier est gloria viri, non autem vir est gloria mulieris.

(1) Conf. S. Augustinum, *serm.* 4 *in octava Paschæ* : « Revelanda sunt capita eorum, quod est indicium libertatis. » *Imago Dei* h. l. sumi non videtur illa notione consueta de morali quadam præstantia et perfectione, sed *de dominio*. Hinc fuerunt ex antiquioribus Patribus qui negarent imaginem Dei pertinere ad sexum muliebrem, quatenus scil. de dominio valet, non vero de similitudine Dei morali.

10. IDEO DEBET MULIER POTESTATEM HABERE SUPRA CAPUT. — Ita Græca et Romana legunt, scilicet, *potestatem* ; non autem *velamen*, uti legunt aliqui.

Nota *primo* : « Potestas » significat hic auctoritatem, jus, imperium, principatum, non ipsius mulieris, sed viri in mulierem ; alludit enim ad *Genes.* III, 16 : « Sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui. »

Nota *secundo* : « Potestas » metonymice hic significat signum potestatis viri, id est velamen, quod in capite gestat mulier, ut significet se subjectam potestati viri, ac quasi virum suo capiti insidere et dominari. « Potestas » ergo hic active ex parte viri, passive vero ex parte mulieris capitur ; vide *Can.* 30. Velamen enim gestamen est illius, qui potestatem in alio reveretur : sicut enim caput nudum et liberum, signum est potestatis et dominii ; ita si quis illud velet, signum est hanc potestatem in eo quasi velari, constringi, ac alteri astringi et subjici. Quam ob causam Tertullianus, lib. *De Corona milit.*, cap. XIV, hoc velamen mulierum, vocat « humilitatis suæ sarcinam, » et lib. *De Veland. virgin.*, cap. XVII, « jugum illarum ; » Chrysostomus vocat « insigne subjectionis ; » Concilium Gangrense, *can.* XVII, vocat « memoriam subjectionis. »

Quale signum et signum velet?

Nota *tertio* : Ab hoc velamine factum est, ut Latinis dicantur nubere mulieres, id est caput obnubere, sive velare, cum in viri potestatem transeant ; contra in viro etiam olim pileus libertinæ conditionis erat insigne, teste Livio in fine lib. XLV. Unde servi in necessitate militiæ ascribendi, ad pileum, id est ad libertatem, vocari dicebantur.

Pileus libertatis est insigne.

PROPTER ANGELOS. — *Primo*, ad litteram sensus est, mulieres debere habere velamen supra caput, ob reverentiam angelorum, non quod illi corpus habeant et ad libidinem incitentur, uti senserunt olim Justinus, Clemens, Tertullianus ; hic enim est error, ut dixi *Genes.* VI ; sed quia mulieres angelos habent testes honesti pudoris aut impudentiæ, item obedientiæ et inobedientiæ suæ. Ita Chrysostomus, Theophylactus, Theodoretus, S. Thomas, Anselmus.

Angeli non inducuntur ad libidinem.

Secundo, Clemens, lib. II *Hypotypos.*, per « angelos » viros bonos et sanctos accipit.

Qui per angelos hic intelligantur?

Tertio, Ambrosius, Anselmus, S. Thomas, accipiunt sacerdotes et Episcopos, qui *Apoc.* II, vocantur angeli, ne scilicet eos mulieres non velatæ forma sua ad libidinem provocent. Unde Clemens, lib. II *Pædagogi*, cap. X, hic præcipi putat, non tantum ut caput tegant, sed et frontem vultumque velamine obumbrent, quod honestiores *in* templis facere videmus. Verum primus sensus maxime litteralis est et genuinus (1).

(1) Rosenmullerus comma 10 sic vertit et explicat : *Quopropter uxor debet velamen habere in capite propter exploratores.* Velum h. l., ait, ἐξουσία dicitur, id est ad literam, *dignitas, prærogativa*, omnisque *omne quod præstat et eximium est*, quia honoris signum erat. Eam ob causam, velamentum oris Sarræ, *Gen.* XX, 16, Alexandrini interpretes τὸν τοκον τοῦ προσώπου eleganter vocarunt. *Exploratores*, seu speculatores, infideles scil., per quos opprobrium illud in publicum emanare poterat. Sed Veterum sententia, imo recentiorum plurimorum, magis placet, et simplicior est.

Est hæc tertia ratio, qua probat Paulus mulieres esse velandas, videlicet quia id exigit reverentia angelorum, præsertim in templo : angeli enim templum oberrant, et singulorum habitum, gestus et vot.. explorant. Audi quid hac de re S. Chrysostomo contigisse, non semel, sed sæpius, narrat S. Nilus, S. Chrysostomi discipulus, epist. *ad Anastasium* : « Joannes, inquit, sacerdos admirandus Ecclesiæ Constantinopolitanæ et totius orbis splendor, vir animi perspicacis, omni fere tempore videbat dorsum Domini refertum angelorum cœtu, et tunc in primis cum divinum et incruentum sacrificium offerebatur : quo quidem tempore stupore et lætitia plenus, rem præcipuis amicis enarravit : Cum cœpisset, inquit, sacerdos sanctissimum sacrificium, plurimæ statim ex illis virtutibus descendentes, stolis indutæ splendidissimis, nudis pedibus, intentis oculis, pronæ altare magno cum silentio et reverentia, quoad reverendum illud mysterium expletum fuit, circumsteterunt. Deinde hue illuc singulæ diffusæ per totam domum, Episcopis, Presbyteris et Diaconibus distributionem corporis et pretiosi sanguinis ministrantibus adhæserunt, et satagentes et sedulo adjuvantes. »

Angeli sunt in templo et assistunt Missæ.

Quæ reverentia angeli inducat sacrificio Missæ?

Idem S. Chrysostomus, homil. *De Sacra mensa*, admirans ait : « Ad quam assistant Cherubini, descendunt Seraphini, qui senis alis præditi vultus demittunt : ubi omnes angeli cum sacerdote pro te legationem obeunt. » S. Ambrosius, in cap. I *Lucæ*, loquens de angelo qui apparuit Zachariæ : « Utinam, inquit, nobis quoque adolentibus altaria, sacrificium deferentibus assistat angelus, imo præbeat se videndum ! Non enim dubites assistere angelum quando Christus assistit, Christus immolatur. » S. Gregorius, lib. IV *Dialog.*, cap. LVIII : « Quis, ait, fidelium habere dubium possit, in ipsa immolationis hora, ad sacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo Jesu Christi mysterio angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena cœlestibus jungi, unum quoque ex visibilibus atque invisibilibus fieri ? » S. Dionysius Areopagita, *Calest. Hierar.*, cap. V et IX, ait angelos extremi ordinis præesse Ecclesiasticæ hierarchiæ et communicationi sacrorum. Tertullianus, lib. *De Oratione*, cap. XIII, reprehendens abusum sedendi in Missa, sic ait : « Siquidem irreverens est assidere sub conspectu contraque conspectum ejus, quem maxime reverearis ac veneraris ; quanto magis sub conspectu Dei vivi, angelo adhuc orationis astante, factum illud irreligiosissimum est, nisi exprobramus Deo, quod nos oratio fatigaverit ? » Narrat Joannes Moschus, in *Prato spir.*, cap. CI, Episcopum Rumeliæ celebrantem coram Agapito

Papa, cum sisteret, eo quod non videret Spiritus Sancti descensum, quem videre solebat, rogatum ab Agapito moræ causam, respondisse : Diaconum, qui flabellum tenet, removete ab altari. Eo remoto, solita signa apparuerunt, ipseque sacrificium perfecit. Idem S. Chrysostomo contigisse, ob Diaconum oculos conjicientem in mulierem, narrat Metaphrastes in *Vita S. Chrysostomi*.

Mulieres non ex more Christianæ, sed et Judææ atque Gentiles velant vel radunt caput.

Nota, ad pudorem et honestatem, olim etiam ante Christum, velamine usas esse mulieres Judæorum et Gentium, Trojanas, Romanas, Arabes, Lacænas. Unde Valerius Maximus, lib. VI, cap. III, horridum narrat C. Sulpitii maritale supplicium, qui uxorem dimisit, quod eam capite aperto foris versatam cognorat.

Sulpitum uxorem dimisit, quia aperto capite foris versatur.

Tertullianus, lib. *De Velandi. virginib.*, cap. XVII : « Judicabunt nos, ait, Arabiæ feminæ Ethnicæ, quæ non caput tantum, sed faciem quoque ita totam tegunt, ut uno oculo librato contentæ sint dimidia frui luce, potius quam totam faciem prostituere. » Idem Tertullianus, *De Corona militis*, cap. IV : « Judæis feminis, inquit, tam solemne est velamen capitis, ut inde cognoscantur. »

Feminæ Arabiæ totum faciem tegebant.

De Lacænis Plutarchus in *Apophth. Laconicis*, in Charilla, testis est, quod earum virgines aperta facie, viris junctæ mulieres velata facie prodire soliæ sint; ut scilicet illæ maritos invenirent, istæ viros habentes aliis placere non curarent. Sed sicut probro adscribitur Lacænis, ait Clemens, lib. II *Pædagogi*, cap. X, quod super genua tantum vestes deductas induerent, ita nec earum virgines aperta facie prodeuntes laudantur; quod sic virgineus pudor quasi venalis expositus proderetur.

Quæ olim fuerit virginum vestitus virorum? quæ vir declaratio sit?

Calyptræ virginum ejus temporis velamina.

Rursum *secundo*, Tertullianus, lib. *De Veland. virgin.*, cap. II, culpat eas, quæ tenui velo utebantur, quod illud irritamentum magis sit libidinis, quam tegumentum pudoris. Gentilium potius feminarum usu, quam Christo credentium comparatum. Et cap. XII, nundinatrices quasi pudicitiæ habet illas, quæ consilium formæ a speculo peterent; et speculum olim vitasse Christianos, satis indicat S. Justinus ad Severum *De Vita Christiana*. Denique hoc fine scripsit Tertullianus librum *De Velandis virginibus*, ut probet omnes, non tantum nuptas, sed et innuptas, etiam sæculares, non obstante quavis consuetudine, velandas esse; quia id præcipit hic Apostolus; et sic, ait cap. IV, intellexerunt Corinthii, qui usque hodie velant virgines suas : et rationes Apostoli omnibus omnino mulieribus conveniunt, ut merito abusus censeri et corrigi debeat, quod non-

Virgines nudo capite incedentes se et alios periculo scandali ergo arcent.

nullis in locis virgines nudo plane capite incedant, scilicet ut formam ostentent et sponsum captent, cum revera tum alios, tum seipsas castitatis periculis exponant, et lenonum fraudibus esse in dies obliciant; unde tot pudicitiæ naufragia videmus et audimus.

Veletur igitur virgo, ut tecta in publicum prodeat, ne vel ipsa videat quæ non decent. vel in aliorum aspectum vultus ejus incurrat. Innumerabiles enim per aspectum vel ipsæ perierunt, vel alios occiderunt, ut summa cautio oculis merito sit adhibenda. Unde Tertullianus loco mox citando : « Omnis, ait, publicatio virginis bonæ, stupri passio est : » nimirum quia quæ aperto vultu oculis suis libere vagatur, ut videat et videatur, facile in spiritu violatur. Et hæc ipsa evagatio index est animi non satis casti. Unde subdit Tertullianus : « Indue armaturam pudoris, circumduc vallum verecundiæ, murum sexui tuo strue, qui nec tuos emittat oculos, nec admittat alienos. » Huic officio optime serviunt calyptræ Brabanticæ (quas Heucas vocant) superne cooperlæ pileis, quos honestiores ita dimittant, ut pene totam faciem tegant et obumbrent.

Flammeum virginale.

Hinc *tertio*, olim habitus sacrarum virginum fuit flammeum, seu sacrum velum, de quo Tertullianus, *De Velandis virgin.*, cap. XV : « Pura, ait, virginitas semper limida oculos fugit, confugit ad velamen capitis, quasi ad galeam, contra ictus tentationum, contra jacula scandalorum, contra suspiciones et susurros ; » additque hæc vela solemniter soleré benedici, indeque virgines dici Deo nuptas et desponsatas. Unde et Innocentius I *ad Victric.*, epist. 2, cap. XII : « Quæ, inquit, Christo spiritualiter nubunt et a sacerdotibus velantur. » Ad hæc olim hæ virgines pulla veste induebantur, et operiebantur pallio. E contrario viri Christiani habitum priscum ita pungit Lucianus in *Philopatro*, « Pallium putre, sine calceis (nudipedes ergo, vel certe soleis olim incedebant Christiani, uti jam Capucini) et tegmine, nudo capite, detonsa coma. »

Quis olim fuerit vestitus virorum? quæ vir declaratio sit?

Unde Gallia dicta est Comata? Primum sub Scipione Africano Romani sui sunt tonsitantes.

11. VERUMTAMEN NEQUE VIR SINE MULIERE, NEQUE MULIER SINE VIRO, IN DOMINO. — Refer hæc non ad versum proxime præcedentem (quem proinde apte Biblia Plantini parenthesi intercipiunt), sed ad superiorem, vers. nonum : quod enim ibi dixit, mulierem creatam esse propter virum, ne viris superbiendi, mulieribus sibi indignandi occasionem dedisse videatur Apostolus, hic mitigat, dicens, neque mulierem sine viro, nec virum sine muliere esse posse in conjugio : alter enim alterius, utpote conjugis, ope indiget, idque « in Domino, » id est Domino ita volente et disponente, vel per Dominum, et Domino auctore. Ita Ambrosius, et patet ex vers. *seq.*

Vers. 11.

Ab præceptum ne alter eorum in exilium?

Posset *secundo*, sic accipi, « in Domino, » scilicet Christo, hoc est, in re et lege Christiana : vide *Can.* 25 et 37, *q.* 4. Ad normam Christianæ legis et ordinationis divinæ vir et mulier invicem se juvent, filios procreent, eosque pie educent. Videtur enim submouere conjuges sui officii, et Christianæ pietatis.

12. NAM SICUT MULIER (prima, Eva) DE VIRO (formata est), ITA ET VIR PER MULIEREM (concipitur, formatur, nascitur, propagatur) : OMNIA AUTEM EX DEO — fiunt, ordinantur et disponuntur.

14. NEC IPSA NATURA DOCET VOS — id quodmore-

cedit, scilicet decere mulierem non velatam orare; sed potius ejus contrarium, scilicet id quod sequitur : « Quod vir si comam nutriat, ignominia est illi : mulier vero, si comam nutriat, gloria est illi. » Hebræi enim, qualis erat Paulus, concise loquuntur, et multa subaudiunt, ut dixi *Can.* 38. Unde Græca et quædam Latina clarius, per interrogationem hæc legunt, ἢ οὐδὲ αὐτὸ ἡ φύσις διδάσκει ὑμᾶς; hoc est, ut Syrus, *anne*, vel *nonne ipsa natura docet vos?* Noster interpres non legit ἢ οὐδὲ, sed οὐδὲ tantum.

Vers. 13. Alere comam effeminatum aut in viro.

15. VIR SI COMAM NUTRIAT, IGNOMINIA EST ILLI. — Quia alere comam est contra decus virile, est animi mollis et effeminati, ni fiat valetudinis, aut frigoris causa. Hinc S. Augustinus, lib. *De Opere monach.*, refellit monachos quosdam, qui comam promissam habebant usque ad humeros, ut speciem et nomen sanctitatis captarent. Rursum virum decet aperto capite orare, mulierem velato, uti hactenus probavit Apostolus : ergo mulier comam alere debet, non autem vir; coma enim a natura data est illi pro velamine. Comam longam et promissam hic intellige, qualis est mulierum.

Nota : Ut mulier comam alat, non autem vir, non est absolute præcepium naturæ, aut divinum, aut Ecclesiasticum. Unde, ut dixi vers. 6, feminæ Religiosæ comam resecant : e contrario gentes nonnullæ olim comam in viris habebant pro decore et ornamento, ut Galli, a quibus dicta est Gallia Comata; et Achivi, quos passim Homerus vocat καρηκομόωντας Ἀχαιούς, id est crinitos Achæos. Romani quoque prisci comam alebant, et sero, nimirum sub tempore Scipionis Africani, tonsoribus uti cœperunt. Primi tonsores ex Sicilia, inquit Plinius, lib. VII, cap. LIX, in Italiam venerunt, anno post Romam conditam 454; ante intonsi fuere. Lycurgus quoque Lacedæmones voluit comam retinere. Paulus ergo non præceptum hic, sed honestatem et decentiam naturæ insinuat, scilicet naturaliter decere, ut femina cum in publicum prodit, comata et velata prodeat, non autem vir : hanc tamen naturæ decentiam Paulus hic sancit, et instar præcepti a Corinthiis servari vult, unde subdit :

Vers. 16. Tempore Pauli templa fuerunt.

16. SI QUIS AUTEM VIDETUR CONTENTIOSUS ESSE. — « Contentiosus, » ut scilicet contendat, non veritatis, sed gloriæ et victoriæ studio (hoc enim significat Græcum φιλόνεικος) feminas Christianas velandas non esse, cum in templo orant, sed pristinum Gentilium morem et nuditatem retinere debere.

17. HOC AUTEM PRÆCIPIO. — Est hæc quarta ratio probans mulieres esse velandas, petita ab ipsa natura, quæ mulieri comam dedit pro velamine, ut doceret eam esse velandam.

HOC AUTEM PRÆCIPIO : NON LAUDANS, QUOD NON IN MELIUS, SED IN DETERIUS CONVENITIS, — *q. d.* Hoc ego velandis mulieribus ita præcipio, ut interim VOS non laudem in eo quod sequitur, scilicet, « quod non in melius, sed in deterius convenitis; » quod quid sit, explicat vers. seq. dicens :

Vers. 18. Tempore Pauli templa fuerunt.

18. CONVENIENTIBUS VOBIS IN ECCLESIAM, AUDIO SCISSURAS ESSE INTER VOS. — Ubi nota nomen *ecclesiam* : inde enim sequitur, jam tunc tempore Pauli fuisse ecclesias et templa. Vide de prisca ecclesiæ forma, picturis, cruce, distinctione loci feminarum, virginum, virorum, Baronium in hunc Apostoli locum.

Transit hic Apostolus a velamine mulierum ad abusus Corinthiorum in cœna Eucharistica corrigendos.

Vers. 19. Quo tempore oportuit hæreses esse?

19. NAM OPORTET ET HÆRESES ESSE, — spectata nimirum humana inconstantia, superbia, novitate et pronitate, qualis erat Corinthiorum, ut dicerent : « Ego sum Pauli, Ego Apollo, » Deo permittente ad suorum probationem, necesse est et oportet sequi hæreses. Ita Cajetanus, Ambrosius, Chrysostomus.

Quæ schismata apud Corinthios in cœna Eucharistica fuerint?

HÆRESES, — hoc est, schismata et sectas, tum in fide, tum in moribus, quales erant hic apud Corinthios in cœna Eucharistica, nimirum de loco recumbendi, de tempore cœnæ inchoandæ, de cibis et potibus, de sociis et convivis : nam in cœna Dominica et agapo Corinthii divites excludebant pauperes, et seorsim illam peragebant, ut patet ex seq. (1).

Fructus hæreseos.

UT ET QUI PROBATI SUNT (qui probi, solidi ac firmi sunt), MANIFESTI FIANT. — Tempore enim hæreseos et schismatis manifestatur quinam in fide et pietate fundati et constantes sint, uti hic apud Corinthios manifestabantur constantia et patientia pauperum, quos divites aspernabantur; rursum modestia et charitas divitum illorum, qui oderant schismata, et pauperes ad cœnas et agapes suas advocabant. Ita ex Chrysostomo Theophylactus, Œcumenius.

20. CONVENIENTIBUS ERGO VOBIS IN UNUM, JAM NON EST DOMINICAM CŒNAM MANDUCARE, — *q. d.* Dum convenitis tali modo ad Eucharistiam et cœnam Christi Domini, jam vestra cœna non est cœna dominica, uti esse solebat; et vestrum manducare jam non est dominicam cœnam manducare, uti olim erat; non instituitis cœnam Domini (qui omnes Apostolos, quin et Judam cœnæ suæ sobriæ et piæ adhibuit), sed Bacchi aut Martis. Conveniitis enim ad vos inebriandum, et pauperes excludendum : itaque quilibet in se ebrius, in pauperes vero violentus est. Ita Anselmus, Chrysostomus, Theophylactus.

Potest *secundo*, cum Vatablo et Ecasmo Græcum οὐκ ἔστι capi pro οὐκ ἔστι, « non est, » hoc est, non licet vobis dominicam cœnam manducare, ob rationem quam subdit. Sed prior sensus penitior

(1) Rectius : Diversarum partium homines, ne in ipsis quidem conventibus sacris, a mutuis odiis abstinebant. Videntur illi, qui dicebant se esse Cephæ, se esse Apollonis, etiam in publicis conventibus partes fecisse, ita ut in sacris conviviis instituendis res suas sibi haberent hi, suas illi.

est et nervosior, magisque pungit Corinthios.

Vers. 21. Quid ei præsumsit? Prima explicatio et communis.

21. UNUSQUISQUE ENIM SUAM CŒNAM PRÆSUMIT. — *Primo*, S. Augustinus, *epist.* 118 : « Præsumit, » inquit, hoc est, *sumit ante synaxim*; hoc enim proprie est præsumere : et quia ad hunc præsumptionem tollendam, jubet vers. 33, ut invicem sese expectent, scilicet in cœna ante sanctam synaxim : nam in ipsa sacra synaxi, vel post eam non videtur opus fuisse expectatione, cum ea non celebraretur, nisi postquam omnes convenissent, eumque promiscue sumebant pauperes mixti divitibus.

Quare olim ante Eucharistiam instituerint Christianicœnam communes?

Ubi nota : Tempore Pauli, Christiani, ut imitarentur Christum (qui post cœnam agni et communem, Eucharistiam instituit), ante cœnam Eucharisticam, instituebant cœnam communem omnibus Christianis, tam pauperibus quam divitibus, idque in mutuæ et Christianæ charitatis symbolum. Perduravit hic mos in nonnullis Ecclesiis per multa sæcula : nam Sozomeni adhuc tempore, ut ipse narrat lib. VII *Histor.*, cap. XIX, in Ægypto, multis urbibus et pagis, sumpta cœna vulgari, exemplo Christi celebrabant et sumebant sanctam synaxim. Idem de aliis quibusdam Ecclesiis indicat Concilium Carthaginense III, *can.* 29, hunc morem, ubi et quamdiu permissus fuit, non taxat hic Apostolus, sed ejus abusum, in iis, qui in hac cœna se inebriabant, sinentes alios pauperiores esurire. Hoc enim taxans, subdit : « Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est; » et : « Qui manducat indigne, » hoc est, in peccato mortali ebrietatis et contemptus pauperum, « reus erit corporis et sanguinis Domini. » Rursum concludens, vers. 33 : « Itaque, fratres, inquit, cum convenitis ad manducandum, invicem expectate : si quis esurit, domi manducet, ut non in judicium conveniatis; » scilicet, dum convenitis, ut communi Dominicam sive Eucharisticam manducetis, ut dixit vers. 20. Ergo loquitur de conventu qui fiebat ante, non autem post cœnam Eucharisticam.

Secunda explicatio.

Secundo, tamen alii accipiunt τὸ φαγεῖν *suam præsumsit*, de agape post sanctam synaxim. Pro quo nota, in primitiva Ecclesia, ad imitationem cœnæ Christi, solitos ditiores post sanctam communionem, cœnam in Ecclesia instruere omnibus, tam divitibus quam pauperibus, in charitatis symbolum, ideoque agape vocabatur, quasi dicas, *charitas*; sed refrigescente charitate, crescente multitudine fidelium, res abiit in abusum. Divites enim privatim suam cœnam præoccupabant et instruebant sumptuosissime etiam ad ebrietatem, pauperibus vel exclusis, vel non exspectatis, multo minus invitatis, ut significatur vers. 33, et hoc videtur hic taxare Apostolus. Vide Chrysostomum in morali, sub finem *hom.* 23; Tertullianum, *Apolog.* XXIX, et Baronium hic. Hac de causa Concilium Laodicense, *can.* 28, agapes in Ecclesia fieri voluit.

Quid sit agape et quo tempore fiebat?

Verum prior explicatio verior et solidior est, ob rationes ibi illatas (1) : agape enim hæc tempore Pauli fiebat, non post, sed ante sacram synaxim; licet paulo post prima hæc Ecclesiæ tempora, scilicet cum Ecclesia sanxit, ut Eucharistia ob reverentiam, nonnisi a jejunis sumeretur, post Eucharistiam celebrata sit hæc agape, ut patet ex Tertulliano et Chrysostomo jam citatis, et ex Augustino, *epist.* 118. Unc pari ratione hic Apostoli locus, iis qui post Eucharistiam celebrarunt divitum agapem, accommodari potest; Apostolus enim taxat ebrietates et arrogantias in agape, sive ea sit ante, sive post Eucharistiam. Quare inepte Novantes aliqui hunc Apostoli locum torquent contra Missas privatas, in quibus solus sacerdos communicat, quia scilicet nemo alius vult communicare; eos enim non excludit : imo optat Ecclesia, ait Concilium Tridentinum, sess. XXII, can. 6 et can. 8, ut qui Missam audiunt, etiam communicent. Nam Apostolus hac de re hic non agit, nec de cœna Eucharistica loquitur, sed de vulgari et communi, sive agape, uti ostendi.

Quando et quare in Ecclesia data.

Quando et quam præpropere Ecclesia tentaverit Eucharistiam præmittere agapæ?

Mala hunc locum torquent Novantes contra Missas privatas.

Hæretici Romæ athei.

PRÆSUMIT AD MANDUCANDUM, — præsumit manducare, vel præsumit manducando, scilicet suam cœnam. Est hebraismus.

Vers. 22. Arguit verba hujus versus, *Hoc est corpus meum*. Primum argumentum petitum a bis verbis hoc meum. Secundum.

22. NUMQUID DOMOS NON HABETIS AD MANDUCANDUM ET BIBENDUM? AUT ECCLESIAM DEI CONTEMNITIS : ET CONFUNDITIS EOS (pudore afficitis pauperes) QUI NON HABENT — opes et delicias, quas in commune symbolum cum divitibus conferant? *q. d.* Si vultis convivari, et genio indulgere, inter æquales domi id facite, non in ecclesia. Si enim in ecclesia id facitis, dupliciter peccatis.

Primo, quod ecclesiam vestra crapula contaminetis et polluatis.

Secundo, quod pauperes negligendo et pudefaciendo, Ecclesiam Christianam, quæ communis est pauperibus et divitibus, dividatis et discindatis.

Vers. 23. Vis et veritas institutionis.

23. EGO ENIM ACCEPI A DOMINO, QUOD ET TRADIDI VOBIS, — non scripto, ut patet, sed viva voce. Nota hunc locum pro traditionibus, quas orthodoxi verbo Dei scripto adjungendas docent.

Vers. 24. Quinque actiones Christi in institutione Eucharistiæ.

24. DOMINUS JESUS IN QUA NOCTE TRADEBATUR (a Juda et Judæis in mortem et crucem) ACCEPIT PANEM, ET GRATIAS AGENS FREGIT, ET DIXIT : ACCIPITE, ET MANDUCATE : HOC EST CORPUS MEUM, QUOD PRO VOBIS TRADETUR. — Nota hic quinque actiones Christi. *Primo*, Christus accepit panem; *secundo*, gratias egit Patri; *tertio*, panem benedixit, ut habet *Matth.* XXVI, 26; *quarto*, panem fregit; *quinto*, porrexit, et inter porrigendum dixit : « Accipite et manducate, hoc est corpus meum. » Hæc enim verba tam porrigentis sunt quam consecrantis.

Objectio Calvini. Resp. et solutio.

Hinc ruit argumentum Calvini : Omnia, inquit, verba hic, scilicet, « accepit, benedixit, fregit, dedit, » respiciunt et referunt panem; ergo panem acceperunt et comederunt Apostoli, non corpus Christi.

(1) Posterior tamen explicatio præplacet multis, quos inter Allioli ad h. l.

Respondeo ad antecedens : Hæc verba referunt panem, non qui manebat panis, sed qui inter dandum, vi verborum et consecrationis Christi, convertebatur in corpus Christi. Sic dicere potuisset Christus in Cana Galilææ : « Accipite, et bibite, hoc est enim vinum, » si per hæc verba mutare voluisset aquam in vinum. Sic vulgo dicimus : Herodes S. Joannem incarceravit, occidit, sepelivit, vel sepeliri permisit, cum tamen non incarceravit eumdem, quem sepelivit; quia hominem incarceravit, cadaver vero occisi sepelivit. Talis ergo, et consequenter æque vulgaris, est hæc Evangelistarum et Pauli de Eucharistia locutio.

Arguit verba hujus versus, *Hoc est corpus meum*. Primum argumentum petitum a bis verbis hoc meum. Secundum.

Nota *secundo*, ex eo quod Christus ait : « Accipite, hoc est enim, » etc., hinc videri Christum anum panem accepisse, eumque inter consecrandum fregisse in duodecim partes, simulque singulis Apostolis unam distribuisse, quam quisque videtur manu accepisse. Unde et diu in Ecclesia Christianis fidelibus Eucharistia in manus data fuit, ut patet ex Tertulliano, lib. *De Spectaculis*; ex Cyrillo Hierosolymitano, *catechesi* 5 mystagog.; ex S. Augustino, *serm.* 44. Postea tamen, periculi et reverentiæ causa, in os data est Eucharistia.

Quare et quando in manus data. Christianis Eucharistia?

Vers. 25. Hoc est corpus meum. — Hæretici tropum, alii metonymiam, alii alium esse volunt, et hunc esse sensum : Hoc est figura corporis mei, aut : Hoc significat corpus meum.

Sed nullum hic esse tropum patet *primo*, ex demonstratione pronominis *hoc*, et ex voce « corpus meum, et sanguis meus, » adeoque ex tota sententia, quæ clarissime hoc significat, ut clarius dici non potuerit. Accedit, quod Christus in ultimo hoc vitæ suæ die suum testamentum condiderit, et novum æternumque fœdus instituerit cum rudibus et charissimis suis discipulis, quodque præstantissimum Sacramentum, dogma pariter ac mysterium Christianæ religionis fundarit et exhibuerit, quæ omnia verbis clarissimis proponi solent et debent. Quis enim credat summam Christi sapientiam ac bonitatem ultimis suis verbis dedisse inevitabilem occasionem falsi dogmatis et perpetuæ idololatriæ? quod sane fecit, si verba hæc tam clara : « Hoc est corpus meum, » tropice tantum et figurate intelligi voluerit. Si enim ita est, ergo tota Ecclesia jam per 1800 annos in gravissimo errore et idololatria versata est, idque occasione verborum Christi, quæ ita aperta sunt, ut Lutherus ad Argentinenses scribat : « Quod si Carolstadius mihi persuadere potuisset, in Sacramento præter panem et vinum esse nihil, magno beneficio me sibi devinxisset : hac enim re valde papatui incommodassem. Verum ego me captum video, nulla elabendi via relicta : textus enim Evangelii nimis apertus est et potens, qui facile convelli non potest, multo minus verbis aut glossis e capite vertiginoso confictis subverti. »

Lutheri de corpore et sanguine Christi verba.

Testimonium Melanchthonis de eodem sensu.

Ita Lutherus. Et Philippus Melanchthon *ad Frederum Myconium* : « Si pro corpore, inquit, figuram corporis accipias, quid non poterit eludi hac arte? Sic licebit totam religionis formam transformare. » Ita Philippus. Scilicet sic cum Serveto Patrem, Filium, Spiritum Sanctum tria tantum esse nomina unius Dei, non tres personas; Christum assumpsisse carnem, sed phantasticam; passum mortuumque, sed tantum per imaginem et phantasma, cum Manichæis interpretari licebit; denique dicere a pari quis poterit, non nisi per tropum Evangelia esse Evangelia, Christum esse Christum, Deum esse Deum, ut tandem, quod multis eorum contingit, nil credant. Vide quam hic fenestram atheismo Sacramentarii aperiant. Verissime dixit et prædixit Cardinalis Ilosius, hæreticos tandem fore atheos, et hæresis omnis finem esse atheismum. Nimirum dum a Catholica fide ad hæresim desciscunt, in eaque nihil inveniunt stabile, nihil constans, nihil solidum; quid restat, nisi ut hæresim abjiciant, nihil credant, fiatque id quod cecinit Psaltes, *Psal.* XIII : « Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus. » Utinam id in dies non experiremur!

Rursum non solum Paulus, sed et alii omnes, videlicet Matthæus, Marcus, Lucas, eodem modo, iisdemque verbis, « Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, » hanc cœnam et historiam enarrant, et Syrus Interpres disertissime, *Marci* XIV, 22, איתיהי מגרי *ithai pagri*, hoc est, ipsum corpus meum : nullus est qui tropum explicet, vel insinuet, uti alibi solet unus alium, cum obscurior est, explicare. Quo argumento convictus Erasmus, Conrado Pellicano, a quo ad Zuinglianismum sollicitabatur, ita rescribit : « Ad id, videlicet non esse in Eucharistia verum corpus Christi, negavi semper me posse animum inducere, præsertim cum evangelicæ atque apostolicæ litteræ tam evidenter nominent corpus quod datur, et sanguinem qui effunditur. » Et infra : « Si tibi persuasum est, in synaxi nihil esse præter panem et vinum, ego membratim discerpi malim, et omnia perpeti, quam profiteri idem quod tu profiteris; nec patiar ut tui istius dogmatis me auctorem facias, vel comitem. Ita mihi contingat nunquam a Christo sejungi, amen. » Ita Erasmus.

Erasmus dicit se velle discerpi pro veritate Eucharistiæ.

Secundum argumentum ejusdem probans realem præsentiam Christi in Eucharistia.

Secundo, Si in Eucharistia est et manet panis, ergo figura panis successit figuræ agni. Quis autem perperam id fieri et dici non videt? agnus enim occisus in lege veteri, clarius significabat Christum patientem quam panis in lege nova. Rursum frigide et inepte agnus fuisset typus Eucharistiæ, quæ nudus est panis secundum Calvinum. Quis enim non mallet agnum habere tam in se, quam in figuram Christi, potius quam panem?

Tertium argumentum.

Tertio, id magis patet in consecratione calicis : « Hic est sanguis meus novi Testamenti, qui pro vobis effundetur : » quod clarissimum est in Græco apud Lucam, cap. XXII, τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ

ἐκχυνόμενον ἐν τῷ αἵματί μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, hoc poculum est novum Testamentum in meo sanguine, quod, scilicet poculum, pro vobis effundetur. Τὸ enim ad ποτήριον referri debet, non ad αἷμα, cum αἷμα sit dativi casus, τὸ vero nominativi; ergo poculum, sive calix sanguinis Christi pro nobis effusus est; ergo in calice hoc vere erat sanguis Christi, ita ut cum calix hic effunderetur, non effunderetur vinum, quod fuit ante consecrationem, et post eam manet, ut volant hæretici; sed effunderetur sanguis Christi, qui erat in eo post consecrationem. Hoc enim significat « calix sanguinis qui pro vobis effundetur, » illioqui calix vini, non sanguinis, pro nobis effusus esset, nosque calice vini redemisset Christus, quod est absurdissimum. Id magis patebit ex vers. seq. Nec dici potest cum Beza textum Græcum esse corruptum: quandoquidem omnes tam codices, quam interpretes ita legunt, olimque legerunt.

Quartum argumentum.

Quarto, omnes Evangelistæ, et Paulus, corpus hoc explicant, cum addunt, « quod pro vobis datur; » aut, ut Paulus, « Quod pro vobis tradetur; » vel, ut græce est, τὸ κλώμενον, « Quod pro vobis frangitur; » atqui non figura corporis, sed verum Christi corpus pro nobis datum, traditum, fractum est: ergo verum Christi corpus a Christo datum est Apostolis. Rursum, dicit Paulus, quod « qui manducaverit hunc panem indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini; » ergo hic vere est corpus et sanguis Domini, cui injurius est qui illud indigne tractat ac sumit.

Quintum argumentum. Berengarius primus publice docuit non esse verum corpus Christi in Eucharistia.

Quando damnatus Berengarius? Quando primum ejuravit?

Professio fidei Berengarii circa Eucharistiam.

Denique ita proprie ut sonant, hæc verba consecrationis explicant Patres Græci et Latini omnium sæculorum. Hic fuit sensus totius Ecclesiæ usque ad Berengarium per annos 1030; tunc enim cœpit Berengarius, qui homo indoctus, sed gloriæ cupidus, ut novi Doctoris nomen assequeretur, primus publice contrarium docuit. Nam J. Scotus et Bertramus, qui ante Berengarium idem senserunt, obscuri fuerunt, et statim a Paschasio Rabano et aliis repressi sunt. Berengario hoc dogma quasi novum in lucem proferenti, statim se opposuerunt Lanfrancus, Cantuariensis Archiepiscopus, Guidmundus, Algerus et totus orbis Catholicus. Unde damnatus est Berengarii error in concilio Vercellensi sub Leone IX, rursum in Turonensi sub Victore II, ubi præsens convictus Berengarius publice hæresim ejuravit: sed relapsus, in Romano Concilio 113 Episcoporum sub Nicolao II, rursum convictus, libros suos crematit, et palinodiam cecinit, quæ habetur *de Consecratione*, dist. II, cap. *Ego Berengarius*. Mox secundo relapsus, tertio in Romano Concilio sub Gregorio VII, errorem suum damnavit hac fidei professione, quam refert Thomas Waldensis, tom. II *De Sacram.*, tit. , cap. XLIII: « Ego Berengarius corde credo, et ore confiteor, panem et vinum converti in veram et propriam ac vivificatricem carnem et sanguinem Domini nostri Jesu Christi, et post consecrationem esse verum corpus, quod natum est de Virgine; et verum sanguinem Christi, qui de latere effluxit, non tantum per signum, sed etiam in proprietate naturæ et veritate substantiæ. » Utinam qui hoc tempore Berengarium errantem secuti sunt, sequantur et pœnitentem! Berengarii hæresim primus hoc sæculo revocavit Andræas Carolstadius, cui statim sese Lutherus opposuit. Carolstadium secutus est Zuinglius, Zuinglium Calvinus; et tamen nullus fidei articulus ita omnium Patrum, totiusque Ecclesiæ consensu firmatus exstat, ut hic de veritate corporis Christi in Eucharistia.

Statim Luth.

Eumdem Ecclesia in octo Conciliis generalibus definivit, scilicet in Niceno I, Niceno II, Romano sub Nicolao II, in Lateranensi, Viennensi, Constantiensi, Florentino et Tridentino: in provincialibus etiam plerimis. Videat qui dubitat, Joannem Garetium, qui per singulas, hoc est sedecim a Christo annorum centurias testimonia omnium Patrum et conciliorum cujusque sæculi ordine recenset, quibus omnes aperte et unanimiter hanc veritatem confitentur: affert etiam professionem ejusdem fidei Ecclesiæ Syriacæ, Æthiopicæ, Armeniacæ, Indicæ. Videat et Bellarminum *De Eucharistia*, exacte singulorum verba proferentem et discutientem. Sane qui hos leget, videbit hanc omnium ætatum omniumque sæculorum Ecclesiæ fidem fuisse; ut merito scripserit Erasmus ad *Ludovicum Berum*: « Nunquam, inquit, mihi persuaderi potuit, neque poterit, Christum, qui veritas est et charitas, tamdiu passurum fuisse dilectam sponsam suam hærere in errore tam absurdo, tamdiu farinaceum pro ipso adoraret. »

Constantia prædicationis ejus qui primus contra Eucharistiam scripsit.

Atque hic apparet Zuinglii, Calvini et similium ars et ingenium. Novam illi invehunt sectam et sententiam de Eucharistia; docent in ea revera non esse corpus Christi, sed corporis tantum figuram. Unde probant? e Scripturis: consulantur verba, legantur omnes Evangelistæ, legatur et Paulus, illisne favent, an potius nobis, ac receptæ in Ecclesia sententiæ? Quid aliud omnes ingeminant quam corpus? idque pro nobis traditum: quam sanguinem? eumque pro nobis effusum. Ubi hic umbra? ubi figura? ubi typus? Atqui, inquiunt, per figuram hæc verba exponi debent: fateare ergo verba Scripturæ non tibi favere, ibi, inquam, qui non aliunde, quam ex Scripturæ verbis Scripturæ mentem scrutandam doces. Unde igitur probas ea per figuram exponi debere? si dubia essent et ambigua, unde expositio petenda? quis litem dirimeret, nisi Ecclesia, quæ columna est et fundamentum traditæ sibi a patribus veritatis? quis nisi veneranda Patrum antiquitas, majorum traditio et sæculorum priorum consensus? Citamus et proferimus per singulas annorum centurias Patres, majores omnes, Concilia nationalia et œcumenica quoque sæculo: omnes et omnia verba Christi, ut sonant, accipiunt, damnant tropum et figuram. Quid ergo restat, nisi ut plana Scripturæ verba, planam et claram Patrum et totius Ecclesiæ sæculis omnibus expositionem sequamini? et tamen mordicus in vestra tropica expositione persistitis. Quæ Scriptura? quæ auctoritas? quæ ratio suadet? nulla, nisi hæc una, quod hæresis vestra ita elegerit, quodque Lutheri buccinam sequamini: Sic mihi videtur, sic placet, sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas. Hæc una hoc ipsum, et vestra omnia vobis et suadet et persuadet.

La vera dottrina della Chiesa cattolica è stata sempre una sola ed è quella che professa il corpo di Cristo nell'Eucaristia.

Pertinacia hæreticorum.

Bene Melanchthon de veritate Eucharistiæ.

Melius proinde et sanius hac in re Philippus Melanchthon, lib. *De Veritate corporis et sanguinis Domini*: « Si ob rationes humanas, inquit, neges Christum esse in Eucharistia, quid dicet in tentatione conscientia? quam afferet causam discedendi a recepta sententia in Ecclesia? tunc ista verba: Hoc est corpus meum, fulmina erunt. Quid his opponet mens perterrefacta? quibus Scripturis, qua voce Dei se muniet, ac sibi persuadebit, necessario hic fuisse interpretandam metaphoram, cum verbum Dei præferri debeat judicio rationis? » Ita Melanchthon.

Cattolici credenti la verità di Cristo in Eucaristia accanto in die judicii.

Sane in hora mortis, in die illa terribili, cum sistemur tribunali Christi de fide et vita examinandi, si me roget Christus, Cur credidisti corpus meum in Eucharistia? fidenter dicam: Domine, credidi quod tu dixisti, quod me docuisti: tu verba tua per tropum non explicuisti, nec ego per tropum explicare ausus fui. Ecclesia ea simpliciter accepit, et ego simpliciter accepi: hanc fidem, hanc reverentiam me verbis tuis, me Ecclesiæ tuæ debere plane mihi persuasi.

Effetti argumentum pro veritate Eucharistiæ.

Si Calvinistam roget Christus: Cur tu verba mea a proprio sensu in tropum detorsisti? quid dicet? Ita faciendum mihi videbatur, quod ratio mea non caperet, qui id fieri posset aut deceret. Atqui, inquiet ille, utri potius assentiri debebas, rationi tuæ, quæ humana est et infirma; an verbo meo, quod omnipotens est et veracissimum? Ratio Gentilibus dictabat, in me, utpote Deum, in carne natum, passum, crucifixum credere, stultum esse; et tamen tu hoc credendum putasti et credidisti, idque solis Scripturæ verbis, quæ hoc simpliciter asserunt, persuasus. Quid ergo in hoc uno Eucharistiæ articulo id, quod de illo tam diserte dixi, ad rationem tuam exigere, et juxta cerebrum tuum, tam depressum, infirmum et exiguum interpretari præsumpsisti? cur saltem Ecclesiæ omnium sæculorum expositioni et auctoritati non acquievisti? cur plus omnibus illis sapere voluisti? Quid respondebit ad hæc? qui se excusabit? quo se vertet? Cogitet jam quisque hoc serio, et verbo Dei atque Ecclesiæ, humili fide et obedientia suum judicium submittat, ne in illa die Domini confundatur, ne cum incredulis partem accipiat in stagno ignis ardentis pice et sulphure, ne fulmen illud audiat: « Ite, maledicti, ite, increduli, in ignem æternum. »

Confusio hæreticorum.

Nec miretur tam mirabile mysterium in Eucharistia, cum Christus in omni vita et mysteriis suis fuerit et sit admirabilis, *Isaiæ*, IX, 6; et de eo dicat idem Isaias, cap. XLV, 15: « Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator. » Si angelus se inseneret hostiæ, revera in ea esset, sed absconditus: non angelum, sed tantum panem videres, sentires, gustares; angelum tamen in eo latere crederes, si angelus aut propheta quispiam id tibi asseverasset: cur ergo pari modo non credis Christum sub hac hostia latere, sed absconditum, cum Christus idipsum asseveret, qui mentiri non potest? modum enim hunc existendi spiritualem, invisibilem et indivisibilem, qui naturalis est angelo, Deus, cum sit omnipotens, potest supernaturaliter dare corpori Christi in Eucharistia. Nemo ergo incredulus dicat: Quomodo potest Christus esse totus in tam parva hostia? cogitet Christum ibi esse instar angeli, nec modum inquirat, sed amplectatur potius immensam Christi charitatem, cujus delicia sunt esse cum filiis hominum, qui transiturus de mundo ad Patrem, ut ait S. Joannes, cap. XIII « cum dilexisset suos qui erant in mundo, in nem dilexit eos; » qui, ut canit S. Thomas,

Se nascens dedit socium,
Convescens in edulium,
Se moriens in pretium,
Se regnans dat in præmium:

Christus est in Eucharistia ut angelus.

ut nos sua charitate cogeret ad se redamandum, ut, quoties hæc mysteria videmus et agimus, cogitemus illum nos hisce verbis alloqui: Ecce Christus hic se totum tibi, tu te totum da, imo redde Christo.

Dices: Eucharistia subinde vocatur « panis et genimen vitis, » id est vinum, ut patet *Joan.* VI, 57, *Matth.* XXVI, 29.

Obiectio prima: Eucharistia modo vocatur panis. Responsio.

Respondeo: In ipsa narratione institutionis Eucharistiæ a nemine vocatur « panis, » sed alibi; et tum « panis » significat omnem cibum, ut dixi cap. X, vers. 17. Sic posset et « vinum » significare omnem potum, quia apud Judæos, uti et in Hispania, Italia, Gallia, Germania communis potus erat, non cerevisia, sed vinum.

Sed verius est Christum « genimen vitis » vocasse, non id quod erat in calice Eucharistico, sed quod erat in calice agni paschalis. Nam sicut de agno dixit, ut habet Lucas: « Non manducabo ex hoc, donec impleatur in regno Dei, » ita et de calice agni dixit: « Non bibam de hoc genimine (vel generatione) vitis, donec veniat regnum Dei. » Ita enim diserte, quod Matthæus et Marcus convolvant, distinguit S. Lucas, narratque utrumque dixisse Christum ante Eucharistiam, cap. XXII, vers. 17. Tantum enim voluit Christus dicere, se deinceps cum illis non victurum, communemque cœnam non sumpturum, ut hactenus vixerat et sumpserat, quia pergebat ad mortem, ait Hieronymus, Theophylactus et alii in illum locum.

Objectio secunda hanc vertit : *Hoc est corpus meum*, sunt sacramentalis locutio ; ergo typica, ergo figurata et tropica.

Dices *secundo*, *ut hoc est corpus meum*, est sacramentalis locutio : ergo typica, ergo figurata et tropica.

Respondeo : Nego consequentiam. Est enim hæc sacramentalis locutio, quia per eam conficitur sacramentum verum, ut videlicet sub speciebus panis et vini, velut signo visibili, adsit verum Christi corpus : non autem est sacramentalis, id est typica, figurata, tropica : Sacramenta enim proprie significant id quod continent et efficiunt. Nam Sacramentum est signum visibile rei invisibilis, quam causat et efficit, ut, cum dicitur : « Ego te baptizo, » id est, abluo, non est sensus : Ego do signum, vel figuram ablutionis ; sed proprie : Ego per hoc sacramentum abluo *corpus*, *et per hoc abluo animam a* suorum sordibus peccatorum. Sic cum dicitur : Ego te absolvo, confirmo, inungo ; non significatur figurata, sed sacramentalis, id est realis et propria, absolutio, confirmatio, inunctio corporis et animæ.

Respondeo : Nego consequentiam. Est enim hæc sacramentalis locutio, quia per eam conficitur sacramentum verum, ut videlicet sub speciebus panis et vini, velut signo visibili, adsit verum Christi corpus : non autem est sacramentalis, id est typica, figurata, tropica : Sacramenta enim proprie significant id quod continent et efficiunt. Nam Sacramentum est signum visibile rei invisibilis, quam causat et efficit, ut, cum dicitur : « Ego te baptizo, » id est, abluo, non est sensus : Ego do signum, vel figuram ablutionis ; sed proprie : Ego per hoc sacramentum abluo *corpus*, *et per hoc abluo animam a* suorum sordibus peccatorum. Sic cum dicitur : Ego te absolvo, confirmo, inungo ; non significatur figurata, sed sacramentalis, id est realis et propria, absolutio, confirmatio, inunctio corporis et animæ.

Itaque si Christus hic per corpus intellexisset figuram corporis, debuisset se explicare et dicere : Ego loquor non tantum sacramentaliter, sed figurate et metonymice ; alioqui Apostolis et toti Ecclesiæ dedisset occasionem manifestam erroris gravissimi. Itaque non valet hæc consequentia : Christus est in Eucharistia, quasi in Sacramento, et signo vel figura, ut commentarius Ambrosio ascriptus hic, et subinde Patres alii loquuntur ; ergo revera ibi non est, sed figurate tantum et tropice ; nam contrarium inferendum est, scilicet : Ergo non tropice, sed vere et proprie ibi est Christus. Quia Sacramentum signum est rei veræ et præsentis, non falsæ et absentis. Sicut ergo bene sequitur : Ibi est fumus, ergo ibi est ignis, quia fumus est signum ignis præsentis : in hoc corpore est halitus, ergo in hoc corpore est vita, quia halitus signum est vitæ præsentis ; ita recte sequitur : Corpus Christi est in Eucharistia, quasi in Sacramento ; ergo vere ibi est, quia Sacramentum et species sacramentales significant se, quasi Sacramentum verum corporis Christi, vere illud ipsum continere.

Sacramentum est signum rei veræ et præsentis, non falsæ et absentis.

Objectio tertia : Caro non prodest quidquam. Respon.

Dices *tertio* : *Joan.* VI, agens de hoc Sacramento Christus, dicit : « Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam. » Ergo caro Christi non est præsens, nec comeditur in Eucharistia.

Respondeo, id non posse dici, quia hoc sensu impium esset dicere, quod caro Christi pro nobis passa et crucifixa non prodesset quidquam : cujus contrarium toto illo cap. VI, disertissime docet et inculcat Christus, scilicet se carnem quam daturum pro mundi vita et redemptione : ergo multum mundo et profuit et prodest caro Christi. Sensus itaque est, ut recte Cyrillus, *primo*, virtutem vivificandi, quam habet caro Christi in Eucharistia, non a se habere, sed a spiritu, id est divinitate Verbi, cui hypostatice conjungitur.

Secundo, ut Chrysostomus, hanc manducationem carnis Christi in Eucharistia non fieri modo carnali, eam laniando dentibus, instar carnis bubulæ ; sed modo spirituali et spiritui accommodato, scilicet occulte, sacramentaliter, invisibiliter. Perinde enim hic carnem Christi comedis, ac si angelum latentem comederes et transglutires. Contrarium enim utrinque ex verbis Christi crasse intellectis colligebant et aversabantur crassi Capharnaitæ, contra quos tantum hæc dicit et affert Christus, ut patet ex præcedentibus. Unde sequitur : « Verba quæ locutus sum vobis, spiritus et vita sunt. » « Spiritus, » id est, spiritualia sunt et spiritualiter intelligenda, quia scilicet carnem meam non modo carnali, cruentam, dissectam, masticatam ; sed modo spirituali, quasi spiritus esset, invisibiliter et indivisibiliter in Venerabili Sacramento latentem comedetis : itaque « verba mea vita sunt, » id est vitalia sunt, et vitam audienti, credenti et carnem meam comedenti conferunt.

Quomodo verba Christi vita sunt?

Dices *quarto* : Impossibile esse videtur, ut Christus tantus sit in tam parva hostia, et tot diversis altaribus. Videtur *secundo*, incredibile, quod Christus ibi sit, ut comedi possit a muribus, conspui, evomi.

Objectio quarta : Quod videtur esse impossibile, et Christus totus sit in tam parva hostia ; secundo, quod videtur indecorum. Respon.

Respondeo ad prius : « Non erit impossibile apud Deum omne verbum. » Hinc dicimus : « Credo in Deum Patrem omnipotentem. » Plura potest Deus facere, quam miser homo, imo omnes homines et omnes angeli possint concipere : alioqui non esset Deus. Rursum, fides superat humanum captum : credenda sunt ista mysteria, non intellectu penetranda. « Fides, inquit Augustinus, tract. 27 et 40 *in Joannem*, est credere quod non vides. » Et S. Gregorius, hom. 26 *in Evang.* : « Fides, inquit, non habet meritum, cum humana ratio præbet experimentum. » Præclare ergo S. Thomas de hoc Sacramento canit : « Quod non capis, quod non vides, animosa firmat fides, præter rerum ordinem. »

Possibile tantum esse corpus Christi in Eucharistia.

Rursum in Eucharistia non esse impossibile, ut Christi corpus sit in tam parva hostia, ex simili demonstrari potest. Nam Christi corpus natum est ex Virgine, clauso scilicet matris utero : ergo penetravit matris uterum, ita ut dum nasceretur Christus, in eodem loco esset, in quo erat uterus matris. Similiter Christus resurrexit clauso sepulcro, et ingressus est ad discipulos januis clausis : ergo tunc in eodem loco fuit cum lapide sepulcrali et cum januis.

Nunc sic argumentor : Si duo corpora tota possunt esse in eodem loco, v. g. Christus et lapis ; ergo et duæ partes ejusdem corporis, v. g. caput et pedes Christi, possunt esse in eodem loco, in eadem videlicet hostia. Si duæ possunt esse simul, ergo et tres, et quatuor, et quinque, et quotquot Deus in eodem loco ponere volet. Idem docet Christus, *Matth.* XIX, 24, ubi ait : « Facilius esse camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cœlorum ;

Ita ut infiguram, quia Christus in Eucharistia nihil patitur.

Clara ejusdem rei demonstratio.

Insigne confusio Erasmi de veritate Eucharistiæ.

atqui Deus absolute potest divitem ducere ad cœlum : ergo et camelum per foramen acus, ergo et corpus Christi per parvam hostiam.

Jam si duo corpora possunt esse in eodem loco, ergo a pari idem corpus, scilicet Christi, potest esse in diversis locis et hostiis : utramque enim paris est difficultatis, et paris potentiæ ac virtutis.

Tertio, idipsum esse possibile, patet ex alio simili. Potest enim Deus angelum (imo angelus seipsum) in puncto existentem et contractum dilatare et expandere, ut totum cubiculum occupet localiter : ergo a contrario potest Deus corpus per spatium expansum, contrahere in punctum. Si enim illud potest, cur non et hoc ? præsertim cum sit omnipotens : par enim utrobique est ratio et difficultas ; nec unum magis involvit contradictionem, quam aliud.

Ulterius, non tantum in angelo (ne excipias angelum esse spiritum, non corpus), sed et in corporibus naturaliter idipsum facit Deus, puta in rarefactione et condensatione. Ignis enim modicam aquam, v. g. unius scyphi, calefaciendo ita naturaliter rarefacit et extendit, ut totum cacabum, qui decem scyphos continet, implent, imo exuberet et effluat : ac rursum frigus eamdem aquam ita rarefactam et extensam, deposito ab igne cacabo, ita condensat et stringit, ut eam redigat ad quantitatem decuplo minorem, puta unius scyphi. Cur ergo Deus, qui in infinitum superactivitatem naturæ, non possit corpus Christi, quod sex pedum est, redigere ad quantitatem unius hostiæ, imo unius puncti ? Deus enim, uti potest in infinitum rem unam augere, ita potest et imminuere ; tam enim ad hoc, quam ad illud requiritur et sufficit virtus infinita, quam habet Deus.

Denique Christus seipsum, summusque Evangelium ac Sacramenta comparat, *Matth.* XIII, 31, grano sinapis, quod parvum quantitate, maximum est latente substantia, quæ sua vi et energia in amplissimos ramos se dilatat, sitque ingens arbor. Si hoc in grano sinapis naturaliter efficit Deus, quidni simile efficere possit, ac re ipsa, uti promisit et dixit, efficiat in Eucharistia ?

Ad secundum respondeo : Christus hic nihil patitur, sed tantum species. Est enim Christus hic modo indivisibili et arcano, instar spiritus. Sicut ergo angelus hostiæ se includens, aut Deus qui est realiter in omni corpore et loco, nihil patitur si hostia vel corpus illud conquatur, comburatur, rumpatur ; sic nec Christi corpus in Eucharistia quidquam patitur, quia est ibi instar angeli. « Deus, inquit Erasmus, *Præfat. in lib. Algeri*, qui juxta naturam non minus est in cloacis, quam in cœlis, non lædi potest, nec inquinari : ita nec corpus Domini glorificatum. » Idem Erasmus *ad Conradum Pellican.* : « Hactenus, ait, cum omnibus Christianis adoravi Christum pro me passum in Eucharistia, nec adhuc video quidquam, cur ab hac opinione debeam recedere : nullis humanis rationibus adduci potero a concordi sententia Christiani orbis ; plus enim valent apud me quinque illa verba : In principio creavit Deus cœlum et terram, quam omnia Aristotelis cæterorumque philosophorum argumenta, quibus docent curare initio. Sic hic litteras divinas habemus : Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur : Hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur, » etc.

Hæc paulo fusius pertractavi, ob rei gravitatem et modernas novantium controversias, quibus non paucos vicinos nostros, præsertim Hollandos, alioqui in fidem priscam et orthodoxam proclives, ob hunc Eucharistiæ articulum, quasi incredibilem et impossibilem, a vera fide et salute avertunt, cum tamen nullus alius in sacra Scriptura, Patribus, Conciliis ita fundatus et stabilitus sit, atque iste.

In Eucharistia panis non manet.

Ex dictis patet *primo*, in Eucharistia panem non manere, sed transsubstantiari in corpus Christi, et vinum in sanguinem, uti loquitur Concilium Lateranense, et semper sensit Ecclesia : ac consequenter patet *secundo*, sola panis et vini accidentia hic remanere sine subjecto. Patet *tertio*, corpus Christi hic esse per modum substantiæ spiritualis, invisibile, indivisibile, totum in tota, et totum in qualibet parte hostiæ, uti docent passim Theologi. Jam singula hæc consecrationis Eucharistiæ verba expendamus.

Corpus Christi totum est in tota, et totum in qualibet parte hostiæ.

Hoc. — Nota, pronomen *hoc* non tam esse substantivum et individuum vagum (ut volunt nonnulli, quasi *hoc* significet hoc ens, hanc rem, vel hoc contentum sub his speciebus, sive panis adsit, sive corpus Christi), quam esse adjectivum, idem, sed confuse significans, quod distincte et nominatim significat *corpus meum*. Sic enim accipitur in consecratione calicis : « Hic est sanguis meus. » Alioqui dicendum fuisset : Hoc est sanguis meus ; sic dicitur : Hic est servus, hic est homo, etc., ubi *is hic* quasi adjectivum non aliud demonstrat quam servum et hominem, quem confuse significat.

Oratio consecrativa est praxis.

Dices : Cum Christus dixit *hoc*, nondum erat corpus Christi ; ergo *is hoc* non poterat pro eo supponere. Respondeo, hanc orationem, uti est consecratoria, non esse enuntiativam, sed practicam et efficacem ; ac proinde *hoc* demonstrare id quod nondum est, sed quod per orationem fit, eaque finita erit.

Per *is hoc* non significatur panis directe transsubstantiatus.

Instabis : Hæc oratio practica, « Hoc est corpus meum, » significat, Hoc transsubstantiatur in corpus meum ; ergo *hoc* designat panem ; panis enim solus transsubstantiatur. Respondeo : Nego majorem, scilicet transsubstantiationem hic primo et directe significari : tantum enim primo significatur corpus Christi hic fieri et esse, ita ut designando species designetur corpus ; inde tamen secundo et consequenter sequitur, panem esse transubstantiatum et desiisse. Patet hoc ex verbis calicis : « Hic est calix sanguinis. » Si enim hæc primo significarent transsubstantiationem, debe-

ret dici *hoc*, scilicet vinum, est sanguis, vel est calix sanguinis mei, id est convertitur in calicem continentem sanguinem meum. Si tamen sic indirecte velis exponere : Hoc est, id est hoc transubstantiatur in corpus meum ; tunc concedo, quod *hoc* designet panem : hic enim transsubstantiatur. Nec mirum est, pronomen *hoc* hic aliud et aliud designare, quia hæc una propositio : « Hoc est corpus meum, » significatione est multiplex, scilicet practica est et enuntiativa, imo dupliciter practica est.

Concordialiter et enuntiative practice.

Quæ omnia ut clare demonstrentur et intelligantur, adverte, si Christus accepisset solas species panis, subtracta panis substantia, easque deinde consecrasset ; imo si nullas accepisset species, sed eas simul cum consecratione sui corporis creasset ex nihilo, dicendo : « Hoc est corpus meum ; » hunc primario prorsus idem fecisset quod jam fecit, cum accepto pane eum consecravit et dixit : « Hoc est corpus meum ; » atqui in utroque priori casu non transsubstantiasset, cum nulla præfuisset, sive præextitisset substantia panis, nec pronomen *hoc* designasset panem, aliamve substantiam, sed tantum corpus Christi, quod ibi simpliciter et nude produceretur et fieret : ergo quoque in posteriore nostro casu, nostraque consecratione, non significatur primario transsubstantiatio, nec pronomen *hoc* demonstrat panem, sed corpus Christi.

Simili modo in *Genesi* potuisset Deus creando cœlum dicere : « Hoc est cœlum, » id est, hoc creatur, producitur, fit, et est cœlum ; « Hæc est terra, » id est, hæc creatur, fit, simulque hoc ipso est et existit terra ; « Hæc est Eva, » id est hæc producitur et fit, dumque fit, eodem instanti est et existit Eva. Pari ergo modo hic, dum dicitur : « Hoc est corpus, hic est sanguis meus, » sensus est : hoc consecratur, producitur et fit corpus et sanguis meus, ut in termino, sive completa consecratione re ipsa sit corpus meum, et sanguis meus.

Hoc est corpus meum, primario non significat terminum a quo, sed positivum ad quem; secundario significat terminum a quo, scilicet panem, et transubstantiationem.

Hæc ergo oratio et consecratio : « Hoc est corpus meum, » ut patet ex ipsis verbis, proprie et primario non significat terminum a quo, scilicet panem converti et desinere ; sed significat productionem et positionem termini ad quem, scilicet corporis et sanguinis Christi, eumque demonstrat pronomen *hoc* et *hic*, *q. d.* Hoc quod sub his speciebus panis et vini producitur, et fit, simulque dum fit, est et existit, est corpus et sanguis meus ; secundario tamen hæc eadem oratio innuit, involvit et significat desitionem termini a quo, scilicet panis, ejusque transsubstantiationem. Quia enim sub speciebus hisce prius existit substantia panis et vini, eaque cedere debent corpori et sanguini Christi, qui hac oratione et consecratione producitur et succedit ; ita ut per *hoc* non aliud quam corpus, et per *hic* non aliud quam sanguis Christi designetur et demonstretur : hinc quando hac oratione significatur produci corpus Christi, hoc ipso significatur panem desinere, transsubstantiari in idem corpus. Item pronomen *hoc* non aliud designat quam corpus Christi : demonstrat enim, facta consecratione, hic non esse aliam substantiam, quam corporis Christi, quod solum demonstrat.

Hæc ergo oratio : « Hoc est corpus meum, » *primo*, simpliciter practica est, sign. scilicet : Hoc fit corpus meum.

Triplex virtus verbi, *hoc est corpus meum.*

Indeque *secundo*, est enuntiativa, significans : Hoc in fine consecrationis est corpus meum ; sic ut pronomen *hoc* in utraque designet, non panem, sed corpus Christi in confuso.

Oratio consecrativa est etiam transubstantiativa.

Tertio, est conversiva et transsubstantiativa, significatque *hoc*, puta hæc panis substantia, sub his speciebus contenta, convertitur et transsubstantiatur in corpus Christi, ita nimirum, ut facta consecratione, conversione et transsubstantiatione, panis non maneat, sed sit conversus in corpus Christi, adeoque jam hic non sit panis, sed esse desierit, ejusque loco sit corpus Christi, et tunc pronomen *hoc* designat panem, qui convertitur in corpus Christi.

Verbum *est* non videtur esse de essentia consecrationis.

Est. — Nota, Christum non videri dixisse *est*, quia Hebræi et Syri non utuntur verbo substantivo, sed illud subticent, imo præsentis temporis non habent. Unde etiamnum Syrus interpres hic, et *Matth.* XXVI, 26, et *Luc.* XXII, 19, eo caret : vertit enim, הדה בגרי *hana pagri*, hoc corpus meum. Sic et *Luc.* XXII, 20, in consecratione calicis : τοῦτο τὸ ποτήριον, ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου, *hic calix novum testamentum in meo sanguine*. Ac consequenter in Græca etiam et Latina lingua non videtur verbum *est* esse de essentia formæ consecrationis : in praxi tamen omitti non debet, et sine gravi peccato non potest ; imo dubia esset forma et consecratio, si omitteretur.

In consecratione tamen omitti non potest sine gravi peccato.

Nota *secundo* : Apte tamen et clare illud verbum *est*, quia subintellectum, expressit Interpres, potius quam *fit*. *Primo*, quia non est transitus hic a non esse ad esse, quem communiter annuit *fit* ; caro enim Christi ante fuit.

Quinque causæ cur Christus dixerit *est*, non *fit*.

Secundo, quia *est* significat instantaneam mutationem transsubstantiationis, in qua simul sunt fieri et factum esse.

Tu vel simul instantaneam mutationem, eam pro constanti.

Tertio, quia pronomen *hoc* proprie demonstrat id quod est, non id quod fit : quod enim nondum est, proprie videri et demonstrari nequit ; consequenter tamen dicitur subinde demonstrari, cum demonstratur fieri, et produci ut sit, existat et videatur.

Quarto, quia per *est* significatur constans veritas hujus Sacramenti.

Quinto denique, quia aptius dicitur : « Accipite, comedite, hoc est enim corpus meum, » quam : « Hoc fit corpus meum. »

Christus dixerit verbis consecrativis quæ

Nota *tertio*, Christum non ante, cum panem benedixit, sed hisce verbis : « Hoc est corpus meum, » consecrasse ; quia illis ex Christi imitatione sacerdotes jam consecrant, ut contra Gra-

hæc non eos docet Concilium Florentinum et Tridentinum, et passim omnes Patres. Unde hæc verba a sacerdote dicuntur *primo*, historice : intendit enim sacerdos narrare quid egerit Christus ; *secundo*, personaliter, quia intendit sacerdos simul eadem imitari, perinde ac si ipse esset Christus. Unde consecrans et transsubstantians induit personam Christi.

Quo Christi ore vi verborum hic ponatur, etiamsi in aliis accipiatur religiose ut ipse consecrarit, Chilion Enchiridion dubitet, et facta negans et sanctificationem.

Corpus. — Nota, *corpus* hic non totum hominem significare, sed carnem tantum ab anima distinctam, quæ sola vi verborum hic ponitur ; sicut in calice solus sanguis : anima vero et divinitas ponuntur per concomitantiam utrobique ; sicut et sanguis cum corpore sub specie panis, et vicissim corpus cum sanguine in calice per concomitantiam ponitur. Ita Concilium Tridentinum.

Nota *secundo*, Christum hic instituisse sacramentum Eucharistiæ, quod omnes sumerent ; et simul sacrificium, quod sacerdotes Deo offerrent. Ita ex Apostolica traditione docet Ecclesia, et Concilium Tridentinum, *sess.* XXII, cap. I, idque unicum est legis novæ sacrificium, quod omnibus veteribus successit ; ac proinde hoc unum simul est Eucharisticum, est pro peccato, est holocaustum, est pacificum.

Tradetur. — Græce κλώμενον, id est, *quod frangitur*. Ita Ambrosius ; scilicet, ut Theophylactus, frangitur jam sub speciebus, vel per species panis, quæ franguntur, consumuntur, itaque Deo « datur, » ut habet Lucas, id est immolatur corpus Christi. Hæc enim omnia significat τὸ *frangere* per metalepsim. Olim enim in sacrificio *manchà*, cum panis Deo sacrificabatur, debebat ipse panis frangi, benedici et comedi, ut notat D. Thomas, I II, *Quæst.* LXXXV, art. 3, ad 3. Hinc confessio Catholica Berengarii, qua suum errorem de Eucharistia primo revocavit, habet, quod corpus Christi in veritate manibus sacerdotum tractatur frangitur, et dentibus fidelium teritur, scilicet per species sacramentales panis, quæ tractantur, franguntur, teruntur. Hæc enim species non sunt amplius species panis, sed corporis Christi, quæ sola hic est substantia sub talibus speciebus, sive accidentibus ; quo fit, ut, dum hæ species videntur, tanguntur, designantur, non alia substantia quam corporis Christi videatur, tangatur, designetur : sicut ante consecrationem per easdem species, non alia quam panis substantia videbatur, tangebatur, designabatur.

Quid scilicet hic vox *frangi*, *hoc* ? Prima adjectio.

Secundo, « frangitur, » id est paulo post frangetur et immolabitur in cruce. Ita Anselmus. Unde Noster vertit, « tradetur ; » idque quia hoc frangi et immolari non tam futurum, quam præsens erat. Dies enim paschæ et passionis Christi inchoatus erat, cum hæc dixit Christus : unde erat tunc confusum præsens ; frangetur autem flagellis in cute, clavis in manibus et pedibus, lancea in latere, ait Cajetanus.

Tertio, Bellarminus, lib. I *De Missa*, cap. XII : In Eucharistia, inquit, corpus Christi *frangitur*, id est dividitur et destruitur, dum scilicet sub distinctis et diversis speciebus panis et vini Deo immolatur, sumitur, consumitur, ut Christum passum et occisum repræsentet. Hinc Chrysostomus : « Fractio, inquit, corporis in Sacramento significatio est passionis et fractionis in cruce. » Unde et tropologice hæc fractio significat mortificationem. Vide S. Dionysium, *Ecclesiast. Hierar.* cap. III.

Vers. 23. Calicis consecratio.

23. Similiter et calicem (accepit Christus) postquam cœnavit, dicens : Hic calix novum testamentum est in meo sanguine. — Nota : Christus postquam cœnavit cœnam mysticam agni paschalis, et deinde communem aliorum ciborum, tunc demum tertiam cœnam Eucharisticam instituit. Nota *secundo* : Gentiles post epulum sacrificabant, scilicet pro epulatione quasi gratias agentes Deo suo, illi libabant illiusque laudes coronati decantabant. Vide Athenæum, lib. I, cap. IX, et lib. XV, cap. XX. Sic *Æneid.* VIII, Evander Herculi libat :

> Postquam exempta fames epulis, mensæque remotæ, etc.
> Quare agite, o juvenes, tantarum in munere laudum,
> Cingite fronde comas, et pocula porgite dextris.
> Communemque vocate Deum, et date vina volentes.

Ritus Judæorum in sacrificio agni paschalis.

Vide et Gyraldum, *De Diis Gentium*, in fine operis. Idem Judæos facisse in sacrificio agni paschalis docent Ritualia antiqua Hebræorum ; scilicet, peracta cœna, paterfamilias accipiebat tortam azymam, eamque frangebat in tot partes, quot erant discumbentes, sicque divisam singulis porrigebat, dicens : « Iste est panis ærumnæ, quem comederunt patres nostri in terra Ægypti : quisquis esurit, accedat, et peragat pascha. » Deinde ipse poculum accipiebat et benedicebat, dicens : « Benedictus es, Domine, qui fructum vitis creasti, » etc. Sicque illud gustabat, gustatum dabat proximo, ille dabat vicino suo, et sic deinceps, donec per omnes circumferretur.

Cur ante institutionem Eucharistiæ Christus consecravit ?

Borum morem Christus hic sequitur instituens Eucharistiam, idque ut hoc quasi ultimum vale, ac testamentum, atque extremæ charitatis suæ symbolum et demonstrationem discipulis et nobis daret ; utque typus agni præiret veritatem Eucharistiæ. Atque hæc est causa cur prius Christus cœnaverit, et postea ultimo loco celebraverit et instituerit Eucharistiam. Jam autem (ut superius dixi) ob reverentiam tanti Sacramenti ex Apostolica traditione nonnisi a jejunis sumitur Eucharistia.

Sanguis Christi est novum testamentum, quo sensu ?

Hic calix novum testamentum est in meo sanguine. — *q. d.* Hic est instrumentum authenticum et quasi charta, in qua scriptum et consignatum est novum testamentum, id est, sancitum est novum fœdus, novaque promissio divina et ultima voluntas mea consignata est, de æterna hæreditate vobis danda, si mihi credatis et obediatis : scriptum est, inquam, non litteris atramenti, sed in sanguine meo, quem continet hic

talix, sicut charta continet scripturam testamenti.

Dices, Matthæus et Marcus habent : « Hic est sanguis testamenti ; » quomodo ergo Paulus ait : « Hic calix, id est sanguis in calice contentus, est testamentum ? »

Respondeo : « Testamentum » dupliciter sumitur : *Primo*, pro ultima voluntate testatoris ; sic Matthæus et Marcus vocant « sanguinem testamenti, » id est sanguinem quo confirmata est ultima voluntas Christi.

Dupliciter sumitur *testamentum*.

Secundo, « testamentum » significat scripturam, vel instrumentum hujus ultimæ voluntatis. Sic sumit hic Paulus, adeoque ipsum sanguinem vocat « testamentum. »

Alludit Christus ad fœdus Moysis inter Deum et populum, sanctum sanguine victimarum, *Exodi* XXIV, quod allegorice hoc fœdus Christi sanguine sanctum significabat.

Nota : Alludit hic Christus ad fœdus Moysis inter Deum et populum, sanctum sanguine victimarum, *Exodi* XXIV, quod allegorice hoc fœdus Christi sanguine sanctum significabat.

Pro quo nota *secundo* : Solebant veteres fœdera victimis et sanguine sancire. Unde Livius, lib. I, loquens de fœdere inter Romanos et Albanos inito : « Positis, inquit, fœderis legibus ajebat fecialis : Populus Romanus prior non deficiet ; si prior defecerit, publico consilio, dolo malo, tu illo die, Jupiter, populum Romanum sic ferito, ut ego hunc porcum hodie feriam ; tantoque magis ferito, quanto magis potes pollesque ; et mox porcum saxo silice percussit. » Et Virgilius, lib. VIII *Eneid.*, de Romulo et Tatio :

Pro quo nota *secundo* : Solebant veteres fœdera victimis et sanguine sancire. Unde Livius, lib. I, loquens de fœdere inter Romanos et Albanos inito : « Positis, inquit, fœderis legibus ajebat fecialis : Populus Romanus prior non deficiet ; si prior defecerit, publico consilio, dolo malo, tu illo die, Jupiter, populum Romanum sic ferito, ut ego hunc porcum hodie feriam ; tantoque magis ferito, quanto magis potes pollesque ; et mox porcum saxo silice percussit. » Et Virgilius, lib. VIII *Eneid.*, de Romulo et Tatio :

Formula fœderis apud Romanos.

Arcemit Jovis ante aram, paterasque tenentes,
Stabant, et cæsa jungebant fœdera porca.

Unde dictum sit fœdus ?

Unde et putant nonnulli fœdus dictum a fœdo, scilicet animali, puta porco, quia in fœdere mactabatur, indeque phrasim manasse, qua fœdus ferire, percutere, icere dicimur. Idem et multo ante inter fideles et veri Dei cultores usu receptum fuit. Hinc *Genes.* XV, 9, 10, 17, Dominus in signum et confirmationem fœderis cum Abraham initi jussit immolari bovem, arietem et caprum, dividitque per medium : quo facto lampas Deum significans per medias divisiones pertransiit, indicans ita dividendum fore, qui fœdus rumperet. Vide Jeremiam, cap. XXXIV, vers. 18, unde ברית *berit*, id est fœdus, hebraice plerique a כרת *batar*, id est dividere, per metathesin deducunt. Hinc Cyrillus, lib. X *Contra Julian.*, sub finem, ex Sophocle docet apud posteriores id servatum, scilicet ut ountes per medium ignem, et ferrum manibus ferentes facerent juramenta. Idem factum in fœdere Dei cum Moyse et Judæis, *Exodi* XXIV. Sanguis enim victimarum divisus est, ut significaretur eum, qui pactum violaret, simili modo sanguine suo violatam fœderis fidem luiturum. Quia vero pactum feriebatur inter Deum et populum, oportebat ut tam Deus quam Israel sanguinem dividerent, eoque aspergerentur ; et cum Deus sit incorporeus, ut sanguine aspergi non posset, hinc altare sacrificiorum ejus vice sanguine tinctum fuit.

Fœdus Dei cum Abraham.

Quare sanguis victimarum divisus violabatur in fœdere ?

Simili modo Christus Dominus novum fœdus et testamentum sanxit seipso et sanguine suo, quasi victima et sanguine victimæ fœderalis ; præsertim quia hac victima et sanguine promerut nobis redemptionem, gratiam, hæreditatem et omnia bona quæ in hoc fœdere suo nobis promisit, *ad Hebr.* cap. IX, vers. 15 et seq. Idque expressit hic in institutione Eucharistiæ, dicens : « Hic calix novum testamentum est in meo sanguine, » id est, ut S. Matthæus clarius explicat : « Hic est sanguis novi testamenti. » Unde contra Sacramentarios validum pro veritate corporis Christi interqueas argumentum : si enimvero sanguine vetus sanctum est fœdus, isque intelligitur cum dicitur *Exodi* XXV, 8 : « Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum ; » utique et vero sanguine sanctum est fœdus novum, isque intelligitur cum dicitur : « Hic est sanguis novi testamenti. » Hic enim vetus, novi et veri erat typus, ad quem certum est Christum hic respexisse.

Novum fœdus Christus suo sanguine sanxit.

Dices : Christus vocat « sanguinem novi testamenti, » non fœderis, uti suum vocat Moses, *Exodi* XXIV ; ergo dissimilis est hæc sanguinis lustratio.

Respondeo, hic « testamentum » dupliciter accipi : *primo*, speciatim pro ultima testatoris voluntate, vel ejus instrumento authentico, quæ quando conditionata est, promissio illius fœderis vel pacti rationem induit : imo licet absoluta voluntas sit, semper tamen mutuam involvit obligationem testatoris quidem ad dandam hæreditatem, hæredis vero ad debita, voluntatem, et onera testatoris subeunda. Quia ergo testamentum ultimam voluntatem, quæ quasi pactum quoddam maximum et firmissimum est, continet et significat ; hinc *secundo*, extensa ejus significatione, accipitur *testamentum* pro quovis pacto, promissione, fœdere, ut docet S. Hieronymus, in u *Malachiæ*, et Innocentius, cap. *Cum Marthæ, De celebrat. Miss.*, et S. Augustinus, lib. *Locutionum in Genes.*, Locut. 94. Sic græcum διαθήκη, quod speciatim *testamentum* significat, aliquando pactum significat et promissionem, uti probat Budæus ; et aperte pro fœdere accipitur *Genes.* IX, 13 ; *Psalm.* LIV, 21 ; *Psalm.* LXXXVIII, 4, 29, 35 ; *Psalm.* CV, 45. Hinc factum est ut Hebræum ברית *berit*, quod proprie fœdus significat, passim et hic et alibi Septuaginta διαθήκη, testamentum, ut et S. Hieronymus, *Zachariæ* IX, 11, quasi idem sint ברית *berit*, διαθήκη, testamentum, fœdus et pactum. Sic *Psalm.* LXXXII, 6, dicitur : « Adversum te testamentum disposuerunt (id est, *fœdus inierunt*) tabernacula Idumæorum et Israelitæ. » I *Macchab.* I, 12 : « Eamus et disponamus testamentum cum gentibus, » id est, fœdus pangamus cum gentibus. *Psalm.* LXXVII, 10 : « Non custodierunt testamentum Dei, » id est, pactum Dei, scilicet pacti conditiones, puta leges Dei ; unde de more idipsum posteriore hemistichio explicans subdit : « Et in lege ejus noluerunt ambulare. » « Recte, inquit S. Hieronymus, *in Jerem.* XXXI, testamentum appellatur pactum, quia in eo voluntas atque testatio eorum qui pactum ineunt, confinetur. »

Aliquando de testamento significat pactum.

Quare pactum testamentum appellet, etc.

Hinc rursum factum est ut Christus et S. Paulus, Septuaginta secuti, per *sanguinem testamenti* intelligant sanguinem fœderis, sive in genere, sive maximi et arctissimi illius, quod morte testatoris obsignatur : tam enim primo quam secundo modo accipi potest hic *testamentum*. *Primo* quidem : Eucharistia enim sanguinem Christi, ut arrham nobis dat promissionis et pacti de æterna hæreditate, sive fœderis de ea nobiscum initi.

Secundo vero modo, quia fœdus hoc ultima fuit voluntas Christi, adeoque fœdus testamentarium, maximum et firmissimum. Unde et docet Apostolus Christum testatorem morte sua testamentum hoc obsignasse. De hoc Christi fœdere plura dicam *ad Hebr.* VIII, 10.

Christus perfecte.

Hoc facite — quod ego jam feci : nimirum consecrate, offerte in sacrificium, sumite, distribuite Eucharistiam, uti ego consecravi, obtuli, sumpsi, distribui. Unde hic Apostoli ordinati sunt sacerdotes. Ita Concilium Tridentinum, sess. XXII, cap. I, ex Ecclesiæ perpetuo consensu.

Primum argumentum pro Eucharistiæ sacrificio.

Dices : Christus non dicit hic : Ego sacrificavi, vos etiam sacrificate.

Ubi et quando Apostoli ordinati sint sacerdotes ? Essentia sacrificii Missæ est in ipsa consecratione.

Respondeo : Similiter non dixit : Ego Sacramentum institui, vos hoc sacramentum, hanc cænam celebrate. Nec in cruce dixit : Ego me offero in sacrificium, sed reipsa hoc fecit. Sic et consecratio hæc erat realis oblatio sacrificii, quia per eam, quasi realem transmutationem et transsubstantiationem in honorem Dei ponebatur et offerebatur nobilissima victima Deo, scilicet corpus Christi, idque in speciem occisi et mortui animalis ; scilicet corpus separatum a sanguine, quantum est ex parte consecrationis.

In sacramentis semper est mactatio obligatio.

Secundum argumentum pro Eucharistiæ sacrificio.

Secundo, Eucharistiam esse sacrificium, innuit ea *postquam cænavit*, q. d. Post agni sacrificium typicum instituit Christus verum et nobile Eucharistiæ sacrificium per agnum adumbratum : cumque agnus paschalis fuerit sacrificium et typus Eucharistiæ, ut omnes docent, sequitur et Eucharistiam esse sacrificium.

Tertium.

Tertio, vox testamenti innuit idem Eucharistiæ sacrificium : sanguis enim quo fœdera sanciebantur, erat sanguis victimarum. Sicut ergo cum dicitur *Exodi* XXIV, 8 : « Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum, » intelligitur sanguis victimarum et sacrificii, quo sancitum est fœdus vetus ; ita cum dixit Christus : « Hic est sanguis testamenti, » debet intelligi sanguis sacrificii, quo sancitum est novum Testamentum, quod per vetus fœdus, sanguinem et sacrificium fuit præfiguratum. Denique in sola Eucharistia Christus proprie et perfecte est sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Nam in cruce (si victimam quæ que mactationem, oblationes et sanguinis effusionem spectes) Christus non fuit sacerdos secundum ordinem Melchisedech, sed secundum ordinem, id est similitudinem, Aaron. Ita Patres, quos vide apud Bellarminum, lib. I *De Missa*, cap. VI et XII, estque hic sensus Ecclesiæ et consensus omnium sæculorum.

Est sacerdos dupliciter.

Dices : Eucharistia est commemoratio sacrificii crucis, ergo non est sacrificium. Respondeo : Nego consequentiam, sic enim vetera sacrificia erant vera sacrificia, etiamsi repræsentarent sacrificium crucis. Pari modo Eucharistia est verum sacrificium, etsi fiat in commemorationem sacrificii crucis.

Objectio solvitur.

26. QUOTIESCUNQUE MANDUCABITIS PANEM HUNC, ET CALICEM BIBETIS, MORTEM DOMINI ANNUNTIABITIS, — tum verbo (hinc in Canone Missæ dicitur : Unde et nos memores tam beatæ passionis), tum potius factis et rebus, repræsentabitis non tam vobis quam populo mortem Christi : Ita Anselmus, Theophylactus, Ambrosius. Pro *annuntiabitis*, Syrus vertit, *in memoriam revocabitis* : Hebræum enim הזכיר *hazkir*, significat commemorare, annuntiare, concionari, prædicare.

Vers. 26.

Moraliter Theophylactus : « Eo, inquit, affectu debetis esse imbuti cum sumitis Eucharistiam, perinde quasi in illa ipsa Christi essetis vespera, adeoque cœna, eidemque accumberetis toro, et ab ipso Christo acciperetis sacrum istud : illa enim ipsa est cœna, et illam ipsam mortem annuntiamus, id est demonstramus, usque ad secundum ejus adventum. »

Quo affectu facto sumenda Eucharistia ?

Nota, mortem suam præ vitæ suæ gestis aliis jubet Christus annuntiari, quia morte consummatum est Christi testamentum, et ultima voluntas, ac redemptio nostra, et extremus Christi in nos amor, quo pro nobis mortem subiit, quorum omnium memoriale est Eucharistia.

Quare Christus maxime jubeat annuntiari mortem suam ?

Tropologice, S. Basilius in *Regula breviori*, Reg. 234 : « Mortem Domini annuntiamus cum morimur peccato, vivimus Christo ; seu, cum mundus nobis crucifixus est, et nos mundo. »

Eucharistia sacrificium perfecte discipulis sumenda usque ad Christum venturum et Antichristum, qui illud tollet.

Tropologice, S. Basilius in *Regula breviori*, Reg. 234 : « Mortem Domini annuntiamus cum morimur peccato, vivimus Christo ; seu, cum mundus nobis crucifixus est, et nos mundo. »

Denique nota cum S. Hippolyto, tract. *De Consummatione sæculi*, Chrysostomo, Theophylacto, Eucharistiæ sacrificium et sacramentum publice duraturum usque ad secundum Christi adventum, et Antichristum, qui illud tollet, saltem ne publice fiat, fierive possit, ut prædixit Daniel cap. XII, vers. 11. Hoc significat Paulus, dum ait : « Donec veniat, » supple, ipse Dominus gloriosus ad judicium. Unde, ut ait D. Thomas, patet ritum hunc Eucharistiæ duraturum usque ad finem mundi.

27. QUICUNQUE MANDUCAVERIT PANEM HUNC, VEL BIBERIT CALICEM DOMINI INDIGNE, REUS ERIT CORPORIS ET SANGUINIS DOMINI, — violati nimirum, indigne sumpti et tractati, ut a Juda et Judæis tractatus fuit. Ita Photius, Theophylactus et Chrysostomus. « Reus est talis, ait Chrysostomus et Theophylactus, cæd s Dominicæ, ac si Dominum occidisset et Christi sanguinem effudisset. » Quod commoda

Vers. 27.

et per proportionem quamdam accipit : nam absolute magis peccatum fuit homicidium, imo deicidium Christi, quam communio et sumptio Eucharistiæ indigna, sicut major injuria est regem occidere, quam conspuere aut conspurcare. Chrysostomo consentit Ambrosius, in cap. X *Hebr.* : « Hoc peccato, ait, conculcatur corpus Domini. »

Vim infert corpori Christi qui illud indigne sumit.

Et Cyprianus, serm. *De Lapsis* : « Vis, inquit, infertur corpori Domini, et ore ac manibus in Dominum delinquitur. » Vide eum, et optime id tractantem Basilium, serm. 2 *De Baptismo*, cap. III. Sicut enim regi gravem injuriam facit, qui ejus mensæ accumbit, retinens hostilitatem contra eum in animo : sic et qui cum peccato mortali accumbit mensæ Christi ; et longe magis, quia ipsum Christum manducat, et in corde hostili recipit.

Nota *vel biberit* : ergo sufficit altera species in communicando et manducando S. Eucharistiam.

Secundo, hinc patet, in Eucharistia verum esse Christi corpus. Non enim de nudo signo verum est, quod qui illud indigne sumit, reus erit corporis et sanguinis Domini. Adde, si cum Calvino dicas eum qui indigne communicat, reum esse corporis Domini, non quia illud in se, sed quia ejus imaginem, scilicet Eucharistiam, violavit : inde saltem sequitur, imagines (qualem aiunt esse Eucharistiam) esse venerandas, et iconoclastas qui eas violant, reos esse corporis et sanguinis, tum Christi, tum Sanctorum : quomodo ergo Calvinus cum suis eas frangere et temerare audet ?

Hæresis hic capitur Calvinus, et asseritur venerari imagines.

Vers. 28. 28. PROBET AUTEM SEIPSUM HOMO, ET SIC DE PANE ILLO EDAT. — « Probet, » hoc est se examinet, num aptus sit et digne dispositus ad tanta mysteria ; atque ad ea decenter et congrue se purget et præparet, non ut examinet an habeat fidem (ut vult Calvinus : illam enim præsupponitur habere ; loquitur enim Apostolus de fidelibus Corinthiis ; et secundum Calvinum quisque certissimus est, fide divina credere debet se habere hanc fidem, ut secundum Calvinum examine non sit opus), sed an sibi sit conscius alicujus peccati, maxime mortalis, v. g. ebrietatis ac superbiæ, ut dixi vers. 21, illudque purget contritione et confessione. Hanc enim confessionis probationem ex jure divino, seu Christi institutione requirere et intelligere Apostolum docet Concilium Tridentinum, sess. XIII, can. 7. Idem MCC annis ante Concilium Tridentinum docuit S. Leo, epist. 91 *ad Theodor. Forojul.*, et Cyprianus, serm. *De Lapsis*. Deinde « probet se » ita, ut venialia peccata, eorumque radices serio proposito et pia ad Deum oratione evellere conetur. Ita Chrysostomus et Ambrosius. Hinc Christus post cœnam agni et communem, ante Eucharistiam, lavit pedes discipulorum, etiam Judæ, ut significaret qua puritate ad tanta mysteria accedendum sit, Joan. XIII.

Quomodo homo debeat se præparare ante sumptam communionem ?

Ad hanc probationem stimulus acer est, si serio cogitetur id quod ait S. Gregorius, lib. IV *Dialog.*, cap. LVIII : « Hæc singulariter victima ab æterno interitu animam salvat, quæ illam nobis mortem Unigeniti per mysterium reparat, qui licet resurgens a mortuis jam non moritur, et mors ei ultra non dominabitur, tamen in semetipso immortaliter atque incorruptibiliter vivens pro nobis iterum in hoc mysterio sacræ oblationis immolatur. » Et paulo inferius : « Quis enim fidelium habere dubium possit, in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo Jesu Christi mysterio angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena cœlestibus jungi, unum quoque ex visibilibus atque invisibilibus fieri. » Unde mox cap. LIX, subdit : « Sed necesse est, ut cum hæc agimus, nosmetipsos Deo in cordis contritione mactemus : quia qui passionis Dominicæ mysteria celebramus, debemus imitari quæ agimus. Tunc enim vere pro nobis hostia erit Deo, cum nos ipsos hostiam fecerimus. »

Cogitetur et istud nostri Thomæ Theodidacti, lib. IV *De Imitat. Christi*, II : « Ita magnum, novum et jucundum tibi videri debet, cum celebras aut Missam audis, ac si eodem die Christus primum in uterum Virginis descendens homo factus esset, aut in cruce pendens pro salute hominum pateretur et moreretur. » Hoc cogitabat, hoc faciebat S. Cassius, Narniensis Episcopus, « Cui, ut scribit S. Gregorius, hom. 37 *in Evang.*, mos erat quotidianas Deo hostias offerre, cumque ad horam sacrificii venisset, velut totus in lacrymas defluens, semetipsum cum magna cordis contritione tractabat. » Unde a Domino audire meruit : « Age quod agis, operare quod operaris ; non cesset pes tuus, non cesset manus tua : natali Apostolorum venies ad me, et retribuam tibi mercedem tuam. » Mortuus ergo in festo S. Petri et Pauli, evolavit in cœlum. Ita et S. Gregorius quotidie Missam magna cordis compunctione et preparatione celebrabat ; cumque quadam vice comperisset quemdam pauperem in loco semoto mortuum esse repertum, Missa per aliquot dies abstinuit, deditque se lamentis ut expiaret culpam, quasi sua negligentia pauper ille fame mortuus esset, cum tamen ipsius charitas et sollicitudo esset tanta, ut omnibus pauperibus non tantum Romæ, sed et totius pene Italiæ de necessariis vitæ provideret. Ita S. Thomas de Aquino, etiam moriturus, per uberes lacrymas ad S. Synaxim se comparabat.

29. QUI ENIM MANDUCAT ET BIBIT INDIGNE, JUDICIUM SIBI MANDUCAT ET BIBIT (id est damnationem, ait Chrysostomus), NON DIJUDICANS CORPUS DOMINI, — sed eo tanquam promiscuo, communi et indifferenti cibo utens. Ita Photius et Anselmus. Nam, ut ait S. Justinus, in orat. *ad Antoninum Pium Imperatorem* : « Nos Christiani Eucharistiam non ut communem cibum sumimus, sed credimus quod, sicuti per verbum Dei, Dei Filius factus est homo, ita per verba consecrationis in Eucharistia fiat et

fit caro et sanguis Christi. » Quocirca S. Franciscus scribens ad sacerdotes Ordinis sui, ut habetur tom. V *Bibliothecæ SS. Patrum*, in fine : « Audite, inquit, fratres mei, si B. Virgo honorificatur (ut par est), quæ ipsum portavit sanctissimo utero suo ; si B. Joannes Baptista contremuit, et non audebat tangere Domini verticem ; si sepulcrum, in quo per aliquod tempus jacuit, sic veneratur : quantum debet sanctus, justus et dignus, qui non jam moriturum, sed in æternum victurum, et glorificatum, in quem desiderant angeli prospicere, contractat manibus, corde et ore sumit, et aliis ad sumendum præbet, percelli et contremiscere ? » Et mox : « Magna et miseranda infirmitas, quando ipsum sic præsentem habetis, et aliquid aliud in toto mundo curatis. Totus homo paveat, totus mundus contremiscat, et cœlum exultet, quando super altare in manibus sacerdotis est Christus Filius Dei vivi. »

Vers. 30. Quam pœnas luerunt qui indigne communicant?

30. IDEO INTER VOS MULTI INFIRMI. — Sic hodie, ait Anselmus, multi post pascha variis morbis corripiuntur, quia indigne corpus Domini acceperunt.

ET DORMIUNT MULTI, — præmature moriuntur, vel potius mortui sunt (ob indigne et sine probatione sumptam Eucharistiam), et in morte quiescunt : hi enim proprie dormire dicuntur. Sic Anselmus et Chrysostomus. Imo ob hoc peccatum vexabantur a dæmone. Testis est S. Chrysostomus in I *ad Timoth.*, hom. 5. Exempla habet S. Cyprianus, serm. *De Lapsis* ; scilicet quidam qui gustarat idolothyta, postea Eucharistiam, obmutuit ; alius linguam discerpsit ; puella, gustatis idolothytis, evomuit Eucharistiam. Hinc notat prudenter et pie Franciscus Suarez, linguam sacerdoti et communicaturo maxime esse custodiendam ; quia lingua primum est membrum, quod Christum recipit, et quasi vehiculum illius in stomachum.

Lingua maxime sacerdoti custodienda.

Vers. 31. Judicare triplex.

31. QUOD SI NOSMETIPSOS DIJUDICAREMUS. — « Dijudicaremus, » id est *primo* puniremus. Ita Latini. *Secundo*, condemnaremus. Ita Græci. *Tertio*, probaremus, examinaremus, discuteremus, ut si quid peccati inveniamus, illud contritione et confessione expiemus, ut jussit vers. 28. Ita Cajetanus et Cagnetus. Hoc tertium est aptissimum : nam hoc est proprie διακρίνειν, *dijudicare*.

NON UTIQUE JUDICAREMUR. — Non in judicio divino puniremur. Græce εἰ γὰρ ἑαυτοὺς διεκρίνομεν, οὐκ ἂν ἐκρινόμεθα, *si nos ipsos judicassemus, non utique judicati*, id est per judicium Dei morbis et morte, ut dixit vers. 30, puniti, *fuissemus*. Ita Erasmus, Vatablus et alii. Vere S. Augustinus in *Sententiis*, Sent. 210 : « Peccata, ait, sive parva, sive magna, impunita esse non possunt ; quia aut homine pœnitente, aut in judicio Deo judicante plectuntur. Cessat autem vindicta divina, si conversio præcurrat humana. Amat enim Deus confitentibus parcere, et eos qui semetipsos judicant, non judicare. »

32. DUM JUDICAMUR AUTEM (dum scilicet punimur

in præsenti vita per morbos et mortem), A DOMINO CORRIPIMUR, UT NON CUM HOC MUNDO (id est cum infidelibus et peccatoribus mundi) DAMNEMUR, — sed ut hac Dei castigatione admoniti, per pœnitentiam peccatum hoc indignæ communionis expiemus, itaque salvemur. Ita S. Augustinus in *Sententiis*, num. 274 : « Quando, ait, corripit Deus genus humanum, et flagellis piæ castigationis exagitat, exercet ante judicium disciplinam, et plerumque diligit quem flagellat, nolens invenire quem damnet (1). »

33. ITAQUE, FRATRES MEI, CUM CONVENITIS AD MANDUCANDUM, INVICEM EXSPECTATE. 34. SI QUIS ESURIT, DOMI MANDUCET. — Nota, jubet hic Apostolus ut, post synaxim, invicem omnes exspectent pro agape celebranda : vel potius, ut dixi vers. 21, ut invicem exspectent pro cœna prævia synaxi, ut scilicet ante synaxim simul ad cœnam hanc omnes conveniant communi charitate et concordia, in eaque modeste et sobrie sese reficiant, ut non indigne, scilicet in ebrietate et discordia, accedant deinde ad corpus Domini sumendum. Si quis commune hoc prandium, vel potius cœnam, exspectare non possit, jubet Apostolus ut egrediatur potius domum, ibique comedat. Ad ruborem eorum hoc dicit : ita Theophylactus, Œcumenius, Chrysostomus.

Communicaturi toto eo die jejunarent usque ad cœnam communem ; ideo enim esurientes ad eam venisse ait Apostolus. Aliter Anselmus : « Si, inquit, non potest quis exspectare sanctam synaxim jejunus, domi manducet, sed ita ut postea non communicet in ecclesia. » Verum prior sensus genuinus est (2).

Communicaturi toto die jejunabant usque ad cœnam communem.

UT NON IN JUDICIUM (puta in condemnationem, ob superbiam, gulam, ebrietatem, inobedientiam) CONVENIATIS.

CÆTERA AUTEM, CUM VENERO, DISPONAM. — « Cætera, » nimirum quæ spectant ad dignam et honestam Eucharistiæ celebrationem. Est hic locus illustris pro traditionibus Ecclesiasticis. Vide S. Augustinum, *epistola* 118 : « Talis, ait S. Augustinus, traditio est, ut Eucharistia sumatur a jejunis, cum tamen Christus post cœnam eam instituerit. » Rursum, ut vino aqua immisceatur. Ita S. Cyprianus, epist. 63 *ad Cæcilianum*. Rursum, ut Missa pro vivis et defunctis offeratur, idque tali ritu, ornatu sacerdotis, altaris, etc.

Nota olim hoc ritu Christianos communicasse : *Primo*, jejunabant usque ad cœnam Dominicam, ut colligitur vers. 34 : « Si quis esurit,

(1) Alii aliter interpungendum censent, scil. : *Si autem punimur a Domino* (hujus vitæ malis), *castigamur, ne*, etc.

(2) Alii ἐκδέχεσθε, *exspectate*, ponitur pro ἀσπάζεσθε, *benigne et amice eos invicem excipite et tractate*.

Si quis esurit de diebus dicitur, quos non vult Paulus tamen integrum ad hanc cœnam communem afferre atque explere. Nam ad mutuam charitatem illustrandam illi agapæ, et usus Eucharistiæ

In communicando vino et potando. domi manducet. » Secundo, populus panem et vinum offerebat in ecclesia certo loco Diaconis; hi ferebant ad altare: communicaturis apponebantur tabellæ, quasi mensulæ, uti hodie ad mensam linteo stratam communicat populus. Ante communionem clamabat præco: « Sancta sanctis. » Tum sacerdos dabat dicens: « Corpus Christi. » Respondebat accipiens: « Amen. » Illud autem accipiebant non ore, sed manu, viri nuda dextera superposita sinistræ per modum crucis: unde et manus ante lavabant; feminæ vero manu velata mundo linteo, quod Dominicale vocabatur, ut jubet Concilium Altisiodorense, *can.* 36: « Non licet, inquit Concilium, muliori nuda manu Eucharistiam sumere. » Et *can.* 39: « Unaquæque mulier, quando communicat, Dominicale suum habeat. Quod si non habuerit, usque in alium diem Dominicum non communicet. » Et Cyrillus Hierosolymitanus, *catechesi* 5 *mystag.*: « Accedens autem ad communionem, inquit, non expansis manuum volis accede, neque cum disjunctis digitis, sed sinistram veluti sedem quamdam subjicias dextræ, quæ tantum Regem susceptura est, et concava manu suscipe corpus Christi, dicens: Amen. » Quinimo idipsum sanxit VI Synodus Constantinopolitana, *can.* 101, qui sic habet: « Si quis immaculati corporis, in synaxis tempore esse particeps voluerit, etiam antequam ejus fiat communio, manus in crucis formam figurans sic accedat, et gratiæ communionem accipiat: eos enim qui ex auro, vel alia materia, quædam loco manus receptacula efficiunt, et per ipsa immaculatam communionem recipiunt, minime admittimus, ut qui inanimatam materiam Dei imagini præferant. » Deinde quisque manu sua acceptam Eucharistiam, in os ingerebat, scilicet sub una specie panis, eamque quotidie jejuni sumebant. Tempore S. Cypriani sumebant quoque Eucharistiam sub specie vini, ut in persecutionibus per susceptionem sanguinis Christi magis animarentur ad martyrium et sanguinis effusionem pro Christo. Unde et S. Cyprianus, epist. 56 *ad Thibaritanos*: « Gravior, inquit, nunc et ferocior pugna imminet, ad quam virtute incorrupta, et fide robusta parare se debent milites Christi, considerantes ideirco se quotidie calicem sanguinis Christi bibere, ut possint et ipsi propter Christum sanguinem fundere; » quia, ut ait S. Chrysostomus, « quasi leones ignem spirantes ab illa mensa recedimus, facti dæmonibus terribiles. »

Quid contrarium Protestantibus? Quo loco pro quare Eucharistia in altari sub specie vini?

CAPUT DUODECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Transit Apostolus, et tribus sequentibus capitibus disputat de gratiis, tum gratis datis, tum gratum facientibus. Hoc capite docet primo, gratias gratis datas varie a Spiritu Sancto distribui.

Secundo, vers. 12, *ad hoc utitur exemplo corporis humani, quod licet unum sit, multa tamen et varia habet membra: indeque concludit, quemlibet in Ecclesia suo gradu et gratia contentum, debere illo fungi et uti ad commune bonum; ut quasi membra invicem se omnes juvent et foveant.*

Hinc tertio, vers. 28, *asserit Christum providisse Ecclesiæ de variis hominum statibus, ut alii sint Apostoli, alii Prophetæ, alii Doctores, etc.*

1. De spiritualibus autem nolo vos ignorare, fratres. 2. Scitis quoniam cum Gentes essetis, ad simulacra muta prout ducebamini euntes. 3. Ideo notum vobis facio, quod nemo in Spiritu Dei loquens, dicit anathema Jesu. Et nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto. 4. Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem Spiritus: 5. et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus: 6. et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus. 7. Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. 8. Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ: alii autem sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum: 9. alteri fides in eodem spiritu: alii gratia sanitatum in uno spiritu: 10. alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. 11. Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult. 12. Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt: ita et Christus. 13. Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive Gentiles, sive servi, sive liberi: et omnes in uno spiritu potati sumus. 14. Nam

et corpus non est unum membrum, sed multa. 15. Si dixerit pes: Quoniam non sum manus, non sum de corpore: num ideo non est de corpore? 16. Et si dixerit auris: Quoniam non sum oculus, non sum de corpore: num ideo non est de corpore? 17. Si totum corpus oculus, ubi auditus? Si totum auditus, ubi odoratus? 18. Nunc autem posuit Deus membra, unumquodque eorum in corpore sicut voluit. 19. Quod si essent omnia unum membrum, ubi corpus? 20. Nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus. 21. Non potest autem oculus dicere manui: Opera tua non indigeo; aut iterum caput pedibus: Non estis mihi necessarii. 22. Sed multo magis quæ videntur membra corporis infirmiora esse, necessariora sunt; 23. et quæ putamus ignobiliora membra esse corporis, his honorem abundantiorem circumdamus; et quæ inhonesta sunt nostra, abundantiorem honestatem habent. 24. Honesta autem nostra nullius egent: sed Deus temperavit corpus, ei, cui deerat, abundantiorem tribuendo honorem, 25. ut non sit schisma in corpore, sed idipsum pro invicem sollicita sint membra. 26. Et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra; sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra. 27. Vos autem estis corpus Christi, et membra de membro. 28. Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum. 29. Numquid omnes Apostoli? numquid omnes Prophetæ? numquid omnes Doctores? 30. numquid omnes virtutes? numquid omnes gratiam habent curationum? numquid omnes linguis loquuntur? numquid omnes interpretantur? 31. Æmulamini autem charismata meliora. Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.

Agit hic Paulus de gratiis gratis datis, ut prophetia, dona linguarum, gratia curationum, etc.; hæc enim fidelibus initio Ecclesiæ affatim a Spiritu Sancto donabantur, ut donata sunt Apostolis in Pentecoste. Occasio agendi de iis erat, quia Corinthii de his donis se jactabant, alii aliis inordinate utebantur, alii dolebant, quod ea non acceperant, quæ aliis data erant. Docet ergo Apostolus, quæ, quales, quantæ sint istæ gratiæ, et quomodo iis uti quisque debeat.

Vers. 1. 1. De spiritualibus (donis scilicet Spiritus Sancti) nolo vos ignorare, fratres, — sed doceo vos ea quæ hic subtexo. Ita Anselmus (1).

Vers. 2. 2. Scitis quoniam cum Gentes essetis, ad simulacra muta prout (seu quædam mancipii) ducebamini (a consuetudine, institutione majorum et sacrificulorum, atque a dæmonis impulsu) euntes, — id est ibatis. Græce ἀγόμενοι, *abducti*, id est abducebamini. Ponitur hic de more Hebræorum participium pro verbo, scilicet præterito imperfecto, juxta *Can.* 29. Sic *Rom.* XII, 11: « Spiritu, inquit, ferventes, » id est fervete; « Domino servientes, » id est servite; « spe gaudentes, » id est gaudete, etc. Ita S. Chrysostomus, *q. d.* Meminerint, o Corinthii, quod cum Gentiles essetis, colebatis idola, id est lapides et saxa muta, quæ nihil habent spiritus, sensus, loquelæ, vigoris aut virtutis, et multo minus suis cultoribus illa communicare possunt. Jam vero facti Christiani colatis Deum, qui est purus spiritus, plenus omni gratia et sapientia, quique hæc ipsa spiritalia sua dona abunde in vos effudit, uti experimini: agnoscite ergo gratiam a Christo vobis factam, agnoscite mutationem vestram, agnoscite et colite horum omnium auctorem Christum, et Spiritum Sanctum. Patet ex eo quod sequitur:

Beatæ Corinthiis ad gratiarum acceptum. Gratiarum beneficium ut esse Christianum?

Vers. 3. 3. Ideo notum vobis facio, quod nemo in Spiritu Dei loquens, dicit anathema Jesu. — Nota: *ideo* deducit hunc versum ex præcedenti, ejusque finem et scopum indicat et explet, *q. d.* Ideo renovavi vobis memoriam vestri gentilismi, et vestrorum idolorum mutorum, ut nimirum cognoscatis, et digne ponderetis æstimetisque vocationem vestram ex gentilismo, ubi simulacra muta invocabatis; et gratiam Spiritus Sancti, quam adepti estis in christianismo, ubi non idola muta, sed Christum et Spiritum Sanctum adstis et invocatis, ab eoque dona linguarum aliaque recipitis, ut sciatis fœcundum et facundum esse Spiritum Sanctum præ mutis idolis, qui vos facit tam disertos, tam sapientes, tam divinos; agnoscite ergo Spiritus Sancti potentiam, ut non contendatis amplius, uti soletis, de gratiis gratis datis, cum omnia habeatis a Spiritu Sancto, quia sua dona distribuit, prout vult; et qui minora accepit, non doleat; et qui majora, non superbiat. Ita Chrysostomus.

Nemo in Spiritu Dei (per Spiritum, vel habens Spiritum Dei) loquens, dicit anathema Jesu, — id est, maledicit Jesu, exsecratur Jesum. Græcos

(1) *Spiritualibus*, hominibus scil., qui facultate aliqua divinitus concessa cæteris præstant: ita multi, sed minus recte.

In communicando vino et potando. domi manducet. » Secundo, populus panem et vinum offerebat in ecclesia certo loco Diaconis; hi ferebant ad altare: communicaturis apponebantur tabellæ, quasi mensulæ, uti hodie ad mensam linteo stratam communicat populus. Ante communionem clamabat præco: « Sancta sanctis. » Tum sacerdos dabat dicens: « Corpus Christi. » Respondebat accipiens: « Amen. » Illud autem accipiebant non ore, sed manu, viri nuda dextera superposita sinistræ per modum crucis: unde et manus ante lavabant; feminæ vero manu velata mundo linteo, quod Dominicale vocabatur, ut jubet Concilium Altisiodorense, *can.* 36: « Non licet, inquit Concilium, muliori nuda manu Eucharistiam sumere. » Et *can.* 39: « Unaquæque mulier, quando communicat, Dominicale suum habeat. Quod si non habuerit, usque in alium diem Dominicum non communicet. » Et Cyrillus Hierosolymitanus, *catechesi* 5 *mystag.*: « Accedens autem ad communionem, inquit, non expansis manuum volis accede, neque cum disjunctis digitis, sed sinistram veluti sedem quamdam subjicias dextræ, quæ tantum Regem susceptura est, et concava manu suscipe corpus Christi, dicens: Amen. » Quinimo idipsum sanxit VI Synodus Constantinopolitana, *can.* 101, qui sic habet: « Si quis immaculati corporis, in synaxis tempore esse particeps voluerit, etiam antequam ejus fiat communio, manus in crucis formam figurans sic accedat, et gratiæ communionem accipiat: eos enim qui ex auro, vel alia materia, quædam loco manus receptacula efficiunt, et per ipsa immaculatam communionem recipiunt, minime admittimus, ut qui inanimatam materiam Dei imagini præferant. » Deinde quisque manu sua acceptam Eucharistiam, in os ingerebat, scilicet sub una specie panis, eamque quotidie jejuni sumebant. Tempore S. Cypriani sumebant quoque Eucharistiam sub specie vini, ut in persecutionibus per susceptionem sanguinis Christi magis animarentur ad martyrium et sanguinis effusionem pro Christo. Unde et S. Cyprianus, epist. 56 *ad Thibaritanos*: « Gravior, inquit, nunc et ferocior pugna imminet, ad quam virtute incorrupta, et fide robusta parare se debent milites Christi, considerantes ideirco se quotidie calicem sanguinis Christi bibere, ut possint et ipsi propter Christum sanguinem fundere; » quia, ut ait S. Chrysostomus, « quasi leones ignem spirantes ab illa mensa recedimus, facti dæmonibus terribiles. »

Quid contrarium Protestantibus? Quo loco pro quare Eucharistia in altari sub specie vini?

CAPUT DUODECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Transit Apostolus, et tribus sequentibus capitibus disputat de gratiis, tum gratis datis, tum gratum facientibus. Hoc capite docet primo, gratias gratis datas varie a Spiritu Sancto distribui.

Secundo, vers. 12, *ad hoc utitur exemplo corporis humani, quod licet unum sit, multa tamen et varia habet membra: indeque concludit, quemlibet in Ecclesia suo gradu et gratia contentum, debere illo fungi et uti ad commune bonum; ut quasi membra invicem se omnes juvent et foveant.*

Hinc tertio, vers. 28, *asserit Christum providisse Ecclesiæ de variis hominum statibus, ut alii sint Apostoli, alii Prophetæ, alii Doctores, etc.*

1. De spiritualibus autem nolo vos ignorare, fratres. 2. Scitis quoniam cum Gentes essetis, ad simulacra muta prout ducebamini euntes. 3. Ideo notum vobis facio, quod nemo in Spiritu Dei loquens, dicit anathema Jesu. Et nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto. 4. Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem Spiritus: 5. et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus: 6. et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus. 7. Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. 8. Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ: alii autem sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum: 9. alteri fides in eodem spiritu: alii gratia sanitatum in uno spiritu: 10. alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. 11. Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult. 12. Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt: ita et Christus. 13. Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive Gentiles, sive servi, sive liberi: et omnes in uno spiritu potati sumus. 14. Nam

et corpus non est unum membrum, sed multa. 15. Si dixerit pes: Quoniam non sum manus, non sum de corpore: num ideo non est de corpore? 16. Et si dixerit auris: Quoniam non sum oculus, non sum de corpore: num ideo non est de corpore? 17. Si totum corpus oculus, ubi auditus? Si totum auditus, ubi odoratus? 18. Nunc autem posuit Deus membra, unumquodque eorum in corpore sicut voluit. 19. Quod si essent omnia unum membrum, ubi corpus? 20. Nunc autem multa quidem membra, unum autem corpus. 21. Non potest autem oculus dicere manui: Opera tua non indigeo; aut iterum caput pedibus: Non estis mihi necessarii. 22. Sed multo magis quæ videntur membra corporis infirmiora esse, necessariora sunt; 23. et quæ putamus ignobiliora membra esse corporis, his honorem abundantiorem circumdamus; et quæ inhonesta sunt nostra, abundantiorem honestatem habent. 24. Honesta autem nostra nullius egent: sed Deus temperavit corpus, ei, cui deerat, abundantiorem tribuendo honorem, 25. ut non sit schisma in corpore, sed idipsum pro invicem sollicita sint membra. 26. Et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra; sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra. 27. Vos autem estis corpus Christi, et membra de membro. 28. Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum. 29. Numquid omnes Apostoli? numquid omnes Prophetæ? numquid omnes Doctores? 30. numquid omnes virtutes? numquid omnes gratiam habent curationum? numquid omnes linguis loquuntur? numquid omnes interpretantur? 31. Æmulamini autem charismata meliora. Et adhuc excellentiorem viam vobis demonstro.

Agit hic Paulus de gratiis gratis datis, ut prophetia, dona linguarum, gratia curationum, etc.; hæc enim fidelibus initio Ecclesiæ affatim a Spiritu Sancto donabantur, ut donata sunt Apostolis in Pentecoste. Occasio agendi de iis erat, quia Corinthii de his donis se jactabant, alii aliis inordinate utebantur, alii dolebant, quod ea non acceperant, quæ aliis data erant. Docet ergo Apostolus, quæ, quales, quantæ sint istæ gratiæ, et quomodo iis uti quisque debeat.

Vers. 1. 1. De spiritualibus (donis scilicet Spiritus Sancti) nolo vos ignorare, fratres, — sed doceo vos ea quæ hic subtexo. Ita Anselmus (1).

Vers. 2. 2. Scitis quoniam cum Gentes essetis, ad simulacra muta prout (seu quædam mancipii) ducebamini (a consuetudine, institutione majorum et sacrificulorum, atque a dæmonis impulsu) euntes, — id est ibatis. Græce ἀγόμενοι, *abducti*, id est abducebamini. Ponitur hic de more Hebræorum participium pro verbo, scilicet præterito imperfecto, juxta *Can.* 29. Sic *Rom.* XII, 11: « Spiritu, inquit, ferventes, » id est fervete; « Domino servientes, » id est servite; « spe gaudentes, » id est gaudete, etc. Ita S. Chrysostomus, *q. d.* Meminerint, o Corinthii, quod cum Gentiles essetis, colebatis idola, id est lapides et saxa muta, quæ nihil habent spiritus, sensus, loquelæ, vigoris aut virtutis, et multo minus suis cultoribus illa communicare possunt. Jam vero facti Christiani colatis Deum, qui est purus spiritus, plenus omni gratia et sapientia, quique hæc ipsa spiritalia sua dona abunde in vos effudit, uti experimini: agnoscite ergo gratiam a Christo vobis factam, agnoscite mutationem vestram, agnoscite et colite horum omnium auctorem Christum, et Spiritum Sanctum. Patet ex eo quod sequitur:

Beatæ Corinthiis ad gratiarum acceptum. Gratiarum beneficium ut esse Christianum?

Vers. 3. 3. Ideo notum vobis facio, quod nemo in Spiritu Dei loquens, dicit anathema Jesu. — Nota: *ideo* deducit hunc versum ex præcedenti, ejusque finem et scopum indicat et explet, *q. d.* Ideo renovavi vobis memoriam vestri gentilismi, et vestrorum idolorum mutorum, ut nimirum cognoscatis, et digne ponderetis æstimetisque vocationem vestram ex gentilismo, ubi simulacra muta invocabatis; et gratiam Spiritus Sancti, quam adepti estis in christianismo, ubi non idola muta, sed Christum et Spiritum Sanctum adstis et invocatis, ab eoque dona linguarum aliaque recipitis, ut sciatis fœcundum et facundum esse Spiritum Sanctum præ mutis idolis, qui vos facit tam disertos, tam sapientes, tam divinos; agnoscite ergo Spiritus Sancti potentiam, ut non contendatis amplius, uti soletis, de gratiis gratis datis, cum omnia habeatis a Spiritu Sancto, quia sua dona distribuit, prout vult; et qui minora accepit, non doleat; et qui majora, non superbiat. Ita Chrysostomus.

Nemo in Spiritu Dei (per Spiritum, vel habens Spiritum Dei) loquens, dicit anathema Jesu, — id est, maledicit Jesu, exsecratur Jesum. Græcos

(1) *Spiritualibus*, hominibus scil., qui facultate aliqua divinitus concessa cæteris præstant: ita multi, sed minus recte.

enim est accusativus, λέγει ἀνάθεμα Ἰησοῦν, id est, ut Syrus, *dicit anathema esse Jesum* (ita legit quoque Hilarius et Tertullianus). Sed potius talis Jesum agnoscit et invocat, quasi auctorem gratiæ, salutis omniumque donorum spiritualium : hoc enim per miosim intelligendum relinquit Paulus.

Nota : Hæc Corinthiis dicit et inculcat Paulus, partim propter Judæos, qui etiam hodie perhibentur in synagogis suis dicere, *Horma*, id est anathema, Jesu et Christianis, ait Cajetanus ; partim et potius propter Gentiles, inter quos vivebant Corinthii ; hi enim, et horum vates, sacerdotes præsertim, maledicebant Jesu. Imo hoc signo explorabant Gentiles, maxime Præsides, an quis esset Christianus, nec ne ; jubebant enim maledicere Christo, uti jussisse se fatetur Plinius, epist. *ad Trajanum* : « Propositus, ait, est libellus multorum nomina continens (qui accusabantur quod essent Christiani), qui negant se esse Christianos, aut fuisse, cum præsente me deos appellarent, et imagini tuæ (quam propter hoc jusseram cum simulacris numinum afferri) thure ac vino supplicarent ; præterea maledicerent Christo, quorum nihil cogi posse dicuntur, qui sunt revera Christiani ; ergo dimittendos putavi. Alii se Christianos fuisse dixerunt, sed esse desisse : hi omnes imaginem tuam et deorum simulacra venerati sunt, et Christo maledixerunt. » Ita Plinius.

Jubebantur olim Christ. et dare Paganis maledicere Christo.

Nemo potest dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto. — Pro *Dominus Jesus*, græce est Κύριον Ἰησοῦν, *Dominum Jesum*. Ita Syrus, Ambrosius, Hilarius, lib. II *De Trinit.* ; Prosperus, lib. II *De Vocat. Gent.*, cap. II ; Origenes, homil. 17 *in Genes.* Opponit enim Apostolus hæc duo, dicere anathema Jesum et dicere Dominum Jesum, id est agnoscere, credere, invocare et prædicare nomen Domini Jesu, ejusque fidem profiteri, scilicet Jesum esse Dominum nostrum, ut vertit Syrus : profiteri, inquam, et invocare uti oportet, et uti profitentur et ad salutem. Hoc facere nemo potest, « nisi in Spiritu Sancto, » id est nisi per Spiritum Sanctum : fides enim, spes et oratio sunt dona Spiritus Sancti.

Quando sanctus possit dicere Jesus, nisi ex Spiritu Sancto.

Nota : Non negat hic Paulus infideles, cum solo concursu Dei generali, posse proferre nomen Jesu, aut de eo habere cogitationem aliquo modo bonam ; sed tantum, neminem absque gratia Christi et Spiritus Sancti, posse per veram fidem et pium affectum serio et ex corde invocare Dominum Jesum, illumque confiteri esse Dominum et Redemptorem nostrum ; aut etiam dicere in corde suo, et cogitare aliquid de eo, quod in suo gradu et ordine, ad remissionem peccatorum, gratiam et finem supernaturalem, id est ad beatitudinem, conferat et disponat. Ita Anselmus et Ambrosius. Et patet, quia loquitur Corinthiis fidelibus, eorumque fastum, quo in donis et gratiis suis superbiebant, reprimit, ex eo quod fidem Christi omniaque dona non a se habeant, sed a Spiritu Sancto, *q. d.* Hæc dona adeo sunt non vestra, sed Spiritus Sancti, ut nec Jesum agnoscere et invocare ex vobismetipsis possitis, sed agnitio hæc et invocatio sit Spiritus Sancti donum (1).

4. Divisiones vero gratiarum sunt, — gratiæ divisæ sunt per Ecclesiam, hæc uni, illa alteri datur et dividitur. Hæ enim Hebræis vocantur מחלקות *machlecot*, id est divisiones.

Idem autem Spiritus, — scilicet est, gratias has distribuens.

5. Et divisiones ministrationum (Græce διακονιῶν, *ministeriorum*) sunt, — *q. d.* Ministeria sacra varie distributa sunt per Ecclesiam.

Idem autem Dominus, — scilicet Jesus Christus est, a quo ut Deo, et per quem ut hominem illa accipimus, quique varie ministeria sua distribuit, ut ei varie a variis ministretur. Ita Anselmus.

6. Et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus. — Nota : Apte Apostolus *gratias*, seu dona tribuit Spiritui Sancto, seu fonti bonitatis ; *ministeria* Filio, seu Domino ; *operationes* Deo, scilicet Patri, quasi primo omnium principio. Ita Theophylactus, Anselmus et alii. Vers. 6.

Concursus Dei non præterit naturam.

Nota *secundo* : *Gratiæ* hic intelliguntur gratis datæ ; *ministeria* sunt officia ministrandi Ecclesiæ, ut episcopatus, diaconatus, præfectura et cura pauperum ; *operationes* sunt miracula, ut expulsio dæmonum, sanatio ægrorum, resuscitatio mortuorum : hæc enim propriissime dicuntur ἐνεργήματα, et, ut vers. 10 se explicans addit, ἐνεργήματα δυνάμεων. Quod Erasmus vertit, *efficaciæ potentiarum* ; Nosler, *operatio virtutum*. Nam δύναμις est potentia, virtus, facultas ; ἐνέργεια vero *actio* ; ἐνέργημα, *opus*, ut ex analogia linguæ græcæ liquet, et ipse Paulus declarat, dum subdit : ὁ ἐνεργῶν τὰ πάντα ἐν πᾶσιν, *qui operatur omnia in omnibus*. Ita Maldonatus in *Notis manuscr.*

Quænam hic sint gratiæ, quæ ministeria, quæ operationes? Prima sententia. Quid ἐνεργήματα?

Verum plenius et apertius dicamus Apostolum omnes gratias gratis datas vocare, *primo, gratias*, quia gratis dantur ; *secundo*, easdem vocare *ministrationes*, vel ministeria, quia per eas quisque ministrabat Ecclesiæ ; *tertio*, illas ipsas vocare *operationes*, græce ἐνεργήματα, *q. d.* efficacias : quia per illas mirificam vim accipiebant fideles a Spiritu Sancto, ut ea dicerent et facerent, quæ vim naturæ et captum hominum superant. Has ergo gratias operatur tam Spiritus Sanctus, quam Pater et Filius. Omnia enim opera ad extra, ut loquuntur Theologi, quæ scilicet in res creatas dimanant, sunt toti Trinitati communia : eadem tamen apte, qua operationes sunt, appropriantur

Secunda et melior.

(1) Commata 2 et 3 sic nectit Allioli : Cum Gentiles essetis, temere, absque ratione ac *spiritu* colebatis idola. Alia Christianos decent. Deus enim quem colitis, *spiritus* est ; spiritu et vos agite. Nemo Christianus dicere potest anathema Jesu, quia in spiritu Dei loquitur ; et cum profert *Dominus Jesus*, id dicit in Spiritu Sancto, nam spiritu Dei instinctus est. Hic autem Spiritus multifariam, variisque donis sese exerit, etc.

Patri ; qua ministrationes, Filio ; qua gratiæ, Spiritui Sancto, ut dixi.

Deus operatur omnia naturalia per concursum universalem, concurrentibus tamen effective causis secundis, uti contra Gabrielem Biel docent Theologi. Sic Deus operatur omnia bona naturæ et fortunæ ; et quod hic sit dives, ille pauper, Dei judicio et voluntati tribuendum est, ait Chrysostomus, de quo vide eum in morali *homil.* 29.

Deus operatur omnia naturalia, concurrentibus tamen effective causis secundis, uti docent Theologi.

Secundo, per se omnia supernaturalia, præsertim gratias data.

Secundo, operatur Deus omnia supernaturalia, tum gratum facientia ; tum, quod proprie hic intendit Apostolus, gratis data, ut puta, miracula, quæcumque Sancti petunt et impetrant a Deo, vel nomine Dei fieri imperant, Deus ad preces vel nutum eorum eadem physice operatur proprie et per se.

Non ergo hinc sequitur concursum Dei præcurrere et prædeterminare concursum causæ secundæ et liberi arbitrii in operibus bonis, et gratiæ gratum facientis : quia in his Deus operatur omnia per gratiam prævenientem, qua excitat voluntatem, et per gratiam cooperantem, quæ cum voluntate et libero arbitrio libere operante simul operatur opus bonum ; sed, ut dixi, Apostolus non agit proprie de operibus gratiæ gratum facientis, sed gratis datæ, ut patet ex sequentibus.

Concursus Dei non præterit naturam.

Nota : Pro *operatur*, S. Hilarius, lib. VIII *De Trinitate*, legit, *inoperatur*. Græcum enim ἐνεργεῖ significat intimam præsentiam, vim et efficaciam, qua Deus intime omnia operatur, maxime miracula et dona gratuita. De his enim agit toto cap. Paulus.

7. Unicuique autem datur manifestatio Spiritus (donum scilicet Spiritus Sancti, quo manifestatur ipse Spiritus Sanctus, qui doni est auctor : datur, inquam) ad utilitatem, — non propriam, sed totius Ecclesiæ.

8. Alii quidem datur sermo sapientiæ, — facultas scilicet explicandi sapientiam, id est altissima mysteria Trinitatis, incarnationis, prædestinationis, ut explicat cap. XIII.

Alii autem (datur) sermo scientiæ, — ut scilicet explicet quæ ad agenda moresque pertinent. Ita sapientiam a scientia distinguit S. Augustinus, lib. XII *De Trinitate*, cap. XIV et XV, et sic capit scientiam Apostolus, cap. VIII. Alii scientiam intelligunt, qua res fidei per exempla, comparationes, rationes humanas et philosophicas explicantur.

Vers. 9. Fides triplex. Prima, miraculosa ; quænam hic?

9. Alteri fides in eodem Spiritu. — Paulus hic *fidem* intelligit, non theologicam, quam omnes Christiani habent ; sed eam quæ mater est miraculorum, quæ excellens est fides, quæque fidem theologicam includit ; estque insuper constans fiducia in Deum, ad quidvis impetrandum, et ad miracula operandum, v. g. ut Christus ait, ad montes transferendum. Patet id cap. XIII, vers. 2. Ita S. Chrysostomus.

Secunda.

Secundo, Ambrosius et Anselmus per *fidem* accipiunt donum intrepide profitendi et prædicandi fidem.

Tertio et optime, *fides* hic est intelligentia magna mysteriorum fidei ad ea contemplandum et explicandum. Sic enim *ad Rom.* XII, 6, dicit Prophetas habere prophetiam, et debere prophetare, hoc est docere, « secundum rationem fidei, » id est juxta mensuram intelligentiæ rerum fidei sibi a Deo datam. Fidem ergo hic illustrem intelligit, quæ in paucissimis est, qua qui præditi sunt, facile rebus divinis assentiuntur, ait Maldonatus in *Notis manusc.* Nam fides miraculorum videtur includi in operatione virtutum, quæ sequitur vers. seq., ut inter alios recte advertit Toletus in *Roman.* XII, 6.

Tertia.

Alii gratia sanitatum in uno Spiritu, — per unum et eumdem Spiritum Sanctum.

10. Alii operatio virtutum, — majorum scilicet miraculorum, quæque non corpus et morborum curam, sed animam et quævis alia spectant : qualia sunt excitare mortuos, dæmones ejicere, punire incredulos et impios per miraculum, ut S. Petrus Ananiam et Sapphiram miraculosa morte punivit, *Act.* V. Ita Chrysostomus et Ambrosius. Et sic distinguitur « operatio virtutum » a gratia sanitatum. Vers. 10.

Operatio virtutum, quid sit?

Alii discretio spirituum, — cogitationum scilicet, et intentionum cordis, et consequenter actionum et sermonum, ut sciat an a natura, an a dæmonis, an a Dei vel angeli spirita et instinctu proficiscantur. Ita Chrysostomus, Ambrosius, Anselmus. Tale donum habuit S. Hilarion, teste S. Hieronymo in ejus *Vita*, et S. Monica apud S. Augustinum, lib. III *Confes.*, cap. XI, et S. Vincentius Ferrerius, atque nonnulli hodie, præsertim qui animas regunt et dirigunt ; estque confessariis hoc donum perutile, et a Deo expetendum, in quantum conscientiarum plena cognitio et cura illud requirit.

Discretio spirituum, quid sit?

Quam habuit S. Hilarion : et necessaria a Deo petenda.

Alii interpretatio sermonum, — obscuriorum, maxime sacræ Scripturæ. Hinc olim in Ecclesia interpretes erant, quorum officium erat interpretari *primo*, eos qui in cœtu Ecclesiæ ex dono linguarum peregrina lingua prophetabant, vel hymnos canebant ; *secundo*, illos qui obscura et alta mysteria afflati Spiritu Sancto eructabant ; *tertio*, epistolas S. Pauli et aliorum ad plebem suam missas publice exponere ; *quarto*, eas vertere in alias linguas. Sic multi censent S. Clementem epistolam ad Hebræos ex Hebræo in Græcum vertisse. Hinc patet sacram Scripturam non esse claram omnibus, nec privato cujusvis spiritu interpretandam, ut volunt hæretici, cum ad hoc posuerit Deus in Ecclesia interpretes.

Quod obscura sacræ Scripturæ interpretum sensa sint in Ecclesia?

Scriptura non est privato cujusque spiritu interpretanda.

Advertebat hic : Illis interpretibus jam successerunt professores linguæ Hebraeæ, Græcæ et sacræ Scripturæ.

Ex hoc capite et seq. Theologi acceperunt divisionem gratiæ in gratum facientem, quæ perficit ipsum subjectum, ut sit Deo gratum, qualis

est charitas, castitas, pietas aliæque virtutes : et gratis datam, quæ ordinatur ad perfectionem aliorum : et licet Apostolus hic tantum novem numerat gratias gratis datas, plures tamen esse possunt.

Dones gratuitæ sunt novem.

Ubi nota : Verisimile est ex novem hic ab Apostolo recensitis gratiis, quinque esse habitus permanentes, scilicet sapientiam, scientiam, fidem, genera linguarum et interpretationes sermonum, et aliquando etiam discretionem spirituum : reliquæ quatuor non sunt habitus, sed motiones transeuntes, scilicet gratia sanitatum, operatio virtutum, prophetia et discretio spirituum, ut recte Bellarminus annotavit lib. 1 *De Gratia*, cap. X.

Habitus permanentes, reliqui quatuor sunt motiones transeuntes.

Vers. 11. 11. DIVIDENS SINGULIS PROUT VULT. — Pro *dividens singulis*, græce est διαιροῦν ἰδίᾳ ἑκάστῳ, id est, dividens unicuique privatim, peculiariter, proprie, vel potius propria, scilicet cuique dona et charismata. Ita S. Hieronymus, dialogo 1 *Contra Pelagian.*

PROUT VULT, — non homo, ut intelligebat Origenes ; sed Spiritus Sanctus : ergo, ait Theophylactus, Spiritus Sanctus est Dominus et Deus, neque efficitur, sed efficit omnia æque ut Pater, quia operatur omnia in omnibus, ut dixit Apostolus vers. 6 ; operari enim omnia, quod vers. 6 tribuit Patri, hic tribuit Spiritui Sancto.

Deum subjicere fato, est enim nolle sua divinitate.

Hinc patet *secundo*, Spiritum Sanctum, ut Deum, esse liberi arbitrii, ac libere operari.

Tertio, hinc refellas Abaillardum, Wiclef, Calvinum, qui docent Deum non posse facere nisi id quod facit ; hoc enim est tollere omnipotentiam a Deo, Deumque æque ac hominem subjicere fato, adeoque Deum divinitate spoliare, eamque fato consignare ; sic enim Deus non operatur prout vult, sed prout voluerit fatum, rebus omnibus ipsique Deo dominans.

Vers. 12. 12. SICUT ENIM CORPUS (naturale et animale, puta hominis) UNUM EST, ET MEMBRA HABET MULTA ; OMNIA AUTEM MEMBRA CORPORIS CUM SINT MULTA, UNUM TAMEN CORPUS SUNT : ITA ET CHRISTUS, — unum scilicet corpus habet, puta Ecclesiam, cujus varia sunt membra, et ipse est caput. Ubi enim Apostolus sæpe ellipsi, et multa subaudit, ut dixi *Can.* 38.

Sed objicit S. Augustinus, lib. 1 *De Peccat. meritis*, cap. XXXI, si hoc vellet Apostolus, tunc dicere debuisset : « Ita et Christi, » potius quam, « Christus : » Christi, scilicet corpus, id est Ecclesia, multa habet membra.

Error Fabri Stapulensis. Christi corpus localiter ampliore cœlum et terram.

Unde *secundo*, Jacobus Faber Stapulensis hinc docet, Christi corpus, utpote toti divinitati indivulse unitum, localiter replere cœlum et terram, quasi suum locum et corpus : ut, sicut Plato Deum dixit esse animam mundi, et per consequens esse quasi totum mundum, sic Christi corpus, utpote deitati intime conjunctum, sit instar divini Spiritus diffusum per totum mundum, cujus quasi partes et membra sint singula locorum spatia et corpora : quæ tamen respectu unius deitatis et corporis Christi quasi animæ suæ, unum sint corpus, puta unus mundus. Atque hinc suam hæresim, quod corpus Christi sit ubique, sumpsisse putantur Ubiquetarii : quod insulsum dogma multi, sed exactissime Gregorius de Valentia refellit, libris quinque *Contra Ubiquetarios*.

Errores Ubiquetariorum explosi.

Dico ergo *tertio*, simpliciter cum S. Augustino, sensus hujus loci est : « Ita et Christus, » scilicet est corpus unum, puta Ecclesia. Christus enim non tantum est caput Ecclesiæ, sed et corpus ; quia omnia Ecclesiæ membra sustentat, et in omnibus operatur ; per doctorem docet, per ministrum baptizat, per fidem credit, per pœnitentem pœnitet. Sic enim Christus non localiter, sed mystice et virtualiter, sive operative, et per efficientiam est corpus, hypostasis, anima et spiritus totius Ecclesiæ : et sicut Ecclesia est corpus Christi, quasi capitis, sic vicissim Christus est corpus Ecclesiæ, quasi in omnia Ecclesiæ membra se per gratiam et operationem transfundens. Sic Apostolus sæpe ait nos unum esse in Christo, nos per baptismum incorporari et complantari Christo. Et Christus ad Paulum : « Quid me, » id est Christianos meos, qui sunt membra mea, « persequeris ? » *Actor.* IX. Sic rursum Paulus : « Mihi vivere Christus est, et mori lucrum. » Adeoque quod aiebat S. Franciscus : « Deus meus, amor meus, et omnia, » aiebat de Christo Paulus : « Amor noster, Christus noster, et omnia. »

Exhortatio ne putemus Ubiquetarii quam horrenda sit impietas eorum. Quando Christus est corpus unum, puta Ecclesia. Christus per fidem, per doctrinam docet, per pœnitentiam pœnitet, et est corpus Ecclesiæ.

13. IN UNO SPIRITU (per unum eumdemque Spiritum Sanctum) OMNES NOS IN UNUM CORPUS BAPTIZATI SUMUS, SIVE JUDÆI, SIVE GENTILES, SIVE SERVI, SIVE LIBERI. — Probat Christum esse unum corpus habens multa membra, ex baptismo : quia scilicet per baptismum in unum corpus, scilicet Ecclesiæ, et consequenter Christi, renati et inserti sumus : in quo eadem anima, scilicet spiritu Christi, vivimus ; et eadem esca, scilicet Eucharistia, alimur omnes, sive Judæi, sive Gentiles ; sive servi, sive liberi.

Nota : *in unum corpus*, scilicet Christi mysticum, quod est Ecclesia, ac consequenter in ipsum Christum, qui, uti jam dixit, est quasi corpus totius Ecclesiæ.

BAPTIZATI (id est baptismo incorporati) SUMUS, ET OMNES IN UNO SPIRITU POTATI SUMUS, — scilicet in calice Eucharistiæ unum Christi spiritum cum sanguine hausimus. Unde Græca quædam habent, ut legit Clemens Alexandrinus, lib. 1 *Pædagogi*, cap. VI : πάντες εἰς πόσιν ἐσμὲν ἐληλυθότες, *omnes ad potum potati sumus*, ut scilicet unum eumdemque ex eo Christi spiritum participemus, qui per omnia permanens singula membra vivificat, et suis functionibus reddit idonea, *q. d.* Non tantum nati sumus, et quasi membra inserti in idem corpus jam dictum ; sed et eodem alimento utimur, scilicet carne et sanguine Christi in Eucharistia. Nam et una specie Eucharistiæ, scilicet vini, alteram panis, id est ex potu cibum intelligit : uti e contrario ex panis specie vini speciem intelligit, cap. 5, 17. Ita Chrysostomus et pulchre Cajetanus hic (1).

Omnes baptizati, sive boni sint, sive mali, esse membra Ecclesiæ.

Hinc patet, omnes baptizatos, sive boni sint, sive mali, esse corpus Christi, id est esse de Ecclesia, illique quasi membra per baptismum esse insertos ; anima enim hujus corporis, scilicet Ecclesiæ, est fides quam habent omnes fideles, etiamsi improbe vivant. De quo plura dicam *Ephes.* V, 27 (2).

Vers. 22. 22. SED MULTO MAGIS QUÆ VIDENTUR MEMBRA CORPORIS INFIRMIORA ESSE, NECESSARIORA SUNT. — S. Chrysostomus et Theophylactus per hæc membra oculos accipiunt, qui parvi sunt et imbecilles, sed tamen maxime necessarii. Verum, quia vers. præced. oculum inter nobiliora membra, quæ corpori dominantur, retulit, melius alii per « membra infirmiora » accipiunt ventrem et ventre contenta. Venter enim quasi culina et nutrix totius corporis, quæ singulis membris cibum concoquit et dispertit, maxime necessarius est vitæ et corpori.

Membra infirmiora sunt venter et hujusmodi.

Vers. 23. 23. ET QUÆ PUTAMUS IGNOBILIORA MEMBRA ESSE CORPORIS, HIIS HONOREM ABUNDANTIOREM CIRCUMDEDIMUS. — « Membra ignobiliora » sunt pedes, ait Chrysostomus, Ambrosius et Theophylactus. « His honorem abundantiorem circumdamus, » id est diligentius eos custodimus, vestimus, calceamus, elegantibus crepidis, calceis, vel ocreis eos ornamus et communimus, ne in saxa impingant, ne incedendo fœdentur, ne nimio frigore vel humore aliquam intemperiem noxiam, quæ in stomachum et caput redundet, contrahant.

Membra ignobiliora sunt pedes.

Honor hic vocatur ornatus pedum per calceos.

Nota : « Honor » hic vocatur, tum ipse vestitus, tum ornatus pedum per calceos, vel ocreas, in quibus multi, præsertim juvenes nobiles et milites, curiosi sunt et elegantes : qua de causa Homerus vocat εὐκνήμιδας 'Αχαιούς, id est bene vel eleganter ocreatos Achivos.

QUÆ INHONESTA SUNT NOSTRA, ABUNDANTIOREM HONESTATEM HABENT. — « Inhonesta » intelligit verenda. Ita Chrysostomus, Ambrosius et Theophylactus. Vocantur, ait S. Augustinus, lib. II *Retract.*, cap. VII, verenda « inhonesta, » non ex naturæ prima institutione, sed quia post peccatum in iis maxime regnat concupiscentia, quæ legi mentis repugnat, ideoque homini pudenda est : pudet enim hominem quasi dominum, quod membrum hoc ita sibi sentiat rebelle. Hinc « abun-

Membra inhonesta sunt verenda, cur ?

(1) Alii cum Aillii, pro *potati*, calice scil. Eucharistiæ, interpretantur *imbuti*, eodem scil. spiritu dona varie distribuente.

(2) Vers. 17. Cf. Quintilianum VIII, 3 : « Sed neque oculos esse toto corpore velim, ne cætera membra suum lucem perdant. »

Vers. 19. Cf. Ciceronem, *Offic.* III : « Si unumquodque membrum sensum hunc haberet, ut posse putaret se valere, si proximi membri valetudinem ad se traduxisset, debilitari et interire totum corpus necesse est. » Sic Corinthiorum religionem consistere non posse, Apostolus ait, si omnes omnia habere velint.

dantiorem honestatem habent, « id est hæc diligentius et honestius tegimus atque vestimus, ut etiamsi quis toto corpore nudus sit, hæc tamen membra nudari non patiatur, ait Theophylactus. Rursus hæc membra honestantur in conjugio, tanquam illa quæ ad liberorum propagationem et generis nostri æternitatem necessaria sint, ait Chrysostomus. Unde et legibus Romanis quisquis ea præscidisset, et se evirasset, gravissime puniebatur, quasi qui communi generi offecisset, et vim naturæ intulisset.

Apud Romanos gravissime punebatur evirantes.

Alii eadem accipiunt membra infirmiora, ignobilia et inhonesta, scilicet ventrem et membra ventri subjecta : sed Apostolus ea distinguit, et quasi distincta connectit per copulam *et*. Jam sensus est, *q. d.* Sicuti in corpore hæc membra infirmiora, et ignobilia, et inhonesta præ aliis curamus, quasi magis utilia, vel necessaria : ita et in Ecclesia qui minores sunt, licet infirmi, ignobiles, contemptibiles videantur, subinde tamen magis sunt utiles, magisque juvandi et curandi. Ita Chrysostomus, Theophylactus, Anselmus. Vide, quam mendici utiles sint Ecclesiæ, apud Chrysostomum, in morali *homil.* 20, et *Contra ebriosos* homil. 31.

Mendici utiles sunt Ecclesiæ.

Sic apologo ventris a membris deserti, senatus Romani a plebe deserti causam apud plebem, quam in Sacrum montem ex urbe secesserat, egit et peregit Menenius Agrippa, teste Livio, lib. II, dec. 3 : « Tempore, inquit, illo, quo in homine non, ut nunc, omnia in unum consentirent, sed singulis membris suum cuique consilium, suus sermo fuerat, ferunt indignatas reliquas partes, sua cura, suo labore ac ministerio ventri omnia quæri, ventrem in medio quietum nihil aliud quam datis voluptatibus frui ; conspirasse inde, ne manus ad os cibum ferrent, ne os acciperet datum, nec dentes conficerent : hac ira dum ventrem fame domare vellent, ipsa una membra totumque corpus ad extremam tabem venisse : inde apparuisse ventris quoque haud segne ministerium esse, nec magis ali quam alere eum, reddentem in omnes corporis partes hunc, qui vivimus vigemusque, divisum pariter in venas maturum confecto cibo sanguinem. Comparandi hinc, quam intestina corporis seditio similis esset iræ plebis in Patres, flexit Menenius mentes hominum. »

Apologus ventris a membris deserti recusati Menenius plebem flectendam et ulcera omnia in ventrem.

24. HONESTA AUTEM NOSTRA (puta oculi, facies, manus, quæ sunt membra honestiora et nobiliora corporis) NULLIUS EGENT, — quia per se satis decoris et honoris habent.

Vers. 24. Quæ membra honesta corpori?

ABUNDANTIOREM TRIBUENDO HONOREM, — majorem scilicet custodiam, curam, amictum, ornatum, ut dixi vers. 22.

28. UT NON SIT SCHISMA IN CORPORE (quale jam retuli ex Menenio), SED IDIPSUM PRO INVICEM SOLLICITA SINT MEMBRA. — « Idipsum, » ut scilicet eamdem et mutuam pro sese invicem sollicitudinem gerant ; vel « idipsum, » id est in idem, sci-

Vers. 28.

licet bonum commune totius ejusdem corporis, sollicita sint singula membra.

26. ET SI QUID PATITUR UNUM MEMBRUM, COMPATIUNTUR OMNIA MEMBRA. — « Compatiuntur, » ut sic membrum patiens dolore levetur, « non per communionem cladis, sed per solatium charitatis, » ait S. Augustinus, *epist.* 133. Unde S. Basilius in *Reg. brevior.*, Reg. 173, docet evidens signum dilectionis esse duplex : *primo*, si quis proximi utilitate lætetur, et pro ea laboret; *secundo*, si de ejus malo et peccato tristetur et mœreat. Qui hæc non habet, non diligit.

Sancti suis orationibus nos juvant.

Hinc colligunt Doctores animas beatas, utpote charitate nostri flagrantes, nos in miseriis et periculis nostris orationibus suis juvare; et nos vicissim juvare debere animas in Purgatorio detentas : patiuntur enim illæ acrem ignem, ac proinde crudelis sit oportet, qui eis non compatiatur, easque juvet et liberet.

SIVE GLORIATUR, — gloria afficitur, græce συνήδεται, id est, ut Ambrosius, *glorificatur*; Syrus, *sive exultat unum membrum, exultabunt omnia membra*. Pulchre ex S. Chrysostomo Salmeron : « Qui amat, inquit, habet quidquid est in corpore, scilicet Ecclesia : tolle invidiam, et tuum est quod habeo. » Rursum : « Si patiatur oculus, inquit Chrysostomus, omnia dolebunt, omnia cessabunt, non pedes ibunt, non manus operabuntur, non frui jam consuetis cibis ventri lubebit, oculorum licet sit dolor. Quid ventrem, oculo, mordes? quid pedes remoraris? quid manus vincis? Quia innexa natura sunt omnia, modoque ineffabili compatiuntur. »

Vers. 27. Quid sit *estis membra de membro*?

27. VOS AUTEM ESTIS CORPUS CHRISTI, ET MEMBRA DE MEMBRO. — Nota ex *membra de membro*, quod *primo*, D. Thomas sic explicat : « Vos estis membra de membro principali, » quod est Christus : est enim Christus caput Ecclesiæ. *Secundo*, Anselmus, « estis membra de membro, » id est estis membra Christi per ministerium alterius membri, scilicet Pauli, per quem Christo capiti et corpori Ecclesiæ uniti estis.

Prima expositio. Secunda.

Tertia et genuina.

Verum nota : Pro *de membro*, græce est ἐκ μέρους, id est ex parte (et sic legunt hic aliqui Latini), vel ad invicem, seu vicissim, ut inquit Ambrosius, *q. d.* Estis membra ex parte, id est membra partialia : quod Noster vertit, *estis membra de membro*, id est membra membrorum, hoc est commembra, compartes, *q. d.* Estis confratres ejusdem societatis et corporis mystici, scilicet Ecclesiæ. Ita Chrysostomus. Syrus vertit, *estis membra* בדוכתכו *beduchatekun*, id est, *in loco vestro*, ac si dicat : Quisque in parte sua et loco est membrum Ecclesiæ.

Ex generatis corporis et membrorum invicem Capvertunt Ecclesiæ.

Adverte hic : Sicut in corpore, *primo*, est unitas et unio corporis et animæ; *secundo*, diversitas membrorum; *tertio*, diversitas officiorum in membris singulis; *quarto*, aptitudo et dos cujusque membri ad suum officium; *quinto*, communio functionum, qua quodque non sibi soli, sed et aliis operari debet, idque quia sunt membra unius corporis; *sexto*, quies, qua quodque suo gradu et officio contentum est, non ambit aliud, nec invidet nobiliori, sed omnium summa est unio et concordia, compassio et gaudium : ita et omnino se res habet in Ecclesia, in qua quisque a Christo, quasi anima, suum habet charisma, suum talentum, suum officium et gradum, suam functionem, qua non sibi modo, sed et aliis prosit, suum ordinem et limitem a Deo : quem qui perturbat, et alium ambit, Dei ordinationi et providentiæ resistit, in his quæ gratis a Deo accepit, *q. d.* Estis, o Corinthii, membra ejusdem corporis Christi, puta Ecclesiæ; ergo non sint schismata inter vos, unus alium non spernat, non invideat, non doleat; sed juvet, amet, gaudeat; quisque suo loco, gradu, officio sit contentus : quia sic particeps erit non tantum sui boni, sed et aliorum; sicuti pes ambulat pro oculo, aure, ventre : sic vicissim oculus videt, auris audit, venter concoquit pro pede. Quod si invideat et nolit oculus pro pede videre, auris audire, venter concoquere, non tantum illud membrum, sed et seipsum lædet, inquit Chrysostomus, perinde ac si una manus aliam amputet, seipsam dedecorat et debilitat : robustior enim est, si habeat auxilium ab alia manu. Rursum, si natura tantam in corpore inter singula membra concordiam curat et servat, nec sinit inter ea nullam discordiam aut seditionem : quanto magis gratia Dei, quæ multo est potentior, animorum concordiam efficiet, in Christi Ecclesia, neque perferet ut in uno hoc corpore aliquod membrum sit seditiosum, aut discors? Si magistratus in civitate, rex in regno seditionem non tolerat, sed acerrime punit; quid faciet Christus schismaticis Ecclesiam suam scindentibus?

Unitas et diversitas membrorum in corpore.

Membrum nocens lædens aliud seipsum lædit.

28. QUOSDAM POSUIT DEUS IN ECCLESIA, PRIMUM APOSTOLOS (ut caput), SECUNDO PROPHETAS (ut oculos), TERTIO DOCTORES (ut linguam : unde non principes sæculares, ut Brentius vult, sunt primi et caput Ecclesiæ; sed Apostoli et eorum successores, Papa et Episcopi; Deus enim in Ecclesia primum Apostolos posuit, ait Paulus), DEINDE VIRTUTES (græce δυνάμεις, id est, *potestates*, hoc est, miraculorum operatores : hi sunt quasi manus Ecclesiæ), EXINDE GRATIAS CURATIONUM, — curatores scilicet morborum.

Vers. 28. In Ecclesia Apostoli sunt quasi capiti, Prophetæ quasi oculi, Doctores quasi lingua, Virtutes quasi manus, Reconciliatores quasi pedes.

OPITULATIONES, — qui aliis opitulantur, exercentque circa ægros, pauperes, miseros, peregrinos et hospites opera misericordiæ. Græce ἀντιλήψεις, *susceptiones*, hoc est, ut alii legunt, subsidia, subventiones.

GUBERNATIONES, — qui alios regant et corrigant, ut Parochi, ait D. Thomas; vel potius gubernationes sunt, ut Theophylactus et Cajetanus, qui præsunt gubernationi rerum temporalium, quas fideles offerebant Ecclesiæ. Hi enim ultimi sunt quasi pedes in corpore Christi, scilicet Ecclesia : tales fuerunt Diaconi electi ab Apostolis, ut viduis et mensis præessent, *Actor.* VI.

Nota, abstracta hic poni pro concretis : « virtutes, » id est operatores virtutum; « gratias curationum, » hoc est curatores, vel potentes curare; « opitulationes, » id est opitulatores; « gubernationes, » hoc est gubernantes; « genera linguarum, » id est peritos linguarum variarum : hosce enim omnes subnectit Paulus Apostolis, Prophetis, Doctoribus, quasi alia membra Ecclesiæ. Vide *Can.* 21. Ita Chrysostomus.

29. NUMQUID OMNES APOSTOLI? — *q. d.* Minime : quisque ergo suo gradu, in quo a Deo in Ecclesia collocatus est, suaque gratia quam gratis a Deo accepit, contentus sit, Deoque gratias agat, et sua gratia ad Dei gloriam et Ecclesiæ commodum utatur.

30. NUMQUID OMNES GRATIAM HABENT CURATIONUM? — « Ita, ait S. Augustinus, *epist.* 137, nec in omnibus memoriis Sanctorum Deus miracula fieri voluit, qui dividit unicuique prout vult. » Itaque non mirum Deum hoc loco, hoc templo, ad hanc aut illam Deiparæ Virginis statuam miracula operari, non autem alio loco, templo, imagine; rursum huic Sancto hanc gratiam, alteri aliam concedere, v. g. ut S. Antonium invocantes, peste; Apolloniam, dolore dentium; Barbaram, subitanea morte, ne sine confessione moriantur, liberentur : quia, ut ait Apostolus, Deus has gratias dividit prout vult. Sic Deus in Probatica piscina, non alibi, ægros et aridos miraculose sanabat, *Joan.* V. Sic per virgam Aaronis, non alterius, miracula fecit, *Num.* XVII. Sic ad imaginem ænei serpentis, non autem rei alterius, Judæos ignita lue liberavit, *Num.* XXI, 9.

Vers. 29. Quæ sint charismata meliora?

31. ÆMULAMINI (sectamini, scilicet petite a Deo, exercete si accipistis, o jam dictis vers. 8) CHARISMATA MELIORA, — hoc est utiliora, puta apostolatum, prophetiam, sapientiam, scientiam, non autem donum linguarum, quod ambire, et in quo inaniter gloriari soletis vos, o Corinthii. Ita Anselmus. Alii legunt per interrogationem et in tempore præsenti, « æmulamini : » hoc est, si æmulamini meliora, ecce ostendo vobis viam excellentiorem. Ita Chrysostomus, Theophylactus, Œcumenius.

Varios morbos per invocationem variorum Sanctorum curat Deus.

Excellentior via ad Deum est charitas.

ADHUC EXCELLENTIOREM VIAM VOBIS DEMONSTRO. — « Viam » scilicet charitatis, quæ via est ad Deum, ad vitam et gloriam æternam, de qua cap. sequenti.

Nota : Commentarius Hieronymo adscriptus hic docet charitatem separari ab Apostolo a charismatibus, hoc est gratiis gratis datis, quod hæc gratis dentur a Deo, charitas vero nostro labore et naturæ viribus acquiratur. Unde colligas hunc Commentarium non esse S. Hieronymi, sed Pelagii vel Pelagiani alicujus, ut dixi initio. Correxit hoc Primasius, qui multa ex hoc Commentario transcripsit, et patet charitatem esse donum Dei, *Rom.* V, 5 : « Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis. » Unde hic ait Paulus : « Excellentiorem viam, » ὑπερβολήν, per hyperbolen, per excessum, id est excessive meliorem et præstantiorem viam, scilicet charitatis, vobis ostendo. Ita ex Chrysostomo Theophylactus. Unde et Cassianus, *Collat.* XI, cap. XII, sic legit : « Et adhuc excellentiorem supra modum viam vobis demonstro. » Si ergo gratiæ gratis datæ, quæ minores sunt, a Deo dantur; multo magis charitas, quæ excessive illis est melior et eminentior, a Deo peti et dari debet. In hoc ergo distinguit Apostolus charitatem a charismatibus, quod hæc gratis dentur ad utilitatem Ecclesiæ, non ad sanctificationem ejus cui dantur : charitas vero detur ad hoc, ut is qui illam habet, sanctus et gratus Deo fiat. « Ille, inquit S. Augustinus, serm. *De Laudibus charitatis*, tenet et quod patet, et quod latet in divinis eloquiis, qui charitatem tenet in moribus. »

Error Pelagii, charitatem esse donum, non Dei, sed nostram.

In quo charitas distinguitur a charismatibus?

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Docet inter omnia dona et gratias excellere charitatem. Primo ergo asserit sine charitate nullum donum aut virtutem prodesse.

Secundo, vers. 4, *enarrat charitatis sedecim conditiones, sive officia in proximos.*

Tertio, vers. 8, *ostendit charitatis præcellentiam ex eo quod etiam permaneat in cælo, cum fides ibi mutanda sit in visionem, spes in fruitionem.*

1. Si linguis hominum loquar, et angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. 2. Et si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia et omnem scientiam : et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. 3. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non

habuero, nihil mihi prodest. 4. Charitas patiens est, benigna est : charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur. 5. Non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, 6. non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati : 7. omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. 8. Charitas nunquam excidit : sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destructur. 9. Ex parte enim cognoscimus et ex parte prophetamus. 10. Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est. 11. Cum essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus, cogitabam ut parvulus. Quando autem factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli. 12. Videmus nunc per speculum in ænigmate : tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte : tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum. 13. Nunc autem manent, fides, spes, charitas, tria hæc : major autem horum est charitas.

Charitas virtutum omnium regina.

Est toto hoc capite encomium charitatis. Arit vero de charitate tam fusse Apostolus, tum quia charitas omnium virtutum est regina, tum quia vult per charitatem quasi medicinam efficacissimam sanare Corinthiorum fastum et schismata. Charitas enim facit ut superiores non contemnant inferiores, et ut inferiores non indignentur superiores sibi præferri. Maxime vero commendat eis charitatem, quasi donum præstantissimum, ut illam, non autem donum linguarum, prophetiæ, aut miraculorum, quæ maxime facere solebant Corinthii, consectentur. Et hoc est quod præparans transitum suum ad charitatem, dixit in fine capitis præcedentis : « Æmulamini autem charismata meliora, et adhuc excellentiorem viam (charitatis), vobis demonstro. »

Vers. 1. Angelorum linguam. Hebræam vocant.

1. Si linguis hominum loquar, et angelorum. — « Angelorum linguam » aliqui Hebræam accipiunt, qua Deus, angeli et Adam locuti sunt in paradiso, de quo pluro vers. 8. Secundo, Glossa, Durandus, Gregorius Arminensis in II, dist. IX, Quæst. II, et Molina, I *part.*, Quæst. CVI, art. 1, ex hoc Apostoli loco putant angelos loqui ut homines, non tantum per species angelo audienti impressas, sed etiam per nutus et signa, sed spiritualia (quæ sint quasi spirituales quidam sermones et loquelæ) illis indita in creatione, sicut Adæ lingua Hebræa fuit indita. Hinc Franciscus Albertinus, I *Corollariorum Theologiæ*, corollar. 11, quemque angelum, ait, proprium sibi habere linguam, a cujusvis alterius angeli lingua distinctam, quia Apostolus inquit : « Si linguis loquar angelorum, » non, lingua. Verum hinc sequi videtur, quod, si angeli hæc signa exhibeant, et loquantur uni, alios illa celare non possint; nihil enim naturale celare possunt, sed tantum id quod liberum est : hæc autem signa naturalia sunt, eisque cum natura indita et concreata.

Ex hoc loco Franciscus Albertinus dicit quemquam angelum proprium linguam habere.

Quomodo loquantur angeli?

Unde alii cum D. Thoma putant angelos sic loqui, ut conceptus suos ad alium dirigant, velintque illi innotescere; tunc enim ex congrua Dei ordinatione et concursu fieri objectum proportionatum, et poni quasi intra sphæram cognitionis, fierique intelligibile illi, cui volunt loqui, non alteri : ita ut ille objectum hoc quasi jam ob oculos positum videat et intelligat, non alius. Ex quo aliqui concludunt, angelos natura sua non posse mentiri. Sed contrarium videtur verius, scilicet posse eos *mentiri*; quia possunt angeli conceptum falsum et menti dissonum in intellectu suo formare, eumque dirigere ad alium, cui hoc modo loquuntur; sicut homo format loquelam falsam et menti dissonam cum mentitur. Non enim angeli ipsos actus voluntatis in se, id est ipsas volitiones et intentiones suas videndas exhibent : sed horum actuum conceptus in mente efformant, vel veros, vel falsos, prout volunt, eosque repræsentant illi, cui loquuntur. Verum hæc Scholasticis fusius dispatanda et diriménda relinquamus.

Angeli autem non possunt mentiri.

Angelorum ergo hic *linguæ* non sunt sensibiles, ut vult Cajetanus, sed intelligibiles, scilicet hæ linguæ sunt ipsi conceptus angelici, perfectissimi et pulcherrimi. Vel certe est prosopopœia et hyperbole : « Angelorum lingua, » id est, elegantissima lingua. Sic vulgo dicimus : Divine loquitur. Simili hyperbole dicitur : Facies angeli, vel angelica, id est pulcherrima. Ita Theodoretus et Theophylactus; quia scilicet angeli in se sunt pulcherrimi, et pulcherrimos se exhibent et visu et voce, dum corpus assumunt. Sic ergo hic, uti et alibi subinde, per hyperbolen loquitur Paulus ex hypothesi, maxime amplaseos causa, *q. d.* Si essent linguæ angelorum super humanas, Hebraam, Græcam, Latinam, et ego eas callerem, neque tamen eis uterer ad commodum proximi, quid esset aliud quam inanis et obstrepera loquacitas? Ita Græci et Latini. Sic *Galat.* I, 8 : « Licet, inquit, angelus de cælo evangelizet. » Sic *Hom.* VIII, 39, cum omnes res creatas, summas, imas, medias commemorasset, addit per hyperbolen : « Neque creatura alia. » Notat hic Paulus Corinthios, qui donum linguarum præ cæteris admirabantur.

Quæ sint angelorum linguæ per prosopopœiam et hyperbolen.

Cur Corinthi valde admirarentur dona linguarum.

Cymbalum tinniens, — inconditum et confusum sonum edens, græce ἠχοῦν. Est onomatopœia, *q. d.* Sonans alala, alala. Sic Apion Grammaticus ob garrulitatem dictus est « Cymbalum orbis, » teste Suetonio, lib. *De Præclaris Grammaticis*.

2. Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, Vers. 2.

nihil sum. — Erasmus vult esse fictionem hyperbolicam, *q. d.* Charitas longe excellit fidem : sicut dicitur, Nobilitas sola est atque unica virtus.

Sed hoc nimis frigidum est : nam de eleemosyna et martyrio, si absit charitas, verso sequenti dicit : « Nihil mihi prodest. » Ergo « nihil sum, » id est nullius sum pretii et gratiæ coram Deo, et in veritate; quia justus est aliquid coram Deo, reliqui homines injusti in oculis et æstimatione Dei sunt quasi nihil, *q. d.* Sine charitate nihil prodest, nihil facit amicitiam cum Deo, nihil est quod homini conciliet justitiam et salutem, ne fides quidem maxima et excellentissima, quæ montes transferat, qualis fuit in Gregorio Thaumaturgo, qui sua fide montem loco movit, ut ecclesiæ ædificandæ locum faceret, ut narrat Eusebius, lib. VII *Histor.*, cap. XXV.

Nullus est amicus Dei sine charitate.

Gregorius Thaumaturgus suis fide montem loco amovit.

Dices : Ergo si pœnitens in bonis operibus se exerceat, ante reconciliationem, illa nihil ipsi prosunt. Respondent aliqui, prodesse, quia pœnitens, inquiunt, habet charitatem, non infusam quæ facit justum, sed charitatem, id est affectum sinceri amoris erga Deum, quo ad reconciliationem aspirat. Verum hic affectus non est, nec dici potest charitas : charitatem enim hic et alibi sacra Scriptura vocat eminentissimam virtutem, fide et spe majorem, quæ nos Dei amicos facit.

Pœnitentia non justificat ante infusionem charitatis, sed tantum ad illam disponit.

Quo pacto bona opera non prosint pœnitenti, nisi charitas sequatur.

Secundo, quia affectus timoris, spei et fidei disponunt ad justitiam; ergo sunt aliquid, etiam sine affectu amoris illius.

Bona opera non prosunt peccatori pœnitenti, nisi sequatur charitas.

Dico ergo : Nihil prosunt bona opera peccatori pœnitenti, nisi sequatur charitas : sic enim ait, eleemosynam non prodesse, ut patebit vers. 3. Dispositio enim, qua dispositio, frustra est et nihil, nisi sequatur forma ad quam disponit : opera ergo sine charitate nihil sunt, id est, nullam justitiam aut salutem conferunt; et homo sine charitate « nihil est, » scilicet secundum esse spirituale, quo per regenerationem supernaturalem accipit esse supernaturale et divinum, fitque nova Dei creatura, filius et hæres Dei.

Quæ sint angelorum linguæ per prosopopœiam et hyperbolen.

Fides sola non justificat etiam ex orthodoxis.

Hinc patet, fidem solam non justificare.

Respondet Beza, hic agi tantum de fide miraculorum. « Nam fides, inquit, justificans, quæ scilicet Dei misericordiam in Christo apprehendit, cogitatione quidem a charitate secerni potest, re ipsa nunquam, non magis quam lux ab igne. »

Fraudulenter Beza pro omnem vertit, dolens fidem.

Sed contra, quia fides miraculorum includit et supponit fidem proprie dictam, quæ principium est justificationis; imo fides miraculorum excellentissima est fides, ut hic significat Apostolus dicens : « Si habuero fidem, ita ut montes transferam; » ergo si fides miraculorum esse potest sine charitate, etiam justificans esse poterit. Secundo, quia ait Apostolus, « omnem fidem, » quod fraudulenter Beza vertit, *tantam fidem* : si omnem, ergo etiam justificantem. *Tertio*, quia vers. 8 et utilim. docet Apostolus, fidem, uti et spem, utique Theologicam et justificantem, in hac vita tantum manere, cum charitas maneat etiam in futura : ergo fides a charitate separatur. Ita Chrysostomus, Anselmus, Theophylactus et alii, ac in primis S. Augustinus, lib. XV *De Trinit.*, cap. XVIII : « Fides, ait, juxta Apostolum, sine charitate esse potest, prodesse non potest. » Et sermone de tribus virtutibus, fide, spe et charitate, tom. X, de sola charitate dicit : « quod distinguat inter filios Dei, et filios diaboli; inter filios regni, et filios perditionis; » ac rursum, lib. *De Natura et Gratia*, cap. ult. : « Charitas inchoata, inquit, inchoata justitia est; charitas magna, magna justitia est; charitas perfecta, perfecta justitia est. » Vide Bellarminum, lib. I *De Justificatione*, cap. XV. Quæ sit fides miraculorum dixi cap. præced., vers. 2. Qua ratione fidei tribuenda sit operatio miraculorum, docet D. Thomas, *De Potentia*, Quæst. VI, art. 9.

Fides de charitate non habita, non prodest.

Quanta in homine ne est charitas, tanta est et justitia.

Porro S. Ambrosius aliter hunc locum explicat lib. IV, epist. 44 *ad Horontian.* : « Arbitror, inquit, propositi gratia hoc dixisse Apostolum; neque enim videtur mihi, qui habet omnem fidem ita ut montes transferat, charitatem non habere : quomodo et illud, si habeat aliquis omnia mysteria et omnem scientiam, quomodo non habeat charitatem, cum dicat Joannes, *epist.* I, cap. V : Omnis qui credit, quia Jesus est Christus, ex Deo natus est. » Ubi S. Ambrosius censet Apostolum dixisse hoc propositi gratia, id est proponendo hypothesin, sive conditionem alias impossibilem, atque per « omnem fidem » accipit fidem perfectam, puta vivam et charitate formatam, uti ipse Ambrosius ibidem explicat, quam certum est a charitate separari non posse. Sensum ergo esse, *q. d.* Si per impossibile omnis fides, id est fides plena, perfecta et viva (puta charitate formata), separari posset a charitate, nihil illa fides prodesset ad justitiam et salutem. Sic Apostolus passim in epist. *ad Romanos*, ait non legem justificare, sed fidem, puta charitate formatam; et S. Joannes ait eum qui credit, scilicet fide charitate formata, esse natum ex Deo, uti ibidem explicat S. Augustinus; vide dicta *Can.* 3 rerum in S. Paulum. Et sane licet fides illa quæ montes transfert, metaphysice et de possibili separari a charitate possit, tamen moraliter et de facto vix unquam a charitate separatur. Nunquam enim legimus fidelem charitate carentem, puta existentem in peccato mortali, transtulisse montes : hoc enim Deus non facit nisi per amicos sibi valde charos. Simili modo id quod sequitur : « Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest, » de martyrio hypothetice exponit S. Chrysostomus, uti mox dicam.

3. Et si distribuero. — Græcum ψωμίζω significat frustulatim quasi concisum panem aut escam ingerere ori puerorum, vel ægrotorum, ut dixi *Roman.* XII, 20; hic vero significat omnem substantiam suam in talem usum expendere.

Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.

— Græca quædam pro καυθήσωμαι, id est *ardeam*, legunt καυχήσωμαι, id est *glorier*, et ita legit Hieronymus, in fine cap. v *ad Galatas* : sed communis Græcorum, Latinorum et Syri lectio est, ἵνα καυθήσωμαι, *ut ardeam*.

Dices : Ergo martyrium esse potest sine gratia et charitate, cum peccato et damnatione.

Quæst. An Martyr possit esse sine charitate et damnandi? Quid sit martyrium, et unde virtutis act.?

Nota *primo* : Sicut eleemosynam dare, ita et tradere quis potest corpus variis modis et motivis, v. g. pro patria, pro proximo, pro corporis castigatione, ex vana gloria; rursum pro fide, pro Christi et Dei amore, et tunc est martyrium.

Secundo, martyrium est actus elicitus a virtute fortitudinis, imperatus sæpe a charitate; potest tamen non a charitate, sed ab alia virtute imperari, ut a religione vel obedientia; puta, si quis se offerat martyrio, ut Deum honoret, vel illi obediat; quæ tamen manant etiam ex generali quadam dilectione Dei.

Martyrium confert gratiam justificantem etiam primam, quasi ex opere operato, et consequenter charitatem.

Tertio, martyrium ex quacumque virtute obitum confert gratiam justificantem, etiam primam, quasi ex opere operato, ut docent Theologi, et consequenter confert charitatem, nec ab ea ut termino suo separari potest.

Condolio prudentem. Mutius Scævola martyrium pro patria amulatus est. Peregrinus ob nomen immortale in rogum se conjecit. Martyrium materiale potest esse sine charitate, si enim precatio nec — Concupiscentia deficiat.

Dico ergo *primo*, Apostolum loqui in genere de quavis traditione corporis ut ardeat, sive id faciat quis pro patria, uti fecit Mutius Scævola ; qui volens occidere regem Porsenam Romam obsidentem, cum errasset, cæsetque jam in potestate hostium, ut ostenderet quam mortem pro patria contemneret, manum combussit : « Ut scias (aiebat ipse Porsenæ) quam vile nobis sit corpus gloriam spectantibus. » Sive id faciat quis ob inanem gloriam, uti fecit Peregrinus, qui ob immortale nomen sibi comparandum, in certaminibus Olympicis se in rogum comburendum injecit, ut testis est oculatus Lucianus in *Peregrino*. Sive etiam quis se igni tradat ob fidem Christi, simul tamen servando odium proximi, aut voluntatem peccandi mortaliter : quod martyrium est materiale, non formale ; tum enim est sine charitate et nihil prodest. Ita D. Thomas, Anselmus, Theodoretus.

Hinc dico *secundo*, Apostolum loqui quoque de traditione corporis in martyrio materiali et etiam formali; sed conditionate, *q. d.* Si martyrium esse posset sine charitate, nihil prodesset. Ita S. Chrysostomus et Theophylactus. Unde Theodoretus et S. Basilius, epist. 75 *ad Neocæsarienses*, notant hic esse hyperbolen, si velis non tantum conditionate, sed et absolute Apostolum loqui.

Crocodilo aëterno.

Dico *tertio*, martyrium antecedenter, sive ex opere operantis, quatenus nimirum spectatur tantum opus ipsum in se, sive meritum ejus qui patitur martyrium, potest esse sine charitate. Ut si quis existens in peccato mortali pro fide Christi mori velit, necdum habens charitatem; et sic nihil prodest martyrium : consequenter tamen ex opere operato, in sui termino semper martyrium adducit charitatem; hoc enim ipso quo quis, etiam peccator, pro fide occiditur, infunditur ei quasi ex opere operato charitas et justitia; et sic martyrium plurimum prodest. Hoc ergo modo sensus Apostoli hic erit : martyrium nihil prodest, nisi vel antecedat, vel sequatur, vel adsit charitas, sive ut principium, sive ut terminus et effectus martyrii. Ita D. Thomas, Cajetanus et Franciscus Suarez, III *part., Quæst.* LXIX, disp. XXIX, sect. 2, *q. d.*, ait Anselmus : Sine charitate nihil, licet excellens, prodest; cum charitate vero omnia, licet villa, prosunt, fluntque aurea et divina.

Martyrium antecedenter, quatenus est opus operantis, potest esse sine charitate.

Non sine charitate consequenter ex opere operato adhuc charitatem. Scotus Apostoli.

Nihil prodest, — οὐκ ὠφελοῦμαι, *non juvor, non capio utilitatem* (scilicet ut justificer et salver). Ita Syrus. « Tanta est charitas, quæ si desit, frustra habentur cætera : si adsit, habentur omnia, » ait S. Augustinus, *Sententia* 326, in fine tom III.

4. Charitas patiens est, benigna est. — Ambrosius legit, « charitas magnanima est (ita quoque sæpe legit S. Cyprianus et Tertullianus, lib. *De Patientia*, cap. XIII), jucunda est. » Græce pro « patiens est, » habetur μακροθυμεῖ, *longanimis est*. Ita et Syrus.

Patiens est charitas, quia parit patientiam.

Nota : « Charitas patiens est, » non formaliter, sed causaliter, quia parit patientiam et benignitatem : quia patientia, æque ac benignitas, non est actus elicitus, sed imperatus a charitate. Pulchre Tertullianus, lib. *De Patientia*, cap. XI, docet nullam esse perfectam virtutem quæ non habet comitem patientiam, itaque in omnibus beatitudinibus quas Christus, *Matth.* V, enumerat, patientiam quoque intelligendam esse. Et cap. XII, docet thesaurum charitatis disciplina patientiæ contineri, et ipsam charitatem a patientia quasi a magistra erudiri. Expendens enim hæc Apostoli verba : « Charitas patiens est, » sic ait : « Dilectio summum fidei sacramentum, Christiani nominis thesaurus, cujus nisi patientiæ disciplinis eruditur? Dilectio, inquit, magnanimis est, ita patientiam sumit; benefica est, malum patientia non facit; non æmulatur, id quidem patientiæ proprium est; nec protervum sapit, modestiam de patientia traxit : non inflatur, non protervit, non enim ad patientiam pertinet. Cæterum quid impatientiæ reliquisset? ideo, inquit, dilectio omnia sustinet, omnia tolerat, utique quia patiens est. »

Nulla perfecta virtus sine patientia.

Charitas a patientia quasi a magistra erudiri.

Hinc S. Augustinus, lib. *De Morib. Eccles.*, XV, fortitudinem sic definit : « Fortitudo est amor omnia propter Deum facile sustinens. » Pari modo tres cæteras virtutes cardinales per amorem definit, scilicet eas esse varios amoris affectus : « Ut temperantiam, inquit, dicamus esse amorem, Deo sese integrum incorruptumque servantem. Justitiam esse amorem Deo tantum servientem, et ob hoc bene imperantem cæteris, quæ homini subjecta sunt. Prudentiam esse amorem, bene discernentem ea quibus adjuvetur in Deum ab iis quibus impediri potest. » Ibidem cap. XXII : « Amor, inquit, ille, quem tota sanctitate inflam-

matum esse oportet in Deum, in non appetendis rebus temperans, et in amittendis fortis vocatur. » Et paucis interjectis : « Nihil tam durum, tamque ferreum, quod non amoris igne vincatur. Quo cum se anima rapit in Deum, super omnem carnis officinam, libera et admiranda volitabit pennis pulcherrimis et integerrimis, quibus ad Dei amplexum amor castus innititur. » Omnis ergo virtus est amor et charitas, puta actus charitatis, non elicitus, sed imperatus : quia a charitate imperatur, dirigitur, formatur et perficitur. Adde, virtus per se est amor honesti. Talis fuit charitas Christi in cruce erga suos crucifixores, de qua S. Bernardus, serm. *De Passione Domini*, ait : « Flagellis cæsus est, spinis coronatus, clavis confossus, affixus patibulo, opprobriis saturatus : omnium tamen dolorum immemor, ignosce, ait, illis, quia nesciunt quid faciunt. O quam multus es ad ignoscendum! O quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine! O quam longe cogitationes tuæ a cogitationibus nostris! O quam firmata est super impios misericordia tua! Mira res! ille clamat : Ignosce; Judæi : Crucifige. Molliti tibi sermones ejus super oleum, et isti sunt jacula. O charitas patiens, sed et compatiens! Charitas patiens est, sufficit. Charitas benigna est, cumulus est : quia benigna charitas etiam quos tolerat amat, et amat tam ardenter. » Et paulo inferius : « O Judæi, lapides estis, sed lapidem percutitis molliorem, de quo resonat timoratus pietatis et ebullit oleum charitatis. Quomodo potabis, Domine, desiderantes te torrente voluptatis tuæ, qui sic perfundis crucifigentes te oleo misericordiæ tuæ? »

Charitas non pudet quia nullum honorem sentit.

Non æmulatur, — non invidet. Nam, ut ait S. Gregorius, homil. 5 *in Evangel.* : « Voluntas bona (quam parit charitas) est, sic adversa alterius, sicut nostra pertimescere; sic de prosperitate proximi, sicut de nostro profectu gratulari; aliena damna nostra credere, aliena lucra nostra putare. » Ratio est, quia charitas non respicit meum et tuum, sed quæ Dei sunt; nam, ut ait ibidem S. Gregorius : « Quidquid in hoc mundo concupiscimus, hoc proximo invidemus. » Videtur enim nobis decedere, quod alteri accedit. Hanc ob causam charitas friget, ubi cupiditas viget : e contrario cum fraterna charitas regnat, tunc cupiditas exulat; nam, ut ait S. Augustinus, lib. III *De Doctrin. Christ.*, cap. X : « Quanto magis regnum cupiditatis destruitur, tanto charitatis augetur. »

Quid περπερεύεται sit, et quid perperam?

Non agit perperam, — perverse, procaciter, malitiose : Græce οὐ περπερεύεται, quod alii vertunt, *non garrit; secundo*, Valablus vertit, *non adulatur; tertio*, Clemens, lib. III *Pædag.*, cap. II, *non est fucata*, sive nimis compta. « Perperam enim, inquit Clemens, agere dicitur cultus, qui superfluitatem et inutilitatem aperte indicat. Nimium enim ornatus studium alienum est a Deo, ratione et charitate. *Quarto*, Cajetanus vertit, *non est inconstans*; *quinto*, Theophylactus, *non est præceps, levis, temeraria, stolida*; *sexto*, Syrus, *non est tumultuosa*; *septimo*, Theophylactus rursum, *non se extollit*, *q. d.* οὐ περπερεύεται ἑαυτῷ. Sic ellam videtur exponere S. Basilius, Reg. 49 *inter breviores* : « Quid est, » inquit, περπερεύεται? quod interpres Latinus Basilii vertit, *quid est impotenter gloriari et se jactare?* Respondet : « Id quod non ob necessitatem, sed ornatus superflui causa assumitur, perperiæ accusationem habet. » Verum ex hisce verbis sat patet interpretem non esse assecutum mentem S. Basilii, nec Basilium per περπερεύεται, intellexisse jactantiam et impotentem gloriationem, sed fucum et nimium ornatum, uti intellexit Clemens Alexandrinus loco jam citato. *Octavo*, optime Chrysostomus vertit, *charitas non est procax*, vel *proterva*, « uti est amor carnalis procorum, amasiarum et meretricum. » Unde Tertullianus, lib. *De Patientia*, cap. XII, legit. « charitas non facit protervum. » Sumpta est vox Græca περπερεύεται, et Latina « perperam, » a Perperis fratribus, ait Erasmus, qui et Cecropes sunt dicti, quorum procacia et improbitas fabulis Poetarum est nobilitata (1).

Charitas non est perperam? Id est, non est procax, vel proterva. Unde vox Latina perperam.

5. Non est ambitiosa. — Græce ἀσχημονεῖ, quod Syrus vertit, *non patrat quod pudendum est*; Clemens, lib. III *Pædag.*, cap. I, vertit, *non indecore se gerit*; noster interpres cum Chrysostomo, Theodoreto, Theophylacto, Œcumenio, sic accipit, *q. d.* Charitas nihil putat sibi esse dedecus, vel indecorum, licet vile, licet ignominiosum, aut contumeliosum quid patiatur vel agat. Aut brevius : Non pudefit charitas, quia nihil, nullumque decus ambit. Noster ergo ex effectu intellexit et vertit causam; cur enim quis non pudefiat, causa est, quia nullum honorem vel decus ambit. Unde Chrysostomus et Theophylactus putant hoc dici a Paulo contra fastuosos : « Probrum, ait Chrysostomus, et dedecus quid sit, ignorat charitas; alis aureis omnium quos complectitur vitia tegit. » Sic Christi charitas meretrices non est aspernata, nec sputa, non flagella, non pedum lotionem. S. Basilius in *Regul. brevior.*, Reg. 246, vertit, *charitas ab habitu et forma non discedit*; Œcumenius vero, *charitas non acerbe rem agit illam qui sibi inimicus est.*

Non est ambitiosa.

Non cogitat malum. — Id est, si lacessitur ab aliquo charitas, non æstimat injuriam, nec petit vindictam, sed dissimulat, excusat, ignoscit. Græce enim est, οὐ λογίζεται, id est, ut Valablus et Græci vertunt, *non imputat cuiquam malum*.

6. Congaudet autem veritati. — « Veritati, » non tam oris aut mentis, quam vitæ, id est justitiæ, *q. d.* Charitas cum proximos videt juste et recte vivere, ac proficere, non invidet, sed quasi de augmento proprii profectus gaudet et hilarescit, ait ex S. Gregorio Anselmus. Opponitur enim hic veritas iniquitati; ait enim : « Non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati. » Veritas

(1) Rosenmullerus : Non se ostentat, non gerit se insolenter verbis factisque.

ergo hic est æquitas, probitas, justitia. Aliter explicant Græci, *q. d.* Non gaudet charitas, cum videt inimicum quid inique vel injuste pati, sed dolet; et congaudet veritati, si videat illi quod suum est, dari.

7. OMNIA SUFFERT, — instar trabis, quæ impositum onus sustinet; vel potius instar palmæ, quæ non succumbit oneri suo, sed magis instar fornicis erigitur. S. Cyprianus, tract. *De Simplicit. Prælatorum*, legit, *omnia diligit*, ἀγάπη pro φέρει. Vere S. Augustinus in *Sententiis*, num. 295 : « Fortitudinem, ait, Gentilium mundana cupiditas, fortitudinem autem Christianorum Dei charitas facit, quæ diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis, non per voluntatis arbitrium quod est a nobis. »

Quæ articulus charitas omnia credat?

OMNIA CREDIT, — scilicet quæ prudenter potest sine erroris periculo credere, facile aliis assentitur; charitas non est suspicax. Ait ergo Paulus : « Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet, » *q. d.* Charitas omnia mala et injurias suffert, omnia meliora de proximo credit et sibi persuadet, omnia bona de proximo sperat, et ab eo mala verba et verbera sustinet. Ita Chrysostomus et Græci. Aliter explicant Anselmus, D. Thomas, Lyranus, *q. d.* Charitas facit cuncta credenda credere, sperandæ sperare, et per patientiam exspectare. Nam alioqui de quibusvis aliis rebus verum est illud Senecæ, lib. *De Moribus* : « Perinde vitium est omnia credere, ac vitium est nihil credere. » Sic quoque exponit S. Augustinus, qui ex hisce Apostoli verbis facit quadrigam charitatis, quatuor scilicet virtutum charitatis, puta fidei, spei, patientiæ et perseverantiæ; unde in sorm. *De Quatuor virtutibus charitatis* sic ait : « Omnis qui pie tolerat recte credit, et omnis qui recte credit aliquid sperat, et qui sperat sustinet ne a spe cadat. » Sed prior sensus genuinus est. Agit enim Apostolus toto hoc loco de officiis charitatis, non erga Deum, sed erga proximum, docetque qualem se charitas per omnia exhibeat proximo (1).

Quibus virtutibus oratio quadriga charitatis?

Sedecim sunt fructus charitatis quos explicat Chrysostomus.

Notat Chrysostomus, *hom.* 34, initio, hæc esse sedecim bona et fructus charitatis, quos Corinthiorum morbis quasi remedia opponit : « Charitas, inquit, patiens est, contentiosos notans; benigna, factiosos et clandestinos; non invidet, adversus eos qui ægre superiores ferunt; non est procax, perstringit dissolutos; non inflatur, superbos; non est fastidiosa, contra eos qui se demittere et proximo inservire nolunt; non quærit quæ sua sunt, in eos qui cæteros despiciunt; non irritatur, non cogitat malum, in contumeliosos; non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, in invidos. Rursum, omnia suffert, si solatium circumventis et oppressis; omnia sperat, ad solatium rejectis et desperatis; omnia sustinet, et nunquam excidit, in eos qui levi causa seditiones fovent. » Hæc officia charitatis ita describit S. Gregorius, lib. X *Moral.*, cap. VIII : « Charitas patiens est, quia illata mala æquanimiter tolerat. Benigna vero est, quia pro malis bona largiter ministrat. Non æmulatur, quia per hoc, quod in præsenti mundo nihil appetit, invidere terrenis successibus nescit. Non inflatur, quia cum præmium internæ retributionis anxia desiderat, de bonis se exterioribus non exaltat. Non agit perperam, quia quæ se in solum Dei ac proximi amorem dilatat, quidquid a rectitudine discrepat, ignorat. Non est ambitiosa, quia quæ ardenter intus ad sua satagit, foris nullatenus aliena concupiscit. Non quærit quæ sua sunt, quia cuncta, quæ hic transitorie possidet, velut aliena negligit, cum nihil sibi esse proprium, nisi quod secum permaneat, agnoscit. Non irritatur, quia et injuriis lacessita, ad nullos se ultionis suæ motus excitat, cum pro magnis laboribus majora post præmia exspectat. Non cogitat malum, quia in amore munditiæ mentem solidans, dum omne odium radicitus eruit, versare in animo quod inquinet, nescit. Non gaudet super iniquitate, quia quæ sola dilectione erga omnes inhiat, nec de perditione adversantium exultat. Congaudet autem veritati, quia ut se cæteros diligens, per hoc quod rectum in aliis conspicit, quasi de augmento proprii profectus hilarescit. »

Et S. Gregorius.

Cœlo ergo similis est anima charitate flagrans. Sicut enim cœlum amplissimum totam complectitur terram, eamque per solem calefacit et fœcundat, atque per pluvias etiam spinis horrentia loca irrigat : sic talis anima totius terræ incolas, etiam barbaros, etiam hostes, charitate amplectitur, et quibus valet benefacit, atque spinis odii et vitiorum horrentes sua dulcedine irrigat et confovet.

CHARITAS NUNQUAM EXCIDIT, — non intermoritur, nunquam cessabit, cætera dona in gloria cœlesti cessabunt. Inferunt hæretici, si charitas nunquam excidit, ergo qui eam habet, peccare non potest, estque certus de sua salute. Respondeo : Nego consequentiam. Charitas enim nunquam excidit, scilicet per se; nam sponte sua nunquam hominem deserit, nisi prius ab eo per peccatum deseratur. « Charitas, inquit Cassianus, *Collat.* III, cap. VII, est quæ sectatorem suum nunquam simili cadere supplantatione peccati. » Quamdiu ergo charitati studebis, eamque retinere voles, nunquam illa excidet, nunquam peccabis : sin peccas, per se non excidet charitas, sed per vim eam ipse ejicies.

Vers. 8.

Charitas non sponte sua hominem deserit, nisi prius ab eo per peccatum deseratur.

SIVE PROPHETIÆ EVACUABUNTUR, SIVE LINGUÆ CESSABUNT — non tam ob obscuritatem, quam quia hic data sunt ob imperfectionem audientium, ut scilicet ipsi rudiores per prophetiam et linguas erudiantur. Sic in cœlo cessabit fides, quia ob in-

Fides et spes cessabunt in cœlo,

(1) Pro *omnia sustinet*, alii vertunt, *omnia exspectat*, bona scil., id est, non tantum *sperat*, sed meliora patienter præstolatur.

evidentiam imperfecta est; et spes, quia et ipsa ob rei speratæ absentiam imperfecta est; charitas vero nihil horum habet, sed in se perfecta est; unde manebit in cœlo.

Quid γνῶσις, id est scientia.

SIVE LINGUÆ CESSABUNT. — Non dicit : Lingua cessabit, sed, « Linguæ cessabunt, » quia in cœlo cessabit varietas linguarum, non tamen omnis lingua; nam non tantum mente, sed et sensibili lingua unanimiter laudabimus Deum. Una ergo remanebit lingua, qua omnes utemur in cœlo, eamque fore Hebræam, qua usus fuit Adam in statu innocentiæ, omnesque Patriarchæ, Prophetæ et Sancti ante Christum, imo totus mundus ante divisionem et confusionem linguarum in Babel, docet Haymo, Remigius, Cajetanus hic, Galatinus, lib. XII *De Arcan. fid.*, cap. IV, Vignerius in *Institut.*, cap. IX, 1, vers. 8, ubi agit de dono linguarum. Unde in Apocalypsi græce scripta, dicitur quod Sancti in cœlo canent hebraice *Amen, Allelnia* : in cœlo enim, sublato peccato, auferetur quoque confusio linguarum, atque uti ad primævum innocentiæ statum, ita et ad linguam illius, ac labium unum ac primum redibimus. Sane si qua in cœlo remaneat lingua ex his, quibus in hac vita utimur, crediderim illam Hebræam fore. Sed an ulla remansura sit, non constat. Nam Apostolus tantum dicit : « Linguæ cessabunt, » quod sic intelligi potest, ut omnes cessent quæ jam inter homines in usu sunt. Cum quo tamen consistit, ut alia de novo infundatur Beatis in cœlo sensibilis lingua, eaque omni hac nostra longe nobilior et cœlestis, quæ deceat os et corpus gloriosum, qua Deum corporaliter laudent : quod an verius sit, felix nos docebit experientia. Verius id esse censet noster Joannes Salas, in I II, tom. I, *Quæst.* V, art. 5, tract. 2, disp. 14, num. 106, sect. 14. Quia, inquit, lingua Hebræa suavitate, copia et perspicuitate caret : ergo non sola retinenda est post generalem resurrectionem. In cœlo ergo erit labium electum, ut ait Sophonius, III, 9, hoc est, specialis quædam lingua summe suavis, brevis et perspicua, communis omnibus nationibus, docenda a Deo. Unde S. Bernardus, in *Meditat.*, cap. IV : Una, inquit, erit lingua omnium jubilatio indefessa, etc.; non erit in illa pace diversitas linguarum, scilicet ad communem usum. Præter hanc autem, loquentur cum libuerit, aliis linguis; omnes enim habebunt donum linguarum, et scient omnia idiomata revelatione divina. Addit noster Salmeron et alii, in cœlo Deum omnibus linguis esse celebrandum; quia hoc videtur spectare ad majorem Dei gloriam, ut omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris. Et sic omnis lingua erit una, quia unum idemque sentiet et prædicabit : sicut Martialis, *epigram.* 1, blandiendo Cæsari dixit :

Una in cœlo lingua erit. Eamque Hebraicam fore multi putant.

Vox diversa sonat populorum, est tamen una,
Dum verus unicæ dicetur esse pater.

Fortasse Beatis infundetur nova lingua celestis et nobilior qua vix ter-

SIVE SCIENTIA DESTRUETUR. — « Scientia, » græce

Vers. 9.

Prima præmissa et cognita.

Alia species in cœlo erit Theologia.

9. EX PARTE ENIM COGNOSCIMUS, ET EX PARTE PROPHETAMUS. — « Ex parte, » hoc est, imperfecte; Syrus vertit, *modicum ex multo cognoscimus* : hoc enim modicum et imperfectum, quod partim per scientiam, partim per prophetiam cognoscimus, opponit perfecto, vers. seq., id est, perfecto visioni et cognitioni Dei in se, et omnium in Deo; quia revera totum quod est Dei, et omnia ejus attributa et perfectiones in hac vita non cognoscimus, sed soli et omnes Beati illa cognoscunt, idque probat exemplo parvuli, qui uti ætate, ita scientia adolescit; Beati enim scientia sunt quasi viri, cum in ea nos sumus pueri. Rursum scientia nostra Theologica, licet certa sit, est tamen inevidens et obscura, quia fide nititur, ideoque tantum scientia est ex parte, sive imperfecta; Beati vero clare et evidenter omnia cognoscent, imo cominus vident et intuentur.

Habitus Theologiæ in cœlo cessabunt, quia scire licet sensus esse.

Secunda exposito.

Tertia.

Nostra scientia respectu Dei est scientia parvuli.

11. CUM ESSEM PARVULUS. — Græce νήπιος hebraice dicitur עולל *olel*, id est, puer, qui nunc incipit loqui, cogitare, moliri, conari, sentire, intelligere et agere aliquid, uti faciunt nostri parvuli. Hoc enim significat Hebræa radix עלל *alal*. Unde subdit Paulus :

LOQUEBAR UT PARVULUS, SAPIEBAM UT PARVULUS, COGITABAM UT PARVULUS. — « Sapiebam, » græce ἐφρόνουν, id est *sentiebam*. Ita Vatablus. Parvuli enim, vel ut græce, νήπιοι, id est *infantes*, non habent sapientiam, sed sensum, *q. d.* Sicut parvulus existens cogitavi et sapui et sensi ut parvulus; sed factus vir cogitavi et sapui ut vir : ita, « cum venerit quod perfectum est, » id est per-

fecta in cœlo sapientia, evacuabitur partialis et imperfecta scientia, quam in hac vita habemus; ut qui hic scientia sumus pueri, in cœlo eadem simus viri: alteram enim similitudinis partem ita supplendam reliquit Paulus ex vers. præced.

Vers. 12. Quid sit videre *per speculum* ? Prima explicatio.

12. VIDEMUS (scilicet Deum et divina, quibus salvi et beati fimus, ut patet ex seq.) NUNC PER SPECULUM IN ÆNIGMATE : TUNC AUTEM FACIE AD FACIEM. — Dices : Si per speculum hic Deum videmus, ergo eum clare videmus et non in ænigmate; speculum enim non rei imaginem, ut vulgus putat, sed ipsam rem oculis exhibet.

Speculum non imaginem rei, sed rem ipsam repræsentat.

Respondeo : Verum est, quod speculum rem ipsam oculis exhibet; id tamen facit per radium non directum, sed reflexum, ideoque non proprie, clare, distincte, sed quasi procul, obscure et confuse rem repræsentat; talis autem est cognitio de Deo et divinis, quam habemus in hac vita; quia in cœlo directe, prope, clare videbimus Deum in se facie ad faciem.

Secunda.

Secundo, pro « per speculum, » græce est δι' ἐσόπτρου, id est, *per inspectorium* videmus : ἔσοπτρον enim est id quod inspicimus, quasi medium alicujus rei videndæ, qualia sunt perspicilla senum, speculum oculare, sive vitrum viride quod scripturæ superponitur, ut oculos debiles in lectione confortet; res tamen facit videri virides, subatras et obscuras : et tale speculum proprie facit videri litteras, et rem visam non in se immediate, sed per medium obscurum, et per similitudinem umbrosam, sive, ut Apostolus ait, in ænigmate; tale ergo speculum hic accipi potest.

Vers. 12. Pro *per speculum* vertunt alii *per cancellos*, *per transennam*. Multiplex est speculum, per quod hic Deum videmus.

Tertio, aliqui δι' ἐσόπτρου vertunt, *per cancellos*, *per transennam*. Sicut enim mercatores per cancellos vimineos transeuntibus merces e domo ostentant, non prope et distincte, sed procul, summatim et confuso modo; sic Deus se nobis ostendit in hac vita (1).

Quæres : Quodnam est hoc speculum, per quod hic Deum et divina videmus in ænigmate? Respondeo : *Primo*, esse creaturas, quæ quasi speculum creatorem suum repræsentant. Ita S. Thomas.

Secundo, esse phantasmata, quæ sunt rerum species. *Tertio*, esse humanitatem Christi, ejusque mysteria, quæ divinitatem ejus velant et repræsentant. Rursum esse Sacramenta aliasque cæremonias et ritus. Ita Theodoretus. « In sanctissimo, inquit Theodoretus, baptismo videmus figuram resurrectionis, tunc autem ipsam videbimus resurrectionem; hic videmus symbola Dominici corporis, illis autem ipsum Dominum videbimus; id enim significat τὸ *ad faciem*. Videbimus autem ejus, non quæ sub aspectum non cadit naturam, quæ a nullo cerni potest, sed eam quæ de nobis sumpta est. » In quibus ultimis Theodoreti verbis cavendus est illius error : videtur enim dicere, quod in cœlo tantum videbimus humanitatem Christi, quia divina natura, inquit, cerni nequit. Sed excusari potest, quod loquatur tantum de visione corporali, de qua verum est dicere, quod oculis corporis tantum videbimus humanitatem Christi. Verum hoc est præter mentem Apostoli : agit enim Apostolus de visione beatifica divinitatis vel maxime.

Error Theodoreti de visione beatifica tantum quoad humanitatem.

IN ÆNIGMATE, — per ænigma, id est per obscuram orationem, cogitationem, phantasiam. Ita Anselmus. Ænigma enim est quæstio, quæ cum involucris verborum proponitur.

TUNC AUTEM FACIE AD FACIEM. — Alludit ad Moysen, de quo dicitur *Exodi* XXXIII, 11 : « Loquebatur ad Mosen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum. » Et *Num.* cap. XII, 8 : « Ore ad os loquor ei : et palam, et non per ænigmata et figuras (ut alii Prophetæ) Dominum videt. »

NUNC COGNOSCO EX PARTE (imperfecte, ut dixi vers. 9), TUNC AUTEM COGNOSCAM SICUT ET COGNITUS SUM. — *q. d.* Tum in cœlo perfecte cognoscam et intuebor Deum sicuti est in sua essentia, et reliqua Dei et fidei mysteria, sicut ipse me novit, et intuetur hoc quod sum per meam essentiam. Ita Anselmus, Theophylactus, Cajetanus, Ambrosius et Theodoretus : « Cognoscam, inquit, sicut et cognitus sum, id est sicut notus et familiaris, qui vultum amici clare intuetur. » Extendit hæc Apostoli verba S. Augustinus etiam ad cognitionem eorum, quæ hic in terris fiunt, et ad Sancti alicujus statum spectant. Unde ipse ex hoc loco probat, quod Sancti res nostras perfectius intelligant in cœlo, quam intellexerunt olim in terra, unde sequitur ipsos et preces nostras, quibus eos invocamus, cognoscere. Ita ipse lib. XXII *De Civit.*, cap. XXIX. Aliter Chrysostomus et Œcumenius : Tunc, inquiunt, cognoscam practice, et accurram ad eum per amorem et justitiam, sicut ipse me gratia sua prævenit et præcucurrit.

Sancti perfectius res nostras intelligunt in cœlo, quam in terra intelligerunt.

Tertio, alii sic explicant : Tunc cognoscam eo perfectionis gradu ad quem ab æterno cognitus et prædestinatus sum a Deo. Sed primus sensus est genuinus; opponit enim cognitionem claram et plenam cognitioni ex parte, hoc est imperfectæ et ænigmaticæ (2).

Vers. 13. In patria manebit sola charitas.

13. NUNC AUTEM MANENT FIDES, SPES, CHARITAS, TRIA HÆC : MAJOR AUTEM HORUM EST CHARITAS. — « Nunc, » græce est νυνί, et vers. præced. est ἄρτι, id est adhuc, scilicet in præsenti vita. Clare enim hoc capite docet Paulus fidem, spem et charitatem hic manere, sed in patria solam charitatem. Ita Patres. Vide Gregorium de Valentia, disp. I, Quæst. V, de subjecto fidei, puncto 2.

Objectio et Irenæo et Tertulliano.

Dices : Irenæus, lib. II, cap. XLVII; Tertullianus, *De Patientia*, cap. XII, *nunc* intelligunt in cœlo :

(1) Est ἔσοπτρον *lapis specularis*, ex quo antiqui fenestras habuerunt, pellucidus quidem, sed, si cum nostris vitreis conferantur, multo obscuriores. Cf. Plinium, *Hist. Nat.*, III, 4; XXXVI, 45.

(2) Rosenmullerus : *Tum vero cognoscam pro cognitione qua imbutus fuero.* Alibi : *Tum cognoscam Deum eo majori ac clariori cognitione, quo ego nunc justior ac sanctior ab illo cognitus sum.*

ergo in cœlo etiam erit et manebit tam spes quam fides.

Respondeo : Hi Patres per *fidem* accipiunt omnem firmam cognitionem, qualis est visio Dei : per *spem* vero, firmam adhæsionem in Deo amato, quæ est fruitio Dei. Hoc enim est quod ait Tertullianus : « Permanent, inquit, fides, spes, dilectio : fides, quam Christi patientia induxit; spes, quam hominis patientia exspectat; dilectio, quam Deo magistro patientia comitatur. » Sed hæc non sunt ad mentem Apostoli hic, ut patet.

MAJOR (id est maxima) EST CHARITAS. — Sic Catullus :

> Hespere, qui luces cœlo jucundior igni,

id est jucundissima stella.

Hinc patet fidem non esse fiduciam hæreticorum de remissis peccatis, quia illa fiducia non est aliud quam spes roborata; si quid est amplius, scilicet proprie dicta fides, qua certissime credas te esse justum, te esse salvandum, sicut credis Deum esse; tunc superflua est spes. Quod enim certo credis, id non speras, nec sperare potes : sicut non speras Deum esse, Christum esse passum pro nobis. Spes enim quæ vere spes est, habet adjunctum metum et formidinem de opposito, qualis nulla est in fide. Insuper Apostolus hic spem sive fiduciam a fide distinguit, et tam spem quam fidem in hac vita requirit : ergo fides non est fiducia illa, quam jactant hæretici.

Patet rursum, charitatem omnium virtutum esse maximam et eminentissimam. Sicut enim inter elementa eminet ignis, inter metalla aurum, inter cœlos empyreum, inter planetas sol, inter angelos Seraphini : ita inter virtutes quasi regina eminet charitas. Ea enim est ignis cœlestis, qui animos omnium circum se inflammat; est aurum fulgentissimum, quo cœlestes merces emimus; empyreum cœlum est, in quo habitat Deus et Beati; sol est, qui omnia illuminat, fœcundat, vivificat; seraphica virtus est, quæ Seraphinos ardentes efficit. Vide dicta *Deuter.* VI, 5 : « Quod est in navigio gubernator, quod in civitate magistratus, quod in mundo sol, hoc inter mortales est amor. Navigium sine gubernatore labascit, civitas sine magistratu periclitatur, mundus sine sole tenebricosus efficitur; et mortalium vita sine amore vitalis non est. Tolle ex hominibus amorem, solem e mundo sustuleris. Venuste Plautinus senex amorem appellat Deum munditiantem, id est, omnia munda et elegantia reddentem, » inquit Heroaldus.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Deo linguarum præfert prophetiam, primo, quia prophetia peratilis est ad ædificationem aliorum : linguæ vero non nisi quis eas interpretetur.

Secundo, vers. 21, *quia prophetia datur fidelibus : linguæ vero datæ sunt in signum, non fidelibus, sed infidelibus, idque probat ex cap.* XXVIII *Isaiæ.*

Deinde, vers. 23, *tradit normam qua his donis rite utantur, præscribitque ordinem qui servari debeat in sacro Ecclesiæ conventu; in quo*, vers. 34, *omnino mulieres silere jubet.*

1. Sectamini charitatem, æmulamini spiritalia : magis autem ut prophetetis. 2. Qui enim loquitur lingua, non hominibus loquitur, sed Deo : nemo enim audit. Spiritu autem loquitur mysteria. 3. Nam qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, et exhortationem, et consolationem. 4. Qui loquitur lingua, semetipsum ædificat : qui autem prophetat, Ecclesiam Dei ædificat. 5. Volo autem omnes vos loqui linguis : magis autem prophetare. Nam major est qui prophetat, quam qui loquitur linguis : nisi forte interpretetur, ut Ecclesia ædificationem accipiat. 6. Nunc autem, fratres, si venero ad vos linguis loquens, quid vobis prodero, nisi vobis loquar aut in revelatione, aut in scientia, aut in prophetia, aut in doctrina? 7. Tamen quæ sine anima sunt vocem dantia, sive tibia, sive cithara, nisi distinctionem sonituum dederint, quomodo scietur id quod canitur, aut quod citharizatur? 8. Etenim si incertam vocem det tuba, quis parabit se ad bellum? 9. Ita et vos per linguam nisi manifestum sermonem dederitis, quomodo scietur id quod dicitur? eritis enim in aera loquentes. 10. Tam multa, ut puta, genera linguarum sunt in hoc mundo : et nihil sine voce est. 11. Si ergo nesciero virtutem vocis, ero ei cui loquor, bar-

fecta in cœlo sapientia, evacuabitur partialis et imperfecta scientia, quam in hac vita habemus; ut qui hic scientia sumus pueri, in cœlo eadem simus viri: alteram enim similitudinis partem ita supplendam reliquit Paulus ex vers. præced.

Vers. 12. Quid sit videre *per speculum* ? Prima explicatio.

12. VIDEMUS (scilicet Deum et divina, quibus salvi et beati fimus, ut patet ex seq.) NUNC PER SPECULUM IN ÆNIGMATE : TUNC AUTEM FACIE AD FACIEM. — Dices : Si per speculum hic Deum videmus, ergo eum clare videmus et non in ænigmate; speculum enim non rei imaginem, ut vulgus putat, sed ipsam rem oculis exhibet.

Speculum non imaginem rei, sed rem ipsam repræsentat.

Respondeo : Verum est, quod speculum rem ipsam oculis exhibet; id tamen facit per radium non directum, sed reflexum, ideoque non proprie, clare, distincte, sed quasi procul, obscure et confuse rem repræsentat; talis autem est cognitio de Deo et divinis, quam habemus in hac vita; quia in cœlo directe, prope, clare videbimus Deum in se facie ad faciem.

Secunda.

Secundo, pro « per speculum, » græce est δι' ἐσόπτρου, id est, *per inspectorium* videmus : ἔσοπτρον enim est id quod inspicimus, quasi medium alicujus rei videndæ, qualia sunt perspicilla senum, speculum oculare, sive vitrum viride quod scripturæ superponitur, ut oculos debiles in lectione confortet; res tamen facit videri virides, subatras et obscuras : et tale speculum proprie facit videri litteras, et rem visam non in se immediate, sed per medium obscurum, et per similitudinem umbrosam, sive, ut Apostolus ait, in ænigmate; tale ergo speculum hic accipi potest.

Vers. 12. Pro *per speculum* vertunt alii *per cancellos*, *per transennam*. Multiplex est speculum, per quod hic Deum videmus.

Tertio, aliqui δι' ἐσόπτρου vertunt, *per cancellos*, *per transennam*. Sicut enim mercatores per cancellos vimineos transeuntibus merces e domo ostentant, non prope et distincte, sed procul, summatim et confuso modo; sic Deus se nobis ostendit in hac vita (1).

Quæres : Quodnam est hoc speculum, per quod hic Deum et divina videmus in ænigmate? Respondeo : *Primo*, esse creaturas, quæ quasi speculum creatorem suum repræsentant. Ita S. Thomas.

Secundo, esse phantasmata, quæ sunt rerum species. *Tertio*, esse humanitatem Christi, ejusque mysteria, quæ divinitatem ejus velant et repræsentant. Rursum esse Sacramenta aliasque cæremonias et ritus. Ita Theodoretus. « In sanctissimo, inquit Theodoretus, baptismo videmus figuram resurrectionis, tunc autem ipsam videbimus resurrectionem; hic videmus symbola Dominici corporis, illis autem ipsum Dominum videbimus; id enim significat τὸ *ad faciem*. Videbimus autem ejus, non quæ sub aspectum non cadit naturam, quæ a nullo cerni potest, sed eam quæ de nobis sumpta est. » In quibus ultimis Theodoreti verbis cavendus est illius error : videtur enim dicere, quod in cœlo tantum videbimus humanitatem Christi, quia divina natura, inquit, cerni nequit. Sed excusari potest, quod loquatur tantum de visione corporali, de qua verum est dicere, quod oculis corporis tantum videbimus humanitatem Christi. Verum hoc est præter mentem Apostoli : agit enim Apostolus de visione beatifica divinitatis vel maxime.

Error Theodoreti de visione beatifica tantum quoad humanitatem.

IN ÆNIGMATE, — per ænigma, id est per obscuram orationem, cogitationem, phantasiam. Ita Anselmus. Ænigma enim est quæstio, quæ cum involucris verborum proponitur.

TUNC AUTEM FACIE AD FACIEM. — Alludit ad Moysen, de quo dicitur *Exodi* XXXIII, 11 : « Loquebatur ad Mosen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum. » Et *Num.* cap. XII, 8 : « Ore ad os loquor ei : et palam, et non per ænigmata et figuras (ut alii Prophetæ) Dominum videt. »

NUNC COGNOSCO EX PARTE (imperfecte, ut dixi vers. 9), TUNC AUTEM COGNOSCAM SICUT ET COGNITUS SUM. — *q. d.* Tum in cœlo perfecte cognoscam et intuebor Deum sicuti est in sua essentia, et reliqua Dei et fidei mysteria, sicut ipse me novit, et intuetur hoc quod sum per meam essentiam. Ita Anselmus, Theophylactus, Cajetanus, Ambrosius et Theodoretus : « Cognoscam, inquit, sicut et cognitus sum, id est sicut notus et familiaris, qui vultum amici clare intuetur. » Extendit hæc Apostoli verba S. Augustinus etiam ad cognitionem eorum, quæ hic in terris fiunt, et ad Sancti alicujus statum spectant. Unde ipse ex hoc loco probat, quod Sancti res nostras perfectius intelligant in cœlo, quam intellexerunt olim in terra, unde sequitur ipsos et preces nostras, quibus eos invocamus, cognoscere. Ita ipse lib. XXII *De Civit.*, cap. XXIX. Aliter Chrysostomus et Œcumenius : Tunc, inquiunt, cognoscam practice, et accurram ad eum per amorem et justitiam, sicut ipse me gratia sua prævenit et præcucurrit.

Sancti perfectius res nostras intelligunt in cœlo, quam in terra intelligerunt.

Tertio, alii sic explicant : Tunc cognoscam eo perfectionis gradu ad quem ab æterno cognitus et prædestinatus sum a Deo. Sed primus sensus est genuinus; opponit enim cognitionem claram et plenam cognitioni ex parte, hoc est imperfectæ et ænigmaticæ (2).

Vers. 13. In patria manebit sola charitas.

13. NUNC AUTEM MANENT FIDES, SPES, CHARITAS, TRIA HÆC : MAJOR AUTEM HORUM EST CHARITAS. — « Nunc, » græce est νυνί, et vers. præced. est ἄρτι, id est adhuc, scilicet in præsenti vita. Clare enim hoc capite docet Paulus fidem, spem et charitatem hic manere, sed in patria solam charitatem. Ita Patres. Vide Gregorium de Valentia, disp. I, Quæst. V, de subjecto fidei, puncto 2.

Objectio et Irenæo et Tertulliano.

Dices : Irenæus, lib. II, cap. XLVII; Tertullianus, *De Patientia*, cap. XII, *nunc* intelligunt in cœlo :

(1) Est ἔσοπτρον *lapis specularis*, ex quo antiqui fenestras habuerunt, pellucidus quidem, sed, si cum nostris vitreis conferantur, multo obscuriores. Cf. Plinium, *Hist. Nat.*, III, 4; XXXVI, 45.

(2) Rosenmullerus : *Tum vero cognoscam pro cognitione qua imbutus fuero.* Alibi : *Tum cognoscam Deum eo majori ac clariori cognitione, quo ego nunc justior ac sanctior ab illo cognitus sum.*

ergo in cœlo etiam erit et manebit tam spes quam fides.

Respondeo : Hi Patres per *fidem* accipiunt omnem firmam cognitionem, qualis est visio Dei : per *spem* vero, firmam adhæsionem in Deo amato, quæ est fruitio Dei. Hoc enim est quod ait Tertullianus : « Permanent, inquit, fides, spes, dilectio : fides, quam Christi patientia induxit; spes, quam hominis patientia exspectat; dilectio, quam Deo magistro patientia comitatur. » Sed hæc non sunt ad mentem Apostoli hic, ut patet.

MAJOR (id est maxima) EST CHARITAS. — Sic Catullus :

> Hespere, qui luces cœlo jucundior igni,

id est jucundissima stella.

Hinc patet fidem non esse fiduciam hæreticorum de remissis peccatis, quia illa fiducia non est aliud quam spes roborata; si quid est amplius, scilicet proprie dicta fides, qua certissime credas te esse justum, te esse salvandum, sicut credis Deum esse; tunc superflua est spes. Quod enim certo credis, id non speras, nec sperare potes : sicut non speras Deum esse, Christum esse passum pro nobis. Spes enim quæ vere spes est, habet adjunctum metum et formidinem de opposito, qualis nulla est in fide. Insuper Apostolus hic spem sive fiduciam a fide distinguit, et tam spem quam fidem in hac vita requirit : ergo fides non est fiducia illa, quam jactant hæretici.

Patet rursum, charitatem omnium virtutum esse maximam et eminentissimam. Sicut enim inter elementa eminet ignis, inter metalla aurum, inter cœlos empyreum, inter planetas sol, inter angelos Seraphini : ita inter virtutes quasi regina eminet charitas. Ea enim est ignis cœlestis, qui animos omnium circum se inflammat; est aurum fulgentissimum, quo cœlestes merces emimus; empyreum cœlum est, in quo habitat Deus et Beati; sol est, qui omnia illuminat, fœcundat, vivificat; seraphica virtus est, quæ Seraphinos ardentes efficit. Vide dicta *Deuter.* VI, 5 : « Quod est in navigio gubernator, quod in civitate magistratus, quod in mundo sol, hoc inter mortales est amor. Navigium sine gubernatore labascit, civitas sine magistratu periclitatur, mundus sine sole tenebricosus efficitur; et mortalium vita sine amore vitalis non est. Tolle ex hominibus amorem, solem e mundo sustuleris. Venuste Plautinus senex amorem appellat Deum munditiantem, id est, omnia munda et elegantia reddentem, » inquit Heroaldus.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Deo linguarum præfert prophetiam, primo, quia prophetia peratilis est ad ædificationem aliorum : linguæ vero non nisi quis eas interpretetur.

Secundo, vers. 21, *quia prophetia datur fidelibus : linguæ vero datæ sunt in signum, non fidelibus, sed infidelibus, idque probat ex cap.* XXVIII *Isaiæ.*

Deinde, vers. 23, *tradit normam qua his donis rite utantur, præscribitque ordinem qui servari debeat in sacro Ecclesiæ conventu; in quo*, vers. 34, *omnino mulieres silere jubet.*

1. Sectamini charitatem, æmulamini spiritalia : magis autem ut prophetetis. 2. Qui enim loquitur lingua, non hominibus loquitur, sed Deo : nemo enim audit. Spiritu autem loquitur mysteria. 3. Nam qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, et exhortationem, et consolationem. 4. Qui loquitur lingua, semetipsum ædificat : qui autem prophetat, Ecclesiam Dei ædificat. 5. Volo autem omnes vos loqui linguis : magis autem prophetare. Nam major est qui prophetat, quam qui loquitur linguis : nisi forte interpretetur, ut Ecclesia ædificationem accipiat. 6. Nunc autem, fratres, si venero ad vos linguis loquens, quid vobis prodero, nisi vobis loquar aut in revelatione, aut in scientia, aut in prophetia, aut in doctrina? 7. Tamen quæ sine anima sunt vocem dantia, sive tibia, sive cithara, nisi distinctionem sonituum dederint, quomodo scietur id quod canitur, aut quod citharizatur? 8. Etenim si incertam vocem det tuba, quis parabit se ad bellum? 9. Ita et vos per linguam nisi manifestum sermonem dederitis, quomodo scietur id quod dicitur? eritis enim in aera loquentes. 10. Tam multa, ut puta, genera linguarum sunt in hoc mundo : et nihil sine voce est. 11. Si ergo nesciero virtutem vocis, ero ei cui loquor, bar-

barus : et qui loquitur, mihi barbarus. 12. Sic et vos, quoniam æmulatores estis spirituum, ad ædificationem Ecclesiæ quærite ut abundetis. 13. Et ideo qui loquitur lingua, oret ut interpretetur. 14. Nam si orem lingua, spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est. 15. Quid ergo est? Orabo spiritu, orabo et mente : psallam spiritu, psallam et mente. 16. Cæterum si benedixeris spiritu, qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet, Amen, super tuam benedictionem? quoniam quid dicas, nescit; 17. nam tu quidem bene gratias agis, sed alter non ædificatur. 18. Gratias ago Deo meo, quod omnium vestrum lingua loquor. 19. Sed in Ecclesia volo quinque verba sensu meo loqui, ut et alios instruam, quam decem millia verborum in lingua. 20. Fratres, nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote : sensibus autem perfecti estote. 21. In lege scriptum est : Quoniam in aliis linguis, et labiis aliis loquar populo huic : et nec sic exaudient me, dicit Dominus. 22. Itaque linguæ in signum sunt non fidelibus, sed infidelibus : prophetiæ autem non infidelibus, sed fidelibus. 23. Si ergo conveniat universa Ecclesia in unum, et omnes linguis loquantur, intrent autem idiotæ, aut infideles : nonne dicent quod insanitis? 24. Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis, vel idiota, convincitur ab omnibus, dijudicatur ab omnibus : 25. occulta cordis ejus manifesta fiunt, et ita cadens in faciem dijudicatur Deum, pronuntians quod vere Deus in vobis. 26. Quid ergo est, fratres? cum convenitis, unusquisque vestrum psalmum habet, doctrinam habet, apocalypsim habet, linguam habet, interpretationem habet : omnia ad ædificationem fiant. 27. Sive lingua quis loquitur, secundum duos, aut ut multum tres, et per partes, et unus interpretetur. 28. Si autem non fuerit interpres, taceat in Ecclesia, sibi autem loquatur, et Deo. 29. Prophetæ autem duo, aut tres dicant, et cæteri dijudicent. 30. Quod si alii revelatum fuerit sedenti, prior taceat. 31. Potestis enim omnes per singulos prophetare : ut omnes discant, et omnes exhortentur; 32. et spiritus prophetarum prophetis subjecti sunt. 33. Non enim est dissensionis Deus, sed pacis, sicut et in omnibus Ecclesiis sanctorum doceo. 34. Mulieres in Ecclesiis taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut et lex dicit. 35. Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent. Turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia. 36. An a vobis verbum Dei processit? aut in vos solos pervenit? 37. Si quis videtur propheta esse, aut spiritualis, cognoscat quæ scribo vobis, quia Domini sunt mandata. 38. Si quis autem ignorat, ignorabitur. 39. Itaque, fratres, æmulamini prophetare : et loqui linguis nolite prohibere. 40. Omnia autem honeste et secundum ordinem fiant.

Capit Apostolus, cap. XII, agere de variis donis et gratiis gratis datis, quæ varie variis Spiritus Sanctus distribuit; atque ut Corinthios factantiam de illis et maxime de dono linguarum eximeret, ideireo, cap. XIII, hortatus est omnes ad charitatem, quasi reginam omnium gratiarum et donorum : hoc vero capite redit ad gratias gratis datas, docetque non tantum charitatem, sed et prophetiam præcellere dono linguarum.

Quæres, quid hoc cap. intelligat Apostolus per *prophetare*, per *Prophetas*? hæc enim est præcipua hujus capitis difficultas.

Quis sit Propheta et omnibus unquo?

Nota : *Propheta*, græce προφήτης, proprie dicitur is, qui ex Dei instinctu rem, antequam eveniat, prædicit. Derivatur enim *Propheta*, non a Latino *præ* et *fari*, sed ex græco πρὸ, id est ante, et φημὶ, id est dico, loquor : non autem, ut aliqui, ex πρὸ et φαίνω, ut sit Propheta is, cui prius aliquid apparet, quam fiat. Hinc *Propheta* hebraice dicitur נביא *nabi*, quasi a radice, נבא *bo*, id est venit, ut notant doctiores Hebræi, tanquam *nabi* sit is, qui id quod venturum est, præloquitur. Hæc origo est nominis : extenditur tamen a pari nomen Prophetæ, ut significet eum qui arcana cordis aut alia secreta revelat, et eum qui conscius est mentis divinæ, interpres videlicet et internuntius cœlestis numinis, quique abstrusa et arcana voluntatis ingeniique divini perspecta habet et enuntiat. Sic Abraham Deo familiaris et carus, quem Deus suo colloquio dignatus est, dicitur Propheta, *Genes.* XX, 7.

Quem Abraham dicatur Propheta?

Itaque prophetia generatim in Scripturis dicitur facultas illa Dei consilia et placita plenius ac certius tum cognoscendi, tum enarrandi ad Ecclesiæ profectum, quam Spiritus Sanctus afflat et aspirat hominibus certis, qui inde Prophetæ vocantur. Hujus pars quædam est præsensio ac prædictio futurorum, aut etiam quorumvis reconditorum, sive præteritorum, sive futurorum. Pars altera, et quidem divinior et principalior, est de Deo, Deique pietate et virtutibus dexterius et divinius disserendi facultas non studio parta, sed ab eodem Spiritu aspirata; nam si studio parta est, scientia est et doctrina, non prophetia. Itaque S. Paulus, qui Evangelium suum non ab homine accepit, sed per revelationem Jesu Christi. *Galat.* I, ex perpetua potius prophetia, quam doctrina docuit et prædicavit.

Facultas de divinis disserendi studio parta scientia est, non prophetia.

Septimum acceptum ab Apostolo pro prophetia.

Primo, ergo *Prophetæ* vocantur, qui futura vel arcana instinctu Spiritus Sancti proloquuntur.

Primo, Prophetia est futuri;

Secundo, doctores, non quivis, sed qui ejusdem Spiritus Sancti instinctu docent et exhortantur ad pietatem (1).

Secundo, doctor; Tertio, exhortator.

Hinc *tertio*, *Prophetæ* dicebantur, qui arripiebantur vi quadam spiritus, ut hymnis Deum celebrarent et populum ad pietatem provocarent. Sic I *Reg.* X, Spiritus insiluit in Saul, et prophetavit; et, ut dicitur cap. XIX, deposuit vestes, et nudus cecinit per diem et noctem. Rursum, quia prophetæ Elias et Elisæus suos habebant discipulos, qui quasi viri religiosiores certis temporibus, tum decantandis psalmis, orando et laudando Deum, tum exercitiendo, meditando et docendo legem Domini, præ aliis se studiose occupabant, quique interdum singulari afflatu Spiritus arripiebantur, ut ille qui Jehu in regem unxit : hinc omnes hi dicti sunt Prophetæ, horumque filii vel discipuli dicti sunt filii Prophetarum, de quibus sæpe fit mentio lib. IV *Regum* : præsertim quia inter eos semper erant aliqui veri Prophetæ.

Qui dicti sint filii Prophetarum?

Hinc *quarto*, extenditur *Prophetæ* nomen ad cantores quosvis, ut prophetare sit idem quod psallere et Dei laudes simpliciter canere. Sic I *Paralip.* XXV, filii Asaph, Heman, Idithun dicuntur « prophetare in psalteriis, citharis et cymbalis, » hoc est, hæc instrumenta pulsare et Deo psallere. Erant tamen inter hos cantores veri Prophetæ, scilicet principes cantorum, Asaph, Heman, Idithun, qui ex afflatu Sancti Spiritus composuerunt psalmos eorum nomine inscriptos, ut tradunt Hebræi.

Quarto, Prophetia est cantio.

Principes cantorum Asaph, etc., veri Prophetæ fuerunt.

Quinto, per catachresin *Prophetæ* vocantur deliri, qui ex afflatu spiritus mali insolentius delirant et insana proloquuntur. Sic I *Reg.* XVIII, 9 : « Invasit spiritus Dei malus Saul, et prophetabat in medio domus suæ, » hoc est, delirabat et insolentia loquebatur, quasi actus enthusiasmo. Unde et profani poetas vocabant vates et prophetas, eo quod et ipsi viderentur Musarum quodam furore agi, instar Sibyllæ in componendis et decantandis carminibus. Ita Ovidius, lib. VI *Fastor.* :

Quinto, Prophetia est delirium.

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo,
Impetus hic sacræ semina mentis habet.

Quare poetæ vocentur Prophetæ?

Sic ad Titum, cap. I, 21, Epimenides poeta dicitur *Propheta*.

Sexto, « prophetare » significat miracula facere. Hoc enim erat opus Prophetarum, qui erant viri sancti et divini, et quasi organa Dei divinæque sapientiæ et potentiæ. Sic *Eccli.* cap. XLVIII, dicitur corpus mortuum Elisæi prophetasse, quia suo contacto mortuum resuscitavit, IV *Reg.* XIII, 21. Sic etiam sumitur Propheta, *Lucæ* VII, 16.

Sexto, prophetare significat miracula facere. Corpus mortuum Elisæi prophetavit, id est, mortuum resuscitavit.

Septimo, « prophetare » est prophetiam confirmare. Sic *Eccli.* XLIX, ossa Joseph dicuntur post mortem prophetasse, id est, quando per castra et cum castris Hebræorum egredientium ex Ægypto efferebantur simul ossa Joseph, tacite testabantur et loquebantur pristinam ejus de hoc egressu prophetiam veram esse, eamque confirmabant.

Septimo, Prophetare est prophetiam confirmare. Veraprophetia magna ex parte cessavit.

Ex his patet, veram et proprie dictam prophetiam, qualis erat ante Christum et in primitiva Ecclesia frequens, jam magna ex parte cessasse, et apud paucissimos viros egregie sanctos, in testimonium sanctitatis eorum reperiri. Eorum enim donorum frequentia, quæ miraculo hominis contingebant, qualia erant loqui linguis, prophetare et similia, fere cum Apostolis finem accepit, scilicet ut promiscue jam illa non dentur, uti tam dabantur, sed tantum paucis et raris. Miracula enim illa maxime propter infideles ad Evangelii inquisitionem et confirmationem, Dominus voluit coruscare; jam vero quia satis fides est stabilita, et mundus conversus, ea subtrahit, vultque Ecclesiam solita docendi et exhortandi ratione perficere et proficere. Hæc Jansenius, in cap. XLVII *Concordiæ*.

Quæres *secundo* : Quonam horum modorum hoc capite accipitur a Paulo nomen Prophetæ? Respondeo *primo* : Chrysostomus et Theophylactus proprie hic capiunt, pro eo qui futura prædicit. Sic enim accepit hoc nomen Paulus, cap. XII. *Secundo*, Theodoretus prophetiam hic accipit pro cogitationum aliorumque occultorum manifestatione : favet vers. 24.

Quomodo Paulo Prophetia hic accipiatur?

Verum nota Apostolum hoc capite describere omnia quæ fiebant olim in conventibus fidelium in Ecclesia, eaque comprehendere nomine linguarum et nomine prophetiæ. Nam Spiritus Sanctus olim in Ecclesia afflabat multos, ut exoticis et peregrinis linguis cantica spiritualia, preces, hymnos, orationes, psalmos aliaque coram simplici et promiscua plebe canerent aut recitarent, uti factum erat in Pentecoste ab Apostolis, *Act.* II. Id patet ex S. Dionysio, cap. III *De Divinis nominibus*, et Tertulliano, *Apolog.* XXIX, et hoc vocat hic Apostolus « donum linguarum, » sive « linguis loqui. » Aliis vero Spiritus Sanctus dabat exponere sanctam Scripturam, vel docere, vel verba facere de divinis, vel prædicare et exhortari, vel hymnum aut psalmum canere, vel orationem insignem populo vulgari lingua præire; subinde etiam, ut notant Chrysostomus et Theodoretus hic, arcana cordis, aliaque occulta, imo et vera

Nemos simpliciter et in linguarum Paulus prospexerit omnia quæ Spiritus Sanctus dabat in conventibus Ecclesiæ.

(1) Et quidem est hoc, alt Allioli, præcipuum prophetiæ munus.

prophetias proloqui. Et hæc omnia comprehendit hic Paulus nomine prophetiæ, maxime concionem et doctrinam, opponitque dono linguarum. Id patet vers. 4, 5, 6, 31, sed maxime vers. 25, 26. Nam et prisci Prophetæ non tantum futura prædicunt, sed et docent et concionantur, et psalmos orationesque miscent. Unde prophetiam hanc Apostolus hic linguis præfert, et ad eam toto cap. hortatur, ordinatque quo modo et ordine fieri debeat, id est ordinat modum quo fieri debeant conventus et collationes spirituales in Ecclesia, tum ante, tum post sacram Synaxin. In his enim unus explicabat sacram Scripturam, alius exhortabatur, tertius hymnum, quartus psalmum canebat, etiam lingua subinde peregrina. Ita Ambrosius, Anselmus et pulchre Philo, lib. *De Essæis*, ita Essæos has collationes instituisse docet. Sic et superius cap. XI, vers. 4 et 5, accepit nomen Prophetæ.

Paulus ordinat quomodo celebrandæ sint collationes spirituales in Ecclesia sancti debeant.

Prophetæ hic non sunt qui docent, vel exhortantur ex afflatu Dei.

Nota : Paulus hic non vocat Prophetas omnes illos, qui simpliciter explanant obscura Prophetarum et sacræ Scripturæ; nec omnes illos, qui alios docent, vel exhortantur, ut quidam putant; sed tantum eos qui id agunt ex afflatu Dei et proprio instinctu Spiritus Sancti, non autem ex eruditione, studio et labore acquisita. Patet hoc vers. 30 : « Quod si alii, inquit, revelatum sit, prior taceat. » Et vers. 32 : « Spiritus Prophetarum Prophetis subjecti sunt. » Ergo Prophetas hic intelligit eos qui Spiritu Sancto agebantur, et ab eo revelationem doctrinæ, vel exhortationis aut orationis alicujus accipiebant : quod tum frequens erat, ut patet vers. 26. Jam autem illo Spiritus Sancti afflatu cessante, in ejus locum successit sacra lectio, concio, psalmodia ante Missam, in Missa et post Missam, ut dicam vers. 26.

1. SECTAMINI CHARITATEM. — Græce διώκετε, id est, *persequimini charitatem*. Significat ardens studium charitatis, ut eam insectemur, perinde ut venator feram insequitur.

ÆMULAMINI SPIRITALIA. — Hoc est, ut Chrysostomus, dona Spiritus Sancti, scilicet gratis data, uti est donum linguarum, gratia sanitatum, et alia, de quibus cap. XII, desiderate, et ad ea connitimini, maxime orando, non studio excellendi, ut vos præ aliis hisce donis jactetis, sed ex charitate, ut aliis et Ecclesiæ per ea prositis.

MAGIS AUTEM UT PROPHETETIS, — ut scilicet ex afflatu Spiritus Sancti doceatis, dicatis, vel canatis ea quæ alios ad pietatem excitent. Hoc enim est hic *prophetare*, uti jam dixi.

2. QUI ENIM LOQUITUR LINGUA (alia et peregrina), NON HOMINIBUS LOQUITUR, SED DEO (causam explicat et subdit, dicens) : NEMO ENIM AUDIT. SPIRITU AUTEM LOQUITUR MYSTERIA, — *q. d.* « Nemo audit, » id est nemo intelligit loquentem lingua peregrina, licet ipse Spiritu afflatus loquatur subinde alta mysteria.

Nota : S. Augustinus, lib. XII *De Genesi ad litt.*, cap. VIII, Primasius et Cajetanus, legunt in nominativo : « Spiritus autem loquitur mysteria, » *q. d.* Paulus : Spiritus Sanctus in sacra Scriptura arcana loquitur mysteria, quæ intelligi nequeunt, nisi quis Propheta vel doctor illa interpretetur. Verum hic sensus non facit ad rem et mentem Apostoli, planeque legendum est in ablativo : « Spiritu autem loquitur mysteria, » juxta sensum jam datum : ita enim legunt passim Græci, Latini et Syrus.

3. NAM QUI PROPHETAT, HOMINIBUS LOQUITUR AD ÆDIFICATIONEM ET EXHORTATIONEM. — Ecce quod dixi, prophetare hic est loqui ea quæ alios ædificant, exhortantur et consolantur : ac proinde præstat prophetare quam loqui linguis peregrinis, utpote quas nemo intelligit, ut proinde nemo iis instrui, ædificari, vel consolationem aliquam accipere possit.

5. VOLO AUTEM (hoc est, velim, optarim) OMNES VOS LOQUI LINGUIS, MAGIS AUTEM PROPHETARE (ut scilicet alios ad pietatem excitetis). 6. NUNC AUTEM, FRATRES, SI VENERO AD VOS LINGUIS LOQUENS, QUID VOBIS PRODERO, NISI VOBIS LOQUAR AUT IN REVELATIONE (id est nisi loquar revelationem, puta expositionem revelationis mihi factæ), AUT IN SCIENTIA (id est ea quæ scio per scientiam, vel a Deo infusam, vel studio partam), AUT IN PROPHETIA (id est ea quæ scio per prophetiam tum proprie dictam, tum improprie, scilicet *prophetiam*, hoc est, occultorum et obscurorum, maxime sacræ Scripturæ, explicationem), AUT IN DOCTRINA, — scilicet per eam docendo et accommodando meum sermonem ad captum auditorum. Sic fere D. Thomas et Theophylactus. Supple : Atqui nihil horum facere potero loquens linguis, nisi interpretationem adhibeam, ut intelligatis : ergo præstat prophetare quam linguis loqui, nisi quis linguam interpretetur.

Quomodo hic differant revelatio, scientia, prophetia et doctrina? Prima expositio.

Secundo et melius, aliter hæc accipiemus. Pro quo nota : Hic *scientia* refertur et jungenda est cum *doctrina*, sicut *revelatio* jungenda est cum *prophetia* : sicut enim ex scientia sua cognoscebant scientes et docti ea, quæ aliis communicarent per doctrinam, eos scilicet docendo : ita ex revelatione percipiebant ea, quæ aliis per prophetiam enuntiarent. In hoc enim differt prophetia a doctrina, quod prophetia accipiatur per revelationem, doctrina per scientiam. Docemus enim id quod per scientiam et studium scientiæ assecuti sumus. Sensus ergo est, *q. d.* Paulus : Si linguis peregrinis loquar, nec vos instruam et doceam, vel per doctrinam labore et scientia partam, vel per prophetiam revelatione acceptam, nihil vobis prodero. Ita Toletus et Jansenius loco citato.

Secunda et genuina.

Prophetiam per revelationem, doctrinam per scientiam.

Tertio, Cassianus, *Collat.* 14, VIII, per hæc quatuor intelligit quatuor sensus sacræ Scripturæ : scilicet per *doctrinam* sensum litteralem, per *revelationem* allegoricum, per *scientiam* tropologicum, per *prophetiam* anagogicum. Sed hoc mysticum et symbolicum est (1).

Tertia, quadripartitum sensum sacræ Scripturæ colligit.

(1) Quatuor hæc λόγοι, juxta Alliloi, congeruntur hic

Cassianus per hæc quatuor.

Vers. 7.

7. TAMEN. — Græce ὅμως, *q. d.* Etiam, quin etiam ex inanimatis hoc quod dico cognosci potest, scilicet linguas nihil prodesse, nisi intelligantur : nam pari modo cithara et tibia nisi distinctum dent sonum, ut intelligantur, nemini proderunt. Nemo enim sciet quid canatur aut citharizetur, ac proinde nemo iis se pascet, vel oblectabit, aut movebitur ad tripudium, ut ad numeros saltet. Gagneius pro ὅμως legit ὁμοίως, id est *similiter*.

Vers. 9.

9. ITA ET VOS PER LINGUAM NISI MANIFESTUM (εὔσημον, bene significantem, intelligibilem) SERMONEM DEDERITIS, QUOMODO SCIETUR ID QUOD DICITUR? — Lingua enim est character, imago, index et nuntius mentis. Nam, ut ait Aristoteles, lib. II *Perihermen.*, voces sunt notæ earum affectionum, quæ in anima delitescunt. Hinc Socrates ex voce, mentem et animum cujusque qualis esset explorabat et pervidebat, dicebatque : « Loquere, adolescens, ut te videam. » Hoc autem fieri nequit nisi lingua loquentis audienti sit nota et manifesta.

Lingua est character, imago et nuntius mentis. Socrates ex voce animum cujusque explorabat.

Vers. 10.

10. TAM MULTA, UT PUTA, GENERA LINGUARUM. — « Ut puta, » id est nempe; græce εἰ τύχοι, *ut res tulerit*, uti varias linguas audire contingit. Ita Œcumenius. Sed Erasmus et Vatablus non ad verbum, sed eodem sensu, εἰ τύχοι vertunt, *verbi gratia*.

LINGUARUM. — Græce φωνῶν, vocum, hoc est linguarum, idiomatum vocalium.

Quomodo nihil sit sine voce?

ET NIHIL SINE VOCE EST, — nulla gens, nullus sermo est sine voce. Alii, nullum instrumentum est, v. g. cithara, tibia, quin propriam vocem et sonum reddat. Ita Œcumenius. Alii proprie, *nihil*, id est nulla res, est sine voce. Nam, ut canit Ausonius *ad Paulinum* :

Prima expositio. Secunda. Tertia.

Omnia esse sonantia dicit Ausonius.

Nil mutum natura dedit : non aeris ales,
Quadrupedesve silent, habet et sua sibila serpens,
Cymbala dant ictu æquatum, dant pulpita saltu
Tacta pedum, tenuis rebount cava tympana tergis.

Quarta et genuina.

Quarto et optime, *nihil*, id est nulla linguarum, est sine voce. Græce enim est οὐδὲν ἄφωνον, scilicet φωνῶν, ἄφωνον, *nihil vocum*, hoc est linguarum, est *sine voce*, *q. d.* Multæ sunt linguæ, et quæque suas habet voces (1).

Vers. 11.

11. SI ERGO NESCIERO VIRTUTEM (hoc est vim et significationem) VOCIS, ERO EI, CUI LOQUOR, BARBARUS. — Hoc est, ut ait Ovidius :

Quis dictus sit Barbarus?

Barbarus hic ego sum, quia non intelligor illi.

Nota : « Barbarus » primo dictus est a Græcis per onomatopœiam is, qui aliam linguam quam Græcam sonaret; deinde a Romanis, qui aliam quam Græcam vel Romanam; postea qui aliam quamvis a patria lingua diversam loqueretur, dictus est Barbarus, quia a suis non intelligebatur. Unde Anacharsis Scytha cum ab Athenien sibus riderentur quasi Barbarus, apte respondit : « Scythæ Barbari sunt apud Athenienses, et æque hi barbari sunt apud Scythas. »

Dictum Anacharsis eorum Athenienses barbaros.

12. ÆMULATORES ESTIS SPIRITUUM, — donorum scilicet Spiritus Sancti et gratiarum, de quibus cap. XII.

Vers. 12.

AD ÆDIFICATIONEM ECCLESIÆ QUÆRITE, UT ABUNDETIS, *q. d.* — Petite et poscite a Deo hæc dona abunde vobis donari; sed ita ut iis utamini, non ad ostentationem, sed ad ædificationem Ecclesiæ.

13. QUI LOQUITUR LINGUA, ORET UT INTERPRETETUR. — Nota : Paulus hic loquitur de publica oratione, qua unus, privatus licet, afflatus Spiritu coram omnibus alta voce orabat, cæteris audientibus, et cum eo deprecantibus, suaque vota jungentibus, patet ex sequ. Aliter Chrysostomus, Ambrosius, Anselmus : Oret, inquiunt, ut donum linguas interpretandi accipiat, ut se et suam linguam interpretari possit : sed *orare* aliter capitur vers. seq., ergo et hic (2).

Vers. 13.

14. SI ORET LINGUA, SPIRITUS MEUS ORAT, MENS AUTEM MEA SINE FRUCTU EST. — « Spiritus meus orat, » hoc est spiritu meo reficior. *Secundo*, ait Chrysostomus : « Spiritus meus, » inquit, id est Spiritus Sancti donum, quod est in me, « orat, » id est facit me orare publiceque orationem pronuntiare. *Tertio*, « spiritus, » hoc est, vox mea spiritu vitali et vocali prolata, « orat, mens autem mea sine fructu est, » quia significationem sermonis et orationis a se prolatæ non intelligit. Ita ex S. Basilio, Theophylactus et Erasmus, qui pro « spiritu » vertit *halitum*. Unde et Primasius : « Spiritus, inquit, hic sermo intelligendus est, qui nonnunquam mente alia cogitante precatur. » Sed primus sensus est genuinus, ut patet ex sequentibus. Aliter D. Thomas hic « spiritum » tripliciter accipit (quem vide si lubet), sed non ad mentem Apostoli.

Vers. 14. Triplex explicatio illius : Spiritus meus orat.

MENS AUTEM MEA SINE FRUCTU EST. — S. Chrysostomus, Theophylactus, Ambrosius, D. Thomas et Cajetanus, putant Apostolum hic loqui de iis, qui donum linguarum acceperant, quas tamen ipsi non intelligebant, instar asinæ Balaam, vel certe mysteria verbis contenta non penetrabant. Ita et S. Augustinus, lib. XII *De Genesi ad litt.*, cap. VIII et IX, et colligitur ex vers. 28. Ili enim sine fructu orabant talibus linguis, quia licet spiritus pia devotione in Deum pasci posset, non tamen mens pascebatur intelligentia precum verbalium.

Verum dico : « Mens, » græce νοῦς, hic idem est quod sensus, ut vertit Noster vers. 19, et cap. II, vers. ult. Imo Aristoteles : Τὰ ἐξῆς, inquit, τούτων τῶν ῥημάτων νοῦς, quis est horum verborum sensus : sic etiam sumitur νοῦς Apocal. XVII, 9, ὧδε ὁ νοῦς ὁ ἔχων σοφίαν, id est, ut vertit noster Interpres et alii passim, *hic est* sensus (visionis bestiæ) qui

Νοῦς id est sensus, hic est sensus.

(2) Rosenmullerus : Sic precetur, vel oret, nempe in peregrina lingua, ut simul interpretetur. Alliloi : Petat, nempe a Deo, donum interpretandi id quod loquitur.

ut indicent doctrinam *revelatam*, apertam, cognitu et intellectu facilem.

(1) Haud obscuras scilicet, nec incondito sono constantes.

habet sapientiam : σοφὸς enim hisce locis respondet Hebræo שכל *sechel*, uti declarabo vers. 17; σοφὸς ergo hic idem est quod διάνοια ; et sicut Rhetores opponunt inter se statum ῥητοῦ καὶ διανοίας, ita Apostolus opponit hic γλῶσσαν καὶ νοῦν, id est *linguam* et *mentem*, sive verbum et sensum. « Sensus » autem hic idem est, quod intelligentia, non activa, qua scilicet sentiam, hoc est, intelligam, sed passiva, scilicet qua sentiar, id est intelligar ab omnibus. Passive enim hic capitur SENSUS. Vide *Gen.* 30. Hæc ergo mens, id est sensus, significatio et intelligentia linguarum mearum, est sine fructu, quia nemo eam capit intelligitve, ut inde ad pietatem excitetur : hoc enim intendit Apostolus, ut mox pluribus dicam. Itaque hic sensus est genuinus, eumque tradere videtur S. Basilius, in *Reg. brevior.*, interrog. 278.

Mens si vox audientis hic est intelligentia passiva, qua scilicet intelligitur ab audiente.

Secundo, non improbabiliter Œcumenius : Mens, inquit, id est scopus et intentio, mea est sine fructu, non loquentis, sed audientis, quem intendit loquens ad pietatem excitare. Nam de fructu audientium loqui Apostolum patet ex vers. 14, 16, 19. Ita quoque Theodoretus. Loquitur enim Apostolus de orationibus et canticis spiritualibus, quæ privati quique ex dono Spiritus Sancti componebant, et publice pronuntiabant, vel canebant in ecclesia tempore collationum spiritualium; idque in consolationem, instructionem, vel exhortationem populi : unde vult illa vulgari lingua fieri, ut ab omnibus intelligantur; alioqui enim sine fructu ea fore asserit.

Secundo. Œcumenius : *Mens*, inquit, est finis.

Paulus tolerabit dicere, non Missam, sed privatas preces omnes cœtus ad excitationem populi, linguæ vulgari, Latina edita quare non ejus dicenda idiomate vulgari?

Dices : ergo Missa et Horæ canonicæ jam cani debent vulgari lingua.

Respondeo : Nego consequentiam, quia Apostolus loquitur de precibus, quas privatus quisque componebat ad ædificationem et excitationem populi, non de divinis et publicis officiis, quæ jam approbatione, imo ordinatione et nomine totius Ecclesiæ et populi obeunt Clerici, ad colendum, et gravi ac uniformi quadam majestate latine laudandum Deum. Si enim vernacula lingua dicerentur, *primo*, rudes male res tam divinas apprehenderent, male intelligerent, errores et hæreses conciperent. *Secundo*, singulis provinciis, imo pene urbibus varianda essel lingua. Licet enim eadem communi lingua loquantur Germani omnes, tamen diversum linguæ idioma habent singuli; aliud enim habent Westphali, aliud Helvetii, aliud Hassi, aliud Juliacenses, etc.; atque ita si vernacule diceretur divinum officium, in tanta idiomatum varietate schisma oriretur, risus et contemptus sacrorum.

Fructus quos populus ex Missa percipit, licet nam non intelligat.

Dices *secundo* : Populus non intelligit latine, quem ergo fructum ex Missa Latina percipit?

Respondeo *primo*, particeps est istius sacrificii, et etiam Sacramenti, si velit. *Secundo*, particeps est omnium precum, quas pro omnibus maxime præsentibus fundit sacerdos. *Tertio*, per ritus et cæremonias tam decoras ad devotionem et mentem privata oratione ad Deum elevandam excitatur, docetur et accenditur; præsertim cum illa in concione populo Parochi explicare debeant, ut jubet Concilium Tridentinum, sess. XXII, cap. VIII. Vide Bellarminum, lib. II *De Verbo Dei*, cap. XVI.

Vers. 15. 15. QUID ERGO (mihi vobisque faciendum) EST? ORABO SPIRITU (ut spiritus meus oratione mea pascatur), ORABO ET MENTE, — id est orabo sensu et intelligentia, orabo intelligenter, ut alii me sentire, id est intelligere, possint. Alludit Paulus ad illud *Psal.* XLVII : « Psallite sapienter, » pro quo hebraice est משכיל *maskil*, id est in intelligentia : quod Septuaginta vertunt, συνέσεως, id est *psallite intelligenter*, ut nimirum vos ipsi intelligatis et sapialis ea quæ psallitis, et ut alii qui vos audiunt, ea quæ psallitis intelligant. Hoc enim est communis psallæ officium, ita nimirum psallere, ut possit ab aliis intelligi. VOX enim φωνὴ, qua utitur hic Paulus, respondet Heb. שכל *sechel*, sive משכיל *maskil*, et בינה *bina* : quæ passive capiuntur subinde, ut *Isaiæ* XXXIII, 19, pro eo quod noster Interpres vertit : « Populum alti sermonis, ut non possis intelligere disertitudinem linguæ ejus, in quo nulla est sapientia, » hebraice est, *populum blæsum labiis, in quo non est* בינה *bina*, id est *intelligentia*, qui scilicet ita blæsus est, ut non possit intelligi. Sic *Nehemiæ* VIII, 8, dicitur Esdras legisse coram populo in libro legis « distincte et aperte ad intelligendum : » hebraice שוכם שכל *som sechel*, id est ponendo vel dando intellectum, hoc est intelligibiliter, ita ut omnes possent intelligere (1).

Quid sit psallere sapienter?

Distincte enuntiando ut intelligatur. Non ut bibli. oclot.

16. CÆTERUM SI BENEDIXERIS SPIRITU, QUI SUPPLET LOCUM IDIOTÆ, QUOMODO DICET, AMEN, SUPER TUAM BENEDICTIONEM? QUONIAM QUID DICAS, NESCIT. — « Si benedixeris, » id est, si Deum laudaris tua lingua et spiritu. Aliter S. Thomas : Si sacerdos, inquit, publice benedixerit populo; sic quoque explicat Primasius, Haymo et Salmeron, qui, multis contendit probare Apostolum loqui hic de sacrificio Missæ, qua sacerdos benedicit non tam populum, quam Deum. Nam id videtur significare verba Græca hic εὐλογῇς et εὐχαριστίᾳ, quibus pariter utuntur Evangelistæ et Paulus in institutione Eucharistiæ, quæ inde dicta est εὐχαριστία, id est benedictio; et Eucharistia, id est gratiarum actio. Accedit, quod in omnibus liturgiis Missæ, tam Jacobi et Clementis, quam Basilii et Chrysostomi, post consecrationem panis et vini populus acclamare soleat, *Amen*. Videtur ergo hic velle Apostolus, ut publicæ benedictiones, preces et Missæ in Ecclesia non celebrentur ignoto prorsus et peregrino sermone; sed ut apud Græcos celebrentur græce, apud Hebræos hebraice, apud Latinos latine. Nam magna ex parte hæc idiomata ab his, qui sunt ejusdem linguæ, intelliguntur : cur enim fieri non possit, ut una lingua ab omnibus

(1) Igitur τῷ vel h. l. est dativus, pro ἐν τῷ τινὶ, *intelligentiæ* et *mente aliorum*, me audientium, id est, ita ut alii etiam me intelligent.

etiam diversis nationibus, qui eamdem sæpe Missam audiunt, intelligatur, oportuit seligi unam magis communem, quæ a plerisque honestioribus intelligatur, qualis est apud nos Latina, ita ut multi in Missa Latina apud nos loco idiotæ respondere possint, *Amen* : quod hic requirit Apostolus.

Paulus non loqui hic de communi ecclesiæ, sed propria privatarum. preces latur Primo.

Verum Apostolum non loqui de publica et solemni benedictione Missæ, sed quavis alia, quam quisque privatim afflatus spiritu per hymnum, psalmum, vel orationem dictabat et recitabat, patet *primo*, ex voce *cæterum*, pro qua græce est ἐπεί, id est *quandoquidem*; quæ vox dat causam cur vers. præced. dixerit : « Orabo spiritu, orabo et mente; psallam spiritu, psallam et mente. » Loquitur ergo Paulus de benedictione non Missæ, sed psalmorum et orationum, quas quisque ex spiritu fundebat. Idem indicat Græcum τῇ σῇ, id est *tua*, scilicet propria et privata, ἰδιωτείᾳ, id est *benedictione*. *Secundo*, idem patet ex decursu totius capitis, ac præsertim ex conclusione totius discursus Paulini, vers. 26, ubi sic ait : « Quid ergo est, fratres? cum convenitis, unusquisque vestrum psalmum habet, doctrinam habet, apocalypsim habet, linguam habet, interpretationem habet : omnia ad ædificationem fiant; » ergo loquitur Paulus de benedictione, psalmis et linguis, non sacerdotis et publici ministri; sed de privatis, quas unusquisque ex spiritu proferebat ad communem fidelium ædificationem. *Tertio*, idipsum patet ex vers. 31, ubi ait : « Potestis omnes per singulos prophetare. » Et vers. 29 : « Prophetæ, inquit, duo aut tres dicant, et cæteri dijudicent; » ergo loquitur de nova et privata cujuslibet prophetia et benedictione; hæc enim examinanda et dijudicanda est. Nam communis Ecclesiæ oratio et liturgia a tota Ecclesia probata et instituta examinari et dijudicari non debet. Hæc omnia magis patebunt paragrapho seq.

Quid sit idiota? Prima expositio. Secunda. Tertia et genuina. D. Thomas accipit idiotam pro ministro qui respondet, *Amen*.

IDIOTÆ. — Gagneius ex Severiano : Idiota, inquit, est catechumenus. *Secundo*, Primasius, idiota, inquit, est neophytus. *Tertio*, et optime, idiota est indoctus, rudis, linguarum expers. Ita Chrysostomus, Syrus, Theophylactus, S. Thomas et alii.

Idiota propria hic significat. Quomodo a plebe.

Nota : S. Thomas, Primasius et Haymo per idiotam hunc accipiunt ministrum, qui in Sacro et Collectis pro populo respondet, *Amen*. Unde significant hi Patres Paulum velle, ut saltem Missæ et sacrorum minister intelligat sacerdotem, illumque qui publice lingua alia, quam vernacula orat, ut pro populo respondere possit, *Amen*. Hoc consilium et documentum bonum et conveniens est, non tamen absolute necessarium, nec genuinum ex mente Pauli.

Olim in Missa populo respondente populus acclamabat, *Amen*.

Unde dico, *idiotam* hic non significare ministrum sacrorum, sed quemvis ex plebe. Græce enim est ὁ ἀναπληρῶν τὸν τόπον τοῦ ἰδιώτου, *qui implet*, vel *occupat*, *locum idiotæ*, id est, qui sedet inter idiotas, qui est idiota (alio enim loco sedebant Prophetæ et Doctores, alio idiotæ et populus), uti est plebeius quisque et tota plebs indocta. Ita Chrysostomus et Theophylactus (1). Tota enim plebs, et consequenter quivis idiota, olim in sacris conventibus respondebat, *Amen*, ut patet ex Justino, *Apolog.* 2, in fine. Unde Hieronymus, *in fine* commentarii in epistolam *ad Galat.* : « In Ecclesia Romana, ait, ad instar cœlestis tonitrui reboat *Amen*. » Id jam plebis vice facit minister, ut sacerdoti oranti respondeat, *Amen*, ne confusa vox plebis Ecclesiam turbet.

Paulus vult orationem privatam alicujus vulgari lingua fieri, non publicam.

Nota *secundo* : Loquitur hic Apostolus, ut dixi, de oratione nova et privata alicujus particularis, quæ proferebatur ad populi excitationem et ædificationem, et cui subesse poterat error, ut patet vers. 29. Hanc enim vult vulgari lingua fieri, ut eam intelligat populus, ne respondeat, *Amen*, ad orationem alicujus, qui in oratione quam facit peregrina lingua, ridicula, absurda, errores et hæreses profert; non autem loquitur Apostolus de oratione publica ab Ecclesia probata et recepta, quæ non nomine hujus vel illius, sed nomine totius Ecclesiæ profertur, in qua certum est nihil erroris contineri, cui unus minister respondet *Amen* pro populo; atque interim populus, qui hujus orationis est particeps, potest insuper alia oratione privata Deum orare. Adde Concilium Tridentinum, ut dixi, jubere, ut pro concione hæ orationes populo explicentur.

Licitum est orare lingua quam non intelligis.

Denique licitum est orare lingua quam non intelligis, cum certo scis preces esse bonas; sicuti Monialeslatine recitant Horas : et sic idiotæ, orante sacerdote latine, possunt cum illo orare et mentem Deo jungere, ac petere, ut Deus concedat id quod sacerdos, pro se et toto populo, nomine totius Ecclesiæ, optima et utilissima oratione rogat et supplicat; quia licet eam non intelligant, nec pascantur intelligentia et sensu precum, habent tamen fructum devotionis erga Deum et reverentiæ erga preces sacras : imo plus merentur et impetrant, quam illi qui eas intelligunt, si majori humilitate, pietate et fervore orent.

Pulchra similitudo circa gemmas Latinas parum. Monialium.

Ita S. Jordanes rogatus, an placerent Deo has Monialium preces? respondit apposite : « Sicut gemma in manu rustici, qui non novit pretium ejus, tantum valet, quantum in manu aurificis et gemmarii, qui pretium novit : sic et preces tantum valent in ore indocti qui eas non intelligit, quantum in ore docti qui intelligit; » perinde ac libellus supplex qui a rustico et idiota regi porrigitur, tantumdem a rege impetrat, quantum impetraret alius qui a viro docto et litterato porrigeretur. Scriptum est enim : « Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem. » Et : « Si hi (infantes) tacuerint, lapides clamabunt, » *Matth.*

Deus ita exercet, etiamsi eos non intelligant.

(1) Igitur *qui supplet locum idiotæ* est plebis ipsa linguæ peregrinæ imperita; nam ἀναπληρῶν τὸν τόπον τινὸς significat, ut recte animadvertit Rosenmallerus, *esse in statu et conditionis alicujus*.

Oratio sine intellectu quam sit inanis, et absurdi Missæ Pater.

xxi, 16. Simili modo in *Vitis Patrum*, Abbas Pastor, cum quidam ei conquerendo diceret : « Ecce oro, et non est compunctio in corde meo, quia nescio virtutem (significationem) verbi, respondit : Et tu tamen orare perge, quoniam sicut incantator, licet virtutem verborum quæ dicit, nesciat, serpens tamen audit et intelligit ea, iisque subjicitur incantanti, et humiliatur : sic et nos, quamvis ignoremus virtutem eorum quæ loquimur, dæmones tamen audientes ea intelligunt torrentur atque discedunt. » Vide D. Thomam et Cajetanum.

Quisque orationem Dominicam discere et intelligere debet.

Secus est de oratione Dominica, quam quisque vernacule discere, dicere et intelligere debet, ut sciat distincte quæ et qualia a Deo petere debeat, uti jam in multis Synodis Episcoporum statutum est. Infert hinc aliud Cajetanus, scilicet satius esse organa et musicam excludi templis, ut sic Horæ et Missæ intelligibiliter cantentur, ita ut ab audientibus responderi possit, *Amen*. Sed usus jam Christianorum habet contrarium, ut cum David ad excitandam devotionem populi, qui æque vocem Latinam non intelligeret, organis subinde et musica in sacris utantur, idque

Ob tres rationes usus musicæ in templis commendatur. Prima.

Primo, ut sicut non tantum spiritu, sed et corpore constamus, Deumque laudamus : sic non tantum voce, eaque concordi et pulcherrima, qualis est musica, sed et instrumentis Deum laudemus. Omnis enim spiritus, omnis creatura, omne instrumentum laudare debet Deum, quem omnis laus decet.

Secundo, ut audientes, præsertim plebeii, ad devotionem excitentur, sicut David et Eliseus per psaltes et psalteria excitabantur, et sicut excitabant Saulem et alios per musicam ad Dei laudem.

Tertio, ut major sit sacrorum decor, solemnitas et majestas. Ita Prudentius in *Apotheosi* contra Judæos; et Facultas Parisiensis in sua censura, tit. 19, propos. 6, ita hunc Pauli locum explicat : « Scribens Paulus, in Ecclesia volo quinque verba sensu meo loqui, quam decem millia verborum in lingua, de concionibus, seu sermonibus, qui habentur ad populum, tractat, in quibus inutilis est copia verborum non intellectorum ; non de cantibus Ecclesiasticis, quorum alia est ratio. »

Cavenda tamen est in hisce levitas, ut jubet Concilium Tridentinum. Unde S. Augustinus, in *Psalm.* xxxii, conc. 1, dicit repulsas ab ecclesia citharas et organa theatrica : quia scilicet Gentiles iis ad luxum et libidinem in theatris, conviviis et sacrificiis utebantur eo tempore. Uti ergo organis in ecclesia, et subinde aliis instrumentis musicis, si fiat sobrie, pie, modeste et graviter, Davidis exemplo et exhortatione, *Psalm.* clix, vers. 3, 4, 5, 6, patet esse pium : unde et S. Joannes, in *Apocalypsi* cap. v, vers. 8, et cap. xiv, vers. 2, in cœlo, ubi omnes sunt perfecti, audivit citharas, licet nostris graviores et diviniores.

Organa etiam cur tolerata in Ecclesia?

Amen. — « Amen » (ait Hieronymus *ad Marcellam*, epist. 137, tom. III, et in fine Commentariorum in epist. *ad Galat.*) Aquila, Symmachus et Theodoretus verterunt, πιστωθήτω, id est fideliter, sive vere ; Septuaginta vertunt, γένοιτο, id est fiat. Significat ergo « Amen, » vere, vel etiam firmiter : radix enim אמן *aman* firmare et stabilire significat. Unde אמת *emeth*, id est firmitas, veritas. « Amen » ergo non est particula jurantis, ut vulgus putat; sed affirmantis et confirmantis. Affirmantis est, cum orationi præponitur, ut, *Amen, amen, dico vobis*. Et hoc sensu S. Augustinus, tract. 41 *in Joan.*, « amen » vocat jurationem Christi; quia Christi juratio non fuit proprie juramentum, sed simplex affirmatio et asseveratio, dicendo : *Amen, amen, dico vobis*, *Matth.* v, 37. « Amen » vero est nota confirmantis cum orationi postponitur. Rursum, cum postponitur, et significat consensum audientis; nunc asserentis est et concedentis, nunc optantis. Concedentis est *Deut.* xxviii, ubi ad benedictiones legis servatæ, et maledictiones violatæ, populus quasi eas acceptans, respondet *Amen*. In præce vero tantum est optantis. Sic in oratione Dominica subjungitur *Amen*, quasi signaculum orationis, et passim alias quasvis orationes Ecclesia obsignat per *Amen*, *q. d.* Verum sit, vere fiat quod hac oratione petimus. Talmudici dicunt *Amen*, aliud esse perfectum, aliud imperfectum, idque triplex : *Primo*, « amen pupillum, » cum dicens « Amen, » precem non intelligit, sed quasi pupillus ab orante sinit se et precem suam dirigi. *Secundo*, « subreptitium, » cum ante finem orationis respondet *Amen*. *Tertio*, « sectile, » cum aliud agens animo distracto respondet *Amen*.

Quid Amen significet, et unde dictum?

Amen non est particula jurantis.

Quomodo hic non significetur sensus meus? Prima explicatio et genuina. Secunda.

Amen cum præponitur postponitur, est asseverantis, non optantis, vel optantis.

Amen quasi signaculum orationis.

Triplex amen, pupillare, subreptitium et sectile.

18. GRATIAS AGO DEO MEO, QUOD OMNIUM VESTRUM LINGUA LOQUOR. — « Omnium vestrum. » Paulo aliter jam habent Græca : πάντων ὑμῶν μᾶλλον γλώσσαις λαλῶν, quod Syrus, Chrysostomus, Hieronymus *ad Hedibiam*, et alii vertunt, *magis quam omnes vos*, *linguis loquor*. Sic fere posset et accipi noster Interpres, dum vertit, *omnium vestrum*, *q. d.* Omnes linguas quas vos calletis, et ego calleo, et magis quam vos.

Quomodo Paulus linguis omnium Corinthiorum loquebatur, cum tantum una esset lingua Corinthi?

Dices : Quomodo ait : « Omnium vestrum linguis, » ut habent Græca, cum in Græcia, et maxime Corinthi, una tantum esset lingua. Respondet Haymo : « Omnium vestrum linguis, » id est dialectis, loquor. *Secundo* et melius : « Omnium, » quia nimirum Corinthum confluebant advenæ et mercatores omnium gentium et linguarum, quasi ad celeberrimum emporium ; sicut etiam hodie Antuerpiæ, Parisiis, Venetiis, Gallorum, Italorum, Hispanorum, Anglorum aliarumque gentium viget lingua æque ac mercatura. « Omnium » ergo « vestrum, » id est, omnium gentium, quæ vobiscum et inter vos versantur, « linguis loquor, » *q. d.* Non elevo, nec vitupero donum linguarum, nam et ipse eo utor, sed non eo modo, quo vos in Ecclesia ad ostentationem, sed ad ædificationem.

Vers. 19. 19. SED IN ECCLESIA VOLO, — id est, malo. Pendet enim τὸ *volo* a voce *quam*, quæ sequitur. Est hebraismus.

QUINQUE (paucissima) VERBA SENSU MEO (id est intelligentia, qua intelligar) LOQUI, UT ET ALIOS INSTRUAM, QUAM DECEM MILLIA VERBORUM IN LINGUA, — peregrina, quam audientes non intelligant.

Quomodo hic non significetur sensus meus? Prima explicatio et genuina. Secunda.

Nota : « Sensus » hic idem est quod intelligentia passiva, qua scilicet intelligor tam ego, quam sermo meus : unde explicans subdit : « Ut et alios instruam. » Opponit enim sensum hunc linguæ peregrinæ, quam nemo intelligit. Vide dicta vers. 14.

Aliter Anselmus : *Sensu*, inquit, *meo*, id est, intelligentia mea, sed activa, scilicet, qua ego ipse intelligam ea quæ ipse loquor, ut ita melius eadem aliis exponere possim.

Tertia.

Tertio, Chrysostomus : *In sensu*, inquit, id est, cum judicio, ut scilicet discrete et cum judicio loquar et doceam, ita ut audientes, licet rudes et imperiti, eadem intelligere, capere et retinere possint. Verum primus sensus est genuinus, ut ex dictis patet.

Vers. 20. 20. NOLITE PUERI EFFICI SENSIBUS, SED MALITIA PARVULI ESTOTE : SENSIBUS AUTEM PERFECTI ESTOTE. — Nota : Hic aliud significat *sensus*, quam vers. præcedenti. Hic enim græce non est νοῦς, uti habet versus præcedens, sed φρήν, id est, ut Chrysostomus et Syrus, *mens*, *q. d.* Mente, judicio et ratione nolite effici pueri, ut pueriliter ostentetis dotium vestrum linguarum.

Sensus hic accipitur pro mente, judicio et ratione.

SED MALITIA PARVULI ESTOTE, — id est, in malitia estote simplices, ut illa sit vobis incognita quasi infantibus ; græce enim est νηπιάζετε, id est, ut Chrysostomus, Theophylactus et Syrus, *infantes sitis in malitia* ; et, ut S. Augustinus, lib. LXXXIII *Quæstionum*, Quæst. LXI, legit, *sicut infantes sitis expertes malitiæ* : nimirum, ut sicut infans dicitur qui fari non potest, multo minus nosse malitiam aut quidquam aliud ; et græce νήπιος dicitur, quasi νη ἔπεσθαι, *q. d.* sine loqui, infans, elinguis : sic et Christianus in malo sit infans, ut illud non norit, nec de eo fari aut discrere possit, v. g. non sciat quid sit æmulatio, pollutio, fornicatio. Ita ex Chrysostomo Theophylactus. Pulchre Tertullianus, lib. *Contra Valent.*, cap. II : « Repuerascere, inquit, nos Apostolus jubet secundum Deum, ut malitia infantes per simplicitatem, ita demum sapientes sensibus simus. »

Infans dicitur qui fari non potest.

Christianus in malo sit infans.

Quod etiam notavit Clemens Alexandrinus, lib I *Pædag.*, cap. V, his verbis : « Hic autem par est attendere appellationem hujus vocabuli νήπιος, quod infantem significat ; ut intelligatur τὸ νήπιον non dici de insipientibus : qui est enim insipiens, dicitur νηπόντιος : νήπιος autem, qui est νεόπειος, ut ἄπειρος, qui est leni ac molli animo. » Vide eum hoc loto capite pulchre disputantem, quales pueri debeant esse omnes Christiani.

Vers. 21. 21. IN LEGE. — *Isaiæ* XXVIII, 11. Aliquando enim « lex » vocatur non solus Pentateuchus, sed et Prophetæ totumque vetus Testamentum. Ita Chrysostomus.

Vers. 21.

SCRIPTUM EST : QUONIAM IN ALIIS LINGUIS ET LABIIS ALIIS LOQUAR POPULO HUIC. — Locus hic est difficilis, qui, ut intelligatur, oportet locum Isaiæ, quem hic citat Apostolus, explicare. Sic habet Isaias, cap. XXVIII, 9 : « Quem docebit scientiam? et quem intelligere faciet auditum? ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus. Quia manda, remanda ; manda, remanda ; expecta, reexpecta ; modicum ibi, modicum ibi : in loquela enim labii et lingua altera loquetur ad populum istum, » *q. d.* Deus docere solet scientiam et sapientiam eos, qui avulsi a deliciis puerilibus et vita imperfecta, quasi viri capaces sunt scientiæ : hi autem Judæi, qui, ut apud Isaiam præcessit, hisce deliciis vini et ebrietatis gaudent, nec supernas et solidas capiunt, quasi pueri sunt, et consequenter doctrinæ et veræ sapientiæ incapaces : quia scilicet hi Judæi vinolenti, ridendo me Isaiam et alios Prophetas, qui eis ebrietatis aliorumque peccatorum pœnas et supplicia e cœlo intentamus, dicunt : *manda*, *remanda*, hebr. צו לצו *tsaf*, *latsaf*, *manda mandando*, hoc est, *manda*, *remanda* ; קו לקו *kaf lakaf*, *expecta expectando*, id est, *expecta*, *reexpecta*.

Explicatur locus Isaiæ cap. xxviii, vers. 9.

Notat S. Hieronymus, Haymo et Lyranus, in hisce verbis esse mimesim, sive ethopeiam, quæ est relatio dictorum alienorum cum derisu. Isaias enim et Prophetæ sæpe edicebant : « Hæc mandat Dominus. » Hinc isti vino dediti in conviviis per irrisionem hæc repetebant dicentes : *Manda*, *remanda*, id est iterum manda ; *expecta*, *reexpecta*, id est iterum expecta. Quasi dicerent : Prophetæ obtundunt nobis aures toties repetendo : « Hæc mandat Dominus ; » et minantur aut promittunt ea quæ non eveniunt, jubent expectare modicum, nunc hic, nunc ibi, et nihil sequitur. Sic subinde etiamnum concionatoribus fit, ut improbi eorum conciones et minas rideant, repetant et subsannent. Quare hæc Isaiæ verba frigide Judæi R. David, R. Abraham, et post eos Vatablus, Isidorus Clarius, Pagninus et Forerius vertunt sic : *lineam post lineam*, *præceptum post præceptum* ; *parum ibi*, *parum ibi*, *q. d.* Isaias : Hi tanquam pueri ruditer et sensim lentissime docendi sunt lineam post lineam, præceptum post præceptum, perinde ac pueri docentur alphabetum ; nam non puerorum docendorum, sed illusorum et sannionum hæc esse verba patet ex pœna, quam vers. seq. eorum sannis intentat Isaias. Unde Septuaginta sic vertunt : *tribulationem super tribulationem*, *expecta spem super spem*, *adhuc parum*, *adhuc parum*, *propter irrisionem labiorum*, *et linguam alteram*, *quia loquentur populo huic*, *dicentes eis* : *Hæc requies esurienti*, *et hæc est contritio*, *et noluerunt audire*.

In his verbis mimesis, remanda est relata.

Alia ratio ejusdem loci, illusorum explicatio.

Tertia ratio ejusdem loci.

Ubi nota : Septuaginta pro צו *tsaf*, id est *mandi*-

legerunt צר *tsar*, id est tribulatio : *vaf* enim et *resch* Hebræis vicinæ sunt litteræ. Hinc subdit Isaias : « In loquela enim labii, » heb. בלעגי שפה *belaage sapha*, id est, ut Lyranus, Forerius, Pagninus, *in balbutiem labii* ; Arias, *in blæsitatibus labii*, uti solent irridentes cum gestu linguæ et labiorum ad balbutiem composito loqui. Quod Noster vertit, *loquelam labii*. Blæsi enim et balbi videntur labiis pene solis loqui, et pappare : unde clare Septuaginta et alii vertunt, *in irrisione*, vel *subsannatione labii*. Hebraicum enim לעג *laag* proprie competit balbis, blæsis, sannionibus ; et forte alludit Isaias ad Ephraimitas, qui blæsi erant : unde *Judicum* XII, 6, pro *scibboleth*, dicebant blæse *sibbolet* ; sic hic pro *tsaf*, id est manda, dicebant Judæi sanniones blæse *saf*. S. Paulus hæc Isaiæ verba non ad verbum, sed ad sensum reddit, dicens : « in aliis labiis, » quia locum Isaiæ aliaptat dono linguarum Apostolis dato, qui aliis linguis non ad irrisionem, sed ad ædificationem loquebantur. Quanquam Salmeron, tom. I, pag. 33, putet in Hebræo vitiate *giael* pro vicino *zain* irrepsisse, et pro בלעגי *belaage*, uti jam legitur in Isaia, legendum esse בלועזי *beluaze*, id est in barbaris linguis, ad consequenter aliis et diversis a vestra lingua : Hebræum enim לעז *loez*, barbarum significat.

Loquela labii blæsi et quasi balbutientis.

Hæc verba Isaiæ Paulus non ad verbum, sed ad sensum reddit.

Sensus ergo est, *q. d.* Isaias, vel potius per Isaiam Deus : Mea exhortatio ad pœnitentiam facta Judæis per Isaiam, aliosque Prophetas, visa est vobis, o Judæi, molesta et ridicula, perinde ac si labiis blæsis et lingua barbara locutus vobis fuissem : imo Prophetarum quasi balbutiem imitando, et subsannando blæse et balbutientes dicitis et repetitis *manda, remanda*. Quare ego per Chaldæos (qui videntur vobis blæsi et balbi) milites, et ministros justitiæ meæ, vos puniam, ut sannis peregrinæ suæ linguæ Chaldaicæ vos incredulos arcessant et compescant, vosque jam devictos et captivos irrideant, vestraque Hebraica verba suis Chaldaicis subsannent et reprobent : et horum typo, figura et similitudine, tempore Christi mittam Apostolos, qui dono variarum linguarum vestram pariter, o Judæi, incredulitatem arguant, vobisque videbuntur blæsi, et a vobis mundique sapientibus quasi stulti prædicatores crucis Christi subsannabuntur.

Verus sensus S. Pauli in hoc loco.

Isaias ibi loco ad litteram loquitur de eversione Jerusalem, allegorice de dono linguarum dato Apostolis.

Ubi nota, Isaiam loqui ad litteram de suo tempore, et de Chaldæis, qui eversuri erant Jerusalem : allegorice vero loqui de dono linguarum dato Apostolis, quod proinde Apostolus non fidelibus, sed infidelibus docet esse signum, scilicet maledictionis, qua incredulos Deus ulciscitur, non benedictionis, qua suos erudit. Hunc esse sensum Isaiæ, patet ex hoc loco Apostoli. Ita S. Hieronymus et Cyrillus in *Isaiæ* XXVIII.

Nota *secundo* : Vox *enim* non proprie, sed adversative hic accipitur pro *sed* ; nam cum ait : « in loquela enim labii, » perinde est ac si diceret : « Sed, vel, veruntamen in loquela labii et lingua altera loquetur (Deus per Chaldæos et Apostolos) ad populum istum, » ut eum arguat, compescat et puniat.

Vox enim adversative hic accipitur pro sed.

22. ITAQUE LINGUÆ IN SIGNUM SUNT, NON FIDELIBUS, SED INFIDELIBUS. — Ex citato Isaiæ loco, et punitione Judæorum per linguas tam Chaldæorum, quam Apostolorum, infert Apostolus : Ergo linguæ sunt in signum, scilicet maledictionis, qua incredulos Judæos (his enim proprie loquitur Isaias et Apostolus, non Gentibus) Dominus ulciscitur, ut dixi ; ac proinde hoc signum a vobis fidelibus usurpandum non est ad inanem jactantiam. Vers. 22. Linguæ sunt in signum maledictionis in infidelibus.

PROPHETIÆ (id est doctrinæ verbi Dei, et exhortationes, signum sunt) NON INFIDELIBUS, SED FIDELIBUS. — « Signum, » inquam, benedictionis, qua Deus suos erudit et benedicit, id est ad omne bonum incitat et promovet. Vide vers. 3. Non ergo « signum » hic idem est, quod miraculum : nec enim Chaldæi miraculum fecerunt, dum sua lingua Judæos increpuerunt ; sed « signum » hic est signum, sive symbolum et nota correptionis, doctrinæ et institutionis. Intellige ea, quæ de fidelibus et infidelibus dixi, primario et præcipue : nam secundario sicuti linguæ etiam fidelibus, sic vicissim prophetiæ infidelibus quoque serviunt, ut patet vers. 23 et 25. Prophetiæ sunt signum benedictionis fidelibus.

23. SI CONVENIAT UNIVERSA ECCLESIA IN UNUM, ET OMNES LINGUIS LOQUANTUR (simul, mixtim, confuse et tumultuarie) ; INTRENT AUTEM IDIOTÆ, AUT INFIDELES : NONNE DICENT, QUOD INSANITIS ? 24. SI AUTEM OMNES PROPHETENT (id est docerant fidem ex Scripturis aliisque testimoniis, et concionentur de vita recte instituenda, vide dicta de prophetia initio capitis), INTRET AUTEM QUIS INFIDELIS, VEL IDIOTA, CONVINCITUR AB OMNIBUS, DIJUDICATUR AB OMNIBUS, — quia nimirum ab omnibus Prophetis, id est doctoribus et concionatoribus, de sua infidelitate, malis moribus et vitiis arguitur et increpatur. Vers. 23. Si conveniat universa Ecclesia in unum, et omnes linguis loquantur. Vers. 24.

25. OCCULTA CORDIS EJUS MANIFESTA FIUNT. — *q. d.* Ex dono discretionis spirituum, sive Deo ipsius Prophetæ, id est concionatoris, linguam regente, tangentur et arguentur occultissima cordis ejus vitia, ut patet sibi concionatorem prophetice loqui, quod tum frequens fuisse hinc patet. Proinde hos Prophetas, id est doctores et concionatores, etiam vere ac proprie Prophetas fuisse liquet. Vers. 25.

Simile exemplum est in Vita S. Augustini per Possidonium, cap. XV, ubi narrat S. Augustinum in concione quadam præter mentem a sua materia deflexisse, et invectum esse in manichæismum, idque Deo flecente Augustini mentem et linguam ad Manichæi cujusdam tum forte præsentis conversionem, uti postea re ipsa cognovit S. Augustinus. Unde S. Augustinus, lib. IV *De Doctr. Christ.*, cap. XV, ante concionem docet esse orandum, ut Deus accommode ad auditorum captum et motum, mentem et linguam concionantis flectat. Deus in concionatoris linguam agitat ad conversionem cujusdam Manichæi.

Alii *occulta* intelligunt peccata, quæ in infideli, vel idiota latent, quæque ipse nescit esse peccata, v. g. cum nescit idololatriam et fornicationem esse peccatum ; hoc ipsum sciet, cum Prophetas ea arguentes et peccati insimulantes audiet. Sed prior sensus planior et simplicior est (1).

26. QUID ERGO (faciendum) EST, FRATRES ? CUM CONVENITIS (in Ecclesia), UNUSQUISQUE VESTRUM PSALMUM HABET, DOCTRINAM HABET, APOCALYPSIN HABET, LINGUAM HABET, INTERPRETATIONEM HABET : OMNIA AD ÆDIFICATIONEM FIANT. — VOX « unusquisque » sumitur hic distributive : nec enim unus omnia jam dicta habebat, sed unus psalmum, alius doctrinam, alius aliud, *q. d.* Quisque vestrum vel « psalmum habet, » vel « doctrinam, » vel « apocalypsim, » vel « interpretationem, » vel donum linguarum, ut lingua peregrina Dei laudes, preces aliaque proloquatur aut decantet

PSALMUM HABET, — gratiam psallendi, qua psalmum, vel hymnum dictet aut canat. Sic Plinius ad Trajanum scribit, Christianos solitos canere antelucanos hymnos Christo,

APOCALYPSIN HABET, — puta revelationem et explicationem aliquam vel loci alicujus S. Scripturæ obscuri, vel rei futuræ aut occultæ.

Ex hoc autem Pauli loco nota : in Ecclesia primæva hic erat ritus et ordo sacrorum in sacris Christianorum conventibus (ut patet ex Justino, Apolog. II *ad Antoninum*, in fine, et Tertulliano, in *Apologet.* cap. XXXIX, et aliis) a Paulo et Apostolis institutus. *Primo*, canebant psalmos, etiam populus. *Secundo*, legebantur prophetiæ et sacra Scriptura. *Tertio*, Episcopus prædicabat. *Quarto*, fiebat cœna et Sacrum, quod tunc fere tantum oblatione, consecratione, communione, canone, et Pater noster, ac oratione aliqua, cui populus respondebat, *Amen*, constabat. *Quinto*, omnes communicabant. *Sexto*, quidam psalmos et hymnos in laudem Dei variis linguis quasi afflati spiritu dictabant et canebant : alii prophetabant. *Septimo*, alii more Judæorum sacras Scripturas interpretabantur, vel exhortabantur, idque duo vel tres, præsertim Prophetæ aut viri spirituales : alii audiebant, et subinde interrogabant, etiam feminæ (sed per abusum, quem Paulus hic corrigit), aliquid circa id quod dicebatur ; cumque aliquid boni et pii pulchre dicebatur, simul inclamabant, *Amen, Amen. Octavo*, claudebat omnia agape, sive convivium omnibus commune in symbolum charitatis : post quod rursum succedebant hymni et orationes. Hæc enim ordine ita recenset Justinus loco paulo antè citato : « In omnibus, inquit, quas offerimus oblationibus, benedicendo laudamus (*in primum*, scilicet psalmodia et hymnodia) factorem omnium per Filium ejus Jesum Christum et Spiritum Sanctum. Et Solis, qui dicitur die, omnium, qui in oppidis vel ruri degunt, in eumdem locum conventus fit, et commentaria Apostolorum aut scripta Prophetarum leguntur. » En *secundum*, scilicet lectio sacræ Scripturæ.

In conventibus Christianorum quinquies ritus et ordo sacrorum.

Octo rebus et ritibus nonnisi hodie Ecclesia utitur.

« Deinde lectore quiescente, præsidens orationem, qua populum instruit, et ad imitationem tam pulcherarum rerum cohortatur, habet. » En *tertium*, scilicet concio præsidentis, sive Episcopi.

« Sub hæc consurgimus communiter omnes, et precationes profundimus, et, sicut retulimus, precibus peractis panis offertur, et vinum, et aqua ; et præpositus item, quantum pro viribus sua potest, preces et gratiarum actiones fundit, et populus fauste acclamat dicens, Amen. » En *quartum*, scilicet Eucharistiæ oblatio et consecratio in Missa.

« Et distributio communicatioque fit eorum, in quibus gratiæ sunt actæ, cuique præsenti ; absentibus autem per Diaconos mittitur. » En *quintum*, scilicet communio omnium.

Sextum, *septimum* et *octavum* ita mixtim describit Tertullianus loco citato : « Cœna nostra de nomine rationem sui ostendit : vocatur enim ἀγάπη, id quod dilectio apud Græcos est. Non prius discumbitur, quam oratio ad Deum prægustetur. Post aquam manualem, et lumina, ut quisque de Scripturis sanctis, vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium Deo canere : æque oratio convivium dirimit. » Similia habet Philo, lib. *De Essæis*.

Nota *secundo*, hæc dona et hunc fervorem non diu durasse in Ecclesia, sed evanuisse ; ita tamen ut ordinis jam dicti typum et methodum quoad potuit, retinuerit Ecclesia. Unde octo rebus et ritibus jam dictis hæc nostra successerunt.

Primo, puta cantui et psalmodiæ, successit Matutinum, Laudes et Horæ canonicæ.

Secundo, scilicet prophetiis, successerunt lectiones tum in floris canonicis, cum sua expositione et homiliis, tum in Missa lectio Epistolæ et Evangelii.

Tertio successit concio post Evangelium.

Quarto, æque ut olim etiam nunc fit Sacrum, in quo post Collectas clericus loco populi respondet, *Amen*.

Quintum intexuit, sicut et sextum et septimum et octavum, nisi quod hymni et Horæ minores post Sacrum canantur ; et quod Monachi in suis conventibus de rebus spiritualibus colloqui soleant, ut patet ex Cassiano in *Collationibus Patrum*.

Octo rebus hæc ex parte successerunt.

27. SIVE LINGUA QUIS LOQUITUR, SECUNDUM DEOS, AUT UT MULTUM TRES, ET PER PARTES, ET UNUS INTERPRETETUR. — Pendet hic versus ab eo, qui proxime præcessit, « omnia ad ædificationem fiant, » *q. d.* Sive quis psallat, sive doceat, sive lingua loquatur, omnia fiant ad ædificationem, ita nimirum, ut, si loquendum sit linguis, id fiat « secundum (*id est* per) duos, aut ut multum tres, » *q. d.* In singulis conventibus bini duntaxat, aut ut summum terni linguis loquantur (est græcismus) ; idque « per partes, » puta vicissim, ne Vers. 27. Sive lingua quis loquitur, secundum Deos, aut ut multum tres, et per partes, et unus interpretetur.

(1) Alii : salubres animi motus, vestra exhortatione excitati, erumpent in gestus et verba, ut sequitur.

fiat confusio ; « et unus interpretetur, » ut audientes intelligant.

Vers. 29. 29. PROPHETÆ DUO AUT TRES DICANT, — suas prophetias scilicet, sive dogmata, lumina, monita sibi a Deo aspirata. Vide dicta initio capitis.

ET CÆTERI (non vulgus, sed Prophetæ, ut præcessit) DIJUDICENT, — ex dono sibi concesso, an id quod dicit Propheta, sive doctor, sit vere prophetia, id est, doctrina sana et utilis, necne. Non ergo ad vulgus et laicos spectat judicare de doctrina religionis, ut hinc volunt hæretici. Tam enim ineptum et insulsum est, quod vulgus dijudicet prophetias, Prophetas, Doctores, Pastores, quam si discipulus suum præceptorem, ovis suum pastorem, miles suum ducem dijudicare et arguere vellet.

Male hinc hæretici colligunt ad laicos spectare de doctrina religionis judicare.

Vers. 30. 30. QUOD SI ALII (aliquid melius) REVELATUM FUERIT SEDENTI (et audienti, surgat ille et loquatur, etc) PRIOR (Propheta) TACEAT, — et sedeat. « Hæc traditio Synagogæ est, ait Ambrosius, quam nos Paulus vult sectari, ut seniores dignitate disputent sedentes in cathedris, sequentes in subselliis, novissimi in pavimento supra mattas; quibus si quid revelatum fuerit, dandum locum præcipit, nec despiciendos, quia membra corporis sunt. »

31. POTESTIS ENIM OMNES PER SINGULOS PROPHETARE (*q. d.* Possunt omnes Prophetæ sigillatim hac ratione, si nimirum servent modum et ordinem, quem jam præscripsi, exhortari), UT OMNES DISCANT ET EXHORTENTUR, — id est, exhortationem et consolationem accipiant. Passive enim capitur παρακαλέσθωσι, id est *exhortentur*. Simile est *epist.* II, cap. I, 6. Alii exponunt active, hoc modo, *q. d.* Ut omnes discant, cum audiunt; et doceant, dum loquuntur et exhortantur.

Vers. 32. 32. ET SPIRITUS PROPHETARUM PROPHETIS SUBJECTI SUNT, — ut possint Prophetæ spiritum prophetiæ cohibere et tacere cum volunt, aliisque Prophetis dare locum dicendi. Non enim aguntur ad verba eo impetu, quo fanatici idololatræ. Nam spiritus, vel donum prophetiæ, ait D. Thomas, non est habitus, sed partim est instinctus et impressio lucis et veritatis, qua Deus illuminat mentem Prophetæ circa res futuras, obscuras, vel divinas; partim est vis, seu impetus, quo Deus cor tangit, movet et impellit ad prophetandum, sed libere. Unde Jonas et Jeremias illi ad tempus restiterunt, uti et Moyses, *Exodi* IV.

Spiritus prophetiæ non est habitus, sed impressio veritatis, et vis, qua Deus cor movet ad prophetandum.

Aliter exponit Chrysostomus, *q. d.* Paulus : Donum prophetiæ, quod habet Propheta, subjacet judicio et censuræ collegii Prophetarum. Sed prior sensus aptior est. Dat enim hic causam Paulus, cur Prophetæ sibi invicem cedere et tacere debeant, quia nimirum spiritus prophetieus eis subjectus est.

33. NON ENIM EST DISSENSIONIS DEUS, — ut cogat hos illosve simul prophetare, tumultuari et invicem interturbare.

DISSENSIONIS — ἀκαταστασίας, id est, confusionis et turbati ordinis, uti esse solet in tumultu et seditione (1).

34. MULIERES IN ECCLESIIS TACEANT, — etiam Prophetissæ, quia contra ordinem naturæ est et legis, *Genes.* III, 16, ut in conspectu virorum fœminæ eis subditæ loquantur. Ita Ambrosius, et ex eo Anselmus. *Secundo*, quia idipsum est præter earum verecundiam et humilitatem. Ita Anselmus. *Tertio*, quia vir melioris est judicii, rationis, discursus et discretionis, quam femina. *Quarto*, jure, ait Anselmus, tacere jubetur fœmina, quæ cum loqueretur, viro suo suasit peccatum, *Genes.* III. *Quinto*, ut frenum injiciatur ejus loquacitati. Nam :

Vers. 34. Paulus probat quinquies mulieribus tacendum esse mulieribus in ecclesia

Tot pariter pelves, tot tintinnabula dicas
Pulsari,

cum duæ mulieres litigant : quod facile in ecclesia contingeret, si eis docere permitteretur. De hoc mulieris silentio plura dicam I *Tim.* II, 9. Quam ergo contra Apostolum, contra fas omne, jus et decus est, si mulier caput sit Ecclesiæ alicujus?

Tropologice, mulier est passio et concupiscentia, vir est ratio; illa ergo taceat, et rationi se subdat. Vide Chrysostomum, *homil.* 37 in morali.

Sensus tropologicus.

« Mulier, inquit Aristoteles, lib. IX *De Natura animal.*, cap. 1, misericors magis et ad lacrymas propensior est, quam vir : invida item magis, et querula, et maledicentior, et mordacior : præterea anxia, et desperans magis quam mas, atque impudentior et mendacior, quin etiam facilior decipi. »

In quibus mulier viro inferior esse dicitur ex Aristotele?

35. SI QUID VOLUNT DISCERE, DOMI VIROS SUOS INTERROGENT. — Hinc ait Primasius : Viri adeo docti esse deberent, ut uxores suas docere et in rebus fidei instruere possent; sed, quid si indocti sint, ut sæpe fit, a quibus intruentur mulieres? Respondet Primasius : Habent concionatores, confessarios et magistros, qui eas instruant. *Secundo*, melius est illis quædam non necessaria ignorare, quam cum scandalo et inverecundia in ecclesia ea rogare et discere.

Vers. 35.

Dices : Anna Prophetissa in templo loquebatur omnibus de Christo, *Luc.* II. Respondeo : Loquebatur omnibus, id est, singulis privatim, non in Ecclesia, id est, Ecclesiastico conventu, nec in templo proprie dicto : nam templum Judæorum nec mulier nec vir, sed soli sacerdotes ingredi poterant. Loquebatur ergo Anna mulieribus singulis in atrio fœminarum : nam atrium distinctum ab atrio virorum habebant fœminæ, teste Josepho.

Lucæ II. Anna Prophetissa loquitur privatim mulieribus in templo. Atrium fœminarum ab atrio virorum fuit distinctum.

Dices *secundo* : Moniales in ecclesiis suis canunt. Respondeo : Ibi non est Ecclesia, id est fidelis populi conventus, sed est chorus Monialium tantum.

(1) Alii finem vers. 33 cum initio vers. 34 jungunt, ita ut sensus sit : *sicut et in omnibus ecclesiis doceo, mulieres in ecclesiis taceant.*

In templo Moniales canunt in suo choro, non in nave templi populi.

Apostolus enim non vetat mulieres loqui aut canere inter mulieres, sed tantum id fieri vetat in communi Ecclesia, ubi scilicet tam viri quam mulieres conveniunt. Ita Cajetanus. Rursum loquitur Paulus de locutione, non publica et approbata, sed propria et privata, quæ fit docendo, exhortando, interrogando.

Adde, Apostolum proprie tantum loqui de mulieribus conjugatis; has enim jubet in Ecclesia tacere et subjici maritis, eosque domi interrogare.

Vers. 36. 36. AN A VOBIS VERBUM DEI PROCESSIT? — Est acris objurgatio concludens dicta hoc cap. et præcedenti, *q. d.* Nonne ante vos credidit Ecclesia Judaica, Samaria, Palæstina, Cyprus et Syria; inspicite ergo ordinem et morem illarum Ecclesiarum : an ita de suis donis contendant, an ita linguas suas jactitent, de iisque tam pueriliter gloriantur, sicuti vos facitis? Ita Ambrosius et Anselmus (1).

37. SI QUIS VIDETUR PROPHETA ESSE AUT SPIRITUALIS, COGNOSCAT QUÆ SCRIBO VOBIS, QUIA DOMINI SUNT MANDATA. — « Domini » non per se, sed per me jubentis, ut hic ordo in vestris cœtibus et collationibus servetur.

Hic locus exsurgens Pontificios cum-mandat.

Nota hoc Pauli exemplum pro canonibus Pontificiis et legibus Ecclesiæ.

Respondet Melanchthon, non posse Episcopos condere novos canones, quia postquam conscripta jam est omnis Sacra Scriptura, habent Episcopi verbum Dei plenum et sufficiens, quod sequantur; magistratum vero civilem posse novas leges condere, quia non habet verbum Dei, quod sequatur.

Episcopi nova canones condere possunt.

Sed hæc frivola sunt, quia magistratus habet non solum jus naturæ, sed etiam jus Cæsareum amplissimum et plenissimum : ergo si omnia eo non sint statuta et definita, sed magistratus et principes debeant plura statuere et definire, cur non et Episcopi? Nec enim verbo Dei omnia statuta sunt et definita, ut patet ex iis, quæ addidit jus Canonicum.

Paulus hic leges humanas condit.

Secundo, Paulus hic leges condit non divinas, sed humanas et ecclesiasticas, ut ex illis ipsis patet; atqui Paulus habebat verbum Dei, non quidem scriptum, sed traditione, vel revelatione divina acceptum, *Galat.* I, idque tam plenum et perfectum, imo plenius et perfectius, quam nos habeamus : ergo si ipsi licuit verbo Dei suas addere leges, idem licebit Pontifici et Episcopis Pauli successoribus.

Vers. 38. 38. SI QUIS AUTEM IGNORAT, IGNORABITUR. — *q. d.* Qui non vult agnoscere has leges et potestatem meam, « ignorabitur, » id est, improbabitur a Deo, dicente : « Nescio vos. » Nam « qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit. » Legit noster interpres, ἀγνοήσεται, cum Ambrosio, Hieronymo, Syro; jam legunt, ἀγνοείτω, id est, *ignorans esto*. Quod perinde est atque illud : « Qui in sordibus est, sordescat adhuc. » Aut, ut alii, « qui ignorat, ignorans esto, » id est, qui ignorat, agnoscat et gerat se tanquam ignorantem, nec ingerat se ut judicet illos et illa quæ nescit; sed potius sequatur alios, qui duces sunt prophetiæ et doctrinæ. Sed prior lectio nostri interpretis, uti planior, ita verior est et communior (2).

Vers. 39. 40. OMNIA HONESTE ET SECUNDUM ORDINEM FIANT. — Magna cura fuit Paulo, uti et S. Ignatio epist. *ad Philipp.*, *Tarsenses* et alios, εὐταξίας, sive boni ordinis in Ecclesia, etiam in rebus indifferentibus, tum quia hic ordo in se venustus est et decorus; tum quia confusionem et perturbationem excludit; tum quia alios, etiam infideles, valde ædificat. Vide dicta *Coloss.* II, 5.

Decorus ordo in Ecclesia Paulo valde fuit cordi.

(1) Juxta Allioli, hac objurgatione Paulus morem tantum carpit, de quo vers. 34, scil. quod Corinthi mulieres in ecclesia docerent aut interrogarent.

(2) Græcum ἀγνοείτω verti potest, *ignoret*, subaudi, *suo periculo ac detrimento.*

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Probat resurrectionem mortuorum contra pseudodoctores eam negantes.

Primo, ex eo quod Christus resurrexit. Deinde, vers. 23, tradit ordinem resurrectionis.

Secundo, vers. 29, resurrectionem probat auctoritate eorum qui baptizantur pro mortuis.

Tertio, vers. 35, docet, quale futurum sit corpus in resurrectione. Unde, vers. 42, assignat quatuor dotes corporis gloriosi.

Quarto, vers. 51, docet, quod omnes resurgemus, sed non omnes immutabimur, quodque in resurrectione, quæ fiet in momento canente tuba, mors plane absorbebitur.

1. Notum autem vobis facio, fratres, Evangelium, quod prædicavi vobis, quod et accepistis, in quo et statis, 2. per quod et salvamini : qua ratione prædicaverim vobis, si tenetis,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

fiat confusio ; « et unus interpretetur, » ut audientes intelligant.

Vers. 29. 29. PROPHETÆ DUO AUT TRES DICANT, — suas prophetias scilicet, sive dogmata, lumina, monita sibi a Deo aspirata. Vide dicta initio capitis.

ET CÆTERI (non vulgus, sed Prophetæ, ut præcessit) DIJUDICENT, — ex dono sibi concesso, an id quod dicit Propheta, sive doctor, sit vere prophetia, id est, doctrina sana et utilis, necne. Non ergo ad vulgus et laicos spectat judicare de doctrina religionis, ut hinc volunt hæretici. Tam enim ineptum et insulsum est, quod vulgus dijudicet prophetias, Prophetas, Doctores, Pastores, quam si discipulus suum præceptorem, ovis suum pastorem, miles suum ducem dijudicare et arguere vellet.

Male hinc hæretici colligunt ad laicos spectare de doctrina religionis judicare.

Vers. 30. 30. QUOD SI ALII (aliquid melius) REVELATUM FUERIT SEDENTI (et audienti, surgat ille et loquatur, etc) PRIOR (Propheta) TACEAT, — et sedeat. « Hæc traditio Synagogæ est, ait Ambrosius, quam nos Paulus vult sectari, ut seniores dignitate disputent sedentes in cathedris, sequentes in subselliis, novissimi in pavimento supra mattas; quibus si quid revelatum fuerit, dandum locum præcipit, nec despiciendos, quia membra corporis sunt. »

31. POTESTIS ENIM OMNES PER SINGULOS PROPHETARE (*q. d.* Possunt omnes Prophetæ sigillatim hac ratione, si nimirum servent modum et ordinem, quem jam præscripsi, exhortari), UT OMNES DISCANT ET EXHORTENTUR, — id est, exhortationem et consolationem accipiant. Passive enim capitur παρακαλέσθωσι, id est *exhortentur*. Simile est *epist.* II, cap. I, 6. Alii exponunt active, hoc modo, *q. d.* Ut omnes discant, cum audiunt; et doceant, dum loquuntur et exhortantur.

Vers. 32. 32. ET SPIRITUS PROPHETARUM PROPHETIS SUBJECTI SUNT, — ut possint Prophetæ spiritum prophetiæ cohibere et tacere cum volunt, aliisque Prophetis dare locum dicendi. Non enim aguntur ad verba eo impetu, quo fanatici idololatræ. Nam spiritus, vel donum prophetiæ, ait D. Thomas, non est habitus, sed partim est instinctus et impressio lucis et veritatis, qua Deus illuminat mentem Prophetæ circa res futuras, obscuras, vel divinas; partim est vis, seu impetus, quo Deus cor tangit, movet et impellit ad prophetandum, sed libere. Unde Jonas et Jeremias illi ad tempus restiterunt, uti et Moyses, *Exodi* IV.

Spiritus prophetiæ non est habitus, sed impressio veritatis, et vis, qua Deus cor movet ad prophetandum.

Aliter exponit Chrysostomus, *q. d.* Paulus : Donum prophetiæ, quod habet Propheta, subjacet judicio et censuræ collegii Prophetarum. Sed prior sensus aptior est. Dat enim hic causam Paulus, cur Prophetæ sibi invicem cedere et tacere debeant, quia nimirum spiritus prophetieus eis subjectus est.

33. NON ENIM EST DISSENSIONIS DEUS, — ut cogat hos illosve simul prophetare, tumultuari et invicem interturbare.

DISSENSIONIS — ἀκαταστασίας, id est, confusionis et turbati ordinis, uti esse solet in tumultu et seditione (1).

34. MULIERES IN ECCLESIIS TACEANT, — etiam Prophetissæ, quia contra ordinem naturæ est et legis, *Genes.* III, 16, ut in conspectu virorum fœminæ eis subditæ loquantur. Ita Ambrosius, et ex eo Anselmus. *Secundo*, quia idipsum est præter earum verecundiam et humilitatem. Ita Anselmus. *Tertio*, quia vir melioris est judicii, rationis, discursus et discretionis, quam femina. *Quarto*, jure, ait Anselmus, tacere jubetur fœmina, quæ cum loqueretur, viro suo suasit peccatum, *Genes.* III. *Quinto*, ut frenum injiciatur ejus loquacitati. Nam :

Vers. 34. Paulus probat quinquies mulieribus tacendum esse mulieribus in ecclesia

Tot pariter pelves, tot tintinnabula dicas
Pulsari,

cum duæ mulieres litigant : quod facile in ecclesia contingeret, si eis docere permitteretur. De hoc mulieris silentio plura dicam I *Tim.* II, 9. Quam ergo contra Apostolum, contra fas omne, jus et decus est, si mulier caput sit Ecclesiæ alicujus?

Tropologice, mulier est passio et concupiscentia, vir est ratio; illa ergo taceat, et rationi se subdat. Vide Chrysostomum, *homil.* 37 in morali.

Sensus tropologicus.

« Mulier, inquit Aristoteles, lib. IX *De Natura animal.*, cap. 1, misericors magis et ad lacrymas propensior est, quam vir : invida item magis, et querula, et maledicentior, et mordacior : præterea anxia, et desperans magis quam mas, atque impudentior et mendacior, quin etiam facilior decipi. »

In quibus mulier viro inferior esse dicitur ex Aristotele?

35. SI QUID VOLUNT DISCERE, DOMI VIROS SUOS INTERROGENT. — Hinc ait Primasius : Viri adeo docti esse deberent, ut uxores suas docere et in rebus fidei instruere possent; sed, quid si indocti sint, ut sæpe fit, a quibus intruentur mulieres? Respondet Primasius : Habent concionatores, confessarios et magistros, qui eas instruant. *Secundo*, melius est illis quædam non necessaria ignorare, quam cum scandalo et inverecundia in ecclesia ea rogare et discere.

Vers. 35.

Dices : Anna Prophetissa in templo loquebatur omnibus de Christo, *Luc.* II. Respondeo : Loquebatur omnibus, id est, singulis privatim, non in Ecclesia, id est, Ecclesiastico conventu, nec in templo proprie dicto : nam templum Judæorum nec mulier nec vir, sed soli sacerdotes ingredi poterant. Loquebatur ergo Anna mulieribus singulis in atrio fœminarum : nam atrium distinctum ab atrio virorum habebant fœminæ, teste Josepho.

Lucæ II. Anna Prophetissa loquitur privatim mulieribus in templo. Atrium fœminarum ab atrio virorum fuit distinctum.

Dices *secundo* : Moniales in ecclesiis suis canunt. Respondeo : Ibi non est Ecclesia, id est fidelis populi conventus, sed est chorus Monialium tantum.

(1) Alii finem vers. 33 cum initio vers. 34 jungunt, ita ut sensus sit : *sicut et in omnibus ecclesiis doceo, mulieres in ecclesiis taceant.*

In templo Moniales canunt in suo choro, non in nave templi populi.

Apostolus enim non vetat mulieres loqui aut canere inter mulieres, sed tantum id fieri vetat in communi Ecclesia, ubi scilicet tam viri quam mulieres conveniunt. Ita Cajetanus. Rursum loquitur Paulus de locutione, non publica et approbata, sed propria et privata, quæ fit docendo, exhortando, interrogando.

Adde, Apostolum proprie tantum loqui de mulieribus conjugatis; has enim jubet in Ecclesia tacere et subjici maritis, eosque domi interrogare.

Vers. 36. 36. AN A VOBIS VERBUM DEI PROCESSIT? — Est acris objurgatio concludens dicta hoc cap. et præcedenti, *q. d.* Nonne ante vos credidit Ecclesia Judaica, Samaria, Palæstina, Cyprus et Syria; inspicite ergo ordinem et morem illarum Ecclesiarum : an ita de suis donis contendant, an ita linguas suas jactitent, de iisque tam pueriliter gloriantur, sicuti vos facitis? Ita Ambrosius et Anselmus (1).

37. SI QUIS VIDETUR PROPHETA ESSE AUT SPIRITUALIS, COGNOSCAT QUÆ SCRIBO VOBIS, QUIA DOMINI SUNT MANDATA. — « Domini » non per se, sed per me jubentis, ut hic ordo in vestris cœtibus et collationibus servetur.

Hic locus exsurgens Pontificios cum-mandat.

Nota hoc Pauli exemplum pro canonibus Pontificiis et legibus Ecclesiæ.

Respondet Melanchthon, non posse Episcopos condere novos canones, quia postquam conscripta jam est omnis Sacra Scriptura, habent Episcopi verbum Dei plenum et sufficiens, quod sequantur; magistratum vero civilem posse novas leges condere, quia non habet verbum Dei, quod sequatur.

Episcopi nova canones condere possunt.

Sed hæc frivola sunt, quia magistratus habet non solum jus naturæ, sed etiam jus Cæsareum amplissimum et plenissimum : ergo si omnia eo non sint statuta et definita, sed magistratus et principes debeant plura statuere et definire, cur non et Episcopi? Nec enim verbo Dei omnia statuta sunt et definita, ut patet ex iis, quæ addidit jus Canonicum.

Paulus hic leges humanas condit.

Secundo, Paulus hic leges condit non divinas, sed humanas et ecclesiasticas, ut ex illis ipsis patet; atqui Paulus habebat verbum Dei, non quidem scriptum, sed traditione, vel revelatione divina acceptum, *Galat.* I, idque tam plenum et perfectum, imo plenius et perfectius, quam nos habeamus : ergo si ipsi licuit verbo Dei suas addere leges, idem licebit Pontifici et Episcopis Pauli successoribus.

Vers. 38. 38. SI QUIS AUTEM IGNORAT, IGNORABITUR. — *q. d.* Qui non vult agnoscere has leges et potestatem meam, « ignorabitur, » id est, improbabitur a Deo, dicente : « Nescio vos. » Nam « qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit. » Legit noster interpres, ἀγνοήσεται, cum Ambrosio, Hieronymo, Syro; jam legunt, ἀγνοείτω, id est, *ignorans esto*. Quod perinde est atque illud : « Qui in sordibus est, sordescat adhuc. » Aut, ut alii, « qui ignorat, ignorans esto, » id est, qui ignorat, agnoscat et gerat se tanquam ignorantem, nec ingerat se ut judicet illos et illa quæ nescit; sed potius sequatur alios, qui duces sunt prophetiæ et doctrinæ. Sed prior lectio nostri interpretis, uti planior, ita verior est et communior (2).

Vers. 39. 40. OMNIA HONESTE ET SECUNDUM ORDINEM FIANT. — Magna cura fuit Paulo, uti et S. Ignatio epist. *ad Philipp.*, *Tarsenses* et alios, εὐταξίας, sive boni ordinis in Ecclesia, etiam in rebus indifferentibus, tum quia hic ordo in se venustus est et decorus; tum quia confusionem et perturbationem excludit; tum quia alios, etiam infideles, valde ædificat. Vide dicta *Coloss.* II, 5.

Decorus ordo in Ecclesia Paulo valde fuit cordi.

(1) Juxta Allioli, hac objurgatione Paulus morem tantum carpit, de quo vers. 34, scil. quod Corinthi mulieres in ecclesia docerent aut interrogarent.

(2) Græcum ἀγνοείτω verti potest, *ignoret*, subaudi, *suo periculo ac detrimento.*

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Probat resurrectionem mortuorum contra pseudodoctores eam negantes.

Primo, ex eo quod Christus resurrexit. Deinde, vers. 23, tradit ordinem resurrectionis.

Secundo, vers. 29, resurrectionem probat auctoritate eorum qui baptizantur pro mortuis.

Tertio, vers. 35, docet, quale futurum sit corpus in resurrectione. Unde, vers. 42, assignat quatuor dotes corporis gloriosi.

Quarto, vers. 51, docet, quod omnes resurgemus, sed non omnes immutabimur, quodque in resurrectione, quæ fiet in momento canente tuba, mors plane absorbebitur.

1. Notum autem vobis facio, fratres, Evangelium, quod prædicavi vobis, quod et accepistis, in quo et statis, 2. per quod et salvamini : qua ratione prædicaverim vobis, si tenetis,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nisi frustra credidistis. 3. Tradidi enim vobis in primis quod et accepi : quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum Scripturas; 4. et quia sepultus est, et quia resurrexit tertia die secundum Scripturas; 5. et quia visus est Cephæ, et post hoc undecim. 6. Deinde visus est plus quam quingentis fratribus simul : ex quibus multi manent usque adhuc, quidam autem dormierunt. 7. Deinde visus est Jacobo, deinde Apostolis omnibus. 8. Novissime autem omnium tanquam abortivo, visus est et mihi. 9. Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei. 10. Gratia autem Dei sum id quod sum, et gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi : non ego autem, sed gratia Dei mecum. 11. Sive enim ego, sive illi : sic prædicamus, et sic credidistis. 12. Si autem Christus prædicatur quod resurrexit a mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est? 13. Si autem resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit. 14. Si autem Christus non resurrexit, inanis est ergo prædicatio nostra, inanis est et fides vestra : 15. invenimur autem et falsi testes Dei, quoniam testimonium diximus adversus Deum, quod suscitaverit Christum; quem non suscitavit, si mortui non resurgunt. 16. Nam si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit. 17. Quod si Christus non resurrexit, vana est fides vestra, adhuc enim estis in peccatis vestris. 18. Ergo et qui dormierunt in Christo, perierunt. 19. Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus. 20. Nunc autem Christus resurrexit a mortuis primitiæ dormientium, 21. quoniam quidem per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum. 22. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur. 23. Unusquisque autem in suo ordine, primitiæ Christus; deinde ii, qui sunt Christi, qui in adventu ejus crediderunt. 24. Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo et Patri, cum evacuaverit omnem principatum, et potestatem, et virtutem. 25. Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus. 26. Novissima autem inimica destruetur mors : omnia enim subjecit sub pedibus ejus. Cum autem dicat : 27. Omnia subjecta sunt ei, sine dubio præter eum, qui subjecit ei omnia. 28. Cum autem subjecta fuerint illi omnia, tunc et ipse Filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus. 29. Alioqui quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? ut quid et baptizantur pro illis? 30. ut quid et nos periclitamur omni hora? 31. Quotidie morior per vestram gloriam, fratres, quam habeo in Christo Jesu Domino nostro. 32. Si (secundum hominem) ad bestias pugnavi Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? manducemus, et bibamus, cras enim moriemur. 33. Nolite seduci. Corrumpunt mores bonos colloquia prava. 34. Evigilate, justi, et nolite peccare : ignorantiam enim Dei quidam habent, ad reverentiam vobis loquor. 35. Sed dicet aliquis : Quomodo resurgunt mortui? qualive corpore venient? 36. Insipiens, tu quod seminas non vivificatur, nisi prius moriatur. 37. Et quod seminas, non corpus, quod futurum est, seminas, sed nudum granum, ut puta tritici, aut alicujus cæterorum. 38. Deus autem dat illi corpus sicut vult : et unicuique seminum proprium corpus. 39. Non omnis caro, eadem caro; sed alia quidem hominum, alia vero pecorum, alia volucrum, alia autem piscium. 40. Et corpora cœlestia, et corpora terrestria : sed alia quidem cœlestium gloria, alia autem terrestrium. 41. Alia claritas solis, alia claritas lunæ, et alia claritas stellarum. Stella enim a stella differt in claritate : 42. sic et resurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione, surget in incorruptione. 43. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria. Seminatur in infirmitate, surget in virtute. 44. Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale. Si est corpus animale, est et spiritale, sicut scriptum est : 45. Factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem. 46. Sed non prius

quod spirituale est, sed quod animale : deinde quod spirituale. 47. Primus homo de terra, terrenus : secundus homo de cœlo, cœlestis. 48. Qualis terrenus, tales et terreni : et qualis cœlestis, tales et cœlestes. 49. Igitur sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem cœlestis. 50. Hoc autem dico, fratres, quia caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt : neque corruptio incorruptelam possidebit. 51. Ecce mysterium vobis dico : Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. 52. In momento, in ictu oculi, in novissima tuba : canet enim tuba, et mortui resurgent incorrupti : et nos immutabimur. 53. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem. 54. Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo, qui scriptus est : Absorpta est mors in victoria. 55. Ubi est mors victoria tua? ubi est mors stimulus tuus? 56. Stimulus autem mortis peccatum est : virtus vero peccati lex. 57. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum. 58. Itaque, fratres mei dilecti, stabiles estote, et immobiles : abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino.

Vers. 1. 1. NOTUM VOBIS FACIO (in memoriam vobis revoco; ita Græci) EVANGELIUM.

Vers. 2. 2. QUA RATIONE PRÆDICAVERIM. — Repete, *notum facio*; vel refer hæc ad sequens, *si retinetis*, ut sit trajectio (1).

Vers. 3. Vers. 4. 3. QUONIAM CHRISTUS MORTUUS EST PRO PECCATIS NOSTRIS, SECUNDUM SCRIPTURAS : 4. ET QUIA (quod) SEPULTUS EST, ET QUIA RESURREXIT TERTIA DIE SECUNDUM SCRIPTURAS. — Nam *Osee* VI, 3, de Christo dicitur : « Vivificabit nos post duos dies : in die tertia suscitabit nos, » scilicet quando ipse a morte ad vitam tertia die resurget. Resurrectio enim Christi causa fuit cur nos suscitati sumus a morte peccati, et cur suscitandi simus a morte corporis, ut instar Christi resurgamus in die judicii ad vitam immortalem. Vide dicta *Num.* IV, 25. Ita Anselmus, Dorotheus in *Synopsi*, initio; imo veteres Hebræi, Galatinus, lib. VIII, cap. XXII. Addit ex S. Chrysostomo Theophylactus, quod Christus tertia die resurgeret, scriptum esse allegorice in Jona : Jonas enim tertia die e ventre ceti eductus, typus erat Christi ex morte et inferis tertia die reducti ad vitam.

Per resurrectionem Christi mortui sumus a morte animæ.

Jonas in ventre ceti fuit allegoria resurrectionis Christi.

Rursus idipsum scriptum est *Genes.* XXII, in Isaac, qui immolandus a patre præservatus fuit a morte, tertiaque die vivus et sanus redditus est matri suæ : Isaac enim fuit figura Christi a Patre in mortem traditi et immolati, ac tertia die resuscitati. Sed hæc testimonia petuntur ex sensu allegorico, prius vero Osee petitur ex sensu literali.

Vers. 5. 5. ET QUIA VISUS EST CEPHÆ, — Petro. Hanc primam apparitionem Christi potuit Paulus : unde innuit Christum inter viros primo apparuisse Petro. Idem innuit Lucas, cap. XXIV, 34. Dico *inter viros*; nam Magdalenæ Christus apparuit prius quam Petro, *Marc.* cap. ult., 9 (2).

Inter viros apparuit primo Petro.

(1) Alioli : Ut videatis *si tenetis* meam doctrinam *ita ut eam vobis tradidi.*

(2) Ratio autem cur mulierum mentionem nullam Paulus faciat, ea esse videtur, scilicet, proferre tantum testimonia quæ ad probandam resurrectionem Christi vim maximam habitura conideret, nominatim vero Cephæ et Jacobi, qui apud Corinthiorum partem non Paulum duntaxat, sed ipsos etiam cæteros Apostolos auctoritate vincebant.

ET POST HOC UNDECIM. — Scilicet in octava paschæ, præsente jam Thoma, Christus apparuit undecim Apostolis; nam duodecimus Judas jam se suspenderat. Vel potius « undecim, » id est, toti Apostolorum collegio, quod jam erat redactum ad undecim (licet unus Thomas abesset), apparuit Christus ipsa die paschæ, sive resurrectionis Christi. Græca habent δέκα τοῖς δώδεκα, *decim duodecim*, visus est *duodecim*. Ita quoque legit Augustinus, lib. I *Quæstionum Evang.*, Quæst. CXVII. Quia (ait) licet Judas esset mortuus, censentur tamen duodecim, quia fuerunt duodecim. Sic dicuntur decemviri convenire, licet septem, vel octo tantum ex eis sint præsentes. Aliter Chrysostomus : Duodecim, inquit, quia Christus apparuit duodecimo Matthiæ post ascensionem. Sed nec hoc uspiam scriptum est, nec Paulus hic alias Christi commemorat apparitiones, quam quæ ante Christi ascensum contigerunt.

Christus apparuit undecim.

Græca habent duodecim.

6. DEINDE VISUS EST PLUSQUAM QUINGENTIS FRATRIBUS. — Græcum ἐπάνω significat *primo*, *plusquam*; *secundo*, significat *e cœlo*, *supra*; et ita vertit hic Chrysostomus et Theophylactus : Visus est enim, inquiunt, illis Christus, non quasi e terra gradiens, sed super caput illorum, quasi e sublimi lapsus, idque ut eis non tam resurrectionem, quam ascensionem suam ostenderet et firmaret : unde quis colligat, putasse Chrysostomum hanc Christi apparitionem post ejus ascensionem contigisse. Verum id nec verum est, neque necessario ex Chrysostomi verbis colligitur.

Vers. 6. ἐπάνω, id est, plusquam, vel e cœlo.

Plane enim videtur hæc Christi apparitio ante ascensionem contigisse, Christo e loco superno quasi e cœlo, vel aere, quingentis fratribus se ostendente. Estque hæc communis Doctorum sen-

tentia ; nam de apparitione aliqua publica post ascensionem facta nihil usquam legimus.

Apparuit Christus 500 fratribus ante ascensionem in Galilæa.

QUINGENTIS FRATRIBUS. — Multi putant, hanc esse celeberrimam, et toties a Christo ante promissam apparitionem in monte Galilææ. Unde præmoniti eo confluxerunt omnes Christiani : fuitque non in ascensione, sed ante : nam Christus non in Galilæa, sed in Judæa ex monte Oliveti, ascendit in cœlum. Ita Hieronymus, Quæst. VII *ad Hedibiam*, et interpretes in *Matth.* XXVIII, 16.

Jacobo apparuit.

Jacobo. 7. DEINDE VISUS EST JACOBO. — Alphæi, qui frater Domini dicitur, fuitque primus Episcopus Hierosolymitanus : vovérat enim Jacobus (ait Hieronymus, lib. *De Script., Ecclesiast.* in *Jacobo*) se non comesturum, donec videret Christum resurgentem. Unde ei apparens Christus ait : « Frater mi, comede panem tuum, quia resurrexit Filius hominis. » Sed incerta est hæc traditio, et ex aliquo apocrypho deprompta. Unde Hieronymus non approbat eam ; adeoque videtur hæc falsa et conficta traditio. Nam *primo*, ex hoc Pauli loco patet, Jacobo apparuisse Christum post quingentos fratres, id est diu post resurrectionem, quousque inedia Jacobi naturaliter extendi non poterat.

Probatur Primo.

Secundo.

Secundo, quia Apostoli omnes (inter quos erat Jacobus) in morte dubitarunt de resurrectione ; non ergo Jacobus juravit se usque ad eam non comesturum.

Tertio.

Tertio, quia hanc historiam ait Hieronymus, se sumpsisse ex Evangelio secundum Hebræos, quod est apocryphum. Unde et quod ibidem additur, Christum sindonem tunc habuisse, eamque dedisse servo sacerdotis, videtur esse falsum. Nam Christi lintea remanserunt in sepulcro, *Matth.* XXVIII, et corpus gloriosum, quale erat Christi, non sindone aut vestibus, sed splendore et radiis vestitur.

DEINDE APOSTOLIS OMNIBUS, — et discipulis in ascensione ad cœlum. Ita Anselmus et alii.

Vers. 8. Cur Paulus se vocet abortivum? Prima expositio.

8. NOVISSIME AUTEM OMNIUM, TANQUAM ABORTIVO, VISUS EST ET MIHI. — « Abortivo, » id est, contempto et abjectitio. Ita Theophylactus et Theodoretus ; quia abortivi fœtus, utpote imperfecti, tenuiores et graciliores esse solent.

Secunda.

Secundo, « abortivo, » quia extra tempus, Christo scilicet in cœlos recepto, natus in Christo Paulus, novissimus apostolatum accepit. Ita Ambrosius et Chrysostomus.

Tertia.

Tertio, « abortivo, » quia, ut ait Anselmus, vi divina prostratus in terram, coactus et violenter renatus est Paulus ; abortivi enim naturæ violentia ejiciuntur.

Quarta

Quarto, « abortivo, » quia, ut idem Anselmus annotat, fœtus abortivi semimortui et cæci sæpe nascuntur. Sic Paulus in conversione cæcitate percussus est.

Quinta.

Quinto, « abortivus » Judæorum fuit Paulus, quia non ad suos Judæos, sed ad exteras gentes missus est Apostolus. Ita aliqui apud Chrysostomum.

Aliter Baronius, anno Christi 44, pag. 377 : censet enim Paulum vocari « abortivum, » scilicet Apostolum, eo quod, præter et extra numerum duodecim Apostolorum, Apostolus creatus sit. Solebant enim Romæ senatores, teste Suetonio, in *Octavio*, capite XXXV, « abortivi » vocari, qui supra numerum per gratiam in senatum allegebantur. Sed an hic alludat Paulus, incertum est ; nam ipse Græcis græce hæc scripsit, Corinthiis scilicet, non Romanis.

Secta.

Abortivi senatores qui?

Hinc patet Christum apparuisse Paulo, non per angelum, ut vult Haymo in *Apocal.* cap. II, sed per se ; nec per imaginationem, uti apparuit eidem Paulo, *Actor.* XXII, 18 ; nec in raptu, uti eidem contigit, II *Cor.* XII, 2 ; sed in aere corporaliter : sic enim apparuit Christus Cephæ, Jacobo et Apostolis, ut præcessit : et quia alioqui non sufficienter Paulus ex hac apparitione probare resurrectionem Christi.

Christus apparuit Paulo in aere corporaliter, ejus eum convertit.

Nota : Facta est hæc Christi apparitio Paulo in ejus conversione, *Actor.* IX, 3, ubi Paulus vidit Christum, sed mox lumen eum excæcavit.

Hinc rursum patet, Christum tunc e cœlo descendisse ; nam Paulus audivit vocem loquentis in aere. Ita S. Thomas et alii. Unde iterum sequitur, Christum tunc fuisse in duobus locis, scilicet in cœlo empyreo et in aere, juxta Paulum. Nam cœlum empyreum, ad quod ascendit Christus, nunquam exinde relinquit, ut dicitur *Actor.* III, 21. Si Christus hic fuit in duobus locis, cur non possit esse in Eucharistia simul et in cœlo ?

Christus e cœlo descendit.

Sic pariter visus est Christus B. Petro Romæ, cum e fuga ad martyrium eum revocavit, dicens : « Iterum venio crucifigi, » ut narrat Hegesippus, lib. III *Excidii Hierosolymitani*, cap. II, et alii.

Christus Romæ apparuit S. Petro, eumque ad martyrium vocavit.

9. EGO SUM MINIMUS APOSTOLORUM, QUI NON SUM DIGNUS VOCARI APOSTOLUS. — « Dignus, » græce ἱκανός, id est *idoneus*, *q. d.* Non tantum minimus et indignus ob peccata, sed et inidoneus sum ad apostolatum ; qui enim persecutor fuit Ecclesiæ, inidoneus est ut in ea fiat princeps et Apostolus.

Vers. 9.

Moraliter : Nota hic humilitatem S. Pauli, qui se vocat minimum, et eo ipso erat maximus. Præclare S. Bernardus, serm. 13 *in Cant.* : « Magna et rara virtus profecto est, ut magna licet operantem, magnum te nescias, et manifestam omnibus, tua, te solum latere sanctitatem : mirabilem te apparere, et contemptibilem reputare, hoc ego ipsis virtutibus mirabilius judico. Fidelis revera famulus es, si de multa gloria Domini tui, etsi non exeunte ex te, tamen transeunte per te, nil tuis manibus adhærere contingat. Quamobrem audies : Euge, serve bone et fidelis, quia supra pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam. »

10. GRATIA DEI SUM ID QUOD SUM, — quod sum Apostolus et doctor Gentium.

GRATIA EJUS IN ME VACUA (Græce κενή, *inanis*, otiosa, id est sine opere et fructu) NON FUIT. — Ambrosius legit, *gratia ejus in me pauper non fuit*, *q. d.* Licet persecutus sim Ecclesiam Christi, non

tamen ideo pauperem, exiguam et minorem aliis Apostolis, sed potius majorem apostolatus gratiam accepi. Ita Ambrosius.

Sublatus calor longum vincit et tegorem.

SED ABUNDANTIUS ILLIS OMNIBUS LABORAVI. — Pulchre S. Hieronymus, epist. *ad Paulinum* : « Subitus, inquit, calor longum vincit teporem : Paulus Apostolus de persecutore mutatus, novissimus in ordine, primus in meritis est : quia extremus licet, plus omnibus laboravit. » Nam, ut ait S. Gregorius, part. III *Pastor.*, cap. XXIX : « Fit plerumque gratior Deo amore ardens post culpam vita, quam securitate torpens innocentia. »

NON EGO (solus) AUTEM, SED GRATIA DEI MECUM. — Nota *primo* : Ex hoc loco contra Lutherum et Calvinum, manifeste patet esse in homine liberum arbitrium, nec Deum solum omnia in nobis operari, sed ei cooperari liberum arbitrium, etiam in operibus supernaturalibus. Dicit enim Apostolus : « Mecum, » non, in me, et : « Plus omnibus laboravi. »

Probatur cum contra liberi arbitrii oppugnatores est.

Dices : Græca hic aliter habent, scilicet οὐκ ἐγὼ δέ, ἀλλ' ἡ χάρις τοῦ θεοῦ ἡ σὺν ἐμοί, id est, *non ego vero, sed gratia Dei, quæ mecum est* : ergo soli gratiæ suum laborem attribuit Paulus.

Objectio ex Græco solvitur.

Respondeo : Cum ait Paulus, ἡ σὺν ἐμοί, id est *quæ mecum*, supple, non τὸ est, sed τὸ *laboravit*. Hoc enim verbum ἐκοπίασα, id est *laboravit*, quod præcessit, hic intelligendum et repetendum est. Nec mirum tunc mutari personam : hæc enim enallage crebra est Apostolo, ut dixi *Can.* 38. Sensus ergo est, *q. d.* « Non ego solus, sed gratia Dei est, quæ mecum laboravit. » Id ita esse patet ex verbo, *laboravi*, scilicet ego. Cum ergo subdit Paulus : « Non ego, sed gratia Dei mecum, » non excludit propriam liberi arbitrii cooperationem, sed tantum gratiæ, ut digniori operis causæ, operis laudes ascribit. Nec alius erit sensus, etiamsi cum Græcis nonnullis et S. Hieronymo, legamus : « Non ego, sed gratia Dei, quæ mecum est. » Intelligitur enim, « gratia quæ mihi in auxilium adest, et opem præstat, » mecumque operatur, *q. d.* Ego quidem libero meo conatu valde laboravi, non tamen ita laboravi, ut laboris hujus decus et laudem mihi tribuam, vel arrogem ; sed gratia Dei est, quæ ad hunc labrem me excitavit, adjuvit, roboravit : cui proinde primam et potissimam laboris mei laudem tribuo, dicoque et palam profiteor, non tam me, quam gratiam Dei, quæ mecum est, laborasse opusque ipsum concisse. Vide *Can.* 36.

Verum nostra Latina lectio aptior est, ideoque verior ; nam Græca verba in speciem secum pugnare videntur : si enim laboravi, ergo non laboravit gratia, nisi addas cum nostro Interprete *mecum*, scilicet *laboravit gratia*. Unde alibi passim gloriatur Apostolus in laboribus suis, patet II *Cor.* XI, 23 et seq.

Hinc S. Bernardus, lib. *De Gratia et libero arbitrio*, sub finem, dicit : « Paulus inquit, Non ego, sed gratia Dei mecum, præsumens se non solum operis esse ministrum per effectum, sed et operantis quodammodo socium per consensum. Denique et Paulus de se pronuntiat, Dei adjutores sumus, I *Cor.* III, 9. Hinc et promeritores regni nos esse præsuminus, quod per consensum, utique voluntarium, divinæ voluntati conjungimur. »

Idem docet Anselmus hic, Chrysostomus, Theodoretus, Hieronymus, lib. II *Contra Pelagianos*, ante medium ; Gregorius, lib. XVI *Moral.*, cap. X, et S. Augustinus, lib. *De Libr. arbitr. ad Valentinum*, cap. XVII, et serm. 13 *De Verbis Apostoli* : « Si non esset, inquit, operator, Deus non esset cooperator. »

11. SIVE EGO, SIVE ILLI, SIC PRÆDICAMUS, ET SIC CREDIDISTIS, — *q. d.* Tam ego, quam alii Apostoli, ita omnes, ut dixi vers. 3, prædicamus et asseveramus tanquam oculati testes, Christum scilicet mortuum esse, et a mortuis resurrexisse, nobisque esse visum et apparuisse. Eo enim post longam digressionem quasi ad scopum totius capitis redit Apostolus, ut scilicet ex communi et concordi omnium Apostolorum sententia et prædicatione probet resurrectionem Christi aliorumque mortuorum. Ita Chrysostomus, Anselmus et alii.

12. SI CHRISTUS PRÆDICATUR QUOD RESURREXIT A MORTUIS, QUOMODO QUIDAM DICUNT IN VOBIS, QUONIAM RESURRECTIO MORTUORUM NON EST ? — « Quidam. » Hic fuit Cerinthus cum suis, qui primus post Simonem Magum hæresiarcha tempore S. Pauli negavit resurrectionem. Nam, ut refert Eusebius, lib. VII *Histor.*, cap. XXIII, et lib. III, cap. XXVIII, ex Dionysio Alexandrino, et Epiphanius, *hæresi* 28, Cerinthus pro Judaismo pugnans, ex Judaicis traditionibus quæcumque de Ecclesia et felicitate legis Evangelicæ prædicta fuerant, referebat ad regnum terrenum, et ad divitias ac corporis voluptates : ad hoc postea abusus est Apoc. XX 4, et factus est parens Chiliastarum, sive hæreticorum Millenariorum. Unde aliqui putarunt Cerinthum auctorem Apocalypseos, ideoque eam rejiciendam esse. Vide Eusebium.

Cerinthus fuit pater Chiliastarum.

Hunc errorem cum auctore taxat etiam S. Ignatius, epist. *ad Smyrnæos*, et epist. *ad Trallianos*. Resurrectionem quoque negarunt Hymenæus et Philetus, teste Apostolo, II *Tim.* II, 17.

13. SI AUTEM RESURRECTIO MORTUORUM NON EST, NEQUE CHRISTUS RESURREXIT, — tum quia Christus fuit unus ex mortuis, tum quia hæc primaria mortis et resurrectionis Christi causa fuit, scilicet plena abolitio mortis, vitæ reductio ; fuitque Christi resurrectio exemplar nostræ, scilicet ut alii homines resurgant ad justitiam in hac vita, et ad gloriam in altera. Alias quinque causas, cur necesse fuerit Christum resurgere, vide apud D. Thomam, III *part., Quæst.* LIII, art. 1.

17. QUOD SI CHRISTUS NON RESURREXIT, VANA EST FIDES VESTRA : ADHUC ENIM ESTIS IN PECCATIS VESTRIS. — Recte sequitur, si Christus non resurrexit, quod adhuc sumus in peccatis. Nam *primo*, si Christus non resurrexit, ergo fides in Christum

Est remissio peccatorum? Prima causa. Secunda.

resuscitatum, quæ justificationis est radix, falsa est : fides autem falsa non potest esse remissionis peccatorum et veræ sanctitatis initium et fundamentum.

Secundo, quia mors Christi ineffícax fuit ad remissionem peccatorum, si Christus in morte mansit ab eaque victus est. Si enim resurrectione sua nequivit vincere mortem, ergo nec peccatum : hoc enim vincere gravius est et difficilius quam vincere mortem; adeoque peccatum plene non aboletur, nisi ejus effectus, id est mors, aboleatur. Ita Chrysostomus.

Tertio, quia resurrectio Christi causa est justificationis nostræ, ut dixi *Rom.* IV, vers. ultim. Sublata autem causa tollitur effectus : sublata ergo resurrectione Christi, tollitur nostra justificatio a peccatis, ac consequenter adhuc sumus et manemus in peccatis pristinis.

18. ERGO ET QUI DORMIERUNT IN CHRISTO (qui scilicet in spe, fide, gratia et charitate Christi mortui sunt), PERIERUNT. — Quia si corpus non resurgit, sed plane in morte interit, interibit et anima, quæ in æternum sine corpore esse nequit, cum natura sua forma sit corporis; ut, nisi violente animæ suam quasi naturam, et naturalem statum adimat Deus, debeat ei suum corpus reddere, de quo rursus vers. seq.

19. SI IN HAC VITA TANTUM IN CHRISTO SPERANTES SUMUS, MISERABILIORES SUMUS OMNIBUS HOMINIBUS. — Nota *primo* : τὸ *sperantes* significat hic non actum spei (hunc enim certum est existere tantum in hac vita), sed objectum spei, nimirum rem speratam, *q. d.* Si in Christo sperantes sumus tantum illa bona, quæ sunt in hac vita, tunc omnibus hominibus sumus miserabiliores, id est miserrimi sumus omnium hominum; puta, hominum stultissimi sumus, utpote qui falsa et inani spe resurrectionis, quæ nunquam continget, jejunia, mortificationes, persecutiones aliaque dirissima patimur, mundi carnisque voluptates abdicamus, cum alii iis indulgeant. Licet ergo iis feliciores simus ob bonum virtutis abstinentiæ, charitatis et serenæ conscientiæ; miseriores tamen iis sumus quoad spem in Christum, imo stulti ex stulta spe. Ita Anselmus et Chrysostomus. Unde non dicit Apostolus, *pejores*, sed, *miserabiliores sumus* : miserabile enim est, ob virtutem se affligere, si non sequatur præmium; præmium autem Christianæ virtutis est resurrectio.

Si mortui non resurgunt, Christiani sunt miserrimi hominum, etc.?

Objectio.

Dices : Anima potest suum habere præmium esseque beata, licet corpus non resurgat.

Solutio ad primum.

Respondeo : Potuisset Deus instituere ut anima sola præmiaretur et bearetur visione Dei; sed noluit : nam de facto aliter instituit, scilicet ut, si anima beetur, beetur et corpus; si non corpus, nec anima : quia alioqui Christus non plene vicisset peccatum, quod in morte tam corporis, quam animæ dominatur.

Secundo, erat ea tum (ut dixit Paulus vers. 17) hominum opinio, ut, si eis animæ immortalitatem probasses, statim resurrectionem corporis admisissent : quia hæc naturaliter connexa sunt, ut dixi versu præcedenti. Est enim in anima naturalis ad corpus propensio, ut sine corpore nisi violente, et præter naturam esse non possit. Unde resurrectio quoad substantiam, et naturæ humanæ exigentiam, quasi naturalis est, licet in modo et exercitione sit supernaturalis : nec enim anima separata ulla creata vi, sed sola supernaturali Dei virtute rursum uniri potest corpori. Paulus ergo ex negatione resurrectionis et beatitudinis corporis, recte, tam secundum opinionem communem hominum, quam secundum ipsam res naturam et veritatem, infert negationem immortalitatis et beatitudinis animæ, ita nimirum, ut Christiani, si non resurgant, sint omnium hominum miserrimi.

Resurrectio quoad substantiam est naturalis, quoad exercitionem supernaturalis.

20. CHRISTUS RESURREXIT A MORTUIS PRIMITIAE DORMIENTIUM, — *q. d.* Primus resurgentium fuit et est Christus; primus, inquam, ordine dignitatis et meriti; *secundo*, quia in divina voluntate et intentione fuit primus; *tertio*, causalitate. Per Christum enim omnes resurgemus.

Vers. 20. Quomodo Christus dicatur primitiæ dormientium? Prima expositio. Secunda. Tertia. Quarta et genuina.

Quarto, proprie primus tempore inter resurgentes ad vitam immortalem fuit Christus. Licet enim aliqui ante Christum suscitati ab Elia et Elisæo resurrexerint, tamen illi tantum resurrexerunt ad præsentem vitam mortalem, rursumque mortui sunt : Christus vero primus fuit, qui resurrexit ad vitam beatam, gloriosam et æternam. Ita Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Ambrosius, Anselmus et alii passim. Hoc enim proprie significat vox *primitiæ*, et indicant sequentia. Sic dicitur Christus *primogenitus mortuorum*, id est ante omnes resurgens, et quasi renascens ex mortuis.

Hinc de fide esse videtur, neminem ante Christum resurrexisse ad vitam immortalem : qui ergo Christo moriente dicuntur resurrexisse, *Matth.* XXVII, 52, non resurrexerunt nisi post Christum, saltem posterius natura, quia ipsorum resurrectio fuit dependens a resurrectione Christi tanquam a sua causa, ut inter alios recte advertit Franciscus Suarez, III *part.*, *Quæst.* LIII, art. 3.

De fide est, neminem ante Christum resurrexisse ad vitam immortalem. Christus resurgendo primus terræ fructus Deo oblatus.

Nota : « Primitiæ » dicuntur primus terræ fructus, qui olim in lege veteri Deo offerebatur. Sic Christus post resurrectionem quasi primitivus fructus e terra, in quam quasi granum frumenti ceciderat, repullulans et renatus per resurrectionem Deo oblatus est.

Vers. 21.

21. QUONIAM PER HOMINEM (Adamum) MORS (inducta est in homines), SIC ET PER HOMINEM (Christum, inducta est) RESURRECTIO MORTUORUM. — Vox *quoniam* dat causam cur Christus sit primitiæ resurgentium, quia scilicet per Christum, quasi antesignanum et mortis dominatorem, in orbem invecta est resurrectio mortuorum.

Vers. 22.

22. ET SICUT IN (id est per, et propter) ADAM OMNES MORIUNTUR, ITA ET IN CHRISTO OMNES VIVIFICABUNTUR. — Quæritur, an etiam reprobi per

An reprobi per Christum resurgent? Negat S. Augustinus.

Christus enim omnibus est causa resurgendi.

Christum Christique merita, sint resurrecturi et vivificandi? Negat S. Augustinus, *epist.* 28, quia horum resurrectio ad damnationem, non vita, sed mors potius dicenda est. Sic et D. Thomas ait Christum solis bonis esse causam meritoriam resurrectionis, sed efficientem omnibus.

Verum respondeo : Omnibus, etiam reprobis, resurgendi causa est Christus. *Primo*, quia Christus omnino mortem ex toto humano genere abolere voluit per resurrectionem (hæc enim totius naturæ ingens est bonum); ergo etiam ex reprobis, non qua reprobi, sed qua homines sunt, sive abstrahendo a reprobatione. Ita S. Ambrosius, lib. *De Resurr.*, cap. XXI, et clarius Cyrillus, lib. IV *in Joan.*, cap. XII. Adde, Christum reprobis, qua reprobi sunt, meruisse resurrectionem, tanquam hostibus suis in justam vindictam, scilicet ut gloria Christi hostium suorum æterna pœna celebraretur.

Verum hæc omnia sunt præter mentem Apostoli : Apostolus enim proprie agit non de misera reproborum, sed de beata Sanctorum resurrectione, ut patet ex sequentibus.

Sex rationibus Paulus probat Christum resurrexisse. Prima.

Nota : Huc usque probavit Apostolus sex rationibus Christum resurrexisse, ut inde concluderet nos quoque a mortuis resurrecturos. Harum rationum *prima* est, vers. 5, petita a testibus, estque talis : Christus post mortem vivus apparuit Petro, Paulo, Jacobo, aliis Apostolis et quingentis fratribus; ergo vere resurrexit.

Secunda.

Secunda est, vers. 14 : Si Christus non resurrexit, ergo falsa et inanis est tam prædicatio Apostolorum, quam etiam fides Christianorum.

Tertia.

Tertia, vers. 17 : Si Christus non resurrexit, ergo adhuc sumus in peccatis. Probatur consequentia, quia fides justificans et peccata expians, est illa qua creditur Christum pro nobis esse mortuum et resurrexisse.

Quarta, vers. 18 : Si Christus non resurrexit, ergo omnes, qui in Christo dormierunt, perierunt, et tam corpore, quam anima interierunt; anima enim sine corpore semper esse nequit.

Quinta, vers. 19 : Si Christus tantum servimus in hac tam arcta vita et lege Christiana sine spe resurrectionis, ergo miserabiliores sumus omnibus hominibus.

Sexta, vers. 21 : Per Adamum omnes moriuntur, ergo per Christum omnes resurgent et vivificabuntur; quantum enim nocuit Adam, tantum et magis nobis profuit Christus, qui ad hoc venit, ut omnes Adæ et posterorum in eo lapsus et damna non tantum repararet, sed et altius eosdem eveheret et sublimaret.

Vers. 23. Quomodo quisque in suo ordine dicatur Christus primitiæ. Prima explicatio. Secunda.

23. UNUSQUISQUE IN SUO ORDINE, — ut scilicet si justus sit, inter beatos; si impius, inter reprobos resurgat. Ita Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus.

Secundo, Commentarius S. Hieronymo ascriptus : « Unusquisque, inquit, in suo ordine, » quia scilicet altior et beatior resurget, qui hic sanctior fuerit.

Tertia et genuina.

Tertio, Œcumenius et Primasius sic explicant : Omnes in Christo vivificandi hoc ordine resurgent, ut scilicet Christus sit primus, tum tempore, tum dignitate; *secundo*, justi resurgant; *tertio*, sequatur mundi consummatio. Hic sensus est genuinus. Ita enim se in sequentibus explicat Apostolus, dum mox subdit : « Primitiæ Christus; deinde ii qui sunt Christi, qui in adventu ejus crediderunt. Deinde finis. » Simili modo loquitur Paulus I *Thessal.* IV, 15, ut ibi fusius ostendam.

QUI IN ADVENTU EJUS CREDIDERUNT. — Nota *primo* : Τὸ *crediderunt* non habent Græca, sed Romana, et in Græco intelligitur. Ἀπαρχὴ, inquit, Χριστὸς, ἔπειτα οἱ τοῦ Χριστοῦ ἐν τῇ παρουσίᾳ αὐτοῦ, id est, *primitiæ Christus; deinde qui sunt Christi in ejus adventu*, supple, *credentes, hi post ipsum resurgent.* Licet Vatablus et alii simpliciter sic accipiant, *in ejus adventu*, supple, *resurgent.*

24. DEINDE FINIS. — Supple, *erit*; FINIS, inquam, totius dispensationis Christi de salute generis humani; ac consequenter finis erit tunc sæculi, temporis, generationum, corruptionum et totius universi. Ita Anselmus. Totius enim universi finis est Christus, ejusque electi, ut si hi finiantur, finiatur et universum.

Finis totius universi est Christus, ejusque electi.

Secundo, græcum τέλος, quod Noster vertit, *finis*, potest etiam verti, *consummatio*, hoc est, ut Theodoretus, generalis et consummata omnium, etiam impiorum, resurrectio; tunc enim finem accipient omnia.

CUM TRADIDERIT REGNUM (id est Ecclesiam fidelium, et congregationem electorum) DEO ET PATRI. — Non quasi in ea jam non regnet Deus, cum Christus dicat : « Regnum Dei intra vos est; » sed quod nonnihil in ea dominentur peccata, diabolus, mors et mortalium ærumnæ, *q. d.* Tunc erit finis, cum obtulerit Christus Ecclesiam electorum, et quasi reddiderit illam Patri, quæ in hujus vitæ lucta regenda illi et custodienda commissa fuerat, ut in ea gloriose in æternum regnet, dicendo Patri : « Pater, tu me miseras in mundum, et postquam ascendi in cœlum ad te, hos semper rexi, et a dæmonis, carnis, mundi potestate et impugnatione protexi. Ecce hi tui sunt, qui jam tibi præsto sunt. Hæc est possessio mea, mihi a te tradita; hic labor meus, meo sudore ac sanguine partus; hoc regnum meum, et tuum, jam omni peccato, tentatione, perturbatione, afflictione liberum, purgatum, expolitum, ut in illis per gloriam et triumphum regnes in æternum. » Ita Ambrosius et Augustinus, cap. VIII et X, lib. *De Trinitate*, tom. III.

Christi translatio electos et Beatos Patri, ad eam creatio

Nota *secundo*, « Deo et Patri, » idest Deo Patri : est enim hendiadys, qua hæc duo dividit Paulus, ut significet Christum, qua homo est, fideles suos Deo; qua Filius est, Patri suo oblaturum.

CUM EVACUAVERIT OMNEM PRINCIPATUM, ET POTESTATEM, ET VIRTUTEM. — *q. d.* Cum abolaverit omnem dæmonum potestatem et subjugationem, ut amplius Ecclesiam, quæ est regnum Dei,

impugnare non possint; de qua impugnatione plura dicam *Ephes.* VI, 12. Ita Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Ambrosius, Œcumenius.

Ex ordine Principatuum et Potestatum alii quam ecclesiastici dominantur, factique sunt daemones.

Nota : « Principatus, Potestates et Virtutes » tria sunt chororum angelicorum nomina. Ex quibus, hinc patet, aliquos cecidisse et factos esse dæmones, qui eadem nomina retinuerunt; quia, uti eamdem naturam et naturæ præcellentiam, ita et eumdem ordinem, gradum ac potestatem, præsertim in impugnanda Ecclesia singuli servarunt, *q. d.* Cum aboleverit Christus omnem principatum dæmonum, qui sunt et vocantur Principatus et Virtutes, ne amplius fideles lacessant, tunc tradet regnum jam dictum Patri, eritque omnium finis et consummatio.

Aliter S. Anselmus hoc explicat, scilicet de sanctis bonis.

Aliter, nimirum de bonis angelis, hæc explicat S. Augustinus, lib. I *De Trinit.*, cap. VIII, *q. d.* « Cum evacuaverit, » hoc est, cum amplius necessaria non fuerit, ideoque abolita, dispensatio et gubernatio Ecclesiæ per angelicos Principatus, Dominationes et Virtutes.

Sed prior sensus est verior. Nam de hostibus Christi hic agi patet ex versu seq., ubi sic ait :

Vers. 25. 25. OPORTET ILLUM REGNARE (hoc est Christum oportet regere Ecclesiam), DONEC PONAT (Deus Pater) OMNES INIMICOS (dæmones et omnes reprobos) SUB PEDIBUS EJUS. — « Donec, » id est, eo usque, non tantum, sed ulterius in æternum, quia, victis hostibus, non dubium est quin Christus vel maxime regnabit, licet alio modo et alia gloria quam jam. Ita Chrysostomus.

Donec significat quid antea sit factum, non quid postea factum sit.

Nota : « Donec » significat tantum quid antea sit factum, de quo dubitari poterat, non quid postea factum sit. Sic Joseph, *Matth.* I, 25, dicitur non cognovisse Mariam conjugem suam, *donec peperit filium*; non quasi postea cognoverit, ut impurus inferebat Helvidius, sed quod usque ad conceptionem et partum non cognoverit. Tantum enim voluit Matthæus asserere rem miram, et naturaliter incredibilem, scilicet Christi conceptionem sine patre ex matre virgine. Sic hic asserit Paulus, Christum etiamnum, cum hostibus colluctante Ecclesia, in ea regnare : quod dubium esse poterat. Alterum vero, quod hinc consequitur, scilicet post luctam et triumphum Christum regnaturum, quasi certum omnibus relinquit et præsupponit. Præclare S. Augustinus, in *Sententiis*, num. 169 : « Quamdiu, ait, vitiis repugnatur, plena pax (male aliqui legunt, nox) non est : quia et illa quæ resistunt, periculoso debellantur prælio, et illa quæ victa sunt, nondum securo triumphantur otio, sed adhuc sollicito premuntur imperio. »

26. NOVISSIMA INIMICA DESTRUETUR MORS. — « Mors, » quæ scilicet adhuc aliquatenus regnat in corporibus Sanctorum, omnino abolebitur in resurrectione. Ita Anselmus. Potest *secundo*, hic locus cum Hieronymo multis locis in Isaiam, cum Vatablo Græco : Ultimus inimicus destruetur mors. Est hysterologia : sensus enim est, *q. d.* Inter hostes mors ultimo destruetur; hoc enim significant Græca, ἔσχατος ἐχθρὸς καταργεῖται ὁ θάνατος. *Primus* enim inimicus Christi et Christianorum est diabolus, qui a Christo in cruce victus est. *Secundus* est peccatum, quod a Christianis per gratiam Christi in hac vita vincitur. *Tertius* est mors, quæ in resurrectione ultima vincetur.

Tres hostes Christi et fidelium, peccatum, diabolus, mors.

OMNIA SUBJECIT SUB PEDIBUS EJUS. — *q. d.* Omnes homines et angelos, bonos et malos, in resurrectione plane subjiciet Deus Christo.

Vers. 27.

Nota : Prophetice « subjecit » idem est quod certissimo subjiciet, ac si jam subjecisset.

27. CUM AUTEM DICAT : OMNIA SUBJECTA SUNT EI; SINE DUBIO, PRÆTER EUM, QUI SUBJECIT EI OMNIA. — « Dicat, » id est dicit. Est enallage modi : noster Interpres fideliter ad verbum vertit; græce enim est εἴπῃ. Addit hæc Paulus, ne quis putet Patrem ita concessisse omnia Filio, ut seipsum eorum dominio exuerit, ita ut jam Pater sit minor Filio, ejque quasi subjectus. Sic enim apud homines, parentes aliqui dum senescunt, solent se bonis et statibus suis exuere, eaque transferre in filios; sed plane aliter facit Deus Pater, uti dixi.

Vers. 28.

28. TUNC ET IPSE FILIUS SUBJECTUS ERIT EI, QUI SUBJECIT SIBI OMNIA. — Aliqui *primo*, ro *subjectus* accipiunt secundum divinitatem, *q. d.* Christus, qua Deus, ostendet se a Patre omnia ipsamque divinitatem accepisse; itaque quasi subjectum se esse Patri declarabit. Verum hoc durius dicitur : nec enim Filius ex eo quod omnia sua habet a Patre, ideo Patri est subjectus, sed honore per omnia par. Unde passim alii accipiunt hæc de Christo secundum humanitatem; idque

Christus subjectus erit Patri, non qua Deus,

Primo, ut Chrysostomus, « subjectus erit, » id est subjectum se ostendet, tunc que omnibus patebit quam perfecta fuerit hic Christi obedientia et subjectio. Vide *Can.* 36.

sed qua homo, idque primo.

Secundo et aptius Anselmus, Christus ut homo subjectus erit, id est subjiciet et offeret se cum electis suis ad æternam Dei laudem et participationem divinæ bonitatis, dominii et gloriæ. Idem enim est hoc subjici Christi, cum eo quod dixi vers. 24, scilicet, quod tunc tradet Christus regnum Deo et Patri, ut in se et suis omnibus Deus Pater plenissime et gloriosissime regnet. Hæc enim Christi et Sanctorum subjectio erga Deum non misera est et servilis, sed beata et gloriosa. Nam qui in cœlo Deo subjecti sunt, eos Deus habet pro filiis, quibus imperat et benedicit, quosque summa felicitate et gloria beat. Merito ergo sic subjici et servire Deo regnare est, atque talis servitus optanda est cum Davide, *Psal.* LXI : « Nonne Deo, inquit, subjecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum. » E contrario, reprobi, qui non erunt Deo subjecti, hoc ipso hostes Dei erunt, omniumque hominum infelicissimi : estque hic in nomine *subjectus* quædam antistasis, sive ejusdem verbi contraria significatio, de qua dixi *Can.* 31. Ita Gregorius Nyssenus, orat. in

Servitus Dei, regnum est.

Quid subjici Deo ex Ilyrico?

et hæc Apostoli verba, in qua sic ait : « Dei subjectio est perfecta et omni ex parte absoluta a malo abalienatio : Christus ergo in resurrectione subjicietur Patri, quia in ea omnes fideles et electi Christi semoti erunt ab omni malo, tuncque suscipient boni principatum, et arctissime conjungentur cum deitate, ejusque immortalitate, regno et felicitate; atque tunc Deus erit omnia in omnibus, quando nullum erit malum in iis quæ sunt. Non potest enim Deus esse in malo, sed necessario est in omni bono. Christus ergo subjicietur Patri, cum Ecclesia Christi Patri subjicietur, itaque liberabitur ab omni malo. Ecclesiæ enim subjectio, Christi dicitur subjectio. »

Tertio, ex *Can.* 32, potest accipi verbum *erit* in actu continuato : « subjectus erit, » id est in subjectione Patris, quam nunc habet Christus, in æternum perseverabit. Scripsit de hac Apostoli sententia contra Arianos Hilarius, Lib. XI *De Trinit.*; S. Hieronymus, epist. *ad Principiam*; S. Augustinus, *Quæst.* LXVI, inter. 83, et lib. I *De Trinit.*, cap. VIII, ubi sic ait : « Christus, in quantum Deus est cum illo, nos subjectos habet : in quantum sacerdos, nobiscum illi subjectus. »

In cœlo Deus erit omnia in omnibus, quomodo?

UT SIT DEUS OMNIA IN OMNIBUS. — Ut, scilicet, Deus sit omnem potestatem in omnia habens et ostendens; vel, ut Deus in electis sit omnia, id est vice rerum omnium; scilicet, ut sit ipse nostra vita, salus, virtus, copia, gloria, honor, pax, omnia bona, et finis ac satietas desideriorum nostrorum. Ita Anselmus. Sic in omnibus tunc per omnia dominabitur Deus, omniaque sibi et suæ gloriæ subjiciet. Ex hoc loco infert S. Augustinus, lib. XXII *De Civit.*, cap. XXIX, quod Sancti Dæces et res nostras cognoscant in cœlo.

Apposite S. Hieronymus, epist. *ad Amandum* : « Quod, inquit, Apostolus ait : Ut sit Deus omnia in omnibus, hoc sensu accipiendum est. Dominus atque Salvator noster nunc omnia non est in omnibus, sed pars in singulis, verbi gratia, in Salomone, sapientia; in Davide, bonitas; in Job, patientia; in Daniele, cognitio futurorum; in Petro, fides; in Phinees et Paulo, zelus; in Joanne, virginitas; in cæteris, cætera. Cum autem rerum omnium finis advenerit, tunc omnia in omnibus erit, ut singuli Sanctorum omnes virtutes habeant, ut sit Christus totus in cunctis. » Ex hoc loco, ut refert S. Augustinus, lib. I *De Trinit.*, cap. VIII, aliqui sunt opinati Christi humanitatem regnaturam usque ad diem judicii; tunc vero convertendam in divinitatem, et hanc conversionem esse illam subjectionem Christi ad Patrem, de qua subdit Paulus. Hoc delirum est. Est enim et secundum fidem, et secundum naturam σέβασμα.

Deus in Job est patientia, in Petro fides, in Phinees et Paulo zelus, etc.

Delirant aliqui, in resurrectione omnes creaturas re-

Perperam ergo quidam contemplativi (qui nimiam quamdam et impossibilem unionem cum Deo consectati sunt), imo fanatici homines, ex hoc et similibus Scripturæ locis opinati sunt, quod in resurrectione omnes homines, omnesque res creatæ reditura sint ad suum esse ideale et divinum, quod ab æterno habuerunt in Deo, adeoque convertendæ sint in ipsum Deum; ita ut tunc omne esse creatum evanescere debeat, et absorberi ab ipso esse increato, puta ab ipsa divinitate. Quem errorem fuse impugnat Gerson, eumque impingit Ruisbrochio. Sed ab hoc errore se purgat ipse Ruisbrochius, eumdemque errorem acriter insectatur et ipse, lib. *De Vera contempl.*, cap. XIX, et lib. qui inscribitur *Samuel, sive de Alta contemplatione et unione cum Deo*, cap. II, III et IV.

Hic vero Apostoli locus huic errori non favet, sed potius contrariatur : nam si in resurrectione Deus erit omnia in omnibus, ergo omnia, id est omnes res creatæ, erunt et permanebunt. Alioqui enim Deus non esset omnia in omnibus, sed esset solus omnia in nullis sive in nihilo. Porro, qua ratione et modo Deus sit futurus omnia in omnibus Beatis, recte declaratur per similitudines. *Prima* est, sicut aliquot guttæ aquæ infusæ dolio ingenti vini potentissimi, illico a vino absorbentur et incorporantur; ita et Beati omnes per visionem et amorem in Deo quasi se perdent, ut a Deo quasi summo bono summe amato absorberi et incorporari videantur. *Secunda* est, lucis solaris. Sicut enim lux solis totum occupat aerem, ut aer jam non aer, sed lux esse videatur; ita et Deus lumine gloriæ ita replebit Beatos, ut non tam homines quam dii quidam esse videantur. *Tertia* est, ferri accensi et igniti. Sicut enim ferrum vi ignis igniri, et in ignem quasi transformari videtur; sic et Beati Dei amore et fruitione ita accendentur, ut in Deum transformari videantur. *Quarta*, sicut ingens vas sacchari vel mellis, infusum in modicam pultem, eam non tantum mellcam, sed quasi mel et saccharum efficit; ita Deus sua dulcedine adeo dulcorat et inebriat Beatos, ut videantur esse ipsa dulcedo. Deus enim est pelagus dulcedinis, et oceanus gaudii et consolationis. *Quarta*, sicut suavissima musica et harmonia omnium audientium aures implet et mulcet; rursum, sicut idem adamas, carbunculus, vel smaragdus, omnium intuentium oculos implet et rapit : ita et Deus omnium Beatorum mentes in se rapit, mulcet et implet. *Sexta*, sicut speculum omnium ante se positorum facies et species exhibet, repræsentat et continet, ut omnes videantur in speculo existere, vivere et moveri : ita Beati omnes in Deo existant, vivant et moventur. Deus enim rerum omnium est speculum lucidissimum æque ac ardentissimum.

Denique pulchre et pie S. Bernardus, serm. 11 *in Cantic.* : « Quis, inquit, comprehendat quam magna multitudo dulcedinis in brevi isto sermone comprehensa sit : Erit Deus omnia in omnibus? Ut de corpore taceam, in anima tria intueor, rationem, voluntatem, memoriam; et hæc tria ipsam animam esse. Quantum cuique horum in præsenti sæculo desit de integritate sua et perfec-

tione, sentit omnis qui ambulat in spiritu. Quare hoc, nisi quia Deus nondum est omnia in omnibus? Hinc est quod et ratio sæpissime in judiciis fallitur, et voluntas quadruplici perturbatione jactatur, et memoria multiplici oblivione confunditur. Triplici hinc vanitati nobilis creatura subjecta est non volens, in spe tamen. Nam qui replet in bonis desiderium animæ, ipse rationi futurus est plenitudo lucis, ipse voluntati multitudo pacis, ipse memoriæ continuatio æternitatis. O veritas, charitas, æternitas! O beata et beatificans Trinitas, ad te mea misera trinitas miserabiliter suspirat, quoniam a te infeliciter exulat.» Et paulo inferius: «Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: cum error videlicet a ratione, a voluntate dolor, atque a memoria timor omnis recesserit: et successerit illa quam speramus, mira serenitas, plena suavitas, æterna securitas. Primum illud faciet veritas Deus, secundum charitas Deus, tertium summa potestas Deus, ut sit Deus omnia in omnibus, ratione recipiente lucem inextinguibilem, voluntate pacem imperturbabilem consequente, memoria fonti indeficienti æternaliter inhærente. Videlicet vita, reclene primum illud Filio, Spiritui Sancto sequens, Patri ultimum assignetis.»

Vers. 29. 29. ALIOQUIN QUID FACIENT, QUI BAPTIZANTUR PRO MORTUIS, SI OMNINO MORTUI NON RESURGUNT? — «Baptizantur,» scilicet metaphorice, baptismo pœnæ, afflictionum, lacrymarum, precum, etc., ut suffragentur mortuis, ut a baptismo ignis in Purgatorio liberentur. «Baptizantur,» inquam, etiam ii ipsi judaizantes, qui resurrectionem negant, ut Cerinthus et similes, aut certe eorum symmistæ Judæi, idque ex recepta fide et more Hebræorum; nam Hebræos suffragia facere solitos pro defunctis, patet *ex* II *Machab.* XVIII, 43, et ex modernis eorum ritualibus. Hic sensus optime cohæret cum sequentibus. Hoc sensu sæpe alibi *baptismus* accipitur, ut *Marci* X, 38, *Lucæ* XII, 50, *Psalm.* XXXI, 6. Passim enim in Scripturis aquæ et fluctus significant tribulationes et afflictiones (1).

Potest *secundo*, accipi sic: «baptizantur,» id est purificantur ad sacrificia, quæ offeruntur pro mortuis; solebant enim Judæi baptizari ante sacrificium, preces omnemque rem divinam. Vide *Marc.* VII, 8; *Hebr.* VI, 2, et IX, 10.

Aliorum varias interpretationes fuse prosequitur Bellarminus, lib. I *De Purgatorio*, cap. IV, et Suarez, III *part.*, *Quæst.* LVI, disp. 30, sect. 1; illæque omnes fere referuntur ad baptismum proprie dictum. Atque ut eas compendio complectar, *primo*, D. Thomas sic explicat: «Baptizantur pro mortuis,» id est, pro peccatis abluendis, quæ sunt opera mortua.

Secundo, Theodoretus, «pro mortuis,» id est, instar mortuorum a morte resurgentium, ut scilicet dum baptizantur, et e baptismo, quasi e sepulcro emergunt, significent resurrectionem ex mortuis.

Tertio, Epiphanius, *hæresi* 28, «pro mortuis,» id est, cum imminet mors, et quasi habentur pro mortuis. Tunc enim qui baptismum distulerant, omnino baptizari volebant ob fidem et spem æternitatis et resurrectionis. Unde baptizandi recitabant Symbolum, in quo est hic articulus: *Credo resurrectionem mortuorum.*

Quarto, Claudius Guilliaudus, doctor Parisiensis: «Baptizantur, inquit, pro mortuis» Martyres, qui patiuntur et affliguntur pro fide et articulo resurrectionis mortuorum. Hic sensus cohæret apte cum sequentibus; sequitur enim: «Ut quid et nos periclitamur omni hora?»

Quinto, alii sic explicant, *q. d.* ad hominem: Ut quid e vobis quidam (uti Marcionistæ postea fecerunt) errantes et superstitiosi susciplant baptismum pro mortuis, qui defuncti sunt sine baptismo? Ita Ambrosius et Iræneus, *hæres* 28, et Tertullianus, lib. *De Resurrect.*, cap. XXIV; item Chrysostomus.

Sexto, aliqui sic capiebant: Baptizari pro mortuis idem est quod baptizari a mortuis, hoc est a contactu vel pro contactu mortuorum elucndo et purgando. Nam *Num.* XIX, præceptum erat, ut qui tangeret corpus mortui, immundus censeretur, donec ablueretur aqua lustrali, cujus ritus ibi præscribitur. Sic enim ait *Eccles.* cap. XXXIV, vers. 30: «Qui baptizatur a mortuo, et iterum tangit eum, quid proficit lavatio illius?» Ad quem locum alludit hic Paulus: indeque apte probat resurrectionem mortuorum, *q. d.* Cæremonia illa baptismi, id est ablutionis et lustrationis post contactum cadaveris, inutilis omnino censenda foret, nisi corporum resurrectio futura esse crederetur. Ideo enim eam sanxit Deus, ut per eam indicaretur resurrectio futura: non enim alia causa ejus assignari potest. Quorsum enim propter contactum cadaveris, præsertim humani, præscribitur tam serio lotio et purificatio, nisi ad significandum carnem illam licet morte pollutam et corruptam, non perpetuo in morte mansuram, sed aliquando resurrecturam? quasi per hanc lustrationem et mundationem caro humana ad immortalem vitam videretur præparari et aptari: ideoque tangens corpus humanum multo magis erat immundus et purificandus, quam si cadaver animalis alterius tetigisset; qui enim tetigisset cadaver hominis, septem diebus erat immundus; qui vero alterius animalis, solum usque ad vesperam, ut patet *Levit.* XI. Ait ergo Paulus: «Alioquin quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? ut quid baptizantur pro illis?» *q. d.* Potius ab hac cæremonia baptismi et lustrationis, quod inanis omnino esset, cessare deberent, si nulla esset spes resurrectionis. Ita Gabriel Vasquez, III *part.*, tom. II, *Quæst.* LXIX, disp. 137, cap. III, num. 48, et seq. Verum frigidior et exilior videtur hæc expositio ratioque ad probandam resurrectionem.

Septimo, idem S. Chrysostomus paulo ante citatus, aliam expositionem profert et præfert, videlicet, *q. d.* Paulus: Ut quid proprie baptismum suscipiunt omnes fideles pro spe resurrectionis ex mortuis, vel pro statu mortuorum, ut in eo illis post mortem sit bene, si mortui non resurgunt? Utique frustra hoc faciunt. Atqui hoc non est credibile, cum hic sit communis omnium fidelium sensus; adeo ut multi jam baptismum differant usque ad finem vitæ, et in lecto baptizentur, ut plene baptismo ab omni culpa et pœna purgati evolent in cœlum, beatam resurrectionem adepturi. Unde et Clinici dicuntur, quasi dicas Lectularii, de quibus a baptismo non repellendis multi canones exstant.

Qui Clinici et Lectularii?

Hic sensus omnium videtur simplicissimus, et planissimus: hoc enim proprie significat vox *baptizantur*. Innuit etiam τὸ *pro mortuis*: «dum enim Sacramentum baptismi impenditur corpori, corpus consecratur immortalitati.» ait Tertullianus (1).

UT QUID ET BAPTIZANTUR PRO ILLIS? — scilicet, ut Græca habent, ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, *pro mortuis*: si nimirum a morte non est resurrectio ad vitam, nec mortui resurgunt, ut quid pro iis, id est, pro statu mortuorum, proque resurrectione ex mortuis baptizantur? Ita passim omnes.

30. UT QUID ET NOS PERICLITAMUR OMNI HORA? — *q. d.* Stulte nos objicimus tot periculis et persecutionibus ob spem resurrectionis, si non est resurrectio. Est hæc nova ratio, vel potius nova pars rationis annectenda præcedenti parti et rationi, ut ex utraque integra hæc ratio confletur, *q. d.* Nos omnes resurrecturos esse, patet ex communi omnium fidelium sensu et instinctu, quem tum natura, tum fides eis indidit. Nam propter hanc resurrectionis spem omnes anhelant ad baptismum; rursum alii, ac nos in primis, propter eamdem spem omnia pericula et labores audacter adimus, imo invadimus. Natura ergo et Deus, qui hunc sensum et hos animos nobis indidit causa et spe resurrectionis, liquido hoc ipso testantur nos esse resurrecturos.

Communis fidelium sensus dictat nos resurrecturos.

Vers. 31. 31. QUOTIDIE MORIOR, — id est, mortis periculis quotidie pro Evangelio et Gentium conversione me objicio.

PER VESTRAM GLORIAM, — id est, propter gloriam vobis obventuram in cœlis, ut scilicet eam vobis conciliem; vel potius, «per vestram gloriam,» id est per gloriationem, qua glorior de vobis, quasi meis in Christo filiis, tanquam Apostolus et pater vester, juro, et Deum in testem voco, quod «quotidie morior,» et morti me offero pro spe resurrectionis: græce enim est νὴ τὴν ὑμετέραν καύχησιν: νὴ autem Græcis est particula jurantis, *et* καύχησιν non tam gloriam, quam gloriationem significat. Hinc S. Augustinus, *epist.* 89, probat licitum esse jurare. Unde Syrus vertit, *juro ego per gloriam vestram*; Ambrosius legit, *pro gloria vestra.*

Vis per vestram gloriam est juramentum.

QUAM HABEO IN CHRISTO. — Hoc est, quam scilicet gloriam futuram in vobis habere spero, fretus Christo Domino: ita Anselmus; vel potius, quam gloriam, puta gloriationem, habeo, id est, qua glorior in Christo: glorior enim, quod illa mihi per Christi merita obvenerit. Aliter exponunt Gagneius et Photius, ut νὴ sit non tantum jurantis, sed et obtestantis: vertunt enim, *quotidie morior propter vestram*, vel, ut aliqui Græci legunt, *nostram gloriationem*, ut scilicet gloriari possim de vobis, per me conversis et Christo acquisitis.

Memento semper hic Apostolum, etiam ex sola immortalitate animæ probare corporum resurrectionem; quia hæc duo naturaliter sunt connexa, et quia homines tam non tam de resurrectione in se, quam de immortalitate animæ dubitabant; ita ut si quis animæ immortalitatem eis demonstrasset, resurrectionem statim admissent. Ita S. Thomas.

Apostolus ex immortalitate animæ probat resurrectionem.

32. SI (SECUNDUM HOMINEM) AD BESTIAS PUGNAVI Vers. 32. Ephesi. — «Secundum hominem,» id est, inquit Photius, quantum homini fuit possibile.

Quid vis secundum hominem? Prima expositio.

Secundo et melius, «secundum hominem,» hoc est, humana tantum spe, humano spiritu, audacia, temeritate, studio gloriæ, quo acti homines præcipites in pericula ruunt.

Secunda et vera.

Alii exponunt sic, «secundum hominem,» ut scilicet hominum more loquar, qui libenter narrant suas pugnas et certamina.

PUGNAVI AD BESTIAS EPHESI. — Theophylactus, Anselmus, Primasius et Baronius per *bestias* accipiunt Demetrium et socios ferinos et barbaros, pro Diana contra Paulum atrociter et ferine depugnantes, *Actor.* XIX. Unde Græcum κατὰ ἄνθρωπον verti potest, *si in hominem pugnavi, quasi in bestiam.* Sic Neronem Paulus vocat *leonem*, II *Timoth.* IV, 17. Tales alibi vocantur *tauri*, ut *Psalm.* LXVII, 31: «Congregatio taurorum in vaccis populorum.» Sic S. Ignatius, epist. *ad Romanos*: «Pugno, ait, quotidie cum bestiis,» id est militibus et custodibus (2).

Verum Chrysostomus, Ambrosius et alii, pro

(1) Ita Allioli.

(1) Mecus et Scholius τὸ *pro mortuis* per enallagen numeri accipiunt de Christo, ut sensus sit: Si per Christum non redderetur nobis vita, *quid utilitatis nobis Christianis* præstaret baptisma, *si propter* Messiam *mortuum baptizaremur?* Alii interpretantes h. l. βαπτιζεσθαι *martirio vitæ periculis se objicere*, ὑπὲρ τῶν νεκρῶν autem posita esse existimantes pro ὑπὲρ τῆς ἐκείνων vel ζωοποιίας, hunc constituunt sensum: *Quid volunt, qui martirio vitæ periculis se exponunt, si moriantur*, nec unquam ad vitam redeant? Quæ explicatio omnibus reliquis Rosenmullero videtur esse præferenda.

(2) Ita Allioli, qui addit: *secundum hominem*, id est, ut loquar hominum more, qui homines sævas *bestias* seu *feras* appellant.

Tantus bestiis fuit objectus.

prio Paulum Ephesii bestiis objectum, cum eisque depugnasse, putant : hoc enim proprie significat Græcum θηριομαχήσας. Deinde quia pugna illa cum Demetrio Ephesi contigit post hanc epistolam scriptam; nam post illam tragœdiam, Demetrius cum suis tumultuans coegit statim Paulum Epheso excedere, ut tempus hæc scribendi Ephesi Paulus non habuerit; antea ergo hæc scripsit Ephesi; nam epistolam hanc Ephesi sub idem illud tempus ab eo esse scriptam verius est, et docet Baronius : ergo pugna hæc cum bestiis, de qua hic scribit, non fuit illa cum Demetrio, utpote nondum facta, sed alia anterior.

Objectio solvitur.

Dices : Mirum est, rem tantam, tamque atrocem Pauli pugnam, Lucam in *Actis* siluisse.

Respondeo : Clarum est plura alia non minoris momenti Lucam tacuisse, ut quæ de se narrat Apostolus, II *Cor.* XI, 25 : « Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, » etc.

Pugnam Pauli ad bestias narrat Nicephorus.

Hæc pene omnia omisit Lucas, ut ibi dicam. Unde pugnam hanc Pauli cum bestiis ad litteram, uti gesta est, traditione, ut videtur, acceptam narrat Nicephorus, lib. II *Histor.*, cap. XXV.

Quid sequatur ex his?

Notat Gagneius, θηριομαχεῖν non tantum esse ad bestias pugnare, sed usque ad extremum spiritum, utpote pro vita, contra bestias pugnare, q. d. Paulus : Pro defensione Evangelii objectus bestiis, cum iis pugnavi usque ad ultimum halitum, et Deo juvante eas vel vici et occidi, non armis et pugnis, sed fide et oratione, vel effugi et evasi.

MANDUCEMUS, ET BIBAMUS, CRAS ENIM MORIEMUR. — Utitur Paulus verbis *Isaiæ* XXII, 13, *q. d.* Qui resurrectionem negatis, vel non creditis, parum absestis ab hisce verbis impiorum apud Isaiam; si enim resurrectio non est, dicere nobis licebit, quod Epicurus dixit et Epicurei : *Ede, lude, bibe, post mortem nulla voluptas.*

33. CORRUMPUNT MORES BONOS COLLOQUIA PRAVA, — dicti, scilicet, erroris, puta colloquia cum atheis et incredulis, qui negant resurrectionem. Versus hic est senarius Menandri, ait S. Hieronymus. Græcum ὁμιλίαι non tantum colloquia, sed et commercia omnemque conversationem significat : hæc enim æque ac colloquium cum malis est mala et noxia.

34. EVIGILATE JUSTI, — expergiscimini a peccato, ut justi sitis. Quapropter Græca habent, *evigilate δικαίως*, hoc est *juste*; Syrus, *excitate corda vestra juste*, id est ad justitiam. Unde sequitur : « Et nolite peccare; ignorantiam enim Dei quidam habent (1). »

AD REVERENTIAM VOBIS LOQUOR. — Græce πρὸς ἐντροπὴν, id est *ad pudorem* : pudor enim est Christiano, dubitare de resurrectione et potentia divina. Sic Psalles ait : « Tu scis confusionem meam, et reverentiam meam, » id est pudorem meum.

Reverentia, id est pudor.

Et sæpe in Psalmis *reverentia* sumitur pro confusione et verecundia.

35. SED DICET ALIQUIS : QUOMODO RESURGUNT MORTUI? QUALI AUTEM CORPORE VENIENT? — Vers. 35. Vers. 36. INSIPIENS, TU QUOD SEMINAS NON VIVIFICATUR, NISI PRIUS MORIATUR. — Tangit hic Apostolus radicem ulceris et causam erroris; scilicet, nonnulli desperabant et negabant corporum resurrectionem, quia videbant ea in terra putrefieri, quasi incredibile et impossibile esset putrida corpora reformari et resuscitari. Hanc causam succidit hic Paulus, exemplo grani, quod seminatur : illud enim prius putrefit et moritur in terra; inde quasi renascens germinat, et ex grano uno non unum, sed multa producit; ut granum unum nudum, quod seminatur, in messe spicis et granis vestitum ac cumulatum, videatur in majori gloria resurgere. Pari modo corpora nostra putrescent, inde resurgent ad majorem gloriam.

Radix ulceris nequantium resurrectionem.

37. ET QUOD SEMINAS, NON CORPUS, QUOD FUTURUM EST, SEMINAS, — *q. d.* Dum seminas, non seminas corpus ex semine nasciturum, puta arborem aut spicam, sed nudum semen, et granum pomi, v. g., vel tritici, et tamen Deus huic grano seminato et e terra renascenti reddit non aliud granum, sed integrum et pulchrum corpus, puta arboris vel spicæ, quod suo culmo, floribus, aristis et granis instruitur et ornatur. Hinc, ut ait S. Augustinus, *epist.* 146, tacite infert Apostolus : « Si Deus potest addere quod non erat in novo semine, multo magis potest in resurrectione reparare quod erat in hominis corpore. » Unde subdit Apostolus :

38. DEUS AUTEM DAT ILLI (semini et grano) CORPUS SICUT VULT : ET UNICUIQUE SEMINUM PROPRIUM CORPUS. — « Proprium, » id est propriæ naturæ et speciei, quia granum, v. g. tritici, Deus spicam et corpus dat, non hordei, vel avenæ, sed tritici : et sic de cæteris.

Creatus est stellis splendidis.

39. NON OMNIS CARO EADEM CARO. — Probat id quod præcessit, scilicet Deum dare cuique semini et rei proprium corpus, prout Deus ipse vult et statuit. Probat, inquam, exemplo : Deus, inquit, aliam et propriam carnem dat homini, aliam pecori, aliam volucribus, aliam piscibus; aliud corpus dat cœlis et cœlestibus astris, aliud rebus terrestribus, *q. d.* Sic et Beatis in resurrectione, quasi in regeneratione et recreatione, proprium dabit Deus corpus, quale voluerit, et quale decet homines beatos et gloriosos; dabit, inquam, cuique tale, quale meritus est. Est enim similitudo et analogia inter naturam et meritum; quod, sicut natura talis, v. g. hominis, tale exigit corpus, scilicet humanum; ita tale meritum tale exigat corpus gloriosum, ut qui minus meritus est, minus; qui magis, magis gloriosum corpus recipiat.

Vers. 40. 41. ALIA CLARITAS SOLIS, ALIA CLARITAS LUNÆ, ET ALIA CLARITAS STELLARUM. — Hinc Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Primasius, Œcumenius, Beda, Augustinus, lib. *De Sancta Virg.*, cap. XXVI; Hieronymus, lib. II *Contra Jovinianum*, probant non tantum gloriosam Sanctorum resurrectionem, sed et præmiorum disparitatem in cœlo, prout hic disparia sunt semina meritorum.

Vers. 42.

42. SIC ET RESURRECTIO MORTUORUM, — *q. d.* Sicut alia est claritas solis, alia lunæ, alia stellarum : ita pariter proprium, et pro meritis dispar, Deus cuique Beato dabit corpus beatum et gloriosum, uti explicat Paulus in seq.

Sancti quasi stellæ.

Apte Sancti et Beati comparantur stellis, ob causas quas attuli *Rom.* IV, 18, in fine. Rursum, sicut una stella alteri, ita et unus Beatus alteri, uti gratia et meritis, ita gloria et præmiis præfulget, atque

Micat inter omnes
Virginis sidus, velut inter ignes
Luna minores.

Ita B. Dominicus adhuc puer, nobili cuidam matronæ in visu apparuit, luculentam stellam in fronte gerens, cujus immodico splendore totus orbis irradiabatur, ut habet ejus Vita, lib. I, cap. I et cap. ult., in fine. Et de Simone pontifice, Oniæ filio, dicitur *Eccli.* L, 6 : « Quasi stella matutina in medio nebulæ, et quasi luna plena diebus suis lucet, et quasi sol refulgens, sic ille effulsit in templo Dei. » Similia de pluribus aliis Sanctis legimus. Notant vero viri docti, et doctores justitiæ et sanctitatis, dud *Daniel.* XII : « Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. » Illudque *Sap.* III : « Fulgebunt justi. » Hinc et Christus, *Apoc.* XXII, 16, dicit : « Ego sum stella splendida, et matutina. » Et *Apoc.* I, 20 : « Septem stellæ, septem angeli (hoc est, Doctores et Episcopi) sunt septem Ecclesiarum. » Et *Apoc.* XII, 1, apparuit S. Joanni Ecclesia, quasi mulier habens in capite « coronam stellarum duodecim, » puta duodecim Apostolorum, qui Ecclesiæ ut stellæ præfulserunt, idque in capite, id est in ipso ortu et initio Ecclesiæ Christianæ, uti id exponunt Primasius, Aretas, Andreas, Episcopus Cæsariensis, Beda et alii ibidem. Denique *Apoc.* II, 28 : « Qui vicerit, inquit Christus, dabo illi stellam matutinam, » id est gloriam et visionem beatificam, quæ stella dicitur propter claritatem luminis et visionis : dicitur matutina, tum quia datur post noctem hujus sæculi, tum quia datur incohationem beatitudinis, quæ complebitur in resurrectione corporum. Ita Richardus Victorinus, Primasius et Aretas ibidem.

Doctores fulgebunt quasi stellæ.

Clarius est stella matutina, quam?

Seminatur corpus, dum ex semine patris producitur.

SEMINATUR IN CORRUPTIONE, SURGET IN INCORRUPTIONE. — « Seminatur, » scilicet in creatione, dum vel a Deo, vel a semine parentis corpus hominis corruptibile producitur. Ita Anselmus.

Secundo et aptius, « seminatur » corpus humanum, dum scilicet sepelitur, et quasi semen in terram abjicitur, ut corrumpatur in vermes et cineres. Sic enim granum, dum seminatur in terram, abjicitur, sepelitur, corrumpitur. Ita Chrysostomus, Ambrosius, Anselmus.

Secundo et aptius, seminatur dum sepelitur.

Hinc errarunt quidam putantes resurrectionem fore per vires naturæ, nosque resurrecturos virtute naturali; quasi in pulveribus cadaveris resoluti sint rationes quædam seminales effectivæ resurrectionis, ut refert hic D. Thomas. Hic enim error est contra fidem et veram philosophiam, quæ docent resurrectionem esse super omnes naturæ vires : nec Apostolus in eo ponit similitudinem, sed tantum in hoc, quod, sicuti Deus unicuique semini dat proprium corpus, ut ex tritico, v. g. triticum, non hordeum, nascatur; sic Beato cuique corpus dabit secundum ejus et meritum. Id ita esse, patet ex seq. vers. Ad hoc idem declarandum adduxit Paulus, vers. 39 et 40, similitudinem carnis et corporum, quæ in variis animalibus et creaturis est varia, ut ibi dixi.

Errores diversi circa resurrectionem.

Nota : Insignis imago et argumentum resurrectionis est in semine moriente, et repullulante, ac quasi resurgente. Unde S. Augustinus, serm. 34 *De Verbis Apostoli* : « Tota, inquit, hujus mundi administratio testimonium est resurrectionis futuræ. Videmus certe hiemis tempore vel adventu, arboribus spoliari pomis, nudari foliis, sed eas etiam verno tempore speciem resurrectionis experimur; quæ primo quidem incipiunt turgere in gemmis, tunc ornari in floribus, vestiri et foliis, et postmodum pomis gravari. Interrogo te, infidelis homo, qui de resurrectione dubitas, ubi sunt ista, quæ tempore, quo Deus disposuit, producuntur? Dic mihi, ubi latitant, antequam producantur? quæ nusquam quidem videntur, sed tamen Deus, qui omnipotens est, et ea ex nihilo condidit, secreta sua virtute producit. Hinc jam ad campos et prata respicite, quæ æstate transacta herbis suis spoliantur ac floribus, et nuda remanent ipsa spatia terrarum : sed iterum verno tempore revestiuntur, et novo ubique germine incipiente lætatur agricola. Certe herba, quæ ante vixit et moritur, rursus reviviscit ex semine : sic etiam et nostrum corpus reviviscit ex pulvere. »

Imago resurrectionis est in semine repullulante, ex S. Augustino.

43. SEMINATUR IN IGNOBILITATE. — Puta corpus humanum dum sepelitur, et quasi semen in terram abjicitur, est ignobile, crassum, spissum, opacum. S. Ambrosius legit, *seminatur in ignominia*; S. Augustinus vero, *epist.* 140, *seminatur in contumelia*; Tertullianus, lib. *De Resurrect. carnis*, cap. LII, *seminatur in detestoratione*.

SURGET IN GLORIA, — resurget gloriosum, clarum, fulgidum. Succidit hic Apostolus alteram radicem erroris; fuerunt enim illo tempore, qui negarent resurrectionem corporum hoc argumento, quod corpora, utpote crassa et carnea, incongrua esse dicerent animabus beatis, et vita divina jam fruentibus, ut testatur eos refellens S. Dionysius, cap. VII *Eccles. hierarch.* Hoc resecat hic Apostolus, dicens, in resurrectione animæ

Alterum error. in negantes resurrectionem.

(1) Nesciunt, ait Allioli, aut nescire volunt, Deum posse mortuos revocare ad vitam.

gloriosæ consimile dandum esse corpus gloriosum.

SEMINATUR IN INFIRMITATE, — puta infirmum, tardum, lentum, pigrum corpus moritur et sepelitur.

SURGET IN VIRTUTE, — *in δυνάμει*, *in potentia*, id est potens, celer, agile.

44. SEMINATUR CORPUS ANIMALE, — id est, quod vivat, aut potius quod vixit vita vegetativa et sensitiva, ut animalia, egens cibo et potu; item crassum, durum, cedere nescium et impenetrabile. Tale enim fuit Adæ corpus etiam in paradiso. Corpus ergo animale est, quod edit, bibit, dormit, digerit, egerit, laborat, fatigatur, suoque pondere gravat et resistit.

Quidam corpus spirituale Errore Eutychii. Primo, spiritale est spiritui subditum.

SURGET CORPUS SPIRITALE. — Non quod corpus in spiritum, aut in corpus aereum sit vertendum, ut voluit Origenes et Eutychius, Patriarcha Constantinopolitanus, tempore S. Gregorii (a quo convictus revocavit errorem), sed « spiritale, » id est spiritui subditum omnino et conformatum; ut cibo et potu non egeat, non laboret, non fatigetur, sed quasi cœleste sit et deificatum, atque, ut Tertullianus ait, quasi in angelicum habitum sit commutatum. Ita S. Augustinus, *De Fide et Symbol.*, cap. VI : « Spiritale, ait, dicitur corpus, non quasi in spiritum vertatur; sed quia ita spiritui subditum erit, ut cœlesti habitationi conveniat, omni fragilitate ac labe terrena in cœlestem stabilitatem mutata atque conversa. » Idem tamen ibid. cap. X, videtur dicere in resurrectione fore non carneum corpus, sed angelicum; unde id retractat cap. XVII libri primi *Retract.*, et fusius lib. XIII, *De Civit.*, cap. V et XXI.

Secunda, subtile.

Secundo, « spiritale, » id est subtile, carens scilicet crassitie illa et duritie repletiva, hoc est, proprietate illa quantitatis corporeæ, qua hic quantitas ita locum replet, ut omne aliud corpus ab eo excludat : erit enim corpus hac proprietate carens, subtile, ut instar spiritus omnia alia corpora penetret et pervadat. Ita Damascenus, lib. IV *De Fide*, cap. XXVIII; Epiphanius, in *hæresi Origenis*. Sicut enim Deus potest ab homine auferre suam proprietatem, scilicet esse risibile, et ab igne potest auferre calorem igni proprium : sic a quantitate potest auferre hanc duritiem repletivam, quæ est quantitatis naturalis proprietas.

Dos subtilitatis non est qualitas, sed assistentia omnipotentiæ Dei ad penetrandum alia corpora.

Nota : Non erit hæc dos subtilitatis qualitas animæ infusa : hæc enim non videtur possibilis; sed erit assistentia divinæ omnipotentiæ, intima animæ beatæ, ut per eam possit anima ad libitum deponere illam duritiem repletivam, et aliorum corporum exclusivam, cum vult aliud corpus penetrare; possit et illam retinere, cum vult locum replere, et alia corpora excludere. Et sic hæc assistentia divinæ potentiæ videtur esse quasi dos animæ beatæ inexistens; sicuti gratia miraculorum in Christo fuit assistentia Dei, qua Deus assistebat humanitati Christi, ut per eam posset ipsa ad libitum miracula facere. Vide Franciscum Suarez, III part., *Quæst.* LIV, art. 3.

Hinc Theologi colligunt quatuor dotes corporis gloriosi : impassibilitatem ex *prima* Apostoli antithesi, qua ait : « Seminatur in corruptione, surget in incorruptione. » Claritatem ex *secunda* antithesi, qua ait : « Seminatur in ignobilitate, surget in gloria. » Agilitatem ex *tertia*, qua ait : « Seminatur in infirmitate, surget in virtute. » Subtilitatem ex *quarta*, qua ait : « Seminatur corpus animale, surget spirituale. »

Quatuor dotes corporis gloriosi.

Ab omnibus et Beati ab eternum in natura transire possit, non tamen eundo mutant.

Addit Suarez, agilitatem beatorum corporum talem et tantam fore, ut Beati in instanti ab uno loco in alium transire possint, non transeundo spatium medium; quia probabile est angelos naturaliter ita moveri. Sed alii, et fore verisimilius, utrumque negant. Et sane mens hominis vix concipere potest, quomodo quis ab extremo in extremum possit moveri, nisi transeat spatium medium quod interjacet.

S. Bonaventura, in IV, dist. XLIX, part. 2, art. 2, *Quæst.* 1, censet has quatuor dotes significari *Sap.* III, 7, cum dicitur : « Fulgebunt justi, et tanquam scintillæ in arundineto discurrent. Nam in fulgore, inquit, significatur claritas; in justitia, impassibilitas, quia justitia est perpetua et immortalis; in scintilla, subtilitas; in discursu, agilitas. » Addit deinde subtiliter, quod numeras harum quatuor dotium deduci possit ex duplici causa, scilicet formali et materiali, sed magis ex materiali. *Primo*, ex formali, quia cum in corpore nostro, inquit, sit natura et forma duplex, scilicet elementaris, quæ modo dominatur; et cœlestis, quæ est natura lucis, quæ erit sicut formalis et completiva corporis gloriosi, hæc dominabitur in resurrectione. « Igitur quia lux habet quatuor istas proprietates, sicut patet in radio, scilicet claritatem, quia illuminat; impassibilitatem, quia nihil ipsam corrumpit; agilitatem, quia subito vadit; penetrabilitatem, quia corpora diaphana sine eorum corruptione pertransit : sic etiam corpus gloriosum, in quo dominatur natura lucis, quatuor habet dotes. *Secundo* modo numeras dotium accipitur secundum causam materialem : sic corpus nostrum est compositum ex quatuor elementis. Et quia elementa sunt imperfecta, quadruplicem habet ab eis defectibilitatem. Ab aqua, quæ est elementum humidum et passibile, habet passibilitatem et corruptionem. A terra vero habet obscuritatem, quia est elementum opacum. Ab igne aniualitatem, quia calor consumit continue; ideo continua indiget alimonia ciborum. Ab aere vero habet infirmitatem : aer enim facillime immutatur, et cedit cuilibet impellenti. Quoniam igitur quatuor isti defectus debent per bona opposita removeri ad hoc, quod corpus sit perfectum perfectione completa, ideo quatuor sunt dotes : contra corruptionem impassibilitas, contra obscuritatem claritas, contra animalitatem spiritualitas, id est agilitas, contra infirmitatem virtus, sive penetrabilitas, id est subtilitas. Et hæc ultima sumptio convenientior est

inter omnes, quoniam correspondet auctoritati et rationi. Auctoritati Apostoli. Ita enim sumit Apostolus dicens : Seminatur in corruptione, resurget in incorruptione : ecce impassibilitas. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria : ecce claritas. Seminatur in infirmitate, surget in virtute : ecce penetrabilitas, id est subtilitas. Seminatur animale, surget spirituale : ecce agilitas. Unde Apostolus sumit dotes per comparationem ad illos quatuor defectus, quos removent. Similiter S. Augustinus, *De Civit. Dei* : Aberit, ait, a corporibus nostris omnis deformitas, omnis tarditas, omnis infirmitas, omnis corruptio. Omnis deformitas per claritatem, omnis tarditas per agilitatem, omnis infirmitas per subtilitatem, vel penetrabilitatem, omnis corruptio per impassibilitatem. » Hucusque S. Bonaventura.

Duplex sensus hujus loci a Patribus.

SICUT SCRIPTUM EST. — Nosler Interpres legit ἔσται, id est *sicut*. Jam legunt ὥστε, id est *ita*. Nota, hæc verba tantum referenda esse ad priorem partem versus seq., scilicet ad τὸ *factus est primus homo Adam in animam viventem*, non autem ad posteriorem, scilicet *novissimus Adam in spiritum vivificantem*. Hoc enim nusquam in Scriptura scriptum est : tantum enim probat hic ex Scriptura Paulus, quod seminetur hic corpus animale, ex eo quod Adam, parens omnium, factus sit in animam viventem, ac consequenter fuerit animal, habueritque corpus animale tam in morte quam in vita : unde commodius et planius per hyperbaton Apostolo usitatum, hæc verba hoc modo trajicias et transponas : « Factus est primus homo Adam, sicut scriptum est (*Genes.* II, 7), in animam viventem. »

Possent tamen *secundo*, cum Theophylacto, hæc verba, « Sicut scriptum est, » ad totum vers. sequentem referri, eosque quasi explicatio et probatio ejus quod immediate præcessit, scilicet, « si est corpus animale, est et spirituale, » ut sit sensus : In universo hoc, ubi est corpus animale, oportet sit et spirituale. Hoc enim ad universi perfectionem et complementum requiritur, ut omnes rerum species et gradus sibi invicem contrarios complectatur; « sicut scriptum est, » id est sicut inquit Scriptura, *Genes.* II, 7. Nam ideo expresse dicit : « Factus est Adam in animam viventem; » ut tacite et implicite innuat, quod Christus qui secundus est Adam, priori oppositus, futurus sit in spiritum vivificantem.

Vers. 45. Adam factus est anima, id est animal vivens, Christus autem spiritus vivificans.

45. FACTUS EST PRIMUS HOMO ADAM IN ANIMAM VIVENTEM (hoc est, Adam factus est anima, id est animal vivens vita sensitiva et vegetativa, ac proinde cibo, potu aliisque fomentis alendum, et in animali hac vita sua conservandum est; est synecdoche. Contra), NOVISSIMUS ADAM (id est Christus, factus est) IN SPIRITUM VIVIFICANTEM, — ut scilicet haberet post resurrectionem animam gloriosam, quæ instar vivifici spiritus corpus plane vivificaret, illudque redderet spiritale, id est instar spiritus gloriosum, cibi expers, impassibile et immortale; corpus, inquam, tum suum, tum nostrum. Est rursus hic synecdoche : Christus enim dicitur factus « in spiritum vivificantem, » id est factus est spiritus vivificans, quia recepit spiritum, id est animam, vivificantem tam se quam suos.

Unde Theophylactus, Chrysostomus, Theodoretus notant non dici, *spiritum viventem*, sed *spiritum vivificantem* : anima enim, sive spiritus Christi, non tantum vivit gloriose in se, sed etiam vivificat, et eadem vita gloriosa donat tam animas quam corpora nostra. Hebræa pulchrius opponuntur נפש חיה *nephesch chaia*, id est anima vivens, et נשמת חיים *nismat chaïm*, id est spiritus vitarum, sive vivificans. Rursum *nismat* alludit ad שמים *schamaim*, id est cœlum, unde subdit : « Secundus homo de cœlo, cœlestis. »

Christus anima plurium est spiritus vivificans.

47. PRIMUS HOMO DE TERRA, TERRENUS : SECUNDUS HOMO DE CŒLO, CŒLESTIS. — Græce ὁ δεύτερος ἄνθρωπος ὁ Κύριος ἐξ οὐρανοῦ, *secundus homo Dominus de cœlo* : quod ita depravatum esse a Marcione, patet ex Tertulliano, lib. I, cap. XX *Contra Marcionem*. Unde patet Latina Biblia præ Græcis esse incorrupta. Vera ergo lectio est, *secundus homo de cœlo, cœlestis*.

Vers. 47. Marcionis delegata editio.

Error Valentini, Christum e cœlo corpus attulisse.

Valentinus et Gnostici hinc voluerunt Christum habuisse corpus, non elementare et humanum, sed e cœlo cœleste attulisse, transisseque per B. Virginem, non quasi per matrem, sed sicut aqua pluvia transit per canalem. Verum hæc est hæresis jam pridem damnata, ut testatur S. Augustinus, *hæresi* 11, et Irenæus, lib. I, cap. V. Vere ergo Tertullianus, *De Carne Christi*, cap. VIII, et Beda : Christus, inquiunt, dicitur cœlestis, quia cœlestem vitam duxit, semperque fuit impeccabilis : Adam vero dicitur terrenus, quia peccato fuit subditus. Unde sequitur : « Qualis terrenus, tales et terreni; et qualis cœlestis, tales et cœlestes. »

Christus est homo cœlestis quadrupliciter. Primo.

Secundo.

Secundo, Christus dicitur « cœlestis, » quia supra totum naturæ ordinem, cœlesti virtute Spiritus Sancti ex Virgine conceptus et natus est. Ita S. Ambrosius, Hilarius, lib. I *De Trinit.*, post principium, et S. Augustinus, *dialogo ad Orosium*, Quæst. IV.

Tertio, Christus dicitur « cœlestis, » ratione divini et cœlestis suppositi : sic dicitur Christus filius hominis, id est homo, qui de cœlo descendit, *Joan.* III, 13. Sic fere Nazianzenus, *orat.* 51, circa medium, et indicat Augustinus, epist. 57 *ad Dardanum*.

Quarto a quibusdam.

Quarto genuine et aptissime, Christus dicitur « cœlestis, » id est gloriosus et incorruptibilis, uti sunt corpora cœlestia. Hanc cœlestem gloriam Christus in anima habuit reipsa a principio nativitatis et conceptionis suæ; in corpore vero eamdem tunc habuit in actu primo, quia illi debita erat et connaturalis; sed ob passionem suspensa et dilata fuit, ut in actu secundo illam assumeret in resurrectione : obiter tamen ante mortem assumpsit Christus subinde hanc glo-

Christus ante mortem edidit quatuor dotes glorioses ad exemplar. Adam quadrupliciter terrenus.

riam, sive quatuor dotes corporis gloriosi, nimirum claritatem in transfiguratione; agilitatem, cum ambulavit super mare; subtilitatem, cum penetravit uterum matris suæ; impassibilitatem, in Eucharistia. Sic e contrario Adam dicitur « terrenus, » quia ex terra est factus, et inde atque ex peccato mortalitatem aliasque qualitates corporis terreni, animalis, mortalis et corruptibilis contraxit. Ita S. Chrysostomus, Augustinus, lib. XIII *De Civitate*, cap. XXIII; Tertullianus, *De Resurrectione*, cap. XLIX. Agit enim hic Apostolus de resurrectione et corporum beatorum gloria, quorum exemplar est Christi corpus gloriosum, eaque de causa vocat Christum cœlestem et Christi corpus cœleste.

48. QUALIS TERRENUS, TALES ET TERRENI (sicut Adam e terra terrenus mortuus est, et in terram rediit, ita et omnes terreni ab eo nati in terram redibunt : contra), QUALIS CŒLESTIS, TALES ET CŒLESTES, — ut sicut Christus per resurrectionem adeptus est corpus cœleste, id est immortale et glorioso, ita ex eo renati Sancti fiant cœlestes, id est immortales et gloriosi.

49. SICUT PORTAVIMUS IMAGINEM TERRENI, PORTEMUS ET IMAGINEM CŒLESTIS. — « Portemus : » legit noster Interpres φορέσωμεν per « ; jam per « legunt φέρομεν, *portabimus* (scilicet in resurrectione, ut præcessit) imaginem Christi cœlestis, ut ei in corpore cœlesti, id est glorioso, configuremur : sicut in hac vita Adamo terrestri, in vita animali comedendo, dormiendo, moriendo, configurati fuimus. Verum noster interpres aptius ad sequentia legit, « portemus, » quia Apostolus more suo a littera transit ad tropologiam, et ad mores, q. d. Sicut aliquando viximus in infidelitate et peccatis quasi homines terreni, terræ affixi, et animales more animalium brutorum, similes Adæ terreno et peccatori : ita jam renati in Christo, et vocati ab eo ad societatem immortalis vitæ et gloriæ, totis viribus ad illam conemur et aspiremus, ac consequenter portemus imaginem Christi cœlestis, ut cœlestem hic vitam ineamus : nimirum *primo*, simus, ut ille, impassibiles, id est imperturbabiles inter prospera et adversa, ut dicamus illud Socraticum : « in cœlum mente conscendi, solem hunc solumque hoc despicio. » *Secundo*, simus clari instar Christi, ut luceant coram omnibus opera nostra bona. *Tertio*, simus agiles, ut Christus, ad opera charitatis, obedientiæ et aliarum virtutum. *Quarto*, simus subtiles, sicut Christus fuit, id est penetremus cœlos per orationem et contemplationem, ut mente a terra in Deum et cœlestia elevati, jungamur Sanctis, Deoque uniamur. Paulo aliter S. Cyrillus, lib. *De Fide ad Theodosium imperatorem* : « Sicut, inquit, portamus imaginem terreni, portemus et imaginem cœlestis. Imaginem terreni peccandi propensionem et mortem, quæ hinc oritur, vocat. At vero per imaginem cœlestis, hoc est Christi, constantiam in sanctitate, reditumque et instaurationem ex morte et corruptione ad vitam et immortalitatem designat. »

Apostolus trahit a littera ad tropologiam. Imaginem Christi cœlestis portabimur, si simus. Primo, impassibiles, ad res imperturbabiles; Secundo, clari virtutibus; Tertio, agiles ad bona opera; Quarto, subtiles per contemplationem.

Pulchre S. Bernardus explicans hæc Apostoli verba, *serm.* 30 inter Parvos : « Duo, ait, homines sunt, vetus et novus : Adam vetus, Christus novus. Ille terrenus, iste cœlestis : illius imago vetustas, istius imago novitas. Est autem triplex vetustas, et e contrario triplex novitas. Est enim vetustas in corde, in ore, in corpore : in quibus tribus modis peccavimus, cogitatione, locutione et opere. In corde sunt desideria carnalia et sæcularia, id est amor carnis et amor sæculi. In ore est gemina vetustas, arrogantia et derogatio. Item gemina in corpore, fluxitas et facinora. Hæc omnia sunt imago veteris hominis, et hæc omnia renovanda sunt in nobis. » Unde concludit : « Habitans igitur in corde est sapientia, habitans in ore est veritas, habitans in corpore justitia. »

Vers. 50. Quomodo caro et sanguis regnum Dei possidebunt?

50. HOC AUTEM DICO, FRATRES : QUIA CARO ET SANGUIS REGNUM DEI POSSIDERE NON POSSUNT. — *Primo*, Origenes et Euthymius sic explicant : quia in cœlo Beati, inquiunt, non habebunt corpus carneum, sed aereum. Verum hic est apertus error repugnans vers. 53, ut ibi ostendam. *Secundo*, Theophylactus et Ambrosius, « caro, » inquiunt, id est opera carnis, regnum Dei non possidebunt. *Tertio* et genuine, « caro et sanguis, » scilicet naturalis et corruptibilis, qualis fuit terreni Adam, et qualem habemus in hac vita, regnum Dei non possidebunt; quod enim vers. 43 et 47 Apostolus vocavit corpus animale et terrenum, hic vocat *carnem et sanguinem*. Tantum enim vult ostendere, in cœlo non fore corpus animale et carnale, quale hic est; sed spirituale et cœleste, eo sensu quo explicui vers. 47. Unde explicans subdit : « Neque corruptio, » id est caro animalis et corruptibilis, « incorruptelam possidebit. » Ita Theodoretus, Theophylactus, Ambrosius.

Prima explicatio, Secunda, Tertia et genuina.

Vim est autem omnes homines mortituros.

Tria hic docet Paulus. Primum.

Secundo, hisce verbis Apostolus colligendum relinquit, in cœlo non fore vitam carnalem et animalem, quæ consistit in usu ciborum et generatione filiorum, qualem vitam et beatitudinem exspectant post resurrectionem Judæi et Mahometani.

Ac tertio, insinuat eos qui ad regnum Dei tendunt, non secundum carnem et sanguinem, sed secundum spiritum Christi vivere debere, ut sic portent imaginem non Adam terreni et carnalis, sed Christi cœlestis et spiritualis; ut mereantur cum Christo regnare et agere in cœlo vitam beatam et cœlestem. Sic « caro » sæpe alibi carnis corruptionem significat. Vide Augustinum, epistola 146 *ad Consentium*.

Vers. 51. Ecce mysterium vobis dico.

51. ECCE MYSTERIUM VOBIS DICO. — Hisce verbis Apostolus excitat attentionem legentium, atque insinuat se quid magnum, tremendum, secretum de resurrectione dicturum. Ita Theophylactus.

Triplex hic lectio. Prima.

OMNES QUIDEM RESURGEMUS, SED NON OMNES IMMUTABIMUR. — Nota triplicem hic esse lectionem. *Prima* est Græcorum et Syri : *non omnes dormiemus,*

sed omnes immutabimur, quam sequentes Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Origenes, lib. II *Contra Celsum*; Theodorus Heracleotes, et Apollinarius apud Hieronymum, epist. *ad Minervium et Alexandrum*; Tertullianus, *De Resurrectione carnis*, cap. XLI et LXII; Augustinus, Quæst. III *ad Dulcitium*, putant non omnes homines morituros, videlicet non eos qui in fine mundi vivi obviam rapientur Christo Domino, itaque glorificabuntur. Hæc enim mutatio, inquit ex Chrysostomo Theophylactus, ipsis mors erit : morietur enim in eis corruptio mutata in incorruptibilitatem.

Est in textuali Primæ, asserit S. Augustinus.

Secunda lectio est : *omnes quidem dormiemus, sed non omnes immutabimur*; extat hæc apud S. Augustinum, lib. XX *De Civitate Dei*, cap. XX, eamque probat S. Hieronymus loco jam citato.

Secunda, asserunt et alii.

Tertia est Nostra : *omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*, per gloriam scilicet : hanc lectionem præfert aliis S. Augustinus supra, et sine dubio hæc lectio planior, verior, certior est; et aptius cohæret præcedentibus et sequentibus, et aliis locis S. Pauli, quibus docet statutum esse omnibus hominibus semel mori. Nam, ut ait ipse hic, vers. 22 : « Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur. »

Prima sententia licet non videatur vera, non est tamen ob auctores, temeritatis, ut vult Sotus et Catharinus, nec erroris damnanda. Unde Franciscus Suarez, loco supra citato, et alii dicunt, hanc sententiam, quæ docet omnes omnino homines morituros et resurrecturos, tantum esse probabiliorem contrariam.

Vers. 52. In momento.

52. IN MOMENTO. — Repete *resurgemus*, quod præcessit. Græce, ἐν ἀτόμῳ, *in atomo*, id est indivisibili, uti est punctum temporis, et ictus sive nictus oculi, ut sequitur. « Atomus, inquit S. Hieronymus, est punctum temporis quod secari et dividi non potest. »

Quid ἄτομος? Quid ῥιπὴ ὀφθαλμοῦ?

IN ICTU OCULI, — ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ, *in jactu* celerrimo *oculi* : ῥιπὴ enim jactum significat fulminis vel teli, a ῥίπτω, quod est jacio. Alii legunt ῥοπῇ, teste S. Hieronymo *ad Minervium*, quod significat motum, propensionem, devergentiam lancis vel libræ, quæ celerrime ad pondus attollitur vel deprimitur; unde vocatur *momentum stateræ* a Sapiente, *Sap.* XI, 23. Hinc ῥοπὴ etiam *momentum* significat, ut ῥοπὴ χρόνου, vocatur *momentum temporis*.

Quotuba hic intelligenda?

Ex hoc loco Theodoretus, Œcumenius, Anselmus, Nyssenus, orat. *De Resurrect.*; Hieronymus, epist. *ad Minervium* jam citata; Augustinus, *epist.* 49, cap. 1, colligunt resurrectionem non in tempore brevissimo, sed in instanti futuram : quod de corporum formatione, organizatione, animatione, vivificatione verum est, idque hæc Apostoli verba significant, cum ait *in momento*; sed de motu locali, v. g. ut partes corporis resuscitandi a variis locis in unum colligantur momento, valde dubium est. Asserit S. Augustinus, et fieri posse docet Suarez *part.* III, *Quæst.* LIII, disp. 44, sect. 4, ut scilicet Dei virtute hæ corporis partes ab extremo ad extremum transeant sine medio, itaque in unum locum momento temporis simul omnes coeant. Verum, ut dixi vers. 44, natura spatii et motus non videtur id pati, sed exigere ut ab extremo in illud extremum res moveri non possit, quin prius transeat spatium medium.

Resurrectio fiet in instanti.

Adtransmutatio corporum

Hinc aliis verisimilius videtur, Dei virtute in instanti posse mobile pertransire media omnia spatia, sicque in instanti posse ab extremo in extremum per medium tamen moveri; sicut enim a sole lumen per totum hemisphærium uniformiter difformiter in instanti diffunditur : cur similiter non possit corpus, Dei virtute, per varia loca in instanti se transfundere? si enim instantanea est hemisphærii illuminatio, cur etiam non possit esse instantanea corporum per varia loca transfusio?

Sed responderi commode potest, esse disparem rationem luminis et corporum : licet enim utriusque similis videatur esse diffusio, tamen in lumine non idem, sed aliud et aliud lumen, in aliud et aliud spatium suo ordine emittitur : hic vero in corpore idem omnino corpus in eodem instanti illud spatium relinquere et transire per segnens, rursum in eodem instanti deberet transire spatium vicinum, et in eodem instanti deberet relinquere hoc secundum spatium, et transire per tertium, et ita consequenter per quartum, quintum, sextum, et omnia media usque ad extremum; quod videtur fieri non posse : sic enim in eodem instanti corpus idem spatium transiret et relinqueret; esset in spatio hoc, et non esset; imo in omnibus spatiis mediis esset, et non esset. Unde melius D. Thomas et alii negant hanc partium corporis ad eumdem locum translationem fore in instanti, præsertim quia illa fiet per angelos, qui corpora movent non in instanti, sed tempore brevissimo. Apostolus ergo hic loquitur de sola resurrectione, non autem de translatione corporum resuscitandorum, cum ait eam fore in ictu oculi, imo in momento.

Quotuba tuba novissima?

IN NOVISSIMA TUBA. — Dicitur tuba hæc « novissima » respectu omnium præcedentium; nam, ut patet *Apocal.* cap. VIII et IX, in fine mundi septem angeli, quibus demandata est universalis hominum cura, septem tubis clangent, ut iis extremas mundi calamitates et pœnas tubali voce præmuniant, et quasi evocent, efficiant et proferant. Post has sequetur hæc tuba novissima clangens : « Surgite, mortui, venite ad judicium : » de qua plura dicam I *Thessal.* IV, 16.

Vers. 53. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem.

53. OPORTET ENIM CORRUPTIBILE HOC INDUERE INCORRUPTIONEM. — Nota τὸ *hoc* : inde enim patet contra Origenem, quod idem numero corpus resurget, ita S. Hieronymus *ad Pammachium* et *Oceanum*; pronomen enim *hoc*, idem individuum corpus demonstrat.

Vers. 54. TUNC FIET SERMO QUI SCRIPTUS EST : AB-

SORPTA EST MORS IN VICTORIA. — Quæres : Ubi hoc est scriptum? Respondent aliqui scriptum esse *Isaiæ* XXV, 8, ubi dicitur : « Præcipitabit mortem in sempiternum; ubi Septuaginta vertunt, κατέπιεν, id est, *devoravit mors prævalens*. *Devoravit* per hebraismum idem est, quod devorata est. Ita Eusebius, lib. IV *Demonstr.*, cap. XII, et Athanasius, lib. *De Passione et Cruce*. Vel *devoravit mors*, scilicet Christi, mortem mundi. Ita Ribera *in Osee* XIII, num. 27.

Sed hæc nonnihil obscura et torta videntur. Nam in Isaia diserte Septuaginta active vertunt, κατέπιεν, id est, *devoravit*; Paulus vero hic habet κατεποθη, id est, *devorata est*, absorpta est : quæ contraria videntur. Quare aptius dicemus Paulum citare Isaiæ locum jam dictum non secundum Septuaginta, sed secundum textum Hebræum, atque pro בלע *bala*, id est, præcipitavit, absorpsit, aliis punctis legisse בלע *bulla*, id est absorpta est mors; לנצח *lanetsach*, quod *primo*, verti potest, *in victoria*, ut vertit hic Paulus; *secundo*, *in perpetuum*, ut vertit S. Hieronymus, *Isaiæ* XXV. Vide nostrum Gasparem Sanchez ibidem.

Secundo, alii censent hæc sumpta esse non ad verbum, sed quoad sensum ex *Osee* XIII, 14, ubi dicitur : « De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos; » hoc enim in re idem est cum eo quod hic ait Apostolus : « Absorpta est mors in victoria. » Nam patet ex eodem Osee petita esse sequentia Apostoli verba, quæ continuo hisce subjungit, dicens :

55 UBI EST, MORS, VICTORIA TUA? UBI EST, MORS, STIMULUS TUUS? — Citat Paulus *Osee* cap. XIII, 14, ubi Noster vertit, *ero mors tua, o mors; morsus tuus ero, inferne*. Unde patet hic duplicem esse ex Hebræo versionem, utramque canonicam; tam enim Nostra in Osee, quam Septuaginta, quos sequitur hic Paulus, est canonica.

Duplex textus in Hebræo, indeque varia versio.

Ubi nota *primo* : Hebræum אהי *ehi* significat *ero*, ut vertit Noster in *Osee* cap. XIII, 14, jam citato. *Secundo*, ut R. Jona, *ehi* per metathesin sumitur pro איה *aite*, id est *ubi*, ut vertunt Septuaginta, et Paulus hic; et ita εἰ vertit Noster, Septuaginta et Chaldaica, *Osee* XIII, 10.

Deber et Beber.

Nota *secundo* : Pro *mors tua*, hebraice est דברך *deberecha* : quod si a רבר *deber* deducas, significat *pestes tuæ*, *q. d.* O mors, ero plenissima pestis et mors tua; et, ut Symmachus vertit, *ero plaga tua*. Sin a דבר *dabar*, id est verbum, deducas, significat, *ubi verba tua*, vel *sermones tui?* ut vertit Aquila et quinta editio. Septuaginta vertunt δίκη, hoc est *causa*; pro quo Paulus hic habet νῖκος, id est *victoria*. Unde putant aliqui Paulum apud Septuaginta legisse νῖκος vel νίκη pro δίκη; sed omnia vetera exemplaria Septuaginta interpretum, teste Hieronymo, habent δίκη, id est *causa*. Idcirco ergo dicemus, Apostolum immutasse verba, non sensum, cum pro causa posuit *victoriam*. Græcum enim δίκη quatuor significat. *Primo*, causam forensem; et, ut Hieronymus in *Osee* cap. XIII, vertit, *contentionem*, *q. d.* Ubi est, o mors, causa tua contentiosa, qua in Dei judicio homines ob peccatum mortis reos peragebas et vincebas? *Secundo*, significat δίκη sententiam, *q. d.* Ubi est, o mors, sententia tua, qua scilicet omnes tibi, id est morti, adjudicati sunt? *Tertio*, significat jus, *q. d.* Ubi est jus quod olim habebas in omnes? *Quarto*, significat pœnam, *q. d.* Ubi est pœna illa durissima qua homines puniebas et perdebas? Et hoc quartum alludit ad Hebræum *deber*, id est pestis; priora tria alludunt ad *dabar*, id est verbum. Ex quibus patet in re causam idem esse quod victoriam.

Significat : Primo, causam forensem; Secundo, sententiam; Tertio, jus; Quarto, pœnam.

Nota *tertio* : Pro *morsus tuus*, hebraice est קטבך *kotabcha*, quod Symmachus ὀξεῖαν vertit; Theodotion et quinta editio, *plagam et conclusionem*; Septuaginta κέντρον, id est *stimulus*, aculeus, quo scilicet mors homines confodiebat et occidebat. Proprie *kotabcha* significat exeisionem, qua Christus mortem omnia succidentem succidit. Hoc enim est קטבו *kotab*, scilicet evulsio, excisio, excidium, seu exitium, hoc est lues subito evellens et exscindens, qualis est febris valida, pestis, apoplexia, quæ subito mortem adfert; ipsaque mors subitanea, quæ hominem avellit et excindit.

Pro morsus hebr. est *kotab*, id est excidium.

Noster apte vertit, *morsum*. Ubi adverte, *morsus* hic tam passive quam active sumi potest, *q. d.* Ego Christus mordebor a te, o mors, et o inferne; sed ita, ut a te morsus te vicissim mordeam, ita ut a te quasi absorptus viscera tua disrumpam, itaque fidelibus electos educam e ventre tuo.

Christus mortem mordendit infernum.

Nota *quarto* : Pro *inferne*, ut habent Hebræa, et Noster in *Osee*, et Græca hic, ποῦ σου, ᾅδη, τὸ κέντρον; *ubi est, o inferne, victoria tua?* interpres noster vertit, *ubi est, mors, victoria tua?* eodem sensu; *infernus* enim et *mors* significant statum mortuorum; omnes enim olim ante Christum, post mortem in limbum descendebant. Sic *Act.* II, 24, et alibi Græcum ἅιδης, id est, *mortis*, noster interpres vertit, *inferni*. Eodem ergo redit versio Septuaginta, quam sequitur Paulus, cum Nostra et Hebræo *Osee* XIII. Sensus ergo est : « Ubi est victoria et stimulus tuus, » quo soles homines occidere eisque dominari? *q. d.* Periit, confractus est a Christo, qui est mors tua, o mors; et morsu suo te, o inferne, disrupit et absorpsit.

Infernus et mors significant statum mortuorum; Noster et Græca *Osee* et Paulus.

Ubi adverte : Hoc cœptum est impleri cum Christus resurrexit et animas sanctorum e limbo reduxit, sicque ex inferis quasi morsu hanc pœnam abstulit. Ita Anselmus et Origenes, hom. 22 *in Evangelia*, et Augustinus, serm. 137 *De Tempore*; perfecto autem implebitur in communi resurrectione, ut hic docet Apostolus. Pulchre S. Hieronymus in epitaphio Nepotiani ad Heliodorum, mortem alloquens, illique cum Paulo insultans : « Qui, inquit, per Osee quondam tibi rigidius minabatur, Ero mors tua, o mors; ero morsus tuus, inferne : illius morte tu mortua es;

S. Hieronymus ex Paulli insultat morti.

illius morte nos vivimus : devorasti, et devorata es; dumque assumpti corporis Christi sollicitaris illecebra, et avidis faucibus prædam putas, interiora tua adunco dente (vel, ut alii legunt, unco) confossa sunt. Gratias tibi, Christe Salvator, tua agimus creatura, quod tam potentem adversarium nostrum, dum occideres, occidisti. »

Ita S. Franciscus cum gravissimis ardoret corporis doloribus, nullum aliud fomentum habebat, quam ut ipse divinas laudes caneret, et alios canentes audiret; eumque objurgaretur ab Elia dicente, illud tempus extremum pœnitentiæ dandum, non gaudio, respondit : « Non licere sibi aliud facere, cum sciret se brevi cum Deo fore. » B. Reginaldus, unus e primis S. Dominici sociis, cum moneretur, ut extrema se unctione, ut moris est, ad luctam cum dæmone præpararet : « Ego, inquit, hanc luctam minime reformido, quin potius lætus exspecto. Jam enim dudum mater misericordiæ me inunxit, in qua plurimum confido, et ad quam cupide proficiscor. » S. Bernardus, serm. 26 *in Cant.*, loquens de morte fratris sui Gerardi, qui animam agens, in illam Psaltis vocem eruperat : « Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis, » sic ait : « Jam tibi, frater mi, nocte adhuc media diescebat, nox sicut dies illuminabatur. Acitus sum ego ad id miraculi, videre exultantem in morte hominem, insultantem morti : Ubi est, mors, victoria tua? ubi est, mors, stimulus tuus? Jam non est stimulus, sed jubilus. Jam cantando moritur homo, et moriendo cantat. »

Sicut scorpius per aculeum, ita mors per peccatum occidit.

56. STIMULUS AUTEM MORTIS PECCATUM EST. — Vers. 56. « Stimulus, » per quem scilicet mors nobis præcipue nocet et pungit : sicut enim scorpius, licet parvus sit, per aculeum, ita mors per peccatum omnes occidit, ait Theophylactus, quæ sine peccato nihil poterat. Rursum, mors per peccatum, et per peccati conscientiam quasi stimulum nos stimulat et pungit, dicens animæ : Merito moreris, merito pateris, quia peccasti.

VIRTUS VERO PECCATI LEX, — *q. d.* Peccatum maxime vires exerit per legem, id est per occasionem legis vetantis : semper enim nitimur in vetitum, cupimusque negata, ut fusius dixi *ad Rom.* VII, 8 et 13. Ita Theodoretus, Theophylactus, Ambrosius, Anselmus.

57. DEO GRATIAS (agimus), QUI DEDIT NOBIS VICTORIAM — de peccato et morte. Vers. 57.

58. ITAQUE, FRATRES MEI, STABILES ESTOTE, — in fide scilicet resurrectionis, ut abundetis in operibus bonis, quæ Domino Deo placent, ad ea vos excitando per spem resurrectionis et præmii æterni : scientes quod labor vester non erit inanis, nec mercedis expers apud Dominum. Hoc enim est *in Domino*. Vers. 58.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jubet fieri collectam pro pauperibus Hierosolymitanis.
Secundo, *vers.* 10, *commendat eis Timotheum*, *et vers.* 15, *Stephanum*, *Achaicum et Fortunatum.*
Tertio, *vers.* 19, *suos salutat*, *et vers.* 22, *eis qui non diligunt Christum*, *intentat anathema* Maran Atha.

1. De collectis autem, quæ fiunt in sanctos, sicut ordinavi Ecclesiis Galatiæ, ita et vos facite. 2. Per unam sabbati unusquisque vestrum apud se seponat, recondens quod ei bene placuerit : ut non, cum venero, tunc collectæ fiant. 3. Cum autem præsens fuero, quos probaveritis per epistolas, hos mittam perferre gratiam vestram in Jerusalem. 4. Quod si dignum fuerit ut et ego eam, mecum ibunt. 5. Veniam autem ad vos, cum Macedoniam pertransiero : nam Macedoniam pertransibo. 6. Apud vos autem forsitan manebo, vel etiam hiemabo : ut vos me deducatis quocumque iero. 7. Nolo enim vos modo in transitu videre, spero enim me aliquantulum temporis manere apud vos, si Dominus permiserit. 8. Permanebo autem Ephesi usque ad Pentecosten. 9. Ostium enim mihi apertum est magnum, et evidens : et adversarii multi. 10. Si autem venerit Timotheus, videte ut sine timore sit apud vos, opus enim Domini operatur, sicut et ego. 11. Ne quis ergo illum spernat : deducite autem illum in pace, ut veniat ad me : exspecto enim illum cum fratribus. 12. De Apollo autem fratre vobis notum facio, quoniam multum rogavi eum ut veniret ad vos cum fratribus : et utique non fuit voluntas ejus, ut nunc veniret : veniet autem, cum ei vacuum fuerit. 13. Vigilate, state in fide, viriliter agite, et confortamini. 14. Omnia

SORPTA EST MORS IN VICTORIA. — Quæres : Ubi hoc est scriptum? Respondent aliqui scriptum esse *Isaiæ* XXV, 8, ubi dicitur : « Præcipitabit mortem in sempiternum; ubi Septuaginta vertunt, κατέπιεν, id est, *devoravit mors prævalens*. *Devoravit* per hebraismum idem est, quod devorata est. Ita Eusebius, lib. IV *Demonstr.*, cap. XII, et Athanasius, lib. *De Passione et Cruce*. Vel *devoravit mors*, scilicet Christi, mortem mundi. Ita Ribera *in Osee* XIII, num. 27.

Sed hæc nonnihil obscura et torta videntur. Nam in Isaia diserte Septuaginta active vertunt, κατέπιεν, id est, *devoravit*; Paulus vero hic habet κατεποθη, id est, *devorata est*, absorpta est : quæ contraria videntur. Quare aptius dicemus Paulum citare Isaiæ locum jam dictum non secundum Septuaginta, sed secundum textum Hebræum, atque pro בלע *bala*, id est, præcipitavit, absorpsit, aliis punctis legisse בלע *bulla*, id est absorpta est mors; לנצח *lanetsach*, quod *primo*, verti potest, *in victoria*, ut vertit hic Paulus; *secundo*, *in perpetuum*, ut vertit S. Hieronymus, *Isaiæ* XXV. Vide nostrum Gasparem Sanchez ibidem.

Secundo, alii censent hæc sumpta esse non ad verbum, sed quoad sensum ex *Osee* XIII, 14, ubi dicitur : « De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos; » hoc enim in re idem est cum eo quod hic ait Apostolus : « Absorpta est mors in victoria. » Nam patet ex eodem Osee petita esse sequentia Apostoli verba, quæ continuo hisce subjungit, dicens :

55 UBI EST, MORS, VICTORIA TUA? UBI EST, MORS, STIMULUS TUUS? — Citat Paulus *Osee* cap. XIII, 14, ubi Noster vertit, *ero mors tua, o mors; morsus tuus ero, inferne*. Unde patet hic duplicem esse ex Hebræo versionem, utramque canonicam; tam enim Nostra in Osee, quam Septuaginta, quos sequitur hic Paulus, est canonica.

Duplex textus in Hebræo, indeque varia versio.

Ubi nota *primo* : Hebræum אהי *ehi* significat *ero*, ut vertit Noster in *Osee* cap. XIII, 14, jam citato. *Secundo*, ut R. Jona, *ehi* per metathesin sumitur pro איה *aite*, id est *ubi*, ut vertunt Septuaginta, et Paulus hic; et ita εἰ vertit Noster, Septuaginta et Chaldaica, *Osee* XIII, 10.

Deber et Beber.

Nota *secundo* : Pro *mors tua*, hebraice est דברך *deberecha* : quod si a רבר *deber* deducas, significat *pestes tuæ*, *q. d.* O mors, ero plenissima pestis et mors tua; et, ut Symmachus vertit, *ero plaga tua*. Sin a דבר *dabar*, id est verbum, deducas, significat, *ubi verba tua*, vel *sermones tui?* ut vertit Aquila et quinta editio. Septuaginta vertunt δίκη, hoc est *causa*; pro quo Paulus hic habet νῖκος, id est *victoria*. Unde putant aliqui Paulum apud Septuaginta legisse νῖκος vel νίκη pro δίκη; sed omnia vetera exemplaria Septuaginta interpretum, teste Hieronymo, habent δίκη, id est *causa*. Idcirco ergo dicemus, Apostolum immutasse verba, non sensum, cum pro causa posuit *victoriam*. Græcum enim δίκη quatuor significat. *Primo*, causam forensem; et, ut Hieronymus in *Osee* cap. XIII, vertit, *contentionem*, *q. d.* Ubi est, o mors, causa tua contentiosa, qua in Dei judicio homines ob peccatum mortis reos peragebas et vincebas? *Secundo*, significat δίκη sententiam, *q. d.* Ubi est, o mors, sententia tua, qua scilicet omnes tibi, id est morti, adjudicati sunt? *Tertio*, significat jus, *q. d.* Ubi est jus quod olim habebas in omnes? *Quarto*, significat pœnam, *q. d.* Ubi est pœna illa durissima qua homines puniebas et perdebas? Et hoc quartum alludit ad Hebræum *deber*, id est pestis; priora tria alludunt ad *dabar*, id est verbum. Ex quibus patet in re causam idem esse quod victoriam.

Significat : Primo, causam forensem; Secundo, sententiam; Tertio, jus; Quarto, pœnam.

Nota *tertio* : Pro *morsus tuus*, hebraice est קטבך *kotabcha*, quod Symmachus ὀξεῖαν vertit; Theodotion et quinta editio, *plagam et conclusionem*; Septuaginta κέντρον, id est *stimulus*, aculeus, quo scilicet mors homines confodiebat et occidebat. Proprie *kotabcha* significat exeisionem, qua Christus mortem omnia succidentem succidit. Hoc enim est קטבו *kotab*, scilicet evulsio, excisio, excidium, seu exitium, hoc est lues subito evellens et exscindens, qualis est febris valida, pestis, apoplexia, quæ subito mortem adfert; ipsaque mors subitanea, quæ hominem avellit et excindit.

Pro morsus hebr. est *kotab*, id est excidium.

Noster apte vertit, *morsum*. Ubi adverte, *morsus* hic tam passive quam active sumi potest, *q. d.* Ego Christus mordebor a te, o mors, et o inferne; sed ita, ut a te morsus te vicissim mordeam, ita ut a te quasi absorptus viscera tua disrumpam, itaque fidelibus electos educam e ventre tuo.

Christus mortem mordendit infernum.

Nota *quarto* : Pro *inferne*, ut habent Hebræa, et Noster in *Osee*, et Græca hic, ποῦ σου, ᾅδη, τὸ κέντρον; *ubi est, o inferne, victoria tua?* interpres noster vertit, *ubi est, mors, victoria tua?* eodem sensu; *infernus* enim et *mors* significant statum mortuorum; omnes enim olim ante Christum, post mortem in limbum descendebant. Sic *Act.* II, 24, et alibi Græcum ἅιδης, id est, *mortis*, noster interpres vertit, *inferni*. Eodem ergo redit versio Septuaginta, quam sequitur Paulus, cum Nostra et Hebræo *Osee* XIII. Sensus ergo est : « Ubi est victoria et stimulus tuus, » quo soles homines occidere eisque dominari? *q. d.* Periit, confractus est a Christo, qui est mors tua, o mors; et morsu suo te, o inferne, disrupit et absorpsit.

Infernus et mors significant statum mortuorum; Noster et Græca *Osee* et Paulus.

Ubi adverte : Hoc cœptum est impleri cum Christus resurrexit et animas sanctorum e limbo reduxit, sicque ex inferis quasi morsu hanc pœnam abstulit. Ita Anselmus et Origenes, hom. 22 *in Evangelia*, et Augustinus, serm. 137 *De Tempore*; perfecto autem implebitur in communi resurrectione, ut hic docet Apostolus. Pulchre S. Hieronymus in epitaphio Nepotiani ad Heliodorum, mortem alloquens, illique cum Paulo insultans : « Qui, inquit, per Osee quondam tibi rigidius minabatur, Ero mors tua, o mors; ero morsus tuus, inferne : illius morte tu mortua es;

S. Hieronymus ex Paulli insultat morti.

illius morte nos vivimus : devorasti, et devorata es; dumque assumpti corporis Christi sollicitaris illecebra, et avidis faucibus prædam putas, interiora tua adunco dente (vel, ut alii legunt, unco) confossa sunt. Gratias tibi, Christe Salvator, tua agimus creatura, quod tam potentem adversarium nostrum, dum occideres, occidisti. »

Ita S. Franciscus cum gravissimis ardoret corporis doloribus, nullum aliud fomentum habebat, quam ut ipse divinas laudes caneret, et alios canentes audiret; eumque objurgaretur ab Elia dicente, illud tempus extremum pœnitentiæ dandum, non gaudio, respondit : « Non licere sibi aliud facere, cum sciret se brevi cum Deo fore. » B. Reginaldus, unus e primis S. Dominici sociis, cum moneretur, ut extrema se unctione, ut moris est, ad luctam cum dæmone præpararet : « Ego, inquit, hanc luctam minime reformido, quin potius lætus exspecto. Jam enim dudum mater misericordiæ me inunxit, in qua plurimum confido, et ad quam cupide proficiscor. » S. Bernardus, serm. 26 *in Cant.*, loquens de morte fratris sui Gerardi, qui animam agens, in illam Psaltis vocem eruperat : « Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis, » sic ait : « Jam tibi, frater mi, nocte adhuc media diescebat, nox sicut dies illuminabatur. Acitus sum ego ad id miraculi, videre exultantem in morte hominem, insultantem morti : Ubi est, mors, victoria tua? ubi est, mors, stimulus tuus? Jam non est stimulus, sed jubilus. Jam cantando moritur homo, et moriendo cantat. »

Sicut scorpius per aculeum, ita mors per peccatum occidit.

56. STIMULUS AUTEM MORTIS PECCATUM EST. — Vers. 56. « Stimulus, » per quem scilicet mors nobis præcipue nocet et pungit : sicut enim scorpius, licet parvus sit, per aculeum, ita mors per peccatum omnes occidit, ait Theophylactus, quæ sine peccato nihil poterat. Rursum, mors per peccatum, et per peccati conscientiam quasi stimulum nos stimulat et pungit, dicens animæ : Merito moreris, merito pateris, quia peccasti.

VIRTUS VERO PECCATI LEX, — *q. d.* Peccatum maxime vires exerit per legem, id est per occasionem legis vetantis : semper enim nitimur in vetitum, cupimusque negata, ut fusius dixi *ad Rom.* VII, 8 et 13. Ita Theodoretus, Theophylactus, Ambrosius, Anselmus.

57. DEO GRATIAS (agimus), QUI DEDIT NOBIS VICTORIAM — de peccato et morte. Vers. 57.

58. ITAQUE, FRATRES MEI, STABILES ESTOTE, — in fide scilicet resurrectionis, ut abundetis in operibus bonis, quæ Domino Deo placent, ad ea vos excitando per spem resurrectionis et præmii æterni : scientes quod labor vester non erit inanis, nec mercedis expers apud Dominum. Hoc enim est *in Domino*. Vers. 58.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jubet fieri collectam pro pauperibus Hierosolymitanis.
Secundo, *vers.* 10, *commendat eis Timotheum*, *et vers.* 15, *Stephanum*, *Achaicum et Fortunatum.*
Tertio, *vers.* 19, *suos salutat*, *et vers.* 22, *eis qui non diligunt Christum*, *intentat anathema* Maran Atha.

1. De collectis autem, quæ fiunt in sanctos, sicut ordinavi Ecclesiis Galatiæ, ita et vos facite. 2. Per unam sabbati unusquisque vestrum apud se seponat, recondens quod ei bene placuerit : ut non, cum venero, tunc collectæ fiant. 3. Cum autem præsens fuero, quos probaveritis per epistolas, hos mittam perferre gratiam vestram in Jerusalem. 4. Quod si dignum fuerit ut et ego eam, mecum ibunt. 5. Veniam autem ad vos, cum Macedoniam pertransiero : nam Macedoniam pertransibo. 6. Apud vos autem forsitan manebo, vel etiam hiemabo : ut vos me deducatis quocumque iero. 7. Nolo enim vos modo in transitu videre, spero enim me aliquantulum temporis manere apud vos, si Dominus permiserit. 8. Permanebo autem Ephesi usque ad Pentecosten. 9. Ostium enim mihi apertum est magnum, et evidens : et adversarii multi. 10. Si autem venerit Timotheus, videte ut sine timore sit apud vos, opus enim Domini operatur, sicut et ego. 11. Ne quis ergo illum spernat : deducite autem illum in pace, ut veniat ad me : exspecto enim illum cum fratribus. 12. De Apollo autem fratre vobis notum facio, quoniam multum rogavi eum ut veniret ad vos cum fratribus : et utique non fuit voluntas ejus, ut nunc veniret : veniet autem, cum ei vacuum fuerit. 13. Vigilate, state in fide, viriliter agite, et confortamini. 14. Omnia

vestra in charitate fiant. 15. Obsecro autem vos, fratres, nostis domum Stephanæ, et Fortunati, et Achaici : quoniam sunt primitiæ Achaiæ, et in ministerium sanctorum ordinaverunt seipsos : 16. ut et vos subditi sitis ejusmodi, et omni cooperanti et laboranti 17. Gaudeo autem in præsentia Stephanæ, et Fortunati, et Achaici : quoniam id, quod vobis deerat, ipsi suppleverunt : 18. refecerunt enim et meum spiritum, et vestrum. Cognoscite ergo qui hujusmodi sunt. 19. Salutant vos Ecclesiæ Asiæ. Salutant vos in Domino multum, Aquila et Priscilla cum domestica sua Ecclesia : apud quos et hospitor. 20. Salutant vos omnes fratres. Salutate invicem in osculo sancto. 20. Salutatio, mea manu Pauli. 22. Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema, Maran Atha. 23. Gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum. 24. Charitas mea cum omnibus vobis in Christo Jesu. Amen.

1. De collectis (eleemosynarum) quæ fiunt in sanctos, sicut ordinavi Ecclesiis Galatiæ, ita et vos facite. — « In Sanctos, » hoc est in Christianos pauperes Hierosolymis agentes, de quibus vers. 3, et *Rom.* xv, 26; Christiani enim qui Hierosolymis erant, a contribulibus suis, utpote Judæis, acerbissimis Christi hostibus, suis bonis sunt spoliati et valde afflicti, ut patet *Hebr.* x, 34. Unde S. Paulo in Concilio Hierosolymitano ita Gentium demandata fuit cura, ut tamen pauperum Judæorum memor esset, *Gal.* II, 10. Hinc studiose pro iis collectam fieri imperat, quæ deinceps perduravit usque ad tempora Theodosii, ut dicam II *Cor.* initio capitis VIII.

Vers. 2. 2. Per unam sabbati (id est in primo die hebdomadæ, videlicet Dominica) unusquisque vestrum apud se seponat, — id, quod volet dare ad hanc collectam.

Nota : « Unam, » id est primam : hebraismo enim ponitur numerus cardinalis pro ordinali. *Secundo*, « sabbatum » hic idem est quod hebdomada, quia a sabbato quasi præcipuo die, in sabbatum sequens numerabant Judæi dies hebdomadæ, ipsasque hebdomadas : ita scilicet, ut prima sabbati, sive post sabbatum, esset Dominica. Ita Ambrosius, Chrysostomus, Theophylactus, Œcumenius et omnes alii. Simile *Act.* xx, 7. *Una* ergo, sive prima *sabbati* vel hebdomadæ, est dies dominica : Dominica enim conveniebant fideles in ecclesia, et faciebant suas oblationes, uti etiamnum faciunt. Nam ex hoc Apostoli loco patet, ex Apostolica institutione, collectam fieri solitam die dominica. Unde cum Constantinopoli ea consuetudo exolevisset, S. Chrysostomus eam restitui curavit, deque hac re insignem habuit oratiunculam illam de eleemosyna et collationibus. Rursum notat hic Chrysostomus apte jubori, ut hæc collecta fiat die dominica, quia illo die Deus mundum creavit, *Genes.* cap. I, et perditum recreavit, dum Christus die dominica resurrexit, et die dominica misit Spiritum Sanctum; ut memores tantæ misericordiæ acceptæ illo die, in alios quoque indigentes nos ipsi misericordes et liberales simus.

Una sabbati est prima dies hebdomadæ, proprie Dominica.

Collecta solet fieri die Dominica.

Quare inepte Magdeburgici per *unam sabbati* intelligunt sabbatum ipsum : quod non Christianorum, sed Judæorum erat festum.

Hinc rursum patet, tempore Apostolorum, mutatum esse sabbatum in Dominicam, idque claro significatur *Apoc.* I, 10 : « Fui, inquit Joannes, in spiritu in dominica. » Hinc *secundo*, sequitur, contra Novantes, servandas esse traditiones etiam non scriptas : nec enim usquam Scriptura jubet Dominicam servari pro sabbato.

Apostoli mutaverunt sabbatum in Dominicam.

Seponat, recondens quod ei bene placuerit. — S. Thomas et Cajetanus putant quemque fidelium domi seposuisse in dominico die hanc collectam, ut non eodem die, sed postea eam daret in ecclesia, nunc scilicet cum esset mittenda ad pauperes Hierosolymitanos. Verum contrarium docet praxis, ut dixi, qua ad altare, ipso die dominico, fiunt oblationes; et Apostolus cum addit : « Ut non, cum venero, hanc collectæ fiant. » Vult ergo eas ante fieri, nimirum, ut dixi, « una sabbati, » hoc est Dominica, ut scilicet ante cœnam et agapem quisque apud se seponat, quod mox veniens in ecclesiam ad cœnam offerat in eleemosynam et collectam. Nota : Pro *recondens*, græce est θησαυρίζων, id est *thesaurisans*. Qui enim aliquid recondit et thesaurizat pauperibus, hic sibi ipsi thesaurum comparat et reponit in cœlo.

Quod ei bene placuerit. — Ὅτι ἂν εὐοδῶται, id est, ut Vatablus, *quod ei prospere a Deo obvenerit*, *q. d.* Offerat pro fortunis suis, pro prosperitate, quam a Deo accepit. Noster videtur legisse εὐδοκῇ, id est, *bene placuerit*. Sane, ut vidimus cap. præced., Græca multis in locis sunt corrupta.

Vers. 3. 3. Mittam gratiam (eleemosynam) vestram in Jerusalem. — Notat Œcumenius, non vocari hic eleemosynam, quæ revera talis erat, quia miserum est nomen eleemosynæ et indignum sanctis qui eam accepturi erant, sed civilius vocari « gratiam, » benedictionem, communicationem.

Vers. 4. 4. Quod si dignum fuerit ut et ego eam, mecum ibunt. — Hisce verbis Paulus Corinthios stimulat ad largiorem collectam, ut scilicet tantam faciant, quam dignum sit ut ipsemet perferat (1).

Vers. 8. 8. Permanebo autem Ephesi usque ad Pentecos-

(1) Vers. 7. *Modo*, id est *hac vice*.

ten, — quia scilicet Ephesi erat celeberrimum illud Dianæ templum, ibique residebant Asiæ Minoris primarii. Unde Ephesi habitabat Proconsul Asiæ, et, ut Philostratus, lib. VIII *Vitæ Apollonii*, testatur, plurimum Ephesi vigebat sapientia. Itaque major ibi messis erat S. Paulo : quæ causa fuit cur Ephesi morari et permanere statueret.

Ver. 9. 9. Ostium mihi apertum est magnum. — Magna scilicet Ephesi mihi se aperit occasio et aditus Evangelii seminandi, et convertendi multos. Ita Ambrosius.

Ver. 12. 12. Venient autem (ad vos, o Corinthii, Apollo) cum et vacuum (id est opportunum) fuerit. — Ita Ambrosius.

Ver. 14. 14. Omnia vestra in charitate fiant. — « In charitate, » non supernaturali, sed « in charitate, » id est sincero affectu et dilectione, qualem etiam pœnitentes, imo et infideles habere possunt. Ita aliqui. Verum hæc non est charitas, quam Scriptura et Paulus fidelibus commendat, sed tantum amor naturalis, quem etiam habent Ethnici et Pagani. Sensus ergo proprie est, *q. d.* Paulus : O Corinthii, non in contentione, non cum ambitione et schismate (ut dixi capitib. II et XIV), sed cum charitate Christiana, quæ virtus est divina a Christo vobis infusa, omnia vestra facite. Est hoc partim præceptum, partim consilium, ut dixi cap. X, vers. 31.

15. Obsecro vos, fratres. — Est hoc versu hyperbaton, quod sic cum Theophylacto ordinandum est : « Obsecro vos, fratres, ut subditi sitis Stephanæ, Fortunato, Achaico (et omni cooperanti et laboranti) : nostis enim domum (id est domos, puta familias) eorum, quoniam (quod) primitiæ sunt Achaiæ (primi scilicet qui ex Achaia crediderunt Christo), quique se (suaque) ordinaverunt et addixerunt ministerio sanctorum, » ut scilicet exerceant hospitalitatem in Christianos egenos et peregrinos, maxime qui laborant in Evangelio.

Nota *ut subditi sitis*, nimirum honorando eos, eorum monita et exempla sequendo. Rursum *cooperantes et laborantes* vocantur hic illi, qui viros jam dictos adjuvabant, eisque cooperabantur in re Evangelica, et pro ea cum iis laborabant.

17. Gaudeo in præsentia Stephanæ, et Fortunati, et Achaici (« in præsentia, » quia scilicet hi viri vobis præsentes sunt, ut quod vobis deest in fide et doctrina Christiana, ipsi suppleant et doceant, vosque in ea confirment. Ita Anselmus. *Secundo* et aptius, Theophylactus, « gaudeo in præsentia, » quia scilicet hi viri mihi Paulo præsentes sunt), quoniam id quod vobis deerat (circa meum ministerium), ipsi suppleverunt (ut pro vobis mihi ministrarent, suisque opibus et facultatibus me remque Christianam juvarent et promoverent; hoc est enim quod subdit Paulus) : Refecerunt enim meum spiritum, et (consequenter) vestrum (quoque), — quia mea refectio, vestra quoque refectio et recreatio est. Putat Theophylactus hos viros a Paulo Corinthiis tam impense commendari, eo quod hi Corinthiorum schismata et vitia ad Paulum detulissent, ut eis nihil austerum vel triste ostendant, sed potius ut eos cognoscant, id est ament, colant, honorent (1).

22. Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema, Maran atha. — « Anathema » est res quæ cum execratione separatur, abjicitur et destinatur ad extremum exitium; quod in hominibus est æterna damnatio. Non sunt ergo verba excommunicantis, sed execrantis et denuntiantis æternam damnationem iis qui Christum non amant, et infidelibus. Hoc enim est Hebræum חרם *cherem*, ut vertit Syrus, de quo dixi *Rom.* IX, 3. Anathemati proxima censura erat catathema, quæ erat proprie eorum qui se damnatis conjungerent. Unde Justinus, *Quæst.* CXXI : « Anathema, inquit, dicitur id quod reconditum est, et secretum Deo, nec jam ad communem usum sumitur (ut Hebræis *cherem*); aut quod viri culpæque causa a Deo abalienatum est. Catathema autem est assentiri iis qui anathematizant, id est diris se devovent. »

Quid sit anathema?

Quid catathema?

Maran atha. — Ita Romana; non enim una est dictio *maranatha* (ut pleraque Biblia hic male legunt), sed duæ, *Maran atha*, ut mox patebit.

Quæres, quid sit *Maran atha*? *Primo*, Erasmus, Beza et Bulingerus, putant idem esse quod *anathema*, ut, sicuti dicitur *abba Pater*, ita e converso dicatur *anathema*, *Maran atha*, legendumque esse non *Maranatha*, sed מורתם מורתם *macharam mota*: ut sit idem quod Hebræum חרם *cherem*, id est anathema, sive res addicta מותה *mota*, hoc est morti. Sed hoc tortum est, et longe distat *macharam mota* a *Maran atha*. Nam *Maran atha* hic constanter legunt omnes Latini, Græci et Syrus.

Quid Maran atha? Oppido Ricardi, Beza et Bulingerus. Refelluntur.

Rursum patet linguarum peritis, *Maran atha* esse vocem Hebræo-syriacam, esseque illud ipsum quod habet hic Syrus interpres מרן *Maran*, hoc est Dominus noster, אתרא *atha*, hoc est venit, uti passim omnes hic vertunt; quod pure hebraice diceretur מרנו אתא *morenu atha*, hoc est, magister vel Dominus noster venit. *More* enim hebraice magistrum et dominum significat, pro quo Chaldæi dicunt *mar*, Arabes *mir* : inde *maru* vel *maria*, id est domina; *mar* ergo idem est quod *sar*, pro quo Arabes dicunt *sir* (unde Galli suum *Sire* acceperunt), id est dominus. Inde dicitur *Sara*, id est domina. Sic etiamnum Christiani S. Thomæ in India et Babylonia Prælatos suos et Episcopos Chaldæos vocant *mar*, ut Mar Abraham, Mar Joseph, Mar Simeon, id est, ut Galli dicunt *Monsieur*, vel *Sire Abraham*, *sire Joseph*, *sire Simeon*.

Maran atha idem est quod, Dominus noster venit.

Dices : Quid facit *Maran atha*, id est, *Dominus noster venit*, ad rem et scopum Apostoli? Cur hic affert Paulus *Maran atha*?

Respondet Chrysostomus et Theophylactus, Paulum hac voce uti, ut ex Christi ad nostram

(1) Vers. 21. Sensus est : *Restat salutatio a me, quæ est adscripta a me ipso, propria manu.* Atque ita intelligitur, ea, quæ sequuntur, Paulum ipsum adjecisse scribentem, quum alia dictasset.

Opinio Chrysostomi refellitur.

carnem adventu et charitate, nos ad omnem virtutis ingressum incitet, et ut « insinuet, ait S. Hieronymus, quod superfluum sit odiis pertinacibus adversus eum velle contendere, quem venisse jam constat. » Unde Græci legunt ἔλθεν, id est *venit*, in præterito, *q. d.*, ait Chrysostomus : Ratio cur anathema denuntiem eis, qui non amant Jesum, est quod ipse jam venit, videlicet in humilitate ad salvandum, ut nulla possit esse eum non diligentibus excusatio. Christi enim adventus et passio adeo amorem conciliat, ut venia dignus non sit, qui eum non amaverit.

Opinio verior.

Verum hæc ratio frigidior videtur. Ergo nota, *Maran atha* esse Syro-hebraicum, Hebræis usitatum, sicut Græcis anathema, et sicut Hebræis usitatum erat, *Amen*, *Osanna*, *Alleluia*, quæ proinde apud Latinos manserunt. Vide S. Hieronymum, *epist.* 137 *ad Marcellam*, et S. Augustinum, *epist.* 178. Subjicit itaque Paulus post *anathema*, *Maran atha*, quia Hebræi quempiam condemnantes solebant id facere sub comminatione et contestatione præsentis divini judicii, ut patet *Deut.* XII, 32 et 1*Reg. Psal.* IX, 20, *q. d. Maran atha*, id est Dominus venit, scilicet vindex ad judicium : aut potius *Maran atha*, id est venit Dominus judex, ut eum qui Christum non amat, anathemate ferat, damnet et puniat.

Aut hic explicatur.

Illud adverte : Per euphemismum, boni ominis causa, solent Hebræi punitionem hanc tacere et subaudire. Sic dicunt juraturo per execrationem : « Hæc faciat mihi Deus, et hæc addat, » non addentes, hoc exprimentes, quam pœnam, ignem, aut mortem sibi addi velint, ubique imprecantur, si juramentum violarint, atque ex summa juramenti religione et reverentia, atque ex sacro quodam horrore timentes verentesque ne execratio hæc vel nominata quoquo modo eos afflet et invadat : sicuti apud nos qui exsecrantur, dum execrantur, vel gravem pœnam aut cladem alicui sibi amico imprecantur, solent mox addere : Deus hoc avertat, Deus prohibeat, Deus custodiat nos. Pari modo et hic cum dicitur, *Maran atha*, hoc est, Dominus noster venit, sive veniat, supple ut subaudi, ad judicium, ut scilicet extremam et æternam cladem et calamitatem infidelibus Christique hostibus afferat et infligat. Est enim *maran atha*, sicut et *anathema*, vox exsecrantis et condemnantis ; unde Anselmus : « Si quis, inquit, non diligit Dominum Jesum, sicut ei non est utilis adventus ejus, qui jam completus est ; sic ad damnationem sit ei secundus, qui adhuc futurus est. » Huc pertinet et illa Titelmanni expositio : « sit anathema, » id est execratus, *maran atha*, id est in adventu Domini, vel cum Dominus veniet ad judicium. Unde et S. Clemens ita videtur interpretari *Maran atha*, cum hæc alludens ita ait, in fine *epist.* 2 : « Hæc, frater Jacobe, de ore S. Petri jubentis audivi : si quis præcepta hæc integre non custodierit, sit anathema, usque ad adventum Domini nostri Jesu Christi. » Quibus ultimis verbis quid aliud explicat, quam Petri et Pauli *Maran atha*?

Maran atha est vox execrantis et condemnantis.

Alludit Paulus ad Malachiæ cap. ult. vers. 6 : « Ne forte veniam, et percutiam terram anathemate ; » et primus ad prophetiam Henoch, quam citat Judas, vers. 14 et 15 : « Ecce, inquit, venit Dominus in sanctis millibus suis, facere judicium contra omnes, et arguere omnes impios. » Simile anathema est apud Rabbinos חשם אתא *haschem atha*, et contracte שתא *scamatha*, id est Dominus venit : licet enim אתא *atha*, id est venit, sit præteritum, tamen hic accipitur pro optativo *veniat* ; Hebræi enim sæpe commutant tempora, ut præteritum pro præsenti, vel futuro, aut optativo capiant.

Alludit Paulus ad Malachiæ cap. ult. vers. 6.

Ex hoc *Marzabatha* Hispani Christiano-Judæos et Mauros, cum a christianismo apostatarunt, et resilierunt ad sanum judaismum vel mahometismum, vocant Maranos, quasi anathemata. Ita et diplomatibus antiquorum regum docet Joannes Mariana, lib. VII *Historiæ Hispaniæ*, et Baronius, tom. IX, in fine anni Christi 775. Maranus ergo idem est quod κάθαρμα, et excommunicatus ob apostasiam, qui scilicet a christianismo recidit in judaismum, vel mahometismum. Errat ergo vulgus, quod dici putat, Maranus quasi Mauranus, id est Maurus vel Judæus, qui abstinet porcina, quam vulgus Hispanorum inde vocat *maranas*.

Maranus quis et unde dictus sit?

24. CHARITAS MEA (qua vos diligo) CUM OMNIBUS VOBIS SIT (ut simili charitate sincera vicissim me et invicem diligatis) IN CHRISTO (et propter Christum. Ita Ambrosius et Anselmus). AMEN.

ÆTERNITATEM cogita, Anathema, Maran atha!

COMMENTARIUS

IN SECUNDAM EPISTOLAM

AD CORINTHIOS.

ARGUMENTUM.

Materia et objectum hujus Epistolæ.

Consolatur Corinthios, quos objurgabat priori Epistola, et fornicarium excommunicatum jam pœnitentem absolvit. Hinc agit de vera pœnitentia, de dignitate ministrorum novi Testamenti, de infidelium societate cavenda, de patientia, de eleemosyna in pauperes Hierosolymitanos, de fuga pseudoapostolorum, qui Pauli æmuli, Corinthiis se insinuarant, Paulumque deprimebant, contra quos apologiam, se laudando, texit ; ac demum nonnullis Corinthiorum necdum resipiscentibus Apostolicam potestatem et minas intentat. Adeoque tota fere Epistola hæc, est apostolatus Pauli apologia et encomium (1). Scriptam

Quis scripta fuerit hæc Epistola.

Philippis in Macedonia, missam per Titum et Lucam, habent Græca, Syrus et Latina Complut. in fine Epistolæ : Baronius tamen scriptam vult Nicopoli anno Christi 58, cum scilicet Apostolus Epheso, ubi primam scripsit Epistolam, post tumultum Demetrii, cedere coactus, relicto Ephesi Episcopo Timotheo, venit Troadem, ut hic ait cap. II, ubi non inveniens Titum, perrexit in Macedoniam, ex Macedonia perrexit in Græciam, mari scilicet Ægeo Cycladas adnavigans attigit Cretam, ubi Titum reliquit, *ad Titum* I, 5, inde tandem in Græciam Nicopolim, ubi scilicet statuerat hiemare et quiescere, devenit, *ad Titum* III, 12. Ita Baronius, tom. I, pag. 373. Itaque probabile ibidem in quiete et otio hanc Epistolam scripsisse : nil tamen certi hic dici potest ; potuit enim Apostolus per Asiam cursitans ire et redire Philippos, ibique hærere tantisper dum hanc scriberet Epistolam : nec enim omnes Apostoli moras, cursus et recursus narrat Lucas, *Actorum* XX (2).

hujus suæ hortationis argumenta in medium producit. In *tertia* parte redit ad defensionem sui Apostolatus, nempe cap. X et seqq. fere usque ad finem. »

(2) Sepp scriptam hanc Epistolam putat ann. Christi 54 exeunte, in Macedonia, paulo ante eam quæ est *ad Rom.*, quia in epist. II *ad Corinth.* urgetur adhuc negotium faciendæ collectæ, quam factam et paratam, ut perferatur Hierosolymam, *ad Rom.* scribens significat.

Opinio Chrysostomi refellitur.

carnem adventu et charitate, nos ad omnem virtutis ingressum incitet, et ut « insinuet, ait S. Hieronymus, quod superfluum sit odiis pertinacibus adversus eum velle contendere, quem venisse jam constat. » Unde Græci legunt ἔλθεν, id est *venit*, in præterito, *q. d.*, ait Chrysostomus : Ratio cur anathema denuntiem eis, qui non amant Jesum, est quod ipse jam venit, videlicet in humilitate ad salvandum, ut nulla possit esse eum non diligentibus excusatio. Christi enim adventus et passio adeo amorem conciliat, ut venia dignus non sit, qui eum non amaverit.

Opinio verior.

Verum hæc ratio frigidior videtur. Ergo nota, *Maran atha* esse Syro-hebraicum, Hebræis usitatum, sicut Græcis anathema, et sicut Hebræis usitatum erat, *Amen*, *Osanna*, *Alleluia*, quæ proinde apud Latinos manserunt. Vide S. Hieronymum, *epist.* 137 *ad Marcellam*, et S. Augustinum, *epist.* 178. Subjicit itaque Paulus post *anathema*, *Maran atha*, quia Hebræi quempiam condemnantes solebant id facere sub comminatione et contestatione præsentis divini judicii, ut patet *Deut.* XII, 32 et 1*Reg. Psal.* IX, 20, *q. d. Maran atha*, id est Dominus venit, scilicet vindex ad judicium : aut potius *Maran atha*, id est venit Dominus judex, ut eum qui Christum non amat, anathemate ferat, damnet et puniat.

Aut hic explicatur.

Illud adverte : Per euphemismum, boni ominis causa, solent Hebræi punitionem hanc tacere et subaudire. Sic dicunt juraturo per execrationem : « Hæc faciat mihi Deus, et hæc addat, » non addentes, hoc exprimentes, quam pœnam, ignem, aut mortem sibi addi velint, ubique imprecantur, si juramentum violarint, atque ex summa juramenti religione et reverentia, atque ex sacro quodam horrore timentes verentesque ne execratio hæc vel nominata quoquo modo eos afflet et invadat : sicuti apud nos qui exsecrantur, dum execrantur, vel gravem pœnam aut cladem alicui sibi amico imprecantur, solent mox addere : Deus hoc avertat, Deus prohibeat, Deus custodiat nos. Pari modo et hic cum dicitur, *Maran atha*, hoc est, Dominus noster venit, sive veniat, supple ut subaudi, ad judicium, ut scilicet extremam et æternam cladem et calamitatem infidelibus Christique hostibus afferat et infligat. Est enim *maran atha*, sicut et *anathema*, vox exsecrantis et condemnantis ; unde Anselmus : « Si quis, inquit, non diligit Dominum Jesum, sicut ei non est utilis adventus ejus, qui jam completus est ; sic ad damnationem sit ei secundus, qui adhuc futurus est. » Huc pertinet et illa Titelmanni expositio : « sit anathema, » id est execratus, *maran atha*, id est in adventu Domini, vel cum Dominus veniet ad judicium. Unde et S. Clemens ita videtur interpretari *Maran atha*, cum hæc alludens ita ait, in fine *epist.* 2 : « Hæc, frater Jacobe, de ore S. Petri jubentis audivi : si quis præcepta hæc integre non custodierit, sit anathema, usque ad adventum Domini nostri Jesu Christi. » Quibus ultimis verbis quid aliud explicat, quam Petri et Pauli *Maran atha*?

Maran atha est vox execrantis et condemnantis.

Alludit Paulus ad Malachiæ cap. ult. vers. 6 : « Ne forte veniam, et percutiam terram anathemate ; » et primus ad prophetiam Henoch, quam citat Judas, vers. 14 et 15 : « Ecce, inquit, venit Dominus in sanctis millibus suis, facere judicium contra omnes, et arguere omnes impios. » Simile anathema est apud Rabbinos חשם אתא *haschem atha*, et contracte שתא *scamatha*, id est Dominus venit : licet enim אתא *atha*, id est venit, sit præteritum, tamen hic accipitur pro optativo *veniat* ; Hebræi enim sæpe commutant tempora, ut præteritum pro præsenti, vel futuro, aut optativo capiant.

Alludit Paulus ad Malachiæ cap. ult. vers. 6.

Ex hoc *Marzabatha* Hispani Christiano-Judæos et Mauros, cum a christianismo apostatarunt, et resilierunt ad sanum judaismum vel mahometismum, vocant Maranos, quasi anathemata. Ita et diplomatibus antiquorum regum docet Joannes Mariana, lib. VII *Historiæ Hispaniæ*, et Baronius, tom. IX, in fine anni Christi 775. Maranus ergo idem est quod κάθαρμα, et excommunicatus ob apostasiam, qui scilicet a christianismo recidit in judaismum, vel mahometismum. Errat ergo vulgus, quod dici putat, Maranus quasi Mauranus, id est Maurus vel Judæus, qui abstinet porcina, quam vulgus Hispanorum inde vocat *maranas*.

Maranus quis et unde dictus sit?

24. CHARITAS MEA (qua vos diligo) CUM OMNIBUS VOBIS SIT (ut simili charitate sincera vicissim me et invicem diligatis) IN CHRISTO (et propter Christum. Ita Ambrosius et Anselmus). AMEN.

ÆTERNITATEM cogita, Anathema, Maran atha!

COMMENTARIUS

IN SECUNDAM EPISTOLAM

AD CORINTHIOS.

ARGUMENTUM.

Materia et objectum hujus Epistolæ.

Consolatur Corinthios, quos objurgabat priori Epistola, et fornicarium excommunicatum jam pœnitentem absolvit. Hinc agit de vera pœnitentia, de dignitate ministrorum novi Testamenti, de infidelium societate cavenda, de patientia, de eleemosyna in pauperes Hierosolymitanos, de fuga pseudoapostolorum, qui Pauli æmuli, Corinthiis se insinuarant, Paulumque deprimebant, contra quos apologiam, se laudando, texit ; ac demum nonnullis Corinthiorum necdum resipiscentibus Apostolicam potestatem et minas intentat. Adeoque tota fere Epistola hæc, est apostolatus Pauli apologia et encomium (1). Scriptam

Quis scripta fuerit hæc Epistola.

Philippis in Macedonia, missam per Titum et Lucam, habent Græca, Syrus et Latina Complut. in fine Epistolæ : Baronius tamen scriptam vult Nicopoli anno Christi 58, cum scilicet Apostolus Epheso, ubi primam scripsit Epistolam, post tumultum Demetrii, cedere coactus, relicto Ephesi Episcopo Timotheo, venit Troadem, ut hic ait cap. II, ubi non inveniens Titum, perrexit in Macedoniam, ex Macedonia perrexit in Græciam, mari scilicet Ægeo Cycladas adnavigans attigit Cretam, ubi Titum reliquit, *ad Titum* I, 5, inde tandem in Græciam Nicopolim, ubi scilicet statuerat hiemare et quiescere, devenit, *ad Titum* III, 12. Ita Baronius, tom. I, pag. 373. Itaque probabile ibidem in quiete et otio hanc Epistolam scripsisse : nil tamen certi hic dici potest ; potuit enim Apostolus per Asiam cursitans ire et redire Philippos, ibique hærere tantisper dum hanc scriberet Epistolam : nec enim omnes Apostoli moras, cursus et recursus narrat Lucas, *Actorum* XX (2).

hujus suæ hortationis argumenta in medium producit. In *tertia* parte redit ad defensionem sui Apostolatus, nempe cap. X et seqq. fere usque ad finem. »

(2) Sepp scriptam hanc Epistolam putat ann. Christi 54 exeunte, in Macedonia, paulo ante eam quæ est *ad Rom.*, quia in epist. II *ad Corinth.* urgetur adhuc negotium faciendæ collectæ, quam factam et paratam, ut perferatur Hierosolymam, *ad Rom.* scribens significat.

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, ostendit Paulus, ex quantis in Asia tribulationibus eripuerit eum Dominus, ut spe eos retur.

Secundo, vers. 12, insinuat se Corinthiis, declarando cordis sui et doctrinæ sinceritatem.

Tertio, vers. 17, amolitur a se levitatis et inconstantiæ notam : quod ad eos, uti promiserat, non venerit; simulque asserit firmam et constantem esse suæ prædicationis veritatem.

1. Paulus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, et Timotheus frater, Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi, cum omnibus Sanctis, qui sunt in universa Achaia. 2. Gratia vobis, et pax a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo. 3. Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, 4. qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, ut possimus et ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt, per exhortationem qua exhortamur et ipsi a Deo. 5. Quoniam sicut abundant passiones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra. 6. Sive autem tribulamur pro vestra exhortatione et salute, sive consolamur pro vestra consolatione, sive exhortamur pro vestra exhortatione et salute, quæ operatur tolerantiam earumdem passionum, quas et nos patimur : 7. ut spes nostra firma sit pro vobis : scientes quod sicut socii passionum estis, sic eritis et consolationis. 8. Non enim volumus ignorare vos, fratres, de tribulatione nostra, quæ facta est in Asia, quoniam supra modum gravati sumus supra virtutem, ita ut taederet nos etiam vivere. 9. Sed ipsi in nobismetipsis responsum mortis habuimus, ut non simus fidentes in nobis, sed in Deo qui suscitat mortuos : 10. qui de tantis periculis nos eripuit, et eruit : in quem speramus, quoniam et adhuc eripiet, 11. adjuvantibus et vobis in oratione pro nobis : ut ex multorum personis, ejus quæ in nobis est donationis, per multos gratiæ agantur pro nobis. 12. Nam gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate cordis et sinceritate Dei, et non in sapientia carnali, sed in gratia Dei, conversati sumus in hoc mundo : abundantius autem ad vos. 13 Non enim alia scribimus vobis, quam quæ legistis et cognovistis. Spero autem quod usque in finem cognoscetis; 14. sicut et cognovistis nos ex parte, quod gloria vestra sumus, sicut et vos nostra in die Domini nostri Jesu Christi. 15. Et hac confidentia volui prius venire ad vos, ut secundam gratiam haberetis; 16. et per vos transire in Macedoniam, et iterum a Macedonia venire ad vos, et a vobis deduci in Judæam. 17. Cum ergo hoc voluissem, numquid levitate usus sum? Aut quæ cogito, secundum carnem cogito, ut sit apud me Est et Non? 18. Fidelis autem Deus, quia sermo noster, qui fuit apud vos, non est in illo Est et Non. 19. Dei enim Filius Jesus Christus, qui in vobis per nos prædicatus est, per me, et per Sylvanum, et Timotheum, non fuit Est et Non, sed Est in illo fuit. 20. Quotquot enim promissiones Dei sunt, in illo Est : ideo et per ipsum Amen Deo ad gloriam nostram. 21. Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, et qui unxit nos, Deus : 22. qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris. 23. Ego autem testem Deum invoco in animam meam, quod parcens vobis, non veni ultra Corinthum » non quia dominamur fidei vestræ, sed adjutores sumus gaudii vestri : nam fide statis.

Vers. 1. 1. TIMOTHEUS FRATER. — « Frater, » id est coapostolus, uti Papa Episcopos, Episcopus Canonicos, Abbas Monachos *fratres* vocant (1).

Vers. 3. 3. PATER MISERICORDIARUM — misericordissimus : est Hebraismus, de quo dixi *Rom.* XV, 5.

Deus est dicitur Pater misericordiarum et non judicium?

Docte et pie S. Bernardus, serm. 5 *De Natali Domini* : « Recte, inquit, non, Pater judiciorum, vel ultionum dicitur, sed, Pater misericordiarum : non modo quod pater videatur misereri potius, quam indignari, et quemadmodum pater filiorum misereatur timentium se : sed eo magis quod miserendi causam et originem sumat ex proprio ; judicandi, vel ulciscendi, magis ex nostro (ex nostris scilicet peccatis). Sed si propter hoc Pater misericordiæ, quare Pater misericordiarum? Apostolus nobis in uno Verbo, in Filio uno ipsam quoque misericordiam duplicem commendat, Patrem dicens, non unius tantum misericordiæ, sed misericordiarum ; et Deum non unius, sed totius consolationis : qui consolatur nos non modo in hac vel illa, sed in omni tribulatione. Misericordiæ Domini multæ, ait quidam : quia videlicet multæ tribulationes justorum, et de omnibus his liberabit eos Dominus. Unus est Dei Filius, unum Verbum, sed miseria nostra multiplex non modo magnam misericordiam, sed multitudinem quæsivit misericordium. Forte tamen propter substantiam duplicem, qua subsistit humana conditio, cum sit utrique tam misera, non incongrue duplex hominum dicatur esse miseria, licet sit multiplex in utraque. Siquidem corporis et cordis nostri tribulationes multiplicatæ sunt : sed ab utrisque necessitatibus eruit, qui totum hominem salvum facit. » Ubi adverte : S. Bernardus videtur *Pater misericordiarum* appropriare Filio, et recte ; sed non ad mentem Apostoli. Apostolus enim illud tribuit Deo Patri, ait enim : « Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, *Pater* misericordiarum, » etc. Pater ergo Christi est Pater misericordiarum.

Vers. 5. 5. SICUT ABUNDANT PASSIONES CHRISTI IN NOBIS : ITA ET PER CHRISTUM ABUNDAT CONSOLATIO NOSTRA.

Passiones Christi triplices.

— « Passiones Christi » vocat *primo*, quas pro Christo patimur ; ita Ambrosius ; *secundo*, « Christi, » id est, quales passus est Christus ; *tertio*, « Christi, » id est, quas ut suas repulit Christus, dicens : « Quodcumque feceritis uni ex minimis istis, mihi fecistis ; » et Saulo, *Actor.* IX : « Quid me persequeris? » Ita Œcumenius ; sic Christus patitur in membris suis. Theophylactus addit dici hic *abundant*, quia Christus plura in membris, quam in seipso passus est. Extensive hoc verum est, non intensive. Sic in Laurentio ignem passus est Christus, in Stephano lapides, in Ignatio bestias : Christi enim passio et dolor his omnibus fuit major in se et intensior. Sensus ergo est, *q. d.* Theophylactus : Ne despondeas animum, quisquis pateris afflictiones et mala, quia quantus exuberant mala, tantum exuberant consolationes.

Ubi nota *primo*, cum Theophylacto, non dici : Æquatur consolatio passionibus, sed, exuberat et longe major est consolatio ipsis afflictionibus, ut qui affligitur, eas patienter, imo lubenter et hilariter ferat, iis gaudeat et dominetur. *Secundo*, id habent passiones Christi, ut pro earum mensura det Christus et mensuram consolationum, ut quantum crescit passio, tantum crescat et consolatio. E contra passiones mundi sunt fel sine melle, et quantum illæ crescunt, tantum crescunt et desolationes, mœrores, angores. *Tertio*, hinc sequitur, quod non fugienda, sed ambienda sit crux et passio (utpote tot divinis consolationibus et gaudiis condita) cum S. Andrea, Ignatio, Xaverio, qui quotidie orabat pro cruce, nec ulla liberari volebat, nisi Deus illi graviorem immitteret.

Consolationes divinæ majores semper sunt passionibus.

6. SIVE TRIBULAMUR, PRO VESTRA EXHORTATIONE. — *q. d.* Tribulationes patimur, ut vos consolemur et salvemus, et ut patientia nostra, spe in Deum, ejusque consolatione vos animemus, ad afflictiones nobiscum pro fide fortiter ferendas. Ita Ambrosius. Vide Chrysostomum in morali hom. 1 *De Spe et Fortitudine in tentationibus servanda*.

QUÆ (scilicet salus, quasi finis exoptatus) OPERATUR TOLERANTIAM. — Sic græce etiam Erasmus legit, τῆς ὑπομονῆς τῆς ἐνεργουμένης, *quæ operatur in tolerantia*, vel Hebraismo, *tolerantiam*, ut sit ב *ter* constructum. Nam passim legunt, τῆς ἐνεργουμένης ἐν ὑπομονῇ, id est, ut Theophylactus, quæ, scilicet salus, *effitur in tolerantia* ; Ambrosius, *per patientiam*, meritorie scilicet, ac proinde efficit tolerantiam in genere causæ finalis : efficiens enim et finis invicem sibi sunt causæ ; sic ergo salus quasi finis imperat et operatur patientiam, et vicissim patientia quasi efficiens operatur salutem. Adde, ἐνεργουμένη, licet terminative sit passivum, significatione tamen, quasi verbum medium, sæpe est activum, ut patet 1 *Thess.* II, 13, *Galat.* V, 6, et sic cum Valablo optime vertit Noster, « quæ operatur in tolerantia, id est tolerantiam. Sic enim Hebræi loquuntur : Tango in baculo, id est, tango baculum. Sensus ergo est : *Quæ*, scilicet tum exhortatio, tum salus, *operatur tolerantiam*, *q. d.* Exhortatio nostra excitat et animat vos ad spem salutis, ut propter eam nobiscum pro fide Christi adversa quæque fortiter toleretis. Exhortatio ergo operatur tolerantiam effective ad eam excitando ; salus vero inde sperata operatur tolerantiam objective : perinde ac intentio finis operatur amplexum et executionem mediorum (2).

Salus æterna operatur in nobis tolerantiam in genere causæ finalis.

8. QUÆ (tribulatio) FACTA EST IN ASIA, — Ephesi

(1) « Cum omnibus sanctis qui sunt in universa Achaia » voluit igitur Paulus, ut exempla hujus Epistolæ ad alias in Achaia Ecclesias mitterentur, ut tam heri solebat.

(2) Vers. 7. « Scientes, » pro *scientibus* scil. vobis : item in græco pro εἰδότων positum est εἰδότες, quam structuram Græcis non fuisse insuetam ostendit Wolfius ad h. l.

De qua tribulatione hic loquatur Paulus?

a Demetrio, argentario Dianæ, qui seditionem populi contra Paulum excitavit, qua pene oppressus fuit Paulus, *Act.* XIX, 29. Ita S. Thomas et alii passim, unico excepto Cajetano, qui putat hujus tribulationis nusquam alibi in Scriptura fieri mentionem.

SUPRA MODUM GRAVATI SUMUS SUPRA VIRTUTEM. — Hoc est, supra vires naturæ et corporis, non gratiæ et animi; nam ope gratiæ invicto animo tribulationem hanc Paulus pertulit et superavit. « Fidelis enim Deus qui non patietur vos tentari supra id quod potestis (per vires et auxilium non naturæ, sed gratiæ), » inquit ipse I *Cor.* X, 13. Adde, non dicit, Tentatio, sed Gravamen, sive afflictio fuit supra virtutem, quia hæc corpus obruit et extinguit, licet animus servet patientiam, et patientia tentationem vincat.

Tædium vitæ fuit in aliqua hac tribulatione.

ITA UT TAEDERET NOS ETIAM VIVERE. — « Taderet, » per se scilicet, seu naturaliter, ita ut natura maluisset mori, quam tantas afflictiones pati; non autem tædebat spectando charitatem et gratiam Dei, qua fortissime et libentissime ad Dei obsequium quasvis afflictiones tolerabat Paulus. Tale tædium fuit in pluribus Sanctis, uti S. Job, X, 1: « Taedet, inquit, animam meam vitæ meæ. » Et in Elia in persecutione Jesabelis, III *Reg.* XIX, 4, ubi sic orat: « Sufficit mihi, Domine, tolle animam meam: neque enim melior sum quam patres mei. » Græcum ἐξαπορῆσαι significat tædere, significat et anxium et perplexum esse. Hinc Chrysostomus vertit, *ut dubitaremus*; Vatablus, *ut de vita desperaremus*. Unde sequitur: « In nobismetipsis responsum mortis habuimus. »

Nota: Pro *nos*, græce est ἡμᾶς, *eos*; sic et vers. 11: facile ex ἡμᾶς corruptum ὑμᾶς; nam sensus exigit nos, non eos. Græcus enim textus multis in locis corruptus est, ut alibi ostendi.

Vers. 9.

9. SED (ἀλλὰ, id est *sed*, ponitur pro ἀλλὰ καί, id est *quin etiam*) IPSI IN NOBISMETIPSIS RESPONSUM MORTIS HABUIMUS, — ut natura et animus aliud nihil præsagiret et exspectaret, quam mortem; mihique de vitæ statu cogitanti responderet mens et cogitatio mea, esse (ni Deus mire succurreret) moriendum. Ita Ambrosius et Theophylactus.

Per responsum mortis hic possunt intelligi.

Græce est ἀπόκριμα, quod primo, « responsum » significat. *Secundo*, Photius accipit pro crisi medicorum, q. d. Adeo afflicti fuimus, ut a natura et ab aliorum opinione, a viris, inquam, rerum peritis, quasi a medicis, ex morbi et afflictionis crisi desperatæ vitæ judicati simus. *Tertio*, ἀπόκριμα potest capi pro κρίμα, id est sententia damnationis, q. d. Damnationi sententiam visi sumus accipisse, tanquam essemus a judice damnati et destinati ad certam mortem. Ita Syrus.

Vers. 10.

10. QUI (Deus) DE TANTIS PERICULIS NOS ERIPUIT. — Græce, ἐκ τηλικούτου θανάτου, ex tali tantaque morte, id est, mortis periculis tam potentibus et evidentibus. Ita Theophylactus. Ambrosius legit, *de tantis mortibus*.

Est hebraismus. Is hæsi מוֹת *mavet*, id est *mortem*, vocant ingentia discrimina, vehementissimæ afflictiones, luctas et agones morti proximos, ipsamque mortem jamjam affore denuntiantes. Ita Chrysostomus. Sic *Psalm.* XVII, vers. 5 et 6: « Circumdederunt me dolores mortis et inferni, præoccupaverunt me laquei mortis. » Et Paulus, II *Cor.* XI, 23, ait se fuisse in mortibus, id est mortis periculis frequenter.

Immensa periculi fuerunt evasi.

Vers. 11.

11. UT EX MULTARUM PERSONIS FACIERUM. — Ita legunt multa Biblia. Primasius vero ita legit, *ut ex multarum comitatu personarum* (videlicet infantium, juvenum, senum) *pro eo quod cobis donati sumus, Domino gratiæ referantur*; sed corrige cum Romanis et Græcis, *ut ex multorum personis*; vel, ut græce, ἐκ πολλῶν προσώπων, ex multis personis, id est ut multæ personæ gratias agant Deo pro dono in nos collato: Græcum enim πρόσωπον et faciem et personam significat; hic magis personam. Ambrosius legit, *ex multorum facie*, id est, ut multæ facies et ora multa Deo gratias agant, q. d. Ut per multos in magna hominum frequentia publice agantur gratiæ Deo pro liberato et recepto Paulo, communi omnium parente et Apostolo.

Vers. 11.

Evangelia nobiscum Paulo a Luca omnia.

EJUS QUÆ EX NOBIS EST DONATIONIS. — Refer ad *gratiæ agantur*, scilicet *donationis*, id est, ut Vatablus, pro dono in nos collato gratiæ agantur per multos pro nobis. Sicut enim sunt creationis, redemptionis, justificationis, educationis, promotionis, et quorumlibet beneficiorum gratiæ, quæ pro quolibet beneficio beneficiatori ex gratitudine sunt debitæ: ita et donationis sunt gratiæ, quæ pro donatione, sive dono liberationis, vel cujuslibet rei alterius donanti agendæ et referendæ sunt.

Vers. 12.

12. NAM GLORIA NOSTRA HÆC EST, TESTIMONIUM CONSCIENTIÆ NOSTRÆ. — Vocula *nam* dat causam præcedentium, cur scilicet Corinthii pro Pauli liberatione Deo gratias agere, pro eoque orare debeant. Causa hæc est, quod Paulus sit eorum Apostolus, qui sincere, magnaque gratia et efficacia eis evangelizavit, eosque convertit; ut jam hujus rei conscientiam tum suam, tum ipsorummet in testem vocat.

Nota hic, quanta sit vis et quies bonæ conscientiæ. « Nullum theatrum, inquit Tullius in *Tusculanis*, virtuti conscientia majus est. » Et Juvenalis, *Satyr.* 13:

Hæc est summa boni, merces quæ sibi consulta recti est.

Atque S. Augustinus, lib. *Contra Secundinum Manichæum*, cap. 4, tom. VI: « Senti, inquit, de Augustino quidquid libet, sola mihi in oculis Dei conscientia non accuset. » Vide de hac re plura I *Timoth.* I, 5.

NON IN SAPIENTIA CARNALI, — non humana philosophia aut eloquentia prædicavi, sed gratia, zelo, efficacia ac spiritu divino (1).

(1) Vers. 13: « Quam quæ legistis, » in priori edit.

14. GLORIA VESTRA SUMUS, SICUT ET VOS NOSTRA (id est, materia et objectum gloriæ vestræ sumus, sicut vos nostræ estis; ut scilicet gloriemini nobis magistris, et nos gloriemur vobis tam bonis et morigeris discipulis, quod maxime patebit) IN DIE DOMINI, — id est in die judicii, quo Dominus judicium exercebit in omnes.

Vers. 13. Duplex gratia a Paulo Corinthiis exhibita, præsentia, et adventus.

15. VOLUI VENIRE AD VOS, UT SECUNDAM GRATIAM HABERETIS. — Vocat « secundam gratiam » duplex beneficium et geminatum: unum per priorem epistolam, secundum per suum ad eos adventum et præsentiam. Ita Theophylactus. Vel prima gratia est primus Pauli adventus Corinthum, quo eos convertit; secunda gratia est secundus ejus adventus Corinthum ad eos in fide et gratia confirmandos.

Vers. 16.

16. PER VOS TRANSIRE IN MACEDONIAM, — scilicet obiter, ut iterum ex Macedonia venirem ad vos, diutius vobiscum mansurus et omnia visaturus: et hoc est quod ait I *epist.* cap. XVI, vers. 5, se venturum ad eos postquam Macedoniam pertransisset, scilicet venturum ut apud eos moraretur: hic vero ulterius addit se etiam in transitu ad Macedoniam voluisse eos salutare. Ita Græci. Aliter Lyranus et D. Thomas hæc loca conciliant, sed non satis probabiliter. Vide quales gyros, cursus et recursus (quos Lucas in *Actis* tacet) Evangelii causa sofitus sit facere Apostolus, ut dixi in argumento Epistolæ.

Vers. 17.

17. CUM ERGO HOC (venire scilicet ad vos) VOLUISSEM (nec tamen id præstiterim), NUMQUID LEVITATE USUS SUM? — Pro *levitate*, græce est ἐλαφρίᾳ, quæ ab ἔλαφος, id est cervus, deducitur. Nota est enim cervorum levitas et mobilitas, æque ac serpentis astutia, columbæ simplicitas, asini tarditas, elephantis gravitas.

Levitas et inconstantia cavendo, ne ea in nobis reperiatur.

AUT QUÆ COGITO (quæ delibero, statuo: græce enim est ἃ βουλεύομαι), SECUNDUM CARNEM COGITO? — id est statuo, humana prudentia et levitate, quæ ob carnis commoda, lucra, personas nobiliores, imo ob solam naturæ et ingenii mobilitatem, mutabilitatem et inconstantiam facile consilia mutat. Ita Ambrosius.

UT SIT APUD ME EST ET NON, — ut in promissis instabilis sim et vanus, ut modo affirmem me ad vos venturum, modo revocem et negem, ut pueri facere solent. Ita Anselmus; vel affirmantis, ὃ negantis est.

mea Epistola; « et cognovistis » ex conversatione et prædicatione mea apud vos: ita Allioli. Rosenmullerus vero: Eamdem animi integritatem, quam in vita mea experimeris ego, etiam in epistolis meis agnoscetis. Non opus est mihi occulte et anceps scribendi genere: non scribo alia, vel diversa ab iis quæ animo cogito; sed aperte scribo, ut quivis epistolam legens vel statim intelligere possit, vel post secundam lectionem sit intellecturus. — Verba autem quæ sequuntur, « Spero autem quod usque in finem cognoscetis, » junguntur ab Allioli, Storrio, etc., cum sequentibus, ut sensus sit: Spero autem fore, ut perpetuo agnituri sitis, quemadmodum ex parte ante oculos habetis et agnovistis, me vobis ornamento et decori esse.

Vers. 18.

18. FIDELIS DEUS, QUIA SERMO NOSTER QUI FUIT APUD NOS, NON EST IN ILLO EST ET NON, — q. d. Deum veracem testor, vel novit Deus, qui fidelis et verax est testis, me vos docendo non fefellisse, ac proinde nec jam non veniendo ad vos, uti statueram, fallere voluisse.

Levitas et inconstantia omnino cavenda.

Nota: Concionatori levitas morum et inconstantia cavenda, ne ex ea populus fidei et veritatis, quam prædicat, inconstantiam inferat et redarguat.

NON EST IN ILLO (sermone qui præcessit) EST ET NON, — id est affirmatio et negatio, ut scilicet mutem, et quod promisi, negem.

Vers. 19.

19. DEI ENIM FILIUS (q. d. Doctrina et prædicatio mea de Christo Dei Filio. Vide *Can.* 37) NON FUIT EST ET NON (id est varia, inconstans et sibi contraria), SED EST IN ILLO FUIT. — q. d. Fuit constans asseveratio: quia idem semper de Christo affirmavi et docui.

Vers. 20.

20. QUOTQUOT ENIM PROMISSIONES (in veteri Testamento de Messia) SUNT, IN ILLO EST, — in Christo constantes et veraces fuere, in eoque impletæ sunt.

Triplex nota vocis *sic*.

Nota: Apostolum pro *Est, est; Non, non*, usum paronomasia Hebræa אֵן לֹא כֵן, כֵן *ken, ken, ea, ea*; vel *eo, eo; lo, lo*; et sic habet Evangelium Hebraum hunc, *Matth.* V, 37, quod noster Interpres vertit: « Sit sermo vester Est, est; Non, non. » Est autem, cui respondet Græcum ναί, et Latinum *est*, significat *primo*, sic, etiam; *secundo*, rectum, verum. Itaque triplex est ejus usus. *Primo*, notat constantem asseverationem, uti hic passim vers. 17, 18 et 19, opponiturque inconstantiæ et fallaciæ. *Secundo*, notat veritatem, seu id quod res est, opponiturque falsitati. Ita hoc vers. 20. *Tertio*, notat simplicem affirmationem, opponiturque juramento. Ita capitur *Matth.* cap. V, 37: « Sit sermo vester Est, est; Non, non; quod autem his abundantius est (juramentum scilicet), a malo est. » Sic et *Jacobi* V, 12. Rursum nota: « Est » significat affirmationem, quia « est » affirmatum in enuntiatione facit et significat eam esse affirmantem; ut enim sit propositio negans, debet « est » copula propositionis negari. *Secundo*, « est » significat veritatem, scilicet id quod res est, reique constantiam.

Vers. qui sermo affirmatio, affirmatum etiam et verus.

IDEO ET AMEN, — supple, dicimus, id est confirmamus, et veras illas fuisse declaramus; *Amen* enim Hebræis vox est confirmantis. Ita Chrysostomus et Ambrosius. De *Amen* dixi *epist.* I, cap. XIV, vers. 16.

Vers. qui sermo affirmatio, affirmatum etiam et verus.

Quibus adde, *Amen* communiter esse adverbium et significare vere, firmiter, fideliter, stabiliter; subinde tamen esse nomen, ut sit idem quod veritas, firmitas, fidelitas, stabilitas. Sic accipitur *Isai.* LXV, 16: « Jurabit in Deo amen, » id est veritatis, puta, in Deo vero: hoc enim exigit Hebræum régimen genitivi אָמֵן אֱלֹהֵי *Elohe amen*, id est in Deo veritatis, q. d. Tempore Christi, Gentilis quisque non jurabit per Jovem et deos falsos,

uti solebat, sed jam Christianus effectus jurabit per Deum verum, per Christum Christique Evangelia. Sic Deum amen Septuaginta vertunt. Deum verum, *Isa.* XL, 3. Sic Isaias, cap. XXV, vers. 1, vocat cogitationes Dei *fideles, Amen, q. d.* Cogitationes, quæ sunt amen, hoc est ipsa veritas et firmitas, id est verissimæ et firmissimæ. Sic Christus vocatur *amen, Apocal.* III, 14 : « Hæc dicit Amen (græce ὁ ἀμήν, qui est amen, id est stabilis, constans, verus, ipsaque stabilitas, constantia, veritas), testis fidelis et verus, qui est principium creaturæ Dei. » Sic *Apocal.* cap. VII, 12, angeli laudantes exclamant Deo : « Amen (id est veritas), benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor, et virtus, et fortitudo Deo nostro (sit) in sæcula sæculorum, amen. » Id est vere ita sit et fiat ; hic enim ultimum « amen » est adverbium, cum paulo ante fuerit nomen. Sic et hic accipitur : « Per ipsum (Christum) amen (id est veritatem, fidelitatem, constantiam) Deo, » supple, damus et tribuimus, dicentes : Omnia quæ Deus de Christo promisit, sunt amen, id est verissima, et verissimæ a Deo impleta.

AD GLORIAM NOSTRAM. — Noster vertit πρὸς, jam legunt, διὰ ἡμῶν, *per nos* ; Amen scilicet dicitur Deo ad gloriam, non nostram, sed Dei (1).

21. QUI AUTEM CONFIRMAT NOS. — Putant aliqui hic esse ellipsim et supplendum esse : ipse (scilicet Deus qui nos confirmat) impedivit executionem promissionis meæ, scilicet adventum meum ad vos. Longe melius alii hoc referunt ad id quod proxime præcessit, *q. d.* Per Christum impletæ sunt promissiones Dei. Qui autem sua potestate et imperio eas adimplet et præstat, est Deus ipse : Deus enim sicut promisit, ita re ipsa nos confirmat, ungit et signat in Christo. Possent *tertio*, non male hæc referri ad id quod dixit vers. 18 : « Sermo noster non fuit Est et Non, sed Est in illo fuit, *q. d.* Ego in sermone et prædicatione æque ac promissis meis non sum variabilis et inconstans. Deus autem est is qui hanc constantiam mihi præstat, ne quis putet me illam meis viribus et fortitudini arroganter ascribere, cum illam non a me, sed a Deo me habere profitear. Sicut enim Deus est in se et promissis suis « est, » id est stabilis perstat, firmus et immutabilis ; ita et nos confirmat, ut simus in fide et promissis firmi et stabiles (2).

(1) Ratiocinatio Pauli hæc esse videtur : Christus, Filius Dei, ita veritas ipsa est, ut sit omnium etiam rei promissionum complementum, adimpletio et veritas : ergo nostra de Christo, veritate ipsa, et promissionum Dei complemento, prædicatio vera est, nulli mutationi aut contradictioni obnoxia.

(2) Commata 20 et 21 Rosenmullerus a græce sic vertit : Omnes enim promissiones divinæ per eum (Christum propositæ) confirmatæ sunt (eventum suum habuerunt), quæ res homeri Dei cedit, per nostrum ministerium : qui nempe (is nempe) nostram ex, vestram de religione Christiana persuasionem confirmat, est idem ille, qui nos ei inauguravit, hoc est, Deus.

QUI UNXIT NOS DEUS, QUI ET SIGNAVIT NOS, ET DEDIT PIGNUS SPIRITUS IN CORDIBUS NOSTRIS. — Hoc signaculum, sive sigillum, ait Calvinus, est fides specialis et divina, qua quisque certo scit et credit se esse prædestinatum : sed hoc sigillum incertum est et fallax, et hoc fides mendax est, et stulta præsumptio. Nam Apostolus, qui maximam habebat fidem, reprobari timet, I *Cor.* IX, 27 ; non ergo fide divina credebat certo se esse prædestinatum. Unde et passim inculcat, ut omnes fideles et sancti sollicite, cum metu et tremore suam salutem operentur : adimit ergo eis salutis suæ fidem et certitudinem.

Vers. 21 et 22. Fides specialis Calvinistica falsa et vana.

Adde : nemo certus est talem se fidem divinam habere, et semper habiturum ; imo multi a fide etiam hac Calvini defecerunt, qui antequam deficerent, putabant et credebant cum Calvino se esse prædestinatos.

Quinam dicantur secreta Apostolum ad quæ a Deo?

Dico ergo, *signavit*, id est confirmavit quasi sigillo impresso promissiones suas Deus, dando juxta eas pignus futuræ hæreditatis, scilicet gratiam, qua nos unxit et signavit in filios Dei, discrevitque a filiis diaboli. Ita Chrysostomus, Theodoretus, Œcumenius ; quod sigillum Deo omnino certum est et notum, nobis tantum probabile ex conjecturis. Sic ergo confirmatio hæc, unctio et signatio fit per unam eamdemque gratiam. Ita enim *Ephes.* I, 13, ait nos esse signatos Spiritu Sancto quasi pignore.

Secundo, accipi potest hic locus de baptismo ; nam *primo*, in baptismo unxit nos Deus oleo gratiæ suæ ; *secundo*, dedit pignus Spiritus, testimonium scilicet bonæ conscientiæ ; *tertio*, signavit nos charactere baptismi. Vide Bellarminum, lib. II *De Effectu Sacrament.*, cap. XX. Huc refertur expositio Theophylacti et Chrysostomi. « Unxit, ait, nos, et signavit in reges, prophetas et sacerdotes. » Vide Chrysostomum in morali hic *homil.* 3, quomodo Christiani, qui cupiditatibus suis imperant, sint reges a Deo uncti.

Sacramentum Confirmationis hic non sumitur.

Tertio, et maxime apposite dici potest, respicere hic Paulum ad sacramentum Confirmationis, quod statim a Baptismo omnes fideles olim suscipiebant ad se roborandum contra persecutiones ; ait enim : « Confirmavit nos, dedit pignus Spiritus, unxit, signavit, » quæ singula distinguit Apostolus : hæc autem alibi, quam in sacramento Confirmationis, distingui non possunt.

Sacramenti Confirmationis quatuor effectus.

Hisce ergo verbis sacramenti Confirmationis quatuor significat effectus. *Primus* est fidei, qua firmamur in Christo, *q. d.* Ideo, ut dixi vers. 18 et 19, fides et prædicatio nostra de Christo firma est et constans, quia in ea per sacramentum Confirmationis roboravit nos et confirmavit Deus in Christo, id est, per Christum et Christi merita. *Secundus* effectus est charitatis et gratiæ, qua copiose ungimur quasi chrismate spirituali. Hinc græce pro *unxit*, est χρίσας, unde deducitur Chrisma, Christus et Christiani, id est uncti. Hinc S. Augustinus, in *Sententiis*, num. 342 : « Christi, ait, nomen a chrismate, id est ab unctione. Quia ideo omnis Christianus sanctificatur, ut intelligat se non solum sacerdotalis et regiæ dignitatis esse consortem, sed etiam contra diabolum fieri luctatorem. » *Tertius* fructus est pignus Spiritus, quod est testimonium bonæ conscientiæ, suggestum a Spiritu Sancto, quodque est quasi arrha futuræ gloriæ a Spiritu Sancto promissæ et dandæ. Quomodo Spiritus Sanctus dicatur pignus, vel, ut græce est, arrha, dicam *Ephes.* I, 14. *Quartus* fructus est, « signavit, » græce ἐσφραγίσατο, id est sigillavit, scilicet signo ac sigillo crucis in fronte, et in anima charactere, quo nos obsignavit quasi servos, imo quasi milites et duces suos. Ita Ambrosius, lib. *De his qui mysteriis initiantur*, cap. VII, et Suarez, III *part.*, *Quæst.* LXIII, art. 1 et 4.

23. TESTEM DEUM INVOCO IN ANIMAM MEAM. — Ergo licet Christiano jurare, ait Augustinus, *Quæst.* V inter LXXXIII. Jurat enim hic Apostolus, idque juramento execratorio, *q. d.* Si mentior, Deus vindex puniat et damnet animam meam.

QUOD PARCENS VOBIS, NON VENI ULTRA CORINTHUM, — scilicet uti cogerer auctoritate Apostolica contra vitia, et delinquentes in vobis ; sed parcens vobis abstinui, ne, cum correctione ad vos veniens, vos contristarem. Ita Anselmus, et patet cap. II, vers. 1. Hic Paulus assignat veram causam mutatæ suæ promissionis, sive propositi veniendi Corinthum, fuisse scilicet ipsosmet Corinthios, qui a vitiis suis, de quibus priori epistola eos admonuerat, necdum plane abstinentes, merebantur acrius redargui et puniri : sed Apostolus humaniter cum eis agens, hac tantum absentia sua tacite, atque per hanc epistolam aperte voluit eos officii sui denuo admonere, itaque leniter castigare et emendare.

Quomodo Prælati in reprehensione vitiorum se gerere debeant?

Discant Prælati non importune semper carpere et increpare suorum vitia, ne subditi obsurdescant et callum obducant. Adde, quorumdam, præsertim honestorum et verecundorum, vitia melius emendari, si patientia et dissimulatione quodam indicio tantum notentur, quam si aperta reprehensione aut punitione perstringantur et vindicentur, ut docet S. Gregorius, III part. *Pastor.*, cap. VIII et IX.

ULTRA, — post primam scilicet vicem aut epistolam.

NON QUIA DOMINAMUR FIDEI VESTRÆ, SED ADJUTORES SUMUS GAUDII VESTRI. — Est figura, quæ ab oratoribus correctio dicitur, qua emollit correptionis potestatem jam dictam, *q. d.* Dixi me parcere vobis, nolle me vos punire ; ut ita submoniti sponte vos ipsi corrigatis ; id dixi, non quasi imperiosi simus, et quidvis pro arbitratu in religione statuamus, sed ut vos emendemus, itaque correcti gaudeatis et hic et in cœlo. Correptio ergo hæc non tam correptio est quam procuratio et promotio gaudii vestri. Ita Anselmus.

NAM FIDE STATIS. — « Quæ per dilectionem operatur, non per dominium cogitur, » inquit Anselmus, *q. d.* In fide vestra non habeo quod corrigam, sed tantum in moribus, quos, quia fideles estis, non imperiose redarguam, sed leni monitione hac epistola reformabo, ut leniter emendati mecum una omnes gaudeatis : quia enim vere fideles estis, hinc non dubito vos statim meis monitis obsequentes fore.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, asserit se ad eos non venisse, ne tam sibi quam illis esset occasio tristitiæ.

Secundo, vers. 6, hortatur ut fornicarium a se excommunicatum epist. I, cap. V, jam pœnitentem in gratiam recipiant, eumque vers. 10, ab excommunicatione et pœnitentia absolvit.

Tertio, vers. 14, docet se ubique bonum Christi odorem spargere, eumque bonis et fidelibus esse ad vitam, malis et incredulis ad mortem.

1. Statui autem hoc ipsum apud me, ne iterum in tristitia venirem ad vos. 2. Si enim ego contristo vos, et quis est qui me lætificet, nisi qui contristatur ex me? 3. Et hoc ipsum scripsi vobis, ut non cum venero, tristitiam super tristitiam habeam, de quibus oportuerat me gaudere : confidens in omnibus vobis, quia meum gaudium, omnium vestrum est. 4. Nam ex multa tribulatione, et angustia cordis scripsi vobis per multas lacrymas : non ut contristemini, sed ut sciatis, quam charitatem habeam abundantius in vobis. 5. Si quis autem contristavit, non me contristavit : sed ex parte, ut non onerem omnes vos. 6. Sufficit illi, qui ejusmodi est, objurgatio hæc quæ fit a pluribus : 7. ita ut e contrario magis donetis, et consolemini, ne forte abundantiori tristitia absorbeatur qui ejus-

modi est. 8. Propter quod obsecro vos, ut confirmetis in illum charitatem. 9. Ideo enim et scripsi, ut cognoscam experimentum vestrum, an in omnibus obedientes sitis. 10. Cui autem aliquid donastis, et ego : nam et ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi, 11. ut non circumveniamur a Satana : non enim ignoramus cogitationes ejus. 12. Cum venissem autem Troadem propter Evangelium Christi, et ostium mihi apertum esset in Domino, 13. non habui requiem spiritui meo, eo quod non invenerim Titum fratrem meum; sed valefaciens eis, profectus sum in Macedoniam. 14. Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo Jesu, et odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco : 15. quia Christi bonus odor sumus Deo in iis qui salvi fiunt, et in iis qui pereunt : 16. aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam. Et ad hæc quis tam idoneus? 17. Non enim sumus sicut plurimi, adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate, sed sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loquimur.

Vers. 1. 1. STATUI AUTEM HOC IPSUM, — scilicet non venire ad vos et parcere vobis vestrisque delictis, ut dixi cap. I, vers. 23.

Vers. 2. 2. SI ENIM EGO CONTRISTO VOS. — Hoc est, etsi contristavi vos per epistolam primam objurgatricem, tamen jam lætificor vobiscum in fornicarii et vestra pœnitentia et tristitia. Nota : τὸ *si enim* non causale est, sed διορθωτικὸν et explicativum.

ET QUIS EST QUI ME LÆTIFICET, NISI QUI CONTRISTATUR EX ME? — *q. d.* Maxime me lætificat is qui ad meum objurgationem dolet et pœnitet, scilicet incestuosus ille fornicarius quem excommunicavi, *epist.* I, cap. V. Ita Ambrosius (1).

Vers. 3. 3. UT NON CUM VENERO, TRISTITIAM SUPER TRISTITIAM HABEAM. — *q. d.* Volui per epistolam præmissam vos objurgare et corripere, ne coram vos cogerer objurgare : quod mihi valde triste foret.

CONFIDENS IN OMNIBUS VOBIS, — omnino confisus sum fore, ut quod mihi displicere intelligeretis, statim tolleretis : quia mea gaudia existimatis vobis esse communia, et consequenter dolores meos æstimatis esse vestros, ut quod mihi displicet, et vobis displiceat. Hæc omnia eo spectant, ut interim Corinthii se præparent ad Pauli adventum, seque emendent, ne, si videat eos necdum emendatos, tristetur plurimum.

4. QUAM CHARITATEM HABEAM IN VOBIS, — τὴν ἀγάπην, erga vos.

5. NON ME (scilicet solum) CONTRISTAVIT, — fornicarius, de quo *epist.* I, cap. V.

SED EX PARTE, — quia mecum multos alios bonos contristavit, ait Anselmus, qui eum excommunicatum a me e cœtu suo cum objurgatione ejecerunt.

UT NON ONEREM OMNES VOS, — hæc infamia et suspicione, quasi putem non esse multos qui doleant propter illum incestum. Priori enim epistola, cap. V, vers. 2, videbatur omnes culpasse, quasi consentientes vel dissimulantes illum incestum : « Et vos, ait, inflati estis, et non magis luctum habuistis (2). »

Vers. 4. 6. SUFFICIT ILLI OBJURGATIO HÆC, — illa publica scilicet separatio et confusio, qua a tota Ecclesia ejectus est incestuosus. Hinc patet eum post excommunicationem pœnituisse. Unde laxat et absolvit eum Apostolus hic.

Vers. 7. 7. ITA UT MAGIS DONETIS, — hoc est condonetis illi incestuoso longiorem hanc suam pœnitentiam canonicam, eam ad communionem vestram admittendo, et moras diuturnioris pœnæ relaxando; de quo plura vers. 10.

Vers. 8. 8. UT CONFIRMETIS IN ILLUM CHARITATEM, — id est, ut publico Ecclesiæ consensu declarelis vos denuo illum pro fratre complecti. Græce enim peo *confirmides*, est κυρώσαι, id est, ut ratum facialis et decernatis quasi publicis Ecclesiæ comitiis illius restitutionem : κυρία enim sunt comitia, et stati judiciorum dies. Ita Erasmus et Budæus.

Vers. 9. 9. IDEO ET SCRIPSI, — scilicet hanc epistolam, ut confirmetis in illum charitatem, ut præcessit (3).

UT COGNOSCAM EXPERIMENTUM, — ut habeam obedientiæ vestræ experimentum.

Vers. 10. 10. CUI AUTEM ALIQUID DONASTIS (cui gratiam et remissionem fieri per Titum rogastis), ET EGO, — scilicet donari illi et condonari rogo : ita Theodoretus, et colligitur ex cap. VII, vers. 7. Vide *Cor.* 36. Græce est, ᾧ δέ τι χαρίζεσθε καὶ ἐγώ, *cui donatis, et ego*, scilicet dono : nam condonationem hanc necdum fuisse factam patet vers. 7, ubi eam fieri imperat, *q. d.* Sicut congregatis vobis et meo spiritu, illum excommunicavi, *epist.* I, cap. V : sic nunc me vobis adjungo, ut quod me hortante ei condonabitis, et ego condonem.

Prælatis Ecclesiæ, non laicis negotium absolutionis communicatur a D. Paulo.

Nota contra Lutherum, hoc scribi Ecclesiæ præfectis, vel potius ipsi Ecclesiæ, non ut per omnes, etiam laicos, sed ut per Prælatos hanc potestatem absolvendi exerceat; ita tamen ut ex quadam humanitate velit laicos huic absolutioni cooperari, et suo consensu, voto, desiderio, precibus, commiseratione, convictu quodammodo etiam ipsos condonare hoc scandalum sibi et Ecclesiæ sue datum, illiusque justam pœnam sive pœnitentiam canonicam. Vide dicta *epist.* I, cap. V, vers. 4. Unde sequitur : « Nam et ego quod donavi, propter vos in persona Christi. » Ex quo patet Paulum proprie per potestatem et jurisdictionem quasi Christi vicarium condonasse; idque publice in Ecclesia Corinthiorum per Episcopum vel alium Prælatum declarari et promulgari jussisse; Corinthios vero condonasse tantum per preces, consensum et executionem sententiæ et absolutionis Paulinæ.

Id clare docet hic Chrysostomus : « Sicut, ait, cum juberet hominem resecari, non passus est penes illos esse auctoritatem condonandi, dicens : Decrevi tradere ejusmodi Satanæ; ac rursus assumpsit eos in consortium, dicens : Congregatis vobis tradere illum, duas res curans, ut et perferretur sententia, et ne fieret absque illis, ne videretur hic illos hoc facto lædere; ac neque solus eam pronuntiat, ne videretur Apostolus esse præfractus, ipsosque contemnere : itidem et hic facit. »

Ex hoc loco Patet II. pœnitentiæ Ecclesiastica Indulgentia.

EGO QUOD DONAVI, SI QUID DONAVI, PROPTER VOS IN PERSONA CHRISTI. — « Donavi, » id est donare statui et rogavi, vers. 7, et vero nunc per litteras has, perque harum latorem Titum, vel quem alium, dono : vide *Cor.* 30; et est hebraismus, quo præteritum ponitur pro præsenti, « donavi, » id est dono : Hebræi enim carent indicativo, proque eo præterito utuntur.

Absolutionem ab excommunicatione, et indulgentiam plenam donavit Apostolus hic.

Quæritur quid donarit Apostolus? Respondeo : Absolutionem ab excommunicatione; et simul, imo magis, indulgentiam plenam illius incestus, scilicet remissionem omnis pœnæ illi debitæ. Patet, quia hoc erat vinculum illi injectum, *epist.* I, cap. V, scilicet excommunicatio, et simul pœna tum infamis ejectionis ex Ecclesia, tum carnis, qua scilicet corporaliter afflingeretur a Satana. Hic autem ab omni vinculo quo eum alligarat, absolvit. Ita Ambrosius, Anselmus, Chrysostomus, S. Thomas, Primasius.

Secundo, quia *donare*, id est condonare, et, ut Syrus, *remittere*, **proprie dicimur culpam vel pœnam**; nam de excommunicatione sola melius dicitur, Absolvo. Ita Ambrosius. Id clarius significant græca ᾧ δέ τι χαρίζεσθε, *cui aliquam gratiam et indulgentiam præstatis.*

Tertio, quia in gratiam et ob zelum Corinthiorum, obque fornicarii contritionem, pœnam ejus et confusionem, et, ut ait vers. 6, objurgationem relaxat, ne nimia tristitia desperet, ut patet vers. 6 et 7, et cap. VII, vers. 7 et 11; ergo dat ei indulgentias, et has significat vox *aliquid*, cum ait : « Cui aliquid donastis, et ego, » *q. d.* Aliquam pœnæ partem, quam ei condonari rogastis, et ego dono et condono.

Quarto, quia non tantum coram Ecclesia, ut vult Calvinus, sed in judicio divino coram Deo, ei pœnam remittit : hoc enim significat τὸ *in persona Christi* : quia alioqui non fuisset hic indulgentia, aut misericordia fornicario exhibita : præstat enim hic infamia, et quavis pœna corporali puniri, quam ad Dei tribunal et ignem vel infernum vel purgatorii remitti.

Triplex hujus loci explicatio.

Hinc ergo D. Thomas et alii recte docent Apostolum et Ecclesiam dare Indulgentias. Sic olim Martyres in carcere detenti lapsos mittebant ad Episcopos, orantes ut pœnam eis relaxarent, ut patet ex Tertulliano *ad Martyr.*, cap. I, et Cypriano, *epist.* 11, 21 et 22; et Concilium Nicenum, cap. XI et XII, concedit ut lapsis pro animi ardore, quo injunctam pœnam suscipiunt, possit Episcopus indulgentiam præstare : vide Baronium, tom. I, pag. 392. Nota, causam dandæ indulgentiæ esse ne pœnitens desperet. Hinc olim non dabatur indulgentia, nisi bona pars pœnitentiæ esset expleta, idque ne satisfactionis, quæ tertia pœnitentiæ est pars, et disciplinæ vigor laxaretur : ita S. Cyprianus *ad Martyr.*, lib. III, epist. 6. Et Concilium Tridentinum, *sess.* XXV, in decreto de Indulgentiis, jubet in Indulgentiis moderationem adhiberi juxta veterem Ecclesiæ usum, ne nimia facilitate Ecclesiastica disciplina enervetur.

SI QUID DONAVI. — Modeste extenuat suam liberalitatem. Unde Græca addunt : εἴ τι κεχάρισμαι ᾧ κεχάρισμαι, *si quid donavi cui donavi*, in persona Christi, scilicet hoc feci, et donavi.

IN PERSONA CHRISTI. — Græca ἐν προσώπῳ, quod *primo* vertit potest, *in facie Christi*, coram Christo. Ita Theodoretus, Vatablus, quod avide arripit Calvinus et Beza, *q. d.* « Coram Christo, » ex animo, vere et non fucate condono. *Secundo*, et proprie, πρόσωπον est vera persona, *q. d.* Condono vice et auctoritate Christi, cujus personam gero, qui dixit : « Quidquid solveris super terram, erit solutum et in cœlo, » inquit Ambrosius, Anselmus, Syrus, Theophylactus et Theodoretus. Hinc pulchre et nervose vertit Theophylactus, ὡς ἀντιπροσωπος τοῦ Χριστοῦ, quod interpres ejus, vel teste Erasmo, recte vertit, *ac si Christus ei donasset*, cum proprie ad verbum sonet, *quasi persona existens Christi*; uti prorex dicitur regis esse prorex et propersona, quia vice, auctoritate et quasi in persona regis

(1) Bernardinus : Nisi forte is quem mœrore afficere; **ceu, nisi vos, a me tristitia affecti, ea proinde uetuo.**

(2) Vers. 6. D. Chrysostomus : Dixi *ex parte*, non quod vos minorem inde mœrorem acceperitis, quam ego; sed ne illum qui stuprum perpetravit, nimium onerem. De Indulgentius cum eo agerem, dixi ex *parte*. Berardinus : Si quis contristavit, non me solum contristavit, sed etiam vos omnes ex parte, id est, saltem aliquateuus, ita ut vos non accusem, quasi delicto consentientes. Rosemullerus : Si quis (nempe incestuosus ille) tristitiæ auctor exstitit, non tam me, quam populus quodammodo, ne quid gravius dicam, vos omnes mœrore affecit.

(3) Ait versus 9 et 10 sic interpretandus : *Scripsi*, priorem nempe epistolam, *ut experirer an mihi per omnia obedientiam vitis præstiturі. Si cui quid condonatis, et ego illud ratum habeo; nam quidquid ego condonani, si aliquid condonasse dicendus sum, id condonani propter vos*, id est, testificandi in vos favoris mei causa, *approbante Christo* : quasi Paulus cogitasset, properdens Corinthiorum animos ad remittendam aliquam ejus pœnæ partem, postquam ille incestus reus per menses aliquot communione carnerat.

mandat, sancit, regit, imperat, absolvit et remittit. Sicut enim Paulus, *epist.* I, cap. V, vers. 4, hunc fornicarium excommunicavit in nomine et virtute Jesu Christi, ut ibidem ait : ita hic eumdem absolvere non potuit, nisi in nomine, virtute et persona Christi, perinde ac damnatus a prorege, nonnisi a prorege absolvi potest.

11. UT NON CIRCUMVENIAMUR A SATANA. — Ne decipiamur, ne scilicet fornicarius ille ob nimium rigorem a Satana in desperationem impellatur. Græce ἵνα μὴ πλεονεκτηθῶμεν, ne occupemur et usurpemur velut ab injusto possessore Satana. Nam πλεονεκτεῖν est frandare, extorquere, occupare quod tuum non est, ut faciunt avari, fœneratores et tyranni. Vide Chrysostomum et Theophylactum. Unde Ambrosius vertit, *ne possideamur a Satana*; non enim, ait Theophylactus, Satanas ad se pertinentia, sed nostra et quæ Christi sunt, rapit, cum animas et capit et decipit. Unde pro eo quod sequitur : « Non enim ignoramus cogitationes ejus, » Tertullianus, lib. *De Pudicit.*, cap. XIII, legit : « Non enim ignoramus injectiones ejus, » puta rapinas ejus.

NON ENIM IGNORAMUS COGITATIONES EJUS. — Vide olim, teste Plutarcho in *Lacon.*, Chabrias, et vere : « Optimus est imperator, qui maxime cognitas res habet hostium. » Pari modo optimus est dux pariter et miles Christianus, qui optime novit consilia et machinationes hostium, præsertim Satanæ : ipse enim transfigurat se in angelum lucis, ut videatur nobis esse amici et angeli consilium et suggestio, quæ est inimici et diaboli. Experimur sæpe nobis suggeri suspiciones, simultates, amaritudines animi, iras, tristitias noxias, pusillanimitates, etc., putamusque nos justa causa et ratione moveri, hæcque a nobis provenire, cum proveniant et suggerantur a diabolo in nostram perniciem. Quare Christianus in talibus reflectat, an tales suggestiones sint secundum charitatem, humilitatem, patientiam, gratiam et legem Christi; sique videat eis esse contrarias, sciat esse diaboli : si dubitet, cum Superiore, confessario, aut viro prudente conferat. Longa experientia id didicit et docuit S. Antonius, qui proinde assidue has diaboli cogitationes et technas suis discipulis detegere et explicare, modumque eas dissipandi suggerere solebat, uti patet ex ejus Vita apud S. Athanasium. Idem sæpius fecit S. Franciscus, itaque multos e suis a diabolica tentatione liberavit, uti refert S. Bonaventura, lib. I Vitæ ejus, cap. XI.

Ita ergo Satanas hic concitabat primores Ecclesiæ Corinthiorum ad iram et indignationem in hunc fornicarium, quasi qui primum nitorem suæ Ecclesiæ hac tam turpi nota maculasset, ut ei se duros et rigidos præberent; itaque ipse omni consolatione et spe destitutus, animum abjiceret, et desperaret. Hoc Satanæ consilium vidit Paulus, illudque hic discutit, monens ut in gratiam eum recipiant, eique jam pœnitenti veniam et remissionem indulgeant.

12. CUM VENISSEM TROADEM, ET OSTIUM (OPPIDUS VERS. IT. magnus) MIHI APERTUM ESSET IN DOMINO (in negotio Domini, scilicet ad propagandum ejus Evangelium : ita Anselmus), 13. NON HABUI REQUIEM VERS. 13. SPIRITU MEO (in spiritu, id est in animo meo) EO QUOD NON INVENERIM TITUM. — interpretem meum, ait Hieronymus *ad Hedibiam*, qui divinorum sensuum meorum majestatem græci eloquii digno explicaret sermone. Fuit et alia causa cur Paulus Ratione ob quam Paulus Troade perrexerit in Macedoniam ad occurrendum Tito : quod scilicet a Tito quem Corinthum submiserat, avebat cognoscere statum Corinthiorum, antequam Corinthum, uti promiserat, rediret. Unde cap. VII, vers. 6, dicit se in Macedonia consolatum fuisse in adventu Titi referentis Corinthiorum fletum et desiderium Pauli. Videtur autem Titus renuntiasse Paulo necdum esse maturum tempus redeundi Corinthum. Unde Paulus iter suum ad Corinthios distulit, et hanc ad eos præmisit epistolam, quæ viam sibi ad eos sterneret, defectusque Corinthiorum corrigeret. Troade Titum exspectaverit in Macedoniam.

14. DEO GRATIAS, QUI SEMPER TRIUMPHAT NOS IN CHRISTO. — « Triumphat, » id est triumphare facit, vide *Can.* 32. Ita Ambrosius, Anselmus. Huc pertinet versio Syri et Theophylacti : « triumphat nos, » id est conspicuos facit et ostendit; triumphus enim dicitur, per mediam urbem eum trophæis aliisque victoriæ signis progressio imperatoris victoris : sic et Deus nos victoria et trophæis de diabolo relatis conspicuos quasi triumphare facit; quæ enim videntur passiones esse et contumeliæ, sunt gloria et triumphus noster, ait Theophylactus. *Secundo*, idem Anselmus, « triumphat nos Deus, » id est de nobis, vel per nos triumphum agit de dæmone, *Coloss.* II, 15. Ita et Græci.

Videtur Apostolus in Macedonia acres persecutiones pertulisse; unde cap. VII, 5, dicit se ibi omnem tribulationem passum : foris pugnas, intus timores; sed Dei gratia hæc omnia superavit cum gloria et triumpho. Pulchre S. Hieronymus, epist. 150 *ad Hedibiam*, Quæst. XI, docet Apostolum hic agere gratias Deo, quod dignum se elegerit, in quo ageret triumphum Filii sui in victoria tot persecutionum et malorum, quæ subibat in Gentium conversione ad Christum. « Triumphus enim Dei est, inquit Hieronymus, passio Martyrum pro Christi nomine, cruoris effusio, et inter tormenta lætitia. Cum enim quis viderit tanta perseverantia stare martyres atque torqueri, et in suis cruciatibus gloriari, odor notitiæ Dei disseminatur in Gentes, et subit tacita cogitatio, quod, nisi verum esset Evangelium, nunquam sanguine defenderetur. » Sic ergo triumphat in Apostolis prædicatio Evangelii, in qua fides vincit infidelitatem, veritas mendacium, charitas Christi malevolorum odia, patientia cruces omnes, persecutiones et mortes. Triumphus Dei est martyrum Martyrum.

ET ODOREM (famam et suavissimam cognitionem) NOTITIÆ SUÆ MANIFESTAT.

15. CHRISTI BONUS ODOR SUMUS, — bonam Christi famam verbo et exemplo spargimus in honorem Dei (1).

Nota : Bonus odor ex præstantibus herbis, vel pretiosis aromatibus exhalatur. Talis est Apostolorum et prædicatorum fama, gloria et decus ex virtutibus ipsorum ortum, et meritis ipsorum debitum. Hinc Sponsa, id est Ecclesia, *Cant.* VII, 1, scitissime comparat areolis aromatum, in quibus videre est venustatem, amœnitatem et pulchrum ordinem vernantium herbarum et odoratorum florum, ex quibus fragrantes spiritus exhalantur. Et hoc est quod jubet Christus, *Matth.* V, 16, cum ait : « Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, » ubi alia metaphora gloriam et bonam famam appellat splendorem ex bonorum operum luce manantem et productum.

Præclare S. Bernardus, serm. 12 *in Cantic.* : « Paulus, ait, vas electionis, revera vas aromaticum, vas odoriferum, et refertum omni pulvere pigmentario; Christi enim erat bonus odor in omni loco. Multæ profecto suavitatis fragrantiam longe lateque spargebat pectus illud, quod sic affecerat sollicitudo omnium Ecclesiarum. Vide enim quales species et aromata concervarat sibi : Quotidie, inquit, morior propter vestram gloriam. Et rursum : Quis infirmatur, et ego non infirmor? »

Ubi nota *secundo* : Sicut aromata quo magis conteruntur, eo majorem spirant fragrantiam : ita Christus, Apostoli, Martyres omnesque Sancti, quo magis persecutionibus et tribulationibus pressi et quasi contriti fuerunt, eo suaviorem virtutis suæ sparserunt odorem.

Vide Ambrosium et Anselmum, vide et Bernardum, serm. 71 *in Cant.* de spirituali colore et odore virtutum, in illud, *Ego flos campi, et lilium convallium*. « Habent, inquit, mores colores suos, habent et odores; odorem in fama, colorem in conscientia. Colorem operi tuo dat ejus bonitas et cordis intentio; odorem, modestiæ et virtutis exemplum. Justus lilium est in se candidum, sed proximo odoratum : proximo enim famam, nobis debemus et providemus conscientiam. » Huc alludens S. Hieronymus : « Ea, inquit, debet esse conversatio et vita Pontificis (Pastoris et doctoris), ut omnes motus et gressus, atque universa ejus opera cœlestem redoleant gratiam. » Mores omnes colores et odores habent.

Quin et ita subinde profani scriptores, odoris metaphora in moribus taxandis utuntur. Sic Martialis :

Postume non bene olet, qui bene semper olet :

Insinuans, eum de pudicitia esse suspectum, qui peregrino semper odore, morbi sui pudendi fœtorem molliebatur dissipare. Certe de S. Catharina Senensi virgine accepimus, eam solitam nares occludere, cum sibi forte quis obscenior, et venereis criminibus obnoxius occurrisset, tam scilicet gravis ei erat etiam ipsorum scelerum odor, Deo id in virgine illa castissima permittente. D. Basilius refert *epist.* 175, ancupes quosdam consuevisse columbarum ciorum pennas inficere odore quodam qui columbis aliis gratissimus sit, quo pellectæ plerreque in decipulam abducuntur. Ita faciendum Christiano, ut suarum virtutum odore perditos ad Christum abducat. Quemadmodum Cæcilia virgo Valerianum sponsum suum lucrata est Christo, cum ille prima nuptiarum nocte fragrantissimum castitatis odorem instar vernarum rosarum, in conclavi sponsæ suæ essel odoratus.

(1) Alii : « Bonus odor sumus Deo, » id est, munus nostrum in propaganda Christi religione Deo gratum et acceptum est, sive, etc.; sicut hostiæ et thymiamata veteris legis dicebantur offerri Deo *in odorem suavitatis*.

VERS. 16.

16. ALIIS QUIDEM ODOR MORTIS IN MORTEM, ALIIS AUTEM ODOR VITÆ IN VITAM. — *q. d.* inquit Theophylactus : « Sumus vera acerra (thuribulum) regia, et quocumque abierimus, odorem spiritalis unguenti circumferimus, cognitionis videlicet Dei bono suffita in omni loco homines afflamus. » Rursum, « sicut fragrantia unguenti columbam vegetat, scarabæum necat, inquit ex Niceno Œcumenius; et sicut lumen solis oculos sanos recreat, debiles offendit; ignis aurum purgat, stipulam absumit : sic Christus malis in ruinam, bonis in resurrectionem. » Apostoli bonis odor vitæ fuerunt; malis, odor mortis; et Eucharistia « mors est malis, vita bonis. » Nota hebraismum : *Odor mortis in mortem*, id est, odor mortifer, mortem afferens; *odor vitæ in vitam*, id est, odor vitalis, vitam afferens. Fragrantia enim et fama vitæ, prædicationis et conversionis Apostolorum, bonis aspirabat vitam, improbis mortem : quia tantum sanctitatis fulgorem improbi non ferentes, in sua improbitate, invidia, odiove sese magis obfirmabant. Petro Clemens Alexandrinus, lib. II *Pædagogi*, legit, *odor ex morte, et odor ex vita*, *q. d.* Prædicatio crucis et mortis Christi est odor ex morte incredulis, qui oritur ex morte Christi, et cedit in eorum exitium qui mortem Christi tantum ut mortem considerant, quibus illa videtur esse stultitia vel scandalum : credentibus vero est odor ex vita, quia ipsi vitam in hac morte propositam amplectuntur. Hæc enim mors in Christo fuit causa resurrectionis ad vitam gloriosam, in nobis vero est causa resurrectionis ad vitam gratiæ in hoc sæculo, et ad vitam gloriæ in futuro. Sensus horum verborum. Eucharistia mors malis, vita bonis.

ET AD HÆC QUIS TAM IDONEUS? — *q. d.* Quam pauci tam idonei ministri, qui ubique sint bonus odor Christi! Ita Ambrosius.

17. NON ENIM SUMUS SICUT PLURIMI, ADULTERANTES VERBUM DEI. — Significat vox *enim*, Paulum cum paucis aliis Apostolis per Dei gratiam idoneum esse ministrum Christi, qui Evangelii bonum odorem passim dispergat, uti præcessit, cum plurimi alii sint Evangelii præcones inidonei, mali odoris et famæ. VERS. 17.

Nota τὸ *adulterantes*. Adulterat, inquit Salmeron, qui se uxori non suæ conjungit ; adulterat ergo verbum Dei, qui veritati falsitatem conjungit. Unde S. Gregorius, lib. XXII *Moral.*, cap. XII : « Adulterari, inquit, verbum Dei, est aut aliter de illo sentire quam est, aut ex eo non spirituales fructus, sed adulterinos fœtus quærere laudis humanæ. Ex sinceritate vero loqui, est nil in eloquio extra quam oportet, scilicet et auctoris et creaturæ aliorum quærere. » Idem, lib. XVI *Moral.*, cap. XXV : « Adulter, ait, non prolem, sed voluptatem quærit. Et perversus quisque ac vanæ gloriæ serviens, recte adulterare verbum Dei dicitur, qui per sacrum eloquium non Deo filios gignere, sed suam scientiam desiderat ostentare. Quem enim laudis gloriæ ad loquendum trahit, voluptati magis quam generationi operam impendit. »

Verum pro *adulterantes* in Græco non est μοιχεύοντες, quod proprie marchiam et adulterium significat ; sed καπηλεύοντες, id est cauponantes, quibus opponit Paulus sinceros et sinceritatem. Cauponantur verbum Dei, qui instar cauponum prædicant Evangelium ad quæstum ex eo colligendum, illudque referunt ad sua lucra. Noster tamen recte vertit, *adulterantes*, quia sicut caupones sæpe vina aliaque quæ vendunt, aliis rebus commiscent, vitiant et adulterant pro quæstu : ita et avari pseudoprædicones Evangelii, sua lucra miscent Evangelio, itaque Evangelicam prædicationem quæ pura esse debet, pureque referri ad solius Dei gloriam, sua avaritia vitiant, contaminant et adulterant, dum ea ad quæstum abutuntur, ait exponit S. Gregorius. Sic, « non cauponantes multum, sed belligerantes, » olebat Pyrrhus rex. Cauponari enim ignavi metuentes prælium, illud transactione et pretio redimunt ; alii fidem suam duci datam, urbes et arces sibi creditas, pretio quasi caupones, hosti qui cum eis cauponatur, vendunt.

Pseudoprædicones verbi Dei suam lucra adulteri et cauponantur.

Rursum fidem pseudoprædicones, ut hæc sua lucra hominumque gratiam captent, sæpe docent et concionantur placentia principibus aut populo, cujus aures scalpunt, itaque vana et falsa dogmata miscent Evangelio, illudque corrumpunt et adulterant. Videtur enim Apostolus hic obiter taxare hostes suos pseudoapostolos, qui christianismum judaismi mixtione adulterabant, quos acriter et ex professo insectatur cap. X et XI. Unde καπηλεύοντες, id est, *adulterantes*, cap. IV, 2, exponit δολοῦντες, id est, dolose tractantes verbum Dei. Hinc etiam hisce dolosis et falsariis, cap. III seq., opponit se aliosque sinceros Christi Apostolos, de quibus mox hic subdit :

SED EX SINCERITATE, SED SICUT EX DEO, CORAM DEO, IN CHRISTO LOQUIMUR. — *q. d.* Non sum caupo, ut pseudoapostoli, sed sincerus verbi Dei præco, qui non alia prædico quam a Deo didici, quamque ex Dei ore quasi illius legatus accepi : quique scio, et assidue memor sum, cogitoque me coram Deo stare et prædicare, omnia mea ab eo videri, audiri et notari, ut a me in hora mortis omnium rationem exigat.

Nota : τὸ *in Christo* idem est quod pro Christo, ait Hieronymus *ad Heliodorum* ; vel, de Christo, de re et doctrina Christi, de religione Christiana, *q. d.* Unius Christi doctrinam et religionem prædico, unius Christi honorem et gloriam propago et specto. Ita Ambrosius et Anselmus.

Potest *secundo*, τὸ *in Christo* accipi efficacius pro in Christi veritate, fidelitate et sinceritate, scilicet loquor et prædico. Vide *Can.* 25 et 37. Aliter S. Chrysostomus : « in Christo, » inquit, id est, per Christum et Christi gratiam.

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, asserit Paulus se non captare, nec indigere commendatione hominum, ut pseudoapostoli adulteratores eamdem captabant : cum fructus suæ prædicationis se satis commendet.

Secundo, vers. 6, causam hujus rei adfert, quod scilicet Apostoli aliique ministri novi Testamenti ea spiritus majori honore et gloria a Deo decorati sint quam Moses, aliique ministri veteris Testamenti et litteræ.

Tertio, vers. 13, docet quod Judæi velamen adhuc habeant super cor suum in lectione veteris Testamenti, ut Christum in eo non agnoscant, illum agnituri, cum velamen hoc in fine mundi per Christum auferetur.

1. Incipimus iterum nosmetipsos commendare, aut numquid egemus (sicut quidam) commendatitiis epistolis ad vos, aut ex vobis? 2. Epistola nostra vos estis, scripta in cordibus nostris, quæ scitur et legitur ab omnibus hominibus. 3. Manifestati quod epistola estis Christi, ministrata a nobis, et scripta non atramento, sed spiritu Dei vivi : non in

tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. 4. Fiduciam autem talem habemus per Christum ad Deum : 5. non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis ; sed sufficientia nostra ex Deo est, 6. qui et idoneos nos fecit ministros novi Testamenti, non littera, sed spiritu : littera enim occidit, spiritus autem vivificat. 7. Quod si ministratio mortis litteris deformata in lapidibus, fuit in gloria, ita ut non possent intendere filii Israel in faciem Moysi propter gloriam vultus ejus, quæ evacuatur : 8. quomodo non magis ministratio Spiritus erit in gloria? 9. Nam si ministratio damnationis gloria est, multo magis abundat ministerium justitiæ in gloria. 10. Nam nec glorificatum est quod clarnit in hac parte, propter excellentem gloriam. 11. Si enim quod evacuatur, per gloriam est : multo magis quod manet, in gloria est. 12. Habentes igitur talem spem, multa fiducia utimur : 13. et non sicut Moyses ponebat velamen super faciem suam, ut non intenderent filii Israel in faciem ejus, quod evacuatur, 14. sed obtusi sunt sensus eorum. Usque in hodiernum enim diem idipsum velamen in lectione veteris Testamenti manet non revelatum (quoniam in Christo evacuatur) ; 15. sed usque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum. 16. Cum autem conversus fuerit ad Dominum, auferetur velamen. 17. Dominus autem Spiritus est. Ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas. 18. Nos vero omnes, revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tanquam a Domini Spiritu.

1. INCIPIMUS ITERUM NOSMETIPSOS COMMENDARE. — Quia in fine præcedentis capitis visus erat Apostolus se laudare captareque Corinthiorum gratiam : hinc suspicionem cenodoxiæ hic a se amolitur.

NUMQUID EGEMUS COMMENDATITIIS EPISTOLIS AD VOS AUT EX VOBIS? — « Ex, » id est, a vobis scriptis epistolis, quibus apud alios commender (1)?

2. EPISTOLA NOSTRA VOS ESTIS. — Vos, o Corinthii, mea opera conversi, estis mihi instar epistolæ commendatitiæ ab omnibus lectæ et intellectæ, quam pro mea commendatione exhibeo, quibus volo ; sicut enim opus commendat opificem, et sigillum rei signatæ facit fidem : sic vos quasi epistola commendatitia a vobis obsignata me commendatis. Omnes enim sciunt quales fueritis ante conversionem, scilicet intemperantes, gulæ, libidini aliisque vitiis et cupiditatibus addicti (erat enim Corinthus emporium celeberrimum, ut omnium mercium, ita et vitiorum). Jam vero vident vos per meam prædicationem totos esse mutatos in alios homines, temperantes, castos, mites, humiles, pios, eleemosynarios. Hæc ergo vestra conversio est mea epistola commendatitia, id est, testimonium et commendatio publica meæ prædicationis apud omnes gentes.

Merita Corinthiorum adversus ex Pauli prædicatione.

RURSUM : EPISTOLA NOSTRA VOS ESTIS SCRIPTA IN CORDIBUS NOSTRIS, — *q. d.* Vos a me conversi estis indelebiliter animo meo inscripti inscalptique. Ubi nota : Paulus hanc epistolam bis scripsit. *Primo*, in scipsa, cum in Corinthiorum mente fidem et spiritum Christi inseruit et inscripsit. *Secundo*, eamdem scripsit et impressit in corde suo per eorum curam et amorem. *Tertio*, vos etiam estis *epistola Christi*, quorum scilicet in cordibus, ministerio meo quasi calamo inscriptus est Christus, ipseque Christus in iis per me et meam prædicationem, suam fidem, spem, charitatem et reliqua bona inscripsit non atramento, sed Spiritu Dei vivi, id est Spiritu Sancto ejusque afflatu et aspiratione, qua spiritum charitatis et virtutum mentibus vestris inseruit. Ita Anselmus et passim Græci et Latini.

3. SCRIPTA IN TABULIS CORDIS CARNALIBUS. — Vers. 3. Græce σαρκίναις, id est *carneis*, puta in corde molli, ductili, docili, non in lapide duro, ut lex Moysis. Alludit ad Jeremiam, cap. XXXI, vers. 33. Ita Ambrosius.

Nota : Distinguit Apostolus hæc duo σάρκινος et σαρκικός : σάρκινος vocat *carneum*, constantem carne, sive naturali carnis conditione et teneriludine ; σαρκικὸν vero vocat *carnalem*, qui carnis habet vitia et corruptelas, ut *Rom.* VII, 14 : « Ego autem carnalis (σαρκικὸς) sum, venumdatus sub peccato. » I *Corinth.* III, 3 : « Cum sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales (σαρκικοὶ) estis? » Sic alibi carnalia vocat desideria. Alii tamen auctores hæc non distinguunt. Unde Nazianzenus τὸ σάρκινον τοῦ Χριστοῦ vocat incarnationem et humanitatem Christi (2).

Σάρκινος et σαρκικὸς quomodo differant?

4. FIDUCIAM TALEM HABEMUS PER CHRISTUM AD DEUM. — Pro *fiduciam*, græce est πεποίθησιν, quam est Vers. 4.

(1) Dicit hoc Apostolus, aliorum deridens ambitionem, ut sit sensus : Non opus est mihi commendatitiis litteris, qualies ostendunt illi adversarii mei et falsi Apostoli ad captandam benevolentiam. Pungi videntur adversarii e Palæstina potissimum adventantes : ita Alliodi.

(2) Vers. 3. Hæc Bernardinus : Explicat ex quasi corrigit quod supernus dixit : Epistola nostra vos estis ; q. d. Quin potius estis epistola Christi, nostro ministerio scripta. *Manifestati*, id est, manifestum est per fidem et opera vestra quod estis epistola Christi, etc.

persuasio cum animi confusione et confidentia, qua animus se erigit tenditque in bonum aliquod arduum quod concupiscit, quasi certo idipsum consecuturus sit. Talis est fiducia quæ suggeritur Sanctis a Spiritu Sancto ad facienda miracula, vel opera virtutum heroica, quam Deus non tantum in patrante, sed etiam in suscipiente miraculum, aliudve Dei donum, quasi congruam dispositionem exigere et præmittere, prinsque donare et inspirare solet, ut anima per confidentiam hanc se dilatans et erigens, miraculi vel doni illius fiat capax, *q. d.* Persuasionem hanc et confidentiam, quod scilicet vos sitis epistola nostra scripta spiritu Dei vivi, habemus per gratiam Christi apud Deum, scilicet in Deum sperantes, et certo confidentes, quod ipse, uti cœpit, ita perget epistolam hanc spiritu suo perscribere et perficere. Hinc *secundo*, « fiduciam, » id est confidentiam, habemus ad Deum, quia confidenter gloriamur in Deo de hac Dei nostraque epistola, deque ministerii nostri dignitate et fructu præ ministerio Mosis et aliorum veteris Testamenti ministrorum. Ita Anselmus, et patet ex sequentibus.

Fiducia Sanctorum qualis sit ad patrandas miracula.

5. NON QUOD SUFFICIENTES SIMUS COGITARE ALIQUID A NOBIS. — « Aliquid, » scilicet boni, quod spectet et ordinetur ad fidem, gratiam, meritum et salutem æternam, ut quis idoneus sit minister novi Testamenti, ut præcessit. Quod si ex se nemo potest cogitare tale aliquid, ergo multo minus operari. Ita Concilium Arausicanum, *can.* 7, et D. Augustinus, *De Prædest. Sanctorum*, cap. II.

Fidei salutisque initium non est ex libero arbitrio. Libem arbitrio. Pelagii, Rezæ et Calvini errores confutati.

Hinc *primo*, contra Semipelagianos docet ibidem Augustinus et ex eo Scholastici, voluntatem credendi, et omne fidei salutisque initium ad desiderium non esse ex libero arbitrio, sed ex gratia præveniente. Unde falso hic Beza impingit Scholasticis, quasi hinc docerent nos a nobis principium habere boni, sed infirmum et insufficiens; omnes enim docent principium bonæ et sanctæ vitæ, cogitationis, actionis et salutis esse supernaturale, et a Dei gratia oriri, non a natura aut bonitate voluntatum.

Secundo, falso Calvinus ex hoc loco putat in libero arbitrio nullas esse vires quas exerat in operibus gratiæ; sed omnem sufficientiam, id est omnes vires omnemque conatum et actionem esse gratiæ : nam Apostolus tantum ait, liberum arbitrium ex se esse insufficiens, non autem nullas habere vires : sicut ergo homo infirmus debiles habet vires, sed insufficientes, ad ambulandum; sufficientes autem, si quis eas erigat, juvet et sustentet, sicque motui et ambulationi det initium et adjumentum : ita et liberum arbitrium ad bona opera ex se debile est et infirmum; sed sufficiens, si a gratia præveniente excitetur, roboretur, adjuvetur.

Dices : Sufficientia hic capi potest pro virtute, viribus et potentia cum Theophylacto et Syro. Respondeo : Et hoc verum est; nam potentia et vires liberi arbitrii ad opus supernaturale et gratiæ, qua supernaturale est, Deo gratum, et dignum ac meritorium vitæ æternæ, non sunt ex libero arbitrio, sed ex gratia excitante et cooperante : qua habita sufficiens est liberum arbitrium ut libere credat, amet et quidvis supernaturale operetur. Nam liberum arbitrium in omne opus habet vires naturales, ut producat opus liberum; ergo duæ hic concurrunt causæ ad idem opus : una naturalis, scilicet liberum arbitrium; secunda supernaturalis, scilicet gratia; et cuique suus respondet effectus : gratiæ respondet, quod sit opus virtutis supernaturalis; libero vero arbitrio, quod sit liberum et humanum : vide *Can.* 15. Sic homo valde infirmus non tantum insufficiens, sed et impotens est ad ambulandum, quia supra vires ejus est ambulare; fit autem potens, si robur ei aliud a socio aut aliunde addatur, tuncque viribus ipse suis (licet infirmis) simul influit cum viribus socii vel roboris sibi additi in motum et ambulationem : sed ita ut robur additum eum prævenire, et quasi ambulationem inchoare debeat, omnisque vis et energia ad ambulandum hic et nunc sit in robore addito. Quod enim supra vires suas infirmus conetur ambulare, et ambulet, id habet non a se, aut viribus suis, ut patet, sed a robore addito : eo tamen addito ipse viribus suis simul connititur ambulare, et in ambulatione facit quod potest, nisumque et motum viribus suis respondentem et commensuratum efficit et producit. Ita plane simili modo liberum arbitrium gratiæ cooperatur excitanti, ejusque influxui supernaturali in opus supernaturale concursum præbet naturalem, sibi suæque naturæ viribus commensuratum.

Deus concurrit ad idem opus supernaturale cum libero arbitrio et gratia.

Moraliter ex hoc loco discimus in omni opere bono agnoscere infirmitatem nostram, omnemque illius bonitatem et dignitatem tribuere gratiæ Christi. Ita S. Gregorius, lib. XXII *Moral.*, cap. XIX : « Nemo, inquit, se alicujus virtutis nostra timet etiam cum quid fortiter potest : quia si divina protectio deserat, ibi repente enerviter obruetur, ubi se valenter stare gloriatur. » Et S. Augustinus, lib. II *Contra Julianum*, cap. VIII, laudat hanc S. Cypriani vocem, qua Pelagianos confutat, dicens : « Ipsi (Pelagiani) confidunt in virtute sua et clamant : Perfectio nobis virtutis a nobis est; tu (o Cypriane) autem reclamas : Nemo suis viribus fortis est, sed Dei indulgentia et misericordia tutus est. » Idipsum canit Psaltes, *Psal.* LVIII : « Fortitudinem, ait, meam ad te custodiam, » id est fortitudinem meam apud te quasi custodiæ locum secure reponam, sperans non meis, sed tuis viribus fore me semper hostibus meis superiorem, quia tu es fons omnis virtutis et fortitudinis, ut ait ibidem S. Augustinus. Unde Cassiodorus sic exponit : « Fortitudinem meam per te custodiam; » Genebrardus vero sic : « Fortitudinem meam ad te referam, » eamque tibi acceptam feram. Peccavit in hoc Pharao, rex Ægypti, dicens, *Ezechiel.* XXIX, 3 : « Meus est fluvius (Nilus

Locus moralis de omni opere supernaturali.

Deus solus est auctor gratiæ et boni.

Deus solerter hostes.

Res nemo est ex seipsa tantum bona, sed, si, litteræ occidit.

Ægyptus), et ego feci memetipsum (regem tam potentem Ægypti); » ideoque audivit a Deo, vers. 5 : « Projiciam te : bestiis terræ et volatilibus cœli dedi te ad devorandum. »

Rursum ex hoc Pauli loco discimus orare Deum assidue, ut nostras cogitationes dirigat, piasque et sanctas immittat. Illæ enim omnium bonorum operum fons sunt et principium. Qua de re ita orat Ecclesia : « Largire nobis, quæsumus, Domine, semper spiritum cogitandi quæ recta sunt propitius, et agendi : ut qui sine te esse non possumus, secundum te vivere valeamus. » Denique docte et pie S. Bernardus, serm. 32 *in Cant.* : « Non quod sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis tanquam ex nobis (subaudi bonum), sed sufficientia nostra ex Deo est. Cum ergo mala in corde versamus, nostra cogitatio est; si bona, Dei sermo est : illa cor nostrum dicit, hæc audit. Audiam, ait, quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam. Itaque pacem, justitiam, pietatem Deus in nobis loquitur : nec talia nos cogitamus ex nobis, sed in nobis audimus. Cæterum homicidia, adulteria, furta, blasphemiæ, et his similia de corde exeunt, nec audimus ea, sed dicimus; » aut certe diabolus ea nobis immittit et suggerit.

Litteræ moraliter occidunt.

6. QUI ET IDONEOS NOS FECIT. — Græce ἱκάνωσεν, fecit nos sufficientes, ut vertit Noster vers. præcedent. Syrus, *fecit nos dignos ministros novi Testamenti.*

NON LITTERÆ, SED SPIRITUS, — non lege, sed gratia, *q. d.* Minister sum novi Testamenti, non ita ut tabulas legis et fœderis, ejusque verba et voces afferam, uti in veteri Testamento fecit Moses; sed ut per verba mea Deus spiritum suum sanctosque impulsus vobis immittat. Ita Ambrosius, Anselmus, Chrysostomus. Vide Augustinum, lib. *De Spiritu et Litt.*, tom III. Unde Græca clarius habent, διακόνους καινῆς διαθήκης, οὐ γράμματος, ἀλλὰ πνεύματος, fecit nos *ministros novi Testamenti, non litteræ, sed spiritus.*

Spiritus tripliciter vivificat.

LITTERA ENIM OCCIDIT. — *Primo*, Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus, lib. III *De Doctr. Christ.*, cap. IV, sic explicant, *q. d.* Littera legis redarguit, et pœna mortis condemnat eos, qui huic litteræ, id est legis præceptis justitiæ et charitatis, non obsequuntur : hæc enim littera legis dictat, itaque sancit : « Qui legem violarit, morte moriatur, » *Levit.* XX, et alibi. *Secundo*, idem Augustinus ibidem : « littera occidit, » si videlicet nudis verbis, neglecto vero Scripturæ sensu, ad errores abutaris, uti faciunt hæretici et Judæi. *Tertio*, idem cap. V et VI : « littera occidit, » si quæ metaphorice dicuntur, ad litteram ut sonant explanantur. *Quarto*, idem ibidem : « littera occidit, » si quæ in lege veteri quasi typi novæ legis dicuntur, jam ad literam servanda intelligantur. Et hoc sensu explicandi sunt Origenes, lib. III *Contra Celsum*; Didymus, lib. III *De Spiritu Sancto*, et alii veteres, dum aiunt *litteram*, id est litteralem legis sensum, *occidere*; *spiritum* vero, id est spiritalem et allegoricum, *vivificare*. Quia videlicet jam Christianis cæremonias et ritus lege veteri præceptos ad litteram servare non licet sub pœna mortis; sed id eis faciendum est quod illæ cæremoniæ allegorice significabant, ut vitam gratiæ et gloriæ assequantur. *Quinto*, idem Augustinus, lib. *De Spiritu et Litt.*, cap. IV et seq. : « littera » tam legis novæ quam veteris, « occidit, » si a spiritu separetur; sed ideo de sola lege veteri hic dicitur, « lex occidit, » quia Moses cum legem dedit, nihil nisi litteram dedit; Christus autem simul cum lege spiritum dedit. Unde hinc docet Augustinus legem non posse impleri solis naturæ viribus, sed ad hoc Christi gratiam requiri. *Sexto*, Augustinus ibidem, et Anselmus hic : « littera occidit, » per occasionem : occasionaliter enim lex acuit et incitat concupiscentiam et peccatum, quod occidit animam. Hic sensus et primus maxime sunt litterales.

Sic contra, SPIRITUS VIVIFICAT. — *Primo*, quia Spiritus gratiæ et charitatis vitam supernaturalem dat animæ. *Secundo*, quia impellit et indit motum et agilitatem ad bona opera, et ad legem implendam. *Tertio*, quia dirigit ad vitam æternam, quam suis observatoribus lex promittit. Hujus vitæ et spiritus ministri a Christo missi fuerunt Apostoli.

Lex vetus mortis ministra.

7. SI MINISTRATIO MORTIS ET DAMNATIONIS (id est, si ministerium et promulgatio legis veteris mortem et damnationem comminantis et inferentis) FUIT IN GLORIA (vel ut Syrus vertit, vers. 9, *fuit gloria*, id est valde gloriosa; scilicet cum tonitru, tuba cœlesti, terræ motu montis Sina, splendore vultus Mosis, gloriose magnificeque lex vetus promulgata fuit, et) DEFORMATA. — Græce ἐντετυπωμένη, *impressa* et inscripta tabulis lapideis, *Exodi* XIX, 20 et 34.

Nota : Paulus hic legem veterem vocat mortis ministram et quasi lictorem; eo quod ipsius esset occidere quidem reos, non autem vivificare obsequentes. Ex hisce satis patet Paulum hæc scribere contra pseudoapostolos, eosque fuisse Judæos, atque judaismum voluisse inducere, et miscere cum christianismo. Hac enim de causa Judæos ita hic deprimit et pungit Paulus, adeoque tam legem veterem, quam Mosen vocat ministros mortis et damnationis : se vero et Apostolos, legemque Evangelicam vocat ministros justitiæ, spiritus et vitæ. Idem magis patebit cap. X et XI, ubi aperto marte hosce Judæos obtrectatores suos insectatur.

8. QUOMODO NON MAGIS MINISTRATIO SPIRITUS (et justitiæ, id est ministerium et promulgatio legis Evangelicæ, spiritum et justitiam afferentis) ERIT IN GLORIA? — Ita Chrysostomus, Ambrosius, Anselmus. Patet hæc gloria legis novæ in spiritu vehementi, ac linguis variis et igneis, quum in Pentecoste, cum lex nova est promulgata, Apos-

tolos omnibus gentibus gloriosos effecerunt. *Actor.* II. Rursum in dono linguarum, prophetiæ et aliis, quæ olim in baptismo visibiliter recipiebant Christiani, ut patet I *Corinth.* XIV, 26, uti jam invisibiliter gratias, virtutes et dona Spiritus Sancti accipiunt.

ITA UT NON POSSENT INTENDERE FILII ISRAEL IN FACIEM MOSIS, PROPTER GLORIAM VULTUS EJUS. — Nota : *Exodi* XXXIV, 29 et seq., Deus Mosi et Judæis tabulas legis a se scriptas daturus, et cum Mose hac de re in Sina monte colloquens, quasi sol radiantissimus Mosi suam gloriam, id est radios suæ lucis afflavit adeo fulgidos, ut Judæi in faciem Mosis quasi in alterum solem intueri non possunt, sed ob eo facies suas avertere cogerentur. Hinc Moses, ut cum eis loqui posset, velamine suam velabat faciem et gloriam. Unde *Exodi* XXXIV, 29, dicitur : « Cum descenderet Moses de monte Sinai, tenebat duas tabulas testimonii, et ignorabat quod cornuta esset facies sua ex consortio sermonis homini. » Ubi nota, *cornutam* metaphorice sumi : non enim habebat in fronte Moses, ut ei affingunt pictores, sed ita lucida erat facies ejus, ut radios luminis vibraret, ejusque quasi cornua emitteret. Vide dicta *Exodi* XXXIV, 29.

Cornua et splendor Mosaicus quale fuerint, et unde Moses ea habuerit?

QUÆ EVACUATUR. — « Quæ, » scilicet gloria, auferenda erat a Mose : hi enim radii et hic splendor, uti et vita, Mosem morientem deseruerunt, ut significarent legem veterem desituram, ejusque gloriam, adveniente nova, emoriturum.

Vers. 10. 10. NAM NEC GLORIFICATUM EST, QUOD CLARUIT IN HAC PARTE. — « Nam » hebraismo hic assertivum est, non causale, juxta *Can.* 24 et 25, *q. d.* Atque adeo gloria Mosis in Sina non est dicenda gloria hac in parte, si videlicet comparetur cum Apostolici muneris gloria, propter ejus gloriam excellentem, qua longe præcellit Mosi. Ita Chrysostomus. Sicut, ait Theodoretus, lux lucernæ noctu fulget, sed in meridie a sole obscuratur : sic gloria Mosis a Christo obscurata est. Hoc enim significat τὸ *propter excellentem gloriam*, scilicet Christi et novi ejus Testamenti.

Ubi nota : Pro τὸ *propter*, græce est ἕνεκεν, quod perperam Beza vertit, *quod attinet*. Melius Maldonatus vertit, *respectu*, ut ἕνεκεν respondeat Hebræo לְמַעַן *neged*, id est *coram*, *respectu*, *q. d.* Lex vetus claruit, sed tantum ex parte, si respicias et conferas ejus gloriam cum gloria legis novæ : illa enim exigua fuit et obscura, hæc vero excellens est et illustris. Proprie ἕνεκεν significat causam : unde Noster optime vertit, *propter*, juxta sensum datum.

Vers. 11. 11. SI ENIM QUOD EVACUATUR (Moses scilicet et lex evacuanda et abolenda per Christum), PER GLORIAM EST (in gloria est, gloriosa est) : MULTO MAGIS QUOD MANET (scilicet lex nova Christi), IN GLORIA EST.

Vers. 12. 12. HABENTES IGITUR TALEM SPEM. — Quod Dominus per nos Apostolos spiritum gratiæ diffundat, nosque ita glorificabit deinceps præ Mose, uti fecit hactenus. Ita Chrysostomus.

MULTA FIDUCIA UTIMUR, — confidenter evangelizamus, cum libertate, ingenue, aperte. Ita Chrysostomus. Græcum enim παῤῥησίᾳ, alii *fiduciam*, alii *libertatem*, alii *evidentiam* vertunt : omnia enim hæc significat, omniaque huic loco conveniunt.

13. ET NON SICUT MOYSES PONEBAT VELAMEN. — *q. d.* Moses velabat faciem suam, nos contra non velamus faciem Christi, sed illum magna libertate omnibus proponimus. Nota : *Exodi* XXXIV, 33, dicitur de Mose : « Impletisque sermonibus (id est præceptis quæ audierat a Domino in Sina, ut præcessit), posuit velamen super faciem suam. » Ex quo loco colligitur, quod Moses præcepta Dei populo promulgavit primo colloquio aperta facie et radiante ob majestatem, reverentiam et testimonium legis; sed post primam illam promulgationem deinceps quando loquebatur cum populo, velabat faciem, ut colloquii liberioris daretur copia ; quando vero tabernaculum adibat, de quo cap. XXXIII, 8, collocuturus cum Domino, velum auferebat.

Vers. 13.

Allegoricam hujus velationis causam dat Apostolus hic vers. 14, 15, 16. Judæis enim vetus Testamentum est velamine obductum, ut non videant internam ejus lucem novi Testamenti et Christum eo contentum : hoc velamen nobis in lege nova abstulit Christus, et auferet in fine sæculi a Judæis ad fidem convertendis.

Christus ablatis velaminibus veteris legis.

Tropologice Gregorius, part. III *Pastoralis*, cap. V : Necesse est, inquit, ut prædicator (instar Mosis) auditoribus se attemperet : alta etenim quæque debent multis audientibus contegi, et vix paucis aperiri.

UT NON INTENDERENT FILII ISRAEL IN FACIEM EJUS. — « In faciem. » Ita legunt jam constanter Latini : alioqui videri posset *faciem* pro *finem* hic irrepsisse : nam Græca hic, Syrus et veteres etiam Latini, ut Ambrosius, legunt εἰς τέλος, IN *finem*, id est Christum, mystice significatum per faciem revelatam et splendentem Mosis, uti explicant Ambrosius et Theodoretus. Alii vero magisque ad *litteram* : *in finem*, inquiunt, id est, in perfectionem et consummationem splendoris faciei ejus, scilicet Mosis; vel *in finem*, id est extremitatem, sive extremam superficiem faciei Mosis intendere non poterant filii Israel. Unde Noster clarius vertit, *in faciem ejus*. Tertio, aliter Theophylactus : Rudes, inquit, Israelitæ videre non potuerunt quod finem haberet lex, essetque abroganda. Sed hoc mysticum est; secundus ergo sensus litteralis est.

Triplex hujus loci interpretatio.

QUOD EVACUATUR (1). — *q. d.* Qui Mosis splendor abolendus erat; vel quæ facies Mosis, tam scilicet gloriosa, abolenda erat. Græcum enim τοῦ καταργου-

(1) « Quod evacuatur, » id est, ut in græco est, ne Israelitæ viderent *finem*, seu *cessationem splendoris*, quem vultus emittebat, crederentque lætus suum cum Deo ad tempus solummodo initum fuisse : ita Alhoth.

μένου tam ad πρόσωπον, id est faciem, quam ad κάλυμμα, id est velamen, referri potest; sed Noster aptius retulit ad κάλυμμα, *velamen*, non ad *faciem* : sic enim vertere debuisset *quæ*, non *quod*, *q. d.* « Quod, » scilicet velamen Mosis abolendum erat per Christum : de velaminis enim hujus revelatione per lucem et legem novi Testamenti agit in sequentibus. Ita Anselmus, Ambrosius, Theophylactus.

Quid sibi velit splendor et velamen vultus Mosis?

Nota cum Theodoreto : Splendor vultus Mosis instar solis significabat claritatem et gloriam Christi et legis novæ; velamen vero significabat umbram, crassas cæremonias obscuritatemque legis Mosis. Judæi non nisi velatam faciem Mosis videre potuerunt, quia increduli suis umbris cæremoniisque insistunt, et a luce Evangelii excæcantur. Unde subdit :

Vers. 14. 14. SED OBTUSI SUNT SENSUS EORUM, — id est, ut habent Græca, ἐπωρώθη, *occæcati sunt*, hoc est, obduruerunt, occæcati sunt Judæorum oculi a splendore vultus Mosis, et allegorice excæcati sunt a splendore Evangelii. Τὸ enim « sed obtusi sunt » refertur et opponitur tum litteraliter, tum allegorice illi quod dixit : « Ut non intenderent in faciem ejus, » Mosis (1).

USQUE IN HODIERNUM ENIM DIEM IDIPSUM VELAMEN IN LECTIONE VETERIS TESTAMENTI MANET. — Prosequitur hic Apostolus allegoricum sensum et causam velaminis Mosis ejusque splendoris, quo repercussi et quasi obtusi excæcatique sunt Judæorum oculi, *q. d.* Moses et vetus testamentum usque hodie Judæis est velatum, ut Christum illo testamento per tot figuras, prophetias, cæremonias et sacrificia significatum non intelligant, non videant, non agnoscant. Rursum, vetus testamentum eis velatum est, quia illud legunt, sed non intelligunt, nec ejus sensum, finem, scopum, lucem et splendorem, qui Christus est, pervident, quasi obtusos et hebetatos haberent mentis oculos, uti olim obtusos habuerunt corporis oculos, cum in fulgentem Mosis faciem intenderent.

QUONIAM IN CHRISTO EVACUATUR. — *q. d.* Per gratiam et fidem Christi evacuatur et tollitur hoc velamen, ut clare vetus testamentum, Christumque eo significatum intelligamus et videamus.

15. SED USQUE IN HODIERNUM DIEM, CUM LEGITUR (a Judæis in Synagoga) MOYSES — lex et vetus testamentum.

VELAMEN POSITUM EST SUPER COR EORUM. — Hoc velamen est pertinax et crassa ac obstinata inhæsio, qua Judæi mordicus adhærent carnalibus sacrificiis et ritibus legis veteris, itaque excæcantur, ut non videant Christum per illos ritus adumbratum. Hoc ergo est Judæorum velamen : nam legis velamen est ipsa ejus obscuritas et umbra.

(1) *Sed*, græc. ἀλλὰ, h. l. non opponitur; significat itaque, *imo vero*.

17. DOMINUS AUTEM SPIRITUS EST. — *Primo* Patet, Filius et Spiritus Sanctus, non corpus, sed spiritus sunt; ut *spiritus* sumatur essentialiter, sitque communis toti sanctissimæ Trinitati. Ita S. Ambrosius. *Secundo*, notionaliter sumi potest pro Spiritu Sancto : unde Græca habent articulum τὸ πνεῦμα, *q. d.* Ille spiritus; et Biblia Romana, aliaque, *Spiritus* per magnum S scribunt, quasi proprium nomen. Nam Judæi agnoscunt unum Deum et Dominum, sed negant plures personas, et Spiritum Sanctum esse Deum, *q. d.* Cum Judæi, ablato hoc velamine legis, conversi fuerint ad Dominum, ut credant SS. Trinitatem, adeoque Spiritum Sanctum esse Dominum et Deum : tunc huic Deo et Domino servient non littera, crassis corporalibusque cæremoniis, sed spiritu; hic enim Dominus ad quem convertentur, est Spiritus, et Spiritus Sanctus dabit eis legem spiritus et libertatis, ut spiritualibus oculis et sensibus videant Christum in lege velatum et absconditum, illumque adorent et colant in spiritu et veritate. Hoc est enim quod dicit Christus, *Joan.* IV, 23 : « Venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. Nam et Pater tales quærit qui adorent eum. Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare. » Quem locum S. Athanasius *ad Serapionem* sic explicat : Oportet, inquit, adorare Patrem in veritate, id est in Filio et Spiritu Sancto, *q. d.* Oportet adorare tres personas SS. Trinitatis, Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum. Verum hoc mysticum est.

Vers. 17.

Error Judæorum circa SS. Trinitatem.

Samaritanorum modus colendi Deum.

Unde ad litteram nota, hæc dicere Christum contra Samaritanos et Judæos. Samaritani enim falso et a se conficto cultu Deum adorabant, adeoque Deum cum idolis adorabant, ac consequenter Deum non verum, sed falsum et fictitium, utpote qui esset idolorum socius, adorabant. Judæi vero colebant quidem verum Deum, sed certis et corporeis signis, quæ erant umbræ futurorum. His utrisque opponit Christus Christianos, qui pro signis corporeis, in spiritu; pro umbris, falsitate et ignorantia, in veritate Deum, qui incorporeus et purissimus est spiritus, adorant. Spiritus ergo ibi significat spiritalem cultum fidei, spei, charitatis et aliarum virtutum, quibus non per umbras, sed in veritate, id est verissime, rectissime et propriissime Deus colitur. Quare Sacramenta novæ legis et cæremoniæ, cum non sint umbræ legis veteris, sed ornamenta et adjumenta spiritus, ad spiritum pertinent. Ita hunc locum explicant Theophylactus, Theodoretus, Chrysostomus, qui ex eo probant contra Macedonium Spiritum Sanctum esse Deum.

Contra Macedonianos asserentes Spiritum Sanctum esse Deum.

Dicos : Idem Spiritus mox dicitur « Spiritus Domini; » quomodo ergo est Dominus? Respondeo : Est *Dominus*, quia Deus; est *Dominus*, quia a Patre et Filio procedit, *q. d.* Est Spiritus Domini Patris et Domini Filii.

UBI AUTEM SPIRITUS DOMINI, IBI LIBERTAS. — Pro

libertas, græce non est ἐξουσία, ut ante, sed ἐλευθερία, id est spontanea, ingenua, libera et clare illuminata voluntas : ut scilicet, ablato legis Mosis velamento, clara et spontanea voluntate ambulemus secundum legem Dei. Ita Theophylactus.

Unde nota : « Libertas » hic opponitur non obligationi legis humanæ, vel divinæ, ut volunt hæretici; sed tum velo Mosis, id est obscuritati et crassitiei legis veteris; tum litteræ, id est legis servili coactioni, timori et torpori, de qua dixit vers. 6 : « Idoneos nos fecit ministros novi Testamenti, non littera, sed spiritu; » ac consequenter duplex hæc est libertas.

Duplex libertas intellectus et affectus. *Prima*, ut Chrysostomus, est intellectus, estque clara notitia mysterii Trinitatis, incarnationis, etc., quæ Judæis obscura erant : item, verus religionis et divini cultus, quem Judæi putabant consistere in mactatione boum et arietum, cum Deus coli velit et adorari in spiritu et veritate, *Joan.* IV, 23. Ubi adverte : sicut crassities, hebetudo, obscuratio, ignorantia intellectus, qua mens quasi tenebris, vinculis et carcere constricta tenetur, recte dicitur servitus et servilis conditio; ita e contra, illuminatio, claritas et clara intellectus cognitio recte dicitur libertas, quia mens ignorantia, erroribus crassisque rerum speciebus libera, libere veritati, Deo rebusque divinis et spiritualibus vacat et intendit. Unde Aristoteles, Plutarchus, Seneca et alii dixerunt solos sapientes esse liberos.

Secunda libertas, ut docet S. Augustinus, est affectus, estque amor justitiæ, non timor vindictæ, ut scilicet sponte et libere legem impleamus ex amore virtutis, non ex formidine pœnæ. Hæc enim libertas et spiritus amoris Christianorum opponitur servituti et timori servili Judæorum. Patet ex antecedentibus et sequentibus hic.

Errores Begardorum, Semifidelium, et Libertinorum hæreticorum. Tam ergo impie quam imperite et insulse ante 300 annos Begardi, et jam Suencfeldiani et Libertini hinc, et ex versu 6, respuunt verbum Dei scriptum, quasi litteram occidentem, soloque spiritu interno dictante nos regi volunt. *Secundo*, hominem sanctum et perfectum liberum esse a lege, nec peccare etiam fornicando. *Tertio*, hinc male alii passim abolent leges humanas. Vide Bellarminum, lib. IV *De Justific.*, cap. III et IV; Belliolanum, libris XV, quos scripsit *De Libert. Christi*. Præclare Augustinus, lib. *De Continentia*, cap. III : « Non sumus, ait, sub lege bonum quidem jubente, non tamen dante; sed sumus sub gratia, quæ id, quod lex jubet, facions nos amare, potest liberis imperare. » Vide eumdem *De Spiritu et Litt.*, cap. X, et *De Natura et Gratia*, cap. LVII.

Nos VERO REVELATA FACIE (Christi scilicet incarnati et mysteriorum fidei) GLORIAM DOMINI (gloriosam divinitatem et gratiam, opusque nostræ redemptionis in Mose et veteri Testamento adumbratum) SPECULANTES. — « A speculo, non autem a specula dixit *speculantes*, id est per speculum videntes, non de specula prospicientes, inquit S. Augustinus, lib. XV *De Trinit.*, cap. VIII. Et patet ex græco : nam græce est κατοπτριζόμενοι, id est *quasi in speculo intuentes*. Erasmus vero vertit, *in speculo repræsentantes*, quia, inquit, hoc est speculum gloriæ Dei. Sed vox Græca propria significat in speculo intueri, ut dixi, non autem repræsentare; nam de repræsentatione hæc subdit, cum ait : « In eamdem imaginem transformamur, *q. d.* Cum Dei gloriam in Christo, ejusque Evangelio, quasi in speculo intuemur, per hoc quasi in eamdem Dei gloriam transformamur, eamque in nobis repræsentamus : speculum ergo hoc et speculatio, causa est repræsentationis, non autem ipsa repræsentatio.

Verbum carne vestitum, ut et Mosi velato opponitur. Nota : Apostolus *speculum* hic vocat verbum carne vestitum, et spectabile factum, quodque in Evangelio et Ecclesia spectandum proponitur, et cui Mosi velato opponitur. Unde cap. seq. vocatur *imago Dei* : Christus enim, qua Deus, est Verbum et speculum Patris; qua homo, est speculum deitatis ejusque gratiæ et gloriæ; ac consequenter Evangelium Christi non est aliud quam speculum gloriæ Dei, idque clarissimum et lucidissimum. Hinc S. Augustinus suas sententias ex Evangelio et Sacra Scriptura collectas de vita et moribus Christianis vocat *Speculum*, quod extat tom. III operum Augustini.

Potest *secundo*, per *speculum* hoc accipi fides, per quam quasi speculum, sed ænigmaticum et obscurum, Deum et divina contemplamur, de quo speculo dixi I *Cor.* XIII, 12.

IN EAMDEM IMAGINEM TRANSFORMAMUR. — « Transformamur, » non essentialiter, quasi essentia nostra transformetur in essentiam divinam, sive in suum esse ideale, quod habuit antequam crearetur, in Deo ab æterno : de quo dicit S. Joannes cap. I : « Quod factum est, in ipso vita erat. » Hic enim est error Almarici et aliorum Fanaticorum, quos refellit Gerson epistolis duabus contra Ruisbrochium scriptis, et ipse Ruisbrochius, lib. *De Vera contemplatione*. Sed *transformamur* accidentaliter, ut scilicet, quasi per reflexionem radiorum lucis Christi quasi speculi in nos, flamus lucidi luce fidei et gratiæ Christi (hoc enim significat κατοπτριζόμενοι), adeoque flamus quasi specula jubar divinum emittentes, et quasi soles quidam alios illuminantes, inquit Chrysostomus et Theophylactus; imo flamus quasi dii, divinæ consortes naturæ, ut ait S. Petrus; « quos, ut ait Paulus, *Rom.* VIII, præscivit et prædestinavit (Deus) conformes fieri imaginis Filii sui. » Alludit ad Mosem, qui intuens Deum, cum eoque colloquens, reflexos a Deo lucis radios accepit, ut dixi vers. 7, nec enim Moses Deum in se vidit, sed in corpore glorioso assumpto quasi in speculo. Tertullianus, lib. V *Contra Marcion.*, pro *transformamur* legit, *transfiguramur* : quasi alludat Paulus ad Christi transfigurationem in monte Thabor, qua Christus sua gloria et luce coruscus, eadem Mosem, Eliam et Apostolos aspersit, et quasi transfiguravit.

Pari enim modo nos per Evangelium, fidem et gratiam Christi transformamur et transfiguramur, dum per eam fimus divinæ veritatis, splendoris et gloriæ participes, adeo ut eamdem aliis aspergamus et communicemus, tandemque in Deum ipsum a quo primo manavit, eamdem reflectamus.

Christi vita speculum nostrum. Tota vita Christi, ait S. Augustinus, per hominem quem in terris gessit, morum disciplina et speculum fuit. Vide eum lib. *De Vera Religione*, cap. XVI, tom. I. Quam sapientes sunt qui hoc speculum assidue intuentur, illique mores suos conformare satagunt, itaque transformantur in alios viros, cœlestes, angelicos et divinos!

Quadruplex hominum vestrorum genus. A CLARITATE IN CLARITATEM, — « a claritate » Christi « in claritatem » nostram, ut fiamus clari et lucidi sapientia et gratia adinstar Christi. *Secundo*, « a claritate » fidei « in claritatem » speciei et visionis. *Tertio*, Anselmus, « a claritate » creationis « in claritatem » justificationis. *Quarto* et optime, ut dixi *Rom.* I, 17, « a claritate in claritatem, » id est clarius in dies ac clarius, et usque ad claritatem visionis beatificæ. Ita Ambrosius. Porro Maldonatus, in *Notis manuscript.*, sic explicat, *q. d.* Progredientes « a claritate, » id est a gloria veteris Testamenti, « in claritatem, » id est gloriam novi. Simili modo dixit *Rom.* I, 17 : « Ex fide in fidem. »

TANQUAM A DOMINI SPIRITU, — id est, idque per Spiritum Domini. Vox *tanquam* redundat hebraismo; vel potius cum Chrysostomo et Ambrosio significat causam congruam et dignam tantæ transformationis, *q. d.* « Tanquam, » id est sicut decet Spiritum Dei nos transformare. S. Basilius, lib. *De Spiritu Sancto*, et Chrysostomus hic legunt, *tanquam a Domino Spiritu*; sic enim verti possint Græca ἀπὸ Κυρίου πνεύματος. Unde hinc contra Macedonium probant Spiritum Sanctum esse Deum, eumque auferre velamen, dareque intellectum Scripturarum. Denique Tertullianus, lib. V *Contra Marcion.*, cap. XI, legit, *tanquam a Domino spirituum* (1).

Error Macedonii de Spiritu Sancto hoc loco jugulatur.

(1) Jam vers. 12 in eo fuit Apostolus, ut accuratius exponeret, quem habeat effectum fiducia dignitatis, qua suum munus ornatum est. Sed historia Mosaica, ad quam vers. 7 respexerat, ita recens in mente hærebat, ut ei non solum suggereret allegoriæ de Mosis velo opportunitatem vers. 13, sed etiam a consilio paulisper cum deduceret vers. 14-18, ad quod tamen cap. IV iterum redit.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, ex eo quod docuit cap. III, *tam nobile et gloriosum esse munus prædicandi Evangelium, hoc cap.* IV *infert, asseritque se caste, sincere et clare illud prædicare : ideoque illud omnibus cognitum esse et manifestum, præterquam iis quorum mentes excæcatæ sunt.*

Secundo, vers. 7, *asserit se et Apostolos pro Evangelio multa adversa pati, nec succumbere, sed fortiter semper mortificationem Jesu circumferre in corpore, propter spem melioris vitæ et resurrectionis.*

Tertio, vers. 17, *docet, quod momentanea et levis sua nostraque tribulatio, æternum gloriæ pondus operetur.*

1. Ideo habentes hanc ministrationem, juxta quod misericordiam consecuti sumus, non deficimus; 2. sed abdicamus occulta dedecoris, non ambulantes in astutia, neque adulterantes verbum Dei, sed in manifestatione veritatis commendantes nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo. 3. Quod si etiam opertum est Evangelium nostrum, in iis, qui pereunt, est opertum : 4. in quibus Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Christi, qui est imago Dei. 5. Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Jesum Christum Dominum nostrum, nos autem servos vestros per Jesum : 6. quoniam Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Christi Jesu. 7. Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus : ut sublimitas sit virtutis Dei, et non ex nobis. 8. In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur : aporiamur, sed non destituimur : 9. persecutionem patimur, sed non derelinquimur : dejicimur, sed non perimus : 10. semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris. 11. Semper enim nos, qui vivimus, in mortem tradimur propter Jesum : ut et vita Jesu manifestetur in carne nostra mortali. 12. Ergo mors

libertas, græce non est ἐξουσία, ut ante, sed ἐλευθερία, id est spontanea, ingenua, libera et clare illuminata voluntas : ut scilicet, ablato legis Mosis velamento, clara et spontanea voluntate ambulemus secundum legem Dei. Ita Theophylactus.

Unde nota : « Libertas » hic opponitur non obligationi legis humanæ, vel divinæ, ut volunt hæretici; sed tum velo Mosis, id est obscuritati et crassitiei legis veteris; tum litteræ, id est legis servili coactioni, timori et torpori, de qua dixit vers. 6 : « Idoneos nos fecit ministros novi Testamenti, non littera, sed spiritu; » ac consequenter duplex hæc est libertas.

Duplex libertas intellectus et affectus. *Prima*, ut Chrysostomus, est intellectus, estque clara notitia mysterii Trinitatis, incarnationis, etc., quæ Judæis obscura erant : item, verus religionis et divini cultus, quem Judæi putabant consistere in mactatione boum et arietum, cum Deus coli velit et adorari in spiritu et veritate, *Joan.* IV, 23. Ubi adverte : sicut crassities, hebetudo, obscuratio, ignorantia intellectus, qua mens quasi tenebris, vinculis et carcere constricta tenetur, recte dicitur servitus et servilis conditio; ita e contra, illuminatio, claritas et clara intellectus cognitio recte dicitur libertas, quia mens ignorantia, erroribus crassisque rerum speciebus libera, libere veritati, Deo rebusque divinis et spiritualibus vacat et intendit. Unde Aristoteles, Plutarchus, Seneca et alii dixerunt solos sapientes esse liberos.

Secunda libertas, ut docet S. Augustinus, est affectus, estque amor justitiæ, non timor vindictæ, ut scilicet sponte et libere legem impleamus ex amore virtutis, non ex formidine pœnæ. Hæc enim libertas et spiritus amoris Christianorum opponitur servituti et timori servili Judæorum. Patet ex antecedentibus et sequentibus hic.

Errores Begardorum, Semifidelium, et Libertinorum hæreticorum. Tam ergo impie quam imperite et insulse ante 300 annos Begardi, et jam Suencfeldiani et Libertini hinc, et ex versu 6, respuunt verbum Dei scriptum, quasi litteram occidentem, soloque spiritu interno dictante nos regi volunt. *Secundo*, hominem sanctum et perfectum liberum esse a lege, nec peccare etiam fornicando. *Tertio*, hinc male alii passim abolent leges humanas. Vide Bellarminum, lib. IV *De Justific.*, cap. III et IV; Belliolanum, libris XV, quos scripsit *De Libert. Christi*. Præclare Augustinus, lib. *De Continentia*, cap. III : « Non sumus, ait, sub lege bonum quidem jubente, non tamen dante; sed sumus sub gratia, quæ id, quod lex jubet, facions nos amare, potest liberis imperare. » Vide eumdem *De Spiritu et Litt.*, cap. X, et *De Natura et Gratia*, cap. LVII.

Nos VERO REVELATA FACIE (Christi scilicet incarnati et mysteriorum fidei) GLORIAM DOMINI (gloriosam divinitatem et gratiam, opusque nostræ redemptionis in Mose et veteri Testamento adumbratum) SPECULANTES. — « A speculo, non autem a specula dixit *speculantes*, id est per speculum videntes, non de specula prospicientes, inquit S. Augustinus, lib. XV *De Trinit.*, cap. VIII. Et patet ex græco : nam græce est κατοπτριζόμενοι, id est *quasi in speculo intuentes*. Erasmus vero vertit, *in speculo repræsentantes*, quia, inquit, hoc est speculum gloriæ Dei. Sed vox Græca propria significat in speculo intueri, ut dixi, non autem repræsentare; nam de repræsentatione hæc subdit, cum ait : « In eamdem imaginem transformamur, *q. d.* Cum Dei gloriam in Christo, ejusque Evangelio, quasi in speculo intuemur, per hoc quasi in eamdem Dei gloriam transformamur, eamque in nobis repræsentamus : speculum ergo hoc et speculatio, causa est repræsentationis, non autem ipsa repræsentatio.

Verbum carne vestitum, ut et Mosi velato opponitur. Nota : Apostolus *speculum* hic vocat verbum carne vestitum, et spectabile factum, quodque in Evangelio et Ecclesia spectandum proponitur, et cui Mosi velato opponitur. Unde cap. seq. vocatur *imago Dei* : Christus enim, qua Deus, est Verbum et speculum Patris; qua homo, est speculum deitatis ejusque gratiæ et gloriæ; ac consequenter Evangelium Christi non est aliud quam speculum gloriæ Dei, idque clarissimum et lucidissimum. Hinc S. Augustinus suas sententias ex Evangelio et Sacra Scriptura collectas de vita et moribus Christianis vocat *Speculum*, quod extat tom. III operum Augustini.

Potest *secundo*, per *speculum* hoc accipi fides, per quam quasi speculum, sed ænigmaticum et obscurum, Deum et divina contemplamur, de quo speculo dixi I *Cor.* XIII, 12.

IN EAMDEM IMAGINEM TRANSFORMAMUR. — « Transformamur, » non essentialiter, quasi essentia nostra transformetur in essentiam divinam, sive in suum esse ideale, quod habuit antequam crearetur, in Deo ab æterno : de quo dicit S. Joannes cap. I : « Quod factum est, in ipso vita erat. » Hic enim est error Almarici et aliorum Fanaticorum, quos refellit Gerson epistolis duabus contra Ruisbrochium scriptis, et ipse Ruisbrochius, lib. *De Vera contemplatione*. Sed *transformamur* accidentaliter, ut scilicet, quasi per reflexionem radiorum lucis Christi quasi speculi in nos, flamus lucidi luce fidei et gratiæ Christi (hoc enim significat κατοπτριζόμενοι), adeoque flamus quasi specula jubar divinum emittentes, et quasi soles quidam alios illuminantes, inquit Chrysostomus et Theophylactus; imo flamus quasi dii, divinæ consortes naturæ, ut ait S. Petrus; « quos, ut ait Paulus, *Rom.* VIII, præscivit et prædestinavit (Deus) conformes fieri imaginis Filii sui. » Alludit ad Mosem, qui intuens Deum, cum eoque colloquens, reflexos a Deo lucis radios accepit, ut dixi vers. 7, nec enim Moses Deum in se vidit, sed in corpore glorioso assumpto quasi in speculo. Tertullianus, lib. V *Contra Marcion.*, pro *transformamur* legit, *transfiguramur* : quasi alludat Paulus ad Christi transfigurationem in monte Thabor, qua Christus sua gloria et luce coruscus, eadem Mosem, Eliam et Apostolos aspersit, et quasi transfiguravit.

Pari enim modo nos per Evangelium, fidem et gratiam Christi transformamur et transfiguramur, dum per eam fimus divinæ veritatis, splendoris et gloriæ participes, adeo ut eamdem aliis aspergamus et communicemus, tandemque in Deum ipsum a quo primo manavit, eamdem reflectamus.

Christi vita speculum nostrum. Tota vita Christi, ait S. Augustinus, per hominem quem in terris gessit, morum disciplina et speculum fuit. Vide eum lib. *De Vera Religione*, cap. XVI, tom. I. Quam sapientes sunt qui hoc speculum assidue intuentur, illique mores suos conformare satagunt, itaque transformantur in alios viros, cœlestes, angelicos et divinos!

Quadruplex hominum vestrorum genus. A CLARITATE IN CLARITATEM, — « a claritate » Christi « in claritatem » nostram, ut fiamus clari et lucidi sapientia et gratia adinstar Christi. *Secundo*, « a claritate » fidei « in claritatem » speciei et visionis. *Tertio*, Anselmus, « a claritate » creationis « in claritatem » justificationis. *Quarto* et optime, ut dixi *Rom.* I, 17, « a claritate in claritatem, » id est clarius in dies ac clarius, et usque ad claritatem visionis beatificæ. Ita Ambrosius. Porro Maldonatus, in *Notis manuscript.*, sic explicat, *q. d.* Progredientes « a claritate, » id est a gloria veteris Testamenti, « in claritatem, » id est gloriam novi. Simili modo dixit *Rom.* I, 17 : « Ex fide in fidem. »

TANQUAM A DOMINI SPIRITU, — id est, idque per Spiritum Domini. Vox *tanquam* redundat hebraismo; vel potius cum Chrysostomo et Ambrosio significat causam congruam et dignam tantæ transformationis, *q. d.* « Tanquam, » id est sicut decet Spiritum Dei nos transformare. S. Basilius, lib. *De Spiritu Sancto*, et Chrysostomus hic legunt, *tanquam a Domino Spiritu*; sic enim verti possint Græca ἀπὸ Κυρίου πνεύματος. Unde hinc contra Macedonium probant Spiritum Sanctum esse Deum, eumque auferre velamen, dareque intellectum Scripturarum. Denique Tertullianus, lib. V *Contra Marcion.*, cap. XI, legit, *tanquam a Domino spirituum* (1).

Error Macedonii de Spiritu Sancto hoc loco jugulatur.

(1) Jam vers. 12 in eo fuit Apostolus, ut accuratius exponeret, quem habeat effectum fiducia dignitatis, qua suum munus ornatum est. Sed historia Mosaica, ad quam vers. 7 respexerat, ita recens in mente hærebat, ut ei non solum suggereret allegoriæ de Mosis velo opportunitatem vers. 13, sed etiam a consilio paulisper cum deduceret vers. 14-18, ad quod tamen cap. IV iterum redit.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, ex eo quod docuit cap. III, *tam nobile et gloriosum esse munus prædicandi Evangelium, hoc cap.* IV *infert, asseritque se caste, sincere et clare illud prædicare : ideoque illud omnibus cognitum esse et manifestum, præterquam iis quorum mentes excæcatæ sunt.*

Secundo, vers. 7, *asserit se et Apostolos pro Evangelio multa adversa pati, nec succumbere, sed fortiter semper mortificationem Jesu circumferre in corpore, propter spem melioris vitæ et resurrectionis.*

Tertio, vers. 17, *docet, quod momentanea et levis sua nostraque tribulatio, æternum gloriæ pondus operetur.*

1. Ideo habentes hanc ministrationem, juxta quod misericordiam consecuti sumus, non deficimus; 2. sed abdicamus occulta dedecoris, non ambulantes in astutia, neque adulterantes verbum Dei, sed in manifestatione veritatis commendantes nosmetipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo. 3. Quod si etiam opertum est Evangelium nostrum, in iis, qui pereunt, est opertum : 4. in quibus Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Christi, qui est imago Dei. 5. Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Jesum Christum Dominum nostrum, nos autem servos vestros per Jesum : 6. quoniam Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Christi Jesu. 7. Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus : ut sublimitas sit virtutis Dei, et non ex nobis. 8. In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur : aporiamur, sed non destituimur : 9. persecutionem patimur, sed non derelinquimur : dejicimur, sed non perimus : 10. semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris. 11. Semper enim nos, qui vivimus, in mortem tradimur propter Jesum : ut et vita Jesu manifestetur in carne nostra mortali. 12. Ergo mors

in nobis operatur, vita autem in vobis. 13. Habentes autem eumdem spiritum fidei, sicut scriptum est : Credidi, propter quod locutus sum : et nos credimus, propter quod et loquimur : 14. scientes quoniam qui suscitavit Jesum, et nos cum Jesu suscitabit, et constituet vobiscum. 15. Omnia enim propter vos : ut gratia abundans, per multos in gratiarum actione, abundet in gloriam Dei. 16. Propter quod non deficimus : sed licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur : tamen is, qui intus est, renovatur de die in diem. 17. Id enim quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, 18. non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt : quæ autem non videntur, æterna sunt.

1. IDEO HABENTES HANC MINISTRATIONEM, — τὴν διακονίαν ταύτην, *talem ministerium*, apostolatus scilicet novi Testamenti, de cujus excellentia hactenus dixi, ad quod per suam misericordiam nos indignos Deus gratis assumpsit.

NON DEFICIMUS, — οὐκ ἐγκακοῦμεν, non cedimus, non frangimur malis et afflictionibus, non fatigamur, non *segnescimus*, ut vertit Erasmus; κακία enim subinde significat inertem et segnem.

Vers. 2. 2. SED ABDICAMUS (græce ἀπειπάμεθα, abnegamus, renuntiamus; Syrus, אשׁלינן, *relinquimus*, id est *execramur*) OCCULTA DEDECORIS, — occulta dedecora et crimina : turpitudo enim amat latebras, adeo ut etiam impudica quærentibus illud sit in ore : Si non caste, saltem caute, *q. d.* Nihil admitto ne occulte quidem quod culpari possit, non sum hypocrita, uti multi pseudoapostoli. Ita Ambrosius. Pulchre idem, lib. II *Officior.*, cap. III, alludens ad annulum Gygis, quo ipse omnes videns, et a nemine visus, stuprum reginæ, necem regi intulit, itaque Lydiæ regnum adeptus est : « Da, inquit, huic annulum sapienti, ut beneficio ejus possit latere, cum deliquerit; non minus fugiet peccatorum contagium, quam si non possit latere. Non enim latebra sapienti spes est impunitatis, sed innocentiæ. Denique lex justo non est posita, sed injustis : quia justus legem habet mentis suæ et æquitatis, ac justitiæ suæ normam. » Hinc aurea illa vox Senecæ : « Etiamsi scirem homines ignoraturos, et Deum ignosciturum, tamen peccare nollem ob peccati turpitudinem. » Adde, etiamsi peccantes lateamus homines, Deum tamen oculatissimum judicem et vindicem latere non possumus. Hinc quisque cum Paulo abdicet a se occulta dedecoris, itaque caste vivat castamque mentem servet, ac si coram Deo consisteret.

Omnia etiam occulta peccata examinabit.

NON AMBULANTES IN ASTUTIA, — ut aliud palam ostendamus, aliud occulte faciamus. Notat libidines pseudoapostolorum, et voluptates occultas. Nam, ut ait *Ephes.* V, 12 : « Quæ in occulto fiunt ab ipsis, turpe est et dicere. »

NEQUE ADULTERANTES (græce δολοῦντες, cum dolo tractantes; Erasmus, *falsificantes*) VERBUM DEI, — uti faciunt pseudoapostoli, quia scilicet illud permiscent cum lege Mosis et Judaismo, aut quia pro loco, tempore et personis aliud et aliud docent. Quæ tria fecit egregie Lutherus. *Primo*, falsificavit illud *Rom.* III, 28 : « Arbitramur hominem justificari per fidem, » addendo « solam; » illud II *Petr.* I, 10 : « Magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis, » demendo, « per bona opera. » *Secundo*, traxit ad suas cupiditates Dei verbum, quando mulierculæ cuidam persuadere tentavit, dormiente marito, secum eam posse concumbere, ita explicans illud I *Cor.* VII : « Quod si dormierit vir ejus, liberata est. » *Tertio*, pro loco, tempore et personis aliter et aliter exposuit verba consecrationis; ita ut Gasparus Querhamer Saxo in *Tabula contradictionum Lutheri*, triginta sex contradictiones ipsius de sola communione Eucharistiæ vulgarit, collectas ex ejus operibus, etiam tum vivente Luthero.

COMMENDANTES NOSMETIPSOS AD OMNEM CONSCIENTIAM, — *q. d.* Qui student conscientiæ, et ex conscientia rem judicant, hi vident me vera dicere, ut, si velint dicere quod sentiunt, negare non possint me sincere prædicare, et quasi coram Deo, ac si ubique Deum inspectorem, testem et judicem intuear et reverear.

3. SI ETIAM OPERTUM EST (ut non intelligatur, non credatur) EVANGELIUM NOSTRUM. — Alludit ad velamen Mosis, de quo cap. III, vers. 13; est occupatio, *q. d.* Dicet aliquis : Si tu, o Paule, manifestas, ut dicis, in veritate Dei verbum, commendans te ad omnem conscientiam : qui fit ergo quod hoc tuum Dei verbum non sit omnibus manifestum? Cur non omnes illi credunt? Respondet, illud bonis et fidelibus esse manifestum, impiis autem et infidelibus opertum et incognitum, utpote perditis et reprobis.

EVANGELIUM, — non scriptura Evangelii, ut volunt hæretici, quasi illa sit clara omnibus electis; sed mysteria Evangelii, seu articuli fidei cuivis Christiano obvii et cogniti, ut Christum esse natum, passum, resurrexisse, etc., quæ evangelizabant Paulus et Apostoli, etiam antequam Evangelia essent conscripta : uti eum hæc scriberet Paulus, quædam necdum erant conscripta.

IN IIS QUI PEREUNT, — in reprobis et infidelibus, *q. d.* Illud est signum et causa reprobationis illorum, quod velamen cæcitatis et infidelitatis habeant super cor, ut non videant nec credant Christo, ejusque mysteriis in Evangelio et novo Testamento propositis tam clare et evidenter.

4. IN QUIBUS DEUS HUJUS SÆCULI EXCÆCAVIT MENTES INFIDELIUM. — Quæres, quis dicatur « Deus hujus sæculi? » *Primo*, Marcion apud Chrysostomum hinc docebat Deum eumdem esse justum, non tamen bonum, qui sit opifex sæculi. *Secundo*, Manichæi respondebant esse diabolum, hunc enim esse opificem sæculi rerumque corporalium. *Tertio*, Chrysostomus, Anselmus, Theodoretus et Theophylactus sic ordinant : Deus, scilicet verus, qui hujus sæculi infidelium mentes excæcavit; vel Deus verus, sæculi auctor et opifex, infidelium mentes excæcavit. *Quarto*, Œcumenius et S. Thomas : « Deus, inquiunt, hujus sæculi » est diabolus, qui Deus est sæculariter viventium, non creatione, sed sua perversitate, exemplo, imperio et suggestione; et hoc videtur simplicissimum : ideo enim non Deum vocat, sed alienando, « Deum hujus sæculi, » id est sæcularium, qui temporalia et caduca præferunt cœlestibus et æternis bonis. Simile est *Ephes.* cap. VI, vers. 12. *Quinto*, S. Thomas : « Deus hujus sæculi » est mammona, sive opes et pompæ, in quibus sæculares ultimam finem et omne bonum quasi in Deo constituunt. Sic *Philip.* cap. III, vers. 19, dicitur : « Quorum Deus venter est. »

INFIDELIUM. — Refer ad *in quibus*; est hebraismus, *q. d.* « Infidelium, quorum Deus excæcavit mentes. » Hebræi enim sæpe repetunt et jungunt antecedens cum relativo, quod præcessit. Sic ergo hæc connecte : Evangelium in iis infidelium, qui pereunt, opertum est; in quibus, id est quorum, Deus hujus sæculi excæcavit mentes.

UT NON FULGEAT ILLIS ILLUMINATIO EVANGELII. — Pro *fulgeat*, græce est αὐγάσαι, *irradiet*; Syrus, *oriatur*; αὐγὴ, aiunt Chrysostomus et Theophylactus, est sublustre quiddam, et prægustus claræ lucis, sive φωταυγὲς, hoc est, illuminationis et gloriæ divinæ, quæ revelabitur in cœlis. Sicut enim aurora et lucifer, sive stella Veneris, præit et prælucet soli; sic fides in hac vita quasi lucifer præit et prælucet claritatis gloriæ et visioni in cœlis. Simile est II *Petri* I, 19.

EVANGELII GLORIÆ CHRISTI. — Est appositio : Evangelium enim dicitur *gloria Christi*, quia illo glorificatur Christus, Christi redemptio, resurrectio, divinitas. Ita Anselmus.

Quæ et quomodo Filio Dei proprium, quæ imagini.

QUI EST IMAGO DEI. — Nota *primo* : Filio proprium est quod sit et procedat a Patre quasi imago Patris. *Secundo*, *imago* dicitur, quia ita producitur a Patre, ut ex vi productionis suæ simillimus sit Patri, eumque perfectissime repræsentet. Est enim Verbum divinum sive terminus intellectionis Patris, qua se Pater notionaliter intelligit; Verbum autem mentis est conceptus et imago rei intellectæ, et sic distinguitur a Spiritu Sancto, qui licet Patri sit simillimus, tamen hoc non habet ex vi productionis suæ; nam ex ea tantum habet quod sit amor notionalis, id est terminus voluntatis et amoris Patris et Filii. *Tertio*, Filius est *imago* Patris ratione essentiæ divinæ, quatenus scilicet eam Filius a Patre accipit : quatenus enim eam accipit a Patre, realiter ab eo diversus est, sicut imago diversa est a suo exemplari; quatenus vero eamdem habet cum Patre, illi similimus est, eumque per omnia repræsentat. Vide Scholasticos, I *part.*, *Quæst.* XXVII et XXIX.

Nota profunditatem Apostoli, *q. d.* Mundus ab Apostolis fidei lucem accipit; hi a Christo, uti Moses ab Angelo, qui Christi typus erat; Christus a Patre, quasi lumen de lumine, et radius a sole emanat.

DEI. — Complutensia addunt, τοῦ ἀοράτου, *invisibilis*.

5. NOS AUTEM SERVOS VESTROS PER JESUM, — διὰ Ἰησοῦν, *propter Jesum* (ita Syrus, Œcumenius, Ambrosius); supple, *exhibemus*; vel potius repete, « prædicamus nos servos vestros. » Licet enim græcum διὰ cum accusativo aliter significet *per*, communiter tamen significat *propter*.

Locus proprietates irradiationis quatuor quod lucis.

6. QUONIAM DEUS, QUI DIXIT DE TENEBRIS LUCEM SPLENDESCERE, IPSE ILLUXIT IN CORDIBUS NOSTRIS. — « Qui dixit, » scilicet *Genes.* I, 2 : « Fiat lux. » Nota in Genesi et creatione mundi ante omnia formatam esse lucem, quia lux qualitas est nobilissima, jucundissima, lætissima, commodissima, efficacissima et potentissima. Vide Dionysium, *De Divin. Nomin.*, cap. IV, ubi triginta quatuor proprietates lucis et ignis recenset, Deo divinisque rebus *mire* congruentes. Quæ et qualis fuerit hæc lux, dixi *Genes.* I, 2.

Quando creatus angeli?

Allegories, Hugo, lib. *De Sacram.*, pag. I, cap. X, et alii notant, primo die, cum facta est lux, et a tenebris divisa, bonos angelos esse in bono confirmatos, malos in malo, et a bonis esse segregatos; atque ita, quod agebatur in mundo sensibili, imago erat illorum quæ in intelligibili agebantur; quin imo Augustinus passim vult hunc de angelis sensum esse litteralem.

Tropologice, lucem hanc explicat hic Apostolus, *q. d.* Uti Deus olim produxit de tenebris lucem, ita nunc ex infidelibus nos fideles fecit, fideique luce illustravit. Sic et Augustinus, lib. I *Contra Advers. leg.*, cap. VIII, per hoc, quod tenebris, sive nocti, quæ luce fuit prior, lux et dies successit, et huic successerunt rursum tenebræ; significari docet, quid in homine fiat spiritualiter, peccato scilicet gratiam, et gratiæ peccatum, cum in illud recidimus, succedere. Vide S. Dionysium supra.

AD ILLUMINATIONEM (ut scilicet illuminemur a Deo : ita Græci; et vicissim, ut illuminemus et alios, ut ait Ambrosius) SCIENTIÆ (et cognitione) CLARITATIS (hoc est, clara et gloriosa) DEI (id est, quæ est de Deo, quæ resplendet) IN FACIE CHRISTI, — hoc est, in clara, vel per claram cognitionem Christi et redemptionis ejus; vulgo enim clare cog-

noscitur quisque per faciem (1). Hinc cognoscere in facie significat cognoscere clare et aperte. Sicut ergo noctu tæda vel fax accensa omnia tenebrosa illuminat, ideoque ambulantibus præfertur, ut viam præcat et illustret : ita et Christus quasi fax nos illuminat in nocte hujus sæculi, ut Deum certo et manifeste cognoscamus, viamque ad eum videndum, ad beatam inquam vitam, in cœlum ducamus. Unde Glossa symbolice sic explicat : « In facie Christi Jesu, id est per Christum Jesum, qui est facies Patris; quia sine ipso non cognoscitur Pater. » Persistit in allusione velaminis et facici Mosis velatæ, et Christi aperiæ, de qua cap. III, vers. 13. Ita Chrysostomus. Græcum *in προσώπῳ*, quod Noster hic et cap. præced., vers. 8, recte vertit, *in facie*, potest verti cum Syro, *in persona*, id est nomine, vice et auctoritate Christi, quasi ejus vicarii, illuminemus alios. Ita Gagneius, Faber et alii. Unde S. Cyrillus, lib. *De Fide ad Theod. Imperatorem* : « illuxit, inquit, ipse cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Christi Jesu. Ecce aperte evidenterque illuminatio scientiæ Dei Patris in persona Christi effulsit. »

Vers. 7. 7. HABEMUS AUTEM THESAURUM ISTUM, — id est Evangelii ministerium et prædicationem mihi creditam a Deo. Patet initio capitis vers. 1, et quia de hac immediate ante egit vers. 5 et 6.

IN VASIS FICTILIBUS, — Græce ὀστρακίνοις, *testaceis*, id est in corpore luteo, fragili, caduco, *q. d.* Paulus : Vas fictile corpus nostrum est. Sicut enim vas fictile non est aliud quam lutum igne coctum; ita et corpus nostrum nihil est aliud quam lutum animæ calore solidatum. Tolle animam, corpus in lutum ex quo formatum est, redibit : « Ipse cognovit, inquit David, *Psal.* CII, figmentum nostrum; recordatus est quoniam pulvis sumus. Ita Chrysostomus. Vel *secundo*, « in vasis fictilibus, » id est in nobis, qui, licet simus Apostoli, sumus tamen homines personæque luteæ et fragiles, tam anima, quam corpore, quique quasi testacea vasa viles sumus, ignobiles, inopes, abjecti, contempti, calcati, omniamque injuriis expositi.

Corpus nostrum est vas fictile.

Huic sensui favent sequentia. Sequitur enim : « In omnibus tribulationem patimur, angustiamur, aporiamur, » etc. Sic *epist.* I, cap. I, vers. 27, ait Deum Apostolos quasi infirma, ignobilia et contemptibilia mundi elegisse. Et cap. II, vers. 1, Paulus ait se ad Corinthios venisse non in sublimitate sermonis aut sapientiæ, sed in infirmitate, timore et tremore. Et cap. IV, vers. 9, ait : « Puto quod Deus nos Apostolos novissimos ostendit tanquam morti destinatos : usque in hanc horam et esurimus, et sitimus, et nudi sumus, et colaphis cædimur, » etc.

Symbolice, Origenes, hom. 9 *in Numer.* : Thesaurus hic est Spiritus Sancti gratia abscondita « in vasis fictilibus, » id est in sermonibus rudibus, impolitis et inelegantibus legis et Evangelii.

UT SUBLIMITAS SIT VIRTUTIS (δυνάμεως, id est potentiæ et fortitudinis) DEI, ET NON EX NOBIS. — Pro *ut sublimitas*, Ambrosius legit, *ut eminentia*; sic et Augustinus sæpe : græce enim est ὑπερβολή, *q. d.* Ideo vult Deus me thesaurum istum habere in vase fictili, ut excellentia quæ in me est, et fructus quem facio in conversione tot gentium, non mihi, sed potentiæ et efficaciæ Dei, ac gratiæ Christi adscribatur. S. Hieronymus in Dialog. *contra Pelag.*, legit, *ut abundantia fortitudinis nostræ sit ex Deo*. Vide Chrysostomum hic in morali.

8. IN OMNIBUS TRIBULATIONEM PATIMUR, SED NON ANGUSTIAMUR. — Pro *non angustiamur*, græce est οὐ στενοχωρούμενοι, *non coarctati*, non anxii redditi; alioqui necessarium est ut qui premitur, is adigatur in angustum, et angustietur : sed Apostolo rebus in angustis mens erat lata, ampla et excelsa. Syrus vertit, *premimur, sed non suffocamur*. Ita canit et David, *Psal.* IV : « Cum invocarem exaudivit me Deus justitiæ meæ, in tribulatione dilatasti mihi (me). »

APORIAMUR, SED NON DESTITUIMUR. — Hoc est, ut Ambrosius, Theophylactus, Erasmus, Cajetanus, rerum omnium penuria premimur, at non opprimimur. Patet ex græco ἀπορούμενοι, ἀλλ' οὐκ ἐξαπορούμενοι; est paronomasia, quam imitatur Budæus dum vertit, *egentes, sed egestati non succumbentes*. Egestas enim in animo patienti, sapienti, tranquillo et in Deum defixo, quietem, sufficientiam, imo et copiam parit. Ut Christianos taceam, docuit hoc Favorinus philosophus apud Gellium, lib. IX, cap. VIII : « Verum est, inquit, quod observato rerum usu sapientes viri dixere, multis egere qui multa habeat; magnamque indigentiam nasci non ex inopia magna, sed ex magna copia. Multa enim desiderari ad multa quæ habeas tuenda. Quisquis igitur multa habens cavere atque prospicere velit, ne quid egeat, novo quid desit, jactura opus esse, non quæstu, et minus habendum esse ut minus desit. »

Tribulatio non tollit mentis aut corporis vires.

Aporia et inopia mentis et corporis.

Possunt *secundo*, Græca jam dicta sic verti. Inopes consilii et perplexi sumus in medis malis et difficultatibus; attamen nec iis, nec anxietate et tædio vincimur; non desperamus, sed in Deo consilium, remedium, exitum speramus, invenimus, et vincimus. Ita Theophylactus, Chrysostomus, Œcumenius, et hoc magis significat Græcum *aporiamur*. Est enim aporia inopia non tantum corporis, sed et animi, puta consilii inopia, dubitatio et perplexitas, cum mens undique se malis obseptam videns anxia hæret, nesciique quid consilii capere, quid aggredi debeat. Sed

(1) « Scientiæ claritatis Dei, in facie Christi. » Paulus miratur Judæos ita hebetes ac cæcos esse, ut neque in eum Evangelicæ doctrinæ, neque muneris Apostoli dignitatem videant, quum tamen tantus splendor et *claritas* (δόξα) Dei et Christi emicuerit per Evangelium, radiosque omnes in partes sparserit. Ista δόξα resplenduit *in facie Christi Jesu*, id est, in persona, auctoritate, doctrina, miraculis, etc., Christi.

Deus Apostolis, suisque in hac aporia succurrit, suggeritque viam evadendi. Id se suosque in Indorum conversione experiri, testes sunt S. Xaverius et Gaspar Barzæus, dictitantes in India plus in quavis re et dubio docere Spiritum Sanctum, quam apud nos omnes doctores et sapientes docere possint.

Vers. 9. 9. PERSECUTIONEM PATIMUR, SED NON DERELINQUIMUR. — Acute et pie S. Gregorius Nyssenus in lib. *De Beatitudinibus*, explicans ultimam beatitudinem, quæ est : « Beati qui persecutionem patiuntur, » expendit vocem illam *persecutionem*, quæ currentium, imo præcurrentium est. Ponit ergo ob oculos virum pium et tribulationem, quasi duos esse cursores qui simul currant; sed cum ille tribulationi non cedit, quasi victorem antecedere et præcurrere : tribulationem vero a tergo viri pii subsequi, et post eum currere, ideoque appellari *persecutionem*, non consecutionem, quia persequitur virum pium, sed eum non assequitur. Docet ergo hac voce indicari, Sanctos per patientiam velocissime currere ad bravium gloriæ, et in persecutionibus maxime elucere Sanctorum in currendo vigorem et fortitudinem : « Martyrium, inquit, nobis stadium ostendit, et fidei cursum designat : nam persecutio vehemens studium celeritatis significat, imo vero etiam in currendo victoriam indicat : non enim aliter currendo quis vincere potest, nisi post se reliquerit eum qui simul currit? Quoniam igitur qui propter præmium ab inimico exagitatur, a tergo habet persequentem (hi autem sunt, qui martyrii cursum in certaminibus pro pietate susceptis conficiunt, quos inimici quidem persequuntur, sed non assequuntur), videtur caput et summam in spem propositæ beatitudinis, velut coronam quamdam in postremis propositæ verbis : Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. »

Il qui persecutionem patiuntur. vincunt, quia præcurrunt.

DEJICIMUR, SED NON PERIMUR. — Alludit ad vasa fictilia, de quibus dixit vers. 7, quæ mirum est ex altissima turri dejici, et tamen non frangi, non perire, *q. d.* Licet simus vasa fictilia, et ex altissimis quasi persecutionum turribus dejiciamur, non tamen frangimur, nec perimus : quia igne charitatis decocti, durati et solidati a Deo, frangi et perire non possumus. Quidam addunt : « Humiliamur, sed non confundimur; » sed hoc non habent Græca, nec Latina Romana.

Tribulatio non tollit mentis aut corporis vires.

10. SEMPER MORTIFICATIONEM JESU IN CORPORE NOSTRO CIRCUMFERENTES. — Græce νέκρωσιν, id est *mors*, ut legit Ambrosius; vel potius, ut Noster vertit, *mortificatio* Jesu est passio mortis similis passioni Jesu Christi, quæ via est et inchoatio mortis, adeoque longa et viva mors, sive mori in fieri, non in facto esse. Passio hæc est, de qua vers. 8 et 9, ait : « Tribulationem patimur, sed non angustiamur, » etc., scilicet externa, et ab alio illata, licet etiam extendi possit ad quamvis sponte assumptam mentis et corporis castigationem. Ita Anselmus. Dicitur ergo « mors, » vel « mortificatio Jesu, » quia illius exemplo toleratur; *secundo*, quia pro ejus fide et Evangelio subitur; *tertio* et optime, ut Ambrosius, quia ipsam Christi mortem et passionem nos ejus ministri in corpore nostro quasi representatione quadam gestamus et circumferimus, ut servi gestant insigne et stigma domini sui, *Galat.* VI, 17. Sic *Hebr.* XI, 26, ait Mosen tulisse improperium Christi, illudque adamasse præ thesauro Ægyptiorum. Vide ibi dicta. « Dubium non est, ait Ambrosius, quin in Martyribus occidatur Christus, et in iis qui pro fide vincula aut verbera patiuntur, quin eadem in iis patiatur et Christus. »

Tribulatio est mortificatio Jesu Christi.

Dat hic causam Paulus cur in tribulatione et mortificatione non angustietur et moriatur, sed dilatetur et vivat. Causa hæc est, quod per tribulationem similis fiat Christo tam crucifixo et mortificato, quam suscitato et vivificato : itaque in ea gaudeat et sibi placeat.

Hinc moraliter Salvianus, lib. I *De vero Judicio et Providentia Dei*, docet neminem esse miserum, qui sua miseria est contentus; imo potius in ea esse beatum, quia ex voto suo in miseria vivit. Nam labor, jejunium, paupertas, humilitas, infirmitas, persecutio non sunt molesta patientibus, sed pati nolentibus. Ita gentilibus quoque Fabriciis, Fabiis, Regulis, Camillis, paupertas et afflictio onerosa non fuit. « Nemo, inquit, aliorum sensu miser est, sed suo; et ideo non possunt esse falso judicio miseri, qui sunt vere sua conscientia beati; » et rursum : « Nulli, ut opinor, beatiores sunt quam qui ex scientia sua atque voto agunt. Humiles sunt Religiosi, hoc volunt : pauperes sunt, pauperie delectantur : sine ambitione sunt, ambitum respuunt : inhonorati sunt, honorem respuunt : lugent, lugere gestiunt : infirmi sunt, infirmitate lætantur. Cum infirmor, inquit Apostolus, tunc potens sum. Itaque quidquid acciderit iis quicumque vere religiosi sunt, beati esse dicendi sunt : quia inter quantumlibet aspera nulli lætiores sunt, quam qui hoc sunt quod volunt. »

Nemo miser est qui sua miseria est contentus.

UT ET VITA JESU MANIFESTETUR IN CORPORIBUS NOSTRIS. — « Vita, » scilicet tum futura, ut nimirum cum Christo resurgamus ad gloriam, ut sequitur vers. 14; tum præsens, ut scilicet ad instar resurrectionis Christi corpora nostra, licet afflicta, vegetiora fiant ex Spiritu ob spem resurrectionis et opem Dei, qua nos a tot in dies periculis liberat et roborat. Unde sequitur (1) :

11. SEMPER ENIM NOS, QUI VIVIMUS, IN MORTEM TRADIMUR. — *q. d.* In media hac quali quali vita perpetuis mortis periculis et ærumnis exponimur. Ita Chrysostomus.

(1) Sensus itaque totius commatis est : Semper propter Jesum (alii *mortem Jesu*) ejusque doctrinam mortis periculo expositi sumus, sed eripimur, ne prorsus intereamus. Alioli : sed hoc fit, ut in resurrectione futura vita Jesu in corpore nostro manifestetur.

Quod in tribulatione conformemur Christo, nos in tribulatione debet consolari.

Hoc est ergo quod nos in omni tribulatione animat, consolatur et roborat, scilicet quod cogitemus in ea nos conformari Christo patienti et resurgenti. Nam sicuti in corpore nostro tribulato et mortificato repræsentatur mors Christi; ita in eodem liberato, salvato et roborato repræsentatur vita et resurrectio Christi : ut cum objicimur leonibus aliisque bestiis, quasi certissimo ab iis devorandi, illic vero nobis parcunt et abblandiuntur : cum projicimur in ignem, ignis autem a nobis refugit, imo leni aura nos recreat : cum dejicimur in mare submergendi, sed mare nos sustentat, servatque incolumes; cum lapidarer Lystræ, et pro mortuo relinquerer, mox tamen inventus sum vivus, *Act.* XIV, 18. In hisce, inquam, et similibus plagis et afflictionibus particeps sum, conformor, et repræsento corpus Christi passum, mortuum et sepultum : quod tamen mox Dei virtute ad vitam eumque beatam et gloriosam revocatum fuit. Atque hac de causa in omni tribulatione fortis sum, imo lætor et glorior. Ex hisce enim spem certam concipio futuræ vitæ immortalis et gloriosæ. « Propterea, inquit Œcumenius, a Deo permittitur tradi in mortem, ut manifestetur, quod a morte surrexit Christus. Qui enim in dies nos suscitat, certe seipsum quoque excitavit, nosque aliquando plane ad immortalitatem suscitabit. »

UT ET VITA JESU (tum sancta hic, fortis, læta et alacris, ex forti vegetoque spiritu; tum beata in cœlis, ut dixi vers. præced.) MANIFESTETUR IN CARNE NOSTRA MORTALI.

12. ERGO MORS IN NOBIS OPERATUR, VITA AUTEM IN VOBIS. — *q. d.* Vestra spiritualis vita per fidem et gratiam, id est salus animæ vestræ, nostra corporali morte procuratur. Ita Ambrosius. Nam Apostolorum et martyrum passio et mors vita est Ecclesiæ. « Sanguis martyrum semen est Christianorum, » ait Tertullianus. Aliter Chrysostomus, *q. d.* Vos quiete vivitis, nec illas pro fide persecutiones sustinetis, quas ego; itaque vos vivere videmini, ego vero mori quotidie videor.

Vers. 13. 13. HABENTES AUTEM EUNDEM SPIRITUM FIDEI. — *q. d.* Sum Davidi tentationibus immersus et a solo Deo ereptus, dixit : « Credidi, » id est credo, quod Deus juxta promissa sua me a meis malis liberabit semper. Unde et idem audacter : « Locutus sum, et etiammum proloquor. » Ita et nos credimus et speramus, an animose profitemur, opem, robur, liberationem et resurrectionem nostram a Deo uti promissam, ita et certissimo præstandam. Ita Theophylactus, Chrysostomus, Œcumenius (1).

Psalm. CXV Eucharisticus illustratur.

Nota : Psalmus CXV, quem hic citat Paulus, est Eucharisticus, quo David Deo liberatori suo gratias agit. Unde incipit, *Credidi, q. d.* Ego David cum in mediis periculis et malis, hinc Saule cum suis me persequente, inde Achis et Philistæis meum caput petentibus, constitutus essem, videremque omni humana ope destitutus et quasi desperatus; credidi tamen Deo, mihi salutem, imo et per Samuelem regnum promittenti : quare idipsum intrepide locutus sum, me scilicet credere, nec dubitare, quin Deus ab omnibus hisce malis me liberaret et ad regnum a se promissum proveheret, ut me de facto jam liberavit, et ad regnum vel provexit, vel disponit. Unde subdit : « Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus, » *q. d.* Rara et magni ponderis ac pretii apud Deum est mors mea, aliorumque Sanctorum; ideoque illi curæ et cordi est, ut eam mihi aliisque Sanctis vix et raro, nec sine magna causa et lucro, permittat Deus, sed nos mire passim foveret et tueatur : uti ego David in spelunca, et alias sæpe, cum manibus Saulis aliorumque hostium concluderer, expertus sum, ideoque eum laude et gratiarum actione exclamo : « Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? calicem salutaris accipiam : » vel, ut hebraice est, « calicem » ישועות *yeshuoth*, id est salutum, scilicet multarum; puta calicem qui testis sit et professio publica, me multas a Deo salutes consecutum esse, meque sapius a morte et mortis periculis, a Deo salvatum esse, « accipiam. »

Tripex apud Judæos in sacrificiis.

Ubi nota *primo* : Judæi triplex habebant sacrificium : *primo*, holocaustum; *secundo*, pro peccato; *tertio*, pacificum, sive salutare pro pace et salute alicujus vel privati, vel familiæ, aut reipublicæ oblenta, vel obtinenda. Nota *secundo* : in omni sacrificio quasi epulo Dei adhibebant libamen quasi potum; calix ergo salutaris est calix vini, qui pro salute accepta Deo libabatur, offerebatur et sumebatur ab offerentibus. Nota *tertio* : Hic calix figura erat calicis Eucharistiæ, qui salutis per Christum factæ non tantum memores, sed et participes nos facit.

Calix tropologice est martyrium.

Tropologice *calix* hic est martyrium et afflictiones, et pertinax conatus, ait Basilius *in Ps.* CXV, quo ad mortem usque peccato resistimus : Paulus enim, ait idem Basilius, martyrium ardenter sitiebat : unde non crucem, sed calicem salutaris vocat, *q. d.* Prompte hauriam quidquid mihi Dominus immiserit, etiamsi mortem et martyrium; ideoque sciens, ait Augustinus, martyrium non esse meæ virtutis, sed gratiæ Dei, hinc eam per nomen Domini *invocabo*, vel, ut aptius verti potest Hebræum אקרא *ecra*, vocabo, publica voce prædicabo et celebrabo gratiam et nomen Domini. Pari modo Christus suam passionem et mortem calicem vocat, quem Apostolis, Martyribus, nobisque omnibus propinat, *Matth.* cap. XX, vers. 22, et *Matth.* XXVI, 42. Sicuti ergo Christianus quivis Christo liberatori in gratiarum actionem offert calicem et sacrificium Eucharisticum : ita Paulus hic passiones suas, mortificationes et mortem eidem Christo, quasi calicem gratissimum libat et sacrificat; uti Martyres, cordis fidem ore profitendo, pro eaque moriendo, omnes eidem Christo calicem sui martyrii libarunt et consecrarunt. »

(1) « Eumdem spiritum, » qui, scil., in illa Psaltis voce relucet, etc.

CREDIDI — האמנתי *heemanti*, id est *credidi* in præterito, et *credo* in præsenti : Hebræi enim præsenti tempore carent, et pro eo utuntur præterito. *Secundo*, « credidi, » vel « credo, » id est credere pergo; jam pridem enim Deo crediderat David. *Credo* ergo non tam actum inchoatum, quam continuatum significat, ut dixi *Can.* 32; maxime quia David non tantum in sua persona, sed et Pauli, ut hic patet, et nostra omnium dixit : « Credidi, » suumque *credidi* nobis imitandum et repetendum quovis tempore, proponit.

15. CONSTITUET NOS VOBISCUM, — in gloria cum vobis resuscitatis. Nota : Ex modestia ait, nos, Vos nobiscum, sed, « Nos vobiscum, » quia vos causa et objectum uti Evangelii mei, ita et gloriæ meæ estis.

15. UT GRATIA ABUNDANS (refer ad *abundet in gloriam Dei*) PER MULTOS IN GRATIARUM ACTIONE, — id est, per gratiarum actionem multorum, vel dum multi propter illam gratiam gratias agunt Deo. Unde clarius Græca sic habent : ἵνα ἡ χάρις πλεονάσασα διὰ τῶν πλειόνων τὴν εὐχαριστίαν περισσεύσῃ εἰς τὴν δόξαν τοῦ θεοῦ, *ut gratia illa copiosa per multorum gratiarum actionem exuberet in gloriam Dei*; et Syrus, *ut, cum abundet gratia per multos, multiplicetur pariter gratiarum actio ad gloriam Dei.*

Vers. 16. 16. PROPTER QUOD NON DEFICIMUS, — οὐκ ἐγκακοῦμεν, NON cedimus, non succumbimus afflictionibus; Syrus, *non est nobis tædium*. Vide dicta vers. 1.

SED LICET IS, QUI FORIS EST, NOSTER HOMO CORRUMPATUR : TAMEN IS, QUI INTUS EST, RENOVATUR DE DIE IN DIEM. — Id est, ut Theophylactus, Ambrosius, Anselmus, licet externus homo, id est corpus, corrumpatur pressuris, plagis, fame, siti, frigore, nuditate, flagellis et morbis; tamen « qui intus est, » id est anima et spiritus, renovatur et proficit fide, spe, charitate, animi alacritate, et fortior et fulgidior, quasi aurum in igne, evadit, ait Chrysostomus.

Tribulatio externi hominis, et Eucharistia interioris.

Nota aliter hæc accipi *Rom.* VII, 22; nam ibi exterior homo est concupiscentia, vel homo concupiscens; interior, est charitas et spiritus, vel homo spiritu renovatus; hic autem homo exterior est corpus, interior est mens. Vel apposite magis : homo exterior est ipse homo corporalis, sive quatenus corpore visibilis, tangibilis, passibilis, et injuriarum extrinsecus illatarum susceptibilis est; interior vero homo est idem homo animatus, sive quatenus anima et mente invisibili constat, qua afflictiones corpori inflictas fortiter et alacriter sustinet : homo enim quia duabus partibus adeo contrariis constat, corpore scilicet externo et anima interna, ipsaque anima in homine quasi duplex esse videtur (quatenus enim animat, seque in corpore exterius per operationes et passiones spectandam præbet, externa, animalis et corporata videtur; quatenus vero in se consistens, menti et mentalibus operationibus insistit, interna videtur et invisibilis), hinc et homo hac duplici parte constans, juxta priorem externus, juxta posteriorem internus est, et dicitur.

Illyrici error per catum originale factionis substantiam mutat.

Hinc patet contra Illyricum, peccatum originale et concupiscentiam non esse substantiam malam ex homine a dæmone formatam, hominisque substantiæ conjunctam quasi formam : hæc enim deberet esse interior homo, isque in se corruptissimus, ut renovari non possit; cujus contrarium dicit hic Apostolus.

Error Tertulliani animas omnes corporeas, quem secutus videtur Joannes Huartus.

Male etiam hinc Tertullianus, ait S. Thomas, censuit animam esse corpoream, suamque habere figuram et membra ad modum corporis, ut interior homo respondeat exteriori. Sic Joannes Huartus medicus nuper in suo *Examine ingeniorum* censuit damnatorum animas torqueri igne, quia, inquit, habent sua quasi membra sive membrorum simulacra, habent suos sensus et sensationes. Illinc dives Epulo dicit se lingua torqueri, *Lucæ* XVI.

Verum hoc de membris falsum est : anima enim uti non est corporea, ita proprie nulla membra habet; sed de sensu et sensatione est probabile. Anima enim rationalis, cum simul sit sensitiva, habet in se radicem sensus et sensationis, v. g. tactus, ut calorem, ignem, ustionem ejusque dolorem sentiat : quam sensationem, licet naturaliter sine corpore exercere non possit, supernaturaliter tamen Deus potest in anima separata hunc sensum et sensationem educere : ejus enim radicem et inchoationem habet et retinet in se anima. Ita censent jam multi subtiles Philosophi; eaque ratione facile explicant, quomodo ignis agat in animam. Et favet ratio : quia tota sensatio est in anima; cum enim oculo videmus, aure audimus, manu tangimus, ipsa visio, auditio et tactus perceptio non est in oculo, aure, manu, sed in anima. Non enim corpus, sed anima est quæ per oculum videt, per aures audit, sentitque per manum; cur ergo anima separata a corpore easdem sensationes per Dei virtutem et omnipotentiam elicere et recipere non possit? licet enim oculus, auris, manus sit organum et conditio requisita, ut naturaliter fiat sensatio, supernaturaliter tamen eam Deus supplere potest : sicut supplere potest præsentiam et approximationem objecti, ut quis oculo corporeo videat per murum ea quæ in cubiculo clauso geruntur, vel ea quæ remote fiunt in India; uti S. Anselmo aliisque Sanctis concessum legimus.

Quomodo anima sentiat ignem infernl.

DE DIE IN DIEM. — *q. d.* Sicut externus homo, id est corpus, in dies per tot plagas et ærumnas deficit et senescit : ita interior, hoc est mens, in dies renovatur et juvenescit, idque ob spem resurrectionis. Unde subdit : « Id enim quod in præsenti, » etc. Ita Abbas Barnabas apud Sophronium in *Prato Spir.*, cap. X, spinam infixit pedi, nec tolli voluit, hinc putruit pes; mirantibus ait : « Quanto magis homo exterior patitur, tanto magis interior viget. » Ibidem, cap. VIII, Myrogenes

hydropicus : « Orate, ait, pro me, patres, ne interior homo hydropicus fiat; ego enim Deum oro, ut in hac infirmitate diutius durem. » Nimirum hi Sancti hanc Apostoli sententiam generalem recte adaptarunt morbis et mortificationi.

Unde crescat Martyrum robur tormentis?

Ita admirabilis ille Martyr Clemens Ancyranus cum Agathangelo sub imperatore Diocletiano, cum omnis generis tormentis cruciaretur, corpore licet confracto, animo tamen indies fiebat valentior et robustior, ut nova semper appeteret tormenta, ad eaque excipienda vitam sibi quam diutissime prorogari a Deo petierit et obtinuerit, scilicet ad viginti octo annos, quibus assidue tortus et excarnificatus fuit : eumque Diocletianus et præsides stuperent ad tantam Martyris fortitudinem et animi magnitudinem, rogarentque eum in tormentis qui sese haberet, quomodo illa tolerare posset? Respondit hanc Pauli sententiam : « Licet is qui foris est, noster homo corrumpatur : tamen is qui intus est, renovatur de die in diem. »

17. Id enim, quod in presenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ. — Græce τὸ γὰρ παραυτίκα ἐλαφρὸν τῆς θλίψεως ἡμῶν, *quod in momento est leve*, vel, potius ad verbum, *momentanea levitas afflictionis nostræ* : ut τὸ ἐλαφρὸν ponatur pro nomine substantivo, sitque idem quod levitas ; et τὸ παραυτίκα fungatur vice adjectivi, sitque idem quod momentanea : quod Græcis est perfamiliare. Sic Demosthenes ait : ἡ παραυτίκα ἡδονή, id est, *momentanea voluptas*.

Ubi nota : Τὸ *in præsenti* non est in Græco expresso, sed tacite includitur in momento, vel momentaneo. *Secundo*, ἐλαφρὸν, ait Erasmus, id est *levitas*, hic dicitur de afflictione, non quasi levis sit toleratu, sed quod leviter et cito transeat. Sic et βάρος, id est *pondus*, quod levitati opponit; non vocat id quod gravat, sed quod solidum est, et permanet. Sic enim Græcis ἔλαφος dicitur quasi ἀλαφρὸς, ab ἀλαφὸς, id est, *cervus*, *q. d.* Levis et celer instar cervi. Verum sic tautologiam committeret Apostolus, et quod clarius dixit : *Momentaneum et æternum*, idem obscurioribus verbis repeteret, dicens et explicans *momentaneum* per *leve*, *æternum* per *pondus*. Unde aptius ἐλαφρὸς significat hic, uti et alibi sæpe, id quod in se facile est et leve; opponitur enim gravi, sive ponderi. Sic dicitur ἐλαφρὰ ἐσθὴς, *levis vestis*, non ponderosa, apud Xenophontem. Sic dicunt Græci ἐν ἐλαφρῷ εὐκοσθαι, hoc est, *leve ducere*, parvi æstimare, *q. d.* Omnis nostra tribulatio momentanea est et levis, si cum æterno illo et gravissimo gloriæ pondere conferatur, perinde ac si plumam unam, vel lanuginem levissimam cum plumbo totius universi conferas.

Levitas tribulationum hujus vitæ

Ilinc pulchre S. Augustinus in *Psal.* LIX, exobscans illud Christi : « Jugum enim meum suave est, et onus (pro quo Augustinus legit, *sarcina*) meum leve, » sic ait : « Alia (mundi) sarcina premit et aggravat te, Christi autem sarcina sublevat te; alia sarcina pondus habet, Christi sarcina pennas habet. Nam et avi si pennas detrahas, quasi onus tollis, et quo magis onus abstulisti, eo magis in terra remanebit : redeat onus, et volat. Talis est Christi sarcina. »

Hoc cogitabat S. Joannes Chrysostomus cum in exilium Cucusum duceretur. Unde cum debili et infirmo corpore, febri æstuans, nocte et die a militibus cogeretur proficisci continuo per septuaginta dies (qui eum hac ratione conficere et occidere volebant, ut gratificarentur Eudoxiæ Imperatrici, prout eum confecerunt et occiderunt, ita ut revera sit Martyr) in summa fame, siti, paupertate, Solis ardoribus, periculis Arabum, hæc omnia alacriter et generose superabat, ita ut sui oblitus nobiles matronas, Olympiadem, Pentadiam aliosque amicos propter se afflictos consolaretur et erigeret, ad fortiter carceres, ac dura quævis pro Christo toleranda. Scripsit tunc quoque tractatum illum divinum, *Quod nemo lædatur nisi a seipso*, in quo seipsum superavit. Vivis enim rationibus ostendit, omnem veri doloris causam et materiam non ab alio, sed a nobis ipsis proficisci. Eo quod veri doloris materia et causa tantum sit peccatum (hoc enim solum verum est malum, ideoque de eo solo dolendum), quod non nisi propria et libera voluntate quisque admittit. Cætera enim mala et dolores, quicumque in mundo sunt, si cum peccato comparentur, non veros, sed pictos tantum et fictos esse, utpote leves, exiles et breves; cum peccatum inducat gravissimos, plurimos et æternos.

Supra modum in sublimitate. — *q. d.* Ait Anselmus : Ut sublimetur ad cœlorum angelorumque celsitudinem. Sed nota : Græce est καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν, *secundum excellentiam ad excellentiam*, id est excellenter excellens, ait Theophylactus; sive mire et supra modum celsum, sublime et immensum, gloriæ videlicet pondus. Ita Œcumenius. Sic enim Hebræi per geminationem vocis significant vehementiam et superlativum, ut מְאֹד מְאֹד *meod meod*, id est valde valde, hoc est, supra modum, et plurimum, *q. d.* Incomparabiliter majus et excellentius est pondus gloriæ futuræ tribulatione quam hic patimur.

Notant Chrysostomus et Theodoretus pulchra antithesi, momentaneo opponi æternum, levi pondus, τῷ in præsenti τὸ in sublimitate, tribulationi non quietem tantum, sed insuper et gloriam. Sic vers. seq. opponit τὰ βλεπόμενα καὶ τὰ μὴ βλεπόμενα, *ea quæ videntur, et ea quæ non videntur*; πρόσκαιρα καὶ *aiona*, *temporalia*, sive ad tempus duratura, *et æterna*. Sic Machabæis, Vincentio, Laurentio, Stephano, lapides, sartagines, equulei et tormenta omnia præ gloria cœlesti erant quasi momentum respectu infiniti temporis; quasi pluma, vel bulla levissima, respectu cœli, vel universi alicujus plumbei, aut potius aurei; quasi punctum, respectu totius mundi.

Libertas spiritus dum tribulatur.

Pulchre S. Augustinus in *Psal.* XCIII, Deum dicere ait : « Venale habeo ; quid, Domine? Regnum cœlorum ; quo emitur? paupertate regnum, dolore gaudium, labore requies, vilitate gloria, morte vita. » Scriptum est enim : « Beati pauperes, quoniam ipsorum est regnum cœlorum : beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur : beati qui esuriunt, quoniam ipsi saturabuntur, » etc. Apposite ergo Paulus gloriæ pondus attribuit, tribulationi levitatem : huic, momentaneam durationem, illi æternitatem : huic, præsens tempus et locum, illi sublimitatem et perennitatem : huic, nostram esse tribulationem, quippe quam quasi manu apprehendimus, et pugno concludimus; illi vero, ut supra modum supraque omnem mensuram, sine ulla intermissione operetur in nobis.

Æternum gloriæ pondus (Syrus, *gloriam infinitam in sæcula sæculorum*) operatur, — non physice et efficienter, sed moraliter et meritorie. Hinc patent merita bonorum operum. Negat id Calvinus et ex eo Beza, tantumque ait hic significari ordinem, vel quo itinere ad gloriam perveniatur, scilicet per tribulationes. Sed hoc nimis est frigidum : nec enim iter, sive via dicitur operari ipsum itineris terminum, nisi per iter, non viam, sed ipsam itinerationem, sive profectionem accipias : quæ sane termini est causa, non tantum moralis, sed et physica, proprieque efficiens : quam si concedat Calvinus in operibus bonis et meritis respectu mercedis æternæ, plus iis dabit, quam dent Catholici, qui non physicam et propriam, sed moralem tantum et meritoriam eis dant causalitatem et efficientiam. Deinde non tantum ordinem hic significari patet ex Græco κατεργάζεται, id est peroperatur, conficit, perficit : quod utique causam non qualem qualem, sed potentem efficacemque significat. Ita Ambrosius et nuxime Chrysostomus in morali : « Deus, ait, justus judex, eo modo reddit justis beatitudinem, quo malis infernum; » atqui malis reddit infernum quasi meritas scelerum pœnas : ergo et justis reddit beatitudinem quasi meritam bonis operibus mercedem et præmium. Et S. Bernardus, in *Psal.* XC, serm. 17 : « Non dixit, inquit, Remunerabitur, sed, Æternum pondus gloriæ operatur in nobis. Latet gloria, fratres mei, abscondita nobis est in tribulatione : in momentaneo hoc latet æternitas, in hoc levi pondus sublime et supra modum, » *q. d.* In levi tribulatione latet et continetur pondus gloriæ, sicut messis latet et continetur in semine : unde cum hoc suam vim exerit, tunc illam operatur et producit. Unde subdit : « Interim ergo festinemus nobis emere agrum istum, emere thesaurum istum, qui absconditus est in agro. Omne gaudium existimemus, cum in varias inciderimus tribulationes. Dicamus ex animo : Bonum magis ire ad domum luctus, quam ad domum convivii. »

Quomodo gloria dicatur operari.

Dices, quomodo ergo passiones vocat leves, et alibi ait : « Non sunt condignæ? »

Respondeo : Non sunt condignæ, quatenus passiones seu quatenus opera pœnalia naturæ, quia sic proportionem non habent cum tanta gloria : condignæ tamen sunt, quatenus passiones hæ tolerantur ex gratia et charitate; sic enim sunt opera gratiæ et charitatis; hæc enim gratia semen est gloriæ. Sicut ergo semen messi condignum est et commensuratum, ita et gratia gloriæ. *Secundo*, condignæ sunt, quatenus sunt passiones Christi, id est ex Christi meritis profectæ, eisque subordinatæ : Christus enim meruit nobis hanc patientiam passionum et afflictionum, itemque meruit ut hac patientia nostra quasi sua, et ex se suisque meritis manente, æternam gloriam mereremur.

Quatenus passiones non transeant ad gloriam?

Præclare S. Bernardus, serm. 1 *De Diversis*, singula verba Apostoli perurgens : « Perge ergo, inquit, murmurare et dicere : Longum est, grave est, non possum tam immania et tam diuturna portare. Apostolus momentaneum et leve perhibet esse quod toleras : et certe necdum a Judæis quinquies quadragenas una minus accepisti, necdum plus omnibus laborasti, postremo necdum usque ad sanguinem restitisti : vide ergo quam non sunt condignæ passiones ad gloriam. *Primo*, quid in incertum dies et horas numeras? transit hora, transit et pœna : nec accedunt sibi, sed cedunt potius et succedunt. Non sic gloria, non sic remuneratio, non sic merces ipsa laboris : nescit vicissitudinem, nescit finem, manet tota simul, et manet in æternum. *Secundo*, guttatim pœna bibitur, liquando sumitur, per minutias transit. Nam in remuneratione torrens est voluptatis, et fluminis impetus, torrens inundans lætitiæ, flumen gloriæ, et flumen pacis. *Tertio*, non enim nobis gloriosa vestis, non gloriosa domus, sed ipsa gloria promittitur. Nam in veritate justorum expectatio, non aliquod lætum, sed ipsa lætitia est. Gaudent in cibis, gaudent in pompis, gaudent in divitiis, gaudent et in vitiis homines : sed luctus extrema occupat ejusmodi gaudiorum. Nobis autem non favum mellis, sed purissimum et liquidissimum mel reposuit Deus, ipsam plane lætitiam, vitam, gloriam, pacem, voluptatem, amœnitatem, felicitatem, jucunditatem et exultationem thesaurizavit nobis Dominus Deus noster : et hæc omnia unum, ut sit participatio Jerusalem in idipsum. Et hoc unum et idipsum non nisi ipse, dicente Apostolo : Quoniam erit Deus omnia in omnibus. Hæc merces nostra, hæc corona nostra, hoc bravium nostrum : ad quod utinam sic curramus, ut comprehendamus! »

Moraliter Auctor libri *De Anima et Spiritu*, qui extat tom. III operum S. Augustini (Trithemius putat esse opus Hugonis Victorini, nam non esse S. Augustini patet ex cap. XXXVII, ubi citat Boetium, qui Augustino fuit posterior), graphice hoc gloriæ pondus, et hæc gaudia Beatorum, cap. LVII et seq. depingit : *ac primo*, describit mutuam omnium Beatorum charitatem, et exinde mutuam

Graphica gaudii Beatorum.

gaudium, quo quisque non sua solius, sed et singulorum aliorum beatitudine gaudebit, eritque beatus non semel, sed centies millies. *Secundo*, describit delectationem quam Beati percipient ex visione Dei. *Tertio*, ob oculos ponit plenissimam eorum pacem et suavitatem. *Quarto*, cap. LXIV, exaggerat possessionem immensi boni, quod est ipse Deus. *Quinto*, affert pulchritudinis, sanitatis, sapientiæ, melodiæ, honoris, divitiarum et omnium bonorum, quæ hic vel gustare, vel concipere possumus, copiam et affluentiam. « In cœlo, inquit, est quidquid amatis, quidquid desideratis. Si deleciet pulchritudo, fulgebunt justi sicut sol; si velocitas aut fortitudo, erunt similes angelis Dei; si longa et salubris vita, ibi est sana æternitas, et æterna sanitas; si satietas, satiabuntur cum apparuerit gloria Domini; si ebrietas, inebriabuntur ab ubertate domus Dei; si melodia, ibi angeli sine fine concinunt Deo; si quælibet mundi voluptas, torrente deitatis suæ potabit eos Dominus; si sapientia, omnes erunt docibiles Dei; si concordia, cibus erit illis voluntas Dei; si potestas, introibunt in potentias Domini, et omnipotentes erunt suæ voluntatis, uti Deus suæ: nam sicut poterit Deus quod volet per seipsum, ita poterunt illi quod volent per illum; si honor et divitiæ, Deus servos suos bonos et fideles super multa constituet; si vera securitas, certe ita certi erunt nusquam illud bonum sibi defuturum, sicut certi erunt nec se sua sponte illud amissuros, nec dilectorem Deum illud dilectoribus suis invitis ablaturum. » Ex quibus omnibus recte infert S. Gregorius, hom. 32 *in Evangel.*: « Ad magna, inquit, præmia perveniri non potest nisi per magnos labores. Unde et Paulus egregius prædicator dicebat: Non coronabitur nisi qui legitime certaverit. Delectet igitur mentem magnitudo præmiorum, sed non deterreat certamen laborum. » Tempus enim præsens, ut quidam Sanctorum ait, est laboris et pœnitentiæ: futurum vero erit quietis et lætitiæ.

18. QUÆ ENIM VIDENTUR, TEMPORALIA SUNT: QUÆ AUTEM NON VIDENTUR, ÆTERNA SUNT. — Præclare S. Augustinus in *Sententiis*, num. 270: « Inter temporalia, ait, atque æterna hoc interest, quod temporalia plus diligantur antequam habeantur, vilescant autem cum advenerint. Non enim satiat animum, nisi incorruptibilis gaudii vera et certa æternitas. Æternum vero ardentius diligitur adeptum quam desideratum. Nemo enim plus de illo æstimat quam de se habet, ut fiat vilius quia speratum est amplius. Sed tanta est ibi excellentia, ut multo plus adeptura sit charitas, quam vel fides credidit, vel spes desideravit. » Vide S. Gregorium, homil. 36 *in Evangel.*, initio, ubi idem discrimen inter voluptates carnales et spirituales assignat fusiusque pertractat.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, pergit inculcare futuram gloriam, ad eamque ex hoc exilio et tabernaculo suspirat, optans peregrinari a corpore, et præsens esse ad Dominum.

Secundo, vers. 9, *ostendit se contendere, non ut hominibus, sed ut uni Christo, utpote nos judicaturo, per omnia placeat.*

Tertio, vers. 14, *docet se ad hoc urgeri charitate Christi, qui sua morte nos reconciliavit; itaque se jam neminem nosse secundum carnem, sed tantum si qua in Christo nova creatura.*

Quarto, vers. 18, *profitetur se esse ministrum et legatum Christi, ac pro Christo obsecrat ut reconcilientur Deo.*

1. Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis. 2. Nam et in hoc ingemiscimus, habitationem nostram, quæ de cœlo est, superindui cupientes: 3. si tamen vestiti, non nudi inveniamur. 4. Nam et qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati: eo quod nolumus exspoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur quod mortale est, a vita. 5. Qui autem efficit nos in hoc ipsum, Deus, qui dedit nobis pignus spiritus. 6. Audentes igitur semper, scientes quoniam, dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino: 7. (per fidem enim ambulamus, et non per speciem). 8. Audemus autem, et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, et præsentes esse ad Dominum. 9. Et ideo contendimus sive absentes, sive præsentes placere illi. 10. Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. 11. Scientes ergo timorem Domini, hominibus suademus, Deo autem manifesti sumus. Spero autem et in conscientiis vestris manifestos nos esse. 12. Non iterum commendamus nos vobis, sed occasionem damus vobis gloriandi pro nobis: ut habeatis ad eos, qui in facie gloriantur, et non in corde. 13. Sive enim mente excedimus, Deo: sive sobrii sumus, vobis. 14. Charitas enim Christi urget nos: æstimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. 15. Et pro omnibus mortuus est Christus: ut, et qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est et resurrexit. 16. Itaque nos ex hoc neminem novimus secundum carnem. Et si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus. 17. Si qua ergo in Christo nova creatura, vetera transierunt: ecce facta sunt omnia nova. 18. Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum, et dedit nobis ministerium reconciliationis. 19. Quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum, et posuit in nobis verbum reconciliationis. 20. Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. 21. Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.

1. SCIMUS ENIM, QUONIAM SI TERRESTRIS DOMUS (id est scimus, si corpus mortale, in quo brevi tempore quasi in tabernaculo, hoc enim Græcum σκῆνος significat, tanquam peregrini et viatores moramur) DISSOLVATUR, QUOD DOMUM (et, ut Syrus, *ædificium*, puta firmum atque stabile) HABEMUS NON MANUFACTAM, — puta gloriam animæ et vitam æternam. Ita Photius, Anselmus, S. Thomas, Lyranus, et ita respondet versui 6 et 8, ubi ait: « Audemus peregrinari, et præsentes esse ad Dominum. » Unde ex hoc sensu et Patrum explicatione, et certius ex vers. 8, contra Tertullianum, Græcos, Armenos, Lutherum, Calvinum evincitur beatitudo animarum statim a morte, nec eas dormire sub altari usque ad resurrectionem.

Secundo et aptius: « Domum, » id est corpus resurrectione glorificatum, « habemus, » id est habebimus certo in resurrectione; et hoc magis respondet versui 4 et cap. præced.; excitat enim Apostolus ad mortificationis et passionis corporalis tolerantiam per spem resurrectionis, in qua recipiemus corpus gloriosum. Sic I Cor. XV, dicit: « Seminatur, » scilicet corpus, « in ignobilitate, surget in gloria, » id est gloriosum; et tale corpus proprie domus est animæ beatæ, sicut corpus mortale domus est animæ hic viventis et patientis. Ita S. Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, S. Ambrosius.

Corpus est domus animæ beatæ.

Dices: Ipsa gloria, in quam intrat anima beata, dici potest animæ domus: sic enim dicit Christus: « Intra in gaudium Domini tui. » Respondeo, dici, « intra in gaudium, » non quasi gaudium sit domus in quam intratur, ut volunt aliqui; sed gaudium metonymice dicitur locus ipse gaudii, q. d. Intra in nuptias cœlestes, intra in cœlum, ubi locus est gaudiorum plenissimorum et æternorum: minus enim recte ipsa gloria, vel gaudium dicitur domus, in quam intrabunt Beati.

Moraliter Chrysostomus, hom. 5 in epist. *ad Hebræos*: Eadem, inquit, facilitate corpus exuere debemus qua vestem, uti Joseph pallium reliquit Ægyptiæ; et B. Aloysius Gonzaga moriturus ita de morte sua loquebatur, quasi de una domo tantum in aliam migraret.

2. NAM ET IN HOC INGEMISCIMUS, HABITATIONEM NOSTRAM, QUÆ DE CŒLO EST, SUPERINDUI CUPIENTES, — id est, ut Syrus, ad hoc gemimus et suspiramus, scilicet ut domus hæc terrestris et misera, id est corpus hoc mortale, dissolvatur, et habitationem, id est domum nostram, quæ de cœlo est, corpus videlicet beatum et gloriosum, superinduamus, ut sequitur. *Secundo* et melius: propter hoc, scilicet mortem et dissolutionem, quæ intervenire debet, ut a vita hac transeamus ad æternam, ingemiscimus: nam mors hæc contra naturam est; optaremus enim superindui gloria, non spoliari vita, ut sequitur vers. 4. Hic sensus magis constabit ex vers. seq. Unde S. Gregorius, lib. XXXI *Moral.*, cap. XXVI: « Ecce, inquit, Paulus et mori desiderat, et tamen carne exspoliari formidat. Cur hoc? quia, etsi victoria in perpetuum lætificat, ipsa nihilominus ad præsens pœna perturbat. Sicut enim vir fortis cum vicino jam belli certamine armis accingitur, et palpitat et festinat; tremit et sævit; quasi pavere per pallorem cernitur, sed per iram vehementer urgetur: ita vir sanctus cum passioni se propinquare conspicit, et naturæ suæ infirmitate concutitur, et spei suæ soliditate roboratur; et de vicina morte trepidat, et tamen quod moriendo verius vivat, exsultat. Ad regnum quippe non potest nisi interposita morte transire: et idcirco confidendo quasi ambigit, et quasi ambigendo confidit; et gaudens metuit, et metuens gaudet (1). »

Sanctus mortem desiderat et formidat.

(1) Alilioli vers. 2 et 3 sic interpretatur: Hanc speramus

gaudium, quo quisque non sua solius, sed et singulorum aliorum beatitudine gaudebit, eritque beatus non semel, sed centies millies. *Secundo*, describit delectationem quam Beati percipient ex visione Dei. *Tertio*, ob oculos ponit plenissimam eorum pacem et suavitatem. *Quarto*, cap. LXIV, exaggerat possessionem immensi boni, quod est ipse Deus. *Quinto*, affert pulchritudinis, sanitatis, sapientiæ, melodiæ, honoris, divitiarum et omnium bonorum, quæ hic vel gustare, vel concipere possumus, copiam et affluentiam. « In cœlo, inquit, est quidquid amatis, quidquid desideratis. Si deleciet pulchritudo, fulgebunt justi sicut sol; si velocitas aut fortitudo, erunt similes angelis Dei; si longa et salubris vita, ibi est sana æternitas, et æterna sanitas; si satietas, satiabuntur cum apparuerit gloria Domini; si ebrietas, inebriabuntur ab ubertate domus Dei; si melodia, ibi angeli sine fine concinunt Deo; si quælibet mundi voluptas, torrente deitatis suæ potabit eos Dominus; si sapientia, omnes erunt docibiles Dei; si concordia, cibus erit illis voluntas Dei; si potestas, introibunt in potentias Domini, et omnipotentes erunt suæ voluntatis, uti Deus suæ: nam sicut poterit Deus quod volet per seipsum, ita poterunt illi quod volent per illum; si honor et divitiæ, Deus servos suos bonos et fideles super multa constituet; si vera securitas, certe ita certi erunt nusquam illud bonum sibi defuturum, sicut certi erunt nec se sua sponte illud amissuros, nec dilectorem Deum illud dilectoribus suis invitis ablaturum. » Ex quibus omnibus recte infert S. Gregorius, hom. 32 *in Evangel.*: « Ad magna, inquit, præmia perveniri non potest nisi per magnos labores. Unde et Paulus egregius prædicator dicebat: Non coronabitur nisi qui legitime certaverit. Delectet igitur mentem magnitudo præmiorum, sed non deterreat certamen laborum. » Tempus enim præsens, ut quidam Sanctorum ait, est laboris et pœnitentiæ: futurum vero erit quietis et lætitiæ.

18. QUÆ ENIM VIDENTUR, TEMPORALIA SUNT: QUÆ AUTEM NON VIDENTUR, ÆTERNA SUNT. — Præclare S. Augustinus in *Sententiis*, num. 270: « Inter temporalia, ait, atque æterna hoc interest, quod temporalia plus diligantur antequam habeantur, vilescant autem cum advenerint. Non enim satiat animum, nisi incorruptibilis gaudii vera et certa æternitas. Æternum vero ardentius diligitur adeptum quam desideratum. Nemo enim plus de illo æstimat quam de se habet, ut fiat vilius quia speratum est amplius. Sed tanta est ibi excellentia, ut multo plus adeptura sit charitas, quam vel fides credidit, vel spes desideravit. » Vide S. Gregorium, homil. 36 *in Evangel.*, initio, ubi idem discrimen inter voluptates carnales et spirituales assignat fusiusque pertractat.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, pergit inculcare futuram gloriam, ad eamque ex hoc exilio et tabernaculo suspirat, optans peregrinari a corpore, et præsens esse ad Dominum.

Secundo, vers. 9, *ostendit se contendere, non ut hominibus, sed ut uni Christo, utpote nos judicaturo, per omnia placeat.*

Tertio, vers. 14, *docet se ad hoc urgeri charitate Christi, qui sua morte nos reconciliavit; itaque se jam neminem nosse secundum carnem, sed tantum si qua in Christo nova creatura.*

Quarto, vers. 18, *profitetur se esse ministrum et legatum Christi, ac pro Christo obsecrat ut reconcilientur Deo.*

1. Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis. 2. Nam et in hoc ingemiscimus, habitationem nostram, quæ de cœlo est, superindui cupientes: 3. si tamen vestiti, non nudi inveniamur. 4. Nam et qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati: eo quod nolumus exspoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur quod mortale est, a vita. 5. Qui autem efficit nos in hoc ipsum, Deus, qui dedit nobis pignus spiritus. 6. Audentes igitur semper, scientes quoniam, dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino: 7. (per fidem enim ambulamus, et non per speciem). 8. Audemus autem, et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, et præsentes esse ad Dominum. 9. Et ideo contendimus sive absentes, sive præsentes placere illi. 10. Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. 11. Scientes ergo timorem Domini, hominibus suademus, Deo autem manifesti sumus. Spero autem et in conscientiis vestris manifestos nos esse. 12. Non iterum commendamus nos vobis, sed occasionem damus vobis gloriandi pro nobis: ut habeatis ad eos, qui in facie gloriantur, et non in corde. 13. Sive enim mente excedimus, Deo: sive sobrii sumus, vobis. 14. Charitas enim Christi urget nos: æstimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. 15. Et pro omnibus mortuus est Christus: ut, et qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est et resurrexit. 16. Itaque nos ex hoc neminem novimus secundum carnem. Et si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus. 17. Si qua ergo in Christo nova creatura, vetera transierunt: ecce facta sunt omnia nova. 18. Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum, et dedit nobis ministerium reconciliationis. 19. Quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum, et posuit in nobis verbum reconciliationis. 20. Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. 21. Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.

1. SCIMUS ENIM, QUONIAM SI TERRESTRIS DOMUS (id est scimus, si corpus mortale, in quo brevi tempore quasi in tabernaculo, hoc enim Græcum σκῆνος significat, tanquam peregrini et viatores moramur) DISSOLVATUR, QUOD DOMUM (et, ut Syrus, *ædificium*, puta firmum atque stabile) HABEMUS NON MANUFACTAM, — puta gloriam animæ et vitam æternam. Ita Photius, Anselmus, S. Thomas, Lyranus, et ita respondet versui 6 et 8, ubi ait: « Audemus peregrinari, et præsentes esse ad Dominum. » Unde ex hoc sensu et Patrum explicatione, et certius ex vers. 8, contra Tertullianum, Græcos, Armenos, Lutherum, Calvinum evincitur beatitudo animarum statim a morte, nec eas dormire sub altari usque ad resurrectionem.

Secundo et aptius: « Domum, » id est corpus resurrectione glorificatum, « habemus, » id est habebimus certo in resurrectione; et hoc magis respondet versui 4 et cap. præced.; excitat enim Apostolus ad mortificationis et passionis corporalis tolerantiam per spem resurrectionis, in qua recipiemus corpus gloriosum. Sic I Cor. XV, dicit: « Seminatur, » scilicet corpus, « in ignobilitate, surget in gloria, » id est gloriosum; et tale corpus proprie domus est animæ beatæ, sicut corpus mortale domus est animæ hic viventis et patientis. Ita S. Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, S. Ambrosius.

Corpus est domus animæ beatæ.

Dices: Ipsa gloria, in quam intrat anima beata, dici potest animæ domus: sic enim dicit Christus: « Intra in gaudium Domini tui. » Respondeo, dici, « intra in gaudium, » non quasi gaudium sit domus in quam intratur, ut volunt aliqui; sed gaudium metonymice dicitur locus ipse gaudii, q. d. Intra in nuptias cœlestes, intra in cœlum, ubi locus est gaudiorum plenissimorum et æternorum: minus enim recte ipsa gloria, vel gaudium dicitur domus, in quam intrabunt Beati.

Moraliter Chrysostomus, hom. 5 in epist. *ad Hebræos*: Eadem, inquit, facilitate corpus exuere debemus qua vestem, uti Joseph pallium reliquit Ægyptiæ; et B. Aloysius Gonzaga moriturus ita de morte sua loquebatur, quasi de una domo tantum in aliam migraret.

2. NAM ET IN HOC INGEMISCIMUS, HABITATIONEM NOSTRAM, QUÆ DE CŒLO EST, SUPERINDUI CUPIENTES, — id est, ut Syrus, ad hoc gemimus et suspiramus, scilicet ut domus hæc terrestris et misera, id est corpus hoc mortale, dissolvatur, et habitationem, id est domum nostram, quæ de cœlo est, corpus videlicet beatum et gloriosum, superinduamus, ut sequitur. *Secundo* et melius: propter hoc, scilicet mortem et dissolutionem, quæ intervenire debet, ut a vita hac transeamus ad æternam, ingemiscimus: nam mors hæc contra naturam est; optaremus enim superindui gloria, non spoliari vita, ut sequitur vers. 4. Hic sensus magis constabit ex vers. seq. Unde S. Gregorius, lib. XXXI *Moral.*, cap. XXVI: « Ecce, inquit, Paulus et mori desiderat, et tamen carne exspoliari formidat. Cur hoc? quia, etsi victoria in perpetuum lætificat, ipsa nihilominus ad præsens pœna perturbat. Sicut enim vir fortis cum vicino jam belli certamine armis accingitur, et palpitat et festinat; tremit et sævit; quasi pavere per pallorem cernitur, sed per iram vehementer urgetur: ita vir sanctus cum passioni se propinquare conspicit, et naturæ suæ infirmitate concutitur, et spei suæ soliditate roboratur; et de vicina morte trepidat, et tamen quod moriendo verius vivat, exsultat. Ad regnum quippe non potest nisi interposita morte transire: et idcirco confidendo quasi ambigit, et quasi ambigendo confidit; et gaudens metuit, et metuens gaudet (1). »

Sanctus mortem desiderat et formidat.

(1) Alilioli vers. 2 et 3 sic interpretatur: Hanc speramus

Dices : Quomodo metaphora domus et habitationis congruit cum veste quæ superinduitur? Respondeo: Apostolus duas hic metaphoras conjungit : una petitur a domo, secunda a veste. Solent enim Hebræi, quos hic imitatur D. Paulus, multas metaphoras simul implicare et convolvere. Id videre est tum in Prophetis, tum in Psalmis, tum in parabolis Christi.

3. Si tamen vestiti, non nudi inveniamur. — Pro *vestiti* nonnulli legunt *exspoliati* : facilis enim lapsus est Græci » in ς, ut pro ἐνδυσάμενοι, scribatur ἐκδυσάμενοι : itaque legit Augustinus et ex eo Beda hic, Ambrosius, Tertullianus et Paulinus mox citandi, sicque explicat Augustinus, *q. d.* Supervestiemur cœlesti gloria, si quidem exspoliati hoc corpore, Christum fuerimus induti, eoque vestiti.

Nota : Distinguit hic tria Apostolus, *primo*, esse nudos et exspoliatos; *secundo*, esse indutos; *tertio*, superindui, ut clarius patet ex Græco : sicut enim vers. præced. gloriam cœlestem vocavit domum et habitationem, sic etiam hic eamdem alia metaphora vestem vocat. Jam locum hunc sic explicant aliqui, *q. d.* Cupimus superindui cœlestem habitationem, scilicet corpus cœleste et incorruptibile, sic tamen ut cum immortalitate gloria quoque donemur, gloriaque non nudi, sed vestiti inveniamur. Nam, ut ait Apostolus, I *Cor.* XV, 51 : « Omnes quidem resurgemus *ad immortalitatem*, sed non omnes immutabimur *ad gloriam*. » Verum de solis reprobis et damnatis hoc verum est. Illi autem licet habituri sint corpus immortale, non tamen dici possunt habituri corpus cœleste : soli enim beati, hoc habituri sunt. Cœleste ergo corpus est, quod ita est immortale, ut pariter sit et gloriosum; ac consequenter qui illud habent, necessario vestiti et non nudi inveniuntur. Apostolus autem hic ab iis qui cupiunt habere corpus cœleste, excipit, et conditionate dicit : « Si tamen vestiti, non nudi inveniamur. »

Damnati licet corpus habituri, erunt tamen sine veste.

Secundo ergo aliter explicant hunc locum S. Chrysostomus, Theophylactus, Theodoretus, Ambrosius, *q. d.* Domus illa, id est cœlestis gloria, nobis obtinget, si ea digni inter electos, non inter reprobos inveniamur; videlicet si gratia, charitate et bonis operibus vestiti, non autem iis nudi inveniamur, et, ut ait S. Paulinus, epist. 8 *ad Severum Sulpit.* : « Si dispoliatus a corpore, non inveniaris nudus ab opere; » si enim *iis* simus vestiti, tunc Deus nos superinduet, quasi nova veste induta, stola gloriæ immortalis. Verum, quia vers. seq. nuditatem hanc explicat separationem animæ a corpore; ait enim, « nolumus exspoliari, » scilicet corpore, ut anima nuda sola

An qui hic nudi, vestiti et supervestiti?

vehementer tamen opto, ut statim ex hac vita, vitato sepulcro, ingrediar cœlestem domum (nam cum tempus secundi adventus ignotum esset, Christum iterum venturum vivo Apostolo, haud erat impossibile), si tamen inventus fuero dignus qui induar, nec nudus relinquar. Recennulleros : Si quidem induti, non nudi, seu sine corpore, erimus.

laque beetur, « sed supervestiri; » videtur potius, ut recte notavit Tertullianus, lib. *De Resurrect. carnis*, cap. XLII, nudos et exspolintos nos vocare, cum mortui sumus, et anima corpore spoliata est; ac consequenter vestitos, cum anima corpori est conjuncta, illudque quasi vestem induit; superindutos vero, vel supervestitos, cum corpus gloria cœlesti quasi veste induitur et ornatur; ut, sicut anima corpore, ita corpus gloria vestiatur; sic enim anima corpore vestitur, sed gloria supervestitur et superinduitur. Cupimus ergo ea superindui, si « tamen vestiti, non nudi inveniamur. »

Ubi nota *secundo* : Vox *si* aliquid peculiare exigit, non commune omnibus electis, sed aliquibus proprium, videlicet iis, qui in fine mundi vivi, et corpore vestiti invenientur; sicque vivi, vel ita morientes, ut mox resurgant, videanturque non esse mortui sed vivi, supervestientur immortalitate. Sensus itaque est, ut recte Cajetanus, *q. d.* Nobis contingit non dissolvi, non mori, quod naturaliter abhorremus, et propter quod gemimus sed gloria superindui, quod tantopere cupimus, si inveniamur in fine mundi residui, nondumque mortui, sed vestiti corpore, non eo nudati, ut non, vel non nisi brevissimo tempore, morisamur, sed transeamus ex hac vita ad æternam. Patet ex sequentibus.

An qui hic vivimus, tunc immunes futuri a morte?

4. Nam et qui sumus in hoc tabernaculo (corporis scilicet), ingemiscimus gravati (scilicet, ut Syrus, ob ejus (corporis) onus et pondus; ita tamen, ut cum S. Gregorio Nazianzeno dicamus : « Domine, aufer a me tunicam hanc ita gravem (corpus scilicet terrestre, ponderosum, ærumnosum), sed et da mihi leviorem), eo quod nolumus exspoliari. — Græce ἐκδύσασθαι, *exui*, scilicet corpore, sed ἐπενδύσασθαι, *superindui*, scilicet gloria; se tamen ἐνδυσάμενοι, id est *vestiti* carne et corpore, non ea nudati per mortem inveniamur. Apostolus enim ita loqui solet de resurrectione et die judicii, quasi ea instet, et quasi eam ipse cum aliis tunc viventibus sit visurus. Unde I *Thessal.* IV, vers. ultim. : « Deinde, inquit, nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino erimus. » De quo ibi.

Vers. 4.

Eo quod nolumus exspoliari, — corpore scilicet. Erravit ergo Plato, qui σῶμα, id est corpus, quasi σῆμα, id est sepulcrum, dici putavit, et ex illo Origenes, qui animas ob peccata in corpus hoc quasi carcerem detrusas censuit : quis enim non cuperet suo carcere spoliari? anima autem non cupit corpore spoliari; est ergo corpus animæ amicum, socium et compar, animaque corpus expetit, sicut forma materiam : et contra. Videtur ergo Platonis et Platonicorum, quorum scholæ florebant Corinthi, errorem hunc perstringere hic Apostolus.

Error Platonicorum de populare corpore.

Ut absorbeatur quod mortale est, a vita, — mortalitas ab immortalitate.

Vers. 5.

Triplex hujus loci sensus.

5. Qui autem efficit nos in hoc ipsum, Deus. — Græce ὁ δὲ κατεργασάμενος, *qui operatus est*, perfecit, fornavit nos, scilicet « qui » *primo*, creavit « nos in hoc ipsum, » scilicet ad hanc beatitatem et vitam immortalem, Deus est. *Secundo*, qui æterno suo decreto paravit et destinavit nos ad eamdem illam beatitatem, idem Deus est. *Tertio* et optime, qui per suam gratiam voluntatem, intellectum, totumque hominem nostrum ita format, præparat, componit, quique facit nos ita vivere, ut digni simus, qui hac immortalitate beemur, ille idem est Deus, ita Ambrosius.

Qui dedit nobis pignus Spiritus, — id est, ut Ambrosius legit, *Spiritum*, *q. d.* Non dedit nobis Deus pignus auri vel argenti, id est aurum vel argentum in pignus, sed dedit nobis Spiritum Sanctum, cum ejus charitatem, virtutes et sanctitatis spiritum, quo fiducialiter Deum Patrem invocamus, clamantes quasi filii, Abba Pater, nobis infudit. Hic enim Spiritus pignus est futuræ gloriæ et hæreditatis nostræ cœlestis : ad hoc enim dedit nobis Deus hunc Spiritum, ut per illum, quasi pignus et arrham, certos nos faceret de futura hæreditate, si pergamus quasi morigeri filii Deum Patrem invocare, illique obedire, ejusque Spiritum quasi pignus retinere et conservare.

Vers. 6.

6. Audentes, — θαῤῥοῦντες, *confidentes*, id est audemus, confidimus, audacter et fidenter pericula et mortem pro Christo et Evangelio suscipimus, imo optamus. Ita Theophylactus. Hebræi enim participium præsens usurpant pro indicativo, juxta *Can.* 20.

Igitur. — Quia scilicet hanc gloriam et vitam æternam quasi hæreditatem speramus, ejusque pignus Spiritum Sanctum accepimus : ideo audemus quævis ardua et agere et pati.

Scientes quoniam, dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino. — Hoc est, quandiu sumus in hoc corpore, tamdiu a Domini Dei Patris nostri conspectu et hæreditate elongati et absentes, quasi peregre in terra aliena, scilicet in vita hac et corpore mortali, versamur, *q. d.* Hic peregrini sumus, quia conscripti sumus cives cœli et hæredes Dei; festinamus ergo ex peregrinatione hac tendere, et consequi patriam nostram cœlestem, Deique Patris nostri hæreditatem adire : unde audacter in pericula et necem ruimus, eaque quasi viam in cœlum invadimus. *Secundo*, per metalepsin, peregrinamur, id est absentes sumus, a Domino (de quo vers. 9); festinamus ergo, et peroptamus illi præsentes esse.

Unde S. Bernardus, tract. *De Præcepto et Dispens.*, cap. XXVII : « Illa, inquit, circa corpus occupatio quid est, nisi a Deo quædam absentatio? et absentatio quid, nisi peregrinatio? Et peregrinamur ergo a Domino, et in corpore peregrinamur, cujus nostra nimirum et intentio præpeditur aerumnis, et curis charitas fatigatur. »

Vers. 7.

7. Per fidem enim ambulamus, et non per speciem. — quia scilicet neodum ipsam speciem, id est naturam et pulchritudinem Dei, in se contemplamur facie ad faciem. Ita Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Œcumenius.

Perperam ergo hinc quis doceat videri Deum a Beatis non se solo per essentiam, sed per speciem mediam, quæ essentiam repræsentet, sicut species coloris oculo impressa, oculo colorem, qui in pariete est, repræsentat : nec enim talem speciem hic intelligit Apostolus, sed speciem, qua res in se coram clare spectatur; opponit enim speciem fidei, qua non spectamus, sed obscure credimus futura et absentia.

8. Audemus autem, — audemus, inquam; repetit enim et inculcat id quod dixit vers. 6 : « Audentes igitur. »

Et bonam voluntatem habemus (græce εὐδοκοῦμεν, *bene volumus*; Syrus, *peroptamus*; Chrysostomus vertit, ἐπιθυμοῦμεν, omnibus votis cupimus) magis (id est malentes) peregrinari a corpore, et præsentes esse ad Dominum, — id est, eligentes potius abesse a corpore, ut liceat adesse Deo, ejusque præsentia, specie et facie perfrui.

Hinc probatur, animas a morte statim videre Deum : ideo enim ait nos malle peregrinari a corpore, ut præsentes simus ad Dominum, vel, ut Græcum ἐνδημῆσαι πρὸς τὸν Κύριον ad verbum proprie vertit Erasmus et Vatablus, *ut domi simus apud Dominum*, quasi in patria Patri nostro cœlesti præsentes : si enim peregrinantes et separati a corpore, domum ad Deum Patrem nostrum statim non veniremus, sed alibi in via hærendum nobis et peregrinandum esset, non desideraremus peregrinari a corpore, imo in eo, utpote loco naturali animæ, peregrinari malle mus, quam alibi loco incognito : sed de Græco ἐνδημῆσαι plura vers. 9.

9. Et ideo contendimus, — φιλοτιμούμεθα, certamus, omni studio, ministerio, conatu et nisu nostro contendimus, certamus et ambimus Deo placere, ut in hoc studio non patiamur nos a quoquam superari.

Sive absentes, sive præsentes, — Deo scilicet, et corporeæ corpori, sed per antithesin : hoc enim ipso, quo sumus absentes Deo, præsentes sumus corpori; et hoc ipso, quo præsentes sumus Deo, absentes sumus a corpore, uti præcessit vers. 6 et 8.

Ubi nota : Græcum ἐνδημεῖν proprie significat domi, in populo suo agere : ἄδημος enim populum significat; hujus contrarium ἐκδημεῖν significat foris, extra populi sui fines agere, sive peregrinari. Unde Vatablus et Erasmus vertunt, *sive domi præsentes, sive foris peregre agentes*. Sed Apostolus paulo generalius hæc sumere videtur; tam enim in corpore quam apud Deum nos dicit ἐνδημεῖν καὶ ἐκδημεῖν, non possumus autem proprie domi esse et in corpore existentes, et separati a corpore, Deoque præsentes : sicut vicissim non possumus dici esse peregre, et in corpore, et apud Deum. Itaque ἐνδημεῖν sumit pro incolere, inhabitare, esse

præsentem; ἐκδημεῖν vero pro migrare, abire, absentem esse : dum enim corpus hoc præsentes incolimus, abimus et absentes sumus a Domino; et contra, dum cœlum incolimus præsentes apud Dominum, tum abimus et absentes sumus a corpore. Unde Noster clare vertit, *sive absentes, sive præsentes*, scilicet sive a Deo, sive a corpore, ut præcessit.

Verum nil obstat quominus ἐνδημεῖν et ἐκδημεῖν proprie capiat Apostolus pro domi esse, et peregre esse.

Pro quo nota : Apostolus, vers. 1, dixit nos duas habere domos, unam terrestrem, aliam cœlestem, et utrobique nos esse domi, scilicet tam in corpore, quasi domo naturali, quam in cœlis apud Deum, quasi domo Dei gratuita, et gratis nobis data. Consequenter duplex est peregrinatio nostra, duobusque locis peregrinamur, Uno, cum in hoc corpore et exilio a patria cœlesti et Deo semoti quasi peregre agimus et vivimus. Secundo, cum a corpore quasi domo, separati per mortem, peregre in aliam regionem et orbem, in cœlum ad Deum concedimus. Hinc ergo Apostolus ait nos πάτριδος, domi esse, et in corpore apud Deum; ac rursum, ἐκδημεῖν, peregrinari, peregre agere, et in corpore, et apud Deum. Id patet ex verbis ipsis expressis Apostoli, vers. 6 et 8, hoc vero, vers. 9, ubi simpliciter dicit, ἴτα ἐνδημοῦντες, εἴτε ἐκδημοῦντες, *sive domi agentes, sive peregre agentes*; licet non addat, nec exprimat τὸ *in corpore*, vel *apud Deum*, rideri se tamen ad illa eadem quasi jam præmissa vers. 6 et 8, indeque hic eadem addenda et supplenda relinquit, *q. d.* Ideo, sive absentes a Deo et corpori præsentes, sive præsentes Deo et a corpore absentes, id est ubicumque et in quocumque statu simus, contendimus placere Deo ut scilicet possimus præsentes esse apud Dominum, ejusque præsentia et facie perpetua frui : nisi enim Deo placeamus, nec hic corpori præsentes et a Deo absentes tendere poterimus ad ejus præsentiam; nec a corpore absentes et Deo præsentes poterimus in ejus præsentia permanere, eaque frui et beari : utrumque autem contendimus peragere et perficere, dum sumus in hac vita; quia scilicet in hac vita per omnia conando Deo placere, tendimus ad ejus præsentiam et visionem, ac secundo meremur, ut ejus præsentia semel donati in eadem perpetuo maneamus : qui enim hic Deo placet, illic non displicebit, ait Ambrosius et Anselmus.

Alii planius vertunt, εἴτε ἐκδημοῦντες, εἴτε ἐνδημοῦντες, *sive incolentes, sive migrantes* a corpore ad Dominum, *q. d.* Tota vita usque ad mortem et ultimum halitum, quo anima migrabit a corpore, Deo placere satagimus. Unde et Tertullianus, lib. *De Resurrect. carn.*, cap. XLIII, legit : *Et ideo gestiones sive peregrinantes, sive immorantes, placibiles illi esse.* Sed hic verba Apostoli generalia, et tam Deo quam corpori communia, ut dixi, restringunt ad solum corpus; prior ergo sensus, quem dedi, genuinus videtur (1).

10. OMNES ENIM. — Vox *enim* dat causam præcedentium, *q. d.* Contendimus placere Deo in omni opere nostro, ut in tribunali Christi, cui sistendi sumus, donemur gloria corporis, et beata Dei præsentia (ut dixit vers. 8) ac visione; non autem ea privemur cum illis, qui Deo per opera mala displicuerunt.

NOS MANIFESTARI OPORTET (tum judici Christo, tum omnibus hominibus) ANTE TRIBUNAL CHRISTI, — ut quisque singulorum et bona et mala videat. Hinc patet Paulum quoque et Apostolos judicandos esse, sed ita, ut simul ipsi aliorum sint judices, et condemnent eos qui sibi credere noluerunt, *Matth.* XIX, 28.

UT REFERAT UNUSQUISQUE PROPRIA CORPORIS (scilicet gesta et facta) PROUT GESSIT — πρὸς ἃ ἔπραξεν, *secundum ea quæ fecit* et gessit per corpus proprium; Vatablus, *pro eorum, quæ fecit, portione*, id est pro disparitate meritorum demeritorumque, disparem quisque gloriam recipiet, vel pœnam.

Nota : Quæ propria sunt corporis, sunt et animæ propria; nam anima in hoc statu et vita nihil agit, nec agere potest sine corpore : adeo ut ad cogitationem et intellectionem ipsam corporali phantasmate indigeat; itaque propria corporis sunt, quæ anima proprie per corpus gerit et operatur (2). Propria corporis in hac vita sunt etiam propria animæ.

Notat *secundo* Chrysostomus, dici « propria, » quia aliena et parentum merita in tribunali Christi filios non juvabunt, adeoque, ut ait *Ezech.* cap. XIV, vers. 14 et 20, Noe, Daniel et Job non liberabunt filium et filiam, sed tantum animas suas. Si tribunal hoc cogitaremus, cum a sociis, a libidine, a fastu, a gula tentamur, facile omnia superaremus, nulloque metu aut cupiditate a Dei lege et obedientia nos abduci pateremur. Vide Chrysostomum in morali *homil.* 10. Aliena merita non juvabunt.

Hinc inferebant Pelagiani, infantes nullum habere peccatum, nec esse peccatum originale; quia Christus in judicio tantum examinabit peccata propria quæ quisque gessit in corpore; at-qui infantes nihil gesserunt, nec gerere potuerunt quasi proprium : ergo peccatum non habent, quod Christus examinet et judicet. Refutatur error Pelagianorum de infantibus peccatum originale habentibus.

Respondet S. Augustinus, *epist.* 107, hanc Apostoli sententiam etiam ad infantes pertinere : peccatum enim originale habituale esse eis proprium et inhærens; ipsum vero actuale Adami, ex quo propagantur in singulos ex Adamo nascentes peccatum originale habituale, licet Adamo fuerit proprium, id est, physice inhærens (fuit enim eius pomi vetiti, quod comedit Adam), tamen et parvulis moraliter dici proprium, quia actus hic Adami ad eos pertinuit, censeturque eorum actus proprius fuisse, sicque peccatum hoc gesserunt et commiserunt, non per se, sed per Adamum : voluntas enim Adami censebatur omnium posterorum etiam parvulorum esse voluntas.

Sed planius magisque ad Apostoli mentem respondeti potest, Apostolum non loqui de infantibus, sed adultis : illos enim exhortatur ut satagant Deo per omnia placere, ut referant præmium a Deo, quisque pro gestis : infantes enim, licet in Christi judicio comparaturi sint, operam tamen examine non indigebunt, nec demeritis, sed soli originali peccato debitam pœnam recipient, ut docet S. Augustinus, serm. *De omnibus Sanctis*, tom. I, et Nazianzenus, *orat.* 60, quæ est de sancto Lavacro.

11. SCIENTES IGITUR (hæc quæ dixi de Christi tribunali, a quo quisque referet prout gessit; *secundo* et simplicius « scientes ») TIMOREM DOMINI (id est, quia scimus timendum esse Dominum judicem et vindicem, hinc eumdem hunc timorem) HOMINIBUS SUADEMUS, — ut eo Dominum timeant (1).

TIMOREM DOMINI. — *Timor* capi potest duobus modis : *primo*, active, quo Dominum timemus; *secundo*, passive, quo Dominus est timentibus quasi judex terribilis. Unde Syrus et Vatablus vertunt, *scientes igitur terrorem illum Domini, suademus hominibus*. Sic Jacob Deum vocat timorem patris sui Isaac, id est timoris objectum, seu, quem timuit Isaac pater suus, *Genes.* XXXI, 42. Ita hic *timor* vocatur objectum timoris, res timenda, terror, *q. d.* Scientes timendum, id est terribilem, esse Deum; sive, scientes timendum et formidandum esse Dominum. Vide *Can.* 30. Sic *Isaiæ* VIII, 13, dicitur : « Dominum exercituum sanctificate; ipse pavor vester, et ipse terror vester. »

DEO AUTEM MANIFESTI SUMUS. — *q. d.* Deus scit me sincere Deum timere, et timorem hunc aliis suadere : quia enim Paulus ex hoc timore et cupidine Deo placendi et fruendi, quam hic præ se fert, aliquibus, maxime æmulis et pseudoapostolis, qui occasionem eum calumniandi quærebant, videri potuisset se quasi sanctum laudare; hinc vanitatem hanc laudisque cupiditatem hic et in sequentibus a se amolitur. Ex hoc in quibusdam peccatum originale habituale.

12. UT HABEATIS — occasionem scilicet gloriandi (hoc enim repetendum relinquit) de me.

AD EOS (contra eos) QUI IN FACIE GLORIANTUR, qui externa se specie jactant, cum sibi non sint in conscientia bene conscii, sintque hypocritæ et pseudoapostoli (2).

(1) Sensus Paulinæ sententiæ hoc vers. hic est : Quomodocumque sit, sive unus deteramur (quod quidem sufficiater amputatus) ex hoc corporis domicilio ad Dominum, sive (quod potiamur magis quam optamus) adhuc detineamur a Domini consuetudine detineamur in hoc corpore, omni curamur studio, ut et recte agendo probemur.

(2) *Propria corporis*, Græce τὰ διὰ τοῦ σώματος, id est ἐν σώματι, *in hac vita, seu actus hujus vitæ.*

(1) Rectius Allioli cum multis : *Omnem damus operam, ut hominibus religionem Christianam persuadeamus.*

(2) Vers. 12. Nec hanc in rem plura dicam, ne me denuo vobis commendare videar. Eo hunc commemoratum, ut præbeamus vobis occasionem nos collaudandi, et defendendi apud alios nostram docendi rationem; ut habeatis, quo gloriari, et causam nostram tueri possitis adversus eos qui sibi placent in rebus externis, non autem in mentis cultitate puritateque.

(3) Vers. 13. Sive extra modum egredimur, scil. nos ipsos laudando, id facimus Dei causa; seu moderationem præstamus, id fit a nobis vestri causa. *Dei causa*, ut Deus celebretur, qui me huic muneri idoneum reddidit : *vestri causa*, ut meo exemplo modestiæ studeatis.

13. SIVE ENIM MENTE EXCEDIMUS, DEO : SIVE SOBRII SUMUS, VOBIS. — Aliqui manuscripti codices legunt, *si mente excidimus*. Græcum enim ἐξέστημεν significat raptum, quo mens emota extra se abripitur, sive vehementia naturæ, morbi, cholerae, melancholiæ aut apprehensionis in objecta nova et insolita, sive a Deo in contemplationem et extasin, sive a furore et insania in delirium. Omnibus his modis accipi hic potest. Imo Syrus, Chrysostomus, Theophylactus, Vatablus, Erasmus vertunt, *sive insanimus* : huic enim opponit σωφρονοῦμεν, *sive sana mente sumus, q. d.* Sive desipimus, sive sapimus. Nam, ut ait Plato, lib. I *De Republica.*, τὸ σωφρονεῖν ἑκάστῳ ἐστὶ τῷ φρονεῖν, id est, sapere, sive sana mente esse, contrarium est illi quod est desipere vel insanire; sic μανῆναι, sive insaniam, opponit τῷ σωφρονεῖν. Paulus, *Actor.* XXVI, 25 : « Non insanio, inquit, optime Feste, sed veritatis et sobrietatis verba loquor. » Sic de Christo dicunt consanguinei, *Marci* III, 21 : « Quoniam in furorem versus est, » ubi græce est idem verbum ἔξεστη, quod hic.

Rursum raptus hic et insania accipi potest, vel laudis propriæ, vel amoris divini et contemplationis. De laude propria proprie et genuine loqui videtur Apostolus, ut sentit Ambrosius et Chrysostomus : de ea enim præcessit. Verum quia hæc laus est de excellentia ministerii novi Testamenti, deque excessu amoris et clarae speculationis Dei, hinc consequenter et *secundo*, de illo etiam intelligendus est, videturque alludere ad raptum Mosis, quo in Sina legem accepturus vidit gloriam Dei, ut dixit cap. III, vers. 7. Laudavit enim se Apostolus præ Mose Mosisque raptu, cap. III, vers. 18 : « Nos vero, inquit, omnes revelata facie gloriam Domini speculantes in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem. » Hinc, cap. IV et V, laudat se a tribulationibus et laboribus pro Evangelio susceptis, quibus ad hanc gloriam Deique præsentiam aspirat (3).

Sensus ergo est, *primo*, *q. d.* Si nostri obliti vehementia aliqua aut zelo abripimur, quem mundani putant insaniam, ut scilicet quasi insani abripiamur in laudes ministerii nostri, ac gloriosius divinisque de nobis loquamur (superbia enim et jactantia videtur, et est insania, ait Ambrosius, seipsum laudare), « Deo, » hoc est, ad Dei honorem id facimus. « Sive sobrii sumus, » in sermone scilicet laudibusque nostris, « vobis » id fit, ut nimirum vos modestiam doceamus. Ita Chrysostomus. Hinc consequenter, ut dixi, *secundo*, mus, ut præbeamus vobis occasionem nos collaudandi, et defendendi apud alios nostram docendi rationem; ut habeatis, quo gloriari, et causam nostram tueri possitis adversus eos qui sibi placent in rebus externis, non autem in mentis cultitate puritateque.

UNIVERSIDAD DE SALAMANCA
BIBLIOTECA
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

S. Augustinus, Anselmus, Theophylactus et alii sic explicant, *q. d.* Si rapimur in excessum vel extasin divini amoris, contemplationis et locutionis, dicentes : « Nos autem revelata facie gloriam Domini speculantes ; et : Contendimus, sive absentes, sive præsentes placere illi ; et : Bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, et præsentes esse ad Dominum ; » qua in re gloriari, et nos laudasse visi sumus. Vel, ut vertit Chrysostomus, *si insanimus*, hoc est, si videmur quandoque amore et contemplatione ebrii et insani, uti Apostoli, *Actor.* II, 13, et *Actor.* XXVI, 24, « Deo, » id est ad Dei gloriam, id facimus, etc.

Nam Plato, in *Phædro*, quadruplicem docet esse furorem sive insaniam : *primum*, vatum ; *secundum*, mystarum ; *tertium*, poetarum ; *quartum*, amantium, huncque quartum esse optimum et felicissimum. « Divinæ, inquit, insaniæ sive maniæ quatuor species statuuntur, quibus totidem præsunt dii. Et veliciini quidem inspirationem tribuunt Apollini ; mysteriorum vim atque efficaciam Libero ; poeticam vero Musis ; amatorum furorem Veneri et Amori. Optimum illud præstantissimumque furoris genus quarto loco attribuimus. » Hunc quartum furorem fuisse in Paulo docet hic Theophylactus, utpote qui non in se, sed quasi raptus et mente emotus in Christo dilecto suo vixerit (amantis enim anima non tam est ubi anima-t, quam ubi amat), quique pro fratribus optarit fieri anathema. Sic enim habet Theophylactus. « Si insanimus Dei causa, ita insanimus ut vos ad ipsum perducamus. Insaniebat itaque Paulus amatoria quadam insania Deum amans, ac amatoris instar illi vivens, nempe ab amato extra seipsum raptus, ac totus in Deum translatus, nec suam ipsius vitam vivens, sed illius quem amat, amatoriam, plane dilectam et valde charam. »

Sanctus vero Augustinus, Beda et Anselmus, qui hunc locum accipiunt non de insania, sed de ropto et extasi Pauli, sic explicant : « Quid est, inquit Augustinus apud Bedam, Mente excedimus Deo ? » ut illa videamus quæ non licet homini loqui. « Quid est, Temperantes sumus (sic legit Augustinus pro eo quod nos habemus, *Sobrii sumus*), vobis ? Non, inquit, judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum. » Idem S. Augustinus, in *Psal.* CXII : « Quid est, mente excessit vus Deo ? Excessimus omnia ista carnalia, et quod videmus, effari non possumus. Quid est, Temperantes sumus vobis ? Sic loquimur ut capere possitis, quia et Christus ipse se fecit nascendo et patiendo, ut possent de illo homines loqui. »

Excessus mentis quid sit, et quæ ejus causa?

« Excessus, inquit Anselmus, mentis, est intentio ad superna, » ita ut quasi de memoria labantur infima. In hoc mentis excessu Sancti omnes fuere, quibus arcana Dei, mundum istum excedentia, revelata sunt. Sic Apostolus hic excedens mente omnem humanam fragilitatem, et sæculi temporalitatem, omnia quæ nascendo et occidendo vanescunt, transeuntia, habitabat corde in ineffabili quadam contemplatione eorum de quibus dicit, quod audivit ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui ; sed propter alios descendit. Unde ait : « Sobrii sumus vobis, » *q. d.* Licet alta contemplemur, sobrie tamen de iis loquimur, ut vos ea capere possitis. Ita Anselmus.

Pulchre pium hanc Pauli insaniam describit S. Bernardus, lib. *De Natura et dignitate amoris*, cap. III : « Audi, inquit, sanctam insaniam : Sive mente excedimus, Deo ; sive sobrii sumus, vobis. Vis ad hæc audire insaniam ? Si dimittis, inquit, eis peccatum, dimitte : sin autem, dele me de libro vitæ, *Exod.* XXXII. Vis aliam ? Ipsum audi Apostolum : Optabam, inquit, anathema esse a Christo pro fratribus meis. Nonne mentis bene affectæ sana quædam videtur insania, cum impossibile sit effectu, habere fixum in affectu, pro Christo anathema velle esse a Christo ? Hæc ad Sancti Spiritus adventum Apostolorum fuit ebrietas, hæc Pauli insania, cum diceret ad eum Festus : Insanis, Paule. » Rationem subdit : « Mirumne erat si insanire pronuntiabatur, qui in ipso mortis periculo ipsos judices suos, a quibus pro Christo judicabatur, ad Christum convertere nitebatur ? Non hanc insaniam multæ litteræ in eo faciebant, sicut dicebat rex veritatem intelligens, sed dissimulans, sed (ut dictum est) Sancti Spiritus ebrietas, in qua et in parvo et in magno similes eos sibi facere gestiebat, qui eum judicabant. Et ut cætera omittam, quæ major, quæ magis inopinata insania, quam hominem relicto sæculo desiderantem et ardentem inhærere Christo, pro Christo rursum necessitate obedientiæ et charitatis fraternæ inhærere sæculo ; tendentem in cœlum, semetipsum mergere in cœnum ? Hic est Benjamin adolescentulus, qui in mentis excessu nec se, nec suum aliquid sentit, sed eum solum in quem totus excessit. Hac insania insani erant Martyres inter tormenta ridentes. Ita insanire libet. »

Et idem, serm. 85 *in Cantic.*, in fine : « Pergat, inquit, quis forsitan quærere a me, verbo frui quid sit ? Audi expertum : Sive, inquit, mente excedimus, Deo ; sive sobrii sumus, vobis, hoc est : Aliud mihi cum Deo, solo arbitro Deo ; aliud vobiscum mihi. Illud licuit experiri, sed minime loqui : in hoc ita condescendo vobis, ut et ego dicere, et vos capere valeatis. O quisquis curiosus es scire quid sit verbo frui, para illi non aurem, sed mentem. Non docet hoc lingua, sed gratia. Absconditur a sapientibus et prudentibus, et revelatur parvulis. »

14. CHARITAS ENIM CHRISTI (non tam passiva, quam activa, qua scilicet Christus homines dilexit, seque totum iis impendit) URGET NOS, — ut et nos Christi exemplo et amore idem faciamus, nosque totos hominibus impendamus, ut eos faciamus salvos a morte ; ideoque, prout eis expedit, nunc mente excedamus, nunc sobrii simus. Unde sequitur :

Christus propterea omnibus mortuus est, quia omnes mortui fuimus.

QUONIAM SI UNUS (scilicet Christus) PRO OMNIBUS MORTUUS EST, ERGO OMNES MORTUI SUNT. — Pendet hic totus versus a seq., qui ejus sensum et connexionem cum vers. 13 significat et explet. Sensus vero est, *q. d.* Tanta fuit Christi charitas, ut pro omnibus moreretur. Unde sequitur nos fuisse mortuos : ideo enim mortuus est, ut nos a morte, et corporis, et animæ, quam per peccatum incurreramus, eam in se suscipiendo, liberaret. Ex quo magis patet Christi miseratio et charitas, quod scilicet e tanta mortis miseria, eam in se suscipiens nos eripuerit, quæ profecto urget nos, ut Christum redamemus, ejusque amore in proximi salutem modis omnibus incumbamus, et neminem exeludamus, sed pro omnibus, etiam miseris et pauperibus, laboremus, uti fecit Christus. Aliter S. Thomas. « mortui sunt, » id est, inquit, omnes mortui esse debent vitæ veteri, sesque mortuos æstimare, ut non sibi, sed Christo vivant (1). Sed hoc obscurius est et remotius, idemque cum eo quod clare dicit versu sequenti, quem ab hoc distingui verba indicant.

Omnes mortui excepta B. Virgine.

OMNES MORTUI SUNT — dempta B. Virgine, ait Anselmus, quæ peccatum originale et animæ mortem nunquam incurrit. *Secundo*, et potius, « omnes mortui sunt, » scilicet in Adamo, quia in eo peccati et mortis necessitatem contraxerunt omnes, etiam Deipara, ita ut et ipsa, et omnes omnino homines Christo redemptore ejusque morte egerint : peccavit ergo et mortua est B. Virgo in Adamo, sed in seipsa peccatum et animæ mortem non contraxit, quia a Deo Deique gratia fuit prævenita, ut dixi *Rom.* V, 12.

15. ET (repeto ex vers. præced. *Æstimantes quoniam*) PRO OMNIBUS MORTUUS EST CHRISTUS, UT ET QUI VIVUNT, JAM NON SIBI (non suæ gloriæ, voluntati, voluptati) VIVANT, SED (Christo) EI, QUI PRO IPSIS MORTUUS EST ET RESURREXIT, — quique nos omnes jure redemptionis sibi servos effecit, ut sicut servus non sibi laborat et vivit, sed Domino, ita et singuli nostrum possint dicere : « Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus ; et : Anima mea illi vivet. Debet enim, ait Anselmus, anima humana in se deficere, et proficere in Christo, qui mortuus est ut nos moreremur peccatis, et resurrexit ut ad justitiæ opera resurgeremus ; et quid est aliud, Non sibi, sed ei vivant, quam ut non secundum carnem vivant in spe terrenorum et corruptibilium bonorum, sed secundum spiritum in spe resurrectionis, quæ jam ex ipsis in Christo facta est ? » hactenus Anselmus.

Christus vivere debemus pro ejus voluntate et nobis.

16. ITAQUE NOS EX HOC NEMINEM NOVIMUS SECUNDUM CARNEM. — *q. d.* Quia Christi tanta in nos est charitas, nosque urget, idcirco nihili æstimamus carnalia, id est externa et præsentia, extra Christum, puta famam, valetudinem, amicitias, cognationes. Ita Chrysostomus, ut sit persona pro re ; « neminem, » hoc est nihil, ait Vatablus ; ita pariter ex *neminem* accipit S. Augustinus, lib. IX *Contra Faust.*, cap. VII. Sed per *carnem* intelligit carnis corruptionem et mortalitatem, *q. d.* « Neminem novimus secundum carnem, » hoc est non novimus amplius vitam hanc carnalem et mortalem : quia certa spe meditamur et ambimus vitam futuram, spiritalem et beatam post resurrectionem, in qua jam est Christus nobisque locum parat. Hic sensus aptus est, sed paulo remotior ; Apostolus enim opponit carni, sive homini carnali, novam creaturam, quæ in hac vita est, et vivit per fidem et gratiam in Christo ; ait enim : « Si quæ ergo in Christo nova creatura. »

Quare *tertio*, sic magis vicine et proprie explices : « Ex hoc, » id est amplius, « neminem novimus, secundum carnem, » id est speciem externam, scilicet quod nobis sit cognatus, amicus, Judæus, nobilis, elegans, doctus ; his affectibus naturalibus mortuus sum, quia in Christo regeneratus illi soli vivo, ipsum solum, et omnes in ipso secundum charitatis spiritum, non secundum carnem amo, *q. d.* Ego non quæro placere hominibus, aut laudes et gloriam hominum, sed Dei. Quia enim pseudoapostoli Judæi, æmuli Pauli, ut patebit cap. XI, gloriabantur se esse Hebræos, et semen Abrahæ, quod cap. XI, 18 vocat « secundum carnem gloriari, » hinc eos tacite perstringens, ait se neminem nosse notitia amoris et gloriationis, id est, in nemine gloriari secundum carnem, seu carnalis propinquitatis et amicitiæ causa, ne quidem in ipso Abraham. Sic *Philipp.* III, 3 : « Gloriamur, inquit, in Christo Jesu, et non in carne fiduciam habentes, » *q. d.* Aliquando gloriati sumus nos esse Hebræos, et nobiles secundum carnem, jam illis affectibus mortui sumus, quia laus omnis nostra et gloriatio est Christus. Ita Gagneius.

ET SI COGNOVIMUS SECUNDUM CARNEM CHRISTUM. — Hoc est, si aliquando Christum æstimavimus et vidimus (si non ego Paulus, certe alii Apostoli nostri) præsentem, mortalem, carnis passionibus, fami, frigori obnoxium, hominem nobis similem ; nunc non novimus nisi immortalem et impassibilem. Ita Chrysostomus, Theodoretus, et Synodus VII generalis, act. 6, et favent sequentia.

Secundo, et potius Gagneius, ut dixi : Si olim novimus, hoc est, magni æstimavimus, et gloriati sumus de Christo secundum carnem, hoc est Christum carnali generatione esse Judæum, contribulem nostrum, et nos esse Hebræos Christi cognatos secundum carnem, uti pseudoapostoli gloriantur, quodque cum Christo præsente viximus, aut etiam familiariter conversati sumus ; jam illis terrenis affectibus mortui sumus, et per Christum recreati augustius de eo sentimus, et

(1) Ita et Allioli cum Rosenmullero, qui hunc locum sic interpretatur : Christi enim (in homines) amor urget nos (atque impellit), ita argumentantes : Si unus in salutem omnium mortuus est, hos sane omnes mortuos (sibi suoque arbitrio) censendos esse.

Christum tantum novimus secundum spiritum, id est, ut hominem divinum, orbis redemptorem, doctorem, auctorem gratiæ et salutis, atque ut tali vivimus et servimus, talemque orbe toto prædicamus (1).

Tertio, alii non improbabiliter putant Paulum de se loqui pro eo tempore, quo Christum persequebatur, *q. d.* Etsi aliquando secundum carnem, id est carnaliter judicantes, indignam de Christo æstimationem habuimus, v. g. quod Christus futurus esset rex temporalis, qualem Messiam Judæi exspectant; jam tamen non ita novimus vel existimamus.

Hinc *quarto*, perperam Faustus Manichæus explicabat sic, *q. d.* Ego Paulus in principio putavi Christum veram habuisse carnem; sed errorem postea correxi. Unde et *Philipp.* II, ait, « In similitudinem hominum factus, » *q. d.* Similem et phantasticam, sive apparentem nobis habuit carnem, non veram, non humanam. Rursum Eutyches sic ad suam hæresim hunc locum torquebat : « Non novimus, inquit, Christum secundum carnem, » quia incarnatione caro et humana natura Christi absorpta fuit a divinitate : ponebat enim ipse in Christo unam naturam æque ac personam, eamque divinam.

Vides hoc quam hæretici Scripturam, quasi nasum cereum, quovis ad sua phantasmata flectant trahantque. Sic olim Iconomachi, et nuper Calvinus Admonitione *De Reliquiis*, hæc Apostoli verba detorserunt contra venerationem reliquiarum et imaginum Christi et Sanctorum; quasi diceret Apostolus : Jam post resurrectionem non novimus Christum secundum carnem, id est quidquid in Christo carnale fuit, oblivioni tradendum est, et missum faciendum, ut in eo secundum spiritum quærendo et possidendo omne studium ponamus. Sed hoc non vellet Apostolum, clarissimum est : quia sic vellet nos oblivisci carnis, mortis et passionis Christi, ejusque esse immemores et ingratos, cujus contrarium voluit et sanxit Christus, quando in mortis suæ memoriam perpetuam instituit Eucharistiam. Unde ipsemet Paulus, I *Corinth.* XI : « Quotiescumque, inquit, manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat. » Non ergo hoc quod vult Calvinus, sed illud quod dixi, intendit hoc loco Apostolus. Ita Concilium II Nicenum, act. 6, ex Epiphanio et Cyrillo.

17. SI QUA ERGO IN CHRISTO NOVA CREATURA (*q. d.* Si quis ergo mecum est in Christo regeneratus, et quasi in alium hominem et novam creaturam recreatus et transmutatus (uti ego jam non sum ille qui fui, puta Saulus, sed Paulus), in hoc) VETERA TRANSIERUNT, — veteres scilicet, tum judaismi ritus, tum potius affectus et judicia, quale est novisse aliquem secundum carnem, quod præcessit. Ecce enim in tali facta sunt omnia nova, ut novos habeat affectus, nova judicia de re et spe Christiana, novam vitam, novam spem resurrectionis, novam gratiam, sanctitatem, justitiam. Vide de hac novitate Anselmum et S. Augustinum, tract. *De Cantico novo*, tom. IX.

Causam dat S. Bernardus, serm. *De Assumptione B. Mariæ* : « Facta, inquit, sunt omnia nova, id est, novum est castellum veteri everso. Sublato quippe cupiditate, expanditur ingens sinus desiderii, ut ad ejus adventum multo magis anhelet mens ad cœlestia, quam prius terrenis incubuerat. Jam ponitur murus continentiæ, antemurale patientiæ. Surgit autem hoc opus a fundamento fidei, et crescit per dilectionem proximi usque ad charitatem Dei. »

18. OMNIA AUTEM (nova jam dicta) EX DEO (ex Dei donatione et gratia facta et data sunt), QUI NOS RECONCILIAVIT SIBI PER CHRISTUM ET DEDIT NOBIS MINISTERIUM RECONCILIATIONIS, — ut per nostram prædicationem persuadeamus hominibus Christi filiem et pœnitentiam, novam et christianam vitam, itaque ipsos Deo reconciliemus.

19. QUONIAM DEUS ERAT IN CHRISTO, — quasi Filio per unitatem essentiæ. Ita Ambrosius et Primasius : unde S. Ambrosius, lib. III *De Fide ad Gratian.*, cap. V : Deus, ait, id est, sempiterna divinitas, erat in Christo, *q. d.* Christus reconciliavit mundum, quia erat Deus. *Secundo*, et melius, « Deus erat in Christo, » id est per Christum, mundum reconcilians sibi. Ita Græci. *Tertio*, Cajetanus, mundum in Christo, hoc est mundum Christo credentem, reconciliavit sibi Deus. Sed hoc coactum et distortum videtur.

NON REPUTANS ILLIS DELICTA IPSORUM. — *q. d.* Non imputans, sed gratis remittens delicta per justitiam Christi, non imputationem, ut volunt hæretici, sed realem infusionem. Ita Chrysostomus et Anselmus.

Nota Hebraismum : Scriptura dicit Deum statuere, imputare ad peccatum, vel non imputare, non quasi in re ita non sit : sic enim falleretur Deus; sed potius, quia sincerissimum est Dei judicium, reputatque res et peccata vere ut sunt. *Secundo*, quia ex Dei judicio, puta ex lege æterna quæ est in mente Dei, pendet omnis lex, ac consequenter peccatum contra legem. *Tertio*, et maxime, quia omnis peccati remissio pendet ex Dei condonatione; condonare autem est quasi non imputare : peccatum enim eus morale est, offensa scilicet Dei, quæ pariter morali causa, scilicet condonatione, tollitur; sed Dei liberalis clementia cum hac simul gratiam, charitatem et virtutes omnes infundit, ut iis quasi realibus Dei donis ornemur, justificemur fiamusque digni amicitia Dei.

ET POSUIT IN NOBIS VERBUM RECONCILIATIONIS, — prædicationem scilicet verbi Dei, quo Deo homines reconciliemus, ut dixi vers. præced. Posset *secundo*, « verbum » pro re metonymice, quasi

(1) Hic sensus est ad litteram genuinus.

signum pro signato, accipi : sic « verbum reconciliationis » esset ipsa reconciliatio, sive potestas et ministerium, ut dixi vers. præced., reconciliandi homines Deo.

Vers. 20. 20. OBSECRAMUS PRO CHRISTO, RECONCILIAMINI DEO, — *q. d.* Obsecramus vice Christi, quasi legati Christi, et quasi Christus per nos vos obsecret, ut velitis Deo reconciliari. En qua industria, efficacia, zelo utitur Apostolus, ut Corinthios convertat.

Vers. 21. 21. EUM QUI NON NOVERAT PECCATUM, — scilicet per experientiam, qui tamen noverat illud per simplicem notitiam, ait D. Thomas. id est Christum, qui peccatum nunquam fecerat.

Hircus emissarius portans peccata populi.

PRO NOBIS PECCATUM FECIT, — qui eramus peccatum, ait Illyricus; quia peccatum, inquit, est substantia et forma animæ nostræ. Sed hoc de nobis dicere, delirium est : de Christo, blasphemia. « Peccatum » ergo, id est hostiam pro peccato nostro, fecit Deus Christum pro nobis, ne nos quasi victimæ piaculares, illud æterna morte et igne lueremus. Ludit ergo Apostolus in voce « peccatum, » quia dum ait : « Eum qui non noverat peccatum, » peccatum proprie; dum vero audit : « Pro nobis peccatum fecit, » peccatum metonymice accipit, juxta *Can.* 3. Ita Ambrosius, Theophylactus, Anselmus. Hinc Christus, *Psal.* XXI, 2, nostra delicta *sua* vocat. Ita Theodoretus ibi. *Secundo*, « peccatum, » ait D. Thomas, id est in similitudinem carnis peccati, ut esset Christus passibilis, uti peccatores ex Adæ peccato passionibus sunt obnoxii. *Tertio*, « peccatum, » id est, ut Christus æstimaretur ab hominibus peccatum, id est peccator insignis, dum quasi infamis latro suspensus et crucifixus est. Ita Græci.

Delirium et blasphemia Physici exemplo peccatum est substantiam et formam animæ.

Triplex hujus verbi sensus.

Ex hisce tribus sensibus primus cæteris plenior, significantior et nervosior est, magisque ex usu et phrasi Scripturæ, quam sæpe « peccatum » vocat ipsam victimam piaculärem sive expiatricem peccati; ut *Osee* IV, 8 : « Peccata (id est hostias pro peccato oblatas) populi mei comedent (sacerdotes). » *Levit.* IV, 24 : « Quia חטאת הוא *chattat hu*, peccatum est, id est hostia pro peccato, uti verbi noster Interpres. Ibidem vers. 21, חטאת *chattat*, peccatum, id est victima pro peccato multitudinis est. *Ezech.* XLIV, vers. 29, *chattato*, peccatum suum, id est victimam pro peccato suo ipsi comedent (peccatum enim in se comedi nequit : est enim cibus nimis durus, nec ulli stomacho digestibilis). Cujus phrasis et metonymiæ ratio hæc est, quod in hostiam pia ulurem tota peccati pœna, noxa et ultio transcribatur, itaque in eamdem peccatum ipsum transcribi et transponi videatur. Noxa enim caput nocens sequitur.

Peccatum accipitur pro victima piaculari et quare?

Justitia imputativa, liberalis, sed per infusionem.

Hujus rei symbolo solebat sacerdos hostiæ manus imponere, illique peccata populi imprecari. Per manus enim significantur actiones et peccata, utpote quæ manibus plerumque peraguntur, inquit Theodoretus in *Levitici* cap. I. Manuum ergo impositio super victimam, et symbolum erat oblationis, et testimonium reatus in hostiam translati, ut hostia fieret piaculum, itaque peccatum ipsum, id est omne pondus, pœnam et vindictam peccati, in se susciperet. Hoc modo in die solemni expiationis pontifex hirco emissario peccata totius populi imprecabatur, eumque deinde quasi peccatis onustum per certum hominem extra castra deducebat, et dimittebat in desertum a feris devorandum. De quo ita scribitur *Levit.* XVI, 20 : « Offerat hircum viventem, et posita utraque manu super caput ejus, confiteatur omnes iniquitates filiorum Israel, et universa delicta atque peccata eorum : quæ imprecans capiti ejus, emittet illum per hominem paratum in desertum. Cumque portaverit hircus omnes iniquitates eorum in terram solitariam, et dimissus fuerit in deserto, revertetur Aaron, » etc.

UT NOS EFFICEREMUR JUSTITIA DEI IN IPSO. — *q. d.* Ut nos efficeremur justi apud Deum, justitia a Deo infusa per merita Christi. Vide *Can.* 21 et 30. Ita Chrysostomus. Dicit « justitia, » non *justi*, ait Theophylactus, ut excellentiam gratiæ significet, qua fit ut nullus in justo sit nævus, nulla pœnæ macula, sed omnis et tota gratia ac justitia. *Secundo*, « justitia Dei, » id est ut effectus, vel similitudo justitiæ Dei increatæ nobis per creatam et infusam justitiam communicaretur. Ita Cyrillus, lib. XII *Thesauri*, cap. III. *Tertio*, « justitia Dei, » quia Deus debet non nobis, sed Christo et Christi meritis, ut justitiam nobis infundat, et peccata remittat. Ita Augustinus, *Enchirid.* cap. XLI. Simile I *Cor.* I, vers. ult.

Triplex æstimandi horum verborum.

Objiciunt hæretici : Christus factus est pro nobis peccatum, quia peccatum nostrum illi imputatum est, et in illo punitum : ergo nos efficimur justitia Dei, quia illa nobis imputatur.

Respondeo, non esse simile, nec enim Christus vere potuit esse peccator, uti nos vere possumus esse justi; neque hanc analogiam urget Apostolus; sed tantum quod Christus ideo susceperit nostra peccata, ut nos per eum justificaremur. Adde : Christus vere factus est peccatum, id est hostia pro peccato (hanc enim significat hic peccatum), ergo et nos vere simus justitia Dei : sic enim apte et solide hoc argumentum in ipsos Novantes retorquemus.

Ridiculi Novatiani ex hoc loco Pauli delusi.

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, hortatur ne oblatam reconciliationis (quam in fine cap. præcedentis commendavit) gratiam negligant.

Secundo, vers. 4, docet, quales esse debeant ministri, præsertim Apostoli, et præcones Evangelii.

Tertio, vers. 11, cor suum charitate in Corinthios dilatatum pandit, eosque ad similem charitatis dilatationem provocat.

Quarto, vers. 14, multis antithesibus docet quam cavenda sint fidelibus infidelium commercia et connubia.

1. Adjuvantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. 2. Ait enim : Tempore accepto exaudivi te, et in die salutis adjuvi te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, 3. nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum : 4. sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, 5. in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, 6. in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu Sancto, in charitate non ficta, 7. in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma justitiæ a dextris, et a sinistris; 8. per gloriam, et ignobilitatem; per infamiam, et bonam famam; ut seductores, et veraces; sicut qui ignoti, et cogniti; 9. quasi morientes, et ecce vivimus; ut castigati, et non mortificati; 10. quasi tristes, semper autem gaudentes; sicut egentes, multos autem locupletantes; tanquam nihil habentes, et omnia possidentes. 11. Os nostrum patet ad vos, o Corinthii, cor nostrum dilatatum est. 12. Non angustiamini in nobis : angustiamini autem in visceribus vestris; 13. eamdem autem habentes remunerationem, tanquam filiis dico : dilatamini et vos. 14. Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? 15. Quæ autem conventio Christi ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli? 16. Quis autem consensus templo Dei cum idolis? Vos enim estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus : Quoniam inhabitabo in illis, et inambulabo inter vos, et ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus. 17. Propter quod exite de medio eorum, et separamini, dicit Dominus; et immundum ne tetigeritis : 18. et ego recipiam vos, et ero vobis in patrem, et vos eritis mihi in filios et filias, dicit Dominus omnipotens.

1. ADJUVANTES AUTEM. — Græce συνεργοῦντες, id est *cooperantes* Deo, ut propositam reconciliationem, de qua dixi cap. præced. vers. 18, 19 et 20, quod « Deus nos reconciliavit sibi per Christum, et dedit nobis ministerium reconciliationis, » etc., assequamini.

EXHORTAMUR, NE IN VACUUM GRATIAM DEI RECIPIATIS. — In vacuum gratiam recipit, qui cum ea non laborat, ait Anselmus, nec ei suum studium adjungit, quique per desidiam facit ut in se gratia sit otiosa, dum eam bonis explere operibus non satagit, *q. d.* Ne putetis quod sola fides sit reconciliatio, quia ad eam bona vita et opera sunt necessaria. Ita Theophylactus ex Chrysostomo.

Nota : *Gratiam* vocat generale beneficium reconciliationis mundi et redemptionis Christi : de illo enim egit in fine capitis præcedentis; sub illo tamen intelligit gratiam particularem, quam cuique meruit Christus, et quam cuique dat Deus, ut hujus generalis Christi redemptionis quisque particeps fiat.

2. AIT ENIM (Deus per Isaiam, cap. XLIX, vers. 8) : TEMPORE ACCEPTO EXAUDIVI TE. — Probat Apostolus nunc esse tempus gratiæ et reconciliationis, ut hanc gratiam non in vacuum recipiamus, ex eo quod Isaias tempus hoc fore gratiæ prædixerit. Estque tacita hic occupatio. Dicere enim quis poterat : Non est in mea potestate Dei gratiam recipere, nam gratiam dare vel non dare pendet a libera voluntate Dei : quomodo ergo, o Paule, ad eam recipiendam me hortaris? Respondet Paulus : En tibi tempus acceptabile, en tempus salutis, en tempus gratiæ, quo, ut Isaias prædixit, Deus suam gratiam omnibus offert, omniumque preces et vota exaudit.

Tempus Evangelii tempus est gratiæ.

TEMPORE ACCEPTO, — id est placito, vel placabili, ut habet Isaias. Nota : Hoc tempus est legis gratiæ, sive præsens Christianorum vita, in qua bene operandi merendique tempus est, et post illam non dicitur placitum; quia in hoc placuit Deo gratiam suam, benevolentiam, reconciliationem et salutem per Christum omnibus proponere. Dicitur acceptum et acceptabile, id est acceptissimum, maxime acceptandum, dignumque quod ab omnibus plausu et exultatione mira suscipiatur, utpote salutem adferens mundo per Christum.

Nota *secundo* : Sunt hæc verba Patris ad Filium, *q. d.* « Exaudivi, » id est exaudiam (prophetice enim ponitur præteritum pro futuro) te, Fili mi, pro membris tuis, et in membris fidelibus deprecantem, opem, gratiam et salutem postulantem; « et in die salutis, » id est in illo tempore gratiæ, quo omnes homines per te, o Christe, vocabo ad æternam salutem, « adjuvi, » id est adjuvabo te, ut in tuis membris, scilicet Christianis, salutem eis a te propositam assequaris. Ita Ambrosius, Chrysostomus, Anselmus. Unde Christus, *Isaiæ* LXI, 2, a Spiritu Sancto unctum et missum se dicit, « ut prædicarem, inquit, annum placabilem Domino, et diem ultionis Deo nostro, ut consolarer omnes lugentes. » Pro *annum placabilem*, hebraice est שְׁנַת רָצוֹן *schenat ratson*, quod Septuaginta εὐδοκίας vertere solent, *q. d.* annum divinæ benevolentiæ et liberalitatis, qualis erat jubileus, ad quem alludit; jubileus enim typus erat hujus anni Evangelici. Totum ergo tempus prædicationis Christi, et deinceps totum legis novæ tempus, Christo obedientibus, ejusque liberalitatem acceptantibus, annus fuit et est jubileus, id est annus misericordiæ, pacis, remissionis, salutis, libertatis : in quo post longam iram Dei in nos, restituimur in ejus gratiam, acceptationem, benevolentiam, hæreditamus, gloriam, omniaque bona pristina, quæ in paradiso in statu innocentiæ habuimus. Idem tempus et annus hostibus fuit ultionis dies (dies enim hic synecdochice ponitur pro tempore), quo scilicet Deus genus humanum altus est de inimicis suis, puta dæmonibus, illos sua tyrannide expellendo.

Totum tempus prædicationis Christi est annus jubileus et misericordiæ.

3. NEMINI DANTES (nemini date, vel demus; est hebraismus : ponitur enim participium pro præsenti conjunctivi vel imperativi) ULLAM OFFENSIONEM (ullum scandalum, *q. d.* Cum illum diem agamus, quo omnes ad salutem a Christo vocantur, caveamus ne cui scandalum demus, ne quis licentiori vita, aut morositate, vel impatientia nostra offensus, viam salutis, scilicet christianismum, suscipere, aut in ea progredi recuset) : UT NON VITUPERETUR MINISTERIUM NOSTRUM, — quo nos Apostoli prædicatione, verbo, vita omnes ad hanc salutem pellicere satagimus.

4. EXHIBEAMUS NOS. — Græce συνιστῶντες, quod Erasmus vertit *commendantes*; alii, *declarantes*; optime Syrus, *præstantes*, sive *exhibentes*. Rursum hoc participium capitur pro verbo sive indicativi modi, *præstantes*, id est præstamus, exhibemus et, ut legit Ambrosius, *commendamus*, ut hisce omnibus Paulus se contra pseudoapostolos commendet et laudet, sive potius pro optativo modo *præstemus*, id est præstemus; exhibentes, id est exhibeamus et commendemus nos. Hæc enim omnia sunt adhortantis, simul tamen et tacite laudantis se suumque apostolatum. Nam exhortatur hic Paulus omnes Christianos, sed maxime Evangelii præcones, quales multi erant Corinthi, ad vitam Evangelicam et Apostolicam; et simul hoc ipso tacite se, suam vitam, passiones, patientiam et virtutes hic describit, ut illas imitentur, easque pseudoapostolorum arrogantiæ, mollitiei, impatientiæ et vitiis opponant : contra hos enim sui æmulos et calumniatores sese hac epistola laudare cogitur, ut patebit cap. XI.

Paulus hic tacite se suumque apostolatum laudat contra pseudoapostolos.

Proponit ergo hic vivam veri et genuini Apostoli et doctoris Evangelici imaginem, quam omnes Doctores et Pastores imitentur, et ad quam quisque doctores de fide et integritate suspectos examinet; ut videant Corinthii, quam inique ventosos suos pseudoapostolos et illrasones prætulerint Paulo ejusque sociis verbi Dei Apostolis, utpote in quos solos omnes sequentes genuini Apostoli notæ apprime conveniant.

SICUT DEI MINISTROS IN MULTA PATIENTIA. — Exhibitio enim et ostensio patientiæ, non unius, sed multæ, est demonstratio, quæ hominibus clare ostendit et demonstrat nos esse ministros Dei.

Nota *in patientia* referri ad sequentia, *q. d.* Exhibeamus nos quasi Dei ministros patientes in multis tribulationibus, necessitatibus, angustiis, plagis aliisque quæ sequuntur : hanc enim patientiam quasi aliorem se philosophiam miratur homines (qui in vexationibus irasci, indignari, verbis et verberibus ulcisci se solent), ex eaque colligunt veram doctrinam, fidem, religionem, Dei spiritum. Ita S. Xaverius et socius ejus J. Fernandez in Japone diu concionantes nihil profecerunt, donec a Japone sputo in faciem appetiti, modeste deterso sputo, quasi nihil passi in concione sua perrexerunt, probra, irrisiones, aliaque plurima patientissime pertulerunt : hanc enim patientiam admirati Japones ingenio acres, quasi homines cœlo lapsos colere, eorumque doctrinam et fidem certatim amplecti cœperunt. Idem intellexit Gentilis Epictetus, suosque docuit, ut se suamque sapientiam non tam per verba quam per opera, præsertim patientiæ et constantiæ, ostenderent et docerent. Ita enim præscribit suis *Enchiridii* cap. XXIX : « Et tu igitur ne verba celeriter ostendas imperitis, sed opera quæ verborum concoctionem sequuntur. Nam et oves non fœnum afferunt opilionibus, ut demonstrent quantum comederint, sed pastu intra se concocto extra ferunt lanam et lac. » Ita Christus, *Matth.* VII, 16, de falsis Prophetis ait : « A fructibus eorum cog-

Patientia est nobilissimis gloriosa.

Epictetus philosophia consuescat to patientia et constantia.

noscetis eos. » Et *Luc.* VIII, 15, loquens de Evangelii semine, quod in terram bonam cadit : « Hi sunt, inquit, qui in corde bono et optimo audientes verbum retinent, et fructum afferunt in patientia. »

IN NECESSITATIBUS, — egestatibus scilicet, cibi, potus, vestium, ait Anselmus. *Secundo*, generalius Theophylactus : Necessitatem, inquit, vocat tribulationis intensionem et exaggerationem ; cum illa adeo invalescit, ut inextricabilis videatur, hominemque in extremam necessitatem adigit et quasi suffocat.

5. IN SEDITIONIBUS, — *ἐν ἀκαταστασίαις*, in agitationibus et expulsionibus crebris, ut locum non habeam ubi pedem figam, sed cogar huc illucque discurrere. Ita Theophylactus. *Secundo* tamen verti potest, *in tumultibus, confusionibus, seditionibus* : ita enim capitur ἀκαταστασία, *Luc.* XXI, 9.

6. IN CASTITATE, — *ἐν ἁγνότητι*, *in puritate*, scilicet omnibus in rebus, tum quod munerum corruptelam Paulus non admiserit, et a suis admitti vetuerit, tum quod citra sumptum aliorum prædicarit, ait Theophylactus. Noster pressius vertit, « in castitate : » pura enim et plena castitas, ut scilicet omni libidinis usu abstinens, et castitatem angelicam colas, ut fecit Paulus et Apostoli, signum est hominem esse divinum. Deique ministrum : omnis enim hæresis et infidelitas putat, et vere putat, sibi esse impossibilem castitatem : solis enim Catholicis, fide vera Deique gratia præditis, possibilis est. Hinc apud hæreticos non est invenire virgines, et virginum connubernia, nec monachos et monasteria, imo nec sacerdotes, aut celibes ministros, uti a Paulo et Apostolis quasi ducibus et magistris didicit et habuit omni ætate Ecclesia Catholica et Romana.

Virginitas et castitas est nota Ecclesiæ veræ, quæ non invenitur nisi apud Catholicos.

IN SCIENTIA, — *q. d.* Demus operam, ne videamur nonnullis rudes et indocti rerum Christianarum agendarum et vitandarum : sed potius ostendamus nos hæc scire docendo alios, quæ bona agere, quæ mala vitare debeant, ut salutem assequantur : ex quo omnes agnoscant nos esse Dei ministros, præcones et Apostolos. Ita Ambrosius. Non male etiam Anselmus per *scientiam* intelligit cognitionem sacræ Scripturæ.

IN SUAVITATE, — ne per rancorem iis, qui nos vexant, simus asperi, sed per suavitatem mentis, verborum et operum iis simus dulces, benigni, benefici : sic dicent omnes nos esse ministros Dei. Adamantini enim plane animi est, ait Theophylactus, si quis, cum undique exacerbatur et pungitur, non solum longanimis sit, verum etiam mitis et benignus ; supra hominem hoc est, christianum est, divinum est.

Mitem esse et benignum, Christianum et divinum est.

Talis fuit S. Athanasius, de quo Nazianzenus, orat. in laudem ejusdem : « Athanasius, inquit, vita sublimis erat, verum animo humilis : ea erat comitate, ut ad eum aditus omnibus pateret, clemens, ab ira alienus, miseratione præditus, sermone jucundus, moribus jucundior, forma angelicus, animo magis angelicus, in objurgando placidus, in laudando erudiendi vim habens, ne aut mollities dissoluta, aut severitas fastidiosa et importuna esset ; erat denique percutientibus adamas, dissidentibus magnes. »

IN SPIRITU SANCTO, — in donis et operibus ope et instinctu Spiritus Sancti factis, *q. d.* Omnia tam pio, benigno, sincero, incenso spiritu agamus, ut pateat nos non vanitate, aut superbia agi, sed a Spiritu Sancto. Ita Anselmus, Theophylactus, Chrysostomus.

7. IN VERBO VERITATIS, — ut veritatem Evangelicam vere et sincere prædicemus.

IN VIRTUTE DEI, — *ἐν δυνάμει*, *in potentia*, faciendo scilicet miracula ; aut potius, ut Chrysostomus, in constantia Christiana et fortitudine in tot adversis tolque laboribus, et in vehementia sermonis et concionis efficacia : hæc enim per Dei potentiam nobis aspirata, probant nos veri Dei ministros esse potentes et admirabiles.

PER ARMA JUSTITIÆ A DEXTRIS ET A SINISTRIS. — Refer ad vers. 4 : « Exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros ; » inde enim omnia sequentia pendent usque ad vers. 11, *q. d.* « A dextris et a sinistris, » hoc est, tam in prosperis, quam in adversis, ubique justitiæ, id est justæ ac sanctæ vitæ, virtutumque actionibus tanquam armis utamur, ut nec prosperis elevemur, nec turbemur adversis, aut desperemus. Ita Anselmus.

Aliter Chrysostomus et Theophylactus : Arma, inquiunt, sinistra sunt adversa, dextera sunt prospera, quæ alternando Dei servos quasi arma communiunt, ut nec in superbiam erigantur, nec in pusillanimitatem deprimantur (1).

8. PER GLORIAM, ET IGNOBILITATEM, — *q. d.* Sive honoremur et laudemur, sive inhonoremur et vituperemur : ut cum Lycaonii voluerunt Paulum ut Deum adorare, et mox ut impostorem lapidare, *Actor.* XIV ; ὡς enim *per* capitur pro *in* : de quo plura I *Timoth.* II, 15.

PER INFAMIAM, ET BONAM FAMAM, — sive infamemur, sive fama simus celebres.

UT SEDUCTORES, — quasi seductores æstimati, cum veraces simus. Ita Ambrosius.

SICUT QUI IGNOTI, ET COGNITI, — quasi qui in fidelibus et improbis habemur ignoti et obscuri, cum noti simus Deo et conscientiis vestris. Ita Ambrosius.

9. QUASI MORIENTES, — quasi qui videmur propter quotidiana pericula, flagella et ærumnas semper mori : cum Deus ecce nos vivos conservet, illæsos et vegetos.

UT CASTIGATI, ET NON MORTIFICATI — ὡς παιδευόμενοι, καὶ μὴ θανατούμενοι, ut correpti, vel castigati, et non occisi ; sive, ut qui corripiamur et castigemur, sed non occidamur ; omnia enim pendent a versu 4 : « Exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, » ut dixi.

(1) Alius tropus est desumptus a militibus, qui sinistra gerebant clypeum, dextra regebant gladium aut hastam. Alius simplicius est proverbialis loquitio, qua *habere arma a dextris et a sinistris* est, *ad utramque* (hostem aut periculum) *paratum esse.*

10. SICUT EGENTES, MULTOS AUTEM LOCUPLETANTES, — tum divinis et cœlestibus, tum terrenis bonis : colligebat enim Paulus eleemosynas pro pauperibus, maxime Hierosolymitanis.

TANQUAM NIHIL HABENTES, ET OMNIA POSSIDENTES. — Necessaria enim habeo, nec plura opto, imo quasi ima, mihique subjecta, contemno : unde perinde habeo ac si omnia possiderem. *Secundo*, quia licet pauperes simus nos Apostoli, principes tamen sumus fidelium, qui sit ssimi ad nostros pedes omnia deponunt. Ita Ambrosius et Anselmus. Vide Chrysostomum hic, et in *moral.* Posset *tertio*, sic accipi : « omnia possidentes, » scilicet libros, vestes omniaque necessaria, ut sit distributio pro generibus singulorum, non pro singulis generum ; « omnia, » id est aliqua ex omnibus, puta ex cibo, calceis, vestibus aliisque omnibus, quantum sufficit. Alii : Deum, qui est omnia, et in Deo omnia possidentes. Sed hoc mysticum est et symbolicum.

Gaudium Sanctorum et Apostolorum *quasi* non est gaudium quod habent ; quam quidem differens ?

Notat Anselmus in tristibus hic addi *quasi*, non in prosperis, quia omnis tristitia Sanctorum hic *quasi* habet ; nam brevi et in somnis quasi transit, videturque esse quasi umbra et somnium, nec esse tristitia, sed quasi tristitia : gaudium autem Sanctorum non habet *quasi*, quia solidum est ob spem certam æternæ beatitatis. Contra vero impiorum gaudium hic habet *quasi*, quia breve et umbraticum videtur esse somnium ; sed tristitia eorum non habebit *quasi*, quia solida erit et æterna.

Vita Pauli et Apostolorum fuit vita religiosa et omnibus.

Nota *secundo* hic, qualis fuerit vita Pauli et Apostolorum, nimirum talis, qualem Cœnobitarum et Religiosorum (quales quorumque parentes fuerunt Apostoli) vitam esse scribit Nazianzenus, orat. 1 *De Pace*, dum ait : « Vita eorum sunt opes in egestate, possessio in peregrinatione, gloria in contemptu, patientia in infirmitate, proles egregia in cælibatu : qui delicias aspernari pro deliciis habent ; qui regni cœlestis causa humillitatem amplectuntur ; qui in mundo nihil habent, et mundo superiores sunt ; qui cum in carne sint, extra carnem tamen vivunt ; qui pro portione Deum habent ; qui propter regni spem inopia laborant, et propter inoptam regnant. » Talis fuit vita Episcoporum et virorum Apostolicorum. S. Martinum laudat Sulpitius, quod ita impleret Episcopi dignitatem, ut monachi propositum, pauperitatem et officium non desereret. De S. Augustino memorat Possidonius, eum in mensa tam frugalem fuisse, ut ad panem olera semper, carnem vero rarius et nonnisi propter hospites adhiberet : eumque morti esset proximus, nullum testamentum condidisse : « Quia, inquit, unde conderet, pauper Christi non habebat. » Ille tamen vir Arianos, Manichæos, Donatistas, Pelagianos debellavit, et ex primis fuit Ecclesiæ columnis et Doctoribus. De Exuperio, Tolosæ Episcopo, ita scribit S. Hieronymus : « Esuriens, inquit, pascit alios, et ore pallente jejuniis fame torquetur aliena. »

Hæc ergo est norma et forma vitæ Apostolicæ præscripta a S. Paulo, quam omnes sectantur perfectionis et salutis animarum studiosi : ex qua desumptum est breviarium Instituti Societatis nostræ, quod typis cusum singuli nostrum circumferre, jugiterque oculis et menti præfigere solent, quasi domesticum monitorem, et tanquam acrem virtutis et zeli stimulum, imo quasi vivum vocationis et professionis suæ speculum. Estque tale : « Homines mundo crucifixos, et quibus mundus ipse sit crucifixus, vitæ nostræ ratio nos esse postulat : homines, inquam, novos, qui suis se affectibus exuerint, ut Christum induerint : sibi mortuos, ut justitiæ viverent. Qui, ut D. Paulus ait, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu Sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, se Dei ministros exhibeant : et per arma justitiæ a dextris et a sinistris ; per gloriam, et ignobilitatem ; per infamiam, et bonam famam ; per prospera denique et adversa magnis itineribus ad cœlestem patriam et ipsi contendant, et alios etiam quacumque possunt ope studioque compellant, maximam Dei gloriam semper intuentes. Hæc est summa, hic scopus nostrarum Constitutionum, » Jesus.

11. OS NOSTRUM PATET AD VOS, O CORINTHII, — cor meum gestio in sinum vestrum effundere, *q. d.* Os meum patet, hiat, plura vult dicere, totumque meum in vos affectum expromere, nec valet ; quidquid enim et quantum dicam, minus est affectu meo, nec illum dicendo æquare et expromere, illive satisfacere possum.

Dicit hoc Apostolus, ut ostendat se ea quæ jam dixit de sua patientia, tribulationibus et virtutibus, non ex philautia, sed ex amicitia, confidentia, intimoque gaudio et amore Corinthiorum dixisse. Solent enim amici invicem sua secreta gaudia, intimaque omnia tam bona quam mala communicare, et in amicissimum confidenter effundere, itaque internum benevolentiæ affectum testari et patefacere : quem, cum ingens est, exprimere magis magisque sataguut, nec tamen dicendo exæquare possunt. Ita facit hic Paulus.

COR NOSTRUM DILATATUM EST, — amore erga vos, *q. d.* Vehementissime vos amo.

Nota : Hebræi opponunt passim hæc duo צרה *tsara*, et רחב *rachab*, id est θλῖψιν καὶ πλατυσμόν, angustias et latitudinem, vel dilatationem. Per latitudinem intelligunt cor lætum, amicum, liberale, munificum ; per angustias, cor triste, pusillanime, suspiciosum, avarum. Sicut enim tristitia et avaritia cor, frontem et manus arctant et contrahunt ; ita lætitia, alacritas et charitas eadem dilatant et diffundunt. Sic *Psal.* CXVIII, dicitur : « Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor

Psalm. xviii. Dilatatus apud Hebræos angustiis et lætitiæ.

meum.» Sic, III *Reg.* IV, 29, dicitur Deus Salomoni dedisse *latitudinem cordis*, id est, cor latum, liberale, regium, magnificum et magnanimum, «quasi arenam quæ est in littore maris,» ut scilicet instar arenæ in maxima esset quantitate, copia et abundantia.

12. NON ANGUSTIAMINI IN NOBIS, — sed plene et spatiose in corde meo habitatis, latissima vos cordis charitate complector. Loquitur de corde et animo, quasi domicilio.

ANGUSTIAMINI AUT S. IN VISCERIBUS VESTRIS, — angustam vos et exiguam charitatem habetis in corde et visceribus vestris, præcordia vestra angusta sunt, ut parum in eis loci habeam, *q. d.* In amore et benevolentia mihi non respondetis. Videntur Corinthii obtrectatione pseudoapostolorum nonnihil aversi fuisse a S. Paulo; unde tantam charitatem in eos ostendit, ut vicissim eorum in se amorem provocet et accendat.

Rursum, videbatur Paulus priore epistola arctasse Corinthios prohibendo eis idolothyta, litigium eorum judice infideli, nempe et convivia opulentiora; et vers. 14, erat eos arcaturus ad matrimonium cum fideli (licet impari) incundum: præmunit ergo et excitat eos ut latis charitatis Christi visceribus hæc in speciem arcta, non tam sua, quam Christi præcepta excipiant.

Vers. 13. Quæ sit hic loci explicatio.

13. EAMDEM AUTEM HABENTES REMUNERATIONEM (parem amorem rependentes mihi) DILATAMINI ET VOS; — Græce, τὴν αὐτὴν ἀντιμισθίαν, *eamdem remunerationem*, scilicet amoris; supplet Theophylactus ἀποδόντες, *afferte*; vel, ut Noster, *habentes*. *Secundo*, Chrysostomus refert ad sequentia, ὡς τέκνοις λέγω, *tanquam filiis dico*, edico, præcipio et exigo a vobis hanc charitatis remunerationem. *Tertio*, et planissime, ut intelligatur κατὰ, id est, *secundum* eamdem remunerationem charitatis, πλατύνθητε καὶ ὑμεῖς, *dilatamini et vos*, *q. d.* Eamdem charitatis mensuram et latitudinem mihi reddite et reponite, pari mensura cor et charitatem vestram in me extendite et dilatate. Aliter etiam Vatablus, nam subintelligit *propter*, itaque vertit, *propter eamdem remunerationem dilatamini et vos*, hoc est, propter repensionem benevolentiæ nostræ amplificate cor vestrum, ut nos æqua latitudine capiat et diligat.

Nota: Loquitur de remuneratione et redditione amoris, non præmii cœlestis, ut volunt aliqui, qui hunc dant sensum, *q. d.* Cum idem præmium et mercedem in cœlum mecum sitis habituri, dilatate et vos charitatem vestram in me. Sed alium esse genuinum sensum patet ex dictis.

Vers. 14. Incipit hic Apostolus vetare commercium fidelium cum infidelibus.

14. NOLITE JUGUM DUCERE (participationem et commercium habere) CUM INFIDELIBUS, — in iis quæ ad religionem pertinent, aut ita arcte et familiariter, ut vos sensim inclinemini ad eorum infidelitatem et vitia, quale est ns matrimonio jungi, *q. d.* Separate vos ab infidelium cœtibus, templis, sacrificiis, conviviis, conjugiis, omnique eorum commercio, vel per se impio aut injusto, vel periculoso aut scandaloso. Nolite ducere uxores infideles, de quibus dicitur *Psalm.* CV, vers. 35: «Commixti sunt inter Gentes, et didicerunt opera eorum, et servierunt sculptilibus eorum.» Ita Chrysostomus, Ambrosius, Theophylactus. S. Hieronymus vero, lib. I *Contra Jovin.*, accipit de matrimonio cum infidelibus cavendo. Videtur Apostolus alludere ad *Psalm.* CV, 28: «Initiati sunt Beelphegor;» ibi enim hebraice est יצמדו *itsmedu*, id est, jugati sunt Beelphegor; צמד *tsemed* enim idem est quod par vel conjugatio duorum boum, v. g., vel hominum. Sicut enim Hebræi, *Num.* XXV, fornicando cum Madianitis in honorem Beelphegor, illi quasi jugati, et jugo religionis copulati sunt; ita et qui arcto commercio, v. g. conjugio, copulatur cum infideli, videtur quasi Beelphegor, id est dæmoni, qui infidelium est præses, copulari. Aliter Anselmus: infideles enim (græce ἄπιστοι, id est, ut vertit Syrus, *incredules*) intelligit pseudoapostolos judaizantes, qui fidem Christi evacuare, et legis Mosis cæremonias statuere conabantur; ut horum societatem velit vitari Apostolus: hi enim magis perniciosi Christianis sunt magisque vitandi quam Gentiles ipsi et infideles. Hic sensus bonus est, sed partialis; Apostolus enim quorumvis infidelium et incredulorum commercia vitari vult.

Transit hic Apostolus more et licentia epistolari ad aliud punctum Corinthiis tum necessarium, scilicet, ut vitent arctas familiaritates infidelium. Frustra ergo quis quærat, quomodo hæc cum præcedentibus connexa sint.

Nota: Græce est μὴ γίνεσθε ἑτεροζυγοῦντες, quod probe, ait Erasmus, Noster vertit, *ne jungamini eodem jugo cum infidelibus*. Nam si Christianus ducat uxorem Ethnicam, aut Christianus in gerendo magistratu collega sit Ethnico, dicetur ἑτεροζυγεῖν. Hujusmodi matrimonia S. Hieronymus imperia vocat.

Ubi adverte, ἕτερος apud Græcos interdum significat alterum e duobus, interdum diversum, sive e duobus, sive e pluribus. Sic dicitur ἑτερόφθαλμος, qui altero caret oculo; ἑτερόδοξος vero, qui diversæ est opinionis. Unde incertum est an Paulus dicat ἑτεροζυγοῦντες, qui alterum jugi partem sustinent, an qui cum diversæ conditionis homine jugum ducunt.

Priorem ἕτερον acceptionem, scilicet communem, sequitur Budæus, qui ἑτεροζυγοῦντες interpretatur per ἀνεζευγότες, qui simul cum socio alteram jugi partem trahunt, *q. d.* Nolite cum infidelibus alteram jugi partem trahere, uti in Campinia eamdem carrucam trahunt duo boves, in idem jugum unus a dextera, alter a sinistra parte, caput inserentes.

Triplex horum verborum explicatio.

Secundo, posteriorem acceptionem ἕτερον sequuntur alii, et proprie vertunt: Nolite aliud, diversum, vel impar, jugum trahere, quod fit, quando jungantur diversæ conditionis homines æque ac jumenta, ut equus et asinus in eodem curru,

quod olim lege veteri, *Deuter.* XXII, 10, vetitum erat: quo forte alludit Apostolus. Et hic secundus sensus est probabilior ex his quæ sequuntur: «Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate?»

Tertio, Theophylactus vertit, *nolite in alteram jugi*, vel *lancis* (de libra enim ipse accipit) *partem vos inclinare*, conjugi vestro, scilicet infideli, impio et injusto, vos inclinando et accommodando: nam ἑτεροζυγεῖν, ait, est alteri lanci incumbere, et de injusta libra dicitur, quando videlicet altera lanx gravior est, ut libra in alteram partem magis pendeat, *q. d.* Sic pariter injusto conjugi et compari infideli nolite vos inclinare.

QUÆ ENIM PARTICIPATIO JUSTITIÆ CUM INIQUITATE? — id est, justis cum iniquis, puta fidelibus cum infidelibus.

Nota: Durum erat Corinthiis in tanta paucitate Christianorum arctari ad commercia et conjugia cum fidelibus ineunda. Multi enim inter eos sibi nec genere, nec opibus, nec statu, nec aliis dotibus pares inveniebant: itaque vel conjugio eis abstinendum erat, aut ducenda conjux nobilitate, gradu et divitiis impar et inferior. Rursum jure naturæ et divino eis aliisque fidelibus simpliciter et absolute prohibitum non erat ducere infidelem conjugem: erat tamen id indecens et periculosum, ideoque ab Apostolo hic prohibetur. Apostolus ergo ut hanc duritiem emolliat, eisque legem hanc suam persuadeat, quinque utitur rationibus sive antithesibus ab ipsa rei repugnantia petitis.

Quinque rationes adducit Paulus, ob quas Christianis fidelibus prohibet conjugium cum infidelibus.

Primam affert cum ait: «Nolite jugum ducere,» scilicet impar et dispar (hoc enim est Græcum ἑτεροζυγεῖν, ut dixi) «cum infidelibus,» *q. d.* Conjugium dispar ingens est onus et jugum, perinde ac si bos et equus idem currus jugum subeant, ingens uterque ob disparem et incongruum socium, jugum et laborem subit. Ergo nolite illud jugum vobis ipsis imponere. *Secundam* affert cum ait: «Quæ societas luci ad tenebras?» *q. d.* Lux et tenebræ in eumdem locum aut subjectum convenire simul nequeunt: ergo congrue fieri nequit ut fidelis habens lucem fidei in idem jugum conveniat cum infideli, qui plenus est tenebris infidelitatis. *Tertia* est: «Nulla, inquit, est conventio Christi ad Belial;» atqui fideles pertinent ad Christum, infideles ad Belial: ergo hi convenire nequeunt. *Quarta*, fidelis cum infideli nullam habet partem aut communicationem, sed ab eo toto genere dissidet, tantumque distat quantum fides distat ab infidelitate, cœlum ab inferno. Ergo hi conjungi non possunt. *Quinta*, templum Dei non potest associari idolis et templis dæmonum: ergo nec fidelis infideli. Fidelis enim est templum Dei, infidelis vero est templum et simulacrum diaboli.

15. QUÆ CONVENTIO CHRISTI AD BELIAL? — Græce τίς συμφώνησις, id est, *quæ consonantia*, quis concentus, quæ concordantia, quod conjugium Christi, qui est omnis disciplinæ, obedientiæ, sanctitatis pa-

ter, cum Belial, id est diabolo ejusque assedis infidelibus?

Nota: Non *Behar*, ut Græci corrupte legunt, sed *Belial* hebraice dicitur, ut vult R. Kimchi, quasi בלי יעל *beli jaal*, id est, sine utilitate, qui non prodest, qui inutilis est: quo alludit noster interpres, *Proverb.* VI, 12: «Apostata homo Belial (ita enim est in Hebræo, id est) vir inutilis.» Vel potius a בלי עול *beli ol*, id est, *sine jugo*: ita enim vertit S. Hieronymus et Aquila. Hinc *Belial* significat *primo*, inobedientiam, rebellionem, impietatem; *secundo*, inobedientes, rebelles, impios; *tertio*, significat diabolum, qui princeps fuit omnis apostasiæ et inobedientiæ, quique primus apostata, legis, fidei et obedientiæ Dei jugum excussit. Hinc *viri*, vel *filii Belial* vocantur apostatæ, *q. d.* Filii diaboli, vel filii inobedientiæ, rebellionis, impietatis, hoc est improbissimi et impiissimi.

QUÆ PARS FIDELI CUM INFIDELI? — Quid commune habet fidelis, quod participet cum infideli? Sic, III *Reg.* XII, 16, dicitur: «Quæ nobis pars in David? vel quæ hæreditas in filio Isai?» *q. d.* Nulla communicatio, nulla participatio nobis est cum Davide, nihil commune, nullam partem aut hæreditatem cum eo communem habere volumus. Hæc antithesis explicat tres præcedentes; vult enim dicere, non convenire, ut fidelis jungatur infideli, sicut non convenit, justitiam iniquitati, lucem tenebris, Christum Belial, templum Dei idolis jungi et sociari.

16. VOS ENIM ESTIS TEMPLUM DEI VIVI, — per fidem, gratiam, sanctitatem. Præclare S. Cyprianus, tract. *De Orat. Domin.*: «Conversemur, ait, quasi Dei templa, ut Deum in nobis constet habitare, ut qui cœlestes et spiritales esse cœpimus, non nisi spiritalia et cœlestia cogitemus et agamus.

Templum hebraice dicitur היכל *hechal*, a radice יכל *iachol*, id est potuit, prævaluit, *q. d.* *Hechal*, id est basilica, dominica, regia, palatium, in quo Dominus aut rex præpotentem se ostendit, quodque illius majestatem et potentiam ostentat, tum ædificii apparatu, tum auri copia, tum instrumentorum supellectile, numero, tum ministrorum dignitate et sanctitate. Hinc Chrysostomus, homil. 17 *in epist. ad Hebr.*: Jussit, inquit, Deus templum Salomonis cum magna magnificentia fieri, ut Hebræi, qui corporalibus magis attrahebantur et alliciebantur, per illud Dei majestatem conciperent et agnoscerent. Quidni ergo Christiani ornent templa, ut domum Dei, Dominque honorent, ac Christi præsertim corpus præsens; aliosque excitent ad Dei reverentiam et devotionem? Tale templum, talis basilica regia, imo divina, allegorice est Ecclesia, tropologice quævis anima sancta, ut hic docet Apostolus, in qua Deus per magnificam gratiam, magnifica et honorifica virtutum opera, magnifica Sacramenta, magnificam gloriam, magnificentiam suam ostendit.

Ecclesia et anima sancta est templum Dei.

Potest *secundo*, ut docet Villalpando in *Ezech.*,

tom. II, pag. 256, per metathesim היכל *hechal*, ילכ quasi הליך *halich*, a radice הלך *halach*, id est ambulavit, ingressus est; quia tabernaculum istius erat quasi templum mobile, in quo habitans Deus ambulabat cum Hebræis per desertum in terram promissam; additque Vilalpando, *hechal* proprie dici sanctum, quia per illud ibatur in Sanctum sanctorum. ut huc alludat Psaltes, *Psalm.* LXXVII, 25 : « Viderunt ingressus tuos, Deus, ingressus Dei mei, regis mei, qui est in sancto. » Et Paulus hic, cum subdit : « Quoniam inhabitabo in illis, et inambulabo. » Sic latine, « templum, » *primo*, ut vult Isidorus, lib. XV, cap. IV, dicitur quasi tectum amplum, *q. d.* Basilica. *Secundo*, ut Varro, templum dicitur a tuendo, quia Deus templum quasi domum suam intuetur, tuetur et curat; et in templo, Dei tutela protegimur ab omnibus injuriis; homines etiam in eo quasi Deum intuentur, illudque quasi Dei domum tuentur ab injuria. Sic cœlum, ait Varro, quod tuemur, id est intuemur, dicitur templum. Huc alludens Paulus, cum dixisset : « Vos estis templum Dei, » causam assignans subdit : « Sicut dicit Deus : Quoniam inhabitabo in illis, et inambulabo, et ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus, » quem scilicet inter eos, quasi in templo meo inhabitans, intuear, tuear et protegam.

Etymologia Latinæ vocis templum.

INAMBULABO. — Anthropopathice, id est undique eos protegam, quasi undequaque custos inambulans, et spiritualiter per potentias et virtutes animæ inambulabo.

Nota cum Anselmo : Citat Apostolus litteraliter *Ezech.* XXXVII, 27; tropologice, *Levit.* XXVI, 12, ubi sic dicitur : « Ponam tabernaculum meum in medio vestri, et non abjiciet vos anima mea. Ambulabo inter vos, et ero Deus vester, vosque eritis populus meus. » Ubi ad litteram loquitur de tabernaculo fœderis, quod erat quasi mobile templum et domus Dei ambulantis cum Hebræis per desertum, *q. d.* In hoc tabernaculo præsens vobis adero, et illo per desertum ambulante, vobiscum et ego ambulabo, tantamque vestri curam geram, ac si inter vos corporaliter ambularem undequaque, ut nullis hostibus vos oppugnandi locus detur, cum circumquaque vos protegens inambulem.

Locus *Ezech.* XXXVII, et *Levit.* XXVI illustratus et explicatus.

Allegorice, hoc tabernaculum significabat Christi Ecclesiam, ut explicat *Ezech.* XXXVII, 27, quem citat et sequitur hic D. Paulus : « Et erit (in diebus Messiæ) tabernaculum meum, » id est Ecclesia mea, « in eis, » inquit Ezechiel, « et ero eis Deus, et ipsi erunt mihi populus. » Consequenter tropologice hoc tabernaculum est anima sancta, quæ templum est Dei, et ab hoc exilio in cœlum perambulat.

Ubi nota : Deus inambulat in anima quasi in tabernaculo suo, cum ex memoria in intellectum, inde in voluntatem transit per actus fidei, spei et charitatis : est enim anima sancta quasi templum, imo cœlum, in quo sol est intellectus, vel zelus justitiæ; luna, fides et continentia; astra, reliquæ virtutes, ait Bernardus, serm. 27 *in Cant.* *Secundo*, Deus inambulat in anima, id est, inambulare eam facit per virtutes, cum scilicet sui gratia efficit, ut eamus de virtute in virtutem, ait Anselmus et Theophylactus; et sicut in tabernaculo ibatur in Sancta sanctorum per Sanctum, scilicet per altare thymiamatis, mensam et candelabrum : ita facit ut eamus in cœlum per vitæ sanctitatem, scilicet per orationem, eleemosynam, castitatem et puritatem vitæ : altare enim thymiamatis symbolum erat orationis, mensa eleemosynæ, candelabrum puritatis et splendoris vitæ. *Tertio*, Deus in anima inambulat contemplatione, quia facit ut mente sequamur sua templa, scilicet Christum salientem e templo cœli in templum et utarum Virginis; inde in templum et montem Calvariæ, inde in infernum, inde in cœlum. *Quarto*, corporaliter, ait S. Ambrosius, « Verbum caro factum habitavit » et ambulavit « in nobis, » et quotidie per sanctam communionem habitat, et per membra nostra omnemque locum nobiscum inambulat.

Quatuor gradus Dei in sancta anima.

17. PROPTER QUOD DICIT : EXITE DE MEDIO EORUM. Vers. 17. — Nota, Isaiam cap. LII, vers. 11, jubere ad literam, ut Apostoli et fideles exeant de infideli et immunda non Babylone, ut aliqui, sed Jerusalem per Titum vastanda. Verum Apostolus tropologice, vel *a pari*, hinc fidelibus jubet, ut infidelium nimia commercia vitent, et « immundum, » id est immundos infideles, non tangant, hoc est, cum eis non conversentur, ne eorum immunda vitia, puta crapulam, luxuriam, fastum, impietatem, et improbitatem sibi affricent, ipsoque tacto ex conversatione contrahant. Ita Hieronymus cum Cyrillo *in Isaiæ* LII, et Chrysostomus, Ambrosius, Anselmus hic.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, ostendit amorem, sinceritatem et confidentiam erga Corinthios.
Secundo, gaudium de eorum pœnitentia et emendatione, *vers.* 6.
Tertio, vers. 10, *dat signa et actus veræ pœnitentiæ Corinthiorum.*
Quarto, vers. 13, *hujus pœnitentiæ, amoris et obedientiæ Corinthiorum testem allegat Titum.*

1. Has ergo habentes promissiones, charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei. 2. Capite nos. Neminem læsimus, neminem corrupimus, neminem circumvenimus. 3. Non ad condemnationem vestram dico, prædiximus enim quod in cordibus nostris estis ad commoriendum et ad convivendum. 4. Multa enim fiducia est apud vos, multa mihi gloriatio pro vobis, replotus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. 5. Nam et cum venissemus in Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra, sed omnem tribulationem passi sumus : foris pugnæ, intus timores. 6. Sed qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus in adventu Titi. 7. Non solum autem in adventu ejus, sed etiam in consolatione, qua consolatus est in vobis, referens nobis vestrum desiderium, vestrum fletum, vestram æmulationem pro me, ita ut magis gauderem. 8. Quoniam etsi contristavi vos in epistola, non me pœnitet : etsi pœniteret, videns quod epistola illa (etsi ad horam) vos contristavit, 9. nunc gaudeo : non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam. Contristati enim estis secundum Deum, ut in nullo detrimentum patiamini ex nobis. 10. Quæ enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur : sæculi autem tristitia mortem operatur. 11. Ecce enim hoc ipsum, secundum Deum contristari vos, quantam in vobis operatur sollicitudinem : sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam; in omnibus exhibuistis vos, incontaminatos esse negotio. 12. Igitur, etsi scripsi vobis, non propter eum, qui fecit injuriam, nec propter eum, qui passus est : sed ad manifestandam sollicitudinem nostram, quam habemus pro vobis, 13. coram Deo : ideo consolati sumus. In consolatione autem nostra, abundantius magis gavisi sumus super gaudio Titi, quia refectus est spiritus ejus ab omnibus vobis. 14. Et si quid apud illum de vobis gloriatus sum, non sum confusus : sed sicut omnia vobis in veritate locuti sumus, ita et gloriatio nostra, quæ fuit ad Titum, veritas facta est, 15. et viscera ejus abundantius in vobis sunt : reminiscentis omnium vestrum obedientiam, quomodo cum timore et tremore excepistis illum. 16. Gaudeo quod in omnibus confido in vobis.

Vers. 1. 1. HAS ERGO HABENTES PROMISSIONES, — nimirum Christianos fore templa Dei, ejusque filios et filias, atque habituros Deum in se inhabitantem et inambulantem, uti præcessit.

Duplex pollutio, carnalis et spiritualis.

MUNDEMUS NOS AB OMNI INQUINAMENTO CARNIS ET SPIRITUS. — Hinc Theologi sumunt divisionem peccati : in carnale, quod versatur circa objectum carnale, facitque hominem quasi bestiam, uti est gula, libido, ebrietas; et spirituale, quod versatur circa objectum spirituale, facitque hominem quasi dæmonem, uti est ira, superbia, invidia.

Secundo, apposite S. Basilius, *Reg.* 54 inter breviores : Inquinamentum, inquit, carnis est, carnalia agere : inquinamentum spiritus est, talia agentibus se miscere, cum illisque versari et communicare; uti Corinthii hi miscebant colloquia, et communicabant cum fornicario, quem omnino vitari volebat Apostolus.

PERFICIENTES SANCTIFICATIONEM, — ἁγιωσύνην, *sanctimoniam*, ut mens purgata omni inquinamento carnis et spiritus, perfecte sit sancta et pura, sanctisque operibus dedita in timore Dei : quia

tom. II, pag. 256, per metathesim היכל *hechal*, ילכ quasi הליך *halich*, a radice הלך *halach*, id est ambulavit, ingressus est; quia tabernaculum istius erat quasi templum mobile, in quo habitans Deus ambulabat cum Hebræis per desertum in terram promissam; additque Vilalpando, *hechal* proprie dici sanctum, quia per illud ibatur in Sanctum sanctorum. ut huc alludat Psaltes, *Psalm.* LXXVII, 25 : « Viderunt ingressus tuos, Deus, ingressus Dei mei, regis mei, qui est in sancto. » Et Paulus hic, cum subdit : « Quoniam inhabitabo in illis, et inambulabo. » Sic latine, « templum, » *primo*, ut vult Isidorus, lib. XV, cap. IV, dicitur quasi tectum amplum, *q. d.* Basilica. *Secundo*, ut Varro, templum dicitur a tuendo, quia Deus templum quasi domum suam intuetur, tuetur et curat; et in templo, Dei tutela protegimur ab omnibus injuriis; homines etiam in eo quasi Deum intuentur, illudque quasi Dei domum tuentur ab injuria. Sic cœlum, ait Varro, quod tuemur, id est intuemur, dicitur templum. Huc alludens Paulus, cum dixisset : « Vos estis templum Dei, » causam assignans subdit : « Sicut dicit Deus : Quoniam inhabitabo in illis, et inambulabo, et ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus, » quem scilicet inter eos, quasi in templo meo inhabitans, intuear, tuear et protegam.

Etymologia Latinæ vocis templum.

INAMBULABO. — Anthropopathice, id est undique eos protegam, quasi undequaque custos inambulans, et spiritualiter per potentias et virtutes animæ inambulabo.

Nota cum Anselmo : Citat Apostolus litteraliter *Ezech.* XXXVII, 27; tropologice, *Levit.* XXVI, 12, ubi sic dicitur : « Ponam tabernaculum meum in medio vestri, et non abjiciet vos anima mea. Ambulabo inter vos, et ero Deus vester, vosque eritis populus meus. » Ubi ad litteram loquitur de tabernaculo fœderis, quod erat quasi mobile templum et domus Dei ambulantis cum Hebræis per desertum, *q. d.* In hoc tabernaculo præsens vobis adero, et illo per desertum ambulante, vobiscum et ego ambulabo, tantamque vestri curam geram, ac si inter vos corporaliter ambularem undequaque, ut nullis hostibus vos oppugnandi locus detur, cum circumquaque vos protegens inambulem.

Locus *Ezech.* XXXVII, et *Levit.* XXVI illustratus et explicatus.

Allegorice, hoc tabernaculum significabat Christi Ecclesiam, ut explicat *Ezech.* XXXVII, 27, quem citat et sequitur hic D. Paulus : « Et erit (in diebus Messiæ) tabernaculum meum, » id est Ecclesia mea, « in eis, » inquit Ezechiel, « et ero eis Deus, et ipsi erunt mihi populus. » Consequenter tropologice hoc tabernaculum est anima sancta, quæ templum est Dei, et ab hoc exilio in cœlum perambulat.

Ubi nota : Deus inambulat in anima quasi in tabernaculo suo, cum ex memoria in intellectum, inde in voluntatem transit per actus fidei, spei et charitatis : est enim anima sancta quasi templum, imo cœlum, in quo sol est intellectus, vel zelus justitiæ; luna, fides et continentia; astra, reliquæ virtutes, ait Bernardus, serm. 27 *in Cant.* *Secundo*, Deus inambulat in anima, id est, inambulare eam facit per virtutes, cum scilicet sui gratia efficit, ut eamus de virtute in virtutem, ait Anselmus et Theophylactus; et sicut in tabernaculo ibatur in Sancta sanctorum per Sanctum, scilicet per altare thymiamatis, mensam et candelabrum : ita facit ut eamus in cœlum per vitæ sanctitatem, scilicet per orationem, eleemosynam, castitatem et puritatem vitæ : altare enim thymiamatis symbolum erat orationis, mensa eleemosynæ, candelabrum puritatis et splendoris vitæ. *Tertio*, Deus in anima inambulat contemplatione, quia facit ut mente sequamur sua templa, scilicet Christum salientem e templo cœli in templum et utarum Virginis; inde in templum et montem Calvariæ, inde in infernum, inde in cœlum. *Quarto*, corporaliter, ait S. Ambrosius, « Verbum caro factum habitavit » et ambulavit « in nobis, » et quotidie per sanctam communionem habitat, et per membra nostra omnemque locum nobiscum inambulat.

Quatuor gradus Dei in sancta anima.

17. PROPTER QUOD DICIT : EXITE DE MEDIO EORUM. Vers. 17. — Nota, Isaiam cap. LII, vers. 11, jubere ad literam, ut Apostoli et fideles exeant de infideli et immunda non Babylone, ut aliqui, sed Jerusalem per Titum vastanda. Verum Apostolus tropologice, vel *a pari*, hinc fidelibus jubet, ut infidelium nimia commercia vitent, et « immundum, » id est immundos infideles, non tangant, hoc est, cum eis non conversentur, ne eorum immunda vitia, puta crapulam, luxuriam, fastum, impietatem, et improbitatem sibi affricent, ipsoque tacto ex conversatione contrahant. Ita Hieronymus cum Cyrillo *in Isaiæ* LII, et Chrysostomus, Ambrosius, Anselmus hic.

CAPUT SEPTIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, ostendit amorem, sinceritatem et confidentiam erga Corinthios.
Secundo, gaudium de eorum pœnitentia et emendatione, *vers.* 6.
Tertio, vers. 10, *dat signa et actus veræ pœnitentiæ Corinthiorum.*
Quarto, vers. 13, *hujus pœnitentiæ, amoris et obedientiæ Corinthiorum testem allegat Titum.*

1. Has ergo habentes promissiones, charissimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei. 2. Capite nos. Neminem læsimus, neminem corrupimus, neminem circumvenimus. 3. Non ad condemnationem vestram dico, prædiximus enim quod in cordibus nostris estis ad commoriendum et ad convivendum. 4. Multa enim fiducia est apud vos, multa mihi gloriatio pro vobis, replotus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. 5. Nam et cum venissemus in Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra, sed omnem tribulationem passi sumus : foris pugnæ, intus timores. 6. Sed qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus in adventu Titi. 7. Non solum autem in adventu ejus, sed etiam in consolatione, qua consolatus est in vobis, referens nobis vestrum desiderium, vestrum fletum, vestram æmulationem pro me, ita ut magis gauderem. 8. Quoniam etsi contristavi vos in epistola, non me pœnitet : etsi pœniteret, videns quod epistola illa (etsi ad horam) vos contristavit, 9. nunc gaudeo : non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam. Contristati enim estis secundum Deum, ut in nullo detrimentum patiamini ex nobis. 10. Quæ enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur : sæculi autem tristitia mortem operatur. 11. Ecce enim hoc ipsum, secundum Deum contristari vos, quantam in vobis operatur sollicitudinem : sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam; in omnibus exhibuistis vos, incontaminatos esse negotio. 12. Igitur, etsi scripsi vobis, non propter eum, qui fecit injuriam, nec propter eum, qui passus est : sed ad manifestandam sollicitudinem nostram, quam habemus pro vobis, 13. coram Deo : ideo consolati sumus. In consolatione autem nostra, abundantius magis gavisi sumus super gaudio Titi, quia refectus est spiritus ejus ab omnibus vobis. 14. Et si quid apud illum de vobis gloriatus sum, non sum confusus : sed sicut omnia vobis in veritate locuti sumus, ita et gloriatio nostra, quæ fuit ad Titum, veritas facta est, 15. et viscera ejus abundantius in vobis sunt : reminiscentis omnium vestrum obedientiam, quomodo cum timore et tremore excepistis illum. 16. Gaudeo quod in omnibus confido in vobis.

Vers. 1. 1. HAS ERGO HABENTES PROMISSIONES, — nimirum Christianos fore templa Dei, ejusque filios et filias, atque habituros Deum in se inhabitantem et inambulantem, uti præcessit.

Duplex pollutio, carnalis et spiritualis.

MUNDEMUS NOS AB OMNI INQUINAMENTO CARNIS ET SPIRITUS. — Hinc Theologi sumunt divisionem peccati : in carnale, quod versatur circa objectum carnale, facitque hominem quasi bestiam, uti est gula, libido, ebrietas; et spirituale, quod versatur circa objectum spirituale, facitque hominem quasi dæmonem, uti est ira, superbia, invidia.

Secundo, apposite S. Basilius, *Reg.* 54 inter breviores : Inquinamentum, inquit, carnis est, carnalia agere : inquinamentum spiritus est, talia agentibus se miscere, cum illisque versari et communicare; uti Corinthii hi miscebant colloquia, et communicabant cum fornicario, quem omnino vitari volebat Apostolus.

PERFICIENTES SANCTIFICATIONEM, — ἁγιωσύνην, *sanctimoniam*, ut mens purgata omni inquinamento carnis et spiritus, perfecte sit sancta et pura, sanctisque operibus dedita in timore Dei : quia

timor Dei, inchoatio et perfectio est veræ sapientiæ. Et sanctitatis, *Eccli.* I, 16, et XIX, 18; et quantum crescit timor Dei, tantum crescit et sanctimonia, adeoque perfectus Dei timor est perfecta sanctimonia. Præclare S. Basilius, *Reg.* 53 jam citata : « Sanctificatio, inquit, est, Deo ex toto continenter dedicatum adhærere, iis sollicite exquirendis, et in studio habendis, quæ ipsi grata sint. Siquidem etiam in his quæ dona Deo offeruntur, ea repudiantur ut minime grata, quæ curta aut mutila sunt; aut quod semel Deo dedicatum donum est, id denuo in communem usum humanum retrahere, nefarium est ac sceleratum. »

CAPITE NOS. — Græce χωρήσατε, id est, *amplexamini* nos latis visceribus charitatis, sicut ego vicissim toto vos animo complector. Ita Theophylactus; vide cap. VI, vers. 11, 12 et 13. Proprie χωρήσατε hoc significat *locate nos*, facite locum nobis, ut scilicet apud vos locum inveniam, non arctum, sed amplum, ut excipiar lato sinu charitatis vestræ : quod Noster dixit, *capite nos*; Maldonatus in *Notis manuscr.* vertit, *forte nos æquo animo, si quid de me laudabilius dixero* (1).

NEMINEM CIRCUMVENIMUS, — τοῦτον διεφθείραμεν, neminem fraudavimus, nullius rem extorsimus, vel vi aut fraude occupavimus. Vide dicta cap. II, vers. 11.

3. NON AD CONDEMNATIONEM VESTRAM DICO, — quasi damnem, culpem et arguam vos talia de me suspicari, quod scilicet aliquem læserim aut circumvenerim. Ita S. Anselmus.

IN CORDIBUS NOSTRIS ESTIS AD COMMORIENDUM ET AD CONVIVENDUM. — *q. d.* Ita vos amo, ut vobiscum et pro vobis et mori et vivere paratus sim. Quomodo hæc cohæreant cum præcedentibus, vide vers. 4. Alludit ad arctissime amantes et amasios, quibus uti vita communis erat omniaque in vita communia, ita communis erat et mors, ut uno occumbente, occumberet et alter : quales fuerunt Nisus et Euryalus apud Virgilium, IX *Æneid.*, ubi capto Euryalo inclamat Nisus :

> Me, me, adsum qui feci, in me convertite ferrum,
> O Rutuli; mea fraus omnis, nihil iste nec ausus,
> Nec potuit..... .....
> Tum super exanimum sese projecit amicum
> Confossus, placidaque ibi demum morte quievit.

Societas Soldiorum, et amicorum in omnibus mortem.

Quales etiam in bellis fuerunt illi, quos Galli *Soldurios* vocant, Cæsar *devotos* interpretatur, lib. III *De Bello Gallico*. Talis quoque erat apud Thebanos ἱερὸς λόχος, *sacra cohors*, cujus meminit Plutarchus in *Pelopida* (2). Addit Erasmus et alii, Apostolum alludere ad illud veteris amicitiæ genus, quo amico forte extincto, amicus aliter ultro sibi mortem consciscebat : quod Soldurios etiam fecisse narrat Cæsar; quale amicitiæ genus significat Horatius sibi fuisse cum Mæcenate. Unde dicti sunt συναποθνήσκοντες, *conmorientes*, uti et hic habet Paulus. Sic etiamnum in Perù et Mexico uxores et famuli chariores, marito, vel domino defuncto, in rogum, vel sepulcrum vivi se cum domini cadavere injiciunt. Et apud Japones, nobiles morte damnati, sibi cum intimis suis ventrem dissecando, mortem consciscunt. Quorum sui nomicidium damnat Apostolus, amicitiam laudat et amplexatur, *q. d.* Sicut illi invicem ad mortem usque diligunt, ita et ego vos, o Corinthii, usque ad mortem amo, cupioque vobiscum vivere, vobiscum mori, non autem ut illi, cupio mihi mortem consciscere. Sed necesse non est tam longe Apostoli verba et amorem, præsertim ad illicitas et parricidales amicitias extendere; horum enim amicitia in simultanea morte, suique interemptione maxime consistebat, ac proinde a parricidio separari non potest : sedesta ergo fuit, non laudanda, sed damnanda.

4. MULTA MIHI FIDUCIA EST APUD VOS. — Græce παῤῥησία, id est *libertas*, confidentia, quæ oritur ex amore, *q. d.* Liberrime me apud vos effundo, admoneo, corripio; quia intime vos amo, uti jam dixi. Unde *glorior pro vobis*, id est, de vobis mihi tam addictis et obsequentibus. Ita Theophylactus et Ambrosius. Hæc omnia dicit Paulus, ut Corinthiis eximat diffidentiæ suspicionem, ne scilicet ex diffidentia videatur dixisse : *Nemicus lætamus*, etc., *q. d.* Hoc non dixi quasi diffidens vestræ de me bonæ opinioni, sed ex animi quadam libertate et confidentia, quam parit ingens amor vestri. Hinc soleo de vobis gloriari. Discant hic a S. Paulo Superiores cavere, ne subditi sibi diffidant, putantes Superiorem sibi non credere, non fidere, vel non audentes se et sua Superiori committere, quasi minus sibi faventi; curentque potius, ut fidenter secum agant, ac sciant se amari; ostendant illos sibi esse curæ et cordi, bonamque se de eis ac eorum virtute habere opinionem : ita eorum animos sibi devincient, et quocumque volent, inflectent.

Superiorum est cavere ne subditi diffidant.

SUPERABUNDO GAUDIO IN OMNI TRIBULATIONE. — Quia scilicet vos correxistis ea, quæ priori epistola condemnavi, replestis me tanta consolatione, ut ea non solum abundem, sed superabundem græce est ὑπερπερισσεύομαι, id est *superexulero*, ut hæc gaudii exuberantia omnem afflictionum sensum, non secus ac copia aquarum modicum ignem extinguat. Ita Theophylactus.

Nota, amicitiam in animis amicorum quatuor affectus gignere. *Primus* affectus est fiduciæ, de quo Paulus hic ait : « Multa mihi fiducia est apud vos. » *Secundus* est gloriationis, de quo subdit « Multa mihi gloriatio pro vobis. » *Tertius* est consolationis, de quo subjungit : « Repletus sum consolatione. » *Quartus* est exuberantis gaudii, de que sequitur : « Superabundo gaudio in omni tribulatione. »

Gaudium affectus quadruplex.

(1) Alii : Locum mihi date in animo vestro, complectimini me animo benevolo, seu admittite admonitiones meas.

(2) Et Horatius, Od. III, IX, 24 : Tecum vivere amem, tecum obeam libens.

5. FORIS PUGNÆ, — ab infidelibus aperta inimicitia mihi fuit.

INTUS TIMORES, — in animo habui anxietates et sollicitudines tum ob falsos fratres, tum pro infirmis Christianis, ne ob tot meas et suas persecutiones a fide abducerentur. Ita Anselmus et Ambrosius.

7. CONSOLATUS EST (consolationem accepit Titus) IN VOBIS. — Τὸ *consolatus* capitur hic passive : Græcum enim παρακληθὲς passivum est.

REFERENS NOBIS VESTRUM DESIDERIUM (emendationis), VESTRUM FLETUM (pro peccatis pœnitentiam), ITA UT MAGIS GAUDEREM (quam scilicet ante tristatus fuerim ob schismata vestra et peccata, videns audiensque tantam) ÆMULATIONEM VESTRAM PRO ME, — qua scilicet me meumque honorem et apostolatum zelatis contra obtrectatores tueri et propugnare.

8. CONTRISTAVI VOS IN (priori) EPISTOLA (vitia vestra arguens), VIDENS QUOD EPISTOLA ILLA (ETSI AD HORAM) VOS CONTRISTAVIT. — Est ellipsis; supplendum enim est : Tamen profuit vobis, vosque commovit ad agendam pœnitentiam, quæ vobis jugem conscientiæ pacem et lætitiam conciliavit.

ETSI AD HORAM, — etsi ad breve tempus, *q. d.* Epistola mea tantum ad breve tempus vos contristavit et excitavit ad pœnitentiam. Unde gaudeo et de epistola mea, et de vestra pœnitentia.

9. CONTRISTATI ESTIS AD PŒNITENTIAM, — tristitia hæc adduxit vos ad pœnitentiam, ad fletum, vers. 7, ad indignationem et vindictam, vers. 11; ergo pœnitentia non est nuda resipiscentia, uti mox pluribus ostendam.

Vers. 10. Tristitia seculari tristitia secundum Deum quomodo discernenda?

10. QUÆ ENIM SECUNDUM DEUM TRISTITIA EST. — Nota : Apostolus ponit hic et distinguit duplicem tristitiam, unam « secundum Deum, » secundam sæculi. Tristitia sæculi, vel carnalis est, quæ nascitur ex nimio amore et amissione bonorum sæculi, uti propter opes et voluptates amissas, amicos vel potentes offensos. Hæc sæpe mortem animæ operatur, quia incitat ut per Dei offensam hæc bona recuperes. Non raro etiam operatur morbos et mortem corporis : multi enim dum nimis sua vel suos lugent, luctu opprimuntur, tabescunt et moriuntur. « Multos, inquit *Eccli.* XXX, 25, occidit tristitia, et non est utilitas in ea. » Tristitia « secundum Deum, » vel divina est, quæ concipitur propter Deum offensum (inquit S. Basilius in *Reg. brev.*, interrog. 192 et 194); hæc est contritio, et parit « pœnitentiam, » id est sui castigationem, « in salutem stabilem, » id est salutarem, firmam, solidam, græce ἀμεταμέλητον, *impœnitibilem*, et, ut Augustinus, *impœnitendam*. Unde recte Chrysostomus et Erasmus *stabilem* referunt ad *pœnitentiam*, non ad *salutem*.

Nota *secundo* : Tristitiam hanc distinguit Apostolus a pœnitentia, tanquam causam ab effectu : tristitia enim, id est contritio, efficit pœnitentiam, id est, sui castigationem.

Hinc patet tristitiam hanc et pœnitentiam non esse nudam resipiscentiam et novam vitam, ut volunt hæretici; nec, ut Erasmus, nudam esse retractationem præteritorum peccatorum; sed esse contritionem suique castigationem.

Pœnitentia est quasi compositum ex contritione et novitate vitæ. Nota.

Patet *secundo*, non sola fide, sed etiam pœnitentia peccatores justificari et salutem assequi.

Patet *tertio*, pœnitentiam hanc includere contritionem, peccati agnitionem sive confessionem, et satisfactionem : hasque esse tres partes pœnitentiæ. Unde vers. 11, pœnitentiam explicans Apostolus : « Operatur, inquit, sollicitudinem, et scilicet reconciliandi et satisfaciendi Deo, « vindictam, » etc., de quo vers. 11.

Quare notanda est aurea sententia D. Chrysostomi, hom. 5 *ad Populum* de usu, fine et fructu tristitiæ : « Tristitia, ait, ob id nobis data est, non ut in morte, aut alia re doleamus, sed ut doleamus peccatum, quasi morbi illius remedium; sicuti ergo remedium lippitudinis illam tollit, non alios morbos : sic tristitia peccatum tollit, non alias ægritudines : verbi gratia, pecunia quis muletatus est, doluit, non emendavit; filium amisit, doluit, non resuscitavit mortuum; contumeliis affectus est, doluit, non revocavit contumeliam; infirmatur, dolet, morbum non aufert, imo auget : at peccavit quis, tristatus est, peccata delevit : nam quæ secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur; ergo tristitia tantum facta est propter peccatum, a quo nata est, ideo ut tinea ipsum corrodit et absumit. »

Tristitia divina quæ?

UT IN NULLO DETRIMENTUM PATIAMINI EX NOBIS. — Præceptor enim, ait Theophylactus, tum discipulo damnum infert, quando delinquentem non objurgat : lucrum vero adfert, si eumdem increpet et corrigat.

Vers. 10.

10. QUÆ ENIM SECUNDUM DEUM TRISTITIA EST. — Distinguit, ut dixi, « tristitiam secundum Deum » a tristitia sæculi. Priorem ex S. Chrysostomo magistro suo ita describit Cassianus, lib. IX, cap. X, cum ait : « Utilis nobis una ac tantum tristitia judicanda est, cum hanc vel pœnitudine delictorum (de hac proprie agit hic Apostolus), vel desiderio perfectionis accensi, vel futuræ beatitudinis contemplatione concipimus. » Deinde, cap. XI, ejus notas, signa et effecta ita describit : « Hæc, inquit, tristitia, quæ pœnitentiam ad salutem stabilem operatur, obediens est, affabilis, humilis, mansueta, suavis ac patiens, utpote ex Dei charitate descendens, et ad omnem dolorem corporis ac spiritus contritionem infatigabiliter semet ipsum desiderio perfectionis extendens, et quodammodo læta, ac spe profectus sui vegetata, cunctam affabilitatis et longanimitatis retinet suavitatem, habens in semetipsa omnes fructus Spiritus Sancti, quos enumerat idem Apostolus : Fructus autem Spiritus est charitas, gaudium, pax, longanimitas, bonitas, benignitas, fides, mansuetudo, continentia. » Tristitiæ vero sæculi hæc dat emblemata : « Asperrima est, impatiens, dura,

Tristitia divina quæ?

Tristitia sæculi qualis?

plena rancore et mœrore infructuoso, ac desperatione pœnali; eum quem complexa fuerit, ab industria ac dolore salutari frangens ac revocans, utpote irrationabilis, et intercipiens non solum orationum efficacium, verum etiam universos quos prædiximus fructus spirituales evacuans, quos novit illa (prior) conferre. »

11. ECCE ENIM HOC IPSUM, SECUNDUM DEUM CONTRISTARI VOS, QUANTAM IN VOBIS OPERATUR SOLLICITUDINEM : SED DEFENSIONEM, SED INDIGNATIONEM, SED TIMOREM, SED DESIDERIUM, SED ÆMULATIONEM, SED VINDICTAM. — Ponit hic, teste Calvino, septem effectus tristitiæ secundum Deum et veræ pœnitentiæ, videlicet quod operetur *primo*, « sollicitudinem » expiandi offensam, et in gratiam cum Deo redeundi. *Secundo*, « sed defensionem. » *Sed* idem est quod *sed et*, ut legit Anselmus, id est, *imo*, q. d. Pœnitentia operatur in vobis « sollicitudinem, » imo et defensionem, ut me scilicet defenderetis contra pseudoapostolos et obtrectatores. Pro *defensionem* græce est ἀπολογίαν, quod Ambrosius vertit, *excusationem*; Erasmus, *satisfactionem*; Medionatus, *refutationem objecti criminis*, quæ, inquit, non verbis, sed factis, puta bene vivendo fit. *Tertio*, « sed, » id est *imo et*, « indignationem, » ut jam agnoscentes vestra schismata, dissimulationem incestus aliaque peccata, quæ prima epistola redargui, dolentes et pœnitentes vobismetipsis indignemini, vosque ipsi redargentis dicentes : Quid feci? quem offendi? quo pr lapsus sum? ubi fuit mens mea, ubi sensus? dane demens fui? *Quarto*, « sed, » id est *imo*, « timorem, » ut timeatis deinceps non tam me, quam Deum offendere. *Quinto*, « sed, » hoc est *imo*, « desiderium, » ut desideretis vos corrigere, mihique ac potius Deo satisfacere. *Sexto*, « sed, » id est *imo*, « æmulationem, » hoc est zelum Dei, ut Dei honorem zelantes, incestuosum illum ex Ecclesia ejiceretis, ait Anselmus et Chrysostomus. *Septimo*, « sed, » id est *imo*, « vindictam, » ut desidiam et peccata vestra vindicaretis, tum dolore et lacrymis, ut dixit vers. 7, vos affligendo, tum aliis modis corpora animasque vestras macerando et puniendo. Ita Theodoretus, Theophylactus, Ambrosius, S. Thomas, imo et Calvinus, lib. III *Instit.*, cap. XIII, § 16 : « Postrema, ait, est vindicta; quo enim severiores in nos sumus, et acriore censura quæstionem habemus de peccatis nostris, eo sperare debemus magis propitium ac misericordem Dominum. Et certe fieri non potest, quin anima divini judicii horrore perculsa, partes ultionis in exigenda de se pœna occupet (1). »

Nota : In hisce septem effectis et fructibus pœnitentiæ est gradatio. Gradatim enim a minoribus ad majores ascendit Apostolus. Idque indicat vocula *sed*, quæ ponitur pro *imo*, q. d. Tristitia hæc de Deo offenso, non tantum induxit solicitudinem reconciliationis, sed et defensionem Pauli; imo indignationem contra peccatum; imo super timorem sanctum cavendi deinceps peccata; quin imo desiderium satisfactionis; imo vero æmulationem et zelum contra peccatores; adeoque tandem vindictam et castigationem peccatorum, qui summus est pœnitentiæ gradus et fructus.

Hic ergo locus aperte docet pœnitentiam non esse nudam vitæ mutationem et propositum novæ vitæ, sed et veteris detestationem, castigationem, satisfactionem. Unde Concilium Tridentinum, sess. XIV, cap. VIII, ex veteri Ecclesiæ usu jubet, ut confessarii in taxanda satisfactione non tantum respiciant ad novæ vitæ custodiam, sed etiam ad peccati admissi ultionem, licet per absolutionem remissi quoad culpam. Pœnitentia non consistit in sola vitæ mutatione, sed et in castigatione et satisfactione.

Idem clarissime docet vetustissimus Tertullianus, lib. *De Pœnit.*, IX : « Exomologesis, inquit, est prosternendi et humilificandi hominis disciplina, conversationem injungens misericordiæ illicem : de ipso quoque habitu et victu mandat sacco et cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus dejicere; illa quæ peccavit tristi tractatione mutare, pastum et potum pura nosse, non ventris, sed animæ causa; jejuniis preces alere, ingemiscere, lacrymari et mugire dies noctesque ad Dominum; presbyteris advolvi, et caris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ injungere. »

Sic et Climacus, *De Pœnitentia*, gradu 5 : « Pœnitentia, ait, est scipsum condemnans cogitatio, est consolationis corporeæ perpetua repudiatio, est voluntaria rerum omnium quæ affligunt tolleratio, est cruciatuum sibi semper opifex, est validæ ventris afflictio, animæque in sensu flemus simo jugis reprehensio, est abyssus humilitatis. »

Hinc docti censent dici pœnitentiam quasi pœnæ tenentiam. Unde Ausonius inducens Metanosam, id est pœnitentiam, loquentem, sic ait :

Sum dea, quæ facti non fastigia exigo pœnæ,
Ut te pœniteat, sic Metanœa vocor.

Adverte quam hæc repugnent genio molli Lutheri et Calvini, qui pro omnibus peccatis quantumvis plurimis et enormibus non aliam pœnitentiam injungunt, quam fidem. Crede, inquiunt, Deum tibi condonasse peccata per merita Christi, et hoc ipso omnem tibi culpam et pœnam condonabit. Scilicet crede te esse in campis Elysiis, crede te esse regem, et hoc ipso eris; utique si non re ipsa, certe per tuam imaginationem et phantasiam. Ita sane et amantes sibi somnia fingunt. Credat ita, qui non tam fide, quam cerebro et elleboro indiget, quique non arctam paucorum viam, quæ ducit ad vitam, sed latam et spatiosam multorum, quæ ducit ad perditionem, laire suo malo et periculo cupit ac destinat. Nimirum, ut Sibylla canit apud Virgilium :

Facilis descensus Averni :
Sed revocare gradum, superasque evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor est; pauci, quos æquus amavit
Jupiter, aut ardens evexit ad æthera virtus,
Dis geniti potuere.

Pœnitentia non consistit in sola vitæ mutatione, sed et in castigatione et satisfactione.

Pœnitentia Tridentini et Calvini.

(1) Vers. 11 : *Defensionem*, id est humilem excusationem quam ad Paulum a Tito deferri jusserat; *desiderium*, me scilicet iterum videndi; *æmulationem*, seu vehementem studium bene agendi pro Pauli bona existimatione.

Audiant Novantes Hieronymum, vel auctorem epistolæ (quisquis est, certe gravis est et antiquus, imo Erasmus et Marianus ex stylo suspicantur esse S. Augustinum) *ad Susannam lapsam*, illi et cuivis pœnitenti lamentationis et pœnitentiæ formam præscribentem : « Quis consolabitur te, virgo filia Sion, quia magna facta est sicut mare contritio tua? Effunde cor tuum sicut aquam coram facie Domini, extolle ad eum manus tuas pro remedio peccatorum tuorum. Accipe igitur lamentum, et primo quidem nullo die quinquagesimus psalmus prætermittatur, qui in negotio sibi cantatur, quem usque ad versiculum illum, Cor contritum et humiliatum Deus non despicies, gemitu lacrymisque percurre (Nota : pœnitenti quotidie psalmus *Miserere* cum gemitu et lacrymis recitandus est). Insuper hanc lamentationem, non sine compunctione cordis, in conspectu Dei judicis funde : Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum, ut defleam vulnera animæ meæ? Heu me, quia facta sum sicut Sodoma, et combusta sicut Gomorrha! Quis misserebitur cineri meo? Durius offendi quam Sodoma, quia legem nesciens illa deliquerat, ego accepta gratia peccavi. Si homo peccet in hominem, erit qui interveniat; ego peccavi in Dominum, quem propitiatorem inveniam? O quam acerbus fructus luxuriæ, amarior felle, crudelior gladio! Quomodo facta sum in desolationem? subito defeci, periī propter iniquitatem meam, velut somnium surgentium. Ideo in civitate Domini vilificata est imago mea, deletum est de libro nomen meum. Væ diei illi, in quo me infelicem genuit uterus, et lux ista crudelis accepit! Oportuerat me potius fuisse non natum, quam sic in gentibus fabula fierem. Propter me confusio et improperium factum est familis Domini, et eum digne colentibus. Lugete me, montes et flumina, quia fletus filia ego sum. Meum peccatum et mea iniquitas non sunt similia offensis hominum, quia horribilis est hæc impietas, carne polluere virginem et castitatem professam. Mentita sum in Dominum altissimum, verumtamen clamabo ad Dominum : Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Quoniam sagittæ tuæ, » etc. Similia præscribit Ambrosius virgini lapsæ; Cyprianus, serm. *De Lapsis*; Chrysostomus, hom. 41 *ad Populum*.

Prima pœnitentia a Patribus præscripta.

Exempla vera et mores pœnitentium Climacus loco citato enarrans hæc habet, quæ merito cuivis peccatori acres compunctionis stimulos admoveant. « Cum pervenissem, inquit, ad pœnitentium monasterium, imo vero ad Religionem fugientium, vidi revera res et verba quæ Deo vim inferre possent : quosdam ex reis illis vidi noctibus totis usque sub diem stare pervigiles, pedesque immobiles tenere, contra somnum vire naturæ inferre, nullam sibi ipsis requiem indulgere, sed seipsos increpare; alios in oratione reorum more, vinctis post terga manibus, humi luridas facies suas inclinantes, indignos se, qui cœlum aspicerent, vociferantes, nihil petentes, sed tacitam mutamque Deo mentem offerentes confusione plenam. Nonnullos in pavimento strato cilicio et cinere sedentes, et faciem genibus operientes, et frontem in terram collidentes. Alios pectora jugiter fundentes, animamque suam ac vitam suspirio ingenti revocantes; alios lacrymantes, alios quod id non possent, lamentantes. Vidi nonnullos veluti æneos ex mœrore effectos, et insensibiles ad omnia. Alios fixis obtutibus in terram caput assidue movere, et leonum rugitum edere. » Et paulo post, cum multa eorum verba et facta vere admirabilia retulisset, subjungit, vidisse se in illis « astuantes linguas instar canum ex ore procedentes. Ex his alii sub ardentissimo solis æstu seipsos cruciabant, alii acerrimo frigore se affligebant; quidam modicum aquæ gustantes, ne omnino siti arescerent, ita quiescebant; aliqui cum panis exiguum quid accepissent, reliquum tanquam illo indigni projiciebant. Quem locum apud illos risus habuit? quem serio otiosus? quem iracundia? quem furor? ubi tenuis vini cogitatio, ubi pomorum degustatio? Jugiter ad Dominum clamabant, solaque orationis vox audiebatur. « Qui plura desiderat, apud eumdem leget rara et mira ad stuporem usque. Concludit ibidem : « Vidi, et feliciores existimavi, qui post lapsum ita lugent, quam qui nunquam lapsi sunt, et seipsos non sic deflent. »

Exempla et mores pœnitentium Climacus.

Pœnitentia tum olim in Ecclesia.

Audi denique nobilis illius S. Paulæ ob parva delicta pœnitentiam et planctum apud Hieronymum in ejus *Epitaphio* : « Mollia, etiam in gravissima febre, lectuli strata non habuit, sed super durissimam humum stratis ciliciolis, quiescebat; si tamen illa quies dicenda est, quæ jugibus pene orationibus dies noctesque jungebat, illud implens Psalmistæ : Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. In qua fontes crederes lacrymarum, ita levia peccata plangebat, ut illam gravissimorum criminum crederes ream. Cumque a nobis crebrius moneretur, ut parceret oculis, et eos servaret Evangelicæ lectioni, aiebat : Turpanda est facies, quam contra Dei præceptum purpurisso et cerussa et stibio sæpe depinxi. Affligendum est corpus, quod multis vacavit deliciis. Longus risus perpeti compensandus est fletu. Mollia et serica preliosissima, asperitate cilicii commutanda. Quæ viro et sæculo placui, nunc Christo placere desidero. »

Hinc paulo fusius in gratiam tum Novantium,

tum pœnitentium deduxi, ut locus hic Apostoli de pœnitentia tam illustris magis illustraretur.

IN OMNIBUS EXHIBUISTIS VOS INCONTAMINATOS ESSE NEGOTIO. — SYRUS : *Ostenditis quod puri sitis in illo negotio*, id est a fornicarii peccato alieni et immunes : licet enim id initio punire neglexeritis, jam tamen displicentiam ejus ostendistis illud vindicando et pœnitendo. Ita Anselmus et Theophylactus.

12. SCRIPSI VOBIS, NON PROPTER EUM QUI FECIT INJURIAM (non propter fornicarium), NEC PROPTER EUM QUI PASSUS EST, — ἀδικηθέντος, id est *qui injuria affectus est*, nimirum pater cujus uxore, sua scilicet noverca, ille incestuosus abusus est. Hinc patet ipsius patrem fuisse superstitem, *q. d.* Cum priore epistola acrius scripsi, non particulares incestuosi, vel parentis ejus, injurias persequi volui; sed ostendere sollicitudinem, quam pro communi Ecclesiæ vestræ salute gero, ut scilicet ab ea commune hoc scandalum et publicam infamiam depellerem.

13. Ideo CONSOLATI SUMUS, — ob vestram pœnitentiam, zelum, æmulationem, etc., ut dixi vers. 6, 7, 9, 11. Græca jam pleraque (dico pleraque, nam quædam habent ut Noster, teste etiam ipso Beza) aliter hæc distinguunt, sicque habent : διὰ τοῦτο παρακεκλήμεθα ἐπὶ τῇ παρακλήσει ὑμῶν, περισσοτέρως μᾶλλον ἐχάρημεν ἐπὶ τῇ χαρᾷ Τίτου, ὅτι ἀναπέπαυται τὸ πνεῦμα αὐτοῦ ἀπὸ πάντων ὑμῶν, id est, *idcirco consolationem accepimus ex consolatione vestri; quin uberius insuper gavisi fuimus ob gaudium Titi, quod recreatus sit spiritus illius ab omnibus vobis.*

Ubi nota, quod ait, *ex consolatione vestri*, id est quia vos pœnitentes et in pœnitentia lacrymis consolationis perfusos, ac spiritu fervidos, ut dixi vers. 11, inaudivi. « Lacrymæ pœnitentium vinum sunt angelorum, » ait S. Bernardus; imo vero vinum sunt et pœnitentium : nihil enim animam ita lætificat atque compunctio. O quam dulce pœnitenti cum Magdalena ad Jesu pedes flere, eos lacrymis rigare, tergere, deosculari, ibique audire : « Remittuntur tibi peccata tua! » Hoc nemo nisi expertus novit. Lacrymæ pœnitentium vinum angelorum.

REFECTUS EST SPIRITUS EJUS, — recreatus fuit vestra correctione, fletu, zelo, ut dixi vers. 7.

14. GLORIATIO NOSTRA, QUÆ FUIT AD TITUM, VERITAS FACTA EST, — patuit Tito veram fuisse gloriationem nostram, qua apud illum gloriari soleo de vobis tam morigeris bonisque discipulis. Vers. 14.

15. VISCERA EJUS ABUNDANTIUS IN VOBIS SUNT, — cor et viscera ejus magis jam in vos propendent, quam ante; plus jam vos diligit Titus, quam ante. Vers. 15.

16. CONFIDO IN VOBIS. — Græce θαῤῥῶ, *q. d.* Audeo et libere loquor et ago vobiscum, sive laudando, sive arguendo; semper enim mihi obeditis, ut proinde audeam quoque et secure possim optima sentire et gloriari de vobis. Ita Chrysostomus, Theophylactus, Ambrosius. Notat Anselmus Pauli prudentiam quasi medici, qui jam pene sanata vulnera lenissimis medicamentis consolationis et laudis curat, ut prioris increpationis ustura sanetur. Vers. 16.

CAPUT OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, hortatur Corinthios ad eleemosynam pauperibus Hierosolymitanis faciendam, exemplo Macedonum, qui in eosdem tam liberales fuerunt.

Secundo, vers. 9, exemplo Christi, qui propter nos egenus factus est, ut nos sua inopia ditaret.

Tertio, vers. 10, ex ipsorum proposito et quasi promissione urget, ut eam jam quisque reipsa pro sua facultate præstet.

Quarto, vers. 13, ex eo quod per eleemosynam fiat æqualitas divitum et pauperum, qui pro temporalibus bonis rependunt spiritalia.

Quinto, vers. 16, ex eo quod Titum aliosque Apostolos ad eam colligendam miserit, ne, si parci sint, eos pudefaciant, ipsique coram eis pudefiant.

1. Notam autem facimus vobis, fratres, gratiam Dei, quæ data est in Ecclesiis Macedoniæ. 2. Quod in multo experimento tribulationis abundantia gaudii ipsorum fuit, et altissima paupertas eorum abundavit in divitias simplicitatis eorum : 3. quia secundum virtutem testimonium illis reddo, et supra virtutem voluntarii fuerunt, 4. cum multa exhortatione obsecrantes nos gratiam, et communicationem ministerii, quod fit in sanctos. 5. Et non sicut speravimus, sed semetipsos dederunt primum Domino, deinde nobis per voluntatem Dei; 6. ita ut rogaremus Titum, ut quemadmodum cœpit, ita et perficiat in vobis et istam

gratiam istam. 7. Sed sicut in omnibus abundatis fide, et sermone, et scientia, et omni sollicitudine, insuper et charitate vestra in nos, ut et in hac gratia abundetis. 8. Non quasi imperans dico : sed per aliorum sollicitudinem, etiam vestræ charitatis ingenium bonum comprobans. 9. Scitis enim gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis. 10. Et consilium in hoc do : hoc enim vobis utile est, qui non solum facere, sed et velle cœpistis ab anno priore; 11. nunc vero et facto perficite, ut quemadmodum promptus est animus voluntatis, ita sit et perficiendi ex eo quod habetis. 12. Si enim voluntas prompta est secundum id quod habet, accepta est, non secundum id quod non habet. 13. Non enim ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio, sed ex æqualitate. 14. In præsenti tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat : ut et illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum, ut fiat æqualitas, sicut scriptum est : 15. Qui multum, non abundavit; et qui modicum, non minoravit. 16. Gratias autem Deo, qui dedit eamdem sollicitudinem pro vobis in corde Titi, 17. quoniam exhortationem quidem suscepit : sed cum sollicitior esset, sua voluntate profectus est ad vos. 18. Misimus etiam cum illo fratrem, cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias : 19. non solum autem, sed et ordinatus est ab Ecclesiis comes peregrinationis nostræ in hanc gratiam, quæ ministratur a nobis ad Domini gloriam, et destinatam voluntatem nostram. 20. Devitantes hoc, ne quis nos vituperet in hac plenitudine, quæ ministratur a nobis. 21. Providemus enim bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus. 22. Misimus autem cum illis et fratrem nostrum, quem probavimus in multis sæpe sollicitum esse : nunc autem multo sollicitiorem, confidentia multa in vos, 23. sive pro Tito, qui est socius meus et in vos adjutor, sive fratres nostri, Apostoli Ecclesiarum, gloria Christi. 24. Ostensionem ergo, quæ est charitatis vestræ, et nostræ gloriæ pro vobis, in illos ostendite in faciem Ecclesiarum.

Origo eleemosynarum et obligatus in pauperes Ecclesiæ.

Nota : Originem hujus eleemosynæ, ad quam hoc cap. et seq. hortatur Apostolus, narrat Lucas, *Actor.* XI, 28 : « Surgens, inquit, unus ex eis (Prophetis Antiochiæ) nomine Agabus, significabat per spiritum famem magnam futuram in universo orbe terrarum, quæ facta est sub Claudio (anno ejus 4, ut multi; vel, ut Baronius, anno ejus 2, qui fuit Christi 44). Discipuli autem, prout quis habebat, proposuerunt singuli in ministerium mittere habitantibus in Judæa fratribus : quod et fecerunt, mittentes ad seniores per manus Barnabæ et Sauli. » Ita Lucas. Ubi nota : Antiochiani Christiani ex fervore prævenerunt famem mittentes eleemosynam per Barnabam et Paulum : nam multis annis post, hæc collecta, de qua hic Apostolus, facta est Corinthi et locis vicinis, anno Christi 58. Adde *secundo*, potiorem et magis durantem causam paupertatis Hierosolymitanorum fuisse, quod a nece Stephani persecutionem a Judæis ibi passi sint Christiani et patria pulsi, ac bonis privati, *Actor.* VIII, 1, et *Hebr.* X, 34, ubi dicitur : « Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis. » Itaque deinceps Christiani a Judæis juratis Christi hostibus acerbissima assidue passi sunt; ideoque, et quia Hierosolymitana Ecclesia fuit prima et quasi matrix cæterarum, perduravit hic mos apud Christianos, ut, ad paupertes istius Ecclesiæ fovendos, fideles ex toto orbe eleemosynas mitterent. Quem morem ad Theodosii tempora durantem cum carperet Vigilantius, ita eum confirmat et laudat Hieronymus, *Contra Vigilantium* : « Hac in Judæa, inquit, usque hodie perseverante consuetudine, non solum apud nos, sed et apud Hebræos, ut qui in lege Domini meditantur die ac nocte, et partem non habent in terra nisi solum Deum, synagogarum et totius orbis foveantur ministeriis. » Hic ergo ad eleemosynam hanc excitat Apostolus Corinthios, utpote divites : erat enim Corinthus emporium Græciæ celeberrimum, et in ea mercatores opulenti, uti sunt jam Fuggeri Augustæ Vindelicorum. Vigilantius hæresiarcha opposita eleemosynis.

1. NOTAM AUTEM FACIMUS VOBIS, FRATRES, GRATIAM DEI, — puta patientiam magnam, liberalitatem et misericordiam, quam Deus dedit Christianis Macedoniæ (1). Hoc enim est quod explicans subdit : Vers. 1.

2. QUOD IN MULTO EXPERIMENTO TRIBULATIONIS ABUNDANTIA GAUDII IPSORUM FUIT, — *q. d.* Cum in variis tribulationibus quasi experimentis probarentur, erant in magno gaudio, eoque abundabant.

ET ALTISSIMA (κατὰ βάθους, id est profundissima, et

(1) Juxta quosdam, *gratia Dei* hic, seu donum Dei, est donum a Macedonibus ad aliorum pauperiem sublevandum datum, et *Dei donum* dicitur, quia omnia bona ad Deum auctorem referenda sunt.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quasi ad fundum usque exhausta) PAUPERTAS EORUM ABUNDAVIT IN DIVITIAS SIMPLICITATIS EORUM, — hoc est, in copiam et abundantiam benignitatis et eleemosynæ eorum, *q. d.* Macedones copiosissime et benignissime sua elargiti sunt, cum essent pauperes.

Quid sit simplicitas? Nota : « Simplicitas » hic, et cap. IX, vers. 11 et 13, significat candidam, liberalem et alacrem elargiendi voluntatem : non enim ex donorum multitudine, sed ex animi promptitudine liberalitas æstimatur, ait Chrysostomus et Theophylactus. « Simplicitas, ait Ambrosius, *epist.* 10, nihil discutit, nihil contractum, nihil suspectum, nihil fraudulentum putat, sed puro se fundit affectu. » Vide dicta *Rom.* XII, 8.

3. QUIA SECUNDUM VIRTUTEM, — secundum vires et opes suas, imo supra eas, ut sequitur.

VOLUNTARII FUERUNT, — αὐθαίρετοι, non rogati, non provocati, motu proprio, sponte et ultro tam liberales fuerunt, ut supra vires facultatesque contribuerent.

4. OBSECRANTES NOS (intellige, quod addunt Græca, δέξασθαι ἡμᾶς, *ut susciperemus*) GRATIAM ET COMMUNICATIONEM MINISTERII, — id est gratiosum hoc ministerium colligendi eleemosynas, ut scilicet in eo communionem et partem caperemus : hanc enim vocat « communicationem ministerii, » *q. d.* Obsecrarunt nos, ut in partem oneris veniremus, et participaremus in ministerio colligendi eleemosynas pro pauperibus Christianis Hierosolymitanis : hos enim vocat sanctos.

Nota : χάριν, id est *gratiam*, Apostolus hic et alibi sæpe vocat gratuitum munus, beneficium, munificentiam; et sic sæpe Cicero sumit nomen gratiæ : itaque hic ministerium ipsum et obsequium conquirendi eleemosynas, vocat *gratiam*; vers. vero 7 et alibi, ipsam eleemosynam vocat *gratiam*.

5. ET NON SICUT SPERAVIMUS. — Supple, fecerunt. *q. d.* Multo amplius dederunt quam speraveramus; sua largitate spem nostram superarunt.

SEMETIPSOS DEDERUNT PRIMUM DOMINO, DEINDE NOBIS. — *q. d.* Macedones resignarunt se primo Domino voluntati, deinde nostræ, parati facere et dare, quidquid voluissem.

Cor suum debent dare primum Deo, qui facimus eleemosynam.

Nota hic, eos qui faciunt eleemosynam, ut eorum eam faciant, debere primo seipsos et cor suum dare Deo, atque in signum hujus, quod scilicet seipsos jam Deo tradiderint, facere eleemosynam, qua quasi profiteantur se jam cor suum resignare Deo, idque velle hac eleemosyna, quam in honorem Dei faciunt, quasi tributo quodam testari.

PER VOLUNTATEM DEI. — διὰ θελήματος θεοῦ, ex voluntate Dei, id est Deo ita voleante, ut scilicet Dei voluntatem circa hanc eleemosynam, per meam agnoscerent, interpretarentur et sequerentur : vult enim Deus nostræ quasi vicariorum suorum voluntati populum obedire, nosque esse interpretes suæ voluntatis, ut quod nos volumus, idem Deus velit a nostris subditis fieri; ipse enim dicit : « Qui vos audit, me audit. » Ita Anselmus et Theophylactus (1).

6. ITA UT ROGAREMUS TITUM, UT, QUEMADMODUM COEPIT, ITA ET PERFICIAT IN VOBIS ETIAM GRATIAM ISTAM. — Syrus, *hanc beneficentiam*, colligendi scilicet eleemosynas, *q. d.* Rogavimus Titum, ut, sicut nos in Macedonia, ita ipse colligeret Corinthi eleemosynas; non dubitantes, quin vos divites et liberales Macedonibus pauperibus in promptitudine et liberalitate non cederetis. Stimulat exemplo Macedonum Corinthios, ut largi siot in contribuendo.

7. UT ET IN HAC GRATIA ABUNDETIS. — Supple, rogo, vel curate, *q. d.* Curate, ut sicut fide, sollicitudine, charitate erga me abundatis, ita pariter et eleemosyna in pauperes abundetis. Ita Anselmus. Vide *Can.* 37.

8. NON QUASI IMPERANS DICO : SED PER ALIORUM SOLLICITUDINEM. — Scilicet per exemplum Macedonum, qui tam solliciti fuerunt subvenire pauperibus.

Vers. 8. Laudat Apostolus Macedonum et Corinthiorum charitatem.

ETIAM VESTRÆ CHARITATIS INGENIUM BONUM COMPROBANS. — Pro *ingenium bonum*, græce est γνῶσιν, id est, *ingenuum* (ut legit hic Primasius, Sedulius, Gagneius), germanum, genuinum, *q. d.* Hoc dico, ut charitatis vestræ ingenuitatem, germanitatem, bonitatem comprobem, experiar, perspiciam, eamque aliorum exemplo acuam et accendam. Non ergo *ingenium* hic significat charitatem ingeniosam, ut vult Anselmus, *q. d.* Ut comprobem et ostendam vestram charitatem habere bonum ingenium, cum sine jussu meo, sua sponte, facit quod bonum illi ingenium suggerit, dictat et suadet. Græce enim γνῶσιν non tale ingenium, sed ingenuum, seu germanam indolem significat : hanc enim Noster vocat *ingenium*. *Secundo*, pro *comprobans* græce est δοκιμάζων, quod *primo* verti potest proprie, ut probem, explorem, experiar, perspiciam germanam vestram charitatem. Ita Syrus et Vatablus. *Secundo*, ut eam quasi probatam et exploratam quod Macedonibus non cedat, imo superet, approbem, laudem et prædicem, et, ut inquit Theophylactus, probatiorem et fulgentiorem demonstrem. Unde Maldonatus in *Notis manusc.*, vertit, *probare aliis cupiens : δοκιμάζων* enim, inquit, hic non effectum, sed affectum significat.

9. SCITIS ENIM GRATIAM DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI. — Novo argumento, Christi scilicet exemplo, ad eleemosynam incitat, *q. d.* Christus Rex regum propter vos egenus factus est, cum natus in stabulo, « quia non erat ei locus in diversorio, » pro throno regali habuit præsepium; pro culcitris, fœnum; pro igne, halitum bovis et asini; pro peristromatis, aranearum telas; pro odoramentis, excrementa bovum; pro purpura, viles pannicu-

Vers. 9. Exemplum Christi invitans ad eleemosynam.

(1) Rosenmuellerus : *Per voluntatem Dei*, id est, Deo ipsorum animos movente; Alioli : Persuasi *se*, hac agentes, Deo gratos fore.

los; pro equilatu, bovem et asinum; pro procerum turba, Joseph et Mariam. Sic et tota deinceps vita egenus fuit Christus, et, ut græce ἐπτώχευσε, hoc est, *mendicavit*, inquit Erasmus. Unde patet Christum non tantum pauperem fuisse, sed et vere mendicasse fuisseque mendicum.

UT ILLIUS INOPIA VOS DIVITES ESSETIS, — spiritualibus divitiis, doctrina scilicet pietatis, peccatorum remissione, justitia, sanctimonia aliisque virtutibus, *q. d.* Ergo et vos, o Corinthii Christiani, exemplo Christi eleemosyna vestra pauperes ditate, imo vos depauperate, ut alios ditetis, si Christo esse velitis simillimi. Vide Anselmum, de divitiis et paupertate Christi, et Chrysostomum in morali *homil.* 17, ubi docet quam non sit erubescenda Christiano, nec extimescenda paupertas.

Christus nobis beatitudinis via et ait quomodo quisque et beatitudinem.

Pulchre etiam Gregorius Nazianzenus, orat. 1 *in Pascha*, hoc Christi beneficia per antitheses oculis subjicit. « Pauper, inquit, factus est Christus, ut nos illius paupertate ditescamus; servi formam accepit, ut nos libertatem recipiamus; descendit, ut evehamur; tentatus est, ut vincamus; contemptus est, ut nos gloria afficiat; mortuus est, ut servet; ascendit, ut ad seipsum trahat humi provolutos in peccati lapsu. » Pulchre quoque S. Augustinus : « Quid facturæ sunt, inquit, divitiis ejus, cujus paupertas nos divites fecit? » Denique ex hisce Apostoli verbis eic infert Beda hic : « Omnes ergo boni fideles sunt divites, nemo se contemnat : pauper in cella, dives in conscientia, securior dormit in terra, quam auro dives in purpura. »

10. ET CONSILIUM IN HOC DO. — Græce γνώμην, quod Beza vertit, *sententiam meam edo*, sed perperam; non enim fert sententiam, sed consulit. Nam consilium hoc opponit præcepto, de quo dixit vers. 8 : « Non quasi imperans dico. » Adde, si sententiam significaret, non dixisset δίδωμι, id est *do*; sed λέγω, id est *dico*.

HOC ENIM VOBIS UTILE EST, QUI NON SOLUM FACERE, SED ET VELLE COEPISTIS. — *Velle*, ultro scilicet, ac nemine impellente : hoc enim, ut insinuat Paulus, plus est, quam *facere*, scilicet rogatum. Ita Anselmus. Sic Gregorius, hom. 18 *in Ezech.* : « Habet, inquit, improperium hæc ipsa consolatio, cum dicitur : Ab anno priore. Bonum quippe, sed tarde fecerant; atque ideo hoc magister non sine reprehensione laudat. Medicus quippe est qui medicamentum vulneri apponit, quod et ea quæ purgata sunt, refovet, et ea quæ putrida inveniuntur, mordet. »

Quia liberalitas et alacritas in largiendo laudatur?

11. UT, QUEMADMODUM PROMPTUS EST ANIMUS VOLUNTATIS, ITA EST ET PERFICIENDI EX EO QUOD HABETIS. — Nota : Cum ait : « Promptus animus voluntatis, » græcizat; græce enim est, πρόθυμία τοῦ θέλειν, quod latinius et clarius vertas, *ut, quemadmodum inest vobis promptitudo volendi, sic insit et exequendi* : id est, ut Syrus, ut, sicut incessit vobis voluntatis hujus cupido, sic et facto exequamini « ex eo quod habetis, » id est pro facultate vestra et opibus. Scitum est illud Luciani :

> Celeres gratiæ dulciores : quod si tardior fuerit,
> Cuivis gratio vana, neque gratiæ nomine digna.

Et illud :

> Bis dat qui cito dat.

Fructus et meritum eleemosynæ, ac præstantia virtutum omnium in promptitudine voluntatis.

12. SI ENIM VOLUNTAS PROMPTA EST SECUNDUM ID QUOD HABET, ACCEPTA EST, NON SECUNDUM ID QUOD NON HABET. — « Secundum id quod habet, » ut scilicet dei secundum facultates et opes suas, *q. d.* Date quod potestis. Ita Ambrosius, Chrysostomus, Anselmus. Græce est κατὸ ἐὰν ἔχῃ τις, εὐπρόσδεκτος. id est, *secundum id quod habet quis, acceptus est, non secundum id quod non habet*. Et ita in Latinis Bibliis legendum censet Maldonatus in *Notis manuscr.* Verum Romana et alia Biblia passim legunt, *secundum id quod habet, accepta est*, scilicet προθυμία, id est prompta voluntas; idque significantius est et nervosius, ac proinde germanius.

Nota hic, perfectionem et meritum eleemosynæ omnisque virtutis consistere in promptitudine voluntatis, non in multitudine donorum et magnitudine; ita ut coram Deo, ubi promptitudo hæc major est, ibi major sit et virtus, etiamsi ob paupertatem, aut aliam causam, in actum externum, sive donationem, exire non possit. Unde ait : Promptitudo accepta est, non donum. Idem patet *Marci* XII, 43. *Secundo* tamen, ut hæc promptitudo sit accepta Deo, ait D. Thomas, quasi vera, seria et efficax, debet exire in actum, secundum id quod habet, id est, ita ut pro viribus et opibus det quod potest. Alioqui tantum velleitas esset, non seria et prompta voluntas; non ergo exigitur ab ea, ut det id quod non habet, ut ait Apostolus, *q. d.* inquit Theophylactus : Qui habet, opus impleat; qui non habet, jam sua voluntate opus implevit. Hinc S. Leo, serm. 4 *De jejunio* 10 mensis : « Subinde, ait, æquatur merito, qui distat impendio : quia potest par esse animus, ubi dispar est census. » Et Anselmus : « Hic omnes, ait, tam pauperes quam divites æqualiter dant, si quisque ex tanto det, quantum habet. » Hinc *tertio*, inter æque divites, vel æque pauperes liberalior est et plus meretur, qui plus dat; inter inæquales vero, hoc est, inter ditiores, vel pauperiores, plus meretur, qui proportionaliter secundum suas opes plura dat, licet geometrice minus det quam is qui ditior est. Patet *Marci* XII, 43. Sensus ergo est, *q. d.* ut vers. 11 diximus : « Facto perficite ex eo quod habetis, » quia προθυμία, promptitudo et voluntas accepta est et meritoria «secundum id quod habet, non secundum id quod non habet, » id est, si det id quod habet; non enim requiritur ut id det quod non habet. Ita Tobias, cap. IV, vers. 9, filio suo præcipit : « Quomodo potueris, inquit, ita esto misericors : si multum tibi fuerit, abunde tribue; si exiguum tibi fuerit, etiam ex-

guum libenter impertiri stude.» Et S. Augustinus in *Psal.* CIII : « Si potes, sit, dare, da; si non potes, affabilem te fac. Coronat Deus intus bonitatem, ubi non invenit facultatem. Nemo dicat : Non habeo; charitas de sæculo non erogatur. » Unde et subdit hic Paulus :

Electe-gnum hoc relictum actus est dare ea-pra vi-ea, imo dare omnia

13. NON ENIM UT ALIIS SIT REMISSIO, VOBIS AUTEM TRIBULATIO. — « Remissio, » id est relaxatio, *q. d.* Non impero ut tantam eleemosynam detis, qua pauperes lautius vivant, vos necessitatem subeatis; sed ut quisque pro viribus ita alienæ consulat necessitati, ut suam non negligat. Ita Theophylactus. Dico, *non impero*, quia id consulere possum : est enim consilium Evangelicum, dicit D. Thomas et Anselmus, ideoque majoris perfectionis, si omnia bona des pauperibus, ipseque omnino fias pauper. Ita enim consulit Christus, *Matth.* cap. XIX, 21 : « Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus; » idque non tantum si Religionem ineas, sed etiam si maneas in sæculo, uti fecit vidua illa dans duo minuta, *Marci* XII, quæ vivebat labore quotidiano totumque lucrum dabat templo, ut ipsa cum Christo pauper fieret, et paupertatis incommoda ferli animo subiret. Intellige quæ dixi : dummodo tamen quis in extremam necessitatem se non conjiciat, nec familiam habeat cui providere teneatur. Addit Theophylactus, vers. seq., Apostolum hortari Corinthios ut dent supra vires, cum ait : « In præsenti tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat, » *q. d.* Si vis non parvam, sed abundantem mercedem habere, da abundanter; si totam, da totum : ut *abundantia* significet eleemosynam profusam, et supra vires abundantem, qualem in Macedonibus laudavit Paulus, vers. 3. Ratio est, quia hic est actus summæ et heroicæ eleemosynæ, paupertatis, fortitudinis et spei in Deum.

Exempla eorum qui ex-affluere ac dando mendico-runt.

Ita fecit S. Paulinus Nolanus Episcopus, qui suis omnibus in pauperes erogatis, seipsum demum pro viduæ filio in servitutem Wandalis tradidit; cujus liberalitatem laudat S. Augustinus, lib. I *De Civit. Dei*, cap. X, et gratam Deo fuisse exitus declaravit, cum servus existens, Dei monitu declaratus et agnitus a Wandalis, honorifice cum suis omnibus domum remissus est. Idem fecit S. Paula Romana, quæ ita profusa fuit in pauperes, ut, quod toties Deum oraverat, ex voto ei contigerit, nimirum ut moriens debuerit aliena veste et sumptu sepeliri, cum ne tantillum quidem quod ad funus necessarium esset, sibi reliquum fecisset : qua de causa mire eam laudat S. Hieronymus in ejus Vita. Idem fecerunt S. Martinus, S. Joannes Eleemosynarius et alii multi. Verum *abundantia* hic magis et aptius significat abundantes opes Corinthiorum : hasce enim opponit Paulus inopiæ illorum, quam ex his levari et suppleri cupit.

14 et 14. SED EX ÆQUALITATE, IN PRÆSENTI TEMPORE VESTRA ABUNDANTIA ILLORUM INOPIAM SUPPLEAT, — *q. d.* Non impero tantam eleemosynam, qua fiat vobis res angusta domi, pauperibus ampla et laxa : sed qua superflua (hæc enim sunt propria eleemosynæ materia, quam ipsa erogare in pauperes non tantum suadet, sed etiam præcipit) quibus abundatis, eis communicando, suppleatis eorum inopiam, ut utrique habeatis vitæ necessaria, neutri nimis angusta, vel nimis laxa, sicque utrique inter duo extrema inopiæ et abundantiæ ad mediocritatem quamdam et æqualitatem redigamini : ut et dantium copiæ nihil supersit, quasi superfluum; et accipientium inopiæ nihil desit, quasi necessarium. Ita Theophylactus.

UT ET ILLORUM ABUNDANTIA (in fide, spe et omni gratia) VESTRÆ INOPIÆ (spirituali) SIT SUPPLEMENTUM, — dum oratione et meritis suis eam apud Deum sublevant in hac vita, in altera vero vos morientes recipient in æterna tabernacula : pauperum enim Christi est regnum cœlorum. Ita Anselmus.

UT FIAT ÆQUALITAS, — tam in remuneratione et eleemosyna spirituali, quam temporali, eo modo quo explicui vers. 13.

SICUT SCRIPTUM EST. — *Exodi* XVI, 18, juxta Septuaginta. Ex quo loco probat Paulus per exemplum collectionis et comestionis manna, Deum velle ut homines in communione bonorum quamdam colant æqualitatem.

15. QUI MULTUM (scilicet manna collegerat), NON VERS. 15. ABUNDAVIT (præ eo qui minus collegerat), ET QUI MODICUM (manna collegerat), NON MINORAVIT, — id est non minus habuit illo qui plus collegerat.

Manna describitur, ejusque mensura, et collectio.

Nota ex hoc *Exodi* XVI, 18, ita continuo miraculo, per 40 annos Deum in deserto pro tot centenis millibus Hebræorum pluisse manna, ut, licet maxima ejus esset copia, singuli tamen illud colligentes, sive avariores multum, sive pigriores parum, cum domum reversi illud metiebantur, unam tamen mensuram gomor, quæ ad diuturnum victum cuique sufficeret, omnes reperirent, Deo vel angelo invisibiliter addente, si minus quam gomor; demente, si amplius quam gomor collegissent. Sic ergo una tunc cibi mensura erat parvulis, viris, feminis, scilicet gomor, quæ mensura tantum continebat, quantum communiter homo per diem comedere solet. Ita Nyssenus, *De Vita Moysis*; Chrysostomus hic, Anselmus, Vatablus, Theophylactus.

Causa erat *primo*, ut Judæorum avaritiam, gulam, nimiamque cibi et rerum terrenarum curam Deus hac ratione compesceret, ait Chrysostomus et Theophylactus. *Secundo*, ut hoc continuo miraculo testaretur Deus in omni necessitate ad ejus providentiam esse recurrendum, Deumque suam cuique sufficientem victus mensuram comparare, etsi laboribus minus consequi posse videatur, ut, cum assidemus mensæ, cogitemus Deum nobis pluere e cœlo manna. Sic enim et hodie non divitibus modo, sed et pauperibus, ægris etiam et debilibus, insuperque multa prole onustis quotidianam tamen annonam, quæ satis sit vitæ omnium tuendæ, Deus suppeditat; quæ res considerantibus mirabilis et incredibilis videtur, si censum et lucrum exiguum quod faciunt, cum sumptu tanto et expensis toi capitum familiæ conferat, ut vel ex hoc solo experimento colligere liceat suavem et miram Dei in omnes providentiam. Hinc pauperes suam sortem non doleant, nec multa desiderent. « Nam cum omnes, ait Chrysostomus, unum ventrem impleamus, et uno tempore vivamus, et unum corpus legamus, nihil magis habet dives ex abundantia, neque ex paupertate minus habet pauper; sed uterque victum habet, et amictum, et in hoc sunt æquales. »

Deus sub cibus necessa-rio pro-videt.

Nota *secundo* : Ex allegoria manna, *Exodi* XVI, 18, juxta Septuaginta, pulchre invitat Apostolus ad eleemosynam, *q. d.* Deus æqualem omnibus mensuram dabat manna; ergo par est ut et Christiani paritatem quamdam colant, ut qui abundant opibus, egentibus tribuant, itaque illos in vitæ necessariis sibi æquent, ut ita omnes suis contenti et necessaria habentes æqualiter vivant. Ita Theophylactus ex Chrysostomo.

Ubi adverte : Sicuti divites superflua dando pauperibus, eos sibi pares faciunt, ita et pauperes communione meritorum divites sibi adæquant non omnino et geometrice, sed proportionaliter; ita ut neutri in neutro deficiant, vel nimis præ aliis abundent. Nam alioqui nec divites dando pauperibus tantum dant, ut eos sibi æque divites faciant; nec pauper reddendo divitis preces et spiritualia, dat æquale, sed multo amplius quam temporale quod accepit : nec rursus tantum dat spiritualium, quantum habet. Ita D. Thomas.

Æ. beatitudine qualis futura, æqualitas et æquipollentia?

Anagogice, Chrysostomus et Anselmus hæc referunt ad gloriam cœlestem, in qua omnes erunt æquales : quod intellige de beatitudine objectiva : omnes enim eumdem Deum videbunt, illoque erunt saturi et beati; sed in hac visione, ac consequenter in gaudio et gloria gradus erunt et disparitas pro ratione meritorum : sicut idem erat manna, imo æquale et æqualiter omnes satians, aliter tamen his, aliter illis sapiebat.

16. GRATIAS DEO QUI DEDIT EAMDEM SOLLICITUDINEM PRO VOBIS IN CORDE TITI, — ut scilicet Titus sollicitus pro vobis vestroque profectu ac lucro spirituali vox exhortetur ad beneficentiam in pauperes, ut sequitur.

Nota : « Eamdem, » scilicet mecum, qua videlicet et ego sollicite ad hanc contributionem vos exhortor.

VERS 17. 17. QUONIAM EXHORTATIONEM (puta munus exhortandi vos ad eleemosynam, Titus) SUSCEPIT. — Ita Anselmus.

SUA VOLUNTATE (αὐθαίρετος, sponte sua, me non jubente, aut rogante) PROFECTUS EST AD VOS, — ut ad hoc opus tam piun vox exhortaretur.

VERS. 18. 18. MISIMUS ETIAM CUM ILLO FRATREM, CUJUS LAUS EST IN EVANGELIO — prædicando, scilicet Barnabam : hic enim *Act.* XIII, 3, ordinatus est socius

Pauli. Ita Theodoretus, Chrysostomus, Œcumenius. Verum, quia jam Paulus a Barnaba secesserat, asseveratque sibi Silam, *Act.* XV, 40, hinc melius cum Baronio Silam accipe, aut simpliciter cum Anselmo et Hieronymo Lucam : hic enim non Apostolus, sed *frater* vocatur, scripsitque Evangelium, et individuus fuit Pauli comes. Unde et S. Ignatius *ad Ephesios* scribens hoc idem elogium Lucæ tribuit dicens : « ut testatur Lucas, cujus laus est in Evangelio. »

Luc. D. Luce in Evangelio.

19. NON SOLUM AUTEM (supple, laudem habet in Evangelio), SED ET ORDINATUS EST AB ECCLESIIS COMES PEREGRINATIONIS NOSTRÆ IN HANC GRATIAM, — hoc est, ad gratuitum hoc ministerium colligendi eleemosynas, ut dixi vers. 4. Vers. 19.

Nota : Pro *ordinatus* est græce est χειροτονηθείς, manus ei impositæ sunt, id est consecratus est diaconus, vel etiam sacerdos. Diaconi enim erat habere curam pauperum, iisque distribuere eleemosynas; sacerdotis vero erat juvare Apostolum peregrinantem in prædicatione et Sacramentorum administratione : χειροτονία enim a Græcis vocatur ordinationis Sacramentum, eo quod in illo Episcopus ordinandis manus imponat, ut patet I *Tim.* IV, 14, et V, 22. Ita *Act.* XIV, 22, ubi Noster vertit, *et cum constituissent illis per singulas Ecclesias presbyteros*; græce est χειροτονήσαντες πρεσβυτέρους κατ' ἐκκλησίαν, id est, *cum manus imposuissent presbyteris per singulas Ecclesias*. Unde patet quod manus imponere presbyteris, idem sit quod ordinare, et ordinando constituere presbyteros.

Pro *comes* græce est συνέκδημος, id est socius, collega.

QUÆ MINISTRATUR A NOBIS AD DOMINI GLORIAM, ET DESTINATAM VOLUNTATEM NOSTRAM. — Hoc est ad alacritatem animi nostri declarandam in hoc tam pio Dei et pauperum obsequio : græce enim est προθυμία, id est *animi promptitudo*, ut dixi vers. 11. « Destinatam » ergo non significat hic prædestinatam a Deo, ut exponit S. Thomas, sed promptam, paratam, alacrem.

Nota : Pro προθυμίαν, id est *nostram*, jam Græci legunt ὑμῶν, id est *vestram* promptitudinem, *q. d.* ait Theophylactus : Hanc gratiam, hoc ministerium eleemosynarum susceptimus ad hoc, ut Deus hac eleemosyna glorificetur, et vos ad eam promptiores reddamini per exhortationem Titi et Lucæ (1).

20. DEVITANTES HOC, NE QUIS NOS VITUPERET IN HAC PLENITUDINE — eleemosynarum et pecuniæ collectæ. Græce τὸ ἁδρύνειν, in abundantia, in exuberantia, nummorum scilicet, *q. d.* Misi Titum et Lucam ad eleemosynas tam largas colligendas, ne quis suspicetur eas me mihi ad privatos usus Vers. 20. Paulus a se suspicionem avertit.

(1) Versus 19 ex Græco sic verti potest : Verum non hoc tantum; sed et ordinatus est ab Ecclesiis, ut sit comes nostræ peregrinationis et colligendæ hujus eleemosynæ, quæ procurata est a me ad gloriam Domini amplificandam, et prolixam vestram voluntatem comprobandam.

colligere. Ita Anselmus. Solet enim magna pecuniarum vis obnoxia esse fraudis suspicioni, quia ex tanta copia facile multa clam demi possunt, ita ut nemo sciat, vel persentiscat.

21. PROVIDEMUS BONA NON SOLUM CORAM DEO, SED ETIAM CORAM HOMINIBUS. — Græcum καλὰ significat et *bona* et *honesta*, ut vertit Vatablus, *q. d.* Procuro et satago honeste agere non tantum coram Deo, sed et coram hominibus, ne homines etiam suspicaces occasionem habeant aliquid mali, vel inhonesti de me suspicandi. Quapropter ut juste et honeste me hanc collectam administrare ostendam, testes mihi adsciso Titum et Lucam, illis pecuniam bursamque committo, ego eam tractare nolo. Hinc nota, et disce hoc practicum axioma : Conscientiam Deo, proximo famam debemus; et qui famam negligit, in proximi salutem crudelis est. Vide Anselmum.

Conscientiam Deo, proximo famam debemus.

22. MISIMUS AUTEM CUM ILLIS UT FRATREM NOSTRUM. — Incertum quis hic. Aliqui suspicantur esse Apollo, ait Anselmus. Sed suspicantur tantum, quia Paulus eum nec nominat, nec describit, sed Corinthiis ex præsentia cognoscendum relinquit.

Vers. 22.

Vers. 23.

23. CONFIDENTIA MULTA IN VOS (*q. d.* Confidens multum et sperans, illos, uti par est, a vobis honeste et amanter excipiendos (1), idque) SIVE PRO TITO, — id est partim ob amorem et venerationem Titi, qui socius est meus et adjutor apud vos; hinc patet Titum, cum hæc scriberet Paulus, fuisse Corinthi : eo enim ad eleemosynas hasce aliasque peragenda miserat eum Paulus.

(1) *Confidentia multa in vos*, id est, quia ille frater de vobis omnia sperat optima, vos semper fore liberales : ita Rosenmullerus. Alioli : Quia ego Paulus multum spero et confido, vos illum bene excepturos esse.

Porro Maldonatus, supplens verbum ἐδείξατε, id est *ostenderitis*, sic vertit, *sive pro Tito aliquid charitatis ostenderitis, erga me ostenderitis; socius enim meus est.* Verum non est necesse hic quippiam supplere : sensus enim per se constat, uti jam ostendi.

SIVE FRATRES. — Hoc est, sive pro fratribus cæteris qui sunt Apostoli; est antiptosis : Hebræi enim carent casibus. Vide *Cam.* 37. Ita Theophylactus, *q. d.* Partim propter fratres cum Tito submissos, qui sunt Apostoli Ecclesiarum; partim propter Titum ipsum confido, quod illos digne, ut par est, suscipietis.

GLORIA CHRISTI. — *q. d.* Qui Apostoli sunt gloria Christi, id est, promovent et illustrant gloriam Christi. Sive ergo, inquit Chrysostomus, eos ut fratres voluerit excipere, sive ut Apostolos Ecclesiarum, sive ut aliquid in gloriam Christi facientes, multas habebitis occasiones benevolentiæ erga illos.

Est metonymia : « gloria, » id est causæ et curatores gloriæ Christi.

24. OSTENSIONEM, QUÆ EST CHARITATIS VESTRÆ, ET NOSTRÆ GLORIÆ PRO VOBIS, IN ILLOS OSTENDITE. — Pronomen *quæ* habet epitasin, *q. d.* Charitatem ostendite insignem in Titum et socios, scilicet eam, quæ decet vos, vestramque tam liberalem charitatem pariter et gloriam, id est gloriationem nostram de vobis, ut habent Græca. Noster interpres solet ad verbum vertere, *pro vobis*, quod nos latinius vertimus, *de vobis*; græce enim est ὑπὲρ ὑμῶν.

Vers. 24.

OSTENDITE IN FACIEM (in conspectum scilicet omnium) ECCLESIARUM. — Ita Anselmus; significantius tamen dicitur « ostendite in faciem, » quam ostendite in conspectum.

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, pergit hortari Corinthios ad eleemosynam, *ex humano pudore et laude, ne scilicet coram Macedonibus, qui tam liberales fuerant, erubescant.*

Secundo, vers. 6, *ex fructibus eleemosynæ, quod scilicet ipsa suos eleemosynarios ditet bonis et præsentibus et futuris.*

Tertio, vers. 11, *ex gratiarum actione inde in Deum redundante, et lætitia pauperum Christianorum eam excipientium, atque pro Corinthiis suis benefactoribus observantium.*

1. Nam de ministerio, quod fit in sanctos, ex abundanti est mihi scribere vobis. 2. Scio enim promptum animum vestrum : pro quo de vobis glorior apud Macedones. Quoniam et Achaia parata est ab anno præterito, et vestra æmulatio provocavit plurimos. 3. Misi autem fratres, ut, ne quod gloriamur de vobis, evacuetur in hac parte, ut (quemadmodum dixi) parati sitis : 4. ne, cum venerint Macedones mecum, et invenerint vos imparatos, erubescamus nos (ut non dicamus vos) in hac substantia. 5. Necessarium ergo existimavi rogare

fratres, ut præveniant ad vos, et præparent repromissam benedictionem hanc paratam esse sic, quasi benedictionem, non tanquam avaritiam. 6. Hoc autem dico : Qui parce seminat, parce et metet : et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet. 7. Unusquisque prout destinavit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate : hilarem enim datorem diligit Deus. 8. Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis : ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum, 9. sicut scriptum est : Dispersit, dedit pauperibus : justitia ejus manet in sæculum sæculi. 10. Qui autem administrat semen seminanti, et panem ad manducandum præstabit, et multiplicabit semen vestrum, et augebit incrementa frugum justitiæ vestræ : 11. ut in omnibus locupletati abundetis in omnem simplicitatem, quæ operatur per nos gratiarum actionem Deo. 12. Quoniam ministerium hujus officii non solum supplet ea, quæ desunt sanctis, sed etiam abundat per multas gratiarum actiones in Domino : 13. per probationem ministerii hujus glorificantes Deum in obedientia confessionis vestræ, in Evangelium Christi, et simplicitate communicationis in illos, et in omnes, 14. et in ipsorum obsecratione pro vobis, desiderantium vos propter eminentem gratiam Dei in vobis. 15. Gratias Deo super inenarrabili dono ejus.

1. NAM DE MINISTERIO, QUOD FIT IN SANCTOS (*q. d.* Commendavi vobis in fine cap. præced. Titum cum sociis, non autem eleemosynam, pro qua veniunt; « nam de ministerio, » id est subministratione hujus eleemosynæ, quæ fit in sanctos, id est pauperes Christianos,) EX ABUNDANTI EST, — id est, superfluum est scribere vobis, cum ad illam prompti sponte vestra procurratis. Ita Anselmus. Nota autem emendicandi eleemosynas commodum esse, si laudes dantium liberalitatem : hanc callent egregie publici viarum et templorum mendici.

AD NEC-DIANTII.

2. QUONIAM ET ACHAIA PARATA EST (refer ad *gloriér*, *q. d.* Glorior apud Macedones, quod vos, o Corinthii, et reliqua Achaia parati sitis ad hanc contributionem eleemosynæ, ita) ET VESTRA ÆMULATIO (id est, zelus misericordiæ vestræ, quam apud alios prædico, et de quo glorior) PLURIMOS ad imitationem PROVOCAVIT. — Videte ergo, ut ipso facto ostendatis, me vere gloriatum esse, ne et ego confundar et vos.

Liberalis eleemosyna ad benedictionem.

3. NE QUOD GLORIAMUR DE VOBIS, EVACUETUR IN HAC PARTE. — Græca clarius, ἵνα μὴ τὸ καύχημα ἡμῶν τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κενωθῇ, *ne gloriatio nostra de vobis inanis fiat in hac parte*, ne scilicet falsa appareat, ne inaniter videar gloriatus et falso, vos esse tam promptos et liberales, si parcos et imparatos vos inveniat Macedones.

4. IN HAC SUBSTANTIA, — in hac materia laudis et virtuperii circa eleemosynas et tenacem avaritiam (1).

Vers. 4.

5. UT PRÆVENIANT AD VOS. — Ita Romana : hoc enim est Græcum προφθάσωσιν; male ergo passim, etiam Plantiniana, legunt, *perveniant*. « Prævenient, » inquam, meum et Macedonum ad vos adventum.

Vers. 5.

ET PRÆPARENT REPROMISSAM BENEDICTIONEM, — beneficentiam et eleemosynam vestram.

PARATAM ESSE. — Ut parata sit : græcismus.

SIC, QUASI BENEDICTIONEM, — ut videatur spontanea et liberalis beneficentia, non vero ab avaris extorta. Ita Anselmus et Theophylactus ex Chrysostomo. Cur liberalis eleemosyna vocetur *benedictio*, dicam vers. seq. Græcum εὐλογία tum benedictionem, tum bonam uberemque collationem sive eleemosynam significat. Ita hic Erasmus; εὐλογία enim derivatur ab εὖ, id est *bene*, et λέγω, id est *dico*, vel colligo. Unde hasce eleemosynæ collectiones et collationes λογίας vocavit Apostolus, 1 *Corinth.* XVI, 1 et 2. Ultraque significatio hic locum habet, hortaturque Apostolus Corinthios tam ad ultroneam et hilarem (quod significat *benedictio*), quam ad uberem et liberalem λογίαν, sive collationem eleemosynarum. Docet hic Apostolus quo animo danda sit eleemosyna, nimirum alacri et liberali, non coacto, constricto, avaro et sordido.

6. QUI SEMINAT IN BENEDICTIONIBUS (id est, largiter et liberaliter, ut scilicet multas benedictiones, id est beneficentias, quasi semina in pauperes effundat, hic eadem) METET. — Deus enim, qui sibi factum putat quod pauperibus fit, non sinit se liberalitate nostra vinci, sed in liberales longe liberalior est, redditque eis majori copia bona tum corporis, tum animæ.

Vers. 6.

Magni fructus et fasces eleemosynæ.

Nota duplicem hebraismum. *Primo*, εὐλογία hebraice ברכה *beracha*, id est *benedictio*, significat beneficentiam; et in plurali benedictiones significant multas et copiosas beneficentias : has enim opponit parcitati, sive parce seminanti. Sic Axa, Josue XV, 19, patri Caleb dicit : « Da mihi benedictionem; » eamque explicat subdens : « Terram Australem et arentem dedisti mihi, junge et irri-

(1) Græca multa habent, ἐν τῇ ὑποστάσει ταύτῃ τῆς καυχήσεως, quod Rosenmullerus vertit, *ob confidentem illam gloriationem*, id est, quod inde a tanto jam tempore confidentissime gloriatus sim de vestra liberalitate. Nam ὑπόστασις sæpe est *fiducia*.

colligere. Ita Anselmus. Solet enim magna pecuniarum vis obnoxia esse fraudis suspicioni, quia ex tanta copia facile multa clam demi possunt, ita ut nemo sciat, vel persentiscat.

21. PROVIDEMUS BONA NON SOLUM CORAM DEO, SED ETIAM CORAM HOMINIBUS. — Græcum καλὰ significat et *bona* et *honesta*, ut vertit Vatablus, *q. d.* Procuro et satago honeste agere non tantum coram Deo, sed et coram hominibus, ne homines etiam suspicaces occasionem habeant aliquid mali, vel inhonesti de me suspicandi. Quapropter ut juste et honeste me hanc collectam administrare ostendam, testes mihi adsciso Titum et Lucam, illis pecuniam bursamque committo, ego eam tractare nolo. Hinc nota, et disce hoc practicum axioma : Conscientiam Deo, proximo famam debemus; et qui famam negligit, in proximi salutem crudelis est. Vide Anselmum.

Conscientiam Deo, proximo famam debemus.

22. MISIMUS AUTEM CUM ILLIS UT FRATREM NOSTRUM. — Incertum quis hic. Aliqui suspicantur esse Apollo, ait Anselmus. Sed suspicantur tantum, quia Paulus eum nec nominat, nec describit, sed Corinthiis ex præsentia cognoscendum relinquit.

Vers. 22.

Vers. 23.

23. CONFIDENTIA MULTA IN VOS (*q. d.* Confidens multum et sperans, illos, uti par est, a vobis honeste et amanter excipiendos (1), idque) SIVE PRO TITO, — id est partim ob amorem et venerationem Titi, qui socius est meus et adjutor apud vos; hinc patet Titum, cum hæc scriberet Paulus, fuisse Corinthi : eo enim ad eleemosynas hasce aliasque peragenda miserat eum Paulus.

(1) *Confidentia multa in vos*, id est, quia ille frater de vobis omnia sperat optima, vos semper fore liberales : ita Rosenmullerus. Alioli : Quia ego Paulus multum spero et confido, vos illum bene excepturos esse.

Porro Maldonatus, supplens verbum ἐδείξατε, id est *ostenderitis*, sic vertit, *sive pro Tito aliquid charitatis ostenderitis, erga me ostenderitis; socius enim meus est.* Verum non est necesse hic quippiam supplere : sensus enim per se constat, uti jam ostendi.

SIVE FRATRES. — Hoc est, sive pro fratribus cæteris qui sunt Apostoli; est antiptosis : Hebræi enim carent casibus. Vide *Cam.* 37. Ita Theophylactus, *q. d.* Partim propter fratres cum Tito submissos, qui sunt Apostoli Ecclesiarum; partim propter Titum ipsum confido, quod illos digne, ut par est, suscipietis.

GLORIA CHRISTI. — *q. d.* Qui Apostoli sunt gloria Christi, id est, promovent et illustrant gloriam Christi. Sive ergo, inquit Chrysostomus, eos ut fratres voluerit excipere, sive ut Apostolos Ecclesiarum, sive ut aliquid in gloriam Christi facientes, multas habebitis occasiones benevolentiæ erga illos.

Est metonymia : « gloria, » id est causæ et curatores gloriæ Christi.

24. OSTENSIONEM, QUÆ EST CHARITATIS VESTRÆ, ET NOSTRÆ GLORIÆ PRO VOBIS, IN ILLOS OSTENDITE. — Pronomen *quæ* habet epitasin, *q. d.* Charitatem ostendite insignem in Titum et socios, scilicet eam, quæ decet vos, vestramque tam liberalem charitatem pariter et gloriam, id est gloriationem nostram de vobis, ut habent Græca. Noster interpres solet ad verbum vertere, *pro vobis*, quod nos latinius vertimus, *de vobis*; græce enim est ὑπὲρ ὑμῶν.

Vers. 24.

OSTENDITE IN FACIEM (in conspectum scilicet omnium) ECCLESIARUM. — Ita Anselmus; significantius tamen dicitur « ostendite in faciem, » quam ostendite in conspectum.

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, pergit hortari Corinthios ad eleemosynam, *ex humano pudore et laude, ne scilicet coram Macedonibus, qui tam liberales fuerant, erubescant.*

Secundo, vers. 6, *ex fructibus eleemosynæ, quod scilicet ipsa suos eleemosynarios ditet bonis et præsentibus et futuris.*

Tertio, vers. 11, *ex gratiarum actione inde in Deum redundante, et lætitia pauperum Christianorum eam excipientium, atque pro Corinthiis suis benefactoribus observantium.*

1. Nam de ministerio, quod fit in sanctos, ex abundanti est mihi scribere vobis. 2. Scio enim promptum animum vestrum : pro quo de vobis glorior apud Macedones. Quoniam et Achaia parata est ab anno præterito, et vestra æmulatio provocavit plurimos. 3. Misi autem fratres, ut, ne quod gloriamur de vobis, evacuetur in hac parte, ut (quemadmodum dixi) parati sitis : 4. ne, cum venerint Macedones mecum, et invenerint vos imparatos, erubescamus nos (ut non dicamus vos) in hac substantia. 5. Necessarium ergo existimavi rogare

fratres, ut præveniant ad vos, et præparent repromissam benedictionem hanc paratam esse sic, quasi benedictionem, non tanquam avaritiam. 6. Hoc autem dico : Qui parce seminat, parce et metet : et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet. 7. Unusquisque prout destinavit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate : hilarem enim datorem diligit Deus. 8. Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis : ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum, 9. sicut scriptum est : Dispersit, dedit pauperibus : justitia ejus manet in sæculum sæculi. 10. Qui autem administrat semen seminanti, et panem ad manducandum præstabit, et multiplicabit semen vestrum, et augebit incrementa frugum justitiæ vestræ : 11. ut in omnibus locupletati abundetis in omnem simplicitatem, quæ operatur per nos gratiarum actionem Deo. 12. Quoniam ministerium hujus officii non solum supplet ea, quæ desunt sanctis, sed etiam abundat per multas gratiarum actiones in Domino : 13. per probationem ministerii hujus glorificantes Deum in obedientia confessionis vestræ, in Evangelium Christi, et simplicitate communicationis in illos, et in omnes, 14. et in ipsorum obsecratione pro vobis, desiderantium vos propter eminentem gratiam Dei in vobis. 15. Gratias Deo super inenarrabili dono ejus.

1. NAM DE MINISTERIO, QUOD FIT IN SANCTOS (*q. d.* Commendavi vobis in fine cap. præced. Titum cum sociis, non autem eleemosynam, pro qua veniunt; « nam de ministerio, » id est subministratione hujus eleemosynæ, quæ fit in sanctos, id est pauperes Christianos,) EX ABUNDANTI EST, — id est, superfluum est scribere vobis, cum ad illam prompti sponte vestra procurratis. Ita Anselmus. Nota autem emendicandi eleemosynas commodum esse, si laudes dantium liberalitatem : hanc callent egregie publici viarum et templorum mendici.

AD NEC-DIANTII.

2. QUONIAM ET ACHAIA PARATA EST (refer ad *gloriér*, *q. d.* Glorior apud Macedones, quod vos, o Corinthii, et reliqua Achaia parati sitis ad hanc contributionem eleemosynæ, ita) ET VESTRA ÆMULATIO (id est, zelus misericordiæ vestræ, quam apud alios prædico, et de quo glorior) PLURIMOS ad imitationem PROVOCAVIT. — Videte ergo, ut ipso facto ostendatis, me vere gloriatum esse, ne et ego confundar et vos.

Liberalis eleemosyna ad benedictionem.

3. NE QUOD GLORIAMUR DE VOBIS, EVACUETUR IN HAC PARTE. — Græca clarius, ἵνα μὴ τὸ καύχημα ἡμῶν τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κενωθῇ, *ne gloriatio nostra de vobis inanis fiat in hac parte*, ne scilicet falsa appareat, ne inaniter videar gloriatus et falso, vos esse tam promptos et liberales, si parcos et imparatos vos inveniat Macedones.

4. IN HAC SUBSTANTIA, — in hac materia laudis et virtuperii circa eleemosynas et tenacem avaritiam (1).

Vers. 4.

5. UT PRÆVENIANT AD VOS. — Ita Romana : hoc enim est Græcum προφθάσωσιν; male ergo passim, etiam Plantiniana, legunt, *perveniant*. « Prævenient, » inquam, meum et Macedonum ad vos adventum.

Vers. 5.

ET PRÆPARENT REPROMISSAM BENEDICTIONEM, — beneficentiam et eleemosynam vestram.

PARATAM ESSE. — Ut parata sit : græcismus.

SIC, QUASI BENEDICTIONEM, — ut videatur spontanea et liberalis beneficentia, non vero ab avaris extorta. Ita Anselmus et Theophylactus ex Chrysostomo. Cur liberalis eleemosyna vocetur *benedictio*, dicam vers. seq. Græcum εὐλογία tum benedictionem, tum bonam uberemque collationem sive eleemosynam significat. Ita hic Erasmus; εὐλογία enim derivatur ab εὖ, id est *bene*, et λέγω, id est *dico*, vel colligo. Unde hasce eleemosynæ collectiones et collationes λογίας vocavit Apostolus, 1 *Corinth.* XVI, 1 et 2. Ultraque significatio hic locum habet, hortaturque Apostolus Corinthios tam ad ultroneam et hilarem (quod significat *benedictio*), quam ad uberem et liberalem λογίαν, sive collationem eleemosynarum. Docet hic Apostolus quo animo danda sit eleemosyna, nimirum alacri et liberali, non coacto, constricto, avaro et sordido.

6. QUI SEMINAT IN BENEDICTIONIBUS (id est, largiter et liberaliter, ut scilicet multas benedictiones, id est beneficentias, quasi semina in pauperes effundat, hic eadem) METET. — Deus enim, qui sibi factum putat quod pauperibus fit, non sinit se liberalitate nostra vinci, sed in liberales longe liberalior est, redditque eis majori copia bona tum corporis, tum animæ.

Vers. 6.

Magni fructus et fasces eleemosynæ.

Nota duplicem hebraismum. *Primo*, εὐλογία hebraice ברכה *beracha*, id est *benedictio*, significat beneficentiam; et in plurali benedictiones significant multas et copiosas beneficentias : has enim opponit parcitati, sive parce seminanti. Sic Axa, Josue XV, 19, patri Caleb dicit : « Da mihi benedictionem; » eamque explicat subdens : « Terram Australem et arentem dedisti mihi, junge et irri-

(1) Græca multa habent, ἐν τῇ ὑποστάσει ταύτῃ τῆς καυχήσεως, quod Rosenmullerus vertit, *ob confidentem illam gloriationem*, id est, quod inde a tanto jam tempore confidentissime gloriatus sim de vestra liberalitate. Nam ὑπόστασις sæpe est *fiducia*.

guam. » Sic Abigail, I *Reg.* XXV, 27, offerens sua dona Davidi : « Suscipe, inquit, benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua. » Sic Jacob, *Genes.* cap. XLIX, vers. 25, Joseph filio suo imprecatur dicens : « Benedicet tibi Deus benedictionibus cœli desuper, benedictionibus abyssi jacentis deorsum, benedictionibus uberum et vulvæ. »

Quæ causa ob quam eleemosyna vocatur benedictio.

Atque hæc causa est, quam hic innuit Jacob, quare Hebræi beneficentiam vocent *benedictionem*. Quia nimirum sermone pio imitari et significare volunt Dei beneficentiam, quæ omnis nostræ beneficentiæ fons est et origo, ab ejusdem benedictione promanare : Dei enim benedicere est efficax, idemque in re quod benefacere, adeoque Deus solo dicto et jussu suo nobis bona cuncta largitur. Secunda causa est, quod Patriarchæ et prisci fideles, uti et Eremitæ aliique Sancti novi Testamenti, sua dona cum fausta precatione et benedictione communicarent; unde ea vocabant εὐλογίας. Tertia causa est, quod suavius et mollius tam dando quam petendo donum quodvis vocetur *benedictio* potius quam beneficentia. Sic enim et petentes et dantes donum suum modeste extenuant. Unde pauperes honesti eleemosynam petentes quasi rem facilem et exiguam, vulgo petunt benedictiones, et divites vicissim eam dantes quasi rem parvam, vocant pariter benedictionem. Addit Theophylactus, hac voce Paulum incitare ad eleemosynam hilarem, *q. d.* Benedictio est quod das : benedictio, inquam, tam pauperis quam tua. Nemo autem benedictionem dans contristatur, sed hilariter eam impertit.

Secundus hebraismus pariter et græcismus est, cum ait *ἐν εὐλογίαις*, *in benedictionibus*, vel beneficentiis, id est valde benefice, vel beneficentissime : Græcum enim *ἐν* cum nomine pro adverbio ponitur, ut *in justitia*, id est juste; *in sanctitate*, id est sancte.

Nota *secundo* : Apostolus hic alludit ad *Prov.* XXII, 9, ubi dicitur : « Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur, *q. d.* Qui parce seminat, parce et metet; » et e contrario, qui benefice seminat, benefice et metet. Idem suadet Sapiens, *Eccles.* XI, 1 : « Mitte, inquit, panem (eleemosynam) tuum super transeuntes aquas, » id est pauperes, qui in hac vita viventes prætfluunt ut aquæ, II *Reg.* XIV, 14, « quia post tempora multa invenies illum, » *q. d.* Semina eleemosynam, ut metas ejus fructus : atque licet pauperes sint, aut videantur fore ingrati vel impotentes ad reddendum, ut beneficium tuum in eos quasi in aquas jactum ac proinde periturum videatur; benefac tamen eis, quia ingens et certa ab eisdem, vel certe a Deo tibi merces reddetur. « Da partem septem (id est multis), nec non et octo (id est pluribus, » *q. d.* Da multis, imo multo pluribus, da tot pauperibus quot potes, « quia ignoras quid futurum sit mali super terram, » a quo scilicet per eleemosynam poteris te liberare. *Eccles.* XI, 3 : « Si repletæ fuerint nubes, imbrem super terram effundent, » *q. d.* Uti nubes fœcunda copiosam effundit pluviam : pari modo oportet ut cor plenum uti divitiis, ita et charitate, magnas et multas erogat eleemosynas. Ita Olympiodorus, Gregorius Neocæsariensis et Vatablus in illum locum.

Angeus mercès eleemosynam illam ingrato et immerenti dare.

Nota *tertio*, verba « seminat » et « metet, » *q. d.* Eleemosyna, uti et alia bona opera sunt semen, quod producit messem gratiæ, imo et bonorum temporalium, ut explicat vers. 8 et 10. Unde inferas contra Calvinum, bona opera efficere et mereri præmium : semen enim virtute sua naturali producit fructum et messem : ergo et eleemosyna vere parit præmium, non physice, ut patet, ergo meritorie.

Bona opera Deum Deo placet. Calvinianum refellitur.

Vers. 7. UNUSQUISQUE PROUT DESTINAVIT IN CORDE SUO, NON EX TRISTITIA (quam parit avarus animus), AUT EX NECESSITATE — consulendi suæ famæ et pudori, *q. d.* Quisque det sponte quod vult, non inductus et quasi coactus mea vel Titi auctoritate; non quia pudet eum minus aliis dare, ut suo honori consulat.

Hilariter danda eleemosyna.

HILAREM ENIM DATOREM DILIGIT DEUS. — Citat *Prov.* XXII, 8, juxta Septuaginta. Pro *diligit* editio Septuaginta Caraffæ legit, *εὐλογεῖ*, *benedicit*. De hilaritate vide dicta *Rom.* XII, 8. Pulchre S. Augustinus *in Psal.* XLIII : « Si panem, inquit, dederis tristis, et panem et meritum perdidisti. » Idem, *serm.* 43 : « Si bona semina sunt bona opera, quare seminantur cum lacrymis? » Et D. Chrysostomus, tom. IV, homil. in dictum Pauli, *Oportet hæreses esse* : « Si alacriter, inquit, demus, duplex erit eleemosyna : et quia damus, et quia hilariter damus. » S. Gregorius quoque, lib. *Moral.* XXI, cap. XI, exponens illud Jobi, *Si negavi quod volebant pauperibus, et oculos viduæ exspectare feci* : « Petentem, inquit, viduam exspectare noluit, ut non solum ex munere, sed ex celeritate quoque muneris bonorum operum merita augeret. » Unde, *Proverb.* III, 28, scriptum est : « Ne dicas amico tuo : Vade et revertere, cras dabo tibi, cum statim possis dare. » Et *Eccles.* XXXV, 11 : « In omni, inquit, dato hilarem fac vultum tuum. » Hilari ergo animo, non tristi, non torpido, non tardo, danda eleemosyna; itaque imitabimur Deum, qui hilariter sua bona communicat et effundit.

Charites, seu Gratiæ, deas pingunt Ethnici voluti tres sorores, mutuo se amplectentes, alii respectantes. Qua pictura significabant dona quomodo sint distribuenda. *Prima* appellatur Aglaia, generositatem significans : melius est enim dare quam accipere. « Nam beneficium qui accipit, liberiatem vendit, » ait P. Syriminus. *Secunda* Thalia nuncupatur, id est in medio florens cursu. *Tertia* autem Euphrosyne, gaudium indicans. Letatur enim in beneficiis, qui dat, et qui accipit. « Hilarem quippe datorem diligit Deus. » Vide Senecam, *De Beneficiis*.

8. POTENS EST AUTEM DEUS OMNEM GRATIAM ABUNDARE FACERE IN VOBIS. — Occurrit objectioni. Dices, inquit, mihi : Si multa dedero, fiam pauper, non potero deinceps domesticis aliisque magis indigentibus succurrere. Ita Theophylactus. Huic respondet Apostolus : Ne id metuas; crede et spera in Deum, qui « potens est omnem gratiam (id est, ut Syrus, *beneficentiam*) abundare facere in vobis, » ut semper sufficientiam bonorum habeatis, ex qua abundetis in omne opus bonum, ut scilicet assidue, continue et abunde facere possitis eleemosynas, aliisque et aliis beneficere, *q. d.* Deus eleemosynarios ditare potest, et assidue ditat, cum eis continuo sufficientia bona suggerit et tribuit, ut habeant semper quod rogent, sicque in beneficentia abundent. Id vetum esse docet experientia, et patebit vers. 10.

Ubi nota : Τὸ *potens est facere*, non tantum potentiam Dei, sed et actum significat, *q. d.* Deus potens est facere, et facit « abundare omnem gratiam et sufficientiam in vobis, » uti expedit vers. 10; est enim miosis et metalepsis. Sic : « Dicere solet duci belli : Vade, bellum conficito, i. bellis vacare exercitibus, ego [illegible] ferre, et te ditare, id est, ego eos feram, et te insuper ditabo ac promovebo.

Eleemosyna est immortalis.

Nota *secundo* : In Græco pulchre et emphatice Paulus ludit in verbo πᾶς, illud duplicando, imo triplicando, ἵνα ἐν παντὶ πάντοτε πᾶσαν αὐτάρκειαν ἔχοντες, ut in omni, scilicet negotio, omni tempore, omnem sufficientiam habentes, *q. d.* Non in aliqua, sed in omni necessitate; non aliquo, sed in omni tempore occurrente; non aliquam, sed omnem sufficientiam, ex qua abunde cuivis succurratis, dabit vobis Deus.

Deus solus αὐτάρκης, avaris insatiabilis.

Nota *tertio* : Non dicit, ait Theophylactus, abundantiam vel exuberantiam, sed αὐτάρκειαν, id est *sufficientiam*, habebitis; αὐτάρκεια est sufficientia, qua quis sibi suisque sufficit. Vel *secundo*, qua quis sua sorte contentus, sibique ac suis sufficiens plura non desiderat. Sic Deus solus proprie dicitur αὐτάρκης, ut qui nullo egeat, et totus in seipso acquiescat : talis est eleemosynarius. Avarus contra insatiabilis est : nam *quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ*, sic et divitiæ. Hinc *semper avarus eget*. Αὐτάρκεια, id est sufficientia, inquit Clemens, lib. II *Pædag.*, cap. XII, est virtus per quam contenti sumus; sive, est habitus contentus rebus iis quibus oportet, et qui per se ea acquirit quæ ad beatam vitam conferunt. Unde Hippias (teste Suida verbo *Hippias*) finem bonorum constituebat αὐτάρκειαν, id est animum sua sorte contentum. Quæ et Epicurus dicere solebat : « Sufficientia res est omnium ditissima, » uti narrat Clemens Alexandrinus, lib. VI *Stromatum*. Quo sensu dixit Cicero, *paradoxo* 1, « virtutem ad beate vivendum seipsa contentam esse. » Et Socrates apud Platonem, dialogo 3 *De Legibus*, ita precatur et optat : « Tantum mihi sit auri, quantum ferre queat non alius quam vir temperans. » De hac sufficientia plura dicam I *Timoth.* VI, 6, et *Philipp.* IV, 11.

Αὐτάρκειαν dare, Deum omnium beneficum omnesque ditissima.

9. SICUT SCRIPTUM EST (*Psal.* CXI, 9) : DISPERSIT, — scilicet ubique, omni necessitate, loco, tempore, vir misericors (qualis fuit S. Laurentius, uti de eo canit Ecclesia) sua bona et suas eleemosynas : sicut qui seminat, undique sparsit suum semen. Vult enim Apostolus probare quod Deus in eleemosynariis faciat abundare omnem gratiam, id est beneficentiam, et ad illam det omnem sufficientiam, uti præcessit. Id probat, quia ex hac sufficientia eleemosynarius « dispersit, » id est, undequaque sparsit et spargit, suum eleemosynæ semen, non in convivas, non in veneres, sed in pauperes. Unde Œcumenius : Verbo *dispersit*, inquit, significat exuberantiam eleemosynæ. *Secundo*, ita « dispersit, » ut tamen non abjecerit aut perdiderit, quia, ut sequitur :

Eleemosyna vocatur justitia?

JUSTITIA EJUS MANET IN SÆCULUM SÆCULI. — « Manet, » scilicet in Dei memoria et æterna mercede, quasi segete et messe. Sicut agricola dum spargit semen, non perdit illud, sed terræ mandat, ut cum fœnore decuplum recipiat. Immortalis ergo est eleemosyna, et eleemosynarium immortali gloria beat. Unde et subjicit : « In memoria æterna erit justus, ab auditione mala non timebit, et cornu ejus, » id est dignitas, robur, ut ait ibidem Theodoretus, ac potentia ejus, « exaltabitur in gloria, » id est gloriose accrescet indies, usque dum summe exaltetur in gloria cœlesti.

JUSTITIA. — Id est, beneficentia ejus non perit, sed manet coram Domino, ut eam remuneretur præmiis et præsentibus et æternis. « Mercatura et negotiatio, cœlum est : da panem, et accipe paradisum; parva da, et magna suscipe; da mortalia, et recipe immortalia, » ait S. Chrysostomus, homil. 9 *De Pœnitent.*

Eleemosyna ejus vocatur actus justitiæ?

Nota, in Scriptura eleemosynam, quæ est actus misericordiæ, vocari « justitiam, » tum quia magna pars est justitiæ generalis, quæ est complexio omnium virtutum; tum quia justitiæ et sanctitatis indicium est : sancti enim sunt misericordes; contra, « viscera impiorum crudelia, » inquit Sapiens, *Proverb.* XII, 10. *Tertio*, quia ad justitiam disponit, eam meretur (primam quidem de congruo, secundam autem, hoc est, augmentum justitiæ, de condigno), conservat et auget. Unde solis misericordibus Christus dat coronam justitiæ, *Matth.* XXV, 35. Hinc duris et obstinatis in malo suadenda est quasi ultimum remedium eleemosyna, uti Dan el superbo Nabuchodonosori suasit : « Peccata tua eleemosynis redime, » *Dan.* IV, 24.

10. QUI AUTEM ADMINISTRAT SEMEN SEMINANTI, ET PANEM AD MANDUCANDUM PRÆSTABIT, ET MULTIPLICABIT SEMEN VESTRUM. — Occurrit secundæ objectioni ortæ ex versu psalmi jam citato : « Dispersit, etc., justitia ejus manet in sæculum, » etc., *q. d.* Objiciet rursum aliquis ex illo versu psalmi : Bene probas, Paule, eleemosynam manere in

mercede cœlesti; sed nondum video, quomodo inde probes nos per eleemosynam non fore depauperandos; manet ergo prior objectio nostra: Si largam dem eleemosynam, fiam pauper, nec potero aliis deinceps succurrere. Huic respondet, contrarium tacite significari et educi ex eodem versu psalmi citato: sicut enim herus, qui colono suo semen administrat, ut suum agrum seminet, eidem panem ad manducandum præstat; et in messe, cum messis eum facit participem, multiplicat ei semen, id est *grana seminata*, ut pro uno modo quem seminavit, tres recipiat, quos rursum seminare possit, ut rursus longe plura in messe recipiat, et ita deinceps seminando semper amplius, semper longe plus metat: ita multo magis Deus, qui eleemosynariis dat bona quæ dispergant in pauperes, dabit et panem cæteraque vitæ necessaria; insuper et multiplicabit semen, id est bona, quæ rursum seminent et dispergant in pauperes: est enim Deus quasi herus noster; nos, coloni ejus; ager Dei, sunt pauperes; semen, eleemosyna. Deus itaque nos quasi colonos suos vult hoc semen, id est eleemosynam, in hunc agrum, hoc est in pauperes, dispergere; multo ergo magis dabit nobis ipsis alimoniam et messem, id est bona, quæ rursum et assidue in hunc agrum vult seminari. Notent hic divites opes sibi datas a Deo quasi semen, quod assidue in pauperes disseminent, non ut his arcas implent, vel in vestum, donorum ac conviviorum luxum profundant. « Est liberale officium, inquit Cicero, serere beneficium, ut possis metere fructum. »

Tiberium imperatorem Christianum ab eleemosyna mire laudat Gregorius Turonensis, lib. V *Hist. Gallic.*, cap. XXXIX, ejusque ait fuisse hanc vocem Imperatore dignam: « Non decrit fisco nostro, tantum pauperes eleemosynam accipiant, aut captivi redimantur. Hic est enim magnus thesaurus, dicente Domino: Thesaurizate vobis thesauros in cœlo. Ergo de quo Deus dedit, congregemus per pauperes in cœlo, ut Dominus nobis augere dignetur in sæculo. » Hinc Deus ejus opes mire adauxit: cum enim crucem in pavimento sculptam, ex veneratione attolli juberet, ingentem sub ea reperit thesaurum, in quo erant plus quam mille auri centenaria. Cumque inde copiosius solito largiretur pauperibus, Deus alium majorem thesaurum a Narsete, duce Italiæ, olim paratum, ei dedit. Inventus fuit in cisterna quadam, quam, dum effodiunt, tantum auri argentique repererunt, ut per multos dies vix evacuari posset. De hoc thesauro lege Baronium, tom. VII, anno Christi 582, num. 6 et 7.

PRÆSTABIT. — Græce est χορηγήσει, πλουτίσει, αὐξήσει, quod Theophylactus, Erasmus et Vatablus vertunt per optativum, *præstet, multiplicet, augeat*; Noster cum Syro vertit in futuro *præstabit, multiplicabit, augebit*, idque melius; nam vult eis metum eximere paupertatis, ut dixi; nunc autem nemo eximet optando, sed asserendo et promittendo panem, semen et fruges. Videtur ergo Noster legisse χορηγήσει, πλουτιεῖ, αὐξήσει, in futuro; aut, ut Erasmus, intellexit μέλλει, futurus est præstare, id est, *præstabit*; vel potius, ut Vatablus, respicit ad δωρεὰν δὲ ἐπιχορηγῶν, vers. 8, ut idem hic repetendum relinquat, *q. d.* « Potens est Deus » χορηγῆσαι, πλουτῖσαι, αὐξῆσαι (qui sunt infinitivi) *præstare, multiplicare, augere* semen vestrum, etc.

MULTIPLICABIT SEMEN VESTRUM, — id est bona temporalia. « Sicut enim semen, ait Basilius, hom. 13 *De eleemosyna*, in terram jactum fructum fert centuplum: ita et eleemosyna data pauperi. Si ergo, ait, unus tantum tibi sit panis, et ad fores rogatur, deprome illum, et tollens manus in cælum dic: De modico do fratri, et tu, Domine, da mihi periclitanti; nec dubita, quin panis, quem in hac dabis penuria, agriculturæ semen ad copiam ministrabit. » Idem Basilius in illud *Luc.* XII, *Destruam horrea mea*: « Sicut, ait, putei continuo exhausti, et copiosiores et pulchriores fiunt aquæ; dimissi vero et quieti, facile putent: sic et opes recondituæ inutiles sunt, translatæ in pauperes fructum pariunt. » Idem eadem puteisimilitudine confirmat Clemens Alexandrinus, lib. III *Pædagogi*, cap. VII, qui et aliam adhibet uberum similitudinem: « Sicut, inquit, ad ubera quæ suguntur, vel mulgentur, hic solet confluere: ita et opes confluunt ad eos qui erogant illas.

Idem docet S. Cyprianus, tract. *De Opere et Eleemosyna*, additque optimam hæreditatem, quam parentes liberis relinquunt, esse eleemosynam, et quo plures sunt filii, eo majorem faciendam eleemosynam; idque probat exemplo viduæ Sareptanæ, III *Reg.* XVII; *Tobiæ* IV, 7. Hinc Sapiens ait, *Proverb.* XXVIII, 27: « Qui dat pauperi, non indigebit; qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam. » Et David, *Psal.* XXXVI, 26: « Tota die miseretur et commodat, et semen illius in benedictione erit. »

Exempla sunt plurima et stupenda apud Leontium in *Vita S. Joannis Eleemosynarii*, qui cum Tito Imperatore diem se perdidisse deflebat, quo non dedisset eleemosynam. « Et si totus, ait, orbis venuret Alexandriam, non arctaret nostram et liberalitatem et opes; » idque didicit ex visione quadam virginis, id est misericordiæ, quæ Deo astans omnia ab ipso visa est sibi imperare. Hinc sanctus hic Joannes, cum non haberet quod erogaret, suo eleemosynæ studio non raro per miraculum stannum et mel in aurum mutabat, et quo plus dabat, eo plus ei offerebatur quod erogaret, adeoque tam ipse cum Deo, quam Deus cum ipso de liberalitate decertare videbatur. Tandem moriens cum dimidium nummi illi restaret: « Hoc, ait, fratribus ac dominis meis, meis pauperibus, dari jubeo, ut totum Christo reddam. »

Sic Sophronius in *Prato spirituali* (qui liber citatur et laudatur in Synodo Nicena II generali actione 4), cap. CLXXXV, narrat marito quidam rem

Exempla eorum qui suis dispergendo, sibi divitias auxerunt eleemosynis.

Eleemosyna ars omnium quæstuosissima.

suam augere volenti consilium ab uxore datum, ut id quod habebat in pauperes erogaret: fore enim ut cum lucro illud reciperet. Hoc ipse secutus solidos suos distribuit in egenos, et pro quinquaginta recepit trecentos.

Pulchrius vero exemplum habet idem Sophronius, cap. CXCV, de Evagrio philosopho, qui cum audisset in ecclesia, centuplum dari in cœlo pro eleemosyna, libras sexaginta dedit Synesio Episcopo distribuendas pauperibus, accepta ab eo syngrapha quod pro una centum in cœlo esset accepturus, jussitque moriens filiis, ut syngraphan hanc manui suæ dum sepeliretur insererent. Quo facto die tertio a morte apparuit Evagrius in somniis Episcopo dicens: Vade ad sepulcrum meum, et recipe chirographum tuum, nam debitum omne recepi, imo centuplum a Christo et a te promissum. Mane Episcopus cum clero ivit ad sepulcrum, ex manu Evagrii syngraphan accepit, cujus hic erat tenor: « Evagrius philosophus Episcopo suo. Noluerim te, pater, ignorare quod pecuniam omnem quam tibi vivens dedi, centuplicatam, sicut promiseras, recepi: quare nulla debiti ratione mihi astringeris. »

Similia sunt in Vita S. Liduinæ, et aliorum sanctorum. Hinc Chrysostomus: « Eleemosyna, ait, dicitur semen, quia non est sumptus, sed reditus. » Quod probe intellexisse credibile est S. Desudedit, qui, ut refert Martyrologium Romanum, 10 die augusti, cum ipse inops esset, tota tamen hebdomada quæstum omnem, quem fecerat labore manuum suarum, erogabat in pauperes die sabbati, spe reditus illius cœlestis adipiscendi.

« Si prolis tuæ curam geris, relinque eis chartulam scriptam (bona scilicet pauperibus testamento relicta) in qua Deum debitorem habes, » inquit S. Chrysostomus. Cujus rei exemplum illustre exstat in Sophronio, cap. CCI, de nobili quodam patricio Constantinopolitano, qui moriens bona sua relinquens pauperibus, filio dedit curatorem Christum; nec spes eum fefellit: Christus enim filio nobilem et divitem æque ac piam sponsam procuravit. Et homiliam 33 *ad Populum* Chrysostomus scripsit hoc titulo: « Quod eleemosyna est ars omnium quæstuosissima. » Si vis ergo fœnerari, fœnerare Deo dando eleemosynam, quia, ut scriptum est *Prov.* XIX, 17: « Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis, et vicissitudinem suam reddet ei. »

ET AUGEBIT INCREMENTA FRUGUM JUSTITIÆ VESTRÆ, — augebit proventus justitiæ et charitatis vestræ, scilicet dabit incrementum gratiæ hic, et gloriæ in cœlo. Ita Theophylactus. *Fruges* enim intelligit divinæ et æternæ remunerationis, ait Anselmus. Triplicem enim eleemosynæ fructum hic videtur assignare Apostolus. *Primum*, cum ait: « Panem ad manducandum præstabit; » *secundum*, cum subdit: « Et multiplicabit semen (opes) vestrum; » *tertium*, spiritalem, cum concludit: « Et augebit incrementa frugum justitiæ vestræ. » Hoc sensu S. Anselmus (ut refert Edinerus in ejus Vita), cum Cantuariensium urbem ingressus ad visitandum Lanfrancum Archiepiscopum, magno honore et amore a civibus exciperetur, eis charitatis laudem et meritum explicans et rependens dixit, « eos qui charitatem faciunt, aliquid majus habere quam is cui charitas fit et exhibetur. Hic enim, inquit, recipit aliquid temporale tantum; illi vero recipiunt spiritalia, et æternas gratias a Deo exspectant. » Hoc significat Christus illo suo apud mundanos divites paradoxo, cum ait: « Beatius est magis dare quam accipere, » *Actor.* XX, 35.

Secundo, idem Anselmus simpliciter hic accipit fruges bonorum temporalium, *q. d.* Deus fruges et opes vestras crescere faciet, ut semper magis ac magis eleemosynam dare sufficiatis, et augebit incrementa frugum justitiæ vestræ. Id est multo abundantiora dabit incrementa frugibus, quas promeretur justitia vestra; justitia enim est, ut quia Deus homini dat, retribuat ex eo homo et det illi cui deest, et quia vos hujusmodi justitiam servatis, ut, sicut Deus vobis non habentibus tribuit, ita et vos aliis qui non habent tributis, idcirco divinitus augentur incrementa frugum vestrarum. Hinc recte eleemosyna dicitur *semen*, quia semel eam seminans bis metet, in hoc scilicet sæculo, temporalium; in futuro cœlestium bonorum copiam. Hactenus Anselmus et recte: videtur enim Apostolus explicare quod dixit, « multiplicabit semen vestrum, » illudque inculcare, quod scilicet eleemosyna dantem non depauperet, sed ditet, ut omnem paupertatis timorem, qui passim homines ab eleemosyna averti, quemque passim concionatoribus et monitoribus objiciunt, ex animis Corinthiorum omniumque Christianorum evellat.

Ubi tamen nota: Simplicius *fruges justitiæ* hic intelliguntur fruges beneficentiæ, sive natæ ex beneficentia, videlicet opes, quas beneficis Deus quasi messem seminantibus reddit. Incrementa enim frugum non sunt aliud quam seges et messis quæ ex semine jam dicto succrescit. Cum ergo clarum sit Apostolum dum dixit: « Multiplicabit semen vestrum, » per semen intellexisse opes in pauperes erogandas; clarum quoque esse videtur, dum mox subdit: « Et augebit incrementa frugum justitiæ vestræ, » eum per hoc non aliud intelligere quam segetem et messem similium opum, bonorum temporalium, ex semine eleemosynæ Dei nutu succrescentem. Quale enim est semen, talis est et seges, sive messis. Hanc enim semini quasi correlativam opponit Apostolus; perinde ut merces merito opponitur et correspondet. Atque hic videtur esse genuinus sensus et mens Apostoli; idque patet tum ex jam dictis, tum ex eo quod hoc, ut dixi, respondeat objectioni avarorum, qui se ab eleemosynis excusant, quod per eam rediguntur ad paupertatem bonorum

Quomodo hic verset Apostolus in eleemosyna crescenda?

non spiritualium, sed temporalium : unde contra eos asserit hic Paulus, eleemosynam non depauperare, sed potius eos qui eam dant, ditare bonis temporalibus; tum denique ex eo quod de bonis spiritualibus quæ affert eleemosyna, jam egerit vers. 8 et 9, eaque rursum resumat vers. 11, ut patebit ibidem ex Græco. Idem clarius significant Græca hoc versu : καὶ πληθυνεῖ τὸν σπόρον ὑμῶν, καὶ αὐξήσει τὰ γενήματα τῆς δικαιοσύνης ὑμῶν, *multiplicabit semen vestrum, et augebit fruges*, vel fructus, *justitiæ vestræ* : γενήματα enim est fructus, qui a justitiæ, id est beneficentiæ, semine generatur, semen scilicet ipsum in messe cum fœnore auctum et redditum, dum pro uno seminato semine viginti aut triginta succrescunt et renascuntur. Idem ergo in eleemosyna solere Deum facere, et rependere docet hic Paulus.

Eleemosynarius est Dei colonus.

Nota *secundo* : Alludit ad divitum possessiones et latifundia, *q. d.* Beneficentia est quasi ager et prædium fertilissimum, quod eleemosynarius copiosas et perennes fruges profert et progerminat ex semine suæ eleemosynæ. *Primo* enim dat panem, id est victum, eleemosynario; *secundo*, multiplicat semen, id est opes seminandas in pauperes; *tertio*, auget insuper incrementa frugum, dando copiosam messem et opes, quibus eleemosynarius in se suaque familia et statu accrescat et locupletetur. Hæc enim tria herus temporalis præstat colono suo fideli et sedulo : multo ergo magis eadem præstabit Deus eleemosynario, qui est quasi Dei colonus, ut dixi supra.

Vers. 11. 11. UT IN OMNIBUS LOCUPLETATI ABUNDETIS. — Τὸ ut non est in Græco, sed tantum ἐν παντὶ πλουτιζόμενοι, *in omnibus locupletati*, quod referendum est et connectendum cum vers. 8 (versum enim nonum et decimum quasi per parentheses interjicit Apostolus), *q. d.* Ut abundetis in omne opus bonum, πλουτιζόμενοι, *locupleles et copiosi*, abundetis, inquam, « in omnem simplicitatem. » Simile hyperbaton est cap. VIII, vers. 20, et cap. IX, vers. 4. Vide *Can.* 38.

SIMPLICITATEM (candidam liberalitatem, ita Chrysostomus. Vide dicta cap. VIII, vers. 2) QUÆ OPERATUR PER NOS GRATIARUM ACTIONEM DEO. — *q. d.* Hæc vestra simplicitas et liberalitas facit, ut ego, omnesque mei, imo et Christiani, apud quos eam deprædico, gratias agant Deo, quod vobis tam pium misericordiæ affectum indiderit.

12. QUONIAM MINISTERIUM HUJUS OFFICII NON SOLUM SUPPLET EA QUÆ DESUNT SANCTIS, SED ETIAM ABUNDAT PER MULTAS GRATIARUM ACTIONES IN DOMINO. — « Ministerium hujus officii, » administratio scilicet hujus collectæ eleemosynarum; græce est ἡ διακονία τῆς λειτουργίας, hoc est diaconia hujus liturgiæ : quasi in hoc officio, id est in collecta eleemosynarum, sit liturgia, id est Missæ sacrificium, scilicet mysticum, in quo Corinthii quasi offerentes victimam eleemosynæ, sint sacerdotes; altare, sint pauperes; sacrificium, sit eleemosyna; Paulus, sit diaconus, hoc est, minister exhortans, procurans, colligens, deferens, distribuens eleemosynam, per quem omnes tum pauperes eleemosynam recipientes, tum divites eam dantes, Christique gratiam et spiritum videntes et collaudantes, excitentur ad gratiarum actionem in Domino, id est apud Dominum. « Quoniam dum gratiarum actio ad Deum pro eleemosynis atque operationibus nostris pauperum oratione dirigitur, census operantis Dei retributione cumulatur, » ait S. Cyprianus, tract. *De Opere et Eleemosyna*. Ita Chrysostomus, qui in morali *hom.* 20 : « Cum vides, inquit, pauperem, corpus Christi, eram Christi te videre puta, et reverere, ac eleemosynæ sacrificium offer, ex quo gloria et gratiarum actio quasi fumus ascendat ad Deum. » Sic eleemosyna est εὐχαριστία, id est gratiarum actio, et sacrificium Eucharisticum non proprie dictum, ut patet, sed metaphoricum et mysticum : sic prædicationem Evangelii et Gentium conversionem vocat sacrificium, ut dixi *Rom.* XV, 16. Hinc pulchre Nazianzenus, orat. *De Cura Pauperum* : « Nulla, inquit, ex omnibus re Deus perinde ac misericordia colitur : quoniam nihil aliud tam peculiare est Deo, quam illa, utpote ante quem misericordia et veritas gradiuntur. » Mox idipsum probat exemplo Christi, qui factus est pauper, ut nos ejus deitate locupletemur. Deinde ostendit nos per misericordiam Deum imitari, et quasi deos fieri. « Fias, inquit, infortunato Deus, misericordiam Dei imitando. Nihil enim adeo divinum habet homo, quam benefacere. Discas ergo viscera aperire indigentibus. Da pro magno promptitudinem (si nihil aliud habes), vel lacrymulam. Magnum enim remedium afflicto est misericordia. »

Eleemosynarius est Dei sacrificium.

13. PER PROBATIONEM MINISTERII HUJUS. — *q. d.* Dum probant et collaudant homines hoc pium ministerium eleemosynarum, excitantur, ut Deum Christumque glorificent, eique gratias agant, utpote cujus lex et gratia hanc vobis Christianis eleemosynam suasit et persuasit. *Secundo*, sic accipi potest : « per probationem, » id est exploratione et experientiam, et hoc etiam significat Græcum δοκιμή, *q. d.* Dum probant et experiuntur vestram charitatem et eleemosynam, quam eis ministramus, tunc Deum glorificant.

GLORIFICANTES, — dum glorificant Deum; est hebraismus : participium ponitur pro præsenti, juxta *Can.* 29, et intelligitur *Deum*. Hebræi enim sæpe litteras serviles, adverbia et conjunctiones subaudiunt.

Obedientia Evangelii et consilia Christi, quæ eleemosyna.

IN OBEDIENTIA CONFESSIONIS VESTRÆ, IN EVANGELIUM CHRISTI. — Est hypallage, pro *in confessione obedientiæ vestræ*, *q. d.* Glorificant Deum, quia vos factis et eleemosynis confitemini et profitemini obedientiam erga Evangelium Christi, id est vos obedire Evangelio, præceptis scilicet et consiliis Christi, qui tantopere suadet et præcipit charitatem et misericordiam. Ita Chrysostomus. *Secundo*, si quis proprie, eoque ordine quo posita sunt, verba hæc accipere velit, sensus erit : glorificant Deum in obedientia vestra, qua confitemini et profitemini Evangelium Christi. Unde Syrus, *glorificant Christum quod subditi sitis confessioni Evangelii Christi*.

Nota hebraismum, « in Evangelium, » id est erga Evangelium, vel Evangelii. Hebræum enim ל *tet*, id est *in*, sæpe ponitur pro regimine genitivi.

ET SIMPLICITATE COMMUNICATIONIS IN ILLOS, ET IN OMNES. — *q. d.* Non solum in obedientia vestra glorificant Deum, sed etiam in eo quod vos simpliciter, id est tam candide et liberaliter, communicatis vestra bona ipsis, omnibusque aliis egentibus. Quid sit simplicitas, dixi cap. VIII, vers. 2 (1).

(1) Vers. 13 : Laudabunt enim Deum propter hoc munus (probatio hic est id, quod experientia facta cognoscitur), quod nempe (hac vestra liberalitate) obedientiam erga religionem publice declaraveritis, et quod sincere consentiatis (in religionis professione) cum iis (in quos liberales estis), et cum omnibus (aliis Christianis). —

14. ET IN IPSORUM OBSECRATIONE PRO VOBIS. Refer ad *glorificantes Deum*, *q. d.* Pauperes Hierosolymitani, qui vestram eleemosynam recipiunt, dum pro vobis orant et obsecrant, glorificant etiam Deum; sicque « dum gratiarum actio, ait S. Cyprianus, serm. *De Opere et Eleemosyna*, ad Deum pro eleemosynis pauperum oratione dirigitur, census operantis Dei retributione cumulatur. »

DESIDERANTIUM (refer ad *ipsorum*, nimirum pauperum Hierosolymitanorum) VOS, — scilicet videre, vobisque frui (2).

15. GRATIAS DEO SUPER INENARRABILI DONO EJUS, « Dono » scilicet charitatis et eleemosynæ vestræ, ex quo tam multa bona, totque Dei laudes undequaque redundant, ut merito dicatur inenarrabile. Vide Chrysostomum (3).

Multi tamen simplicitatem communicationis de *liberalitate ingenua et spontanea* explicant.

(2) Alii, « desiderantium, » id est *impense vos amantium*.

(3) Alioli per *donum* hic Christianismum intelligit.

CAPUT DECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, hoc capite et duobus sequentibus, Paulus pro suo Apostolatu apologiam texit contra pseudoapostolos, qui Paulum quasi vilem et abjectum deprimebant, eumque nimiæ severitatis, audaciæ et insolentiæ accusabant. Hic ergo docet Paulus arma sua non esse carnalia, sed spiritualia, eaque potentissima, utpote quibus tum omnes mundi munitiones, consilia et sapientiam prosternat, tum ulciscatur omnem inobedientiam.

Secundo, vers. 12, *pseudoapostolis se opponit, quod illi falso provincias a se obitas et conversas jactarent, cum ipse verissime plurimas obivisset et convertisset.*

1. Ipse autem ego Paulus obsecro vos per mansuetudinem et modestiam Christi, qui in facie quidem humilis sum inter vos, absens autem confido in vobis. 2. Rogo autem vos ne præsens audeam, per eam confidentiam qua existimor audere in quosdam, qui arbitrantur nos tanquam secundum carnem ambulemus. 3. In carne enim ambulantes, non secundum carnem militamus. 4. Nam arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, 5. et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi, 6. et in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam, cum impleta fuerit vestra obedientia. 7. Quæ secundum faciem sunt, videte. Si quis confidit sibi Christi se esse, hoc cogitet iterum apud se, quia sicut ipse Christi est, ita et nos. 8. Nam, et si amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra quam dedit nobis Dominus in ædificationem, et non in destructionem vestram : non erubescam. 9. Ut autem non existimer tanquam terrere vos per epistolas : 10. quoniam quidem epistolæ, inquiunt, graves sunt et fortes : præsentia autem corporis infirma, et sermo contemptibilis : 11. hoc cogitet qui ejusmodi est, quia quales sumus verbo per epistolas absentes, tales et præsentes in facto. 12. Non enim audemus inserere, aut comparare nos quibusdam, qui seipsos commendant; sed ipsi in nobis

nosmetipsos metientes et comparantes nosmetipsos nobis. 13. Nos autem non in immensum gloriabimur, sed secundum mensuram regulæ, qua mensus est nobis Deus mensuram pertingendi usque ad vos. 14. Non enim quasi non pertingentes ad vos, superextendimus nos : usque ad vos enim pervenimus in Evangelio Christi. 15. Non in immensum gloriantes alienis in laboribus : spem autem habentes crescentis fidei vestræ, in vobis magnificari secundum regulam nostram in abundantiam, 16. etiam in illa, quæ ultra vos sunt, evangelizare, non in aliena regula in iis quæ præparata sunt gloriari. 17. Qui autem gloriatur, in Domino glorietur. 18. Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.

AGIT CONTRA PSEUDOAPOSTOLOS (1).

Nota hos pseudoapostolos gloriæ Pauli invidisse, eamque elevare, et sua eloquentia, jactantia, calumniis obscurare voluisse. Hos fuisse Judæos patet cap. XI, vers. 22; fuisseque lucri et gloriæ avidos, jactabundos ac importunos homines, patet cap. XI, vers. 20; Christum prædicasse saltem in speciem, patet cap. XI, vers. 4; sed sensim occulte et subdole Judaismum voluisse inducere, et errores suos ac hæreses, patet cap. XI, vers. 3, 12, 13. Tales fuere Cerinthus, Ebion aliique judaizantes, qui Paulum quasi legis suæ apostatam diris sunt insectati. Unde et contra Cerinthum toto cap. XV, *epist.* I, resurrectionem fore demonstravit, ut ibi diximus.

Credibile ut Ebion Cerinthi Pauli adversarius.

Vers. 1.

1. IPSE AUTEM EGO PAULUS. — *q. d.* Hactenus aliorum, scilicet pauperum personam et negotium egi, jam meum ago, et ex meo affectu loquor.

OBSECRO VOS, — ut monita mea et jussa de recta et Christiana vita, quæ præscripsi quasi vester Apostolus, observetis.

Modestia et suavitas Pauli in objurgandis peccatoribus.

PER MODESTIAM (*ἐπιείκεια*, comitatem, lenitatem, humanitatem) CHRISTI. — Obsecrat per mansuetudinem et lenitatem Christi, ait Theophylactus, ut eam revereantur, ejusque reverentia et amore Paulum obsecrantem amanter audiant, excipiant, obediant. *Secundo*, ut significet se Christi mansuetudinem imitari, non severitatem, *q. d.* Non impero, cum ex Apostolatu id possem, sed obsecro per mansuetudinem Christi, quam imitor, et præme fero; Christus enim in corripiendis, docendis dirigendisque hominibus, miram ostendit patientiam, clementiam, modestiam, ut cum Matthæum, Magdalenam aliosque peccatores in gratiam recepit, omnem eis culpam et pœnam sine ullis verborum aut verborum asperitate benignissime condonavit.

(1) Incipit jam *tertia* pars hujus epistolæ. Paulus defendit suam agendi rationem et auctoritatem adversus adversarios aliquos, qui ipsi adhuc obtrectabant, epistolas ejus quidem severas esse concedentes, sed præsentem eum nihil valiturum, nec minis suis re ipsa satisfacturum, vers. 10. Primo igitur Paulus suam mansuetudinem defendit exemplo Christi; deinde ipsis illis amore et modestia plenis precibus confirmat, non mobilesentem

IN FACIE QUIDEM HUMILIS SUM (quando præsens sum, facie et specie externa humilis et abjectus videor, de quo vers. 10), ABSENS AUTEM CONFIDO IN VOBIS. — Græce θαρρῶ, liber et audax sum erga vos. Est mimesis; ita enim dicebant, ut vers. seq. colligitur, Pauli detractores pseudoapostoli : Quid tanti facitis Paulum? humilis est, vilis, abjectus homuncio inter vos; Apollo vero et alii longe plus habent gratiæ et eloquentiæ; ipse coram illo comparere non audet; illis comparatus, imperitus videtur et barbarus : quid ergo sibi arrogat, quid præsumit absens, cum tam minaces ad vos mittit litteras, cum ita arguit, imperat, objurgat, excommunicat? Sunt ergo hæc pseudoapostolorum verba, quæ usurpat, repetit et imitatur Paulus, *q. d.* Non sum tam imperiosus, tam audax, tam severus, tam minax, cum absens sum, ut ipsi me, mihi detrahentes, describunt : sed obsecro vos per mansuetudinem Christi. Simile vers. 9 et 10. Ita Chrysostomus.

2. ROGO AUTEM VOS (ut mea mo..ita amanter ac pie, ut vers. præced. obsecravi), NE PRÆSENS (quorumdam videns inobedientiam, rebellionem, contumaciam) AUDEAM (audacia ac potestate mea utar, eisque excommunicationem aliamve pœnam spiritualem infligam) PER EAM CONFIDENTIAM (id est libertatem) QUA EXISTIMOR AUDERE IN QUOSDAM, — hoc est, quam putant me insolentius in quosdam exercuisse. Ita Anselmus. Sed Theophylactus Græcum πεποίθησιν non passive, id est existimor, sed active accipit pro existimo, *q. d.* Cogito et in animum induco audere et audaster punire quosdam malevolos.

QUI ARBITRANTUR NOS TANQUAM SECUNDUM CARNEM AMBULEMUS, — tanquam carnaliter vivamus. *Secundo*, et genuine ad mentem Apostoli, tanquam carnalibus mediis, carnali scilicet, humanaque ac politica prudentia, industria, astutia utar, ut, cum non ausim præsens comparere, vel imperare, absens id faciam per audaces et minaces litteras.

Nota : Apostolus secundum carnem ambulare, militare, gloriari dicit eos, qui carnalium et politicorum hominum more animaliter vivunt, ambulant, gloriantur in specie et apparentia externa, in rebus et dotibus externis, videlicet in nobilitate, prosapia, eloquentia, gratia, prudentia, iisque quasi armis nituntur ad favorem et plausum hominum, ut omnes sibi concilient ac subjiciant; adversarios vero dejiciant, confundant, supplantent. Patet, quia armis hisce carnalibus opponit, vers. 4, spiritalia, id est internam ac spiritalem suam potestatem ac gratiam, quam a Christo accepit. Sic, cap. seq., vers. 18, ait pseudoapostolos gloriari « secundum carnem, » id est carnali, externa, humana nobilitate, prosapia, eloquentia, gratia, etc. Sic, cap. V, vers. 15 et 16, dixit se neminem, ne Christum quidem, nosse secundum carnem. Sic, cap. II, *epist.* I, animalem et carnalem philosophorum oratorumque sapientiam, Christi et Christianorum, ac maxime Apostolorum spiritali sapientiæ opponit. Sic, *ad Galatas* III, 3, ait : « Sic stulti estis, ut cum spiritu (id est spirituali doctrina et lege Christi) cœperitis, nunc carne (hoc est carnali circumcisione et lege Mosis) consummemini, » ait Chrysostomus.

Vers. 4. Quomodo arma militiæ carnalia?

4. NAM ARMA MILITIÆ NOSTRÆ NON CARNALIA SUNT, — *Carnalia* vocat, quæ serviunt militiæ aut vitæ carnali et corporali, ut honores, voluptates, potentia sæculi hujus; hisce enim non sunt usi Apostoli ut mundum expugnarent, Christoque subjiccrent. Vel potius, ut dixi, « arma carnalia » sunt artes, scientiæ, rationes, praxes humanæ, facundia, adulationes, jactantia, simulationes, affectata gravitas et prudentia, quibus mundi homines utuntur, ut apud suos sibi auctoritatem parent, et reverentiam conciliant; cum vera et seria auctoritas sit donum Dei, et non tam donis externis, vel assumpta gravitate, quam virtutis, prudentiæ et sanctimoniæ ostensione et opinione comparetur, ut Paulus et Apostoli sibi eam compararunt.

SED POTENTIA DEO, — valida et efficacia per Deum; et, ut Syrus, חילא *chaila*, id est virtus sunt Dei, quia Deus per ea potenter operatur in animis audientium, eosque ad fidem convertit, et prædicationem nostram persuadet, nobisque et Christo subjicit, et dicto audientes facit, ut quidquid volumus, dicimus, suademus, eis persuadeamus, et ab eis impetremus. Hæc arma, ait Anselmus, sunt *primo*, vehementia spiritus et zeli; *secundo*, efficacia prædicationis, ut Deus videatur verbis nostris pondus ac energiam indere et inflare; *tertio*, sapientia; *quarto*, comitas; *quinto*, sanctitas; *sexto*, miracula; *septimo*, crebra oratio; *octavo*, pura intentio; *nono*, patientia; *decimo*, charitas, scilicet cum vident homines nos innocentissimæ vitæ non opes eorum, non honores, sed salutem tantum quærere, idque tot laboribus, impendiis, afflictionibus, quotidiana morte et martyrio; eisque concionari tanto zelo, tanto ardore, ut omnes Christum agnoscant eumque et Patrem glorificent : hisce omnibus quasi telo efficacissimo in conscientia ferantur, penetrantur, vulnerantur, ut cedant credantque nostris dictis, doctrinis, concionibus. Hisce ergo armis vitia, diaboli regnum, totumque orbem expugnarunt Apostoli. Unde patet apostolatum et Evangelii prædicationem recte vocari militiam. De quo plura I *Timoth.* I, 18.

Arma Apostolorum quæ fuerint?

Diversitas inter arma Apostolorum et Pseudoapostolorum.

AD DESTRUCTIONEM MUNITIONUM. — *Munitiones* vocat omnes rationes, syllogismos, sophismata, eloquentiam, virtutes philosophicas, sæcularem potentiam, gratiam, amicitiam et quidquid Gentiles ac dæmones objecerunt et opposuerunt Apostolis et Evangelio. Ita Chrysostomus, Anselmus et alii.

Munitiones quæ Evangelium impedimenta sunt?

CONSILIA DESTRUENTES. — Quibus, scilicet armis, consilia destruimus : hoc enim duplici hebraismo sæpe utitur Apostolus. *Primo*, ut intelligat Hebræum relativum זוּ *ascher*, id est qui, quæ, quod, quibus, quos, etc. *Secundo*, ut participium ponat pro indicativo, « destruentes, » pro *destruimus*. Simile vidimus cap. IV, vers. 13, et hoc cap., vers. 5, 6, 12, 13. Vide *Can.* 29. Nisi quis referri velit ad *arma*, dicatque esse antiptosin, non casus, sed generis masculini pro neutro : « destruentes » pro destruentia, *q. d.* Arma nostra potentia sunt, et consilia destruentia. Verum *tertio*, facillime et planissime hæc referas ad vers. 3, « nos secundum carnem militamus, *q. d.* Militamus nos ipsi consilia destruentes, » hoc est destruendo, ut *ea nostra arma militiæ*, etc., usque ad *munitionum*, quasi per parenthesin inseratur, ad hoc, ut militiæ jam dicto arma explicet.

Nota : Pro *consilia* græce est λογισμοὺς. Quod Theophylactus vertit, *syllogismos*, et humanas Philosophorum rationes; Syrus et Erasmus, *cogitationes*; Noster, *consilia*, *q. d.* Nostris armis destruimus omnia prudentium hujus sæculi consilia, quibus Evangelium nostrum evertere, suum gentilissimum, suos doctores et philosophos statuere et stabilire, Christoque et nobis præferre moliuntur.

Deus me ultus est, quasi Ethnici Christi et Apostolos objecerunt.

5. ET OMNEM ALTITUDINEM, — omnem celsitudinem tum sapientiæ humanæ et philosophicæ, tum magiæ diabolicæ Simonis Magi et similium, tum nobilitatis et potentiæ, etiam regalis, vel imperialis. Nota : Duas has machinas quasi turres Ethnici Christo opposuerunt et Apostolis, consilia scilicet, et altitudinem, quarum illa, callida sua machinatione, arte, dolo; hæc sublimitate et robore suo videbatur inexpugnabilis : utraque tamen Apostolorum armis cessit et expugnata est.

EXTOLLENTEM SE ADVERSUS SCIENTIAM DEI. — « Scientiam, » græce γνῶσιν, id est cognitionem Dei, quam attulit et docuit Christus, quamque nos Christi Apostoli toto orbe docemus, fidem scilicet de Deo trino et uno, de Dei Filio ejusque incarnatione, morte, cruce, redemptione.

Hæc non semper objecerunt.

ET IN CAPTIVITATEM REDIGENTES. — Refer, quemadmodum et τὰ *consilia destruentes*, sic *militamus*,

Vers. 4. — **Ἀλλὰ δυνατὰ τῷ Θεῷ** vers. 4, *q. d.* Hac militia nostra vincimus et captivamus omnes hostes nostros. Græce αἰχμαλωτίζοντες πᾶν νόημα εἰς τὴν ὑπακοὴν τοῦ Χριστοῦ, id est, ut Syrus, *captivum ducimus omnem intellectum*, vel ad verbum, *omnem cogitationem ad obedientiam Christi*, ut scilicet omnis cogitatio, omnis intellectus quantumcumque in consiliis versutus, quantumcumque in sapientia altus et sublimis, quasi hostis nostris devictus armis, se dedat obediatque Evangelio Christi.

Arma Apostolorum quam fuerint efficaca ad omnium conversionem.

Nota : Per hoc quod dicit *omnem cogitationem, omnem intellectum*, non vult significare omnes philosophos, sapientes, potentes, qui prædicationem Apostolorum audiverunt, fuisse conversos : hoc enim falsum est ; sed quod arma Apostolorum fuerint tam potentia, ut quasvis cogitationes et rationes naturalis intellectus quantumvis artificiosas, quantumvis sublimes, fidei Christi subjicere potuerint, et de facto subjecerint in illis qui hæc arma experiuntur, et in cor ac mentem admiserunt, quique iis conversi sunt. Est ergo commoda acceptio, *omnem intellectum*, id est quemlibet intellectum, quantumvis validum ac sublimem, eorum scilicet, vel in iis, qui ex gentilismo ad christianismum traducti, ex infidelibus fideles facti sunt. Multi enim ex quolibet genere sapientum et oratorum prudentia et sapientia illustres Apostolicis armis captivati Christo credidere : quales fuerunt Dyonisius Areopagita, Clemens Romanus, Paulus Proconsul, Justinus Philosophus, Athenagoras et alii.

6. ET IN PROMPTU HABENTES ULCISCI OMNEM INOBEDIENTIAM. — Dixit Paulus arma sua potentia esse ad debellandum quosvis Ethnicos et sapientes Gentium; hic eadem potentia esse ostendit ad ulciscendum quosvis fideles inobedientes et hæreticos, *q. d.* Promptum quoque mihi est et facile ulcisci rebellium et pseudoapostolorum, qui mihi detrahunt, inobedientiam, scilicet eos excommunicando.

CUM IMPLETA FUERIT VESTRA OBEDIENTIA. — Nolo enim vos eadem pœna involvere ; malo ut vosipsi quæ corrigenda sunt, corrigatis, exspecto ut plena impleatis quod jussi ; eousque vindictam differo, donec vos plane correcti et obedientes sitis, tum denique in contumaces illos obtrectatores ostendam et exeram gladium excommunicationis, quem nonnisi in inobedientes et præviis monitionibus rebelles et contumaces exerendum esse, hinc docent Doctores.

7. QUÆ SECUNDUM FACIEM SUNT, VIDETE, — videte quæ aperte et manifeste sunt vera vestrisque oculis evidenter subjecta, me scilicet non tantum esse Christi discipulum, sed et Apostolum cum tanta gratiæ efficacia ac potestate, quantam ipsi oculis vestris videtis. Ita Anselmus. Est catachresis : nam quæ in facie videntur, clare videntur ; homines enim per faciem dignoscuntur (1).

8. DE POTESTATE (ulciscendi, puniendi et excommunicandi) QUAM DEDIT NOBIS DOMINUS IN ÆDIFICATIONEM. — Hinc Concilium Tridentinum, sess. XXV, cap. III, monet gladium excommunicationis sobrie et caute ad ædificationem esse exerendum ; alias enim videmus eum magis contemni quam formidari, et perniciem parare potius quam salutem, non excommunicati modo, verum etiam aliorum fidelium totiusque Ecclesiæ (2).

Vim excommunicationis ad hos coercendos.

10. QUONIAM QUIDEM, INQUIUNT (mei obtrectatores et pseudoapostoli), EPISTOLÆ (quas ad vos scribit Paulus, o Corinthii) GRAVES SUNT ET FORTES (hoc est duræ et acres, severæ et minaces) : PRÆSENTIA AUTEM (græce ergo legendum παρουσία non παῤῥησία, id est *libertas*, ut habent Regia) CORPORIS INFIRMA, — vilis, abjecta, pusilla, contracta. Staturam et figuram Pauli ita Nicephorus, lib. II, cap. XXXVII, ex traditione et priscis imaginibus describit : « Paulus, ait, corpore erat parvo et contracto, atque incurvo, et paululum inflexo, facie candida, annosque plures præ se ferente, capite medico : oculis multa inerat gratia, supercilia deorsum versus vergebant, nasus pulchre inflexus, idemque longior, barba densior et satis promissa, eaque non minus, quam capitis coma canis erat respersa. » Unde patet, Paulum parvo et abjecto corpore fuisse. Hinc et Chrysostomus, hom. *De Princip. Apost.*, tom. V : « Paulus, ait, tricubitalis est, et cœlos transcendit. » Lucianus insuper Paulum quasi recalvastrum ridet in *Philopatre*.

Pauli statura, habitus et species.

ET SERMO CONTEMPTIBILIS, — rudis, inconcinnus, inelegans. Vide dicta *epist.* I, cap. I, vers. 1 et 4.

11. HOC COGITET QUI EJUSMODI EST (obtrectator, qui jactat de me : « Epistolæ Pauli graves sunt et fortes : præsentia autem corporis infirma ; » cogitet hoc), QUIA (id est *quod*) QUALIS SUM VERBO PER EPISTOLAS ABSENS, TALIS SUM ET PRÆSENS IN FACTO.

12. NON ENIM AUDEMUS INSERERE (id est annumerare) AUT COMPARARE NOS QUIBUSDAM, QUI SEIPSOS COMMENDANT (pseudoapostolis, qui se suaque supra veritatem extollunt, *q. d.* Non ea jacto, quæ non habeo, ut ipsi) ; SED METIENTES, ET COMPARANTES NOSMETIPSOS NOBIS, — id est metior me meo pede, meis dotibus, et Dei donis, rebusque a me per Dei gratiam gestis, ait Photius ; illis me comparo, confero et adæquo, ut non amplius mihi arrogem quam revera a Deo acceperim et gesserim. Pro *non enim audemus*, græce est οὐ γὰρ τολμῶμεν, quod Maldonatus in *Notis* vertit, *nihil audacter*, aut *arroganter facimus*, dum nos cum illis comparamus, qui sese magnopere commendant. Verum magis apte et magis proprie vertit Noster, *non enim audemus inserere*, etc.

Est ironia, et primum quasi scomma in pseudoapostolos. Elevabant illi Pauli dicta et facta, quasi in eo nihil esset grande præter epistolas, quæ nescio quid magniloquum spirarent ; sed cum ad rem ventum esset, ne præsens compararet Paulus, sermone, vultu, forma nihil illo esse abjectius : se in hac parte illi longe præstare. Ergo, inquit Paulus, fastum illorum ridens, non ausim ego homuncio istos inter gigantes comparere, eis me inserere, nedum me cum illis comparare : sed nimirum falso se tantos jactitant ; ego vero de me quidquid prædico, vere prædico, meque mea magnitudine, mea gratia et factis, quæ vere gessi, metior.

Paulus externa gratiæ humilis, sed universitate magna.

Nota : Græca addunt οὐ συνιᾶσιν, *non intelligunt*, Unde Syrus, Vatablus et alii hæc non de Paulo, sed de pseudoapostolis accipiunt, ut sit hyperbaton, quod, οὐ συνιᾶσιν præponendo, sic ordinant et vertunt : pseudoapostoli seipsos commendant, sed non intelligunt quod seipsi seipsis metiantur, et se sibi comparent, *q. d.* Ineptе ipsi se attollunt, et gigantes faciunt ; nam perinde faciunt ac si quis sese non externa aliqua mensura (puta ulna), sed seipso vellet metiri : ut si quis pumilio jactet se gigantem esse, nec aliam jactantiæ suæ causam rationemve adferat, quam quod ita sit, ita asserat, ita sibi persuadeat. Unde Photius supplet : Non intelligunt, quam scilicet omnibus sint ridiculi ; vel, ut S. Augustinus, in *Psal.* XXXIV, « non intelligunt, » ea scilicet, quæ loquuntur, quæ affirmant, quæ jactant.

Vers. 13. — Antithesis Pauli et pseudoapostolorum.

13. NOS AUTEM NON IN IMMENSUM GLORIABIMUR. (Est secundum scomma et antithesis Pauli et pseudoapostolorum : pseudoapostoli in immensum se suaque jactant, adeoque, ait Theophylactus, se usque ad fines orbis evangelizasse ; sed falsissime jactant. Ego autem glorior, non falso, non in immensum), SED SECUNDUM MENSURAM REGULÆ, QUA MENSUS EST NOBIS DEUS (id est, ego me vera mensura ac regula metior, donorum videlicet et provinciarum, quam mihi sua designatione quasi mensoria regula admensus est et attribuit Deus : *mensura*, inquam, vel *secundum*) MENSURAM PERTINGENDI USQUE AD VOS, — id est evangelizandi a Judæa per interjacentes omnes provincias, Corinthum usque, *q. d.* Glorior, et vere glorior, de mea mensura ac magnitudine, id est multitudine provinciarum, quas Christo et Ecclesiæ adjeci, quod scilicet a Judæa Corinthum usque me meamque prædicationem extenderim. Sicut ergo gloriantur principes, si longissime latissimeque imperium propagaverint ; ita Christi doctor Paulus gloriatur, quod eousque principis sui ditionem propagaverit, sperans fore, ut longius etiam imperium proferat.

Mensura quarumdam habet significationes.

Nota : Regulam hic intelligit mensuram qua limites agrorum et locorum mensurant geometræ, ut dicam vers. 16. Mensura vero significat, *primo*, illud quo quippiam metimur, uti est regula, ulna, cubitus, pes, etc. *Secundo*, significat hujus mensuræ mensurantis quantitatem : alia enim est mensura, id est quantitas ulnæ, alia cubiti. *Tertio*, ipsam mensurandi actionem. *Quarto*, ipsum mensuratum, seu id quod per mensuram nobis admensum est, ut cum modium frumenti, jugerum terræ, id est, frumentum ad modium, terram ad jugerum admensam, frumenti et terræ certam mensuram vocamus. Hic tribus ultimis modis accipi potest, sed optime in secunda acceptione.

14. NON ENIM QUASI NON PERTINGENTES AD VOS, SUPEREXTENDIMUS NOS. — Est tertium scomma et sales, quibus pseudoapostolos aspergit. Ipsi, inquit, se extendunt et superextendunt suis verbis et bombis, sed age, in re quid afferunt? quos convertunt? quas urbes, quas provincias obiverunt? nullas sane, cum e patria et vestris finibus nunquam excesserint. Forte vos Corinthios ad fidem et Ecclesiam adduxerunt? Atqui vos non illorum, sed meum opus estis in Domino ; vos ego cepi, vos debellavi ; vos mea sors, mea possessio estis mihi a Domino attributa ; de vobis reliquisque provinciis, Judæam usque, a me subactis triumphare possum ; et sicut Imperatores gentium bello domitarum nomina sibi assumebant, verbi gratia, ut P. Scipio diceretur Africanus, L. Scipio Asiaticus : ita et ego Paulus dici possum Corinthiacus, Achaicus, Macedonicus, Thracicus, Asiaticus, etc.

Paulus meritis Corinthiacus, Achaicus, Macedonicus, Thracicus, Asiaticus aliisque potest. Vers. 15.

IN EVANGELIO — prædicando, et, ut Anselmus, propagando.

15. NON IN IMMENSUM. — Græcum τὰ ἄμετρα, et immensum significat, et ea quæ non sunt nostræ mensuræ, regiones scilicet, quas Deus nostræ prædicationi non destinavit nec admensus est. Rursum notat pseudoapostolos, qui falso gloriabantur de regionibus multis a se obitis et conversis.

Nunquam hæretici zelo Evangelii et martyrii fidelibus adversati.

GLORIANTES IN ALIENIS LABORIBUS. — Est quartum scomma in pseudoapostolos, qui Corinthi, ubi Apostolus fundamenta fidei jecerat, subintrarunt in ejus labores. Ita Chrysostomus. Sic notant Doctores, quod hæretici nunquam zelo Evangelii et martyrii infideles adierint, eosque primo ad hæresim converterint, sed tantum fideles, eosque perverterint.

Dices : Valens imperator, Gothis cupientibus ad christianismum converti, submisit Arianos Episcopos, qui eos Arianos fecerunt, testo Freculpho, tom. II, lib. IV, cap. XX.

Respondeo : Verum est, sed ipsi Ariani sua sponte Gothicam barbariem non adierunt zelo fidei, ut Apostolorum more in fame, siti, persecutionibus, mortibus fidem plantarent : vocati enim a Gothis volentibus Valenti imperatori Ariano reconciliari, venerunt : nulla autem difficultas est volentibus venenum instillare. Adde, Gothos plerosque antea orthodoxos fuisse, sed ab Ulphila suo Apostolo ab Arianis decepto, pariter deceptos et ipsos, factosque Arianos, ut expresse docet Theodoretus, lib. IV *Hist.*, cap. ult.

SPEM AUTEM HABENTES CRESCENTIS FIDEI VESTRÆ.

(1) Gr. Græco : Adeone illa tantum quæ foris sunt, id est, apud homines valent, revelata?

(2) « Non erubescam, » id est non deprehendar vanus, vel mendax.

— Spero quod, cum fides vestra crescet, me ulterius non egebitis, quodque per vos aditus mihi fiet ad vicinas gentes, ut possim ulterius evangelizare, et superextendere me meamque prædicationem. Ita Chrysostomus.

IN VOBIS MAGNIFICARI, — ut per vos majorem laudem et meritum apud Deum consequar. Unde Gagneius vertit : Spero, crescente fide vestra, nos non parum ex vobis magnificatum iri, et spero in illis etiam regionibus, quæ ultra vos sunt, prædicare ac multam inde reportare gloriam. Tunc enim magni fit præceptor, ait Theophylactus, cum discipuli proficiunt et in sapientia crescunt.

Secundo, et aptius, refer « magnificari » ad sequentia, « secundum regulam nostram in abundantiam, » *q. d.* Spero per vos in fide crescentes magnificari secundum regulam nostram, id est majorem facere et extendere regulam nostram, puta fines et terminos apostolatus mei ultra vos in vicinos vestros; ut scilicet illi videntes vestram fidem, sanctimoniam, gratiam, provocati vestro exemplo avide me expetant, et Evangelium excipiant.

Unde Græca sic habent : Ἐλπίδα δὲ ἔχοντες αὐξανομένης τῆς πίστεως ὑμῶν ἐν ὑμῖν περισσευθῆναι κατὰ τὸν κανόνα ἡμῶν εἰς περισσείαν, quæ clarius sic verti possunt, *spem habentes fore, ut crescente fide vestra in vobis amplior* (hoc est, amplius et ulterius me extendam) *in assignata mea mensura et regula in abundantiam* (hoc est, admodum), ad evangelizandum iis regionibus, quæ ultra vos sunt.

Ubi nota : « Regulam, » ut dixi, vocat regiones sibi sorte prædicationi adictas, et quasi ad regulam admensas a Deo : unique enim Apostolo suus Deus in orbe provincias quasi ad mensuram divisérat attribueratque. Adeoque sicut duodecim tribubus, et filiis Jacob partitus erat olim certis finibus et mensuris terram sanctam; quo de re dicitur *Psalm.* LXXVII, 54 : « Sorte divisit eis terram in funiculo distributionis : » ita pariter eorum antitypo duodecim Apostolis divisérat quasi per mensuram totum orbem terrarum, ut eum sibi et Christo subjugarent. Ita Thomas Indiam, Andreas Achaiam, Joannes Asiam, alii alias provincias subjecerunt Evangelio.

Sicut olim Deus duodecim tribubus partitus est terram sanctam, Israelem quasi duodecim Apostolis.

IN ABUNDANTIAM. — Id est abunde, ut scilicet amplius semper et ulterius regulam et terminos Evangelii proferret, *q. d.* Necdum mihi certum terminum provinciarum constitui, nec Deus ipse præstituit, sed ulteriora semper specto et molior.

Vers. 16. 16. ETIAM IN ILLA QUÆ ULTRA VOS SUNT (εἰς τὰ ὑπερέκεινα ὑμῶν, quæ ulteriora sunt vobis, « quæ ultra vos sunt, » id est longius in alias gentes ac populos), EVANGELIZARE, — spero. Hæc enim referenda sunt ad *eo spem habentes*.

NON IN ALIENA REGULA, — non attingo limites et terminos, id est provincias et plagas, quæ admensæ sunt et assignatæ, vel occupatæ ab aliis Apostolis, ut in ea quæ ab aliis « præparata sunt, » subintrem, et sic de alienis laboribus quasi meis glorier : « præparata » enim vocat regiones ab aliis præparatas et excultas prædicatione Evangelii ad ferendum fructum, *q. d.* Nolo aliorum novalia excolere, sed prius mea ipse novalia facio, deinde excolo, ipse primus ubique fidem planto et prædico, *Rom.* XV, 20.

Nota : Κανόνα Græci vocant regulam mensoriam, qua geometræ et agrimensores agros dimetiuntur; ita hic Apostolus regulam suam vocat omnes suas regiones, seu quidquid terrarum Deus velut ad regulam illi admensus erat, ut totum illud spatium excoloret, sereret verbo Dei, susque prædicationi et Christo adjiceret. *Secundo*, hanc regulam et mensuram in dies protendebat Apostolus, cupiens ubique prædicare, « quasi ad possessionem terrarum et opimam hereditatem accessisset, ait Chrysostomus, et tanquam fabricator, ait Theophylactus, orbis terrarum esset Paulus, ut illum sua regula dimetiretur, et ad suam regulam ædificaret. » Græcum enim κανὼν etiam regulam significat, ad quam architecti muros, trabes et opus suum exigunt et metiuntur, atque talem regulam hic intellexit Theophylactus : magis tamen genuine videtur ad regulam agrimensorum Paulus alludere, ut dixi.

Canon regula mensoria quem admodum terram.

17. QUI AUTEM GLORIATUR, IN DOMINO GLORIETUR. « In Domino, » id est in veritate, et eorum Domino. *Secundo*, et melius, « glorietur in Domino, » id est, cum illa gloria illi fuerit a Domino delata et approbata. Subdit enim rationem : « Non enim qui se ipsum commendat, » sua falso jactando, ut faciunt pseudoapostoli, « ille probatus est, sed quem Deus commendat, » id est commendabilem fecit et ostendit ex miris, quæ per eum operatur. Hic sensus est geminus : opponit enim hæc duo, gloriari in se, et gloriari in Domino. Gloriari in se, est seipsum commendare; in Domino autem gloriari, est a Domino commendari, et in Domini commendatione gloriari. Unde tamen consequenter *tertio*, sequitur, ut qui vere gloriatur, non in se, sed in Domino glorietur, illi scilicet, cujus dona sunt, omnia accepta ferendo, illi omnem gloriam dando, et ad illius laudem et gloriam omnia dirigendo. Ita Chrysostomus.

Nota : his verbis ostendit ubi, quando, qua in re sit gloriandum; simul tamen *secundo*, amolitur a se Apostolus ostentationis et vanæ gloriæ cupidinem, *q. d.* Hanc tam ampla et speciosa de me dico, non quod in me rebusque meis, sed quod in Domino gloriari velim, a quo omnem gloriam et gloriæ materiam accepi. Vide dicta I *ad Corinthios*, I, 31.

Moraliter : Disce hic veram laudem et gloriam non esse nisi apud Deum, eamque omni humanæ longe præstare. Nam *primo*, laus et gloria hominum et parva est et exilis. Quid enim sunt homines nisi culices terræ? Gloria vero Dei immensa est, quia ipse immensus est. *Secundo*, gloria hominum externa est et in speciem tantum : intus enim inanis est et evanida; gloria vero Dei interna est et solida : hinc animam replet et satiat. *Tertio*, gloria hominum infida est, fucata et larvata : laudant multi te in facie, a tergo irrident te. Gloria Dei fidelis est et sincera. *Quarto*, gloria hominum instabilis est, et minima rumoris aura mutatur quasi arundo. Qui hodie te laudant, cras vituperabunt; qui hodie tibi applaudunt, cras subsannabunt. Gloria vero Dei stabilis est et constans. *Quinto*, gloria hominum brevis est et momentanea, laudant te mortales cras morituri, et cum morientibus morietur laus tua. Ubi sunt laudes Cæsaris, Pompeii, Augusti? Transierunt, ut fumus evanuerunt. Laus vero Dei perpetua est et æterna. Deus coram sanctis angelis et Beatis in omnem æternitatem laudabit te, quod vanam mundi gloriam contempseris, quod veram et perennem apud Deum consectatus sis. *Sexto*, gloria hominum manca est, mutila et mixta. Qui enim laudatur ab his, culpatur ab illis. Quot enim sunt homines, tot sunt sensus, tot judicia. Gloria vero Dei integra est, omnimoda et perfecta. Quem enim Deus laudat, hunc omnes cœlites laudant. *Septimo*, gloria hominum erronea est et mendax. Homines enim glorificant nobiles, divites, potentes, imo sæpe scurras, sceleratos et tyrannos. Gloria vero Dei verissima est et certissima : Deus enim non laudat nisi vera sapientia et virtute præditum. Rursum gloriantur homines in seipsis, in sua prudentia, virtute, fortitudine, quæ nullæ sunt; ac proinde gloriantur in falso, in eo quod est nihil, quod non est; gloria vero Dei, est in Deo, cujus omne est bonum, et a quo omnia in nos dimanant, gloriari, ac dicere : Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam : in te laudabimur tota die. *Octavo*, gloria hominum consistit in ore laudantium, nihilque tibi confert, nihil boni imprimit : quare non est in te, sed in glorificante : sicut honor non est in honorato, sed in honorante. Gloria vero Dei est in Deo et in te : est enim efficax et fœcunda. Nam beat te in animo lumine gloriæ, et in corpore dotibus gloriosis, adeoque Deus Beatis ipsissimam suam gloriam divinam et increatam fruendam et possidendam communicat. O cœci et insensati

filii Adæ, natura avidi laudis, creati et nati ad gloriam, sed fumos et umbras gloriæ sectamini? quid gloriam non veram, sed falsam et fallacem captatis? quid ambitis, quid quæritis gloriam ubi ipsa non est? quæritis eam in terra : ipsa non est in terra, sed in cœlo; quæritis eam apud homines : ipsa non est apud homines, sed apud Deum et angelos; quæritis eam in tempore et sæculo : ipsa non est in tempore, sed in æternitate. Tu ergo, o Domine, es gloria mea, tu exultatio cordis mei : in te gloriabor et exultabo tota die : pro me autem nihil nisi in infirmitatibus meis. Quærant Judæi, quærant mundani gloriam quæ ab invicem est : ego hanc requiram quæ a solo Deo est. Omnis enim gloria humana, omnis honor temporalis, omnis altitudo mundana æternæ tuæ gloriæ comparata, vanitas est, stultitia est, vituperium est. O veritas mea, misericordia mea, gloria mea, Deus meus, Trinitas beata, tibi soli laus, decus et gloria; tibi soli benedictio, claritas, sapientia et gratiarum actio; tibi Deo nostro honor, virtus et fortitudo in sæcula sæculorum, Amen.

Vers. 18. 18. NON ENIM QUI SEIPSUM COMMENDAT, ILLE PROBATUS EST : SED QUEM DEUS COMMENDAT. — Dices : Quomodo ergo Sancti subinde seipsos commendarunt? ut Ezechias, *Isaiæ* XXXVIII, 3 : « Obsecro, inquit, Domine, memento, queso, quomodo ambulaverim coram te in veritate, et in corde perfecto, et quod bonum est in oculis tuis fecerim. » Et S. Paulus, cap. sequent. sua enarrans præclare gesta, seipsum commendat. Et II *Tim.* IV, 7 : « Bonum, inquit, certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi : in reliquo reposita est mihi corona justitiæ. »

Quo fine et quare aliqui Sancti se laudaverint?

Respondeo : Hi quidem seipsos commendant; sed omnem commendationem in Deum denique gratiam quasi primam causam tacite simul referunt, dicuntque : « Gratia Dei sum id quod sum. » *Secundo*, hæc ipsorum sui commendatio non ab ipsismet, sed a Spiritu Sancto, qui per os illorum loquebatur, manabat, eisque suggerebatur. Sic enim Spiritus Sanctus singulis scriptoribus Sacræ Scripturæ ea quæ scriberent, suggessit.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CAPUT UNDECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, ostenso suo erga Corinthios amore, pergit suum apostolatum contra pseudoapostolos tueri, vers. 5; quod ipsi nihil majoris spiritus vel doctrinæ Christianæ afferant, quam Paulus tradiderit.

Secundo, vers. 7, quod ipsi pro lucro, Paulus gratis evangelizaverit.

Tertio, vers. 22, quod æque ut illi, Hebræus sit, et plusquam illi minister Christi. Unde apostolatus sui insignia recenset, labores scilicet pro Christo, persecutiones, pericula, plagas, passiones, sollicitudines et curas pro Ecclesiis omnibus, in iisque gloriatur.

1. Utinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ, sed et supportate me. 2. Æmulor enim vos Dei æmulatione. Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo. 3. Timeo autem, ne, sicut serpens Hevam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri, et excidant a simplicitate, quæ est in Christo. 4. Nam si is, qui venit, alium Christum prædicat, quem non prædicavimus; aut alium spiritum accipitis, quem non accepistis; aut aliud Evangelium, quod non recepistis : recte pateremini. 5. Existimo enim nihil me minus fecisse a magnis Apostolis. 6. Nam etsi imperitus sermone, sed non scientia. In omnibus autem manifestati sumus vobis. 7. Aut numquid peccatum feci, meipsum humilians, ut vos exaltemini, quoniam gratis Evangelium Dei evangelizavi vobis? 8. Alias Ecclesias expoliavi, accipiens stipendium ad ministerium vestrum. 9. Et cum essem apud vos et egerem, nulli onerosus fui : nam quod mihi deerat, suppleverunt fratres qui venerunt a Macedonia : et in omnibus sine onere me vobis servavi, et servabo. 10. Est veritas Christi in me, quoniam hæc gloriatio non infringetur in me in regionibus Achaiæ. 11. Quare? quia non diligo vos? Deus scit. 12. Quod autem facio, et faciam : ut amputem occasionem eorum, qui volunt occasionem, ut in quo gloriantur, inveniantur sicut et nos. 13. Nam ejusmodi pseudoapostoli sunt operarii subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi. 14. Et non mirum : ipse enim Satanas transfigurat se in angelum lucis. 15. Non est ergo magnum, si ministri ejus transfigurentur velut ministri justitiæ : quorum finis erit secundum opera ipsorum. 16. Iterum dico (ne quis me putet insipientem esse; alioquin velut insipientem accipite me, ut et ego modicum quid glorier) : 17. Quod loquor, non loquor secundum Deum, sed quasi in insipientia, in hac substantia gloriæ. 18. Quoniam multi gloriantur secundum carnem, et ego gloriabor. 19. Libenter enim suffertis insipientes, cum sitis ipsi sapientes. 20. Sustinetis enim si quis vos in servitutem redigit, si quis devorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos cædit. 21. Secundum ignobilitatem dico, quasi nos infirmi fuerimus in hac parte. In quo quis audet (in insipientia dico), audeo et ego : 22. Hebræi sunt, et ego : Israelitæ sunt, et ego : Semen Abrahæ sunt, et ego : 23. Ministri Christi sunt (ut minus sapiens dico), plus ego : in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. 24. A Judæis quinquies quadragenas, una minus, accepi. 25. Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte et die in profundo maris fui, 26. in itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in civitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus : 27. in labore et ærumna, in vigiliis multis, in fame et siti, in jejuniis multis, in frigore et nuditate, 28. præter illa, quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum. 29. Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non

uror? 30. Si gloriari oportet : quæ infirmitatis meæ sunt, gloriabor. 31. Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui est benedictus in sæcula, scit quod non mentior. 32. Damasci præpositus Gentis Aretæ regis custodiebat civitatem Damascenorum ut me comprehenderet : 33. et per fenestram in sporta dimissus sum per murum, et sic effugi manus ejus.

1. UTINAM SUSTINERETIS MODICUM QUID INSIPIENTIÆ MEÆ, — id est gloriationis, quæ videtur esse insipientia; ego tamen sapientissime eam usurpo ex zelo, ut Evangelium meum et fidem apud vos tuear contra pseudoapostolos. Ita Anselmus et Chrysostomus. Est præoccupatio; se enim laudaturus, præoccupat et excusat, ne vanus vel ambitiosus videatur. Græca habent, ἀνείχεσθέ μου μικρόν τι ἀφροσύνης, ἀλλὰ καὶ ἀνέχεσθέ μου, id est, *utinam sustinuissetis*, vel *tolerassetis me paulisper in imprudentia! imo et suffertis*, sive *toleratis me*; ἀνέχεσθε enim hic potius videtur esse indicativi modi quam imperativi. Corrigit enim id quod dixerat : Utinam sustineretis, vel sustinuissetis me: imo, inquit, sustinetis me, et quod opto factum, idipsum facitis.

Quomodo Paulus seipsum laudet? Paulus hic seipsum laudare incipiens, iterum iterumque resilit, ac ter se excusat. *Primo*, cum ait : « Utinam sustineretis! » *Secundo*, cum vocat se insipientem. *Tertio*, cum subdit, « sed et supportate me, æmulor enim vos : » idque ut ostendat quantam sibi vim inferat, cum ad laudes suas descendit. « Sicut, inquit Chrysostomus, equus præcipitium aliquod præruptumque clivum transiturus se colligit, quasi hunc uno saltu exsuperaturus; verum profundum despiciens hiatum obstupescit; deinde equite urgente rursum aggreditur, necessitatemque et vim judicans subsistit aliquandiu, tandem resumpto animo se ultro fidenter adigit : sic et Paulus quasi se daturus in præceps in laudum suarum recitatione, semel, iterum ac tertio retrocedit, ac tandem adigit se ad suas laudes (1). »

2. ÆMULOR ENIM VOS DEI ÆMULATIONE. — Græce ζηλῶ, zelor, zelotypus sum erga vos zelo Dei, *q. d.* Non patior æmulos pseudoapostolos, qui vos quasi virginem mecum ambiunt. Appellat enim Paulus zelum, ingentem et immodicum quemdam amorem : quasi ambiat, ut apud Corinthios in amore et zelo sit primus, nec quisquam sibi in eo præferatur. Unde Maldonatus in *Notis manusc.* vertit, *zelotypia laboro*.

Notat Chrysostomus *æmulationem*, id est zelum, *Dei* dici, *q. d.* Non ambio mihi hanc sponsam, sed Christo et Deo; non meæ gloriæ, commodis, lucris, sed Christi, omnia hæc adorno : Christus enim sponsus est, ego tantum sponso ductor et paranymphus.

DESPONDI ENIM VOS UNI VIRO, — ἁρμοσάμην, id est *aptavi*, ut legit Augustinus, lib. II *De Gen. contra Manichæos*; Ambrosius, *paravi*; Theophylactus, *agglutinavi*; ἁρμόζειν enim est apte et concinne applicare et connectere, exempli causa, ea quæ glutino, vel ferrumine committuntur. Potest ergo ἁρμοσάμην verti, primo, *conciliavi*; secundo, *despondi*; tertio, *connubio junxi*. Hæc enim sunt tria munia paranymphi et pronubi : *primo*, ut virginem conciliet illi sponso, cui eam in matrimonium dare satagit; *secundo*, ut illi despondendam curet; *tertio*, ut desponsam matrimonio jungat. Noster optime vertit, *despondi*, quia sequitur, *ut exhibeam*, scilicet in matrimonio, cum nuptiæ celebrabuntur, *virginem castam*, *q. d.* Ego quasi paranymphus spiritualium nuptiarum mea prædicatione, « despondi vos uni viro, » scilicet Christo, et despondendo persuasi « exhiberi, » id est, ut vos exhibeatis Christo quasi sponsam virginem. Vel potius, ut Anselmus et Theophylactus, per fidem, baptismum, Christianismum jam despondi vos Christo, ut ego ipse vos exhibeam in die judicii virgines, id est integros fide, spe et charitate nuptiali thalamo gloriæ Christi.

In hac vita sponsalia agi, thalamum in futura, quando Ecclesia sponsa, id est electi omnes, ad Agni nuptias et regnum æternum inducentur, *Apoc.* XXI, 2.

Adverte : Ecclesia Corinthiorum, et quævis anima est quasi virgo et sponsa Christi sponsi, cujus paranymphus est Paulus. Unde Christi ipsius sponsi zelotypiam in se transferi, nec patitur Christo sponsam surripi, et pseudosponsis, falsis apostolis et hæreticis violandam tradi; sunt enim sinceri Apostoli et prædicatores, quasi Ecclesiæ et Christi paranymphi, *Joan.* III, 29. Sicut e contrario pseudoprædicones sunt lenones Satanæ.

Hæretici sunt lenones Satanæ.

Est hic locus de virginis, id est Ecclesiæ, et animæ cujusque fidelis desponsatione illustris, maximæque consolationis, et a plerisque Patribus egregie pertractatus, quique etiamnum sæpe usuvenit, et in cathedris pulpitisque pertractatur. Ut ergo genuine et plene intelligatur, hic paulo fusius explicandus est. Unde nota *primo* : Desponsatio hæc fit per fidem, spem aliasque virtutes. Nam, ut ait S. Augustinus, tract. 13 *in Joan.*, tom. IX : « Virginitas mentis est integra fides, solida spes, sincera charitas. » Contra meretrix et adultera fit anima, cum infidelitati, peccatis, suggestionibus et voluntati dæmonis consentit. « Si

Anima quando fiat adultera?

(1) *Insipientiam* Paulus vocat extortam sibi apologiam, ideo quod speciem quamdam insipientiæ habeat apud eos, qui rem penitus non inspiciunt cum suis circumstantiis. Reprehendit simul stolliditatem adversariorum apud lectores, qui scientiam immoderate istos novos doctores gloriari.

ergo, inquit Origenes, hom. 12 *in Levit.*, cap. II, susceperis, o homo, in cubili animæ tuæ adulterum diabolum, meretricata est anima tua cum diabolo. Si spiritus iræ, si invidiæ, si superbiæ, si impudicitiæ, ingressus fuerit ad animam tuam, et receperis eum, et consenseris ei loquenti, et in corde tuo delectatus fueris his quæ tibi secundum suam mentem suggerit, meretricatus es cum eo. »

Bona Christi et animæ desponsatæ sunt communia.

Nota *secundo*. Hæc desponsatio communia facit utriusque conjugis bona, adeoque bona Christi sponsi immensa communicat sponsæ, scilicet Ecclesiæ et cuique animæ fideli. Hinc quia sponsus est rex, sponsam animam, sive serva, sive vilis et pauper sit, facit reginam. « De qua, inquit Basilius, lib. *De Vera Virg.*, dicitur *Ps.* XLIV : Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate. Quare quæ nunc pannoso vestitu, ac servili habitu vilis putatur, in regno cœlorum regina, et nobilis regi astans reperitur. Contemnat igitur quidquid oculis apparet, et nuda mente, amore sponsi satietur, totas vires suas proprii sponsi ancillas faciens, et in nulla parte oportet virginem adulteram esse : non lingua, non auribus, non oculo, non alio omnino sensu, imo neque cogitatione; sed corpus quidem velut templum quoddam aut thalamum sponsi habeat præparatum : non enim latet aliqua adulterans illius conspectum, de quo dicitur *Psal.* XCIII : Qui plantavit aurem, non audiet; aut qui finxit oculum, non considerat? »

Sponsi Christi electio, dignitas et gloria.

Et Bernardus, serm. 2 *Dom. I post Epiph., primo*, hujus sponsæ electionem, dignitatem et gloriam ita describit : « Propter æthiopissam istam Filius Dei de longinquo venit, ut sibi desponsaret illam. Moses quidem æthiopissam duxit uxorem, sed non potuit ejus mutare colorem : Christus vero quam adamavit ignobilem adhuc et fœdam, gloriosam sibi exhibuit Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam. Unde tibi, o humana anima, unde tibi hoc? unde tam inæstimabilis gloria, ut ejus sponsa mercaris esse, in quem desiderant angeli prospicere? Unde tibi hoc, ut ipse sit sponsus tuus, cujus pulchritudinem sol et luna miranturi, ad cujus nutum universa mutantur? »

Sponsi obligatio ad amorem et gratiarum actionem.

Secundo, sponsæ obligationem ad gratiarum actionem et amorem reciprocum ita prosequitur : « Quid retribues Domino pro omnibus quæ retribuit tibi, ut sis socia mensæ, socia regni, et socia thalami, ut introducat te rex in cubiculum suum? Vide quibus brachiis vicariæ charitatis redamandus et amplectendus sit, qui tanti te æstimavit, imo qui tanti te fecit. Desere carnales affectus, sæculares mores dedisce, consuetudines noxias obliviscere : quid enim putas? nonne stat angelus Domini, qui secet te mediam, si forte (quod avertat ipse) alterum admiseris amatorem? »

Harum nuptiarum prandium et cœnam ita distinguit : « Jam enim desponsata es illi, jam nuptiarum prandium celebratur; nam cœna quidem in cœlo paratur, sed ibi vinum non deficiet : inebriabimur enim ibi ab ubertate domus Dei, et torrente voluptatis ejus potabimur. Paratum est profecto illis nuptiis flumen vini, vini inquam, quod lætificat cor, siquidem fluminis impetus lætificat civitatem Dei. »

Pulsa vana opinio.

Nota *tertio* : Ex hac desponsatione et animæ cum Deo connubio pulcherrimæ concipiuntur et nascuntur proles, quas describit Origenes, homil. 20 *in Numer.*, cum ait : « Dum igitur anima sponso suo, et audit verbum ejus, et ipsum complectitur, sine dubio ab ipso semen suscipit, et sicut ille dixit : De timore tuo, Domine, in utero concepi et parturivi, et spiritum salutis tuæ feci super terram : inde nascetur generosa progenies, inde pudicitia oriotur, inde justitia, inde patientia, inde mansuetudo et charitas, atque omnium virtutum proles veneranda succedet. »

Ingurgitatio impuræ concupiscentiæ ubi de ejus filiis dicitur.

Deinde e contrario conceptionem et proles quæ anima concipit e diabolo, explicat dicens : « Quod si infelix anima divini Verbi dereliquerit sancta connubia, et in adulterinos se complexus diaboli tradiderit, generabit sine dubio etiam inde filios, sed illos, de quibus scriptum est : Filii autem adulterorum imperfecti erunt, et ex iniquo concubitu semen exterminabitur. Omnia ergo peccata filii sunt adulterii, et filii fornicationis. »

Desponsatio significat animæ cum Christo unionem.

Nota *quarto* : Licet, ut dixi, hæc desponsatio fiat per quasvis virtutes, maxime tamen fit per charitatem; hæc enim secum in Deum rapit omnes animæ vires et affectiones, et quo magis crescit in homine charitas, eo magis crescit hæc animæ cum Deo unio et desponsatio, ita ut animæ charitate flagrantes, in eaque se assidue exercentes, nuptiis cum Deo, et nuptialibus bonis ac gaudiis divinis fruantur. Est enim charitas connubium, conspiratio et confirmatio duarum voluntatum, humanæ scilicet et divinæ, in unam, qua sibi mutuo in omnibus consentiunt et conformantur Deus et homo. Hinc oritur communicatio et familiaritas animæ cum Deo, oritur quies et mira voluptas animæ, æstusque tantus divini amoris, ut eo absorbeantur, et in Deum immergantur omnes aliæ animæ affectiones. « Talis conformitas, inquit D. Bernardus, serm. 38 *in Cant.*, maritat animam Verbo, cum cui videlicet similis est per naturam, similem nihilominus ipsa se exhibet per voluntatem, diligens sicut dilecta est. Ergo si perfecte diligit, nupsit. Quid hac conformitate jucundius? quid optabilius charitate? qua fit ut humano magisterio non contenta per temet, o anima, fiducialiter accedens ad Verbum, Verbo constanter inhæreas, Verbum familiariter percuncteris, consultesque de omni re, quantum intellectu capax, tantum audax desiderio. Vere spiritualis sanctique connubii contractus est iste. Parum dixi, Contractus; complexus est. Complexus plane, ubi idem velle et nolle idem, unum facit spiritum de duobus. Nec verendum, ne disparitas personarum claudicare faciat convenientiam voluntatum, quia amor reverentiam nescit. Amor sibi abundat; amor, ubi venerit, cæteros in se omnes traducit et captivat affectus. Propterea quæ amat, amat, et aliud novit nihil. Sponsus et sponsa sunt. Quum quæris aliam inter sponsos necessitudinem, vel connexionem, præter amari et amare? »

Inquirit an inter animam et Christum sit amicitia.

Si dicas, animæ conditionem et amorem longe inferiorem et imparem esse Deo, ac consequenter inter Deum et animam non posse esse amicitiam (hæc enim est inter pares), multo minus connubium ac desponsationem, respondet S. Bernardus : « Non plane pari ubertate fluunt amans et amor, anima et Verbum, sponsa et sponsus, creator et creatura, non magis quam sitiens et fons. Quid ergo? Peribit propter hoc, et ex toto evacuabitur nupturæ votum, desiderium suspirantis, amantis ardor, præsumentis fiducia, quia non valet ex æquo currere cum gigante, dulcedine cum melle contendere, lenitate cum agno, candore cum lilio, claritate cum sole, charitate cum eo qui charitas est? Non, nam etsi minus diligit creatura, quoniam minor est, tamen si ex tota se diligit, nihil deest, ubi totum est. Propterea dixi : Sic amans nupsisse est; nisi quis dubitet, animam a Verbo et prius amari, et plus. Prorsus et prævenitur amando, et vincitur. Felix quæ meruit prævenire in tanta benedictione dulcedinis! »

Desponsatio animæ perfectissima fit per virginitatem et Religionis.

Hinc consequenter *quinto*, hæc desponsatio perfectissime fit per virginitatem, et vota castitatis ac Religionis. Ita S. Augustinus, tract. 9 *in Joan.* : « Quæ virginitatem, inquit, Deo vovent, quamquam ampliorem honoris et dignitatis gradum in Ecclesia teneant, sine nuptiis non sunt, nam et ipsæ pertinent ad nuptias cum tota Ecclesia, in quibus nuptiis sponsus est Christus. » Et ratio est, quia, sicut sponsa totum amorem omniaque sua secum tradit marito, ita virgo et Religiosa se suaque omnia consecrat et tradit Christo. Hinc Religio vocatur et est status perfectionis, sive perfectæ charitatis. *Secundo*, sicut sponsa contrahens matrimonium cum sponso dicit : Accipio te in meum; ita Religiosus dicit : Voveo Deo paupertatem, castitatem, obedientiam; quibus ita astrictus et devinctus est Christo, sicut uxor obligata est marito. Hinc Tertullianus, *De Velandis virginibus*, cap. XVI : « Nupsisti, inquit, Christo, illi tradidisti carnem tuam, illi desponsasti maturitatem tuam, incede secundum sponsi tui voluntatem. » Hac de causa S. Hieronymus, *epist.* 27, matrem virginis Deo consecratæ Dei socrum ausus est nominare; quod, Hieronymum carpere volens Rufinus, nimium criticus, inter alia ei objecit. In signum nuptiarum dabatur virginibus annulus, quo quasi desponderentur Christo : « Annulo, inquit S. Agnes apud Ambrosium, serm. 90, fidei subarrhavit me. » Ad hæc velabantur virgines (sicut velantur illæ, quæ maritis nubunt), idque solemni pompa a sacerdotibus, et nonnisi certis diebus, ut docet Gelasius *ad Episcopos Lucaniæ*, cap. XIV, et Optatus Milevitanus, lib. VI : « Spirituale, inquit, nubendi hoc genus est : in nuptias sponsi jam venerant voluntate et professione sua, et ut sæcularibus nuptiis renuntiasse monstrarent, spirituali sponso solverant crinem, jam cœlestes celebraverant nuptias. » Et Ambrosius *ad Virg. lapsam* : « Cæterum, inquit, quæ se spopondit Christo, et sanctum velamen accepit, jam nupsit, jam immortali juncta est viro, et jam si voluerit nubere communi lege, adulterium perpetrat, ancilla mortis efficitur. » Sic Cyprianus, *epist.* 62, easdem vocat nuptiras Christi. Ex quibus omnibus patet recte Ecclesiam (quidquid ogganniat hic Marloratus) hunc Apostoli locum accommodare virginibus, illumque legere in Missa pro epistola sanctissimarum virginum.

Virginitatem, votumque ejus etiam ante baptismum emittebant.

Virgines sunt diligendum, et nuptias relinquere debent nobis.

Perpendant hæc virgines, suamque dignitatem agnoscant, ut has nuptias religiose colant et tueantur, unique sponso Christo attendant. « Audi, inquit Hieronymus *ad Eustochium*, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui, et concupiscet rex decorem tuum. Non sufficit tibi exire de terra tua, nisi obliviscaris populi tui, et domus patris tui, ut carne contempta sponsi jungaris amplexibus. Dices : Exivi de domo infantiæ meæ, oblita sum domum patris mei, renascor in Christo. Quid pro hoc mercedis accipio? Sequitur : Et concupiscet rex decorem tuum. Hoc ergo magnum illud est Sacramentum : Propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt ambo; jam non, ut ibi, in carne una, sed in spiritu uno. Non est sponsus tuus arrogans, æthiopissam duxit uxorem : statim ut audire voluerit sapientiam veri Salomonis, et ad eum veneris, confitebitur tibi cuncta quæ novit, et inducet te rex in cubiculum suum; et mirum in modum, colore mutato, sermo tibi ille convenit : Quæ est ista, quæ ascendit dealbata? » Et infra sponsam comparat areæ fœderis, dicens : « Sponsa Christi arca est testamenti, intrinsecus et extrinsecus deaurata, custos legis Domini. Sicut in illa nihil aliud fuit, nisi tabulæ testamenti, ita et in te nullus sit extrinsecus cogitatus. Super hoc propitiatorium quasi super cherubim sedere vult Dominus. Curis te sæcularibus solvere vult Dominus, ut paleas et lateres Ægypti dereliquens Moysem sequaris in eremo, et terram repromissionis introeas. Ubi in pectore virginali sæcularium negotiorum cura æstuat, statim velum templi scinditur, sponsus consurgit iratus, et dicit : Relinquetur vobis domus vestra deserta. » Et inferius sponsi et sponsæ colloquia ita describit : « Tu semel sæculi ouere projecto, sede ad pedes Domini, et die : Inveni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam. Et ille respondebit : Una est columba mea, perfecta mea. Semper te cubiculi tui secreta custodiant, semper tecum sponsus ludat intrinsecus. Ora, loqueris ad sponsum; legis, ille tibi loquitur. Et cum te somnus oppresserit, veniet post parietem, et expergefacta

dices : Vulnerata charitate ego sum ; et rursus ab eo audies : Hortus conclusus soror mea sponsa.»

VIRGINEM CASTAM EXHIBERE (S. Cyprianus legit, *assignare*) CHRISTO. — Nota quid mirum in hisce nuptiis. In mundo, ait Theophylactus ex Chrysostomo, sponsæ post nuptias non manent virgines : Christi autem sponsæ quasi prius virgines non fuerint, post nuptias cum Christo virgines fiunt, id est purissimæ in fide ac moribus integræ et incorruptæ ; sic Ecclesia tota est virgo. « Virginitas carnis, corpus intactum ; virginitas animæ, fides incorrupta, » ait S. Augustinus in *Sent.*, num. 79.

Ita nobilis illa virago et martyr sub Dunaan tyranno apud Homeritas, cum primo duas filias per virginitatem Deo despondisset, secundo easdem eidem per martyrium una secum desponsit et consecravit. Cum enim eas ense confodi videret, earumque sanguinem sibi a tyranno porrigi, eum accipiens, gustans et in cœlum suscipiens : « Tibi, inquit, Christe Domine, hoc meum offero sacrificium, et tibi martyres exhibeo castas virgines, quæ egressæ sunt ex utero meo, cum quibus me quoque connumeratam introduc in tuum thalamum, et ostende matrem propter filias lætantem. » Quare et ipsa per martyrium Christo copulata est. Rem fuse narrat ex Procopio Baronius, tom. VII, anno Christi 522 nag. 91.

Ita S. Paulus Iconii Theclam nobilissimam virginem ad Christum convertit, a conjugio avocavit, Christoque despondit. Testis est S. Gregorius Nyssenus, hom. 4 *in Cantic.* : « Talem, ait, myrrham olim Paulus infundebat ex ore suo, mixtam cum puro pudicitiæ lilio, in sanctæ virginis aures. Ea vero erat Thecla, quæ præclare animo suo defluentibus de lilio guttis hominem externum morte opprimit, omni cupiditate extincta. » Et S. Epiphanius, *hæres.* 78 : « Thecla, ait, incidit in S. Paulum, et a nuptiis exsolvitur, cum sponsum haberet formosissimum, ditissimum, generosissimum et illustrissimum. » Et S. Augustinus, lib. XXX *Contra Faust.*, cap. IV : « In vita, ait, contemnit terrena Sancta illa (Thecla) ut cœlestium potens fiat, et oppignorata thalamo in amorem perpetuæ virginitatis Pauli eloquio succensa est. » Quocirca Thecla ignes, leones, tauros et serpentes superavit ; atque ob virginitatem in mediis flammis, quasi amiantus, illæsa permansit. Ita S. Paulus Poppæam pellicem, et virgines contra Neronis illecebras armavit, ut ejus thalamo spreto, Christo se consecrarent : quocirca a Nerone ad gladium damnatus, virginitatis et martyrii laureas adeptus est, ideoque ex cervice ejus abscissa pro sanguine rubeo lac candidum et virgineum emanavit.

3. TIMEO AUTEM NE CORRUMPANTUR (a pseudoapostolis quasi stupratoribus virginitatis vestræ) SENSUS VESTRI (νοήματα, sensa, judicia vestra), ET EXCIDANT A SIMPLICITATE QUÆ EST IN CHRISTO, — a nativa et germana doctrina Christiana, simplicem scilicet fidei veritatem errorum mixtione corrumpendo. Ita Anselmus et Theophylactus, *q. d.* Cavete pseudoapostolos quasi lenones Satanæ, et quasi adulteros genuinæ Christi doctrinæ, consequenter et Ecclesiæ, et animarum vestrarum.

4. SI ALIUM CHRISTUM PRÆDICAT, — id est, prædicaret. Est enallage : ponitur enim indicativus pro subjunctivo, *q. d.* Si pseudoapostoli aliam doctrinam perfectiorem de Christo, vel Christi prædicarent, quam ego non prædicavi ; quasi prædicatio mea ad salutem et christianismi perfectionem non sufficiat. Est metonymia : Christus enim ponitur pro christianismo ejusque perfectione. Vide *Can.* 37. Eamdem mox vocat *aliud Evangelium* : nam alioqui non modo non tolerari, vel audiri, sed et anathemati devoveri jubet eum, qui contrarium affert evangelium, *Galat.* cap. I, vers. 8. *Aliud* ergo *Evangelium* hic vocat aliam clariorem vel sublimiorem Evangelii explicationem.

SI ALIUM SPIRITUM ACCIPITIS (*q. d.* Si alia dona Spiritus Sancti, quæ per me non accepistis, acceperatis a pseudoapostolis istis), RECTE PATEREMINI, — Taxat pseudoapostolorum fastum, qui se majus quiddam quam Paulus adferre jactabant. Ita Theophylactus, *q. d.* Ubi est ille alius Spiritus, alia dona, quæ jactant? Sane nusquam comparent. Testes vos appello, qui nihil aliud quam ventosa verba ab eis accepistis (1).

5. EXISTIMO ENIM (2) NIHIL ME MINUS FECISSE Vers. 5. (græce μηδὲν ὑστερηκέναι, in nullo inferiorem fuisse, τῶν ὑπερλίαν ἀποστόλων, iis qui sunt supra modum excellentes et eximii apostoli : quod Noster vertit) A MAGNIS APOSTOLIS, — id est præ magnis, vel, quam magni Apostoli. Objicit Beza, si in nullo Paulus inferior est eximiis Apostolis, ergo nec Petro in potestate et auctoritate ; ac consequenter Petrus non est primus Apostolorum et Ecclesiæ. Respondeo : in nullo, scilicet dictorum vers. præced., scilicet in prædicatione Christi, in donatione Spiritus, in sinceritate Evangelii, puta in laboribus et in gratiis Apostolicis nulli cedo, ut explicat vers. 23. Non ergo agit de potestate et primatu : sic enim eum sibi arrogaret. Quod est vanissimæ ambitionis. Adde : licet per magnos Apostolos Chrysostomus, Theophylactus, Œcumenius, intelligant Petrum, Jacobum, Joannem, idque simplicius videatur et verius ; recentiores tamen plerique accipiunt pseudoapostolos, qui se quasi magnos jactabant, ut sit ironia.

6. IMPERITUS SERMONE, — scilicet græco, polita nempe et verbosa eloquentia Græcorum, qualis est Isocratis, Demosthenis, Luciani. Unde in Paulo tot sunt hyperbata, ellipses, quin et scleœcismi græci. Ita Chrysostomus, Theophylactus et Hieronymus, epist. 151, Quæst. X *ad Algasiam*, ubi sic ait : « Illud quoque quod crebro diximus, Et

(1) « Recte pateremini, » id est, recte sane eum tolleraretis. Alii cum ironia dictum volunt, *sane toleraretis.*

(2) « Enim, » id est *sed*, *tamen.*

si imperitus sermone, non tamen scientia, nequaquam Paulum de humilitate, sed de conscientiæ veritate dixisse, etiam nunc approbamus. Profundos enim et reconditos sensus lingua non explicat : et cum ipse sentiat quid loquatur, in alienas aures plura non potest sermone transferre. » Idem asserit epistola *ad Hedibiam*, ubi addit, quod hac de causa Paulus Titum græce doctum penes se habuerit, sicut et B. Petrus Marcum. Vide dicta *epist.* I, cap. II, vers. 1 et 4. Contra S. Augustinus, lib IV *Doctr. Christ.*, cap. VII, putat Paulum se hic vocare *imperitum sermone*, non ex sua, sed ex obtrectatorum sententia : ibi enim fuse Augustinus ostendit eloquentiam Apostoli, scilicet nervosam artis et rerum, suaque habere schemata ; quod etiam verum est : Rhetorica enim Apostoli non verbosa est, sed seria, efficax, masculla, divina, adeoque Apostolus imperitus fuit non tam Rhetoricæ, quam Grammaticæ : patet enim Apostolum sua Rhetorica omnes commovisse, Dei metu perculisse, ad fidem, pietatem, misericordiam, adeoque quocumque voluisset, miro artificio ac dicendi vi pepulisse.

Paulus imperitus in Grammatica, sed non Rhetorica.

Præclare S. Augustinus in *Sententiis*, num. 266 : « Bonorum, ait, ingeniorum clara est indoles, in verbis disserentium verum amare, non verba. Quid enim prodest clavis aurea, si aperire quod volumus non potest ? Aut quid obest lignea, si hoc potest, quando nihil quærimus, nisi patere quod clausum est ? »

7. AUT NUMQUID PECCATUM FECI ? — Græcum ἢ significat *an* et *aut*. Hic aptius vertas cum Syro et aliis, *an peccatum feci* meipsum humilians, dejiciens ad scenopegiam et labores manuum, quibus victum mihi pararem, humiliter nempe et tanuiter, sumptu meo victitans, ne vobis essem oneri, sed vos potius exaltarem et honorarem hac mea humiliatione ? *q. d.* An hoc ipsum quod gloriæ est et beneficentiæ, improperatis mihi ? Patet ex seq. Ita Anselmus. Est ironia aut potius sarcasmus. Exprobrat enim Paulus Corinthiis in faciem eorum ingratitudinem, quod, cum potuisset evangelizando petere et accipere ab eis stipendium alimoniæ, nec tamen fecerit, sed ab aliis Ecclesiis pauperioribus sustentari voluerit agens et prædicans Corinthi : ipsi nihilominus Corinthii hæc Pauli beneficia parvipenderint, magisque auscultarint pseudoapostolis Pauli æmulis, qui ipsorum bursas emungebant.

Quomodo hæc verba Pauli nihil dedecoris pertineant ad humilitatem. Patet ex prius alia Apostolis ?

8. ALIAS ECCLESIAS EXSPOLIAVI, — *ἐσύλησα, deprædatus sum*, accipiens scilicet ab eis stipendium et subsidia vitæ, ut vobis inservirem, et aliunde accepto sumptu, gratis vobis prædicarem. Ubi tot pitasi juxta *Can.* 36, ut gravius pungat Corinthios, *q. d.* Videte continentiam meam et charitatem : alias Ecclesias etiam pauperes quasi dispollavi, ut vobis parcerem, vosque ditarem, idque ne putaretis (uti divites et mercatores, quales erant Corinthi, sæpe putant) me non vos, sed [illegible] quærere, utque pseudoapostolis os clauderem : agnoscite ergo me vestrum sincerum et germanum Apostolum.

Paulus laboravit manibus, ne cui quam esset molestus.

9. NULLI ONEROSUS FUI. — Græce, κατενάρκησα Vers. 9. σοῦσις. Quod verbum ductum est a torpore et otio ; nam otiosi premunt et imminent aliis assidue precando : quod est onerosum esse ; νάρκη enim est *torpere*. Unde et νάρκη dicitur *torpedo*, piscis. Ad verbum vertas κατενάρκησα σοῦσις, *non obtorpui in aliquem*, ut scilicet mea torpedine incumberem in aliquem, qui me aleret, eique essem oneri, sed strenue meis manibus laboravi : nec tamen in prædicatione obtorpui, sed æque diligenter omnibus et singulis, docendo, monendo, consulendo me impendi, atque si nihil aliud, nulla vitæ sustentandæ necessitas curaque mihi incubuisset.

10. EST VERITAS CHRISTI IN ME, — in veritate Vers. 10. Christi loquor, testor Christi veritatem ; vobis ego per Christum (Ambrosius, *sub Christi testimonio*) vere sancteque affirmo et juro, me nihil pro sumptu a vobis accepturum. Ita Theophylactus.

HÆC GLORIATIO (quod gratis vobis evangelizaverim) NON INFRINGETUR (Græce τὸ φραγήσεται, id est, *non sigillabitur*, non occludetur) IN ME, — *εἰς ἐμέ* ; Vatablus, *contra me*, vel potius *circa me*, ista mea, scilicet libertas et liberalitas, ac consequenter nec os meum, quin de ea glorier. Metaphora a fontibus et fluminibus, quæ obice occludi non possunt. Ita Chrysostomus et Theophylactus. Unde Maldonatus in *Notis manuscr.* vertit, *nemo os meum obstruere poterit, quo minus vere de hac re gloriari possim.*

Duplex hujus loci expositio.

Secundo, et melius ex hebraismo, ponitur simplex pro composito, σφραγίζω, pro ἀνασφραγίζω, vel ἀπασφραγίζω, id est, signo vel sigillo, pro *resigno*, signum tollo ; quod Noster vertit, *infringo*. Hebræi enim carent compositis, sed illa per simplex exprimunt, *q. d.* Conclusi firmo decreto me nihil a vobis accepturum, illudque constantiæ et juramenti mei sigillo ita communivi, ut nunquam sigillum hoc sim resignaturus, nec propositum hocce meum infracturus, quæcumque egestas aut necessitas mihi ingruat.

11. DEUS SCIT, — an vos non diligam. Vers. 11.

12. QUOD AUTEM FACIO (ὃ δὲ ποιῶ, sed quod facio) ET FACIAM (etiam deinceps faciam, non quia vos non diligo, sed) UT AMPUTEM OCCASIONEM — carpendi me, quod nihil singulare, nihil aliis amplius afferam. Vers. 12.

UT IN QUO GLORIANTUR, INVENIANTUR SICUT ET NOS. — Gloriantur in prædicatione se esse mihi pares, cum sint inferiores ; ego enim gratis, ipsi lucri causa evangelizant. Patet vers. 21. Ita Anselmus, Chrysostomus et Theophylactus.

13. TRANSFIGURANTES SE IN APOSTOLOS CHRISTI. — Iline patet hos obtrectatores Pauli fuisse non fideles, qui sola vanitate, aut Pauli invidia laborarent, sed fuisse hæreticos : vocat enim eos « pseudoapostolos, » et « ministros Satanæ, » vers. 15.

Secundo, notat eorum dolum, quod scilicet, ut Christianis imponerent, assumebant sibi figuram, speciem et nomen Apostolorum Christi, quasi Christi forent Christianæque pietatis præcones, uti nostri Calvinistæ, qui omnia sacra, ritus, Sacramenta, templa, monasteria, sacerdotia, altaria, pietatem, Dei cultum et religionem deformant ac profanant, reformatores tamen haberi dicique volunt.

Hæretici Calvinistæ simile pseudo-Christianorum.

Vers. 14. 14. IPSE ENIM SATANAS TRANSFIGURAT SE IN ANGELUM LUCIS. — Dicit *meris* : solent enim angeli boni, utpote beati, lucidi et gloriosi apparere, cum se ostendunt hominibus. *Secundo*, « lucis, » id est, veritatis, justitiæ, pietatis; hæc præ se fert Satanas, hæc promittit hominibus, quorum vel oculis visibiliter apparet, vel phantasiæ se suæque consilia insinuat, ostendit, imprimit, cum vere sit angelus tenebrarum, quia nonnisi peccata, errores, dolos suggerit : quem ut detegas, ejusque dolos agnoscas, non sanius (ut Patres, ut viri sancti, utique ipsa docet experientia) consilium est, quam si tuas cogitationes et suggestiones viro prudenti, pio, docto, præsertim Superiori aut confessario aperias, ejusque judicium sequaris. Sed Satanas lucifuga, qui prodi non vult, hoc odit, hoc suis dissuadet et prohibet. Unde hujus consilii neglecto multi, etiam Eremitæ, ab eo gravissime decepti sunt. In Vitis Patrum multa et luctuosa hujusce rei exempla extant : uti inter alia, Hieronis monachi, cui diabolus persuasit ut in puteum se præcipitem daret, affirmans fore ut inde eum Deus ob sua merita gloriose educeret. Sic quam fœda, horrenda et abominanda diabolus persuaserit Ophitis, Artotyritis, Cajanis, Circumcellionibus aliisque hæreticis, videre est apud S. Epiphanium, Irenæum et Augustinum in eorum hæresibus.

Ad Satanæ dolos retegendos, suggestiones et spiritus probandos, cautissimo opus est consilio spirituali.

Ita dæmon, boni angeli specie, decipere conatus fuit S. Abraham eremitam, teste S. Ephrem in ejus Vita. Cum enim media nocte psalleret, lux instar solis in cella ejus refulsit, et vox audita est dicens : « Beatus es, Abraham, nullusque tui similis, qui omnes voluntates meas explesti. » Sed vir humilis, agnoscens dolum diaboli, exclamavit : « Obscuritas tua tecum sit in perditionem, o plene dolo atque fallacia. Ego enim homo peccator sum; sed nomen Domini mei Jesu Christi, quem dilexi et diligo, mihi murus est, in quo te increpo, immunde canis. » Et mox ut fumus ab oculis ejus evanuit.

Simili modo dæmon fulgens in splendore cum equis igneis et quasi currus igneus apparuit juxta columnam, in qua stabat S. Simeon Stylites, dicens : « Dominus misit me angelum suum, ut rapiam te, sicut rapui Eliam. Ascende ergo mecum in currum, et eamus in cœlos : optant te videre sancti Angeli, Apostoli, Martyres et Prophetæ cum Maria matre Domini. » Cumque Simeon elevans dextrum pedem ut ascenderet in currum, faceret signum crucis, mox dæmon disparuit. Testis est Antonius, ejus discipulus, in ipsius Vita.

Alius quoque audiens a dæmone : « Ego sum Christus, » clausit oculos, dicens : « Ego in hac vita Christum nolo videre, sed in altera vita. » Hinc Patres monebant dicentes : « Etiamsi angelus in veritate tibi appareat, non suscipias facile, sed humilia te dicens : Non sum dignus angelum videre, vivens in peccatis. »

S. Joannes, qui Theodosio Imperatori prædixit victoriam contra tyrannos, vidit dæmones instar exercitus et currus ignei, dicentes : « In omnibus te, o homo, recte gessisti; de cætero me adora, et quasi Eliam te assumam. » Cui Joannes : « Dominum meum et Regem habeo Deum, quem semper adoro; tu autem non es rex meus. » Mox ille evanuit. Testis est Palladius in *Lausiac.*, cap. XLVI.

S. Pachomio apparuit diabolus specie Christi, dicens : « Pachomi, ego sum Christus, et venio ad te fidelem amicum meum. » Agnovit inspiratione divina fraudem Pachomius, cogitans intra se : « Adventus Christi tranquillus est, ego autem nunc turbatus variis cogitationibus æstuo. » Ergo formans signum crucis, et exsufflans in eum dixit : « Discede a me, diabole, quia maledictus es tu et visio tua, et artes insidiarum tuarum, nec habes locum apud famulos Dei. » Mox ille, relicto fœtore, discessit, dicens : « Lucratus te fuissem, nisi præcelsa virtus Christi impediisset : verumtamen quantum possum, vos impugnare non desinam. » Ita Dionysius in *Vita Pachomii*.

Valentem monachum decepit dæmon, crebro ei apparens quasi angelus. Inde enim superbia intumuit Valens, quasi cum angelis versaretur. Tandem dæmon apparuit ei fingens se esse Christum, cum mille angelis lampades tenentibus, et rotam igneam; dixitque ei unus : « Christus dilexit tuam vivendi libertatem et confidentiam, et venit ut videat te : egredere ergo et adora eum. » Egressus est, et pro Christo diabolum adoravit : unde factus est ita emotæ mentis, ut Ecclesiam ingressus diceret : « Ego non opus habeo communione : Christum enim vidi hodie. » Quare Patres eum vinxerunt, et in ferreas compedes conjecerunt. Testis est Palladius, cap. XXXI.

16. ALIOQUIN VELUT INSIPIENTEM ACCIPITE ME. — *q. d.* Quod si aliud impetrare non possum, accipite me velut insipientem, tantum ut mihi paululum gloriari liceat : nam, ut ait Cato,

Nos te colludet, nec te culpaveris ipse :
Hoc faciunt stulti, quos gloria versat inanis.

Nota : Valde præmollit, ut ostendat quam invitus, et nonnisi coactus, descendat ad laudes suas. Ita Chrysostomus.

17. QUOD LOQUOR, — quod loqui propono et intendo, meas scilicet laudes. Vide *Can.* 32.

NON SECUNDUM DEUM — erit, si secundum Deum spectetur; erit tamen « secundum Deum, » si

charitas et necessitas spectetur, ne videlicet, me contempto, pseudoapostolos glorificetis.

IN HAC SUBSTANTIA (in hoc subjecto, in hac materia) GLORIÆ, — qua gloriari de meis laboribus in sequentibus intendo.

18. QUONIAM MULTI GLORIANTUR SECUNDUM CARNEM (in rebus carnalibus et externis, puta in nobilitate, divitiis, sapientia, circumcisione, parentibus Hebræis gloriantur pseudoapostoli : hinc) ET EGO (iisdem) GLORIABOR. — Ita Chrysostomus. Vide dicta cap. X, vers. 2.

19. LIBENTER ENIM SUFFERTIS INSIPIENTES, CUM SITIS IPSI SAPIENTES. — Est ironia, *q. d.* Sustinuistis insipienter jactantes se gloriabundos illos pseudoapostolos, sustinebitis, spero, et me apud sapientes sapienter et utiliter gloriantem. Theophylactus tamen et Anselmus serio hoc dictum putant ad exaggerationem et increpationem, *q. d.* Cum sitis in Christo sapientes, deberetis pseudoapostolorum insipientiam explodere, quomodo ergo libenter eos suffertis?

20. SUSTINETIS ENIM SI QUIS VOS IN SERVITUTEM REDIGIT. — Notat pseudoapostolorum insatiabilem arrogantiam, avaritiam, tyrannidem, *q. d.* Sustinetis pseudoapostolos, qui imperiose vobis utuntur ut mancipiis, quique vos devorant, id est bona vestra extorqueat; quique extolluntur, hoc est seipsos laudant, se sinuque magni faciunt et deprædicant; quique vos in faciem cædunt, non alapis, sed contumeliis. Unde sequitur : « Secundum ignobilitatem dico, » de quo mox. Est ergo hic aeris objurgatio, *q. d.* Illi emungunt vestras opes, libertatem et honorem auferunt, vos insuper quasi servos onerant convicis : ego autem humiliter me gessi, meo sumptu vixi, leve jugum Christi vobis imponere volui; et tamen illos præfertis mihi, quasi non satis nobilis, non satis potens, non satis facundus præ illis tam imperiosis dominis, imo tyrannis, forem. Unde S. Bernardus, lib. I *De Consid.*, cap. III : « Sustinetis, si quis vos in servitutem redigit. Non bona, inquit, patientia, cum possis esse liber, servum te permittere fieri. Nolo dissimules servitutem, in quam certe indies dum nescis redigeris. Hebetati cordis indicium est, propriam non sentire continuam vexationem. Vexatio dat intellectum auditui, sed si nimia non fuerit : nam si sit, non intellectum dat, sed contemptum. »

Severi decernendi potestatem Ecclesiæ habent, non tamen volunt, nisi cum valde volunt, et cum valde opus est.

Solentur se Superiores et prælati exemplo Pauli, cum rite officio suo fungentes a suis contemnuntur aliisque posthabentur. Fuit hæc semper mundi consuetudo, eritque in finem usque (ut recte advertit hic noster Salmeron), contumaciter resistere Dei servis, ad minimas occasiones obstrepere et obmurmurare, de severitate moderata conqueri, abhorrere ab omni disciplina; impostoribus autem, libertinis et pseudopostolis serviliter se subdere, omnia illis permittere, quidquid oneris imponere ipsis libuerit, patienter sustinere. Ita Israelitæ, contempto Samuele sancto ac modesto, maluerunt ferre jugum fastuosi et tyrannici regis, I *Reg.* VIII.

Iisdem Deut. 17. mk.

21. SECUNDUM IGNOBILITATEM DICO, — κατὰ ἀτιμίαν λέγω : quod proprie vertas, *quantum ad ignominiam* et contumeliam *dico*; sic enim Græci usurpant κατά. Hæc referenda sunt ad ea quæ præcedunt, *q. d.* Cum dico pseudoapostolos in faciem vos cædere, non simpliciter dico, sed quoad ignominiam et convicia, quæ in vos jactant, et ita facient exprobrant : quæ sane non minor est injuria, quam si vos instar mancipiorum alapis cæderent.

Vers. 21.

Nota : Per « ignobilitatem » Noster intelligit ignominiam, contumeliam : hanc enim significat Græcum ἀτιμία. Alii sic explicant, quasi dicat : Ad vestram ignominiam et contumeliam hoc de ulorum tyrannide et avaritia dixi dicoque, ut vos pudeat, qui me legitimum Apostolum vestrum tam modestum contemnitis præ illis spuriis et tyrannis. Ita Chrysostomus. Sed tunc, non κατά, id est *secundum*, sed πρὸς ἀτιμίαν, id est *ad ignominiam*, potius dixisset. Unde Maldonatus, in *Notis marmac.* κατ' ἀτιμίαν λέγω, sic vertit, *ignominiose de me loquor, quasi ego vos in servitutem redegerim, quas devoraverim, quasi acceperim*, id est spoliaverim, etc. Nam quæ vers. 20 dixerat de ipso, dixerat ex adversariorum persona, qui S. Paulum esse talem criminabantur. Ita ipse.

QUASI NOS INFIRMI FUERIMUS IN HAC PARTE. — Refert hæc ad *sustinetis*, etc., *q. d.* Sustinetis fortes, audaces, minaces et imperiosos pseudoapostolos; me vero non sustinetis, sed contemnitis tanquam infirmum, pusillanimem et timidum, quasi qui imperiosius agere non potuerim quam feci. Est mycterismus, sive ironica naso velut contracto subsannatio, qualis erat illius qui olebat : « Egregiam vero laudem et spolia ampla refertis, » *q. d.* Paulus : Potui sane eadem licentia et imperio in vos uti, quo pseudoapostoli usi sunt; sed nolui ex humilitate, modestia et charitate eximia. Ita Chrysostomus (1).

IN QUO QUIS AUDET (supple gloriari), IN INSIPIENTIA (id est quasi insipiens, vel insipienter) DICO, AUDEO ET EGO, — scilicet gloriari. Sic enim Hebræi adverbia per nomen et præpositionem exprimunt, ut dicant, in justitia, id est juste; in sanctitate, id est sancte.

22. HEBRÆI SUNT, ET EGO. — Nota : Hebræi dicuntur vel a radice עבר *abar*, id est transivit, quia scilicet ex Chaldæa oriundi transierunt Euphratem, ut habitarent in Palæstina, *q. d.* Transmarini, uti nos dicimus transmarinos, transalpinos. Unde primus Abraham, post transitum Euphratis, signatur *Gen.* XIV, 13, dicitur Hebræus : ubi Septuaginta et Aquila vertunt, περάτην, id est *transitorem*;

Hebræi ab Eber radix et significatio.

(1) Alioli et Storrius vertunt, *cum dedecore meo fatear, quod ego*, si ista sunt virtutes, *imbecillitas fuerim*, eamque, si placet, δύναμιν assequi inter vos non potuerim. Sic subest ironia. *In iis vero rebus, quibus ille audacter confidunt et gloriantur, et ego, si vanus essem* (vel, *ut sum* eorum exemplo *vanus*), *possem gloriari.*

S. Augustinus, *Quæst.* XXXIX in *Gen.*, vertit *transfurialem*; ita et Chrysostomus, Origenes, Theodoretus ibi. Vel certe *Hebræi* dicti sunt, quia posteri fuerunt Heber atavi Abrahæ, qui in confusione linguarum in Babel, *Gen.* x, 21, et xi, 1 et sequentibus, solus cum suis cum vera fide, religione, pietate, linguam Hebræam primævam retinuit. Male ergo quidam Hebræos quasi Abrahæos dictos putant. Ita sensit aliquando S. Augustinus, lib. I *De Consensu Evang.*, cap. XIV, sed id retractat, lib. II *Retract.*, XIV. Sensus ergo est, *q. d.* Apostolus : Pseudoapostoli in gloriantur de sua nobili stirpe, se videlicet Hebræos esse posteros Heber, Abrahæ, Isaac, Jacob, ac sanctæ patrum illorum et avitæ religionis et vocationis, æque ut linguæ tenaces et sequaces : sed et ego Hebræus sum, et Abrahæus prosapia, idiomate, fide, religione.

23. MINISTRI CHRISTI SUNT. — Per concessionem hoc dicit : esto vocent se Christi ministros, et ego sum, imo plusquam ipsi.

UT MINUS SAPIENS DICO. — Hoc est, quasi insipiens, ut dixi vers. 21 ; interpres Chrysostomi vertit, *delirans loquor* (1).

IN LABORIBUS PLURIMIS, — ἐν κόποις περισσοτέροις, *in laboribus abundantibus*, id est pluribus, quam pseudoapostoli. Notent hoc Pacli exemplum Prælati et doctores, ut auctoritatem apud suos non pompa externa, sed cum Paulo laboribus et vita concilient. Ita suadet et discernit Concilium Carthaginense IV, cap. XV : « Episcopus, inquit, vilem supellectilem, mensam ac victum pauperem habeat, et dignitatis suæ auctoritatem fide ac vitæ meritis quærat. »

Non oportet Prælatos laboribus suis auctoritatem conciliare, sed laboribus.

S. Bernardus citans hunc locum, lib. II *De Consid. ad Eugenium Pontif.*, cap. VI, exclamat : « O præclarum ministerium! Quo non id gloriosius principatu? Si gloriari oportet, forma tibi Sanctorum præfigitur, Apostolorum proponitur gloria. Parvane tibi illa videtur? Quis mihi tribuat similem fieri in gloria Sanctorum? Clamat Apostolus : Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi. Agnosce hæreditatem tuam (o Eugeni Pont.) in Christi cruce, in laboribus plurimis. Felix qui dicere potuit : Plus omnibus laboravi. Gloria est, sed nil in ea inane, nil molle, nil resupinum. Si labor terret, merces invitet. Etsi ille plus omnibus laboravit, non tamen totum elaboravit, et adhuc locus est; exi in agrum Domini tui, et considera diligenter quantis hodie de veteri maledicto silvescat spinis ac tribulis. Exi, inquam, in mundum : ager est enim mundus, isque creditus tibi. Exi in illum non tanquam dominus, sed tanquam villicus, videre et procurare unde exigendus es rationem. »

IN PLAGIS SUPRA MODUM, — ὑπερβαλλόντως, excessive, supra quam dici vel credi potest.

(1) « Minus sapiens, » seu insipiens, id est jactabundus; nam jactantia, quam etiam Latini *stultitiam* vocant, est insipientiæ signum.

IN MORTIBUS. — mortis periculis, ubi comites mei, aut alii vel a latronibus, vel a seditiosis cædebantur, aut jugulabantur : simile habes cap. I, vers. 10, et I *ad Cor.*, XV, 31.

24. A JUDÆIS QUINQUIES, QUADRAGENAS, UNA MINUS, ACCEPI. — Jusserat Dominus *Deut.* XXV, 3, ut plagarum numerus quadragenarium non excederet : cui ut certius et plenius satisfacerent Judæi, non 40. sed unam minus, scilicet 39 reis infligebant. Ita Talmudici.

25. TER NAUFRAGIUM FECI, — ἐναυάγησα, naufragatus sum, naufragium passus sum.

IN PROFUNDO MARIS FUI. — Græce ἐν βυθῷ, *in profundo*, quod tam de puteo et carcere, quam de mari dicitur. Unde *primo*, aliqui, ait Theophylactus, intelligunt de puteo, cui a profunditate nomen erat Bythus, in quo tradunt Paulum, postquam periculum apud Lystrios effugerat, latuisse, *Act.* XIV, 18.

Quid per profundum maris intelligat

Secundo, Baronius, anno Christi 58, ex Beda et Theodoreto, per *profundum* intelligit profundissimum et teterrimum omnium carcerem Cyzicenum, in quem conjectus sit Paulus, famosissimo illi carceri similem, qui Athenis dictus est Barathrum; illique Romano, quem Tullianum appellabant.

Tertio, melius Noster vertit, *in profundo maris* : explicat enim naufragii ærumnas, quod scilicet, facto naufragio, νυχθήμερον, inquit, ἐν βυθῷ πεποίηκα, *noctem et diem in profundo egi, q. d.* Tam immani tempestate jactatus sum, ut dies ac noctes sub profundo maris viderer esse, ait Maldonatus in *Notis manusc.* Aut, post naufragium non in navi aut tabula, sed natans in profundo, id est alto et medio mari, diem noctemque undis jactatus egi. Ita Theophylactus, Ambrosius, S. Thomas. Imo Anselmus hinc docet sub aquis in profundo, id est maris alveo, diem noctemque egisse Paulum, et miraculo non præfocatum aquis, non devoratum a piscibus, sed vivum inde a Deo quasi alterum Jonam in littus eductum : hæcque, inquit Haymo, est traditio SS. Patrum.

Paulum diem ac noctem integram sub aquis, et inde miraculo elatum fuisse, ait Anselmus.

Nota : De fustigatione, de naufragio hucusque, scilicet usque ad tempus quo hæc scripsit Paulus, nihil habetur in Actis Apostolorum : nam Melitense naufragium, *Act.* XXVII, diu post contigit, cum scilicet vinctus Paulus Romam missus est; flagellationem tantum unam invenimus, *Act.* XVI; lapidationem pariter unam Lystris, *Act.* XIV. Multa ergo silentio præterit Lucas in *Actis*.

26. PERICULIS EX GENERE, — ex gente mea. Insidias intelligit, quas sæpe ipsi Judæi struxerunt. Ita Anselmus.

27. IN LABORE, — ἐν κόπῳ, in fatigatione.

IN ÆRUMNA, — καὶ μόχθῳ; Ambrosius et Vatablus, *in molestia*. *Ærumna*, ait Cicero, est « ægritudo laboriosa, » veluti cum delassatus aliquis pro quiete cogitur labores novos capessere. » Unde μοχθηροὶ vocantur calamitosi.

In quibus in rebus glorietur Apostolus, iis scilicet, de quibus jam multi non modo Christiani, sed et clerici Ecclesiæque ministri erubescerent, et multis deplorat B. Bernardus in declamatione in illud : « Ecce nos reliquimus omnia. » Quo abiimus? quo abiit spiritus Apostolicus? quo simplicitas Christiana? quo humilitas, labores, passiones, zelus primitivæ Ecclesiæ? Apostoli, Principes Christi, primates Ecclesiæ, non in palatiis, non in rhedis, non in sericis togis, non in nobilium, famulorum, militum, equorum, canum venatorum turba, non in conviviis et symposiis, non in opimis beneficiis, non in molli, delicata ac splendida vita triumphant : sed exultant et gloriantur in fame, in siti, in labore et ærumna, frigore et nuditate, in perenni ad barbaras gentes peregrinatione, persecutione, prædicatione, fustigatione, flagellatione, lapidatione, morte, martyrio, fatigationibus nocturnis et diurnis; omnibus omnia fiunt, neminem aspernantur; patres sunt pauperum et afflictorum; barbaros, rudes, inopes docent, evangelizant, solantur, eleemosynas corrogant. Hæc Apostolorum fuit vocatio; hæc Principum Ecclesiæ dignitas, de qua ita gloriatur Paulus; hic spiritus fuit primorum Ecclesiæ tum ministrorum, tum Christianorum : nec adhuc (Deo laus) hoc ævo deferbuit. Habuit et habet nostra ætas suos Borromæos, Pios, Xaverios, Menesios, Gaspares, Hosios.

Non ergo te pudeat, o Antistes, o Præpposite, o Doctor, o Pastor, hosce imitari, horum exemplo pauperes adire, hospitalia et carceres invisere, rusticorum audire confessiones, miseris consulere, simplices ac rudes instruere, omnibus omnia fieri, omnium salutem zelari. In his non pigeat laborare, fatigari, desudare usque ad mortem, pro hac causa ludibria, quin et verbera perpeti libeat et delectet : hæc ipsa fecit et passus est Christus, fecit Paulus, fecerunt Apostoli. In his eorum virtus, sanctitas, apostolatus constitit. In ultimo illo et decretorio mundi die, cum princeps ille Pastorum et doctorum Doctor judex considebit singulorum facta examinaturus, et singulis æternitatis vel felicissimæ, vel miserrimæ, sententiam laturus, non te rogabit quot beneficia, quot opes, quot famulos, quantum scientiæ habuisti; sed quomodo iis usus es, quot iis convertisti, quot pauperes cibasti, potasti : quot in carcere visitasti; quantum Evangelium, fidem, gloriam meam propagasti; quot pro ea labores, pericula, quot irrisiones et persecutiones, quantum famis aut frigoris, quantum ærumnarum pro ea tolerasti. Faxit Deus hæc, dum tempus habemus, cogitemus, hæc agamus, ut primævum Ecclesiæ et Apostolorum spiritum in nobis nostrisque omnibus exsuscitemus, Christum ducem, Apostolos principes sequamur, mundum senescentem et frigescentem ignita charitate et zelo succendamus; in eum Apostolis aliquando audiamus : « Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel. »

Vide has passiones, victorias et animos Pauli laudantem Chrysostomum in morali *hom.* 23 e 26, ubi inter cætera : « Paulus, ait, lactator orbis et pugil omni luctæ genere certat et vincit : hic ei Apostolicus character, histe luctis contex Evangelium; et quasi flamma inextinguibilis nis, si in mare lapsa fluctibus undique mergitur, et iterum fulgida ascendit : sic et S. Paulus undique pressus, nec oppressus, cedere nescius, clarior semper redit patiendo victor, et millies martyr. »

Idem Chrysostomus, hom. 2 *De Laud. S. Pauli*, in fine tom. III : « Paulus, ait, præ devotionis abundantia dolores pro virtute susceptos quodammodo non sensit; quin etiam virtutem ipsam pro mercede pensavit : quotidie celsior, quotidie assurgebat ardentior, ovans in omni impugnatione referebat victoriam, verberibus et injuriis affectus triumphabat, mortem potius appetens, quam vitam; paupertatem potius, quam opulentiam; multo amplius laborem desiderans, quam alii requiem; urbes, gentes, provincias, potestates, quasi arenam vilia reputabat; horum, quæ hic habentur, nihil asperum, nihil etiam suave æstimabat; tyrannos quasi culices quosdam reputabat; mortem, cruciatus, mille supplicia, quasi ludum putabat esse puerorum, dummodo propter Christum aliquid sustineret; adamas erat, imo adamante durior et fortior; tanquam pennatus totum docendo pervolavit orbem, et velut incorporeus labores omnes periculaque contempsit, et quasi jam cœlum possidens cuncta prorsus terrena despexit. » Hactenus Chrysostomus.

28. PRÆTER ILLA QUÆ EXTRINSECUS SUNT, INSTANTIA MEA QUOTIDIANA. — « Instantia, » hoc est, negotiorum moles mihi instans, circumstans et incumbens. Patet ex sequentibus : Græcum enim ἐπισύστασις, teste Budæo, significat agmen cogere, factionem ciere, v. g. cum plebs agmine facto coit, et in nobiles ac magistratus involat. Inde ἐπισύστασιν hic vocat Apostolus curas multiplices, quæ quasi agmine facto undique irruebant, ipsumque pene obruebant, idque non semel, sed assidue. Unde Augustinus in *Psal.* XCVIII, legit *incursus in me quotidianus*, scilicet sollicitudinum omnium Ecclesiarum; et Ambrosius : *Urgentes*, inquit, *omnium Ecclesiarum curæ*. Aliter explicat Chrysostomus, Theophylactus et Syrus, *q. d.* Factiosa conspiratio in me, seditiones, tumultus, turbationes, obsidiones populorum, urbium insidiæ undique in me concitantur : hoc enim, ut dixi, significat etiam Græcum ἐπισύστασις et ἐπισύστασαι. Sed hæc satis jam enarravit vers. 26, in tot undequaque periculis suis. Prior ergo sensus melior est. Unde explicans subdit : « Sollicitudo omnium Ecclesiarum. » Pulchre Anselmus et Theophylactus : « Docet ubique Paulus, sed et tanta patitur : pastur suæ, et simul aliorum infirmitates tolerat et

solatur : tolerat infirmitates singulorum, et simul de communi salute et de toto orbe sollicitus est.»

Cura et sollicitudo Ecclesiarum omnium.

Præclare S. Chrysostomus hic, *homil.* 18, suo exemplo docet nihil esse hac sollicitudine, cura, studio, labore et dolore boni Pastoris pro Ecclesia suavius. « Nam et mater, inquit, pro filio dolore dolens delectatur, sollicita gaudet : cura in se amara licet sit, pro liberis tamen impensa voluptatis multum habet. » Avent viri magni et cœlestes perpetuis laboribus curisque agitari, atque instar cordis aut cœli semper moveri, et quod Vespasianus, teste Suetonio, dixit, « stantes mori. » Quocirca Pacatus, in *Panegyr. Theodosii* : « Gaudent, ait, divina perpetuo motu, et jugi agitatione se vegetat æternitas, et quidquid homines vocamus laborem, vestra natura est : ut indefessa vertigo cœlum rotat, ut maria æstibus inquieta sunt, et stare sol nescit : ita tu, Imperator, continuis negotiis, et in se quodam orbe redeuntibus, semper exercitus es. »

Vers. 29. 29. QUIS INFIRMATUR (dolet, affligitur), ET EGO NON INFIRMOR (non doleo, non affligor)? QUIS SCANDALIZATUR, ET EGO NON UROR. — Græce πυροῦμαι, hoc est, ut Theophylactus, ignesco, incendor, ardeo, tum dolore, quasi meum esset malum, quod subit proximus cum scandalizatur; tum zelo, ut illum curem, et scandalum tollam.

Locus obscurus in *Ezech.* illustratus.

Unde S. Gregorius, homil. 12 in *Ezech.*, in illud cap. IV, *Sume tibi sartaginem ferream*, putat per sartaginem significari animum Ezechielis, qui conspecta Hierosolymæ eversione, per compassionem quasi in sartagine frigeretur, ejusque rei a Deo admoneri, cum jubetur inter se et urbem sartaginem ponere, talemque fuisse Paulum cum dixit : « Quis scandalizatur, et ego non uror? Ipsum suum cor (inquit Gregorius), quod animarum zelo succenderat, sartaginem fecerat Paulus, in quo amore virtutum contra vitia ardebat, » et proximorum miseriis per compassionem frigebatur.

30. QUÆ INFIRMITATIS MEÆ SUNT (id est de afflictionibus, flagellis, persecutionibus et passionibus pro Christo susceptis), GLORIABOR, — ob quæ videor infirmus, hoc est, abjectus, afflictus, imbecillis et contemptibilis, ita Chrysostomus. Nota : Gloriatur Paulus, non in suis miraculis, sed infirmitatibus, quia in his relucet potentia et efficacia gratiæ Dei. *Secundo*, quia his superabat pseudoapostolos. *Tertio*, quia hæc sunt signa veræ virtutis et Apostoli.

Vers. 32. 32. PRÆPOSITUS GENTIS ARETÆ. — Græce ὁ ἐθνάρχης τοῦ Ἀρέτα, satrapa Aretæ regis : fuit hic socer Herodis, ait Theophylactus. Herodes enim Antipas, qui Joannem Baptistam occidit, filiam Aretæ uxorem duxerat, teste Josepho.

Vers. 33. 33. PER FENESTRAM IN SPORTA DIMISSUS SUM. — Nota : Contigit hæc Pauli fuga per sportam Damasci, *Actor.* IX, 25, anno Christi 39; tunc enim Aretas, rex Arabiæ et vicinæ Damasci dominus, ait Josephus, intulit bellum Herodi, quia Herodes ea repudiaverat Aretæ filiam, ut duceret Herodiadem. In bello hoc succubuit Herodes; ergo ensus ab Areta, in eum incitavit Tiberium Cæsarem, qui misit Vitellium, Syriæ præsidem, ut Aretam caperet vel occideret, testis Josepho, lib. XVIII *Antiquitatum*, cap. VII. Hac occasione usi Judæi infensi Paulo, eum apud præfectum Aretæ accusasse videntur, quod per speciem et prætextum Evangelii turbas moveret, et cives a gentilismo, et consequenter ab Areta averteret, foreque ut ille Damascum Judæis et Vitellio proderet. Hinc præfectus timens et credulus Paulum quærit : ille monitus per sportam e muro dimissus dilabitur. Ita D. Baronius, tom. I, pag. 304, et alii.

Quando Paulus evaserit ea per sportam?

CAPUT DUODECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, ut se Corinthiis præ pseudoapostolis commendet, narrat suum raptum in tertium cœlum.

Secundo, vers. 7, *ne inde extollatur, datum sibi ait stimulum carnis : nam virtus in infirmitate perficitur.*

Tertio, vers. 11, *a phrenetia se excusat, quod ipsi compulerint eum, ut se laudaret, cum ab illis potius debuisset commendari a patientia, miraculis, prædicatione gratuita, charitate et sollicitudine.*

Quarto, vers. 17, *refutat calumniam sibi objectam, quod dolose non per se, sed per Titum a Corinthiis pecunias corrogarit.*

Quinto, vers. 21, *metuit ne ad eos veniens inveniat aliquos dissensionibus aliisque vitiis involutos : quos tacite hoc ipso monet ne eos cum luctu et dolore castigare cogatur.*

1. Si gloriari oportet (non expedit quidem), veniam autem ad visiones et revelationes Domini. 2. Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim (sive in corpore nescio, sive extra corpus nescio, Deus scit), raptum hujusmodi usque ad tertium cœlum. 3. Et scio hujusmodi hominem (sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit), 4. quoniam

raptus est in paradisum, et audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui. 5. Pro hujusmodi gloriabor : pro me autem nihil gloriabor nisi in infirmitatibus meis. 6. Nam, et si voluero gloriari, non ero insipiens : veritatem enim dicam; parco autem, ne quis me existimet supra id, quod videt in me, aut aliquid audit ex me. 7. Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus Satanæ, qui me colaphizet. 8. Propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet a me; 9. et dixit mihi : Sufficit tibi gratia mea : nam virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. 10. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo. Cum enim infirmor, tunc potens sum. 11. Factus sum insipiens, vos me coegistis. Ego enim a vobis debui commendari : nihil enim minus fui ab iis, qui sunt supra modum Apostoli : tametsi nihil sum; 12. signa tamen apostolatus mei facta sunt super vos in omni patientia, in signis, et prodigiis, et virtutibus. 13. Quid est enim, quod minus habuistis præ cæteris Ecclesiis, nisi quod ego ipse non gravavi vos? Donate mihi hanc injuriam. 14. Ecce tertio hoc paratus sum venire ad vos, et non ero gravis vobis. Non enim quæro quæ vestra sunt, sed vos. Nec enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis. 15. Ego autem libentissime impendam, et superimpendar ipse pro animabus vestris : licet plus vos diligens, minus diligar. 16. Sed esto : ego vos non gravavi; sed cum essem astutus, dolo vos cepi. 17. Numquid per aliquem eorum, quos misi ad vos, circumveni vos? 18. Rogavi Titum, et misi cum illo fratrem. Numquid Titus vos circumvenit? nonne eodem spiritu ambulavimus? nonne iisdem vestigiis? Olim putatis quod excusemus nos apud vos? Coram Deo in Christo loquimur : omnia autem, charissimi, propter ædificationem vestram. 20. Timeo enim, ne forte cum venero, non quales volo, inveniam vos; et ego inveniar a vobis qualem non vultis : ne forte contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, detractiones, susurrationes, inflationes, seditiones sint inter vos : 21. ne iterum cum venero, humiliet me Deus apud vos, et lugeam multos ex iis, qui ante peccaverunt, et non egerunt pœnitentiam super immunditia, et fornicatione, et impudicitia, quam gesserunt.

Vers. 1. 2. SCIO HOMINEM IN CHRISTO, — hominem Christianum, ut pateat, ait Theophylactus, raptum esse Paulum Christi gratia, non ope dæmonis, uti raptus fuit in aerem Simon Magus.

Quando Paulus hic raptus sentiendus est?

ANTE ANNOS QUATUORDECIM. — Hinc deducitur raptum hunc Pauli contigisse novem circiter annis ab ejus conversione, quæ contigit anno Christi 36. Raptus ergo fuit Paulus anno Claudii imperatoris 2, Christi 44, qui fuit nonus ab ejus conversione; quo anno, jubente Spiritu Sancto, ordinatus est cum Barnaba Apostolus et doctor Gentium, *Actor.* XIII. 2, paulo videlicet ante quam hunc Apostolatum ordiretur. Id patet, quia, (ut dixi initio epistolæ) hanc scripsit Paulus anno Christi 58, qui fuit Neronis 2, a quo si retrorsum computes annos 14, ut ipsemet hic ait, incides in annum Christi 44. Non ergo hic raptus contigit anno conversionis Pauli (*Actor.* IX, 12), qui fuit Christi 36, licet id putarint aliqui cum S. Thoma.

Notat Theophylactus Apostoli modestiam, quod per quatuordecim annos rem tantam siluerit. *Secundo*, si tantus et tam altæ contemplationis fuerit Paulus ante annos 14, quantus ergo jam fuit tot annorum, laborum, meritorum incrementis adauctus? Ita Chrysostomus et Theophylactus.

Pauli anima in hoc raptu non fuit separata a corpore.

SIVE IN CORPORE, NESCIO; SIVE EXTRA CORPUS, NESCIO. — Licet Apostolus asserat se hac de re nihil certo scire, probabiliter tamen D. Thomas, II II, *Quæst.* CLXXV, art. 5, et alii opinantur Pauli animam quasi formam mansisse unitam corpori : alioqui enim Paulus mortuus fuisset, et mox resurrexisset; Deum autem non decet, ut, cum homines in exstasim rapit, eos occidat; imo sic non fuisset hic raptus et exstasis, sed occisio et mors, multaque hic intervenissent miracula, quæ frustra multiplicamus, cum sine iis suaviter et naturaliter manens in corpore rapi potuerit, ut alii Sancti rapti sunt.

Raptus quid sit, et quibus competat?

RAPTUM. — « Raptus, ait D. Thomas, est ab eo quod est secundum naturam, in id quod est supra naturam, ex vi superioris naturæ elevatio. » Unde angeli et animæ beatæ non rapiuntur cum Deum vident : quia licet supra naturam eleventur, non tamen alienantur ab eo, quod est secundum naturam, id est, a naturali animæ statu qui est in homine, ut per sensus corporeos et phantasmata

solatur : tolerat infirmitates singulorum, et simul de communi salute et de toto orbe sollicitus est.»

Cura et sollicitudo Ecclesiarum omnium.

Præclare S. Chrysostomus hic, *homil.* 18, suo exemplo docet nihil esse hac sollicitudine, cura, studio, labore et dolore boni Pastoris pro Ecclesia suavius. « Nam et mater, inquit, pro filio dolore dolens delectatur, sollicita gaudet : cura in se amara licet sit, pro liberis tamen impensa voluptatis multum habet. » Avent viri magni et cœlestes perpetuis laboribus curisque agitari, atque instar cordis aut cœli semper moveri, et quod Vespasianus, teste Suetonio, dixit, « stantes mori. » Quocirca Pacatus, in *Panegyr. Theodosii* : « Gaudent, ait, divina perpetuo motu, et jugi agitatione se vegetat æternitas, et quidquid homines vocamus laborem, vestra natura est : ut indefessa vertigo cœlum rotat, ut maria æstibus inquieta sunt, et stare sol nescit : ita tu, Imperator, continuis negotiis, et in se quodam orbe redeuntibus, semper exercitus es. »

Vers. 29. 29. QUIS INFIRMATUR (dolet, affligitur), ET EGO NON INFIRMOR (non doleo, non affligor)? QUIS SCANDALIZATUR, ET EGO NON UROR. — Græce πυροῦμαι, hoc est, ut Theophylactus, ignesco, incendor, ardeo, tum dolore, quasi meum esset malum, quod subit proximus cum scandalizatur; tum zelo, ut illum curem, et scandalum tollam.

Locus obscurus in *Ezech.* illustratus.

Unde S. Gregorius, homil. 12 in *Ezech.*, in illud cap. IV, *Sume tibi sartaginem ferream*, putat per sartaginem significari animum Ezechielis, qui conspecta Hierosolymæ eversione, per compassionem quasi in sartagine frigeretur, ejusque rei a Deo admoneri, cum jubetur inter se et urbem sartaginem ponere, talemque fuisse Paulum cum dixit : « Quis scandalizatur, et ego non uror? Ipsum suum cor (inquit Gregorius), quod animarum zelo succenderat, sartaginem fecerat Paulus, in quo amore virtutum contra vitia ardebat, » et proximorum miseriis per compassionem frigebatur.

30. QUÆ INFIRMITATIS MEÆ SUNT (id est de afflictionibus, flagellis, persecutionibus et passionibus pro Christo susceptis), GLORIABOR, — ob quæ videor infirmus, hoc est, abjectus, afflictus, imbecillis et contemptibilis, ita Chrysostomus. Nota : Gloriatur Paulus, non in suis miraculis, sed infirmitatibus, quia in his relucet potentia et efficacia gratiæ Dei. *Secundo*, quia his superabat pseudoapostolos. *Tertio*, quia hæc sunt signa veræ virtutis et Apostoli.

Vers. 32. 32. PRÆPOSITUS GENTIS ARETÆ. — Græce ὁ ἐθνάρχης τοῦ Ἀρέτα, satrapa Aretæ regis : fuit hic socer Herodis, ait Theophylactus. Herodes enim Antipas, qui Joannem Baptistam occidit, filiam Aretæ uxorem duxerat, teste Josepho.

Vers. 33. 33. PER FENESTRAM IN SPORTA DIMISSUS SUM. — Nota : Contigit hæc Pauli fuga per sportam Damasci, *Actor.* IX, 25, anno Christi 39; tunc enim Aretas, rex Arabiæ et vicinæ Damasci dominus, ait Josephus, intulit bellum Herodi, quia Herodes ea repudiaverat Aretæ filiam, ut duceret Herodiadem. In bello hoc succubuit Herodes; ergo ensus ab Areta, in eum incitavit Tiberium Cæsarem, qui misit Vitellium, Syriæ præsidem, ut Aretam caperet vel occideret, testis Josepho, lib. XVIII *Antiquitatum*, cap. VII. Hac occasione usi Judæi infensi Paulo, eum apud præfectum Aretæ accusasse videntur, quod per speciem et prætextum Evangelii turbas moveret, et cives a gentilismo, et consequenter ab Areta averteret, foreque ut ille Damascum Judæis et Vitellio proderet. Hinc præfectus timens et credulus Paulum quærit : ille monitus per sportam e muro dimissus dilabitur. Ita D. Baronius, tom. I, pag. 304, et alii.

Quando Paulus evaserit ea per sportam?

CAPUT DUODECIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, ut se Corinthiis præ pseudoapostolis commendet, narrat suum raptum in tertium cœlum.

Secundo, vers. 7, *ne inde extollatur, datum sibi ait stimulum carnis : nam virtus in infirmitate perficitur.*

Tertio, vers. 11, *a phrenetia se excusat, quod ipsi compulerint eum, ut se laudaret, cum ab illis potius debuisset commendari a patientia, miraculis, prædicatione gratuita, charitate et sollicitudine.*

Quarto, vers. 17, *refutat calumniam sibi objectam, quod dolose non per se, sed per Titum a Corinthiis pecunias corrogarit.*

Quinto, vers. 21, *metuit ne ad eos veniens inveniat aliquos dissensionibus aliisque vitiis involutos : quos tacite hoc ipso monet ne eos cum luctu et dolore castigare cogatur.*

1. Si gloriari oportet (non expedit quidem), veniam autem ad visiones et revelationes Domini. 2. Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim (sive in corpore nescio, sive extra corpus nescio, Deus scit), raptum hujusmodi usque ad tertium cœlum. 3. Et scio hujusmodi hominem (sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit), 4. quoniam

raptus est in paradisum, et audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui. 5. Pro hujusmodi gloriabor : pro me autem nihil gloriabor nisi in infirmitatibus meis. 6. Nam, et si voluero gloriari, non ero insipiens : veritatem enim dicam; parco autem, ne quis me existimet supra id, quod videt in me, aut aliquid audit ex me. 7. Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus Satanæ, qui me colaphizet. 8. Propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet a me; 9. et dixit mihi : Sufficit tibi gratia mea : nam virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. 10. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo. Cum enim infirmor, tunc potens sum. 11. Factus sum insipiens, vos me coegistis. Ego enim a vobis debui commendari : nihil enim minus fui ab iis, qui sunt supra modum Apostoli : tametsi nihil sum; 12. signa tamen apostolatus mei facta sunt super vos in omni patientia, in signis, et prodigiis, et virtutibus. 13. Quid est enim, quod minus habuistis præ cæteris Ecclesiis, nisi quod ego ipse non gravavi vos? Donate mihi hanc injuriam. 14. Ecce tertio hoc paratus sum venire ad vos, et non ero gravis vobis. Non enim quæro quæ vestra sunt, sed vos. Nec enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis. 15. Ego autem libentissime impendam, et superimpendar ipse pro animabus vestris : licet plus vos diligens, minus diligar. 16. Sed esto : ego vos non gravavi; sed cum essem astutus, dolo vos cepi. 17. Numquid per aliquem eorum, quos misi ad vos, circumveni vos? 18. Rogavi Titum, et misi cum illo fratrem. Numquid Titus vos circumvenit? nonne eodem spiritu ambulavimus? nonne iisdem vestigiis? Olim putatis quod excusemus nos apud vos? Coram Deo in Christo loquimur : omnia autem, charissimi, propter ædificationem vestram. 20. Timeo enim, ne forte cum venero, non quales volo, inveniam vos; et ego inveniar a vobis qualem non vultis : ne forte contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, detractiones, susurrationes, inflationes, seditiones sint inter vos : 21. ne iterum cum venero, humiliet me Deus apud vos, et lugeam multos ex iis, qui ante peccaverunt, et non egerunt pœnitentiam super immunditia, et fornicatione, et impudicitia, quam gesserunt.

Vers. 1. 2. SCIO HOMINEM IN CHRISTO, — hominem Christianum, ut pateat, ait Theophylactus, raptum esse Paulum Christi gratia, non ope dæmonis, uti raptus fuit in aerem Simon Magus.

Quando Paulus hic raptus sentiendus est?

ANTE ANNOS QUATUORDECIM. — Hinc deducitur raptum hunc Pauli contigisse novem circiter annis ab ejus conversione, quæ contigit anno Christi 36. Raptus ergo fuit Paulus anno Claudii imperatoris 2, Christi 44, qui fuit nonus ab ejus conversione; quo anno, jubente Spiritu Sancto, ordinatus est cum Barnaba Apostolus et doctor Gentium, *Actor.* XIII. 2, paulo videlicet ante quam hunc Apostolatum ordiretur. Id patet, quia, (ut dixi initio epistolæ) hanc scripsit Paulus anno Christi 58, qui fuit Neronis 2, a quo si retrorsum computes annos 14, ut ipsemet hic ait, incides in annum Christi 44. Non ergo hic raptus contigit anno conversionis Pauli (*Actor.* IX, 12), qui fuit Christi 36, licet id putarint aliqui cum S. Thoma.

Notat Theophylactus Apostoli modestiam, quod per quatuordecim annos rem tantam siluerit. *Secundo*, si tantus et tam altæ contemplationis fuerit Paulus ante annos 14, quantus ergo jam fuit tot annorum, laborum, meritorum incrementis adauctus? Ita Chrysostomus et Theophylactus.

Pauli anima in hoc raptu non fuit separata a corpore.

SIVE IN CORPORE, NESCIO; SIVE EXTRA CORPUS, NESCIO. — Licet Apostolus asserat se hac de re nihil certo scire, probabiliter tamen D. Thomas, II II, *Quæst.* CLXXV, art. 5, et alii opinantur Pauli animam quasi formam mansisse unitam corpori : alioqui enim Paulus mortuus fuisset, et mox resurrexisset; Deum autem non decet, ut, cum homines in exstasim rapit, eos occidat; imo sic non fuisset hic raptus et exstasis, sed occisio et mors, multaque hic intervenissent miracula, quæ frustra multiplicamus, cum sine iis suaviter et naturaliter manens in corpore rapi potuerit, ut alii Sancti rapti sunt.

Raptus quid sit, et quibus competat?

RAPTUM. — « Raptus, ait D. Thomas, est ab eo quod est secundum naturam, in id quod est supra naturam, ex vi superioris naturæ elevatio. » Unde angeli et animæ beatæ non rapiuntur cum Deum vident : quia licet supra naturam eleventur, non tamen alienantur ab eo, quod est secundum naturam, id est, a naturali animæ statu qui est in homine, ut per sensus corporeos et phantasmata

sua objecta cognoscat et intelligat : in raptu ergo alienatur et abstrahitur anima a sensibus et phantasmatibus, et sic ab iis abstractus fuit Paulus ; alioqui enim scivisset se esse in corpore. Hæc autem abstractio, ait D. Thomas, fieri potest vi morbi, cum tantus est, ut homo incidat in deliquium mentisque alienationem ; vel etiam virtute dæmonum, ut fit in arreptitiis : sed non dicitur raptus vel exstasis, nisi fiat virtute divina, qua scilicet mens abstracta a sensibus elevatur ad supernaturalia contemplanda.

Quod fuerit hoc tertium cœlum, et quot sint cœli ?

USQUE AD TERTIUM CŒLUM. — Quæritur, quodnam hoc cœlum? *Primo*, hinc Basilius, homil. 1 *Hexameron*, docet non unum, ut Chrysostomus, non duos, ut Theophylactus, sed tres ut minimum esse cœlos. Addunt alii tantum esse tres ; tertium enim hic esse summum. Sed his litem intentabunt veteres omnes Astronomi, qui ut minimum octo ; et moderni, qui ut minimum undecim cœlos statuunt.

Secundo, Div. Thomas, II II, *Quæst.* CLXXV, art. 3, ad 4 : « Alio modo, inquit, per tertium cœlum potest intelligi aliqua visio supermundana, quæ potest dici tertium cœlum triplici ratione. Uno modo, secundum ordinem potentiarum cognoscitivarum ; ut primum cœlum dicatur visio supermundana corporalis, quæ fit per sensum, sicut visa est manus scribentis in pariete, *Daniel.* v. Secundum autem cœlum sit visio imaginaria, puta quam vidit Isaias et Joannes in *Apocal.* Tertium vero cœlum dicatur visio intellectualis, ut S. Augustinus exponit XII *Super Genes. ad litteram.*

» Secundo modo potest dici tertium cœlum secundum ordinem cognoscibilium, ut primum cœlum dicatur cognitio cœlestium corporum ; secundum, cognitio cœlestium spirituum ; tertium, ipsius Dei cognitio.

» Tertio modo dici potest tertium cœlum contemplatio Dei secundum gradus cognitionis, qua Deus videtur : quorum primum pertinet ad angelos infimæ hierarchiæ, secundum ad angelos mediæ, tertium ad angelos supremæ. » Hactenus D. Thomas, ut raptus fuerit Paulus ad « tertium cœlum, » hoc est, ad tertiam et summam angelorum hierarchiam, ibique cum Seraphinis existens clarissime viderit Dei essentiam, indeque ardorem illum et charitatis ignem conceperit, quo deinde orbem universum accendit.

Hic tertium cœlum beatificatur empyreum.

Sed respondeo, dici « tertium cœlum, » id est summum, scilicet empyreum, quod est Beatorum sedes. Unde, vers. 4, vocatur paradisus. Dicitur « tertium » hebraismo : ternarius enim numerus significat omnia, et complementum rei, sive summum ; tria enim sunt omnia, de quibus scilicet primo dicitur quod sint omnia : nam non de uno aut duobus, sed de tribus primo dicimus quod sint omnia. Hinc Poeta : « O terque quaterque beati, » id est, summe beati. *Amos*, I, 3 : « Super tribus, » id est omnibus, « sceleribus Damasci. » Et hic vers. 8 : « Ter Dominum rogavi ; ter, » id est sæpissime, ad ultimum usque, donec respondit mihi : « Sufficit tibi gratia mea. »

Secundo, et simplicius, ut docet D. Thomas loco citato : « Primum cœlum est sidereum, secundum crystallinum, tertium empyreum ; » vel potius « cœlum primum est aereum, secundum sidereum, tertium empyreum. » Ita Theophylactus, Julianus Pomerius apud Theophylactum, Damascenus, lib. II *De Fide*, cap. VI, et jam alii passim : aer enim in Scriptura ex vulgi phrasi dicitur *cœlum*, unde vocantur *volucres cœli*, hoc est, aeris : aer ergo cœlum primum est, nimirum aereum, orbes omnes cœlestes sunt cœlum secundum, videlicet æthereum ; tertium vero est empyreum. Unde male Cajetanus, rejecto cœlo empyreo, tertium et summum cœlum, in quo beati habitant, vult esse crystallinum in quo sunt aquæ, quæ *Genes.* I et alibi dicuntur esse supra cœlos (1).

Error Cajetani de cœlo empyreo.

Mystice S. Bernardus, tract. *De Gradibus humilitatis* : Tres cœli sunt tres personæ SS. Trinitatis ; item tres virtutes et dotes, quibus ad eas, et ad gratiæ et gloriæ culmen ascendimus, scilicet humilitas, charitas et perfecta unio. « Nam, inquit, quos verbo et exemplo prius Filius humiliavit, super quos deinde Spiritus Sanctus charitatem effudit, hos tandem in gloria Pater recipit. Filius facit discipulos, Paracletus consolatur amicos, Pater exaltat filios. *Primo* scilicet, instruit ut magister. *Secundo*, consolatur ut amicus vel frater. *Tertio*, astringit ut filios pater. Ex prima conjunctione Verbi et rationis, humilitas nascitur. Ex secunda conjunctione Spiritus Dei et voluntatis humanæ, charitas efficitur. Ac tandem gloriosam sibi sponsam Pater conglutinat, ita ut nec ratio de se, nec voluntas de proximo cogitare sinatur ; sed hoc solum beata illa anima dicere delectetur : Introduxit me rex in cubiculum suum. Putas, hos gradus Paulus non transierit, qui usque ad tertium cœlum se raptum fuisse testatur ? »

An raptus fuerit Paulus in corpore, vel extra corpus, nescio.

Quæres *secundo*, verene et realiter raptus fuerit Paulus in cœlum empyreum, ut in eo localiter existeret ; an vero tantum imaginarie, vel intellectualiter, ut scilicet per imaginationem videretur sibi esse in cœlo, videretque ea quæ ibi geruntur, licet corpore et anima maneret in terris ? Putant aliqui probabiliter, non vere, sed imaginarie raptum fuisse, quia vocat hunc raptum *visiones* et *revelationes Domini*, vers. 1 et 7. Potest enim facere Deus, ut ego existens in Belgio videam ea

(1) Judæi septem cœlos, intervallis rerum, quæ inest, distinguere soleni. Nomina horum cœlorum Weselenius ex scriptis Rabbinicis recenset : sunt nempe, *Velum*, *Expansum*, *Nubes*, *Habitaculum*, *Habitatio*, *Sedes fixa*, *Araboth*. Verum in sacris litteris tres tantummodo commemorantur cœli. Primum est *aereum*, cujus tres regiones, suprema, media, infima. Secundum est *cœlum sidereum*, in quo sol, luna et stellæ. Tertium est *sedes beatorum spirituum*, quod cœlum cœli appellat David, quia sublimissimum est et excellentissimum ; Paradisus dicitur vers. 4.

quæ fiunt in India, imo et ea quæ fiunt in cœlo, videam, inquam, vel per intellectum, vel per imaginationem, vel etiam oculis corporis, elevando scilicet eos, et cum illis concurrendo supra naturam, itaque roborando et extendendo vim visivam, ut se porrigat in cœlum usque : si enim illa conspicillis et pharmacis ultra naturales vires aliquo usque protendi potest, et si naturaliter hinc stellas in firmamento videmus, cur non ulterius, et ulterius vires has augere et extendere possit Deus ? Ita concurrit cum S. Anselmo, ut visu corporeo cerneret per murum ea quæ post murum gerebantur, illorum species ejus oculis indendo. Sic S. Diethelmus apud Ven. Bedam, et alii per imaginationem viderunt pœnas Purgatorii : cur non et Paulus cœlum empyreum, eaque quæ in eo gerebantur, ita viderit ?

Aliquorum Sanctorum visiones miabiliter explicatæ.

Alii, et forte probabilius, censent vere et realiter raptum fuisse in cœlum empyreum. *Primo*, quia græce non est ἔξω, id est raptus est in exstasim, sed ἁρπάγη, quod mere et simpliciter raptum abreptumque fuisse significat. Ergo non exstasim tantum, sed raptum realem est passus.

Raptus est Paulus.

Secundo, quia Paulus dubitat an anima rapta sit cum corpore, an sine corpore ; ergo eam revera et realiter raptam præsupponit : nam in visione imaginaria tantum, nullum est dubium, sed certum, non corpus, sed animam solam per imaginationem rapi.

Paradisus sive locus Beatorum empyreus in cœlo.

Tertio, quia ibi revera audivit arcana verba, ut scilicet orbis jam doctor futurus, e cœlo prodire videretur, ibique visa et audita quæ volebat Deus illum hominibus communicare, enarraret, cœlestemque sapientiam quasi e cœlo hominibus afferret : de quo plura vers. 4.

Paulus vere cum corpore et anima rapta fuit.

Jam si realis fuit raptus animæ, et anima mansit corpori conjuncta (ut dixi hujus versus initio ad illud, *sive in corpore*), videtur et Pauli corpus cum anima raptum esse in paradisum : hoc enim Deo æque est facile, atque solam animam rapere, et congruum dignumque Paulo, qui non Judæorum tantum, ut Moses, sed et Gentium omnium cœlestis futurus erat doctor et Apostolus, ut totus e cœlo et Dei alloquio quasi alter Moses prodiret.

Vers. 2. An Paulus vere noverit modum sui raptus?

3. SIVE IN CORPORE, SIVE EXTRA CORPUS, NESCIO. — S. Athanasius, serm. 4 *Contra Arianos*, putat Paulum scivisse modum quo raptus fuit, dicere tamen, Nescio, quia illum aliis revelare non poterat ; quomodo Christus, *Marci* XIII, 32, ait se nescire diem judicii. Licet enim illum in se sciat, tamen quoad nos eum nescit ; nobis enim illum indicare non potest. Verum alii melius simpliciter accipiunt τὸ *nescio*, quasi Paulus vere et proprie nescierit an in corpore, an extra corpus raptus sit, illudque exigit simplex narratio ipsius.

Vers. 4. Beati tantum

4. IN PARADISUM. — Ambrosius, Œcumenius, Haymo, Anselmus et Theophylactus putant Paulum bis raptum fuisse, *primo*, in tertium cœlum ;

raptus est Paulus.

Paulus in raptu non vidit divinam essentiam.

secundo, alibi in paradisum : sed sic tertium cœlum foret cœlum Lunæ, Jolis aut stellarum : ibi autem quid egisset Paulus ? Unde alii passim dicunt eumdem esse raptum, idemque esse tertium cœlum et paradisum.

Dices : Quare ergo post raptum in tertium cœlum, ait Paulus se raptum in paradisum quasi altius ? Respondeo, quia in cœlo empyreo vastissimo separatus est paradisus, id est locus Beatorum, quasi pars cœli nobilior et eminentior ; utque innuat se non tantum intellecta raptum altissima vidisse mysteria, sed et voluntate ineffabilem inde voluptatem hausisse : hanc enim significat græce et latine paradisus locum scilicet voluptatis.

Nota : *Poradisus* non est vox Græca, ut vult Suidas, ἀπὸ τοῦ διαν, id est, ab irrigando, q. d. hortus irriguus ; nec, ut alii, παρὰ τὸν δάσασθαι ἀναπαύεσθαι, id est, ab herbarum collectione, q. d. hortus herbidus ; sed est vox Persica, ut vult Pollux ; vel potius Hebræa, significans hortum amœnis arboribus et fructibus consitum, ut putat *Eccles.* II, 5 ; *Nehemiæ* II, 8, in Hebræo ; *Cant.* IV, 11 : « Emissiones tuæ paradisus pomorum : » פרדס *pardes* ergo hebraice (unde Græcum et Latinum *paradisus*) deducitur a radice פרה *para*, id est protulit, fructificavit, et הדס *hadas*, id est myrtus : quia myrtus odore saporeque recreat, et in hortis excellit ; *pardes* ergo est hortus myrtorum ; inde ad quosvis hortos, sylvas et saltus voluptarios, et tandem ad quævis loca amœnissima hoc nomen translatum est. Unde hic tertium cœlum vocatur paradisus.

Quæres, an Paulus hic divinam viderit essentiam. S. Augustinus, *epist.* 112, cap. XIII, tom. II ; Clemens, lib. V *Stromat.* ; Anselmus, D. Thomas, II II, *Quæst.* CLXXV, art. 5, affirmant, estque probabile : ideo enim raptus est in paradisum, id est, locum Beatorum videntium Deum. *Secundo*, ideo audivit arcana quæ homini loqui non licet, et, ut græce est, ἄῤῥητα, hoc est *ineffabilia* ; reliqua enim præter divinam essentiam effari licet.

Dices : Tunc dicere debuisset se vidisse res, non audisse verba.

Respondeo : Hebraismo *audire verba* significat videre res, ait Theodoretus ; ergo sicut in Prophetis visio vel videre, et audire, idem sunt, ita et in beatis mentibus.

Sed contrarium videtur probabilius : proprie enim *audire* etiam animæ separatæ, non significat clare rem intueri, sed Dei, angeli aut hominis locutionem excipere ; alioqui enim clare dixisset : Vidi ineffabilia, vidi Deum. *Secundo*, quia I Tim. VI, 16, de Deo dicitur : « Quem nullus hominum vidit. » *Tertio*, quia si Deum vidit, vidit et statum suum, an in corpore esset, nec ne ; quod tamen hic negat. *Quarto*, quia parce suas hic visiones recenset, majoraque se subticere ex humilitate docet vers. 6. Ita S. Gregorius, lib. XVIII *Moral.*, cap. V ; Hieronymus, Cyrillus, Chrysostomus et

passim alii Patres et Scholastici. Vide Ludovicum Molinam, I *part.*, *Quæst.* XII, art. 11, disp. II. Denique quia de Mose clarius innuit Scriptura, quod Dei essentiam viderit, et tamen satis clare demonstravi *Exodi* XXXIII, Moysen non petiisse Dei essentiam videre, neque si petierit, impetrasse: diserte enim vers. 20, negative respondet ei Dominus: « Non poteris videre faciem meam; non enim videbit me homo, et vivet. » Ac tantum vers. ult. concedit ei, ut posteriora, id est signum corporis ab angelo, qui Deum repræsentabat, assumpti videat: petebat enim Moses ut Deus, vel potius angelus vice Dei, nube se tegens, et per nubem cum ipso colloquens, eam explicaret, et clare eum videre, et facie ad faciem cum eo colloqui posset. Respondet ei angelus, hominis oculos non ferre, nec posse videre faciem suam, sed dorsum tantum: facies enim illa ab angelo assumpta radiantissima erat, et tam admirando lumine ac majestate angusta, ut Deum Deique gloriam quadamtenus referret; vincebat ergo solis splendorem, quem cum oculis directis et irretortis homo intueri non possit, quin potius ab eo perstringatur, et quasi excæcetur; sequitur multo minus faciem hanc angeli longe splendidiorem a Mose videri potuisse, quin ab ea statim excæcaretur. In dorso vero corporis illius a se assumpti ita lumen angelus attemperaverat, ut Mosis aspectus ferret. Unde permisit posteriora sua, hoc est dorsum suum ab eo videri: quo mirifice recreatus est Moses, tantoque lumine perfusus et aspersus, ut facies ejus pariter radiaret, lucisque radius quasi cornibus quibusdam cornuta videretur, ut ibi dixi. Hæc itaque Mosis visio fuit corporalis: corporeis enim oculis vidit corpus hoc angeli a tergo; longe ergo abfuit Moses a visione divinitatis essentiæque divinæ. Si Moses abfuit, ergo et Paulus, qui multo obscurius et humilius de sua visione loquitur.

Nec Moyses vidit Deum.

AUDIVIT ARCANA VERBA, QUÆ NON LICET HOMINI LOQUI. — Quæres, quæ arcana viderit vel audierit Paulus in paradiso. Respondeo: Narrantur hæc in libro, qui inscribitur Apocalypsis, id est revelatio, Paulis sed hic liber falso ascribitur S. Paulo, plenusque fabulis est. Ita S. Augustinus, tract. 98 *in Joan.*; Beda, Theophylactus; et Epiphanius librum hunc tribuit Cajanis in eorum hæresi.

Cajani hæretici librum adhibuerunt de Apocalypsi S. Pauli.

Dico ergo, nihil hic certo dici posse, cum ea Paulus siluerit; opinari tamen licet Paulum vidisse et audisse mira de angelorum natura, dotibus, gratia, gloria, ordinibus, ait S. Gregorius, hom. 4 *in Ezechiel*. Unde S. Dionysius, *De Cœlesti Hierarchia*, ex S. Pauli doctrina ita ordines angelorum describit, quasi oculis omnia spectarit. Rursum, audisse mira de divinis quibusdam attributis nobis hic incognitis; vidisse insuper gloriam Christi: a Christo enim doctus est Evangelium, *Galat.* I, 12. Raptus enim fuit, ut ei auctoritas adderetur, ne minor esset aliis Apostolis, qui Christum in carne viderant, ab eoque edocti erant, ait Chrysostomus. Addit Theodoretus, vidisse paradisi pulchritudinem, Sanctorum choreas et gaudia, numerosam ac modulatam hymnorum cœlestium vocem audiisse. Unde postea admirabundus exclamavit: « Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum. »

Quenam Paulus viderit in raptu et audierit?

Secundo, et potius, videtur audiisse arcana de secreto, ratione, modo, ordine divinæ reprobationis et prædestinationis ac vocationis hominum, maxime Gentium et provinciarum per se conversarum: hoc enim secretum passim miratur Paulus, *Rom.* XI, 33, et alibi, hocque maxime ad ipsum attinebat, eoque proxime mittendus erat. Ita Baronius.

Rursum audivit, ut videtur, arcana quædam Christi redemptionis ac Evangelii mysteria: hoc enim per revelationem, in hoc scilicet raptu, accepisse se dicit a Christo, *Galat.* I, 12. Denique audivit, ut apparet, arcana de œconomia, regimine ac successu Ecclesiæ præsentis ac futuræ: hoc enim ad ipsius et statum et officium pertinebat: jam enim designatus erat Ecclesiæ doctor et rector; sicque ineffabilia vocat, tum quæ fari prohibitum est, tum quæ fando adæquare et plene explicare non possumus.

5. PRO EUSMON (ὑπὲρ τοῦ τοιούτου, pro tali, scilicet homine a Deo rapto) (1) GLORIABOR: PRO ME AUTEM NIHIL. — Loquitur de se raptu quasi alio a se suaque naturali conditione, ad ὑπερηφανίαν vitandam, ait Œcumenius.

Vers. 5.

NISI IN INFIRMITATIBUS, — calamitatibus, passionibus. Nota: Per Hebraeam metonymiam passim hic infirmitas ponitur pro dolore: sic Hebræi infirmari ponunt pro dolere, quia ejus causa est, pro dolore vel effectus, vel utrumque. De quo rursum, vers. 6. Sic *Mich.* IV, vers. 10, dicitur: « Dole et salage, filia Sion, quasi parturiens. » Ubi pro *dole* in Hebr. est חוּלִי *chuli*, id est infirmare. Sic *Osee* IV, 3: « Propter hoc lugebit terra, et infirmabitur (id est dolebit) omnis qui habitat in ea. » Sic *Isaiæ* LIII, 3, Christus vocatur « vir dolorum, sciens infirmitatem. » Quæ duo in re idem sunt, adeoque more Hebræo posterius explicat prius. Vir enim dolorum est qui scit, id est experitur, infirmitates, id est dolores. Sic *Psal.* XV, 4: « Multiplicate sunt infirmitates (id est dolores) eorum, postea acceleraverunt. »

Infirmitas pro dolore vel pro dolore et pœna.

6. PARCO AUTEM, NE QUIS ME EXISTIMET SUPRA ID QUOD VIDET IN ME, — ne videlicet quis me angelum, vel Deum aliquem putet, ut Lycaonii, qui de me et Barnaba dixerunt: « Dii similes facti hominibus descenderunt ad nos. » *Actor.* XIV, 10. Nota: Potuisset de se mirabilia magis referre, sed ea modestiæ humilitatisque studio tegit et opacat: omnes enim Sancti, ait Anselmus, non modo gloriam supra modum omnino non appetunt, sed et hoc ipsum refugiunt quod esse meruerunt.

(1) Alii, *de ejusmodi*, etc.

Præclare S. Bernardus, epist. 18 *ad Petrum*: « Laudamus, inquit, mendaciter, delectamur inaniter, ut et vani sint qui laudantur, et mendaces qui laudant. Alii adulantur, et ficti sunt; alii laudant quod putant, et falsi sunt; alii utrorumque præconiis gloriantur, et vani sunt. Solus sapiens, qui cum Apostolo dicit: Parco autem, ne quis me existimet supra id quod videt in me, aut audit aliquid ex me. »

7. ET NE MAGNITUDO REVELATIONUM EXTOLLAT ME. — Hinc patet Paulum quasi cœlestem orbis doctorem multas et magnas habuisse revelationes, iisque quasi assuetum et enutritum fuisse. Illarum nonnullas describit Lucas. *Primam*, qua conversus est Paulus, *Actor.* IX, 3. *Secundam*, qua vocatus est in Macedoniam, *Actor.* XVI, 9. *Tertiam*, *Actor.* XVIII, 9, qua Corinthi contra Judæos jussus est constanter evangelizare. *Quartam*, *Act.* XXII, 17, qua ad Gentes missus est. *Quintam*, *Act.* XXVII, 23, qua didicit se cum suis naufragium evasurum. Unde S. Augustinus, illud *Psal.* LXXVII: « Ibi (scilicet inter Apostolos) Benjamin in mentis excessu, » de Paulo intelligit, qui fuit ex tribu Benjamin.

DATUS EST MIHI STIMULUS CARNIS MEÆ ANGELUS SATANÆ, QUI ME COLAPHIZET. — « Datus est, » non a diabolo, sed a Deo: non quod Deus tentationis sit auctor, sed quia diabolo tentare Paulum parato, id permisit, idque tantum in specie et materia libidinis, ad eum humiliandum. Ita Augustinus, *De Natura et Grat.*, cap. XXVII. « Hic monitor, ait Hieronymus, epist. 23 *ad Paulam* de obitu Blæsillæ, Paulo datus est ad premendam superbiam, uti in curru triumphali triumphanti datur monitor suggerens: Hominem te esse memento. » Uti et Pontifici cum inauguratur, stupa accensa et mox extincta, accinitur: « Pater sancte, sic transit gloria mundi. » Unde optimum remedium ad evadendas tentationes carnis, est humilitas, si in ea tanto te magis fundes et profunde demittas, quanto te magis Deus donis suis et gratiis attollit: si enim tu ipse id facias ac prævenias, Deo non erit opus hunc stimulum, ut te in humilitate conservet, adhibere. Vide dicta *Rom.* I, 24.

Stimulus carnis, tentationes libidinis, probatur ex ratione.

Quid sit ille stimulus carnis, et angelus Satanæ? quatuor sententiæ.

STIMULUS CARNIS. — Tertullianus, lib. *De Fuga in persecut.*, cap. II, legit *sudes*. Quæritur, quis hic? Si enim est stimulus, quomodo colaphizat ut colaphus? quomodo est angelus Satanæ? Respondet Augustinus, *De Natura et Grat.*, cap. XVI, se nescire, quis sit. Duo hic certa sunt: *Primum*, fuisse dæmonis vexationem: « Datus, inquit, mihi est angelus Satanæ, qui me colaphizet, » ut me vexet. Unde orat ut discedat, vel, ut græce, ἀποστῇ, id est desistat. *Secundum*, fuisse aliquid instar aculei carni ejus infixum, quod eum assidue pungeret et cruciaret.

Verum in particulari quid fuerit, certum non est. *Primo*, Anselmus, Beda, Sedulius et Hieronymus in *Galat.* IV, 13 (ubi infirmitatem carnis in se agnoscit Apostolus), putant fuisse corporis ægritudines, sive capitis perpetuum dolorem, ut vult Hieronymus; sive viscerum iliacos dolores, ut alii apud S. Thomam; sive renum infirmitatem, et podagram, ut vult Nicetas in *orat.* 30 Nazianzeni, quam habuit in mortem S. Basilii; sive ut alii, stomachi ægritudinem; sive aliquem alium morbum. Unde et S. Basilius in *Reg. fusius disp.*, cap. ult., et Augustinus in *Psal.* CXXX, stimulum hunc putant fuisse morbum Paulo neque ac S. Job a dæmone immissum: sed nusquam alibi de morbis suis queritur Apostolus, et morbi magno illi fuissent impedimento, in sua prædicatione Evangelicæque propagatione.

Secundo, Chrysostomus, Theophylactus, Theodoretus, Œcumenius, Ambrosius, Erasmus, stimulum hunc putant fuisse persecutiones et adversarios Pauli, de quibus sequitur vers. 10; sed hi externi erant stimuli, non carnis, et interni; et de his gloriari solet, non queri (1).

Tertio, alii probabilius censent Satanam sæpe pugnis ac verberibus Paulum (uti et aliquando S. Antonium et alios) impetivisse; ita ut dolor remaneret in corpore quasi stimulus, ex colaphis et plagis a dæmone acceptis: hoc enim plane et proprie verba significant; sed hunc apertius et ordinatius dixisset: Datus est mihi angelus Satanæ, qui me colaphizet et stimulet; nec de hoc ita quereretur generosus Pauli animus, qui omni hominum dæmonumque verberatione excelsior, de ea solet gloriari.

Quarto ergo, communiter alii censent stimulum carnis fuisse concupiscentiæ motus, libidinisque tentationes; hæc enim concupiscentia stimuli tenuis instar carni nostræ ita infixa est, ut evelli in hac vita non possit. Unde græce dicitur σκόλοψ, id est palus, stipes præacutus, stimulus, spiculum, aculeus, τὸ σκῶπτ, hoc est carni, videlicet impressus et infixus, et, ut Syrus, *stimulus in carne mea*; Noster vertit, *stimulus carnis*, hoc est, carni inhærens, in carne, et a carne excitatus.

Stimulus libidinis carnis.

Quare stimulum carnis vocet Paulus angelum Satanæ?

Dices: Quomodo ergo vocat eum « angelum Satanæ, » id est Luciferi ministrum, vel, ut Cajetanus ex Græco vertit, *angelum Satanam*; Satan enim est indeclinabile, et omnis casus apud Hebræos.

Respondeo, angelum Satanæ, vel etiam Satanam, vocat ipsum dæmonem, hunc stimulum et concupiscentiam suscitantem et accendentem; vel potius ipsum stimulum et concupiscentiam a dæmone Satana, id est suo, suæque pudicitiæ adversario, suscitatam et accensam, ut sit metonymia, qua causa pro effectu, et auctor pro opere suo ponitur. Dæmon enim humores commovendo, sanguinem accendendo, spiritus generationi subservientes excitando et inflammando, Pauli phantasiæ turpes imagines objiciendo, concupiscentiam quasi sopitam, totque laboribus, inediis,

(1) Hanc tamen Græcorum Patrum interpretationem probabilissimam esse, ea quæ proxime sequuntur, arguunt.

ærumnis pene mortificatam suscitabat, et ad turpes libidinis motus commovebat et acuebat.

Probatur *secundo*, quia hanc concupiscentiam fuisse in Paulo, patet *Rom.* cap. VII, vers. 23, ubi propter eam æque et magis quam hic, luget et gemit. Hinc etiam castigat corpus suum, I *Cor.* cap. IX.

Tertio, quia si quid aliud fuisset, clare explicuisset; jam autem rem ita verecundam et pudendam tegit, vocatque metaphorice stimulum.

Quarto, quia hic stimulus datus est ei ad eum humiliandum; nihil autem castos ac virtutis amantes ita humiliat, atque hæc carnis tentatio, nihilque eos ita continet, ut cum metu et tremore suam salutem operentur, atque dum carnis suæ fragilitati lapsum in tam periculosa et proclivi ad consensum tentatione semper timent; in morbis enim, verberibus, persecutionibus et aliis ærumnis gloriantur potius et exultant, præsertim si pro Christo Christique fide et gloria illa patiantur, uti patiebatur Paulus.

Quinto, quia hæ tentationes carnis proprie Sanctos non lædunt, sed colaphizant, id est ruborem ac mœrorem incutiunt, sicut qui a socio colaphum accepit, non tam dolore, quam pudore suffunditur.

Sexto, quia contra has tam instanter et toties rogat obsecratque ut iis liberetur; in aliis, non liberationem, sed fortitudinem et constantiam petisset; hæ enim solæ non tam fortiter patiendo, quam fugiendo vincuntur. Rogat igitur ab iis liberari, auditque : « Sufficit tibi gratia mea : » quæ in hac materia unice est necessaria, et tentatis assidue imploranda, ut hosti domestico, et in visceribus suis latenti, semperque bellum moventi resistant, eumque superent.

Denique ita sentiunt S. Augustinus, conc. 2 in *Psal.* LVIII; Hieronymus, *ad Eustochium de custodia virginit.*; Salvianus, serm. *De Circumcis.*, qui ascribitur (sed falso) Cypriano; Haymo, Theophylactus, Anselmus, Beda, S. Thomas, Lyranus et alii; videturque communis fidelium sensus, qui hinc libidinis tentationem stimulum carnis vocant : vox autem populi est vox Dei.

Hic stimulus accurate est Paulo ex familiaritate S. Theclæ.

Quod vero addit Hugo Cardinalis, hanc carnis tentationem in Paulo ortam fuisse ex familiaritate pulchræ virginis S. Theclæ, quam a se baptizatam circumducebat, falsum est et commentitium. Nullam enim mulierem circumduxit Paulus, ut ipse docet I *Cor.* IX, 5. Et licet circumducere eam cœpisset, debuisset tamen sub pœna peccati eam dimittere, cum tantæ tentationis et vexationis illi fuit occasio et fomes. Rursum, quid opus erat Paulo Deum tam instanter orare, ut hic stimulus discederet a se, cum ipse eum dimittere facillime potuisset? Adde, hæc fabella sumpta est ex libro qui inscribitur *Pauli et Theclæ periodi*, quem S. Hieronymus, Tertullianus et Gelasius quasi apocryphum rejiciunt.

Objiciunt Erasmus et Faber *primo*, stimulum libidinis indecorum et indignum fuisse tanto Apostolo, eoque jam sene.

Respondeo : In statu lapso non esse indignum, imo utilem. Vide Gregorium, lib. XIX *Moral.*, cap. V et VI, et ex eo Anselmum, quam utili et prudenti consilio electi inter raptus et elevationes, hinc inde inter infirmitates et depressiones, jam in altum elati, jam quasi in abyssum demersi quasi ancipites librentur, ne vel in superbiam, vel in desperationem corruant; sed media inter utrumque via recta in cœlum gradiantur. Unde hanc concupiscentiam fuisse in Paulo patet ad *Rom.* VII, 23. Fuisse et esse in Sanctis jam senibus experientia constat. Sic enim Nazianzenus sæpe de carnis suæ malo conqueritur, ut *epist.* 96, et in Carmine de carne sua, et de calamitate animæ suæ. Adde, Paulum non fuisse senem : juvenis enim conversus est forte 25 annorum, aut 27, *Actor.* VII, 58. Hæc autem scribit anno 22 a conversione sua; fuit ergo tum circiter quinquaginta annorum.

Objicunt *secundo*, Apostolus statim subdit : « Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis; » de libidine autem et concupiscentia non licet gloriari : ergo non hanc, sed alias infirmitates ei stimulos intelligit.

Respondeo : Apostolus non tantum ad stimulum carnis immediate præcedentem, sed etiam, et quidem magis, respicit ad omnes passiones pro fide obitas, quas numeravit cap. præced., in iisque gloriatus est, et assidue gloriatur : ample enim sumit nomen « infirmitatis, » et in eo ludit, ut dicam vers. 10. Adde, de hac carnis tentatione gloriari licet, non in se, quatenus incitat ad malum, sed ut afflictio est a dæmone immissa. *Secundo*, quatenus in ea perficitur virtus Christi : uti Julius Cæsar gloriabatur, et optabat hostes validissimos, ut in eos suam virtutem et fortitudinem bellicam ostenderet. Sic Sancti plures Deum orarunt, et petierunt habere tentationes, in iisque gloriati sunt. Hinc dicitur *Jacobi* I, 2 : « Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis; » et vers. 12 : « Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, » etc.

Sancto quomodo id cum gloriatio in tentationibus?

Moraliter nota, tentationem viris justis non esse causam ruinæ, sed stimulum virtutis : sic enim eam hic vocat Apostolus. Sicut enim calcari stimulati equi etiam generosi, animosius et velocius progrediuntur : ita et Sancti stimulo tentationis excitantur, ut animosius pergant in virtute, ne succumbant et pereant. Hinc nonnulli Sancti generosi non tristabantur, sed gaudebant in tentationibus. Ita in Vitis Patrum, lib. III, cap. VIII, narratur de quodam Seniore, qui videns discipulum graviter tentari fornicatione : « Si vis, inquit, o fili, deprecor Dominum, ut auferat a te istam impugnationem. » Cui discipulus : « Video, pater, quia etsi laborem sustineo, sentio tamen fructum in me perficere bonum : quia per occasionem impugnationis hujus et amplius jejuno, et amplius in vigiliis et orationibus tolero. Sed deprecor te, ut exores pro me misericordiam Domini, ut det mihi virtutem quatenus possim sustinere, et certare legitime. » Mox senior : « Nunc, ait, cognovi, fili, quia fideliter intelligis, quod hoc spirituale certamen per patientiam ad salutem æternam animæ tuæ proficiat. Ita enim S. Apostolus dixit : Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi : in reliquo reposita est mihi corona justitiæ. »

Narrat S. Dorotheus de quodam sancto monacho, quod dolebat tentatione se liberatum, plangebatque dicens et orans : « Ergone, Domine, non sum dignus, qui patiar, modicumque affligar et tribuler pro amore tuo? » Climacus, *gradu* 29, narrat de S. Ephrem, quod videns se in altissima pace et tranquillitate animi, quam ipse vocat impassibilitatem et cœlum terrestre, rogaverit Deum ut sibi restitueret pristinas tentationum impugnationes et bella, ut non perderet materiam merendi et augendi coronam suam. Sic Alexander Magnus et similes duces optabant validissimos hostes, ut eo gloriosiorem de iis reportarent victoriam, quo acrius cum iis inissent certamen. Narrat Palladius abbatem Pastorem cuidam dicenti : Oravi Deum, et liberavit me ab omni tentatione, respondisse : « Ora Deum, ut tibi tentationes tuas reddat, ne fias deses et negligens. » Retulit id ipse ad Deum, cui Deus : Recte dixit tuus magister Pastor, simulque ei tentationem restituit.

Vers. 8 et 9.

8. PROPTER QUOD TER (id est sæpe et frequenter; ternarius enim symbolum est multitudinis et universitatis) DOMINUM ROGAVI; ET DIXIT MIHI : SUFFICIT TIBI GRATIA MEA, — ut in te licet debilis, in me tamen sis fortis ad hanc tentationem superandam. Hinc patet Paulum non fuisse in sua prece exanditum, nec hoc stimulo liberatum. Paulus non fuit tanquilitus.

Casus dat S. Augustinus in *Psal.* CXXX : Sicut, inquit, æger cum ei applicatur pharmacum molestum et ardens, rogat medicum ut illud auferat : medicus autem ægrum consolatur et hortatur ad patientiam, quia novit quam utile sit quod apposuit : pari modo egit hic Deus cum Paulo. « Ego novi, inquit S. Augustinus, quid apposuerim, ego novi unde ægrotes, ego novi unde saneris. Sufficit tibi gratia mea. » Sicut ergo medicus theriacam contra viperas et venena, ex ipsa viperæ carne conficit : sic Deus ex nostra infirmitate contra infirmitatem, adeoque ex una concupiscentia contra aliam, v. g. ex stimulo carnis contra superbiam, medicinam et theriacam conficit.

9. NAM VIRTUS IN INFIRMITATE PERFICITUR. — Sententia generalis est, et quasi axioma morale de quavis infirmitate, proprie tamen et proxime ad stimulum carnis, qui præcessit, id est concupiscentiæ infirmitatem, respicit. Pro *virtus* græce est δύναμις, *potentia*, fortitudo mea (quam scilicet ego Deus tibi, o Paule, aliisque Sanctis communico et indo; sunt enim hæc verba Dei prolocutus Pauli respondentis) : hæc in infirmitate perficitur, quia quo major infirmitas, id est carnis tentatio, eo major a Christo fortitudo contra eam suggeritur. Unde sequitur : « Ut inhabitet in me virtus Christi; » et : « Cum infirmor, tunc potens sum. » Hoc proprie vult Apostolus.

Virtus et vocatus est Dei omnipotentia, humanis accipienda.

Ubi nota *primo* : Virtus hæc et fortitudo est Pauli quasi accipientis; sed est Dei tanquam eam efficientis et donantis. « Virtus ergo in infirmitate perficitur, » id est virtus et potentia divina maxime illustratur, *primo*, cum in infirmis tantam fortitudinem, patientiam aliaque mira opera operatur. *Secundo*, cum is per quem operatur, infirmitatis suæ conscius nihil inde sibi vindicat, sed universam laudem uni tribuit Deo. Ubi adverte, diversum esse virtutem et potentiam mundi, et Dei; illa vi viribusque, hæc contra tolerando inoteseit. *Tertio*, « virtus in infirmitate perficitur, » quia infirmitas est objectum patientiæ, fortitudinis et temperantiæ, ut similiter infirmi magis sint sobrii si ægrotent. *Quarto*, quia infirmi sibi diligentissime cavent, ac contrariis caute resistunt, sicque fiunt exercitatiores et fortiores, ait S. Thomas. Nimirum « crescit adversis agitata virtus, » adeoque in tentatione constans castitas, et quævis virtus robustior fit, ut patet in Patriarcha Joseph, Susanna, Paulo et aliis. *Quinto*, spiritualiter S. Augustinus, lib. I *de Gratia Christi*, cap. XII, et Anselmus : « Fortitudo, inquiunt, nostra est infirmitatis in veritate cognitio, et in humilitate confessio. » Et Hieronymus *ad Ctesiphontem* : « Hæc una præsentis vitæ perfectio est, ut te imperfectum agnoscas, » ut scilicet tibi diffidens, ut de tuis viribus desperans, te totum per spem firmam in Dei potentiam conjicias : Deus enim humiles et in se sperantes roborat, et quasi omnipotentes facit, ait S. Bernardus, serm. 85 *in Cantica*, ut nullis tentationibus, laboribus, periculis frangantur.

Praesentia mundi et Dei quomodo differat?

Virtus crescit adversis.

Exemplum de se narrat S. Augustinus, lib. VIII *Confess.*, cap. XI : « Cum diceret, inquit, mihi consuetudo violenta : Putasne sine istis (concubinis quibus jam assueveram) poteris vivere? aperiebatur ab ea parte, qua intendebam faciem, et quo transire trepidabam, casta dignitas continentiæ, honeste blandiens, ut venirem, neque dubitarem; et extendens ad me suscipiendum et amplectendum pias manus plenas gregibus bonorum exemplorum. Ibi tot pueri et puellæ, ibi juventus multa, et omnis ætas, et graves viduæ, et virgines anus. Et irridebat me irrisione exhortatoria, quasi diceret : Tu non poteris quod isti et istæ? An vero isti et istæ in semetipsis possunt, ac non in Domino Deo suo? Dominus Deus eorum me dedit eis. Quid in te stas, et non stas? Projice te in eum, noli metuere, non se subtrahet ut cadas. Projice te securus, excipiet te, et sanabit te. » Hæc ille.

Infirmorum exempla virtus accendit.

« Virtus denique in infirmitate perficitur, » quia, ut ait S. Bernardus, *epist.* 254, in robusto ac vegeto corpore animus mollior atque tepidior jacet; ac rursum in corpore debili et infirmo fortior viget promptiorque spiritus. Scilicet quemadmodum ingenio pollet, cui vim natura negavit; sic cui corporeas vires negat, illi dat Deus animi robur et vigorem: et mens in corpore infirmo afflicta ad cœlum et resurrectionem anhelat, aspernatur quidquid fluxum est, turbulentum, interitui que obnoxium; nec præsenti sed futuro ævo, vivit, mortisque meditationem, ut aiebat Plato, hanc vitam existimat; denique totam se Deo et cœlestibus addicit. « Anima morbo affecta Deo propinqua est, » ait Nazianzenus, orat. *ad cives Nazianzenos*. Audi quid illustris senex in Vitis Patrum, lib. III, num. 157, discipulo suo infirmato si xerit: « Non contristeris, fili, ex infirmitate vel plaga corporis tui: summa enim religio est, ut in infirmitate quis agat Deo gratias. Si ferrum es, per ignem probatus a maguis ad majora procedis. Ne anxieris ergo, frater: si enim Deus te vult in corpore torqueri, tu quis es, qui moleste feras? Sustine ergo, et roga Deum, ut quæ ipse vult, illa concedat. »

Infirmitates et tribulationum utilitas.

Anno Domini 816, B. Theophanes Abbas Sigriani ægrotus, Leoni Armeno Imperatori Iconoclastæ, minanti dira quælibet, nisi damnaret cultum imaginum, respondit: « Si ut pueros parum generosos magistri scutica perterrefaciunt, ita tu me morbo (libenter autem calculi doloribus, adeo ut non possim incedere) et a nocte confectum, minis territum ini speras: rogus accendatur, parentur tormenta, et omnia cruciatuum genera, ut scias planissime Christi virtutem in meis infirmitatibus perfici. Ego qui per humanum fieri facere nequeo, valetudinis infirmitate superata, in ignem insiliam. » Dixit et præstitit: nam post alias tentationes carceri inclusus, cum nulli ad eum aditus concederetur, fame, squalore et morbo acerrimo sensim confectus, post biennium animam, quasi suavem hostiam, Deo obtulit, ac post mortem miraculis claruit: quocirca ejus memoriam annuam recolit Ecclesia die 12 martii. Ita Baronius, tom. IX, anno Christi 816. Vide de infirmitatum et tribulationum utilitate Chrysostomum in morali *homil.* 26, et S. Thomam

Denique pie S. Bernardus, tract. *De Grad. humil.*: « Virtus, ait, in infirmitate perficitur. Quæ virtus? Ipse Apostolus respondeat: Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. Sed nondum forsitan intelligis, de qua speciali dixerit, quia Christus omnes virtutes habuit. Sed cum omnes habuerit, præ omnibus tamen unam, id est humilitatem, nobis in se commendavit, cum ait: Discite a me quia mitis sum et humilis corde. Libenter igitur et ego, Domine Jesu, gloriabor, si potero, in infirmitate, in nervi mei contractione, ut tua virtus, id est humilitas, perficiatur in me. Nam sufficit mihi gratia tua, cum defecerit virtus mea. »

LIBENTER IGITUR GLORIABOR IN INFIRMITATIBUS MEIS, UT INHABITET IN ME VIRTUS CHRISTI. — Nota: Ex humilitate gloriatur non in fortitudine sua, sed in infirmitate, ut se provocet in se virtutem ac fortitudinem Christi, tacite quasi in eam se conjiciens, eamque invocans. Hinc per *infirmitatem* significat omnem passionem, tribulationem, tentationem, humiliationem, ut explicat vers. sequent. *Infirmitas* enim generatim sumitur pro quovis dolore et afflictione, quæ vel corpus, vel animum premit, deficit, ægrum et infirmum reddit. Unde *primo*, infirmitas hæc complecti potest morbos, quos fuisse stimulum carnis in Paulo docet Basilius, Augustinus, Anselmus. *Secundo*, labores, de quibus cap. præced., vers. 27. *Tertio*, tentationes carnis, de quibus vers. 7, et alias quasvis. *Quarto*, jejunia, vigilias aliasque carnis castigationes, quibus eam macerabat infirmabatque ut spiritui subderet, cap. præced., vers. 27. *Quinto*, contumelias, persecutiones, pericula, verbera, omnesque ærumnas, quas pro fide et Evangelio tolerabat, de quibus fuse gloriatur cap. præced., et has præcipue hic intelligit, ut explicat vers. sequent.

Quinque singulares cruciatus in quibus versatus est Paulus.

Solentur se infirmi in infirmitatibus suis, quod in iis quasi in domo propria et tabernaculo suo inhabitet virtus, græce δύναμις, id est, fortitudo Christi. Græcum enim ἐπισκηνώσῃ significat inhabitare quasi in tabernaculo suo: ibi enim maxime se ostendit Dei potentia, ubi maxima est infirmitas et inopia, ibique succurrit maxime, ubi maxima est necessitas. « Tibi, ait Propheta, derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor. » Licet enim naturaliter « imbecillitas corporis animo quoque vires secum trahat, » ut ait S. Hieronymus, præfat. in lib. II *Comment. in Amos*; ac « corpus quod corrumpitur aggravet animam, » *Sap.* IX, 15, tamen supernaturaliter secus fit. Per gratiam enim roborata anima roborat et corpus. Ita in S. Francisco cum langnore corporis crescebat vigor mentis, in tantum ut gratias agens Deo, oraret morbos in centuplum augeri. « Nam tunc inquiebat, o Domine, voluntatis adimplelio mihi est consolatio superplena, » uti refert S. Bonaventura in ejus Vita.

Notat S. Bernardus, serm. 34 *in Cant.*: « Non dicit, inquit, patienter se ferre infirmitates suas, sed et gloriari, et libenter gloriari in illis, probans etiam sibi bonum esse, quod humiliaretur. Hilarem enim datorem diligit Deus. Etenim sola gratiam quam præfert, meretur læta et absoluta (non tristis, non coacta) humilitas. » Et *serm.* 23: « Optanda, ait, infirmitas, quæ Christi virtute compensatur. Quis mihi dabit non solum infirmari, sed et destitui ac deficere penitus a memetipso, ut Domini virtutum virtute stabiliar? Nam virtus in infirmitate perficitur. Quod cum ita sit, pulchre sponsa convertit sibi ad gloriam, quod si

pro opprobrio ab emulis intorquetur, non modo formosam, sed et nigram se esse glorians. Nil sibi gloriosius proinde putat, quam Christi portare opprobrium. Grata ignominia crucis ei, qui crucifixo ingratus non est. »

10. PROPTER QUOD PLACEO MIHI IN INFIRMITATIBUS. — Non quod ea per se expetendæ sint et oblectent, aut etiam menti placeant, si tentationes sint; sed placeo mihi in eis, quatenus per illas perficitur et inhabitat in me virtus Christi, ut præcessit. Verum, ut dixi, alias potius infirmitates hic intelligit, quas explicat, dum subdit: « In contumeliis, in necessitatibus (famis, sitis, nuditatis, frigoris ac similium), in angustiis pro Christo. » Pro *placeo* græce est εὐδοκῶ, delector, *q. d.* Non tantum eas fortiter fero, sed et iis pascor et oblector. Ita Theophylactus.

CUM ENIM INFIRMOR (cum affligor, eaque quæ jam dixi patior), TUNC POTENS SUM, — tunc robor, potens, fortis et validus fio, gratiæ, patientiæ, magnanimitatis, humilitatis, spei ipsiusque Dei viribus, qui tunc adest, viresque suas exerit ac mihi suggerit. Ita Chrysostomus. Aliter Œcumenius: « tunc potens sum, » hoc est, etiam tum, licet infirmus, potenter edo miracula. Aliter et S. Basilius, in *Psal.* XXXIII: « Cum, ait, infirmor, tunc potens sum: virium enim corporis multitudo saluti spiritus est impedimento. » Pulchre et vere S. Bernardus, serm. 20 *in Cant.*: « Vides, inquit, quia carnis infirmitas robur spiritui augeat et subministret vires? Ita e contrario noveris carnis fortitudinem debilitatem spiritus operari. Et quid mirum si, hoste debilitato, tu fortior efficeris? Nisi forte illam tibi insanissime inucas amicam, quæ non cessat concupiscere adversus spiritum. » Subdit: Hinc « prudenter sagittari et impugnari salubriter postulat Sanctus: Confige timore tuo carnes meas. Optima timor iste sagitta, qui configit et interficit carnis desideria, ut spiritus salvus sit. Sed et qui castigat corpus suum et in servitutem redigit, nonne is tibi videtur etiam manum contra se pugnantis ipse juvare? »

Nescatis hæretici suis ipsis pejora mirabilia.

11. FACTUS SUM INSIPIENS, — laudando me videor fuisse insipiens, sed vos qui minorem, quam par erat, de me opinionem habuistis, et magis pseudoapostolis hostibus meis, quam mihi credidistis, coegistis me ad hanc laudem, ut scilicet per illam, opinionem et auctoritatem meam apud vos reciperem.

NIHIL ENIM MINUS FUI (οὐδὲν ὑστέρησα, *nihilo inferior fui*), in apostolatu scilicet, Apostolicis laboribus, gratiis, passionibus) AB HIS QUI SUNT SUPRA MODUM (id est, ab iis, qui eximii sunt et excellentissimi) APOSTOLI. — Non ergo negat præeminentiam jurisdictionis Petri, nec eum eo de primatu contendit, ut dixi cap. XI, vers. 5.

TAMETSI NIHIL SUM, — ex me: quod enim sim Apostolus, non meum est, sed gratiæ Christi. Ita Anselmus.

SIGNA APOSTOLATUS MEI FACTA SUNT SUPER VOS IN OMNI PATIENTIA, IN SIGNIS ET PRODIGIIS, ET VIRTUTIBUS. — Nota hic genuinum apostolatus signum Duplicia signa apostolatus in S. Paulo. esse *primo*, patientiam in sui contemptu, pauperiate, persecutionibus, plagis, periculis, ita S. Anselmus. *Secundo*, esse miracula. Hæc enim vocat *signa* veræ fidei, cœlestis et divinæ doctrinæ; sive signa Dei supra naturam omnipotenter operantis, ac consequenter testantis Pauli doctrinam a se hisce signis confirmari, essaque veram et a Deo profectam; eadem vocat *prodigia*, id est portenta, stupenda et portentosa facta. Denique eadem nuncupat *virtutes*, græce δυνάμεις, potentias, fortitudines, id est, potentia gesta, omnipotentia opera, quæ Deus solus potenter operatus est per me.

Nota *secundo*: Apostoli novam mundo afferentes doctrinam Evangelii, debuerunt miraculis quasi signis suum apostolatum suamque doctrinam probare; alioqui fidem hominum temere exegissent et temere eis credidissent fideles, nec ab impostoribus et pseudoapostolis secerni potuissent: miraculis ergo probare debuerunt se Apostolos, hoc est, a Deo missos ad orbem reformandum, et lucem Evangelii illuminandum. Notent hoc Novantes, et a suis novis Apostolis, Calvino, Luthero novam doctrinam et reformationem inducentibus, miracula exigunt: quæ cum nunquam exhibuerint (nisi miraculum putent, quod spondentes se mortuum suscitaturos, ex vivo mortuum effecerint: sed a talibus miraculis, talibusque Apostolis liberet nos Dominus), certo sibi persuadeant, non Apostolos, sed impostores fuisse.

13. QUID EST ENIM, QUOD MINUS HABUISTIS PRÆ Vers. 13. CÆTERIS ECCLESIIS (a me et Apostolis fundatis), NISI QUOD EGO IPSE NON GRAVAVI VOS? — οὐ κατενάρκησα ὑμῶν, non obtorpui, torpens non incubui vobis, ut a vobis alerer, sed ipse nocte vigilans et laborans victum mihi comparavi. Vide dicta cap. XI, vers. 9. Est ironia, quasi tacite exprobrantis: hoc ipso enim non minor, sed major erat Apostolus, pugnisque a Corinthiis astimandus, quod scilicet eis gratis evangelizasset. Unde ironice subdit: « Donate mihi hanc injuriam, » quia revera non est injuria, sed insignis et generosa abstinentia et beneficentia, ob quam, si recordati essetis, o Corinthii, me magis amare, colere et suspicere deberetis.

14. ECCE TERTIO HOC (tertia hac vice) PARATUS SUM VENIRE AD VOS. — *Primo* veni, cum vos convorti; *secundo*, venire paratus, justa de causa distuli, cap. I, vers. 23; *tertio*, paratus fui cum scriberem, et reipsa post hanc epistolam veni ad vos. Ita S. Thomas et Lyranus.

Magna Apostoli erga suos charitas.

NEC ENIM DEBENT FILII PARENTIBUS THESAURIZARE. — Est euphemismus, *q. d.* Carnales parentes filiis thesaurizant, spirituales a filiis suis, id est catechumenis et fidelibus, alendi sunt: ego vobis ita spiritualis sum pater, ut carnalis esse velim, nec opes modo, sed et me meaque omnia pro vobis

impendere. Tangit eos, ut intelligant quantus sit Apostolus, quam excelso animo, quantæ charitatis; ut confundantur quod eum non redament, sed potius colant pseudoapostolos, se suaque lucra aucupantes, eorumque bonis inhiantes.

Vers. 15. 15. Ego autem libentissime impendam (mea omnia), et (post omnia, libentissime) superimpendar. — ἐκδαπανηθήσομαι, expendar, ut meum sanguinem, meos spiritus ac vitam insumam, exhauriam et profundam pro vobis. Ita Anselmus.

Ibid. 16. 16. Sed cum essem astutus, dolo vos cepi. — D. Thomas, II II, *Quæst.* LV, art. 4, ad 1, putat abusive hic astutiam et dolum in bonam partem capi, *q. d.* Artificiosa solertia et cauta prudentia ego vos a gentilismo ad christianismum converti. Sed respondeo hæc esse verba detractorum; ea enim per mimesim usurpat Apostolus, *q. d.* Ipsi obtrectant mihi dicentes: Paulus per se quidem nihil in sumptum exigit admittitve, sed dolo vos capit, quia scilicet Titum et alios submittit, qui vos vestraque emungant. Ita Chrysostomus. Patet ex sequentibus: hæc enim refellens subdit:

Vers. 17. 17. Numquid per aliquem circumveni vos? — «Circumveni,» ἐπλεονέκτησα, fraudavi, occupavi et extorsi; Vatablus, ἐφρύαξα; Ambrosius, *avarus in vos fui*.

Vers. 19. 19. Olim putatis quod excusemus nos apud vos. — Græce πάλαι, id est, *pridem*. Noster legit πάλιν, hoc est, *olim*, *q. d.* Sunt inter vos qui putent ab olim, ab olitanis et antiquis temporibus hæc a me dici in excusationem admissi criminis avaritiæ et fraudulentiæ, vel quasi subdole excusem et recusem dona vestra, ut majora offeratis.

Coram Deo in Christo loquimur. — *q. d.* Sine faco sincere et vere loquimur, uti par est eum loqui, qui sc in Christo, id est Christi membrum et discipulum, profitetur. Vel *secundo*, «in Christo,» id est in Christi et Christiana sinceritate et veritate loquimur, ut Christus pro Christi attributis, scilicet virtutibus sumatur, juxta *Can.* 37. Posset *tertio*, sic accipi: «coram Deo,» supple, sincere veritatem «loquimur in Christo,» id est per Christum, quem testem invoco. Sicut enim nos Latini juramus dicentes, per Deum, per Christum, sic Hebræi jurant dicentes: «in Deo, in Christo;» est enim ב *bet* jurantis. Unde Vatablus vertit, *testis est Deus et Christus eorum quæ loquimur*. Simile est *Rom.* IX, 1: «Veritatem dico in Christo.» Aliter Anselmus: «loquimur in Christo,» id est, secundum Christum Christique doctrinam, quæ nos docet candide et veraciter loqui. Aut, «in Christo,» id est per Christum, qui in me et per me loquitur. Sed prius sensus est simplicissimus ac maxime genuinus.

Apostoli religiosa sinceritas.

20. Timeo, etc., ne forte animositates sint inter vos. — ἔριδες Græcis est ea pars animi, quæ dicitur vis irascibilis, quam Plato ponit in præcordiis, quæque obstrepit rationi, cui sedem tribuit in cerebro. Inde ἔριδες dicuntur animositates, iræ, audax arrogantia, impetus animi effervescentis, cum quis a sua sententia decedere non vult, sed eam mordicus tuetur, aliisque omnibus fervide sese opponit, ut suos animos ostentet: hos enim actus vis irascibilis, cum ei indulgetur, producit.

Susurrationes. — Ψιθυρισμοὺς significat susurrum, vel sibilum, qui tenuiorem et exiliorem sonum edit. Inde ψιθυρισμοὶ vocantur *susurrationes*, id est, occultæ et clandestinæ obtrectationes, quibus maledici et invidi quos volunt, in odium adducunt, et amicorum amicitias dissociant, dum vicissim alteri apud alterum detrahunt, eaque insusurrant, quæ inimicitiam concilient. Talis susurro fuit Antipater, Herodis filius, qui ut in regnum patri succederet, seniores fratres suos ita exosos et suspectos suis susurris fecit Herodi, ut eos occideret. Verum justas numini vindici pœnas dedit Antipater, cum fraude detecta ipse ab Herode patre jam animam agente, pariter occisus est, ut fuse narrat Josephus.

Antipater Herodis filius susurris suis eos perdit, quos exosos patri susurravit.

Inflationes. — Φυσιώσεις, tumores, fastus, quibus tument, turgent, inflantur superbi, elati et tumidi.

21. Ne iterum humiliet me Deus (id est, ut Chrysostomus, contristet, deprimat, affligat me) et multos (vestrum) lugeam, — hoc est, lugere cogar et castigare cum luctu, quia scilicet in peccatis suis persistunt; ut nimirum eos excommunicare, vel publicam pœnitentiam injungere cogar: ad publicam enim pœnitentiam illorum, qui inde olim propriæ Pœnitentes dicebantur, hæc Apostoli verba spectare, docet Augustinus *ad Salvinam*, epist. 108, sub finem.

Nota: Sicut Apostolus et prædicator maxime exultat in suorum profectu, ut dicat: Vos estis gaudium meum, corona mea: ita maxime dejicitur et mœret in suorum defectu, et in vitia prolapsu, sum exhortationum suarum fructum videt deperire, seque in vanum laborasse.

Rursum, talis invitus, et cum luctu ad vindictam descendit: hoc est enim animi principis et regis. Celebris est illa Neronis in imperii sui initiis mansuetissimi vox, qua sententiæ mortis in reos latæ subscribere coactus exclamavit: *O si nescirem litteras!*

Neronis mitissima vox invitis dicta.

Qui ante peccaverunt, et non egerunt pœnitentiam super immunditia, — id est, mollitie aliisque libidinibus, quibus contra naturam peccatur, naturæque vis et injuria infertur. Distinguit enim Apostolus *immunditiam* a fornicatione.

Et impudicitia. — Græcum ἀσελγείας est petulantior libido in libidinosis oculis et tactibus.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Arguit Corinthi aliqui libidini, alii superbiæ et contentionibus (ut patet cap. XI, vers. 20 et 21), alii aliis vitiis dediti. Paulique monita parvi pendebant: hisce comminatur, ut eos ad pœnitentiam provocet.

Secundo, vers. 3, monet, ut gratiam et potestatem a Christo sibi datam, ejusque opera mira a se edita considerent et reverentur.

Tertio, vers. 7, orat ut nihil mali agant, ne in eos suam potestatem puniendi exercere cogatur.

Quarto, vers. 11, hortatur ad perfectionem, dilectionem, pacem et osculum sanctum, eosque salutat.

1. Ecce tertio hoc venio ad vos. In ore duorum aut trium testium stabit omne verbum. 2. Prædixi, et prædico, ut præsens et nunc absens, iis qui ante peccaverunt, et cæteris omnibus, quoniam si venero iterum, non parcam. 3. An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus, qui in vobis non infirmatur, sed potens est in vobis? 4. Nam etsi crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei. Nam et nos infirmi sumus in illo, sed vivemus cum eo ex virtute Dei in vobis. 5. Vosmetipsos tentate si estis in fide: ipsi vos probate. An non cognoscitis vosmetipsos, quia Christus Jesus in vobis est? nisi forte reprobi estis. 6. Spero autem quod cognoscetis, quia nos non sumus reprobi. 7. Oramus autem Deum, ut nihil mali faciatis, non ut nos probati appareamus, sed ut vos quod bonum est faciatis, nos autem ut reprobi simus. 8. Non enim possumus aliquid adversus veritatem, sed pro veritate. 9. Gandemus enim, quoniam nos infirmi sumus, vos autem potentes estis. Hoc et oramus vestram consummationem. 10. Ideo hæc absens scribo, ut non præsens durius agam secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi in ædificationem, et non in destructionem. 11. De cætero, fratres, gaudete, perfecti estote, exhortamini, idem sapite, pacem habete, et Deus pacis et dilectionis erit vobiscum. 12. Salutate invicem in osculo sancto. Salutant vos omnes sancti. 13. Gratia Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei, et communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis. Amen.

1. Ecce tertio hoc (tertia hac vice) venio (venire propono) ad vos, — vide *Can.* 32, ut scilicet puniam vos, qui per duos vel tres testes peccasse, hæc pœnitentiam egisse convincentur. Ita Anselmus et Cajetanus.

In ore duorum aut trium testium stabit omne verbum, — per dicta et depositionem duorum vel trium testium *stabit*, græce σταθήσεται, *statuetur*, rata erit, confirmabitur omnis accusatio, omnis quæstio, omnis causa et crimen: ut scilicet crimen per duos vel tres testes quasi satis superque probatum et confirmatum, sententia mea condemnem, puniam et plectam. Aliter hoc explicant nonnulli, quod scilicet tres testes vocet Apostolus tres suos adventus Corinthum. Respicere enim videtur ad quod præcessit: «Ecce tertio hoc venio ad vos,» *q. d.* Ego unus sum, sed tertio ad vos adveniens (*primo*, reipsa; *secundo*, per epistolam priorem; *tertio*, rursum reipsa) trium quasi testium habebo auctoritatem. Unde Maldonatus in *Notis manusc.*, quæ in Collegio Romano extant, sic habet: Quod autem addit: «In ore duorum aut trium testium,» testes vocat promissiones, *q. d.* Cum tertio jam promittam, non possum exspectationem vestram fallere, et, ut hispanice dici solet: *A tres va la vencida*. Verum hoc frigidius est: amplius aliquid et augustius spectat mens alta Apostoli. Rursum hoc alienius videtur. Citat enim Apostolus *Deut.* XIX, 15, ubi sic dicitur: «Non stabit testis unus contra aliquem; sed in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum.» Cujus loci planus sensus est hic: Ex testimonio non unius, sed duorum vel trium testium, in judicio reus quisque, vel condemnabitur, vel absolvetur.

Ubi nota: Licet lex hæc, quatenus judicialis est legis veteris, cum reliquis jam per Christum sit abolita: tamen quatenus jus naturæ vel potius jus gentium eamdem dictat, eatenus adhuc viget, jureque tam Civili quam Canonico recepta est. Ratio enim naturalis omnes Gentes docuit æquum esse et convenire, ut nemo unius, sed

duorum minimum testium depositione damnetur. Unus enim testis facile corrumpi, falli et fallere potest : duo non item. Legem ergo hanc uti sonat, in plano suo sensu accipit hic et sequitur Paulus, uti et Christus, *Matth.* XVIII, 16.

2. PRÆDIXI, ET PRÆDICO, UT PRÆSENS (sabaudi, ita) ET NUNC ABSENS, — *q. d.* Uti præsens prædixi, ita et nunc absens prædico : Hebræi enim *caph* similitudinis sæpe subticent, id videre est in Proverbiis, singulis sæpe versibus. Græca addunt τὸ δεύτερον, *iterum*, verluntque Græci sic : Prædico ut præsens, iterum et nunc absens scribo, *q. d.* Idem quod ante præsens prædixi, nunc iterum absens tanquam præsens, pari scilicet auctoritate et interminatione ac si præsens essem, prædico et scribo.

3. AN EXPERIMENTUM QUÆRITIS EJUS, QUI IN ME LOQUITUR, — *q. d.* Vultisne præcepta mea negligere, ut experiamini, an audeam et possim inobedientes punire per potestatem mihi a Christo datam? Sic præceptor dicit discipulo rebelli : Visne experiri brachium meum, virgas meas?

QUI IN VOBIS NON INFIRMATUR, — non infirmum se, sed potentem ostendit, cum scilicet in vobis per me tot mirabilia potenter est operatus, et novissime forticarium excommunicatione mea ita punivit, et Satanæ quasi tortori cruciandum tradidit : hanc enim puniendi potentiam et vindicandi potestatem maxime significare et ostendere intendit.

4. NAM ETSI CRUCIFIXUS EST (Christus) EX INFIRMITATE (humanitatis et carnis), SED VIVIT (id est, vivit tamen et resurrexit) EX VIRTUTE DEI, — ex potentia divinitatis.

NAM ET NOS INFIRMI SUMUS IN ILLO. — « In illo, » id est cum illo et pro illo, nimirum Christo; infirmamur, hoc est, patimur et affligimur. Nota : Secundum hoc *nam* non causam, sed similitudinem significat, idemque valet quod *sic* : refert enim et assimilatur priori *nam*. Est hebraismus : Hebræi enim similitudinem explicant per conjunctionem copulativam, aut quamvis aliam, præsertim si illa geminetur : quia geminatio significat similitudinem in utroque, ut כמוני כמוך *camoni camocha*, sicut ego sicut tu, id est, ego sum sicuti tu, vel similis tui.

Duplex horum verborum sensus.

SED VIVEMUS CUM EO EX VIRTUTE (ἐκ δυνάμεως, ex potentia) DEI IN VOBIS. — Hoc est, per illum, et cum illo ostendemus vitam et vigorem, puta potentiam Christi, de qua jam dixit, vim scilicet et spiritum Evangelii, ac nominatim potestatem puniendi contumaces, in vobis. Ita Theophylactus. Aliter Anselmus et Theodoretus, *q. d.* Resurgemus vobiscum per Dei virtutem ad beatam æternamque vitam. Sed prior sensus magis est ex mente Apostoli, tum quia græce est εἰς ὑμᾶς, quod licet verti possit, *in vobis* (Apostolus enim sæpe sumit εἰς pro ἐν), tamen proprie significat *in vos*, vitam scilicet, et vigorem meum, puta potentiam Christi jam dictam, ejusque vindictæ, exercebo; tum quia intendit demonstrare et inculcare non resurrectionem, sed hanc suam Apostolicam potestatem et energiam tum in docendo et persuadendo, tum in operando tot signa, tot miracula, tum in vindicando ac puniendo rebelles, *q. d.* Sicut Christus in se licet infirmus, potenter tamen resurrexit ad vitam beatam et immortalem : ita pariter in nobis, et per nos Apostolos, licet infirmos, potenter tamen operatur et operabitur deinceps miras virtutes, conversiones, miracula, punitiones et vindictas.

5. VOSMETIPSOS TENTATE SI ESTIS IN FIDE. — Est acris objurgatio, *q. d.* Videmini, o Corinthii, a pseudoapostolis infatuati, non habere fidem esseque infideles; tentate ergo vos, et probate an ita sit, an credatis, necne; si enim fidem retinetis et in ea perstatis, credetis, immo videbitis Christum, ut præcessit ac sequitur, in vobis esse potentem, potenter per me operari tot miracula, tot hominum conversionem, tantam etiam vindictam incredulorum et inobedientiam; videbitis Christum per me loqui, meque vivere et vigere in vobis : quia vos ad fidem converti, ac omnium Dei donorum tam large participes feci, *q. d.* Si Christo et Evangelio creditis, et mihi credetis, quia ego Christi ac Evangelii minister sum; et, sicut miraculis aliisque signis probo ac confirmo Evangelii veritatem, sic eisdem consequenter demonstro me verum esse Apostolum Christi, ac veritatis doctorem.

Vers. 5. Triplex hujus objurgationis sensus.

Aliter Theophylactus et Gagneius, *q. d.* « Tentate, » id est periculum facite de vobis ipsis, an non per Christum habitantem in vobis potentes sitis, adeo ut per illum miracula faciatis : nam in primitiva Ecclesia etiam laici credentes miracula faciebant. Itaque intelligunt ipsi hic miraculorum fidem, cum prophetiæ et linguarum dono conjunctam : quæ fides signum est inhabitantis Christi in eo fidelium cœtu, in quo ipsa viget.

Tertio, alii sic explicant. Tentate vos an fidem habeatis, quæ per charitatem operatur, id est an sitis in charitate et amicitia Christi. Sed primus sensus genuinus est, magisque præcedentibus connexus simul et sequentibus, ut jam dictum est.

Nota verba Apostoli : « Vosmetipsos tentate si estis in fide : ipsi vos probate; » ex illis enim patet non certo scire fideles, multo minus credere debere aut posse, se fidem habere, ac consequenter certos non esse de sua justitia.

Dices : Subdit : « An non cognoscitis, quia Christus in vobis est? »

Respondeo : Non est sensus : « Quia Christus est in vobis, » hoc est in cordibus vestris, vel in fide vestra vos justificante, vel in vobis, scilicet singulis; sed in vobis, scilicet omnibus simul, hoc est, in Ecclesia vestra : videbant enim suæ Ecclesiæ tot miracula, tot gratias ac dona collata, ut non dubitarent Christum in ea esse et operari, *q. d.* Singuli ergo Corinthii huic Ecclesiæ ac Christo per fidem omnino adhærere debetis, ac

consequenter et mihi ejus præconi et vicario, meque ut talem revereri. Ita Theophylactus.

Objectio : ex vestra hæresi patente ejiciemini. Ergo fides non est hoc : Nos esse justos.

Patet hinc *secundo*, objectum fidei non esse hoc, me esse justum; sed, Christum Jesum esse in nobis, id est in Ecclesia nostra, in eaque per Paulum et Apostolos potenter operari, ac consequenter nos esse veram Christi Ecclesiam, verosque doctores esse Paulum et Apostolos, eorumque sequaces.

Dices : Augustinus, lib. III *De Trinitate*, cap. 1, S. Thomas hic, dicunt nos habere certam scientiam, quod fidem habeamus. Respondeo : Certo scimus nos credere et adhærere Christo, verum an hoc faciamus fide divina an humana, an tam serio, firmiter, divine, et ita ut opus est ad justitiam et salutem, hoc nescimus, sed tantum ex conjecturis opinamur.

NISI FORTE REPROBI ESTIS. — « Reprobi, » id est improbi. « Reprobus, ait Anselmus, est qui probitatem fidei et bonæ opinionis, quam in baptismo accepit, vel ignorat, vel deseruit. » Unde Theophylactus : Tacite, ait, innuit Corinthios vita et moribus corruptos esse, *q. d.* Ideo Christum non agnoscitis esse in vobis, quia improbi et corruptis moribus estis : corrupti enim mores sunt initium et causa apostasiæ et hæreseos. Ita libide et superbia Lutherum, Calvinum, Bucerum, Ochinum, omnesque primos illos Novantes vel sacerdotes, vel monachos, Catholicæ fidei et Ecclesiæ Romanæ excucullarunt, exauctorarunt, in sacrilegas nuptias, apostasias et hæreses adegerunt.

Corinthii vita et moribus corrupti.

Libido et superbia initium apostasiæ.

Secundo et melius, ut patebit vers. 7, « reprobi, » id est reprobati, rejecti, adeoque viles, inglorii, abjecti, contempti, *q. d.* Ex signis gratiæ et miraculorum, quæ Christus potenter operatur in vobis, cognoscitis, quod Christus est in vobis, nisi forte a Christo rejecti et reprobati, ejus fide, gratia, luce ac cognitione privati, in tenebras pristinas ignorantiæ vel infidelitatis retrusi et repulsi recidistis et relapsi estis, itaque viles et abjecti effecti estis. Hinc dixi : « Si estis in fide, ipsi vos probate, » probate scilicet an vestra fides sit proba et sincera; si enim proba est, cognoscetis quod Christus est in vobis : quia si hoc non cognoscitis, signum est reprobam esse, vitiatam, corruptam, vosque a Christi fide rejectos et reprobatos excidisse, nec fideles amplius, sed infideles esse.

Reprobus non opponitur hic prædestinato, nec significat vitium ex objecto.

Vers. 6. Gratia

6. SPERO AUTEM QUOD COGNOSCETIS, QUIA NOS NON SUMUS REPROBI, — a Christo reprobati, rejecti, cujusque gratia, efficacia et potestate privati, ideoque viles et inglorii; contrarium enim videtis, Christum scilicet per me potenter operantem, Gentiles convertentem, rebelles punientem, meaque omnia probantem, mihi cooperantem, et in omnibus felicem successum dantem, ita ut me toti Achaiæ, imo toti orbi conspicuum et gloriosum efficiat.

Vers. 7. Gratia

7. ORAMUS AUTEM DEUM UT NIHIL MALI FACIATIS. Hinc S. Augustinus, *Contra Pelag.*, docet non tantum gratiam requiri ut bona operemur, sed etiam ut nihil mali faciamus, scilicet ut tentationibus resistamus, vel ab ipsis præservemur, et illæsi evadamus mundi et carnis illecebras. Tentationes enim graviores superare solis naturæ viribus, et sine gratia Dei est impossibile.

Dei gratiam esse, tentare ut bona faciamus, et cavere ut mala non faciamus.

NOS UT NOS PROBATI APPAREAMUS (δόκιμοι, probi, probati, insignes, celebres, *q. d.* Non laboro de mea fama et potestate, ut a vobis mea probentur, egoque vobis virtutem meam et auctoritatem probem ac ostendam; præsertim efficaciam puniendi illos, qui inter vos delinquunt, spectari, probari, celebrari non ambio, honoris punctum non curo; unum curo) UT VOS QUOD BONUM EST FACIATIS, NOS AUTEM UT REPROBI SIMUS. — « Ut : » græce non est ἵνα, sed ὡς, id est quasi, tanquam, velut, *q. d.* Nos autem tanquam reprobi simus et æstimemur. *Reprobi*, id est improbi, inquit Gagneius. *Secundo* et genuine, *reprobi*, græce ἀδόκιμοι, rejecti, abjecti, potestate privati, inglorii, ignobiles reputemur, quasi qui non habeamus potestatem puniendi et vindicandi, cum eam ostendere non possimus in vos, si obsequentes sitis et quod bonum est faciatis, quod unice optamus. Hinc patet *reprobum* hic non opponi prædestinato, nec etiam pio et sancto, sed probato, spectato, honorato. Ita Theophylactus, Anselmus et alii. Habear, inquit Theophylactus, *reprobus*, id est infirmus, abjectus, potestate vacans : quippe qui non inveniam locum puniendi vos, utpote jam vel bonos et probos, vel pœnitentes et emendatos. Sic quoque *reprobum* pro vili et abjecto accipitur 1 *Regum* cap. XV, vers. 9, opponiturque electo, pulchro et pretioso, cum dicitur : « Pepercit Saul et populus Agag, et optimis gregibus ovium et armentorum, vestibus et arietibus, et universis quæ pulchra erant, etc.; quidquid vero vile fuit et reprobum, hoc demoliti sunt. » Et *Psal.* CXVII, vers. 22 : « Lapidem, inquit, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, » id est Christum, quem quasi lapidem vilem, rudem, imperfectum et ineptum æstimarunt, et a sua fabrica, id est a sua Synagoga, rejecerunt Scribæ et Judæi, hunc ipsum Deus facit in domo sua, id est in Ecclesia Christiana, lapidem angularem, primarium et capitalem.

8. NON ENIM POSSUMUS ALIQUID ADVERSUS VERITATEM, SED PRO VERITATE. — Nota : *Veritas* hic intelligitur non oris aut mentis, sed vitæ aut justitiæ : veritas ergo hic est æquitas et justitia, sive officium hominis Christiani, ut bonum faciat, sicut dixit vers. præced., *q. d.* Non possumus aliquid contra justitiam, contra juste et christiane viventes, contra facientes id quod bonum est, ut scilicet in eos ostendamus nostram puniendi potestatem; sed pro veritate, id est æquitate, justitia, honestate possumus quidvis, ut scilicet puniamus eos qui illam violant, laudemus et præmiemur illos qui illam sectantur.

Vers. 8. Veritas vitæ et justitia quæ et qualis sit?

Secundo, Theophylactus : « Non possumus, »

ferre scilicet sententiam adversus veritatem, ut nimirum puniamus eum, qui vere puniri non meretur, quia id quod bonum est operatur : sed possumus et debemus ferre sententiam pro veritate, ut plectamus eum qui reus est, vereque plecti meretur. Hic sensus sequitur ex priori, et planior est ac facilior.

Alii sic explicant, *q. d.* Sicut non possumus, scilicet dissimulare si quid adversus veritatem facitis, hoc est adversus æquitatem et officium; ita, si secundum veritatem, hoc est officium, agatis, punire non possumus, quia nihil contra veritatem possumus, sed omnis nostra potestas pro veritate est in æquitate jam dicta tuenda et facienda.

9. GAUDEMUS ENIM, QUONIAM NOS INFIRMI SUMUS. — *q. d.* Gaudeo si infirmus habear et abjectus, quasi qui non possim ostendere potestatem vindicandi in vos, utpote potentes gratia et virtutibus, culpaque vacuos. Ita Theodoretus, Theophylactus, Anselmus.

Innocentes potentesque sunt, et vocantur; et quare?

Nota : Innocentes vocantur et sunt potentes, quia non est quod metuant vel Apostolum, vel dæmonem, vel angelum, vel mortem, vel infernum, vel quidquam in mundo. Pro *quoniam* græce est ὅταν, id est *quando*; vel, ut legit Ambrosius, *cum* nos infirmi sumus, vos autem potentes : non enim asserit se esse infirmum, illos vero potentes; sed conditionate loquitur : Gaudeo si ita sit, vel quando sic se res habet, gaudeo.

Hoc ET ORAMUS (nempe) VESTRAM CONSUMMATIONEM. — Græce κατάρτισιν, id est perfectionem, ut silis perfecti et consummati in omni gratia et virtute. Ita Theophylactus.

10. UT NON PRÆSENS DURIUS AGAM. — Ἵνα μὴ παρὼν ἀποτόμως χρήσωμαι, ne rigide, præcise, severe me geram; χρῆσθαι enim non tantum ut, sed subinde gerere, et res administrare significat, ut καλῶς χρῆσθαι φίλοις, *honeste se gerere erga amicos*.

11. PERFECTI ESTOTE. — Καταρτίζεσθε, significat hoc, vestem laceram sarcire et reconcinnare. Notat vitia, solutos mores, maximeque desidiam Corinthiorum, *q. d.* Redintegramini, integri estote, corrigite priora vitia, stringite vitæ licentiam, resarcite discissam amicitiam, unionem, concordiam, ut nihil habeatis quod corrigere, et in quo potestatem meam exercere debeam. Rursum καταρτίζεσθε significat, apte inter vos mutuo et cum capite vestro congruite, sicut in corpore apte artus et membra tam capiti quam aliis membris congruunt et coagmentantur. Vide dicta I *Cor.* XII, 16.

EXHORTAMINI, — invicem ad meliora, græce παρακαλεῖσθε, quod Vatablus vertit, *consolationem habete*, in mutua scilicet concordia et amicitia.

IDEM SAPITE, — judiciis et voluntatibus consentite, unanimes et concordes estote.

PACEM HABETE, ET DEUS PACIS (auctor, donator et remunerator, cui complacitum est in pace, ut quasi Deus paci præsit et præsideat) ERIT VOBISCUM. — Hinc Anselmus (teste Edinero in ejus Vita) dicere solebat, eos qui in hac vita, salva æquitate, se conformant aliorum voluntati, et pacem colunt, id a Deo mereri, ut Deus post hanc vitam se accommodet eorum voluntati, et cum eis pacem et amicitiam colat. E contrario vero eos qui hic ab aliis voluntate discordant, pari modo post hanc vitam neminem reperire qui suæ concordi voluntati. Hanc enim esse justam divinæ justitiæ censuram : « Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. » Idem in aliis virtutibus præmiandis et vitiis puniendis pari modo facit Deus.

Mensura qua mensi fuerimus.

12. SALUTATE INVICEM IN OSCULO SANCTO. — Quæritur, quodnam hoc osculum? Nota : Gentiles sibi invicem obviantes sese invicem osculo salutabant in signum amicitiæ, teste Xenophonte, lib. I *Pædiæ Cyri*, et Herodoto in *Clio* : quod frustra vetare conatum Tiberium docet Suetonius. Idem mos fuit apud Hebræos, ut patet ex osculo Amasiæ et Joab, II *Reg.* XX, 9. Item ex osculo quo Judas quasi de more Christum exosculans eum prodidit. Magis vero solemne fuit primis Christianis, ut tum alias, tum præsertim in sacris conventibus ante sacram synaxim, sese osculo sive amico amplexu salutarent dicentes : « Pax tecum. » Erat hoc communicaturis reconciliationis, ac injuriæ omnis remissæ, puræque charitatis symbolum, ut docet Cyrillus, *catech.* 5 mystagogica. Unde et Tertullianus, lib. *De Orat.*, osculum vocat *orationis symbolum*.

Vers. 12. Mos Gentilium et Hebræorum in osculis invicem se salutandi.

Osculum idem fere ac salutatio apud Christianos usitata.

Mysticam causam dat hic Chrysostomus, quia per os nostrum ingreditur corpus Christi; illud ergo osculamur, perinde ac januas osculamur, per quas in ecclesiam ingredimur (ubi nota : Olim Christiani osculabantur januas templorum, ex reverentia loci sacri). Vide eum, quomodo hoc os a turpibus custodire et Dei laudibus dedicare debeamus. Hoc osculum etiamnum in quibusdam Ecclesiis ante sacram synaxim usurpant Canonici. Verum quia olim fraus irrepsit, cum viri, licet locis a mulieribus distincti, furtim tamen irrepentes, eas oscularentur, hinc pro osculo oris successit osculum tabellæ pacis, quam vocant.

Quare non celebratur osculi mos in Ecclesia?

« Osculo » ergo « sancto, » id est, non Gentili, non carnali, non ficto, sed Christiano, religioso, casto, sincero. Ita SS. Chrysostomus et Augustinus, serm. 83 *De Diversis*. Vide Baronium, anno Christi 45.

Notat auctor libri *De Amicitia*, qui extat tom. IV operum S. Augustini, quatuor de causis honeste dari osculum. *Primo*, in signum reconciliationis, cum inimici in mutuam gratiam et amicitiam redeunt. *Secundo*, in signum pacis, ut fit in sacrificio Missæ. *Tertio*, in signum lætitiæ et quasi renovatæ dilectionis, ut cum amicus amicus post longam absentiam peregre redeuntem osculo salutat. *Quarto*, in signum Catholicæ communionis, ut cum hospes suscipitur et excipitur osculo. Sed in his quid ferat cujusque regionis mos, et Gentis conditio, spectandum et sequendum est, cavendumque ne osculum hoc proserpat nimis, et in sensuale ac carnale degeneret

Quatuor de causis honeste datur osculum.

Vers. 13. 13. GRATIA DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI, ET CHARITAS DEI, ET COMMUNICATIO SANCTI SPIRITUS SIT CUM OMNIBUS VOBIS. — Notant Chrysostomus, Ambrosius, Theodoretus, significari hic SS. Trinitatem *ipsamet, consubstantialem*, eam scilicet ejusdem esse naturæ, potentiæ, operationis, præsertim in opere redemptionis et salutis nostræ, de quo proprie hic agit Apostolus. « Trinitatis, ait Ambrosius, hæc complexio est, et unitas potestatis, quæ totius salutis perfectio est; dilectio enim Dei misit nobis Salvatorem Jesum, cujus gratia salvati sumus; et, ut possideamus hanc gratiam salutis, communicatio facit Spiritus Sancti. »

S. Trinitatis dogmatica explicatio.

Ubi nota *primo* : Cum ait, « charitas Dei, » scilicet Patris, Dei nomen Patri appropriatur : quia Pater est primum principium in deitate, ac fons et origo cæterarum in SS. Trinitate personarum.

Nota *secundo* : Apte charitatem tribuit Patri, gratiam Filio, communicationem Spiritui Sancto : quia a Patre Patrisque charitate cœpit nostræ redemptionis exordium, Patris inquam, qui « sic dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret » pro nobis in mortem. Per Filium venit gratia, utpote qui nos nihil promeritos, imo male meritos sua morte redemit, omnemque gratiam promeruit. Gratiæ vero, gratiæque donorum distributio, communicatio et participio per Spiritum Sanctum facta est. Unde S. Anselmus sic explicat : « Gratia Domini nostri Jesu Christi », qua gratis peccata condonantur, atque salus tribuitur; « et charitas Dei » Patris, qua pro nobis Filium dedit; « et communicatio Sancti Spiritus, » qui in utraque re, id est in prædicta gratia et charitate, communicavit Christo et Deo, communiter et pariter operans cum illis humanam salutem, « sit cum omnibus vobis » majoribus atque minoribus. *Amen.* Sic ille.

Communicatio activa et passiva quænam potest.

Nota *tertio* : « Communicatio » tam passive, quam active accipi potest. Passive communicatio idem est, quod participatio, *q. d.* Ut communicetur vobis Spiritus Sanctus, ut ejus gratiam et dona participetis, imo in Spiritum Sanctum quasi permutemini non essentia, sed participatione Spiritus Sancti, ait Theophylactus. *Secundo*, active, *q. d.* Spiritus Sanctus, qui cum Patre et Filio uti essentia, ita charitate, potentia et operatione communicat, communiter cum eis gratiam suam, charitatem et dona eis connexa vobis communicet et infundat : maxime ut, sublatis dissidiis et contentionibus (de quibus in fine cap. præcedentis, et sæpe alibi hac epistola et præced.), communi unione et charitate jungamini, uti Spiritus Sanctus est κοινωνία, id est quasi communis et socialis unio Patris et Filii, et consequenter omnium fidelium, qui communicant et participant eumdem Spiritum Sanctum, in eoque ejusque charitate connectuntur et uniuntur. Communionem ergo eis optat, quæ Corinthiorum schismata tollat; κοινωνία enim est mutua communio, societas, consortium, conjunctio, commercium.

Nota *quarto* : « Gratia, charitas, communicatio, » tam creata, quam increata, accipi possunt. Gratia et charitas increata, est benevolentia et amor Patris et Filii, qua nos amant : sic dicimur invenire gratiam, id est benevolentiam et favorem, in oculis Dei. Sic *ad Titum* II, 11 : « Apparuit gratia Salvatoris nostri Dei, » dum scilicet ex suo in nos amore dignatus est pro nobis carnem nostram assumere; similiter et communicatio sancti Spiritus increata, est communio et societas, quam habet Spiritus Sanctus cum Patre et Filio : sive, est ipsa participatio divinitatis omniumque bonorum divinorum, quæ Pater et Filius cum essentia communicat Spiritui Sancto, quæque deinde Spiritus Sanctus nobis communicat. Creata vero gratia est, quæ nobis infunditur facitque nos Deo gratos; creata charitas est, qua nos Deum diligimus; creata communicatio Spiritus Sancti, est participatio donorum ejus nobis communicata.

Primo ergo de increata gratia, charitate, communicatione Spiritus Sancti hæc verba accipiendo, hic est sensus, *q. d.* Gratia, id est benevolentia Christi, et charitas qua Pater vos amat, et communicatio, id est communis ille amor et divina societas ac participatio Spiritus Sancti, qua scilicet ipse cum Patre et Filio communicat et participat omnia bona divina, quæ deinde nobis communicat, sit et maneat vobiscum; ut eumdem amorem et societatem, omniaque bona divina vobis communicet et communicare pergat.

Secundo, si de creata gratia, charitate, communicatione Spiritus Sancti, quæ ex increata manat, accipias, æque apte hic erit sensus : gratia, quam Christus; et charitas, quam Pater; et dona, quæ vobis communicat Spiritus Sanctus, sint semper et maneant vobiscum : et præsertim socialis ille amor, sive dilectio amica et fraterna, quæ clarissima est, Deo gratissima, et vobis, o Corinthii, maxime necessaria Spiritus Sancti communicatio. Similiter utroque modo accipitur charitas Dei *ad Rom.* V, 5, cum dicit : « Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris. »

Da nobis jugem tuam gratiam, o Jesu Christe, redemptor noster; tuam jugem charitatem, o Pater, creator et glorificator noster; tui jugem communicationem, o Spiritus Sancte, justificator noster; ut in tempore et ÆTERNITATE amemus et glorificemus te Deum Patrem, te Deum Filium, te Deum Spiritum Sanctum, o una Deitas, o divina TRINITAS, o trina ÆTERNITAS. « Quid enim mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram? Deus cordis mei, et pars mea Deus in ÆTERNUM. »

COMMENTARIUS

IN EPISTOLAM

AD GALATAS.

ARGUMENTUM.

Galatæ Gentiles erant, qui e Gallia in Græciam commigraruht: unde Gallo-Græci dicti sunt. Putat Suidas hos Gallos fuisse Senonenses, qui, duce Brenno, Romam invaserunt, sed a Camillo repulsi in Græciam trajecerunt, cumque Delphos spoliare conarentur, imbre et grandine obruti sunt : pauci vero, inquit, qui evaserunt, Gallo-Græci, sive Galatæ, dicti sunt. Sed diversa ab his tradit Justinus, lib. XXV. S. Hieronymus et alii. Galatæ ab oriente habent Cappadociam, ab occidente Bithyniam, a meridie Pamphyliam, a septentrione Pontum Euxinum; tresque habuerunt nobilissimas civitates, Tanium, Pessinuntem et Ancyram, inquit Plinius, lib. V, cap. ult. Quod ad eorum linguam, « Galatæ, inquit Hieronymus, in fine Prooemii in lib. II *Comment. in epist. ad Galat.*, excepto sermone Græco, quo omnis Oriens loquitur, propriam linguam eamdem pene habent, quam Treviri, » Germanicam scilicet. Unde Gallos olim (inde enim hanc linguam, uti et originem sortiti sunt Galatæ) germanice locutos nonnulli opinantur : adeoque Francos ex Francouia Germaniæ prodiisse, et nomen accepisse asseverant. Quin et Clodovæus, primus in Gallia Francorum rex christianus, Sicamber vocatur. Sic enim eum ad baptismum accedentem allocutus est S. Remigius : « Mitis depone colla Sicamber; adora quod incendisti, incende quod adorasti, » uti refert Gregorius Turonensis, lib. II *De Gestis Francor.*, cap. XXXI; constat autem Sicambros Germanos fuisse, præsertim Geldrenses. Denique S. Hieronymus, Josephus et Isodorus tradunt Galatas ortos esse ex Gomer, puta ex Gomaris sive Cimbris, qui vel Germani, vel Germanis affines fuerunt.

Galatæ locuti sunt linguam Treverensem.

S. Remigii ad Clodovæum vox.

Hos Galatas nonnulli e Judæis ad Christum conversi commoverant ad judaismum una cum Evangelio suscipiendum, allegando ad hoc exemplum Petri aliorumque Apostolorum, qui legem Mosis servabant. Illos hic acri cum objurgatione revocat Apostolus, docetque Christianos liberos esse a servitute legis veteris, nec ei posse subjici : licet enim Judæi legem illam suam ad tempus servare possent, ut eam cum honore sepelirent, Gentes tamen, quales erant Galatæ, nec hanc, nec aliam justam habebant causam legis Mosis amplectendæ. Unde si eam fuissent amplexæ, censendæ fuissent id facere hoc nomine, quod lex videretur ad salutem eum Evangelio esse necessaria, maxime cum Judæo-Christiani tum ita sentirent, vellentque Gentes cogere ad judaismum, eque ac christianismum : qui exploratus est error; hæc enim professio judaismi est eversio christianismi : nam Christiana religio docet judaismum abrogatum esse, nec aliam religionem admittendam esse præterquam Christi, hanc enim solam et necessariam esse et sufficere ad salutem profitetur. Hunc ergo errorem acriter hic insectatur Apostolus.

Judæo-Christianorum vitia, ut damnata.

Unde idem argumentum spectat Apostolus in hac Epistola, quod in epistola ad Romanos, adeoque hæc illius ad Romanos est quasi epitome et compendium, et multas easdem cum illa habet sententias, rationes, phrases et discursus. Ita Hieronymus, Anselmus, Theophylactus, Chrysostomus; nisi quod in epistola ad Romanos tam Judæos, quam Gentes arguat, in hac solas Gentes; ibi rejicit opera tam legis, quam naturæ, hic legis tantum, ut fidem Christi et fidei opera stabiliat (1). Hoc igitur facit priori parte Epistolæ a cap. I ad cap. V. Posteriori deinde, videlicet a cap. V, vers. 12, usque ad finem mores instruit (2).

Argumentum hujus Epistolæ.

Occasio et scopus hujus Epistolæ.

(1) Hæc est inter utramque epistolam essentialis discrepantia, juxta Haneberg : Galatas alloquitur Apostolus tanquam coetum *unum*, quem avertere vult ab Judaicis quibusdam erroribus; Romanis autem fere ignotis nullam loci temporisve circumstantiam commemorat. In utraque demonstratur redemptionis opus : sed in priori Paulus ita graviter insistit contra Judaicas opiniones, quod non ita in posteriori. Galatis gratiam quæ a peccato redimit et liberat, Romanis gratiam sanctificantem qua transformamur ad imaginem Christi gloriosi, commendat. Itaque *servitus* et *libertas* in his epistolis non eodem prorsus sensu accipiuntur : prior maxime agit de libertate *Evangelii*, quo cæremonialia legis Mosaicæ præcepta inutilia atque irrita facta sunt; posterior vero de libertate Christianorum, qui ad legem adimplendam amore magis quam timore excitantur. Cf. Haneberg, op. cit., VIII part., cap. III, § 8.

(2) « Argumentum Epistolæ quod attinet, duo imprimis

Scriptam Romæ habent in fine Syrus, Græca, Hieronymus, cap. V, Athanasius in Synopsi, Theodoretus, præfatione *in epistolas Pauli*, et alii. Negant id Chrysostomus et Baronius tom. I, pag. 657, quia non meminit vinculorum, uti solet in aliis Romæ scriptis. Eam ergo scriptam volunt ante epistolam ad Romanos, idque vel Ephesi, vel in alia urbe Græciæ. Verum de tempore et loco scriptionis hujus Epistolæ nihil certi ex ipsa, vel aliunde definiri potest, estque quoad hoc omnium epistolarum Pauli incertissima (1). Extat in hanc Epistolam genuinus ac fusus commentarius S. Hieronymi, uti et S. Augustini (2).

momenta considerandi sunt : I. Defendit Paulus auctoritatem suam apostolicam, et docet, se suam doctrinam non accepisse ab hominibus, sed ab ipso Christo, cap. I-II. II. Disputat adversus eos qui circumcisionis et universæ legis Mosaicæ desiderio tenebantur, et docet, » Galatas ipsos et homines eos, qui diu ante Mosen vixerunt, non propter obsequium erga leges Mosaicas, sed propter suam fidem, summis a Deo beneficiis ornatos esse, cap. III, 1-18. Porro ostendit, « leges Mosaicas sapientissimo Dei consilio nonnisi ad populi incultí mores formandos, ejusque animos ad recipiendum Messiam præparandos, datas esse, cap. III, 19 seqq. Quum autem multi Christianorum variis vitiis diditi essent, Paulus eos ad emendandos mores graviter hortatur, cap. V, 14-VI, 10; tandemque redit ad rem summam per omnem Epistolam pertractatam, et Galatis doctrinæ integritatem servandam diligenter commendat. » Hæc Rosenmullerus ad h. l., paulum tamen ad brevitatem contracta.

(1) Sepp, op. cit. tom. II, p. 333, pro certo habet hanc Epistolam scriptam fuisse Ephesi, circa ann. 52. Cf. D. Glaire, op. cit. tom. VI, p. 89, egregie de tempore et loco ubi fuerit scripta epistola ad Galatas, disputantem.

(2) Ad intelligentiam hujus Epistolæ multum conferunt quæ attulerunt oper. cit. *ibid.*, tum Sepp, tum Haneberg.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, increpat Galatas, quod ab Evangelio a se prædicato ad judaismum abduci se sinerent a Novantibus; aliterque evangelizantibus, quibus dicit anathema.

Secundo, vers. 11, certitudinem sui Evangelii ostendit ex eo, quod a Christo illud immediate ipse acceperit.

Tertio, vers. 13, narrat quomodo a judaismo, quam acerrime propugnabat, conversus sit ad Christum, ab eoque segregatus ad evangelizandum, Arabiam, Damascum, Syriam et Ciliciam peregrarit.

1. Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum et Deum Patrem, qui suscitavit eum a mortuis : 2. et qui mecum sunt omnes fratres, Ecclesiis Galatiæ. 3. Gratia vobis, et pax a Deo Patre et Domino nostro Jesu Christo, 4. qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos de præsenti sæculo nequam, secundum voluntatem Dei et Patris nostri, 5. cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen. 6. Miror quod sic tam cito transferimini ab eo, qui vos vocavit in gratiam Christi, in aliud Evangelium : 7. quod non est aliud, nisi sunt aliqui, qui vos conturbant, et volunt convertere Evangelium Christi. 8. Sed licet nos, aut angelus de cœlo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. 9. Sicut prædiximus, et nunc iterum dico : Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit. 10. Modo enim hominibus suadeo, an Deo? An quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem. 11. Notum enim vobis facio, fratres, Evangelium, quod evangelizatum est a me, quia non est secundum hominem : 12. neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi. 13. Audistis enim conversationem meam aliquando in judaismo : quoniam supra modum persequebar Ecclesiam Dei, et expugnabam illam, 14. et proficiebam in judaismo supra multos coætaneos meos in genere meo, abundantius æmulator existens paternarum mearum traditionum. 15. Cum autem placuit ei, qui me segregavit ex utero matris meæ, et vocavit per gratiam suam, 16. ut revelaret Filium suum in me, ut evangelizarem illum in Gentibus : continuo non acquievi carni et sanguini ; 17. neque veni Hierosolymam ad antecessores meos Apostolos, sed abii in Arabiam, et iterum reversus sum Damascum. 18. Deinde post annos tres veni Hierosolymam videre Petrum, et mansi apud eum diebus quindecim : 19. alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini. 20. Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior. 21. Deinde veni in partes Syriæ et Ciliciæ. 22. Eram autem ignotus facie Ecclesiis Judææ, quæ erant in Christo : 23. tantum autem auditum habebant : Quoniam qui persequebatur nos aliquando, nunc evangelizat fidem, quam aliquando expugnabat : 24. et in me clarificabant Deum.

1. PAULUS APOSTOLUS NON AB HOMINIBUS. — Quia scilicet cæteri Apostoli missi sunt a Christo mortali adhuc homine, Paulus vero a Christo jam toto quasi deificato, hoc est, ex omni parte immortali. Ita S. Augustinus. Verum simplicius accipias : « Non ab hominibus, » scilicet puris, sed « Christo homine ac Deo.

Quadruplex est missio, ait Hieronymus. Alii a Deo solo mittuntur, ut Paulus ; alii a Deo per hominem, ut Josue per Moysen ; alii per hominem solum, ut qui hodie per amicos promoventur ad abbatias, decanatus, episcopatus ; alii a seipsis, ut hæretici. Præpositio ergo *ab* hic causam principalem, *per* vero instrumentalem significat. Vult enim dicere se non ab homine, neque a Deo per hominem, sed immediate ab ipso Deo vocatum esse.

4. QUI DEDIT SEMETIPSUM, — in victimam piacularem, in lytrum et pretium redemptionis nostræ, in mortem et crucem.

PRO PECCATIS NOSTRIS. — « Ut injustitiam, ait Hieronymus, quæ erat in nobis, justitia ipse subverteret ; tradidit se sapientia, ut insipientiam expugnaret ; sanctitas et fortitudo sese obtulit, ut spurcitiam infirmitatemque deleret.

Pulchre aliquis ratiocinatur ex articulum vocatur nequam.

DE PRÆSENTI SÆCULO NEQUAM. — Cur « sæculum » vocat « nequam ? » Respondent Manichæi, quia mundus hic corporeus malus est et creatus a diabolo. Sed hoc stultum est. « Sæculum » ergo « nequam » est sæcularis et carnalis vita et conversatio, qualem agit, et ad quam invitat hic mundus, mundanique homines, qui hujus tantum sæculi bona, opes videlicet, honores ac voluptates per fas et nefas aucupantur. Est metonymia, « sæculum » ponitur pro iis, quæ sunt et fiunt in sæculo : hoc enim est Hebræis עולם *olam*, et Græcis αἰών, id est *sæculum*. Sic, inquit Hieronymus, S. Joannes, *epist.* 1, cap. v, ait : « Mundus omnis in maligno positus est : non quod mundus ipse malus sit, sed quod mala in mundo fiunt ab hominibus. Et ipse Apostolus : Redimentes, inquit, tempus, quoniam dies mali sunt. Infamantur et saltus, cum latrociniis pleni sunt, non quod terra peccet et silvæ, sed quod infamiam homicidii loca quoque traxerint : ita et sæculum, quod est spatium temporum, non per semetipsum, aut bonum, aut malum est, sed per eos qui in illo sunt, aut bonum appellatur aut malum. » Ita Hieronymus, Anselmus, Theophylactus.

Nota : Pro *nequam*, græce est πονηρῷ, quod S. Hieronymus vertit, *malo* ; Augustinus, *maligno* ; Erasmus, *versuto*, vel *misero* et *laboriuso* ; Vatablus, *arumnoso*, maxime scilicet ob peccata, quæ admittimus in præsenti vita, quæ tot peccandi occasiones habet, cum futura vita et sæculum, ad quod nos ducit Christus, a peccato sit immune et impeccabile.

Hinc suos æones, id est sæcula, confinxit Valentinus, dicens hos æones esse animalia, et per quadradas, ogdoadas, decadas et duodecadas tot edidisse numeros sæculorum, quot Æneia fœtus scropha generavit, ait Hieronymus.

Vers. 6. Galatæ a christianismo ad judaismum deviant.

6. MIROR QUOD SIC TAM CITO TRANSFERIMINI. — Græce est μετατίθεσθε, quod ad verbum significat. *transponimini*, a christianismo scilicet in judaismum, a libertate Evangelii in servitutem legalium cæremoniarum, ab Ecclesia in Synagogam. Alludit, ait Hieronymus, ad radicem Hebræam גלה *gala*, id est transmigravit, et גלל *galal*, id est volvit, revolvit, puta globum aut rotas, *q. d.* Estis Galatæ, id est transmigrantes et volubiles instar globorum et rotarum, quod tam cito vos sinitis transferri et transponi ab Evangelio Christi ad legem Mosis. Alioquin idem Hieronymus, prœmio in lib. II *Comment. in epist. ad Galat.*, ex Lactantio : « Galli, inquit, antiquitus a corporis candore Galatæ nuncupabantur (Græci enim γάλα, lac vocant, inde Galli et Galatæ, *q. d.* Lactei), quod significare voluit Poeta cum ait :

Tum lactea colla
Auro innectuntur.

Cum enim dicere posset Candida, maluit dicere Lactea, ut insinuaret fuisse Gallos sive Galatas. »

AB EO QUI VOS VOCAVIT. — *q. d.* Apostatatis ab Evangelio, imo a Deo et Christo Jesu, idque in summam injuriam et contemptum Dei et Christi, qui vos vocavit sine meritis, imo cum demeritis vestris ex liberali amore ad gratiam, reconciliationem, amicitiam Dei et salutem. Unde pro eo, quod habemus, *ab eo qui vos vocavit in gratiam Christi*, græce est, ἀπὸ τοῦ καλέσαντος ὑμᾶς ἐν χάριτι Χριστοῦ. Quod pressius et ordinatius sic invertens ordinat et vertit S. Hieronymus et Vatablus, *miror quod a Christo, qui vos vocavit per gratiam* (ex puro scilicet amore et gratuita benevolentia), *tam cito transferamini in aliud Evangelium*, *q. d.* Miror quod apostatatis tam facile a Deo et a Christo, qui vos vocavit tam gratiose et amanter, quod gratiæ ejus sitis tam ingrati et immemores, eamque aspernemini.

Christi jus scilicet cæsum ad salutem, nihil tribuit lex Mosis.

IN ALIUD EVANGELIUM, — in allam doctrinam de salute et Salvatore Christo, quasi mea non sufficiat, nec Christi ; sed Christo addendus sit Moses, et Evangelio jungenda sit lex cæremonialis : licet ergo hi Judaizantes prædicarent Evangelium amplectendum esse cum lege Mosis, hoc ipso tamen aliud Evangelium prædicabant, et verum Pauli Evangelium destruebant, ut dicit vers. seq. Pauli enim et Christi Evangelium doctrina hæc erat : Evangelium, sive lex Christi necessaria est et sufficit ad salutem, nec alia lex est admittenda ; qui aliam inducit, vel admittit, Christo Christique legi, quasi insufficienti, injurius est, adeoque Christum sua Redemptoris unici dignitate dispoliat, aliumque Salvatorem inducit. Judaizantes vero contrarium prædicabant, scilicet : Lex Christi non sufficit, illi addenda est lex Mosis, sine ea salvari et beari non potestis ; afferebant ergo aliud, imo contrarium Evangelium, et Pauli Christique Evangelium evertebant. Unde sequitur :

7. QUOD NON EST ALIUD. — S. Hieronymus et Syrus legunt, *quod non est*, *q. d.* Transfertis vos ad aliud Evangelium, quod profecto non est Evangelium. Græca tamen et Noster legunt, *quod non est aliud*, ut sit hebraismus, quo antecedens relativo superadditur, *q. d.* Transfertis vos ad aliud Evangelium, quale tamen aliud non est ; nullum enim verum Evangelium aliud est ab eo quod ego vobis prædicavi. Addit Syrus : *Sed prout sunt aliqui, illud est*, *q. d.* Quales sunt doctores, videlicet apostatæ, judaizantes, mendaces, fallaces, tale est et eorum Evangelium, scilicet apostati-

eum, judaizans, mendax et fallax. Si Judaizantes, qui Evangelium et doctrinam Pauli atque Ecclesiæ intactam relinquebant, solum ei addendo legem Mosis, evertebant Evangelium et Christi Ecclesiam; longe magis Novantes, qui nova dogmata afferunt contraria Ecclesiæ Catholicæ, eum evertunt.

Novatas magis quam Judaizantes evertunt legem Christi.

Nisi sunt aliqui. — Refer ad *miror*, *q. d.* Miror quod tam cito deficitis ab Evangelio, nisi quod sunt aliqui qui vos conturbant : quod dum cogito, ex parte mirari desino, nec tam vobis, quam illis hanc defectionem imputo : non enim defecissetis, nisi ab illis illecti et decepti.

Qui vos conturbant, et volunt convertere Evangelium Christi. — « Convertere, » id est subvertere, ut Græcum μεταστρέψαι ponatur pro καταστρέψαι. Ita Chrysostomus. *Secundo*, proprie « convertere, » id est invertere, sicut vestis exterius detrita convertitur dum invertitur, ut pars interior et integrior fiat exterior; vel, ut Hieronymus, dum id quod in facie est, post tergum ponitur, et ea quæ post tergum sunt, in faciem vertuntur. Sic Ecclesia est quasi vestis una, cujus pars anterior, vel extima et jam detrita erat Ecclesia vetus, sive Synagoga cum sua lege Mosis : pars posterior, vel interior et integrior erat Ecclesia nova et Evangelium Christi. Christus ergo eam transposuit, ut extimam, utpote detritam, interiori supponeret, et posteriorem vel interiorem, scilicet Evangelium, faceret anteriorem et exteriorem, illamque omnibus quasi justitiæ ac salutis vestem spectandam et amplectendam proponeret. Ili pseudodoctores contra vestem hanc a Christo inversam rursum volebant convertere, et legem præferre, illique Evangelium supponere, denique spiritum pietatis, quam aspirat Evangelium, ad Judaicas cæremonias invertere. Sic ergo Judaizantes convertebant, id est invertebant, Christi Evangelium, dum pro eo legem Mosis substituebant, eamque Evangelio præponebant, ac consequenter Evangelium aliud invehebant. Ita Hieronymus.

8. Sed licet nos, aut angelus de cœlo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. — Supple, si id fieri posset, nam de facto hoc est impossibile : angeli enim uti in beatitudine, ita et in omni veritate confirmati sunt. Est hyperbole similis illi I *Corinth.* XIII, 1 : « Si linguis hominum loquar et angelorum. » Hinc, ut ait Hieronymus, eleganter Tertullianus adversus Apellem et ejus virginem Philumenem, quam angelus quidam diabolici spiritus et perversus impleverat, hunc esse scribit angelum, qui multo ante quam Apelles nasceretur, Spiritus Sancti vaticinio anathema per Apostolum prophetatum fuit. Talis fuit angelus, qui Lutherum docuit, et qui Zuinglium de Eucharistia instruxit, de quo ipse met lib. *De Supplemento Eucharistiæ* scribit, nescire se an albus, an ater fuerit : sed hinc certum est atrum fuisse, illique quasi novum Evangelium, novam fidem, nova dogmata recepta fidei contraria afferenti, ab Apostolo intentatum esse anathema.

Quatis fuerit angelus qui Lutherum docuit?

Nota, quanta sit certitudo fidei ab Apostolis traditæ, tot signis, tot miraculis a Deo confirmatæ, et ad nos per continuam tot jam sæculorum traditionem transmissæ, quamque in illa firmi et constantes esse debeamus; ut scilicet id potius negemus, quod sensus, quod ratio, quod demonstratio, quod auctoritas omnium hominum et angelorum (etiamsi facerent miracula ad id probandum, quod tamen est impossibile) suggerit, quam id negemus quod fides docet : quia fides primæva Dei revelatione, qui prima est et immutabilis veritas, nititur; reliqua omnia falli et fallere possunt. Imo si per impossibile Deus revelaret contrarium fidei nostræ, quam jam primo revelavit, primæ ejus revelationi credendum foret, non secundæ : quia si revelaret contrarium, mutaretur, et consequenter desineret esse Deus et prima ac infallibilis veritas; quæ omnia cum sint impossibilia, sequitur Deum contrarium revelare non posse, ac consequenter qui contrariam doctrinam afferunt, non illam Dei, sed cerebri sui, vel dæmonis revelatione accepisse.

Casus vera fidei ab infallibilitate.

Hic est ergo canon fidei, quem tradit hic Apostolus : Si novum dogma oriatur alicubi, examinetur, an concordet cum recepta et antiqua Ecclesiæ Catholicæ fide, quam primitus prædicavit Paulus et Apostoli : quod si inveniatur ab ea dissentire, habeatur hæreticum et anathema. Hunc canonem sequuntur Patres omnes.

B. Irenæus, lib. III, cap. IV : « Si de aliqua modica quæstione disputatio orta fuerit, nonne oportebit in antiquissimas recurrere Ecclesias, et ab eis sumere de præsenti quæstione quod certum et liquidum est? »

Tertullianus, *De Præscript.*, cap. XXI : « Quid prædicaverint Apostoli, quid illis Christus revelarit, et hic præscribam, non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt. Si hæc ita sunt, constat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis et matricibus originalibus fide conspiret, veritati deputandam, reliquam vero omnem de mendacio præjudicandam. » Et cap. XXXI : « Ex ipso ordine monstratur id esse Dominicum et verum, quod sit prius traditum; id autem extraneum esse et falsum, quod sit posterius immissum. »

Origenes, hom. 19 *in Matth.* : « Hæreticus habendus est omnis ille, qui Christo quidem credere se profitetur, aliud tamen de fidei veritate credit, quam habet definitio traditionis Ecclesiæ. »

S. Hieronymus, epist. *ad Pammachium et Oceanum* : « Quisquis assertor es novorum dogmatum, quæso te, ut parcas humanis auribus, parcas fidei, quæ Apostolico ore laudata est. Cur post quadringentos annos (dicamus nos, Cur post mille quingentos annos, o Luthere, o Calvine, o Menno) docere nos niteris, quod ante nescivimus? Usque in hanc diem, sine vestra illa doctrina, Christianus mundus fuit. »

Vincentius Lirinensis aureo illo libello Præscriptionum adversus profanas hæresum novitates non aliud facit, quam ut regulam hanc sanciat : « Retinenda est antiquitas, explodenda est novitas. Cum tales quidam (Novantes, inquit cap. XII, 1) circumeuntes provincias et civitates, atque errores venalitios circumferendo, etiam ad Galatas devenissent; cumque his auditis Galatæ nausea quadam veritatis adfecti, Apostolicæ Catholicæque doctrinæ manna revomentes, hæreticæ novitatis sordibus oblectarentur, ita sese Apostolicæ potestatis exeruit auctoritas, ut summa cum severitate decerneret : Sed licet aut nos, inquit, aut angelus de cœlo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus, anathema sit. Quid est quod ait, Sed licet nos? cur non potius, Sed licet ego? Hoc est, etiamsi Petrus, etiamsi Andreas, etiamsi Joannes, postremo etiamsi omnis Apostolorum chorus evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus, anathema sit. Tremenda districtio : propter asserendam primæ fidei tenacitatem, nec sibi, nec cæteris coapostolis pepercisse, parum est. Etiamsi angelus, inquit, de cœlo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus, anathema sit. Non sufficiebat ad custodiam traditæ semel fidei humanæ conditionis commemorasse naturam, nisi angelicam quoque excellentiam comprehendisset. Licet nos, inquit, aut angelus de cœlo. Non quia sancti cœlestesque angeli peccare jam possint; sed hoc est, quod dicit : Si etiam, inquit, fiat quod fieri non potest, quisquis ille sit qui traditam semel fidem mutare tentaverit, anathema sit. »

S. Joannes Damascenus quasi leo rugiens contra Leonem Isaurum Imperatorem Iconoclastam, orat. 2 *De Imaginib.* : « Audite, inquit, populi, tribus, linguæ, viri, mulieres, pueri, senes, adolescentes, infantes, gens Christianorum sancta : Si quis evangelizaverit vobis præter id quod Ecclesia Catholica a sanctis Apostolis, a Patribus atque Conciliis acceptum ad hunc usque diem servavit, eum non audieritis, neve serpentis consilium acceperitis, sicut fecit Eva, ex quo mortem est assecuta. Licet angelus, licet rex evangelizet vobis præter id quod accepistis, aures occludite. Vereor enim illicuscunque progredi, quo progressus est Paulus, Anathema, inquiens, sit. » Id ideo dicit, quod sciret esse Episcoporum, non monachorum (qualis ipse erat) inferre anathema, uti docte observavit Cardinalis Baronius in fine anni Christi 730.

S. Augustinus, lib. II *Contra Cresconium*, cap. XXXI et XXXII : « Non accipio quod de baptizandis hæreticis B. Cyprianus sensit : quia hoc Ecclesia non accipit, pro qua B. Cyprianus sanguinem fudit. » Ita et reliqui Patres, estque ratio evidens, quia « Ecclesia, ut ait Apostolus, I *Tim.* III, 15, columna est et firmamentum veritatis. » Qui ergo novi aliquid contra ejus sententiam ac dogmata comminiscitur, a domo veritatis, ipsaque veritate abscedit et aberrat, ut perverso dilemmate concludit S. Augustinus, lib. II *Contra Gaudentium*, cap. VIII : « Responde, inquit, utrum Ecclesia (oriente Donato) perierit, an non perierit? Elige quod putaveris. Si jam tum perierat, Donatum quæ peperit? si autem tot in eam sine baptismo aggregatis perire non potuit, responde quæso, ut ab ea se, tanquam malorum communionem devitans, pars Donati superaret, quæ dementia persuasit? »

Pari modo jam concludam : Oriente Luthero, Calvino, Meannone, et quovis alio Novatore, vel Ecclesia veraque fides periit, vel non periit : hæc enim duo necessario connexa sunt, vera fides et vera Ecclesia, adeo ut, si vel in uno puncto, verbi gratia, Sanctos esse invocandos, a vera fide aberraret Ecclesia, hæretica sit oportet, nec Ecclesia Dei, sed Satanæ : sicut privatus quisque, qui vel unam hæresim tuetur, licet in cæteris articulis recte credat, et aliis orthodoxis consentiat, non orthodoxus est, sed hæreticus. Dico ergo : Oriente Calvino, vel periit Ecclesia, vel non periit; si periit, adeoque periit a tempore Gregorii Magni, ut aiunt Novantes : ergo per 900 annos extincta fuit Ecclesia; ergo mundus per annos 900 vera fide, religione, Sacramentis, Ecclesia, saluteque caruit; ergo Christus per annos 900 sponsam suam deseruit; ergo æternum Christi regnum concidit (regnat enim Christus in Ecclesia); ergo adversus Ecclesiam portæ inferi prævaluere; ergo Calvinus natus est extra Ecclesiam, nec Ecclesiæ membrum fuit, sed infidelis, hæreticus, vel paganus; ergo a populo, a mundo quasi fidelis recipi audirique non debuit; sed tanquam infidelis ad Ecclesiam non pertinens, contemni ac rejici. Si non periit, sed in vera fide et Ecclesia natus, baptizatus, educatus, institutus est Calvinus : ergo cum in Catholica, Apostolica, Romana Ecclesia natus, baptizatus, educatus, institutus fuerit, illa utique vera erat Ecclesia, veram habens fidem; ergo cum ab ea discessit, ac segregavit se per nova dogmata Calvinus, a vera se fide et Ecclesia separavit, ab eaque apostatavit : ergo cum aliam Ecclesiam reformatam instituit, non veram et Apostolicam, sed apostaticam, schismaticam, hæreticam, non fidei, sed novorum dogmatum, sed hæresum magistram et scholam instituit. Æquus lector, qui fidem veram, extra quam salvari non potest, sincere quærit et fluctuat, consideret ac perpendat hoc dilemma, an non hæc recte consequantur? an non concludat ac convincat hæc ratio? an non hæc regula sit Lydius lapis veri dogmatis veræque fidei?

Præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. — Inferunt Novantes : ergo Conciliorum decreta et Pontificum canones sunt anathema, quia multa afferunt quæ non habentur in Evangelio, et consequenter sunt præter Evangelium.

Pontificum et Conciliorum decreta non sunt sacra

Respondeo : « Præterquam » hic idem est quod contrarium fidei acceptæ et receptæ, qualia afferunt hæretici.

Id patet *primo*, quia loquitur Paulus contra Judaizantes, qui judaismum *præter*, id est contra, Evangelium inducere volebant : non secus ac si quis christianismo vellet ingerere calvinismum, vel turcismum, is præter christianismum, id est contra christianismum novam legem et sectam induceret. Unde vers 6, vocat hoc *aliud Evangelium*, ejusque præcones, vers. 7, dicit « convertere, » id est, ut Chrysostomus, evertere, « Evangelium Christi. »

Secundo, quia clarum est et certum non angelum modo, sed et Paulum plura scivisse, et consequenter evangelizare potuisse quam fecerit, ut patet II *Cor.* XII, 4 et 6.

Tertio, quia Paulus passim, uti et Christus, jubet servari præcepta Apostolorum et Superiorum, *Act.* XVI, 4; *Hebr.* XIII, 17, et alibi.

Denique ita explicant hunc locum Hieronymus, Augustinus, Ambrosius, Chrysostomus, Œcumenius. Sic Apostolus, I *Corinth.* III, 11, παρά, id est præter, accipit pro contra, cum ait : « Fundamentum aliud nemo potest ponere præter (id est contra) id quod positum est, quod est Christus Jesus : » qui enim alium Christum induceret, Antichristum induceret : sicut qui alium Papam inducit, antipapam inducit; qui alium in regno regem inducit, veri regis hostem inducit et tyrannum. Sic *ad Roman.* XI, 24 : « Si tu ex naturali exsitus es oleastro, et contra naturam, » græce παρὰ φύσιν, hoc est *præter naturam*, « insertus es in bonam olivam. » Imo sic latine sæpe loquimur per mimesin cum Terentio in *Andria* : « Præter civium morem atque legem, » id est contra morem ac legem. Sic et Græci, uti Aristoteles, lib. I *De Cœlo*, cap. I, loquuntur παρὰ φύσιν, *præter*, id est contra, *naturam*, παρὰ νόμον, *præter*, id est contra, *legem*.

Simili modo *Deuter.* IV, 2, dicit Dominus : « Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo, » id est ad præcepta quæ ego præcepturus sum, non addetis aliquid eis repugnans, novi præsertim numinis, vel idoli cultum et religionem inducens; hæc enim excludere toto illo capite, et passim in *Deuteron.* intendit. *Secundo*, « non addetis, » ut dicatis esse verbum meum, quod est vestrum; nam nulli hominum licet scripta, aut præcepta sua venditare pro præceptis a Deo datis, aut Scripturis sacris.

Scripturæ quæ nihil sibi possit?

Similis est phrasis *Apocal.* cap. ult., vers. 18 : « Contestor enim audienti verba prophetiæ hujus : si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto. Et si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ. » Alioqui enim Prophetæ et Apostoli huic Scripturæ et præcepto multa addiderunt. Imo secum pugnaret Moyses : nam infra cap. XVII, vers. 10, jubet sub pœna mortis, sacerdotis decreto obediri. Quare præclare S. Augustinus, tract. 99 *in Joan.*, hunc locum ita explicat : « Non ait (Apostolus) : Plusquam accepistis, sed præterquam quod accepistis. Nam si illud diceret, præjudicaret sibi ipsi, qui capiebat venire ad Thessalonicenses, ut suppleret quæ illorum fidei defuerunt. Sed qui supplet quod minus erat, addit; non quod inerat, tollit : qui autem prætergreditur regulam fidei, non accedit in via, sed recedit de via. »

Dices : Cur ergo Apostolus non dicit, Contrarium, sed « præterquam? » Respondet Chrysostomus, ut ostendat anathema esse eum qui vel indirecte minimum Evangelii dogma labefactat. *Secundo*, quia Judaizantes, contra quos hic agit proprie, præter Evangelium inducebant judaismum, Judaica sacra et Sacramenta, quæ tamen hoc ipso erant contra Evangelium et legem novam Christi, ut dixi.

EVANGELIZAVERIMUS, — scilicet verbo vel scripto : non ergo excludit, sed includit traditiones solo verbo traditas, quas diserte servari jubet II *Thessal.* II, 14, et alibi.

ANATHEMA. — Syrus חרם *cherem*, de quo vide dicta *ad Rom.* IX, 3.

10. MODO ENIM HOMINIBUS SUADEO, AN DEO (1)? — Græce ἄρτι γὰρ ἀνθρώπους πείθω ἢ τὸν Θεόν, *num homines suadeo, an Deum?* id est, ut Theophylactus, Vatablus, Erasmus, an humana suadeo, an divina? quasi velit Apostolus ostendere, non cui, sed quid suadeat, id est, quid credendum proponat, neque de auditoribus, sed de doctrina ipsa loquatur : jactabant enim Judaizantes se sequi Petrum, Joannem, Jacobum, qui legem voluerem servandam suo exemplo docere videbantur. Contra clamat Paulus se non homines, hominumve doctrinam, sed Deum Deique doctrinam sequi, ac aliis suadere, quasi dicat : A Deo accepi quod evangelizavi, Deus mihi Evangelium meum revelavit; Dei, non hominum dogmata prædico; non humana, sed divina doceo.

Secundo, non male, quidquid obstrepat Beza, imo melius vertit Noster : « Modo (id est, *nunc*) hominibus suadeo, an Deo? » id est, ut Chrysostomus vertit, « an apud homines causam dico, an apud Deum? » Græcum enim πείθω (id est, *suadeo*, ut etiam notavit Erasmus) verbum est forense et advocatorum, quo dicuntur πείθειν κριτάς, hoc est, *suadere judices*, in accusativo personæ, dum eis suam causam, suum jus persuadere conantur. Unde S. Augustinus hic « suadeo » interpretatur, ut idem sit quod *probatum me reddere* Sensus litteralis indagatur. *capio*. Et S. Ambrosius « suadeo » interpretatur pro *satisfacio*. Sic Xenophon, *Hellen.* VI : Καὶ τοῦτον

(1) Triplici ratione Paulus suam *Apostolicam* auctoritatem vindicat : prima est, quod non ab hominibus, sed a Christo ipso vocatus et eruditus fuerit, I, 11-26; secunda est, quod cæteri Apostoli ipsum pro Apostolo habuere, cap. II, 1-10; tertia est, quod Petrus ipse, Ecclesiæ caput et Apostolorum princeps, Pauli monitis obtemperavit, cap. II, 11—21.

μὲν τοὺς ὁ τὸν Ἀγησίλαον ἔπειθον, *erant*, inquit, *qui Agesilaum*, id est Agesilao, *suadebant*. Unde Henricus Stephanus in *Lexico* docet, πείθω, cum significat *suadeo*, recipere et regere accusativum personæ. Adde : Græcum πείθω, ut docent Græci, et fatetur Beza, cum significat *persuadeo*, construitur cum accusativo non rei, sed personæ. Hic autem πείθω ἀνθρώπους, hoc est, *homines suadeo*, idem est quod persuadeo, hoc est persuadere conor, in actu scilicet inchoato, juxta *Can.* 32. Hoc autem idem est quod *suadeo*, ut vertit Noster.

Hic sensus aptior est, *primo*, nam suadere Deum et homines significat non rem, quæ suadetur (sic enim obscura valde et intricata foret hæc phrasis), sed proprie personas, quibus persuadetur. *Secundo*, quia explicans subdit : « An quæro hominibus placere? » *q. d.* Hominibus uti placere, ita et suadere non quæro. Unde S. Hieronymus : « Suadere, inquit, quis dicitur, cum id quod ipse habet et semel imbibit, cæteris etiam conatur inserere. »

Sensus ergo est : Ego Paulus ita audacter et sincere loquor, et Judaizantibus, aliudque evangelizantibus, anathema intento : quia licet olim acerrime pro Judæis ac judaismo Evangelium impugnarim, *modo* tamen, id est nunc, Evangelii luce illustratus, non hominibus, præsertim Judæis, me et causam hanc meam, meumque hocce Evangelium probare satago, sed Deo, cui uni placere contendo : ut in illius tribunali sincere et fideliter illius reddam rationem, *q. d.* Non curo quid de me Judæi aliive homines censeant, quasi rigidior sim, aut patriæ et judaismi hostis : quæro enim uni Deo placere; cum enim illis olim placui, Deo displicui : quod si adhuc eis placere vellem, Deo displicerem, quia legem Mosis statuerem, Christique gratiam destruerem (1).

Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem. — Notant S. Hieronymus et Anselmus, ἀνθρωπαρέσκειαν, id est studium placendi hominibus, vitium esse, quo quis ita hominibus assentatur, hominum favorem et gloriam captat, ut paratus sit Dei legem violare, Deumque offendere : qui enim hominibus placere studet hoc modo et fine, ut eos ad Deum Deique cultum trahat, non tam hominibus, quam Deo placere studet. « Homo, inquit S. Augustinus hic, non placet utiliter, nisi cum propter Deum placet, id est ut Deus placeat et glorificetur, cum dona ejus attenduntur in homine, aut per ministerium hominis accipiuntur. Cum autem sic placet homo, non jam homo, sed Deus placet. » Sic Paulus, I *Cor.* IX, 21, omnibus omnia factus est, ut omnes Christo lucrifaceret. Vide Chrysostomum in morali homil. 29 *in epist.* I *ad Corinth.*, quam favor et gloria mundi hujus umbratica sit et contemnenda. Pie et cordate S. Hieronymus *ad Asellam* : « Gratias, inquit, ago Deo quod dignus sim, quem mundus oderit. »

Ἀνθρωπαρέσκειαν vitium quale sit?

11. QUIA NON EST SECUNDUM HOMINEM. — *q. d.* Non est humanum, sed divinum Evangelium meum; non est hominis, sed Dei, et, ut Syrus, non est ab homine : non est scilicet ab hominum opinione vel inventione profectum, sed Dei; unde explicans subdit : Vers. 12

12. NEQUE ENIM EGO AB HOMINE ACCEPI ILLUD, SED PER REVELATIONEM JESU CHRISTI. — Tuno scilicet cum ab eo raptus fui in tertium cœlum, ut dixi II *Corinth.* XII, 1. Vers. 13

13. PERSEQUEBAR ECCLESIAM DEI, ET EXPUGNABAM ILLAM. — Hoc est, expugnare et evertere satagebam, sive expugnabam in actu inchoato, id est impugnabam illam, juxta *Can.* 32. Sic *Psalm.* CXXVIII, dicitur : « Sæpe expugnaverunt me a juventute mea, » id est, sæpe oppugnaverunt me, non autem re ipsa expugnaverunt; sequitur enim : « Etenim non potuerunt (id est prævaluerunt) mihi. » S. Hieronymus et Syrus vertunt, *vastabam*, vel devastabam, *illam*, quasi videlicet quidam grassator et prædo, inquit S. Hieronymus. Unde Græcum ἐπόρθουν venit a πέρθω, quod affine est, et, ut aliqui volunt, deducitur per metathesin a πυρθῶ, id est, *incendo*, quod hostis urbes expugnans et agros vastans, omnia circumquaque populetur incendiis : licet alii, inquit Erasmus, πέρθω, dictum velint quasi περθῶ, id est *circumcurso*, uti facit hostis omnia vastans : sic et Paulus cursitabat per urbes et Synagogas, ut Christianos caperet, vinciret, occideret. Dicit hæc Paulus, ut amoliatur a se suspicionem odii Judæorum, *q. d.* Impingunt mihi quod sim hostis Judæorum et judaismi, sed falso, ut patet ex vita mea antecacta. Nam ego ipse Judæus sum, et pro judaismo acrius quam ipsi pugnavi, donec Deus vocatione sua cor meum immutavit, et Christi fide ac luce illustravit (2). Paulus ante conversionem persecutor Ecclesiæ.

14. IN GENERE MEO (in gente mea, scilicet inter Judæos; Syrus, *in cognatione mea*) ABUNDANTIUS ÆMULATOR, — id est, ardentior amator et imitator. *Secundo*, et melius, *q. d.* Ardentior zelator fui pro patriis institutis mihi a majoribus traditis; græce enim est ζηλωτὴς; zelotem ergo se vocat Iegis, eo quod, ut vertit Syrus, majorem in modum zelaverit doctrinam patrum suorum : nimirum, uti zelotes fuit legis per ignorantiam, putans se recte facere, ita multo magis, cognita veritate, zelotes fuit Evangelii, et zelum falsum zelo vero, eoque ardentiore expiavit. Hinc videtur Paulus natura et ingenio acri fuisse præ aliis Judæis cœtaneis suis, eaque fuit illi administra et eos virtutis : fervida enim natura non humi repit, sed ad magna se ignis instar extollit, arduaque molitur.

Pulchre et solerter S. Augustinus, lib. XXII *Con-*

(1) Alliciti : Num jam homines, an Deum mihi conciliare prædicando studeo?

(2) Alia est ratio cur Paulus hæc dicat, ut, scilicet, planum sit, se per divinam revelationem accepisse doctrinam suam. Quam enim talis tantusque fuisset persecutor religionis Christianæ, quomodo tam subito permutatus esset, nisi divina quædam revelatio eum traxisset?

Parvum naturæ opus sublimi virtuti.

tra Faustum, cap. LXX : « Animæ, inquit, virtutis capaces ac fertiles præmittunt sæpe vitia, quibus hoc ipsum indicent, cui virtuti sint potissimum accommodatæ, si fuerint præceptis excultæ. Sic ille animi motus, quo Moses peregrinum fratrem a cive improbo injuriam perpetientem inultum esse non pertulit, non servato ordine potestatis, vitiosa quidem, sed magnæ fertilitatis signa fundebat. Sic cum Saulum Ecclesiam persequentem Deus de cœlo vocavit, prostravit, erexit, implicuit, tanquam percussit, amputavit, inseruit, fœcundavit : illa namque Pauli sævitia, cum secundum æmulationem paternarum traditionum persequebatur Ecclesiam, putans officium Deo se facere, tanquam silvestre erat vitium, sed magnæ fertilitatis indicium. » Hactenus Augustinus.

Vers. 15. 15. CUM AUTEM PLACUIT EI. — Ὅτε δὲ εὐδόκησεν ὁ Θεός, Vatablus, *cum Deo visum est* : sed plus significat εὐδοκία, benevolentiam scilicet, amorem et beneplacitum Dei, quo Deo complacuit in nobis, ut gratis et benevole nos vocaret ad suam gratiam ac salutem. Hoc enim significat Hebræum חפץ *chapets*, quod Septuaginta vertunt εὐδόκησεν. Unde subdit :

Εὐδοκία ac beneplacitum quid in Deo?

Vers. 15 et 16. 15 et 16. QUI ME SEGREGAVIT EX UTERO MATRIS MEÆ (Deus scilicet, qui per dictam suam benevolentiam segregando me ex utero matris in hunc mundum nasci me fecit, et in hanc lucem edidit, eo scilicet fine) UT REVELARET FILIUM SUUM IN ME, — ut dicitur, vers. seq.; eo enim hic præcedens totus versus refertur, ut indicant Græca, quod scilicet *Deo placuit*, et quod me Deus ex utero segregavit, et quod vocavit me hoc scilicet fine, « ut revelaret Filium suum in me, » *q. d.* Deus ante omne meum meritum, me necdum natum prædestinavit, et prædestinatum segregavit ex utero, nascique fecit, ac natum vocavit, « ut revelaret Filium suum in me, » hoc est, ut me ad Christi et Evangelii agnitionem adduceret, et consequenter ad apostolatum, ut evangelizarem Christum in Gentibus. Ita Ambrosius, Anselmus, Theophylactus.

Sic de Jeremia, ait Hieronymus, dicitur cap. I : « Priusquam te formarem in utero, novi te ; et antequam exires de vulva, sanctificavi te, et prophetam in Gentibus dedi te, » eoque alludit hic Paulus : fuit enim Jeremias typus Pauli. Unde pro *sanctificavi* est קדשתיך *cadasti*, quod et sanctificavi et segregavi significat ; res enim sancta dicitur quasi segregata a patre, matre rebusque terrenis, ut Deo dicatur et consecretur. Sic Paulus ab utero per Dei prædestinationem fuit quasi Deo segregatus, et consecratus Evangelio, ut esset Propheta doctorque Gentium.

Mystice, ait Anselmus, « ex utero matris, » id est, ex cæciate Synagoga, « segregavit me Deus, » ut vocatus ab eo Evangelii lucem intuerer.

Nota : « Segregatus » dicitur, quia est e grege selectus. Sic prædestinati ex hominum grege Deo seliguntur : sic multo magis Apostolus et præco verbi Dei segregatur a vulgo, itaque vulgaribus præstare debet sicut gregem universum pastor excellit, inquit alibi Chrysostomus.

Hac de causa Isaias propheta, cap. VI, vers. 5, gemens exclamat : « Væ mihi, quia vir pollutus labiis ego sum, et in medio populi polluta labia habentis ego habito, » *q. d.* Miserum me, qui nihilo sum civibus sanctior, cum ipsi sint mere profani. Alludit hic Paulus ad etymon sui nominis פלא *pele*, id est excellens, eximium, mirabile, ideoque a vulgo segregatum, ut dixi *Rom.* I, 1.

16. UT REVELARET FILIUM SUUM IN ME. — « In me, » id est mihi, in anima mea. Est hebraismus : *bet* enim Hebræis est adhæsivum.

Nota : Dicit potius *in me*, quam *mihi*, ut significet se non nudam auribus vel oculis revelationem excepisse, sed Christum Christique doctrinam et spiritum intimo totoque corde imbibisse, ita ut Christus in eo esset, et per eum loqueretur. Ita Theophylactus. Unde *secundo*, Hieronymus et Vatablus apte vertunt, *ut revelaret Filium suum per me*. Addit *tertio*, S. Hieronymus, non dici *mihi*, sed *in me*, quia in Paulo jam erat Christus : erant enim in ipso principia virtutum et Dei ac fidei semina ; sed hæc non agnoscebat, nec iis credebat Paulus, donec hæc in ipso ejusque corde revelaret Deus. Hoc subtilius est, quam germanius.

NON ACQUIEVI CARNI ET SANGUINI. — *q. d.* Non adjunxi me ulli homini, non contuli de hac mea vocatione et revelatione, modoque eam exequendi, nec in consilium adhibui consanguineos vel ullum hominem ; sed certo sciens me a Deo vocari et doceri, Deum unum doctorem et ductorem secutus sum. Græce est προσανεθέμην, quod Noster, cap. II, vers. 2 et 6, vertit *non contulerunt* ; ἀνατίθεσθαι, ait Budæus, est consilia et arcana communicare, *et* in sinum amicorum effundere, ut illi quasi consiliarii ac sinceri judices, ea probent, improbent, addant, demant, suadeant ac dissuadeant, prout eis e re nostra esse videbitur. Sic et S. Hieronymus, Chrysostomus, Theophylactus et Syrus, qui vertit, *non patefecit carni et sanguini*, id est, ulli homini.

Nota : *Caro* et *sanguis* significant synecdochice hominem carne et sanguine constantem. Sic *Matth.* XVI, 17 : « Caro et sanguis non revelavit tibi, » id est, nullus homo, « sed Pater meus qui in cœlis est, » *q. d.* Ab homine Evangelium non sum edoctus, quia cum nullo homine illud contuli, sed a Deo solo illud per revelationem accepi. Videte ergo, o Galatæ, ne illud repellendo, et judaismi mixtione contaminando, contaminetis et repellatis Dei verbum, Deumque ipsum, qui illud mihi revelavit, et prædicandum demandavit.

Dices : Cur ergo postea Paulus venit Hierosolymam videre Petrum, vers. 18, imo cum eo Evangelium contulit, cap. II, vers. 2? Respondeo, contulisse non quasi dubium, aut non satis instructum, ut plenius ac certius instrueretur, sed ut fideles quos docebat, cernerent eum in fide et doctrina communicare et consentire cum Petro aliisque Apostolis, sicque plus fidei ejus Evangelio tribuerent.

Utr Paulus Evangelium confulerit cum Petro?

Aliter respondet Hieronymus, illud « continuo » referendum esse ad præcedentia ; sicque esse dispungendum : « Ut revelarem illum in Gentibus continuo, non acquievi carni et sanguini, » *q. d.* Cum statim juberer a Deo Gentibus evangelizare, statim acquievi, ita ut tum cum nullo mortalium conferrem, aut consilium inirem, postea tamen contuli cum Petro, Jacobo, Joanne. Sed prior solutio solidior est. Rursum τὸ *non acquievi carni et sanguini*, sic exponi potest, *q. d.* Non invisi, non adjunxi me parentibus carnalibus et consanguineis, sed illis relictis, Deum vocantem secutus sum. Ita Augustinus et Œcumenius.

An Paulus a conversione statim visum ierit Hierosolymam?

Hæc Vatablo non est ad quæstionem jactum.

Moraliter, hoc S. Pauli exemplum sequatur is, qui a Deo ad apostolatum, ad religionem, ad perfectionem Evangelicam, ad heroica opera vocatur, ut non acquiescat carni et sanguini, sed statim abeat ad id, ad quod vocari se sentit. Audiat S. Hieronymum *ad Heliodorum* : « Quid facis, ait, in domo paterna, delicate miles? ubi vallum? ubi fossa? ubi hiems acta sub pellibus? Recordare tirocinii tui diem, quo Christo in baptismate consepultus, in sacramenti verba jurasti, pro nomine ejus non te patri parciturum esse, non matri. Ecce adversarius in pectore tuo Christum occidere conatur. Ecce donativum quod militaturus acceperas, hostilia castra suspirant. Licet parvulus ex collo pendeat nepos, licet sparso crine et scissis vestibus ubera quibus te nutrierat, mater ostendat, licet in limine pater jaceat, per calcatum perge patrem, siccis oculis ad vexillum crucis evola. Solum pietatis genus est, in hac re esse crudelem. » Et infra : « Facile rumpit hæc vincula amor Dei et gehennæ timor. Si credunt Christo, faveant mihi pro ejus nomine pugnaturo : si non credunt, mortui sepeliant mortuos suos. »

Idem ad Furiam, viduam nobilissimam : « Contristabitur pater, sed lætabitur Christus : lugebit familia, sed angeli gratulabuntur. Faciat pater quod vult de substantia sua : non es cui nata es, sed cui renata, qui te grandi pretio redemit sanguine suo. Cave nutrices et gerulas, et istiusmodi venenata animalia quæ de corio tuo satiare ventrem suum cupiunt : non suadent quod tibi, sed quod sibi prosit. »

Audiat et S. Bernardus, serm. *Ecce nos reliquimus omnia* : « Quantos, ait, mundi sapientia maledicta supplantat, et in eis conceptum extinguit spiritum, quem voluerat Dominus vehementer accendi? Noli, inquit, præcipitanter agere, diu considera, magnum est quod proponis, experire quid possis, amicos consule, ne post factum pœnitere contingat. Hæc sapientia mundi terrena, animalis, diabolica, inimica salutis, suffocatrix vitæ, mater tepiditatis, quæ solet Domino vomitum provocare. »

17. NEQUE VENI HIEROSOLYMAM. — Dices, *Act.* cap. IX, vers. 26, mox a conversione cum Damasco fugeret Paulus, venisse Hierosolymam. Respondet Hieronymus et Lorinus in *Act.* IX, venisse Hierosolymam statim a conversione necessitate fugæ compulsum, non autem ut Petrum videret, cum eoque conferret Evangelium ; hoc enim tantum hic negat. Aliter respondet Baronius, *Act.* IX non dici Paulum statim a conversione venisse Hierosolymam, sed post dies multos : puta triennium, partim in Arabia, partim Damasci exactum ; cum scilicet eo venit videre Petrum, ut hic dicit vers. 18, indeque venit in partes Syriæ et Ciliciæ, ut hic dicit vers. 21, quod Lucas, *Act.* IX, declarat dicens vers. 30 : « Deduxerunt eum Cæsaream, et dimiserunt Tarsum, » quæ est metropolis Ciliciæ. Ita ut Lucas, *Act.* IX, taceat Pauli profectionem in Arabiam, quia in ea nihil memorabile acciderat.

Vers. 17.

Utraque sententia est probabilis. Priori favet id, quod subdit Lucas : « Omnes timebant eum, non credentes quod esset discipulus. Barnabas autem apprehensum illum duxit ad Apostolos, et narravit illis quomodo in via vidisset Dominum. » Conversio enim tam miraculosa Pauli non videtur potuisse per triennium latere Apostolos et alios fideles Hierosolymis ; quod si ita est, vide et admirare cum Chrysostomo gratiam Dei quæ ex Paulo persecutore tanto tantum subito doctorem effecit, ut statim a conversione publice docere et disputare cum Judæis inciperet.

AD ANTECESSORES MEOS APOSTOLOS. — πρὸς τοὺς πρὸ ἐμοῦ ἀποστόλους, ad eos qui ante me fuerunt Apostoli, id est qui ante me vocati sunt a Christo ad apostolatum.

18. DEINDE POST ANNOS TRES VENI HIEROSOLYMAM VIDERE PETRUM. — Græce, ait Chrysostomus et Theophylactus, non est ἵδω, sed ἱστορῆσαι, quod dicitur de iis, qui visunt et lustrant splendidas urbes, v. g. Romam, et eum observatione intuentur ejus reliquias, Pontificem, Cardinales, clerum virosque sanctos, *q. d.* Paulus : Veni Hierosolymam « videre Petrum, » non ut ab eo aliquid discerem (licet id quoque Græco ἱστορεῖν significari velit Erasmus), qui divinitus eram edoctus ; sed ut tantum virum, Apostolorum scilicet principem, viderem ac honorarem. Ita Theodoretus, Chrysostomus, Ambrosius, Hieronymus. Aliam etiam causam sui Hierosolymam profectionis dat Apostolus, cap. II, vers. 2 : « Petrus, inquit Chrysostomus, homil. 87 *in Joan.*, os erat Apostolorum et princeps, propterea et Paulus eum præter alios visurus ascendit. » Et Hieronymus hic : « Venit Paulus videre Petrum, non ut oculos, genas vultumque ejus aspiceret : utrum macilentus an pinguis, adunco naso esset an recto, et utrum frontem vestiret coma, an (ut Clemens in *Periodis* ejus refert) calvitiem haberet in ca-

Unde cætus ob quas Paulus invenerit Hierosolymis Petrum.

pite. Nec puto Apostolicæ fuisse gravitatis, ut post tantam triennii preparationem aliquid humanum in Petro volverit aspicere. His oculis Paulus vidit Cepham, quibus nunc a prudentibus quibusque Paulus ipse conspicitur. Quod si cui non videtur, cum superiori sensu jungat hæc omnia, quod nihil sibi Apostoli contulerint. Nam et quod visus sit ire Hierosolymam, ad hoc isse, ut videret Apostolum; non discendi studio, qui et ipse eumdem prædicationis haberet auctorem, sed honoris priori Apostolo deferendi. » Hinc patet Paulum non vidisse Petrum, ut ab eo doceretur, ut volunt Erasmus et Vatablus, hoc enim negat cap. II, vers. 6 : « Mihi, inquit, nihil contulerunt. » Et his vers. 11 et 12, diserte asserit se non ab homine, sed a solo Deo edoctum esse (1).

19. ALIUM AUTEM APOSTOLORUM VIDI NEMINEM, NISI JACOBUM FRATREM DOMINI. — Christi scilicet consobrinum, vel cognatum; Hebræi enim cognatos vocant fratres. Addit S. Hieronymus, præ aliis Apostolis etiam Christo cognatis, Jacobum vocari fratrem Domini ob egregios mores, incomparabilem fidem et sapientiam, quibus videbatur Christo similis quasi frater. Unde et Jacobus hic cognomento dictus est Justus. *Secundo*, quia filios matris suæ, primos scilicet in Judæa credentes, huic Jacobo quasi fratri Christus ad Patrem vadens commendavit, ait Hieronymus. Fuit enim hic Jacobus Alphæi, filius Mariæ, uxoris Cleophæ, unus e duodecim Apostolis, primus Episcopus Hierosolymorum. Unde et in primo Concilio Hierosolymitano primus post Petrum sententiam dixit, *Act.* XV, 13. Hujus Jacobi extat Epistola Canonica. Ita Chrysostomus, Theophylactus, Anselmus.

Jacobus Alphæi erat frater Matthæi vocatur, ea ne fuerit unus e duodecim Apostolis?

Innuit tamen S. Hieronymus tam hic, quam libro *De Scriptor. Eccles.*, in *Jacobo*, hunc Jacobum non fuisse ex duodecim Apostolis, dici vero hic Apostolum, quia Christum viderat, eumque prædicarat. Ita ut tres fuerint Jacobi : *primus*, frater Joannis, quem Herodes occidit; *secundus*, Alphæi, ambo Apostoli; *tertius*, hic frater Domini. Sed cum hic frater Domini vocetur Apostolus, nihilque cogat alium hunc facere a Jacobo Alphæi Apostolo, imo multa, multique eumdem esse suadeant; hisce de causis prior sententia verior videtur.

20. CORAM DEO (supple, affirmo et assero), QUIA (id est quod) NON MENTIOR. — Unde brevius et planius vertit Vatablus, *quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo*, scilicet scribo, *non mentior* : Græcum enim tantum habet vim asseverandi, non ita Latinum *quia* : unde omisso *quia* facilius nuda hæc asseveratio intelligitur apud Latinos. Ita Theophylactus. Ambrosius tamen et Augustinus putant esse formulam jurantis : « coram Deo, » id est Deum testor.

Nota : Tam serio et graviter asserit se alios Apostolos non vidisse, ne quis dicat Paulum secreto eos adiisse, et ab eis, non a Deo edoctum esse. Ita Hieronymus.

Paulus a Deo, non ab Apostolis edoctus.

22. ERAM AUTEM IGNOTUS FACIE, — secundum faciem non viderant me Christiani, qui erant in Judæa. Id dicit, ait Chrysostomus, ut probet se in Judæa non docuisse, nec prædicasse circumcisionem et legem veterem, sicut illi Judaizantes objectabant (2). Vers. 22.

23. QUÆ ERANT IN CHRISTO, — in Christi fide et religione, id est quæ erant Christianæ. Vide *Can.* 37. Vers. 23.

AUDITUM HABEBANT, — rumorem habebant. Græce ἀκούοντες ἦσαν, *audientes erant*, auditum ab illis erat, id est audierant.

24. EXPUGNABAT, — oppugnabat. Vide dicta vers. 13.

CLARIFICABANT. — Græca ἐδόξαζον, *glorificabant*; Ambrosius legit, *magnificabant*.

(1) Hi omni *tres* numerari possunt vel a discessu Pauli ab Hierosolymis, vel a reditu ex Arabia Damascum. Prius præferendum esse videtur.

(2) Seu potius ut inde concludi posset, se a nullo Ecclesiæ doctore suam doctrinam didicisse, vel benevolentiam captasse.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Docet Paulus se suum Evangelium cum Petro, Jacobo et Joanne contulisse, illudque ab eis approbatum esse per omnia, ita ut nihil ab eis doctrinæ illius additum aut demptum sit.

Secundo, vers. 7, *docet se ab eis accepisse dextras societatis, ut ipsi Judæis, Paulus vero Gentibus evangelizaret.*

Tertio, vers. 11, *narrat se palam Petrum reprehendisse, quod incaute judaismum simularet, itaque Gentes ad judaizandum incitaret.*

Quarto, vers. 16, *probat nos justificari non ex operibus legis, sed ex fide Christi, idque tribus rationibus : Prima est*, vers. 17, *quia alioqui Christus legem abolens esset peccati minister. Secunda*, vers. 19, *quia lex ipsa profitetur se in Christo desinere et mori. Tertia*, vers. 21, *quia alioqui gratia Christus mortuus esset.*

1. Deinde post annos quatuordecim, iterum ascendi Hierosolymam cum Barnaba, assumpto et Tito. 2. Ascendi autem secundum revelationem : et contuli cum illis Evangelium, quod prædico in Gentibus, seorsum autem iis, qui videbantur aliquid esse : ne forte in vacuum currerem, aut cucurrissem. 3. Sed neque Titus, qui mecum erat, cum esset Gentilis, compulsus est circumcidi : 4. sed propter subintroductos falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Jesu, ut nos in servitutem redigerent. 5. Quibus neque ad horam cessimus subjectione, ut veritas Evangelii permaneat apud vos; 6. ab iis autem, qui videbantur esse aliquid (quales aliquando fuerint, nihil mea interest : Deus personam hominis non accipit), mihi enim qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt. 7. Sed e contra cum vidissent quod creditum est mihi Evangelium præputii, sicut et Petro circumcisionis 8. (qui enim operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter Gentes); 9. et cum cognovissent gratiam, quæ data est mihi, Jacobus, et Cephas, et Joannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi et Barnabæ societatis, ut nos in gentes, ipsi autem in circumcisionem : 10. tantum ut pauperum memores essemus : quod etiam sollicitus fui hoc ipsum facere. 11. Cum autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat. 12. Prius enim quam venirent quidam a Jacobo, cum Gentibus edebat : cum autem venissent, subtrahebat et segregabat se, timens eos qui ex circumcisione erant. 13. Et simulationi ejus consenserunt cæteri Judæi, ita ut et Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem. 14. Sed cum vidissem quod non recte ambularent ad veritatem Evangelii, dixi Cephæ coram omnibus : Si tu, cum Judæus sis, gentiliter vivis, et non judaice : quomodo Gentes cogis judaizare? 15. Nos natura Judæi, et non ex Gentibus peccatores. 16. Scientes autem quod non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi : et nos in Christo Jesu credimus, ut justificemur ex fide Christi, et non ex operibus legis : propter quod ex operibus legis non justificabitur omnis caro. 17. Quod si quærentes justificari in Christo, inventi sumus et ipsi peccatores, numquid Christus peccati minister est? Absit. 18. Si enim quæ destruxi, iterum hæc ædifico, prævaricatorem me constituo. 19. Ego enim per legem, legi mortuus sum, ut Deo vivam. Christo confixus sum cruci. 20. Vivo autem, jam non ego : vivit vero in me Christus. Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me. 21. Non abjicio gratiam Dei. Si enim per legem justitia, ergo gratis Christus mortuus est

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

pite. Nec puto Apostolicæ fuisse gravitatis, ut post tantam triennii preparationem aliquid humanum in Petro volverit aspicere. His oculis Paulus vidit Cepham, quibus nunc a prudentibus quibusque Paulus ipse conspicitur. Quod si cui non videtur, cum superiori sensu jungat hæc omnia, quod nihil sibi Apostoli contulerint. Nam et quod visus sit ire Hierosolymam, ad hoc isse, ut videret Apostolum; non discendi studio, qui et ipse eumdem prædicationis haberet auctorem, sed honoris priori Apostolo deferendi. » Hinc patet Paulum non vidisse Petrum, ut ab eo doceretur, ut volunt Erasmus et Vatablus, hoc enim negat cap. II, vers. 6 : « Mihi, inquit, nihil contulerunt. » Et his vers. 11 et 12, diserte asserit se non ab homine, sed a solo Deo edoctum esse (1).

19. ALIUM AUTEM APOSTOLORUM VIDI NEMINEM, NISI JACOBUM FRATREM DOMINI. — Christi scilicet consobrinum, vel cognatum; Hebræi enim cognatos vocant fratres. Addit S. Hieronymus, præ aliis Apostolis etiam Christo cognatis, Jacobum vocari fratrem Domini ob egregios mores, incomparabilem fidem et sapientiam, quibus videbatur Christo similis quasi frater. Unde et Jacobus hic cognomento dictus est Justus. *Secundo*, quia filios matris suæ, primos scilicet in Judæa credentes, huic Jacobo quasi fratri Christus ad Patrem vadens commendavit, ait Hieronymus. Fuit enim hic Jacobus Alphæi, filius Mariæ, uxoris Cleophæ, unus e duodecim Apostolis, primus Episcopus Hierosolymorum. Unde et in primo Concilio Hierosolymitano primus post Petrum sententiam dixit, *Act.* XV, 13. Hujus Jacobi extat Epistola Canonica. Ita Chrysostomus, Theophylactus, Anselmus.

Jacobus Alphæi erat frater Matthæi vocatur, ea ne fuerit unus e duodecim Apostolis?

Innuit tamen S. Hieronymus tam hic, quam libro *De Scriptor. Eccles.*, in *Jacobo*, hunc Jacobum non fuisse ex duodecim Apostolis, dici vero hic Apostolum, quia Christum viderat, eumque prædicarat. Ita ut tres fuerint Jacobi : *primus*, frater Joannis, quem Herodes occidit; *secundus*, Alphæi, ambo Apostoli; *tertius*, hic frater Domini. Sed cum hic frater Domini vocetur Apostolus, nihilque cogat alium hunc facere a Jacobo Alphæi Apostolo, imo multa, multique eumdem esse suadeant; hisce de causis prior sententia verior videtur.

20. CORAM DEO (supple, affirmo et assero), QUIA (id est quod) NON MENTIOR. — Unde brevius et planius vertit Vatablus, *quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo*, scilicet scribo, *non mentior* : Græcum enim tantum habet vim asseverandi, non ita Latinum *quia* : unde omisso *quia* facilius nuda hæc asseveratio intelligitur apud Latinos. Ita Theophylactus. Ambrosius tamen et Augustinus putant esse formulam jurantis : « coram Deo, » id est Deum testor.

Nota : Tam serio et graviter asserit se alios Apostolos non vidisse, ne quis dicat Paulum secreto eos adiisse, et ab eis, non a Deo edoctum esse. Ita Hieronymus.

Paulus a Deo, non ab Apostolis edoctus.

22. ERAM AUTEM IGNOTUS FACIE, — secundum faciem non viderant me Christiani, qui erant in Judæa. Id dicit, ait Chrysostomus, ut probet se in Judæa non docuisse, nec prædicasse circumcisionem et legem veterem, sicut illi Judaizantes objectabant (2). Vers. 22.

23. QUÆ ERANT IN CHRISTO, — in Christi fide et religione, id est quæ erant Christianæ. Vide *Can.* 37. Vers. 23.

AUDITUM HABEBANT, — rumorem habebant. Græce ἀκούοντες ἦσαν, *audientes erant*, auditum ab illis erat, id est audierant.

24. EXPUGNABAT, — oppugnabat. Vide dicta vers. 13.

CLARIFICABANT. — Græca ἐδόξαζον, *glorificabant*; Ambrosius legit, *magnificabant*.

(1) Hi omni *tres* numerari possunt vel a discessu Pauli ab Hierosolymis, vel a reditu ex Arabia Damascum. Prius præferendum esse videtur.

(2) Seu potius ut inde concludi posset, se a nullo Ecclesiæ doctore suam doctrinam didicisse, vel benevolentiam captasse.

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Docet Paulus se suum Evangelium cum Petro, Jacobo et Joanne contulisse, illudque ab eis approbatum esse per omnia, ita ut nihil ab eis doctrinæ illius additum aut demptum sit.

Secundo, vers. 7, *docet se ab eis accepisse dextras societatis, ut ipsi Judæis, Paulus vero Gentibus evangelizaret.*

Tertio, vers. 11, *narrat se palam Petrum reprehendisse, quod incaute judaismum simularet, itaque Gentes ad judaizandum incitaret.*

Quarto, vers. 16, *probat nos justificari non ex operibus legis, sed ex fide Christi, idque tribus rationibus : Prima est*, vers. 17, *quia alioqui Christus legem abolens esset peccati minister. Secunda*, vers. 19, *quia lex ipsa profitetur se in Christo desinere et mori. Tertia*, vers. 21, *quia alioqui gratia Christus mortuus esset.*

1. Deinde post annos quatuordecim, iterum ascendi Hierosolymam cum Barnaba, assumpto et Tito. 2. Ascendi autem secundum revelationem : et contuli cum illis Evangelium, quod prædico in Gentibus, seorsum autem iis, qui videbantur aliquid esse : ne forte in vacuum currerem, aut cucurrissem. 3. Sed neque Titus, qui mecum erat, cum esset Gentilis, compulsus est circumcidi : 4. sed propter subintroductos falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Jesu, ut nos in servitutem redigerent. 5. Quibus neque ad horam cessimus subjectione, ut veritas Evangelii permaneat apud vos; 6. ab iis autem, qui videbantur esse aliquid (quales aliquando fuerint, nihil mea interest : Deus personam hominis non accipit), mihi enim qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt. 7. Sed e contra cum vidissent quod creditum est mihi Evangelium præputii, sicut et Petro circumcisionis 8. (qui enim operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter Gentes); 9. et cum cognovissent gratiam, quæ data est mihi, Jacobus, et Cephas, et Joannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi et Barnabæ societatis, ut nos in gentes, ipsi autem in circumcisionem : 10. tantum ut pauperum memores essemus : quod etiam sollicitus fui hoc ipsum facere. 11. Cum autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat. 12. Prius enim quam venirent quidam a Jacobo, cum Gentibus edebat : cum autem venissent, subtrahebat et segregabat se, timens eos qui ex circumcisione erant. 13. Et simulationi ejus consenserunt cæteri Judæi, ita ut et Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem. 14. Sed cum vidissem quod non recte ambularent ad veritatem Evangelii, dixi Cephæ coram omnibus : Si tu, cum Judæus sis, gentiliter vivis, et non judaice : quomodo Gentes cogis judaizare? 15. Nos natura Judæi, et non ex Gentibus peccatores. 16. Scientes autem quod non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi : et nos in Christo Jesu credimus, ut justificemur ex fide Christi, et non ex operibus legis : propter quod ex operibus legis non justificabitur omnis caro. 17. Quod si quærentes justificari in Christo, inventi sumus et ipsi peccatores, numquid Christus peccati minister est? Absit. 18. Si enim quæ destruxi, iterum hæc ædifico, prævaricatorem me constituo. 19. Ego enim per legem, legi mortuus sum, ut Deo vivam. Christo confixus sum cruci. 20. Vivo autem, jam non ego : vivit vero in me Christus. Quod autem nunc vivo in carne, in fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me. 21. Non abjicio gratiam Dei. Si enim per legem justitia, ergo gratis Christus mortuus est

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Vers. 1. Unde sumptum sit quatuordecim?

1. POST ANNOS QUATUORDECIM ITERUM ASCENDI HIEROSOLYMAM. — Petes : Unde hi anni inchoandi sint? an a conversione Pauli, de qua dixit cap. I, vers. 15, an a triennio post eam acto Damasci et in Arabia, de quo cap. I, vers. 18? S. Hieronymus numerat a triennio post vocationem exacto, eni adde hos quatuordecim annos, fiet annus a vocatione Pauli 17, Christi 54 (a Christi enim anno 36, quo conversus est Paulus, si 17 annos numeres, pertinges ad annum Christi 54), Claudii Imperatoris 12, quo hic Pauli ascensus contigit.

Verum cum Claudius sequenti anno 13 regnare ceperit, eique statim successerit Nero, cujus anno 2 Paulus vinctus missus est Romam, ut describitur *Actor.* XXVII, hinc sequeretur, omnia gesta Pauli, quæ describuntur ab *Actor.* XV (idem enim est iter Pauli hic, et *Actor.* XV, ut mox dicam) ad cap. *Actor.* XXVII, gesta esse biennio, ab anno scilicet Claudii 12 ad Neronis 2, quod non videtur verisimile; illa enim gesta tot et tanta plus temporis exigunt : cum præsertim ex *Actor.* XVIII, 11, constet post hæc acta Hierosolymis, Paulum permansisse Corinthi anno cum dimidio, rursumque tres annos egisse Ephesi, ut patet *Actor.* XX, 31. Quare Baronius et alii verius putant, hos quatuordecim annos inchoandos esse a Pauli vocatione, de qua dicit cap. I, vers. 15, eo enim respicit : a vocatione enim sua tam illustri annos numerat et consignat, sicuti nos vocationis ad papatum, episcopatum, religionem, annos numeramus, et cuique hanc quasi æram statuimus (1).

Profectio hæc Pauli Hierosolymam est eadem cum ea quæ describitur *Actor.* XV.

Nota : Hinc Pauli Hierosolymam profectio eadem est cum illa, qua *Actor.* XV, ad Concilium Hierosolymitanum profectus est : eadem enim causa, idem locus, eædem personæ sunt utrobique. Ita Patres, præter Chrysostomum, cujus hoc est argumentum : *Actor.* XV missus est Paulus Hierosolymam ab hominibus, Christianis scilicet Antiochenis : hic vero vers. 2 ait se Hierosolymam ascendisse, *secundum*, id est, *per revelationem* ; ergo hoc iter non fuit idem, sed diversum.

Respondeo, nego consequentiam : utrumque enim verum est, missum scilicet Paulum ab Antiochenis, et ascendisse secundum revelationem : quia scilicet, ut notat Beda, monitus fuit oraculo divino, ut missionem hanc et legationem ab Antiochenis delatam pro eis susciperet, idque tum communis illius quæstionis de servandis legalibus, ut habetur *Actor.* XV, decidendæ, tum propria sui ipsius causa, ut scilicet cum Apostolorum principe, primariisque Apostolis conferret suam doctrinam et Evangelium, ut hic dicitur vers. 2.

EX DICTIS sequitur, Concilium Hierosolymitanum celebratum esse post 14 annos a conversione Pauli, puta anno 16 a passione Christi, qui fuit annus Claudii Imperatoris nonus, Christi 54. Ita Baronius.

2. CONTULI CUM ILLIS EVANGELIUM, QUOD PRÆDICO. — Ἀνεθέμην, contuli, communicavi, in medium proposui Evangelium meum Petro et Apostolis, illos quasi judices Evangelii mei constituens, ut quod illi de eo decernerent, ac communi consilio probarent, improbarent, adderent, demerentque, id ego sic credendum, sic docendum susciperem. Vide dicta cap. I, vers. 16.

Paulus cur cum aliis Apostolis contulerit Evangelium?

Nota, Apostolum non contulisse cum Apostolis suum Evangelium, quod dubitaret de ejus veritate, vel integritate, aut certe an concordaret cum Petri aliorumque Apostolorum Evangelio : sciebat enim certissimo, Deo revelante, se idem cum ceteris Apostolis Evangelium plenum et perfectum a Deo accepisse, ut patet cap. I, vers. 11 et 12. Contulit ergo cum Apostolis Evangelium non propter se, sed propter alios ad Christi fidem conversos, apud quos a pseudoapostolis judaizantibus diffamatus erat Paulus, quod apud Gentes legi Mosis detraheret, cum contrarium docerent et facerent Petrus, Jacobus et Joannes, imo ipse Paulus apud Judæos judaizaret : Paulus ergo, ut contrarium ostendat, suamque doctrinam doctrinæ Apostolorum consentientem, pariter et auctoritatem tueatur, confert cum eis Evangelium : « Ne forte, inquit, in vacuum currerem, aut cucurrissem. »

CUM ILLIS, — puta Hierosolymitanis primis ac primariis Christianis : nam illud adjectivum latens in substantivo Hierosolyma, quod præcessit, more Hebræo demonstrat pronomen « illis, » scilicet Hierosolymitanis, ad quos Hierosolymam ascendi.

QUI VIDEBANTUR ALIQUID ESSE, — id est qui videbantur esse columnæ (ut ait vers. 9) Ecclesiæ, ac primarii Apostoli. Ita Hieronymus. Græca hic, et vers. 6, tantum habent, τοῖς δοκοῦσι, qui videbantur, id est, ut Œcumenius, qui habebantur in pretio. Græci enim δοκοῦντας vocant eos, qui magnæ sunt auctoritatis ; ἀδοκοῦντες, quorum nulla vel parva est auctoritas.

NE IN VACCUM CURREREM, — ne pseudoapostolis jactantibus doctrinam meam ab Apostolis reprobari, mihi fideique meæ fideles non credant, et sic meus omnis labor cassus reddatur. Ita Hieronymus, epist. 11 *ad Augustinum*, inter epistolas Augustini; Tertullianus, lib. IV *Contra Marcionem*, et diserte Augustinus, lib. XXVIII *Contra Faustum*, cap. IV, ubi hinc contra Lutherum docet verbum Dei etiam sincerissimum, omnesque ejus præcones opus habere testimonio et auctoritate hominum « Quis est, ait S. Augustinus loco citato, tam demens, qui hodie credat esse epistolam Christi, quam protulerit Manichæus, et non credat facta vel dicta esse Christi, quæ scripsit Matthæus? Aut si etiam de Matthæo, utrum ipse ista scripserit, dubitat, de ipso quoque Matthæo non potius id credat, quod invenit in Ecclesia, quæ ab ipsis Matthæi temporibus ad hoc usque tempus certa successionum serie declaratur : et credat nescio cui transverso de Perside, post ducentos vel amplius annos venienti, et suadenti, ut illi potius, quid Christus dixerit fecerit ve credatur : cum ipse Apostolus Paulus post ascensionem Domini de cœlo vocatus, si non inveniret in carne Apostolos, quibus communicando Evangelium ejusdem societatis esse appareret, Ecclesia illi omnino non crederet? »

Verbum Dei et ejus præcones opus habent testimonio et auctoritate hominum, contra Lutheranos et Novatores.

Notent hæc, sibique applicent Novantes, qui Calvino post 1500 annos venienti et dogmata nova afferenti potius quam Ecclesiæ, totque sæculorum consensioni credere malunt.

Nota, testimonium hoc non pertinere ad laicos etiam magistratus, sed ad Petrum et Apostolos, id est ad Romanum Pontificem et Episcopos, Apostolorum successores, sive seorsim, sive in communi eorum Concilio : hoc enim suæ et doctrinæ et apostolatus testimonium petiit Paulus ab Hierosolymitano Concilio, in quo judices erant Apostoli, Petrus quasi præses præloquebatur et sententiam dictabat. Sic a tempore Apostolorum hucusque orbis Christianus universus in fidei dubiis, novis dogmatibus, subnascentibusque hæresibus a Pontifice Romano et Conciliis, quibus vel per se, vel per legatos præst Pontifex Romanus, veritatis decisionem et testimonium petit, ab eisque damnata dogmata, vel doctores, pro hæresibus ac hæreticis habet. Soli hæretici, quia hæretici, ab ea damnandi, hoc judicium, hoc testimonium declinarunt, omnique ætate subterfugerunt. Unde non mirum si nostri Novantes idem defugiant : nimirum hoc ipsum novitatis, malæ fidei, hæresis certum est argumentum.

Vers. 3. Cur Titus fuerit circumcisus?

3. NEQUE TITUS, CUM ESSET GENTILIS, COMPULSUS EST CIRCUNCIDI. Nota : ait, « compulsus est, » *q. d.* Urgentibus licet, et quasi impellentibus Judæis falsis fratribus, nolui cedere et concedere, ut Titus, utpote Gentilis, circumcideretur : sic enim visus fuissem ipso facto Gentilibus asserere necessariam esse circumcisionem et legem Mosis. Unde quod postea *Act.* XVI, 3, Timotheum circumcidi, non id compulsus, sed sponte feci, ne Judæos irritarem : erat enim Timotheus non pure Gentilis, sed ex Judæa matre semijudæus, et ex Gentili patre semigentilis.

GENTILIS, — Græce Ἕλλην, *Græcus*, id est Gentilis : tum tempore Alexandri Græci inter Gentiles celeberrimi et notissimi erant Judæis.

4. SED. — Repete hebraismo *neque* ex vers. præcedenti, *q. d.* Ne quidem urgentibus Judæis, qui erant falsi fratres, Titus est circumcisus. Ita Chrysostomus, Œcumenius. *Secundo*, S. Hieronymus tollit *sed*, ut cohæreat cum vers. præced., *q. d.* Neque Titus compulsus est circumcidi propter subintroductos falsos fratres. *Tertio*, aptissime et clarissime Græcum διὰ δέ, quod Noster vertit, *sed propter*, accipias pro διὰ vel διότι, id est *nempe*, cujus enallages Budæus habet exempla, *q. d.* Non compulsus est, *nempe*, vel, ut Gagnæus vertit, *etiam* cum falsi fratres urgerent eum circumcidi.

Quod enim aliqui cum Primasio vocalem *sed* proprie et adversative accipiunt, quasi velit dicere Paulus, Titum ab Apostolis quidem non fuisse compulsum circumcidi, sed tamen propter importunitatem falsorum fratrum fuisse circumcisum, plane repugnat tum sequentibus verbis, cum ait : « Quibus neque ad horam cessimus ; » tum sanæ fidei. Jam enim abrogata circumcisione, et promulgato Evangelio ac baptismo, illicitum erat Gentilibus circumcidi : Titus autem plane et utroque parente Gentilis erat. Ita de Tito diserte præter alios docet S. Augustinus, epist. 19 *ad Hieronymum*, et lib. *De Mendacio*, cap. V.

SUBINTRODUCTOS (παρεισάκτους, quod Vatablus vertit, *obiter ingressos* ; melius Noster, *subintroductos*, id est subinductitios), qui (scilicet nobis aliud agentibus, quasi exploratores insidias molientes) SUBINTROIERUNT, — παρεισῆλθον, id est clanculo et insidiose irrepserunt : hoc enim innuit παρά, quod sæpe in vitium accipitur ; notatque fraudes et insidias, de quo dixi *Rom.* V, 20.

EXPLORARE LIBERTATEM NOSTRAM (a servitute et onere tam multiplicium cæremoniarum et observantiarum legalium), QUAM HABEMUS IN CHRISTO JESU, — per Christum, in Christi fide, Ecclesia, religione.

5. QUIBUS NEQUE AD HORAM CESSIMUS SUBJECTIONE, — per subjectionem, subjiciendo nos Judaizantibus. Male quidam legunt in dativo, *subjectioni*.

6. AB HIS AUTEM QUI VIDEBANTUR ESSE ALIQUID (supple, nihil doctrinæ mihi collatum est ; abripitur enim more suo Apostolus, et interjicit subdens), QUALES ALIQUANDO FUERINT, NIHIL MEA INTERREST (et mox redit, sed priore casu mutato in eum, quo abreptus fuerat, dum subjicit) ; NIHIL ENIM QUI VIDEBANTUR ESSE ALIQUID (scilicet, Petrus, Joannes, Jacobus, primarii Apostoli), NIHIL CONTULERUNT. — Ita Anselmus.

QUALES ALIQUANDO FUERINT, — quod scilicet hi primarii Apostoli, qui videntur esse aliquid, fuerint indocti, piscatores, pauperes, abjecti, cum ego civis Romanus zelo et scientia legis excellerem. Ita Ambrosius et Anselmus ; quia enim aliorum Apostolorum quasi judaizantium auctoritate premebatur Paulus, eam elevat, ut suam auctoritatem, et consequenter doctrinam erigat, modeste tamen. Unde subdit : « Deus personam hominis non accipit, » ut hic patet, cum piscatores in Apostolos elegit.

Secundo, Augustinus, « quales, » scilicet peccatores, *q. d.* Non est ergo quod mihi quis objiciat peccata persecutionis meæ, aut certe et Petro objiciat, quod Christum in passione negarit.

Tertio, Chrysostomus et Hieronymus, « quales fuerint, » scilicet in doctrina et observatione circumcisionis et legalium, nihil ad me ; Deo red-

(1) Juxta Allioli, hi quatuordecim anni ab itinere Pauli in *partes Syriæ et Ciliciæ*, non vero ab ejus ad Christianismum conversione, sunt computandi. Ut igitur *ascendi Hierosolymam* Pauli iter in hanc urbem, ut concilio Hierosolymitano assisteret, commemorat.

dent rationem; Deus enim nullius personam accipit. Primus sensus maxime planus videtur esse ex mente Apostoli.

An Deus quando do non aut personarum acceptio?

DEUS PERSONAM HOMINIS NON ACCIPIT. — « Personam, » id est personæ conditiones, quæ impertinentes sunt ad gratuitam Dei vocationem : has enim attendere in conferendis beneficiis ac officiis, in homine vitium est oppositum justitiæ distributivæ, quod προσωποληψία, hoc est personarum acceptio, dicitur; in Deo non esset vitium, sed minus congruum ejus liberalitati et celsitudini, ut dixi *Rom.* II, 11.

MIHI NIHIL CONTULERUNT. — Valla, *nihil addiderunt* : sed græce est, οὐδὲν προσανέθεντο, nihil communicarunt, contenti mea sufficienti communicatione et expositione doctrinæ meæ, quam evangelizo. Vide dicta cap. I, vers. 16.

Vers. 7.

7. CREDITUM EST MIHI EVANGELIUM PRÆPUTII (id est, Gentium præputialarum), SICUT ET PETRO CIRCUMCISIONIS, — id est, circumcisorum Judæorum. Ita Theophylactus. Vide *Can.* 21.

Petrus non fuerit tum Judæorum, sed etiam Gentium Apostolus ex Patribus.

Dices : Ergo Petrus non fuit caput Ecclesiæ, sed tantum Judæorum Apostolus et papa. Ita Illyricus et alii. Respondent aliqui, hæc tantum dici de cura et divisione patrocinii : Petrum scilicet esse constitutum, ut Judæos; Paulum, ut Gentiles protegerent; sed quia subdit : « Qui enim operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, » id est, ut circumcisorum Apostolus foret, « operatus est et mihi inter Gentes, » ut scilicet Gentium essem Apostolus; munus haberem, gratias, charismata Apostolica inter Gentes :

Hinc melius respondet Hieronymus, illo tempore, initio scilicet Ecclesiæ, quo Judæi a Gentibus naturaliter adhuc, ut patet vers. 12, abhorrebant, Petrus et Paulus partiti sunt non potestatem, sed operas, ut Paulus Judæis exosus primo ne præcipue Gentibus prædicaret, Petrus Judæis : nam alioqui et Paulum Judæis evangelizasse, patet *Act.* IX; et Petrum Gentibus, patet *Act.* X, et quia sedem suam Romam ad Gentes transtulit, ut historici omnes, Patres, chronica et monumenta consentiunt. Vide illa apud Bellarminum : adeo, ut hæc de re et traditione velle dubitare, non sani sit cerebri, sed mentis emotæ, aut certe frontis perfrictæ.

8. QUI OPERATUS EST PETRO (ὁ ἐνεργήσας Πέτρῳ, qui inoperatus est Petro, qui in Petro suam energiam, vim et efficaciam ostendit) IN APOSTOLATUM CIRCUMCISIONIS — id est, ut fieret Apostolus Judæorum circumcisorum; is eamdem in me Paulo ostendit apud et inter Gentes. Syrus vertit, *qui efficax fuit in Petro*, in me quoque efficax fuit in tot videlicet miris et miraculis patrandis, in tanta sermoni efficacia, in tot Gentium per me facta conversione.

9. CEPHAS. — Putavit Clemens Alexandrinus apud Eusebium, lib. II *Histor.*, cap. XII, et Dorotheus in *Synopsi*, Cepham hunc non fuisse Petrum Apostolum, sed unum e 70 discipulis. Verum alium Cepham nec novit, nec celebrat Ecclesia, quam S. Petrum, eumque hic designari patet ex eo quod subdit : « Qui videbantur columnæ esse; » erat ergo Apostolus, imo princeps Apostolorum. Unde illi, quasi primario præ Jacobo et Joanne opposuit se hic Paulus, vers. 14. Qui ergo syriace in Syria, nimirum Antiochiæ, Cephas vocabatur, idem græce a Græcis dictus est Petrus. Unde quem hic Cepham, vers. 7 Petrum vocat. Ita Hieronymus, Anselmus, Baronius, Bellarminus et alii.

DEXTERAS DEDERUNT MIHI ET BARNABÆ SOCIETATIS, — id est, dextras sociales in societatis symbolum, quia in fide et dogmate utrique eramus concordes et associati. Ita Anselmus.

UT NOS IN GENTES (ad Gentes, erga Gentes; Syrus, *inter Gentes*, suppla, apostolatu fungeremur), IPSE AUTEM (Jacobus, Cephas et Joannes) IN CIRCUMCISIONEM, — id est, apud circumcisos Judæos. Ut, sicut Judæis quasi primis et primariis promissus et datus est Christus, qui inde vocatur « minister circumcisionis, » id est circumcisorum, *ad Rom.* XV, 8 : ita primarii Apostoli primas suas operas apud eosdem collocarent.

10. TANTUM (supple, submonuerunt, vel rogarunt) UT PAUPERUM MEMORES ESSEMUS. — « Pauperum, » scilicet Judææ, qui propter Christi fidem a Judæis spoliati erant bonis, *ad Hebr.* X, 34. Ita Chrysostomus. Idipsum evincit particula *tantum*, quæ alioqui non bene cohæreret. Vel, ut Hieronymus (1), voluntaria « pauperum, » qui possessiones suas vendiderant, pretiumque dederant Apostolis, inter fideles, maxime pauperes, quorum magna erat copia, distribuendum, *Actor.* II, 45.

QUOD ETIAM SOLLICITUS FUI HOC IPSUM FACERE. — Redundat hebraismo *hoc ipsum* : Hebræi enim repetunt antecedens cum relativo.

11. IN FACIEM EI (Cephæ) RESTITI. — « In faciem, id est in speciem, exterius, simulate et ex composito. Ita aliqui cum Erasmo. *Secundo*, planius et verius, « in faciem, » id est, ut vulgo dicimus, in os, in barbam, aperte, palam Petro restiti, idque ut hac ratione scandalum ejus publicum publica correptione emendaretur. Ita Augustinus, Ambrosius, Beda, Anselmus et alii passim.

QUIA REPREHENSIBILIS ERAT, — ὅτι κατεγνωσμένος ἦν, quia reprehensus erat, ab aliis scilicet fratribus, qui hoc Petri facto fuerant offensi, ignorantes legitimum Petri meutem et causam, ait Chrysostomus et Hieronymus. Unde et Syrus vertit, *quia offendebatur in eo*.

Quatenus non licuerit vituperare, quia reprehensibilis erat.

Secundo, ut Theophylactus et Œcumenius, reprehensus erat Petrus ab aliis Apostolis, quod cum Cornelio Gentili sumpsisset cibum Cæsareæ. Hinc veritus ne rursum ab eis aliisve Judæis reprehenderetur, subduxit se a Gentium mensa et conversatione.

Tertio et melius, Ambrosius, reprehensus erat,

(1) Sed minus recte.

scilicet a veritate et libertate Evangelica, quæ Gentes a judaismi umbris et servitute liberat et eximit.

Quarto, optime Noster vertit, *reprehensibilis* : hebraismo enim participia passiva sumuntur sæpe pro verbalibus terminatis in *bilis*, quibus carent Hebræi. Ita Latini passim, et patet ex anteced. et consequentibus : dat enim causam cur restiterit ei, scilicet hanc, « quia reprehensibilis erat, » puta in simulatione judaismi, ut sequitur.

An Petrus vere a Paulo reprehensus fuerit?

Quæritur, an vere reprehensibilis et reprehensus fuerit Petrus a Paulo. Acris hac de re per multos annos fuit dissertatio inter S. Hieronymum et Augustinum, ut patet ex epistolis utriusque, tom. II operum Augustini, cap. VIII, IX et seq. Negant Hieronymus, Chrysostomus, Theophylactus, Baronius, putantque tantum utrimque simulatam fuisse reprehensionem : Petrus scilicet, qui Hierosolymis cum Judæis judaice vixerat, idque licite, veniens Antiochiam cum Gentibus gentiliter vixit; sed supervenientibus Judæis a Jacobo Hierolyma Antiochiam missis, ne eos offenderet, utpote primos et primarios in fide et Ecclesia Christi, ut dixi vers. 9, a Gentibus ad Judæos se subduxit; simul ut daret occasionem Paulo Gentium Apostolo se reprehendendi; utque, ei cedens, ipso facto doceret Judæos, non esse amplius judaizandum. E contrario S. Augustinus asserit Petrum vere fuisse reprehensibilem et reprehensum a Paulo : id enim verba clare significant.

An liceat aliquando de industria et mendacio?

Hinc *secundo*, inter Hieronymum et Augustinum orta est quæstio de simulatione et mendacio. Hieronymus enim asserit licere subinde simulare instar Petri hic. Negat Augustinus Petrum simulasse, docetque nunquam licere mentiri aut simulare, præsertim in negotio fidei et religionis. Sed in hac secunda quæstione non videntur Hieronymus et Augustinus satis se invicem intellexisse; non enim dixit Hieronymus Petrum mentitum esse, aut simulasse judaismum exterius, quem interius in corde detestaretur, uti Hieronymum videtur intellexisse Augustinus, cum in eum acriter invehitur, quasi doceret Petrum licite judaismum simulasse : sic enim cuilibet fideli licita foret falsa fidei hæreseosque professio, qui est error in fide. Sed tantum docet Hieronymus, ut et Chrysostomus, non verum, sed simulatam fuisse reprehensionem Petri a Paulo : ex composito enim utriusque consensu Paulum reprehendisse Petrum incautæ, non simulationis, sed dissimulationis jam dictæ, Petrumque reprehensionem hanc admisisse ex composito, ut Petro in speciem reprehenso judaizantes vere reprehenderentur, et cum Petro agnoscerent non esse judaizandum : quod licitum esse non negat Augustinus; negat tamen ita accidisse, cum ex ejus sententia, vera, et non simulata fuerit hæc reprehensio.

Quando cessaverit lex vetus?

Quare male ex hoc loco Cassianus, *collat.* 17, cap. XVII usque ad XXV; Origenes, Clemens, Erasmus et alii apud Sixtum Senensem, lib. V, annotat. 105, putant licere subinde mentiri, approbantque illud Platonis axioma : « Licet res mala sit mendacium, eo tamen aliquando utendum est, perinde ac utimur helleboro, vel alio medicamine. » Hic enim jam certus est error damnatus ab Innocentio III, tit. *De Usuris*, cap. *Super eo*; imo ab *Eccli.*, cap. VII, vers. 14 : « Noli, inquit, velle mentiri omne mendacium. » Et contra eum diserte scripsit Augustinus librum *De Mendacio*, et lib. *Contra Mendacium*. Neque est, quod quis objiciat Hieronymum et Chrysostomum hic : quia illi, ut dixi, non mendacium in Petro, sed facti, puta reprehensionis simulationem, vel potius occultam compositionem tantum admittunt et excusant : hæc enim subinde licita est, ut patet in stratagematibus militum quibus hostes, fugam simulando, in latentes insidias pelliciunt.

Fuit et tertia quæstio inter S. Hieronymum et Augustinum, quando cessarit lex vetus, et legalia præcepta. Sed hæc alio spectat, de qua tamen dico breviter : Quoad obligationem lex vetus cessavit in Pentecoste; tunc enim promulgata fuit lex nova, cœpitque obligare; ac proinde abolita est lex vetus, desiitque obligare : non tamen ita cessavit, quin adhuc ad tempus servari posset, donec Judæi sensim et suaviter ab ea abducerentur, eamque cum honore sepelirent. In hoc dissidio Augustini et Hieronymi, verior videtur S. Augustini sententia.

Dico ergo *primo* : In hoc Petri facto fuit aliquod peccatum, non erroris in fide, ut quidam temere asseruerunt; sed in facto, incautæ videlicet simulationis et professionis judaismi, quodque scandalum daret Gentibus ut secum judaizarent, subducendo scilicet se a Gentibus, quibus hactenus convixerat, et ad Judæos advenientes subito transiens, cum eisque judaice vivens. Unde Gentes jure opinari poterant judaismum tam sibi, quam illi esse necessarium ad salutem, et Christianos obligare : licet enim necdum mortiferæ essent lex et cæremoniæ veteres, servarique possent ad legem suaviter et cum honore sepeliendam, et Judæorum animos ad Christi fidem alliciendos; erant tamen mortuæ, et insuper mortiferæ, si quis eas servaret, putans, vel ita se gerens, quasi ad eas teneretur, et quasi lex vetus Christianos obligaret. Petrus autem licet id non putaret, ita tamen incaute se gessit, ut Gentibus hoc suspicandi justum occasionem dederit.

Petrus eli non peccavit mitabile, tamen incaute judaizando, et quantum fecerit peccatum Pauli.

Patet, quia id clare secundo et tertio hic docet Paulus : « Ei, inquit, restiti, quia reprehensibilis erat. » Et vers. 14 : « Cum vidissem quod non recte ambularent ad veritatem Evangelii, dixi Cephæ : Quomodo Gentes cogis judaizare? » tua scilicet simulatione, et, ut Græce, hypocrisi : quæ omnia Petrum peccasse evincunt; vel (quod absit) mentitur Paulus, ait S. Augustinus, epist. 8, 9 et 19 *ad Hieronymum*; Cyprianus, epist. *ad Quir-*

tum; Gregorius, homil. 18 *in Ezech.*; Ambrosius, et passim Latini veteres et moderni.

Dico *secundo* : Hoc tamen peccatum Petri leve fuit et veniale, aut materiale tantum, ex inconsideratione nimirum vel defectu luminis et prudentiæ : putabat enim bona fide Petrus se Judæorum, quorum præcipue hactenus fuerat doctor et Apostolus, offensionem cavere debere potius quam Gentium, et Gentes idipsum scire, aut facile cognoscere posse. Sed in hac sua opinione erravit Petrus ; licet enim, ait D. Thomas, Spiritus Sanctus in Apostolos descendens in Pentecoste, eos deinceps confirmaverit in prudentia et gratia, ut evitarent omnia peccata mortalia, non tamen ut omnia venialia effugerent.

Apostoli a Spiritu sancto confirmati, ut non peccarent mortaliter, non tamen venialiter.

Nota, ut in verbis, ita et in factis esse mendacium. Verbi gratia, si quis exterius se gerat ut amicum vel probum, cum sit inimicus vel improbus, hic mentitur, estque hoc mendacium facti, quod proprie dicitur hypocrisis. Sic si quis Christianus Pomæ gestet pileum flavum, mentitur se esse Judæum.

Mendacium verbi, facti, et gradus mendacii.

Ubi tamen adverte cum Cajetano, facta facilius quam verba excusari a mendacio vel hypocrisi. Ratio est, quia verba proprie et expresse sunt signa conceptuum mentis, et ad illos significandos sunt instituta : facta non item, sed latiorem patiuntur interpretationem. Unde si milites metum et fugam simulent, ut hostem pelliciant in insidias, non est proprie hypocrisis vel mendacium ; esset tamen mendacium, si idipsum verbo enuntiarent dicentes : Nos fugimus, quia timemus vestrum, o hostes, robur.

Ubi nota *secundo*, hanc regulam : cum in facto aliquo justa est causa veritatem tegendi et dissimulandi, nulla in eo est hypocrisis vel mendacium. Sic in hoc facto et dissimulatione sua Petrus ex parte justam habuit causam, scilicet metum ne offenderet Judæos : abducere enim se a Gentibus, et accedere ad Judæos, non est dicere absolute : Ego sum Judæus, et judaizo ; sed est dicere : Ego malo Judæis servire et adhærere, quam Gentibus ; hujus enim rei justam habeo causam, scilicet quod sum Apostolus et doctor Judæorum potius quam Gentium. Dico, *ex parte aliqua* : nam omni ex parte et in totum non fuit justa hæc causa : debebat enim Petrus ita curare Judæos, ut tamen non negligeret, nec offenderet Gentes ; erat enim omnium tam Judæorum, quam Gentium pastor et rector. Unde hac ex parte, quod scilicet Gentes offenderet, peccavit Petrus ex inconsideratione et venialiter. Vix enim potest humanæ mentis infirmitas in rebus perplexis omnes circumstantias ita considerare et librare, ut non aliquando cæciat eligatque id quod sibi bonum videtur respectu unius, non considerans id malum esse respectu alterius.

Petrus licet consentiens a Paulo, ex fide rum caput et princeps non fuit.

Dices : Ergo Paulus, utpote corripiens ac corrigens Petrum, Petro auctoritate par fuit, vel superior, ac consequenter Petrus Pauli et Apostolo-

Respondeo : Nego consequentiam ; nam ab inferioribus corrigi posse superiores cum humili charitate, pro veritate tuenda, hinc docet Augustinus, *epist.* 19, Cyprianus, Gregorius, S. Thomas et alii supra, qui clare docent Petrum superiorem a Paulo inferiore correptum esse. Unde infero : cum Paulus cæteris Apostolis fuerit par, hos etiam Petro inferiores fuisse, ac consequenter Petrum Apostolorum totiusque Ecclesiæ, cujus Apostoli sunt capita, caput esse. Unde apte Gregorius, homil. 18 *in Ezech.* 1 « Tacuit Petrus, ut qui primus erat in apostolatus culmine, primus esset in humilitate. » Et Augustinus, epist. 19 *ad Hieronymum* : « Rarius, ait, et sanctius exemplum Petrus posteris præbuit, quo non dedignarentur a posterioribus corrigi, quam Paulus, quo confidenter anderent minores majoribus pro defendenda veritate, salva charitate, resistere. »

Paulo, tunc apostolis, sed non par.

11. CUM GENTIBUS EDEBAT, — sine delectu suillam aliosque cibos, quos Judæis vetuit Moses, *Levit.* XI, hoc facto docens, hujus delectus totiusque legis observationem non esse necessariam. Ita Anselmus. Vers. 12.

13. ET SIMULATIONI EJUS CONSENSERUNT CÆTERI JUDÆI, — *q. d.* Cæteri Judæi simulabant cum Petro. Ita Græci. Vers. 13.

Quæritur, quæ et qualis fuerit hæc simulatio? Respondent Hieronymus, Chrysostomus, Œcumenius, fuisse dispensationem, prudentiam et cautionem, ne scilicet Judæos offenderent, prudenterque texisse immunitatem a lege. Melius Augustinus, Anselmus et Latini censent vitium fuisse hypocrisis, quod simplicitati ac veritati opponitur. Unde Græce est συνυποκρίθησαν αὐτῷ, *hypocritice egerunt cum ipsis*. Simulabant enim legis observationem, cum vere non intenderent eam servare : sciebant enim eam abolitam esse, se tamen aliis Judæis accommodare intendebant. Hos secutus Barnabas et ipse finxit, id est, ita se gessit, ac si cibos cum Judæis discerneret, et Gentium conversionem abhorreret, quasi Judæi præferendi essent Gentibus conversis, et quasi lex vetus ad salutem esset necessaria : ita enim se gerebant, ut jure ex eorum facto id opinari possent Gentes, licet id non intenderent, imo forte non adverterent Petrus et Barnabas.

Simulatio Judæis in Apostolis vitium hypocrisis fuit.

14. SED CUM VIDISSEM QUOD NON RECTE AMBULARENT AD VERITATEM EVANGELII. — Pro *recte ambularent*, significantius græce dicitur ὀρθοποδοῦσιν, quod respondet Hebræo אשר *iascher* et ישר *iaschar*, significatque recto pede incedere, recta dirigere gressum, ut non cespites, neque ad dextram, vel sinistram deflectas.

DIXI CEPHÆ : SI TU, CUM JUDÆUS SIS, GENTILITER VIVIS, ET NON JUDAICE, QUOMODO GENTES COGIS JUDAIZARE? — « Gentiliter vivis, » id est, communi cibo et mensa indifferenter cum Gentibus hactenus vixisti, sciens nimirum abolitas esse legis cæremonias per Christum, et mortuas esse ; licet necdum mortieras, donec s[illegible]ter pro-

mulgetur Evangelium. Ita Anselmus, *q. d.* Si tu, o Petre, cum sis Judæus, cum Gentibus gentiliter vivere soles, et hactenus vixisti : quare jam eos fugis, vivisque judaice, ac tuo exemplo cogis Gentes judaizare?

Vers. 14.

15. NOS NATURA (naturali generatione, origine, prosapia) JUDÆI (sumus), NON EX GENTIBUS PECCATORES, — non gentiles peccatores. Judæi enim Gentes, quia idolatræ erant, vocabant arroganti contemptu « peccatores ; » quasi ipsi essent justi, aiunt Augustinus et Anselmus (1).

Vers. 15.

Vers. 16. Nisi per fidem.

16. NON JUSTIFICATUR HOMO EX OPERIBUS LEGIS, NISI PER FIDEM JESU CHRISTI. — « Nisi, » id est *sed* ; Græcum enim ἐὰν μὴ respondet Hebræo אִם, id est *verum, veruntamen* ; sic etiam Latini usurpant voculam *nisi*, ut Cicero, lib. XIII *epist. Famil.* : « De re, inquit, nihil judicare possum, nisi (id est *sed*) mihi certo persuadeo te talem virum nihil temere facisse. » Ita Syrus, et passim alii, Beza quoque et Œcumenius, et patet ex antithesi : vult enim justificationem non tribui operibus legis, sed fidei Christi. Cum ergo hanc antithesin significet per *nisi* eoque opponat fidem operibus, sequitur *nisi* hic esse adversativum, idemque esse quod *sed*. Secus esset, si simpliciter sine antithesi poneretur. Verbi gratia, cum dico : Homo non vivit, nisi per animam, *nisi* hic idem valet quod *tantum* : hæc enim propositio exceptiva idem valet, quod hæ duæ, per quas exponi debet : scilicet, homo vivit per animam, et per nullam aliam rem vivit homo, quam per animam. Male ergo Novantes hic exponunt *nisi per fidem Christi*, id est, inquiunt, sed tantum per fidem Christi.

Triplex hujus loci sensus.

Novantes male ex hoc loco probant solam fidem requiri ad salutem.

Adde : licet id vellet ac diceret Apostolus, nihil tamen diceret pro eorum fide sola justificante : hanc enim propositionem hic admittit D. Thomas et Adamus Sasbout : Homo non justificatur ex operibus legis, sed tantum ex fide Christi : hic enim vocula *tantum* solum excludit opera legis, non spei, timoris, charitatis, pœnitentiæ, quæ fides gignit et producit ; hæc enim sub fide quasi filiæ sub matre intelliguntur, ut dixi *Can.* 3.

Quando differunt credere in Deum, et credere Deo?

NOS IN CHRISTO JESU CREDIMUS. — Græce εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν, *in Christum Jesum*. Nota : idem est Hebræis *credere Deo*, *credere in Deo*, et *credere in Deum* ; sic idem est *credere Christo*, *credere in Christo*, et *credere in Christum*, credere scilicet illum esse Christum, id est Messiam, salvatorem et redemptorem mundi : est enim hebraice בְּ contactus, mentalis scilicet. Itaque dicunt Hebræi הֶאֱמִין בְּאֲדֹנָי *heemin baadonai, credidi in Domino*, vel *in Dominum*, id est, credidi Domino. Id pluribus exemplis demonstrat Franciscus Ribera in Joæ III, num. 29.

CREDIMUS UT JUSTIFICEMUR. — Græca ἐπιστεύσαμεν, *credimus ut justificaremur*. Ita Hieronymus, Vatablus et alii. Et hoc aptius respondet vers. seq., qui hinc pendet, quasi ex conditione jam posita et præterita.

PROPTER QUOD (διότι, id est *quia*, *propterea quod*) EX OPERIBUS LEGIS NON JUSTIFICABITUR OMNIS CARO, — id est, nullus homo ; « non omnis » enim Hebraïs idem est quod nullus, et « caro » synecdochice idem est quod homo.

17. QUOD SI QUÆRENTES JUSTIFICARI IN CHRISTO, INVENTI SUMUS ET IPSI PECCATORES, NUMQUID CHRISTUS PECCATI MINISTER EST? — *q. d.* Si adhuc sumus in peccato, quia peccati remissionem et justitiam quæsivimus in Christi fide, cum ibi non sit quærenda, sed in lege, ut volunt Judaizantes, ergo Christus peccatum fovet ; sustulit enim legem quæ sola peccatum tollit. « Numquid ergo Christus peccati minister est, » *q. d.* An Christus peccato inservit illud fovendo et conservando, hoc ipso quo legem tollit ad justificationem, et peccati deletionem, ut ipsi aiunt, necessariam, et suam statuit legem gratiæ quasi quæ sola justificet, cum, ut ipsi aiunt, sine lege justificare non possit? ac si dicat : minime. Ita Hieronymus, Chrysostomus, Primasius, Anselmus, Theophylactus. Vers. 17.

Secundo, Vatablus : peccatorem, ait, inveniri, est, docere cum lege Evangelica Mosaicæ legis observationem esse necessariam ad justificationem : hoc enim docere, peccatum est et error in fide, *q. d.* Si ita aliquando (ut nobis imponunt Judaizantes, sed mendaciter et per calumniam) falso nos docuimus, numquid propterea Christus peccati minister est? numquid Christi lex et doctrina Evangelica ministra est peccati? ut scilicet idem docent, puta legem Mosis necessariam esse ad justitiam ; hoc enim docere, peccatum est.

Tertio alii, *q. d.* Quod si nos quoque, qui nos jactamus per Christum justificatos, invenianur peccatores, quia scilicet non minus indulgemus cupiditatibus nostris, quam Judæi vel Gentes a Christo alienæ : num idcirco dicendum erit falsam esse hanc doctrinam de justificatione ex fide Christi? quasi Christus nisi legi conjunctus peccatores, non autem justos, nos reddat. Absit ; quod enim aliqui Christi fidem sequentes carni indulgent et peccant, non id Christi, nec fidei, sed eorum qui Christi gratia abutuntur, vitium est.

Primus sensus, qui est Patrum, præssior est et melior, quia nihil aliunde supplet, uti secundus supplet, peccatores dici, quod docerant legem cum Evangelio servandam esse ; tertius, quia cupiditatibus indulgent. Deinde, quia magis est ex mente et scopo Apostoli : vult enim probare ex fide Christi, non ex lege Mosis nos justificari : alioqui si fidem Christi sectantes adhuc invenimur peccatores, sequitur quod Christus nos decepit, promittens justitiam ex fide, quam præstare non potuit ; eritque peccati non victor, non destructor, sed fautor et minister, præsertim quia legem, ut ipsi aiunt, justificantem, et peccati victricem

(1) Quærunt Interpretes utrum in vers. 15-21 continuetur Pauli ad Petrum oratio, an Paulus jam Galatas aut Galatarum doctores alloquatur. Prius Rosenmullero placet, posterius sequitur Allioli.

abolevit, et consequenter peccati regnum restituit et stabilivit.

Nota hebraismum. Hebræi enim consequentiam enuntiant per interrogationem, præsertim cum absurdum quid inferunt. «Numquid Christus peccati minister est?» id est, ut Syrus et alii, ergo Christus peccati minister est, quod est absurdum. Unde id explicans subdit : « Absit. » Sic *numquid* pro *ergo* capitur *Rom.* III, 5; *Joan.* VIII, 53; *Jerem.* XVIII, 20. Adde : ἆρα, si non circumflexo, sed acuto notetur accentu, significat utique, ergo, igitur, ut patet hic vers. ult. ; cum circumflexo enim significat numquid, nonne, ut legit et vertit hic Noster et Græci.

Vers. 18. 18. SI ENIM QUÆ DESTRUXI (si vim justificandi, quam detraxi legis observantiæ) ITERUM HÆC ÆDIFICO (id est, rursum legi eam assero, ut calumniantur Judæi me occulte judaizare, ergo) PRÆVARICATOREM ME CONSTITUO, — quia quasi Proteus ad omnem ventum fidem muto. Est aliud argumentum probans perstandum esse Christianis in abolitione legis, vel potius occurrit tacitæ objectioni et mentali calumniæ. Dicetis, inquit, vel cogitabilis id quod Judæi, sed falso, vobis inculcant, me apud Judæos et secreto judaizare; sed absit hæc a me hypocrisis : si enim quæ publice destruo, hæc eadem privatim vel apud meos reædifico, sane prævaricator sum, quia hypocrita et impostor : quod nemo dixerit (1).

Fides est stabilis, et ab homine mentaliter.

Vers. 19. 19. EGO ENIM PER LEGEM (ostendentem Christum, in eoque desinentem et mortuum) LEGI MORTUUS SUM, — id est, desii legi obnoxius esse : cæremoniali quidem absolute et omnino, morali vero et decalogo non absolute, sed quatenus lex illa pædagogus tantum, accusator ac vindex erat scelerum. Per legem ergo legi mortuus sum, quia lex ipsa dictabat moriendum esse legi, vivendum autem Christo, ita Augustinus. Vide Chrysostomum. Est hæc secunda (prima enim fuit vers. 17) ratio probans nos justificari non ex lege, sed ex fide Christi, *q. d.* Lex ipsa mihi Christum indicavit et ostendit, ipsa me ad Christum remisit, imo deduxit, ipsa se in Christo desinere, mori et finiri testata et professa est. Cur ergo, o Judæi, legem sponte sua mortuam, Christoque cedentem resuscitare et restituere vultis invitam? Hinc tamen nullo modo sequitur, legem decalogi quoad obligationem per Christum desisse, esseque abrogatam. Est enim lex illa hac parte non vetus, non Mosaica, sed naturalis, æterna et immutabilis. Vide dicta *Rom.* VII, 1 (2).

per concessionem dedit, non moralis et naturalis decalogi.

Lucta Lutheri et Calvini cum dogmate et ratione.

Quare impie Lutherus in hunc locum, et rursum in cap. IV hujus epistolæ : « Legi, inquit, mori, nihil aliud est, quam ad legem non esse obligatum, aiu eaque liberum esse, sive cæremonialis sit, sive moralis ; certum enim est decalogum solis Judæis esse datum, et non nobis. » Idem lib. *De Libertate Christiana* : « Christiano, inquit, neque opera, neque lex necessaria est, quia per fidem liber est ab omni lege. » Idem rursum, tom. I Wittenbergensis editionis, fol. 189 et 190 : « Oportet, inquit, cor humanum legem Dei, atque adeo Deum ipsum supra modum odisse. » Audite hæc, qui ab eo ejusque asseclis misere decepti estis, et exhorrescite vocem non hominis, sed Satanæ : quid enim Satanas, Dei et hominum juratus hostis, de Deo magis blasphemum et horrendum dicere, ac hominibus in suam perniciem suggerere posset ?

Non absimilis est Calvinus, cujus hic est dialogismus, lib. III *Instit.*, cap. XIX, § 2, 4, 7 : « Conscientia dicente, Peccasti ; responde, Imo peccavi : ergo Deus puniet et condemnabit? Non ; at lex hoc dicit? Sed nihil mihi cum lege. Quare? Quia libertatem habeo. »

Hoccine est purum putum Evangelium? Hoccine sensit docuitve Paulus? « Legem, inquit *ad Rom.* III, 31, destruimus per fidem? absit : sed legem statuimus. » Audi S. Augustinum, lib. III *Contra epist. Pelag.*, cap. IV : « Quis, inquit, ita impius est, ut dicat se propterea precepta non servare, quod Christianus sit non sub lege, sed sub gratia? » Quis credat Lutherum et Calvinum doctores et reformatores Ecclesiæ a Deo missos, qui jugum omne, legem omnem, non modo humanam, sed et divinam ac naturalem, excutiunt, enervant, abolent?

Vers. 19 et 20. 19 et 20. CHRISTO CONFIXUS SUM CRUCI : VIVO AUTEM JAM NON EGO, VIVIT VERO IN ME CHRISTUS. — *q. d.* Ego per baptismum cum Christo crucifixus, atque peccato et veteri vitæ, cæremoniis, ac legi, ut jam dixi, mortuus sum, indeque quasi ab arbore veteri resectus sum, ut arbori novæ crucis Christi novus quasi ramus inserar, ab eaque vitam ac succum gratiæ sugam, ita ut non tam ego quam vivat in me Christus : quia non lex, non natura, non concupiscentia, non voluntas propria, sed Christus ipse suæ gratiæ quasi animæ, et virtutum quasi potentiarum motibus me agit ad omne bonum, et ad vitales virtutum actiones, ut Christi humilitas, fortitudo, sapientia, gaudium, pax, aliæque virtutes in me vivant et vigeant. Ita Hieronymus, Chrysostomus, Anselmus, et S. Gregorius, homil. 32 *in Evang.*, quem audi : « Tunc, inquit, nos ipsos relinquimus, tunc nos ipsos abnegamus, cum mutamus quod per vetustatem fuimus, et ad hoc nitimur ad quod per novitatem vocamur. Pensemus quomodo se Paulus

Amor meus crucifixus est, ait S. Ignatius.

Charitas ut

(1) « Paulus in prima persona, leniendi vitperii causa, loquitur; sed reprehendit adversarios. Bene hic observat Theodoretus, pulchre Paulum ἀνατρέψαι, *invertere accusationem* : quum dicerent Judaizantes, esse transgressionem legis, si *negligatur*, ille contra dicit, esse transgressionem, si quis Christianus legis Mosaicæ auctoritatem *instauret* religionis causa. » Hinc Rosenmullerus ad h. l.

(2) Alii simpliciter vertunt, *per unam legem* (vel doctrinam) *alteri mortuus sum*, id est, per Christianam doctrinam effectum est, ut Mosaicam illam religionem abjicerem.

abnegaverat, qui dicebat : Vivo autem, jam non ego. Extinctus quippe fuerat sævus ille persecutor, et vivere cœperat pius prædicator. Si enim ipse esset, pius profecto non esset. Sed qui se vivere denegat, dicat unde est quod sancta verba per doctrinam veritatis clamat. Protinus subdit : Vivit vero in me Christus. Ac si aperte dicat : Ego quidem a memetipso extinctus sum, quia carnaliter non vivo ; sed tamen essentialiter mortuus non sum, quia in Christo spiritualiter vivo. » « Vide, inquit S. Chrysostomus, exactam vitæ rationem, et admirare. Quoniam enim seipsum Christo et cruci totum præbuerat, et ad illius voluntatem omnia faciebat, non dixit : Vivo ego Christo ; sed, quod longe majus est, Vivit vero in me Christus. » « Non vivit, ait S. Hieronymus, ille qui quondam vivebat in lege, quippe qui persequebatur Ecclesiam. Vivit autem in eo Christus sapientia, fortitudo, pax, gaudium, cæteræque virtutes, quas qui non habet, non potest dicere : Vivit autem in me Christus. »

Unde S. Bernardus, serm. 7 *in Quadragesima* : « Vivo, inquit, jam non ego, vivit vero in me Christus. Ac si dicerat : Ad alia quidem omnia mortuus sum, non sentio, non attendo, non curo : si quæ vero sunt Christi, hæc vivum inveniunt et paratum. Nam si non aliud possum, saltem sentio : placet quod ad ejus honorem fieri video, displicent quæ aliter fiunt. Imo vivo non tam ego, quam Christus in me. »

Christus si a nobis amatur, in nos transformatur, et sic in Christum.

Christus ergo in me docet, concionatur, orat, laborat, patitur, omnisque opera mea in me operatur : ita ut Paulus non tam Paulus quam Christus, et Paulus in Christum, ac vicissim Christus in Paulum transformatus videatur. « Talis enim quisque nostrum est, qualis est ejus dilectio : terram diligis, terra eris ; Deum diligis, Deus eris, » ait S. Augustinus, tract. 2 *in epist.* I *Joan.* Amor enim transformat amantem in rem amatam, ut ait S. Dionysius. Unde et *Osee*, cap. IX, vers. 10 : « Facti sunt, ait, abominabiles sicut ea quæ dilexerunt. »

Est metaphora, vel allegoria : Lex vetus est quasi arbor vetus, lex nova et crux quasi arbor nova ; ab illa præcisi sumus, ut huic inserti, novam ab ea gratiæ vitam sugeremus. Sic *Rom.* VI, dixit nos compatientes, consepultos, concrucifixos, commortuos, conresurgentes Christo, ut ibi dixi. Unde clarius ad verbum vertas ex Græco, Χριστῷ συνεσταύρωμαι, Christo concrucifixus sum, quasi arbori crucis Christi insertus et complantatus, ut communem arboris succum et vitam hauriam, gratiam videlicet et charitatem. Hinc S. Ignatius, epist. *ad Rom.*, ἐμὸς ἐμὸς ἐσταύρωται, *amor*, inquit, *meus crucifixus est*, Christus scilicet, qui est amor meus, vita mea, anima mea, ita nimirum, ut cum Christo simul quasi amor meus, anima mea, ipseque ego totus crucifixus sim.

Amoris progressus quatuor.

Nota hic amoris et charitatis proprietates. *Prima* est, quam tradit S. Dionysius, *De Divin. Nomin.*, cap. IV : « Amor, inquit, est virtus faciens unionem. » Hanc significat Apostolus hic cum ait : « Christo confixus sum cruci, » *q. d.* Unitus sum et quasi unus cum Christo crucifixo.

Secunda proprietas amoris est, mutua inhæsio qua se mutuo amant et redamant Deus et homo sibique vicissim bona volunt et procurant, ut dicant cum sponsa in *Cant.* : « Dilectus meus mihi, et ego illi. » Hanc significat hic Paulus, cum ait se in Christo, et Christum in se vivere.

Tertia charitatis proprietas est, cogitare assidue et in oculis mentis habere Christum et Deum : est enim amor nexus animorum ; jam nectere non potest animos, si non jungat cogitationes. Hanc significat Paulus per verba *vivo* et *vivit* utique vita rationali memoriæ, intellectus et voluntatis.

Quarta est, exstasis : « Exstasin, inquit Dionysius loco citato, facit divinus amor, amatores suo statu dimovet, et sui juris esse non sinit, sed in ea quæ amant penitus transfert. Idcirco et Paulus ille magnus, cum divino amore flagraret, excessive illius virtutis particeps factus, vivo, inquit, jam non ego, vivit vero in me Christus ; tanquam verus amator, mentis excessum patiens. Audebimus et id loqui, quod ipse quoque auctor omnium pro amatoriæ bonitatis magnitudine extra se sit, ad omnia quæ sunt pertingendo multiplicis providentiæ ratione. » Nimirum exstaticus amor rapuit Deum, tum ut se suaque bona communicaret creaturis per creationem, tum potius ut suam Verbi hypostasin communicaret humanæ creaturæ quam assumpsit per incarnationem : « exinanivit enim semetipsum pro nobis formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. » Exstasis ergo Verbum transformavit in hominem, eumque crucifixum, ac habentem speciem peccatoris, quia nos peccatores eramus, reique mortis et crucis : nostram enim formam, excepto peccato, quoad omnia Christus assumpsit ex ingenti et exstatico nostri amore.

Exstasis amoris. Verbum transformavit in hominem.

Hæc exstasis amoris Pauli cor in cor Christi dilatando transmutavit, et Paulum in Christum quasi transformavit : perinde ut de Catharina Senensi legimus, eam ex vehementia amoris Christi ab eo flagitasse, ut cor suum, proprio sublato, ei communicaret : Christumque ei annuentem cor exemisse, novumque christiforme ei indidisse. Hoc est quod ait S. Chrysostomus, hom. 23 *in epist. ad Rom.*, in morali, ubi citans hæc verba Pauli : « Vivo jam non ego, vivit vero in me Christus, » subdit : « Cor itaque Christi erat cor Pauli, tabulaque Spiritus Sancti, atque charitatis volumen. » Unde idem paulo superius cor Pauli vocat « cor orbis, » datque rationem : « Cor enim istud adeo fuit latum, ut in se susceperit et integras urbes, et populos, et gentes. Cor enim meum, inquit, dilatatum est. Verumtamen ut latum fuerit, tamen sæpe occupavit et pressit illud, quæ

ipsum dilatabat dilectio. Ex multa quippe tribulatione, inquit, et anxietate cordis scripsi vobis. Et dissolutum etiam vellem videre cor istud, erga unumquemque perenitium accensum et ignitum, secundo parturiens filiorum abortus, cor Deum videns, cœlis ipsis sublimius, orbe latius, radiis solaribus exhilaratius, igne ferventius, adamante solidius, fluvios emittens aquæ vivæ, ubi erat fons exiliens, et irrigans non terræ superficiem, sed animas hominum. »

Sancti ecstatici. Hanc Christi exstasin Sancti in Christi amorem abrepti persenserunt. S. Dominicus in Missa Christi corpus elevans in altum sublatus est, et ab igne quo intus ardebat, corpus ejus subvectum volut in ignem conversum, terram deserens in cœlum ferebatur, ut Christo amori suo congereretur et immergeretur. S. Franciscus ab illo Seraph., qui sibi in nocte apparuerat, mirabilem in mente, ut ait S. Bonaventura, recepit ardorem, et in carne non minus mirabilem admisit effigiem, ut jam non tam terrestris homo quam cœlestis Seraphicus et imago crucifixi crederetur, cum quinque Salvatoris vulnera, quasi totus in Christum transf[orm]atus, et quinque ignis charitatis Christi ustiones de monte detulit, toti mundo prodigium et portentum factus.

Audi et Gregorium Nyssenum, homil. 15 *in Cant.* : « Mihi vita Christus est : Hisce verbis, ait, tantum non clamat Apostolus, nullam in se affectionem humanam vivere, non fastum, non tumiditatem, non voluptatem, non dolorem, non iram, non metum, non audaciam, non injuriarum memoriam, non invidiam, non vindictæ, avaritiæ, honoris aut gloriæ cupidinem; sed his omnibus abrasis, solus (inquit) ille mihi superest, qui nihil est horum, qui est ipsa sanctificatio, et puritas, et immortalitas, et lumen, et veritas, qui pascitur inter lilia in splendoribus Sanctorum. »

Christi crucifixi amore et impetr. Ita in cruce Christi gloriabatur, eamque ambiebat S. Andreas Apostolus. Dum enim crucem prædicat, ad crucem ab Ægea Proconsule Achaiæ damnatus, accedens ad crucem sibi paratam exclamavit, et dixit : « O bona crux diu desiderata, sollicite amata, sine intermissione quæsita, et aliquando concupienti animo præparata, securus et gaudens venio ad te : et tu exultans suscipias me discipulum ejus, qui pependit in te magister meus; ut per te me recipiat, qui per te me redemit. » Cruce ita salutata et oratione facta, expoliavit se vestibus, easque tradidit carnificibus, qui accedentes, levaverunt eum in crucem, et extendentes funibus totum corpus ejus (quasi in equuleo) suspenderunt. In qua cruce suspensus populum docens biduo supervixit : et rogato Domino, ne eum sineret de cruce deponi, circumdatus magno splendore de cœlo, abscedente postmodum lumine, emisit spiritum. Ita habent Acta ejus fidelissima.

Ita S. Petrus ad crucem a Nerone damnatus, petiit et impetravit, ne capite sursum ut Christus, sed deorsum inverso corpore suspenderetur.

Apud Hierapolim, Asiæ civitatem, Claudio imperante, S. Philippus Apostolus Scythis fidem annuntiavit, multisque baptizatis, ab infidelibus tandem crucifixus, et lapidibus obrutus, felici martyrio obiit. Ita Eusebius, et ex eo Baronius, anno Christi 34.

In majori Armenia sub Astyage rege, S. Bartholomæus Apostolus, per Lycaoniam verbo Dei disseminato, templo Astaroth in inferiore India vero Deo dicato, et rege Polemio cum universa regia civitate baptizato, paucis post diebus comprehensus, fustibus primum cæsus, deinde cruci suffixus, e vivo corpore detracta pelle, die vigesimaquarta sequenti, abscisso capite, extinctus est.

Rome Decio et Valeriano Imperatoribus, S. Sixtus Papa in Tullianum carcerem conjectus, deinde cruci affixus est, teste Prudentio, περὶ στεφάνων, in hymno 2 *de S. Laurentio*, ubi sic ait :

Fore hoc sacerdos auserat, jam Sixtus affixus cruci,
Laurentium lentem videns crucis sub ipso stipite :
Desiste decessu meo fletum dolenter fundere.
Præcedo, frater, tu quoque post hoc sequeris triduum.

Parisiis sub Adriano Imperatore, S. Dionysius Areopagita, flagellis primum contusus, deinde igni ferisque objectus non læditur, mox in crucem tollitur, e qua sublatus et cæsus iterum, amputatum caput suum ad duo millia passuum propriis manibus gestavit. Ita Baronius in *Martyrol.*, 9 octobris.

S. Calliopius, pius adolescens, ad convivium in deorum celebritatem paratum invitatus, respondit : « Christianus sum, et Christum jejuniis celebro, nec quæ sunt flagitiosis atque impuris idolis immolata, libet in os eorum qui Christum colunt, ingredi. » Quod cum audisset Præses, jussit eum immaniter cædi, et tandem dixit post multa verbera et increpationes : Nunc saltem ab insania desiste, et Imperatorum decretis obtemperans, dis sacrifica, ut vivas : alioquin ut magister tuus, suffigeris in crucem. « Admiror, inquit Calliopius, impudentiam tuam, qui cum sæpe ex me audieris Christianum me esse, et Christianum esse moriturum, et in Christo victurum, tam impudenter pergis veritatem oppugnare. Festino eamdem, quam magister meus pertulit, mortem oppetere. » Hæc cum ille dixisset, Præfectus ex responsis Martyris animadvertens eum a proposito deduci non posse, sententiam tulit, ut quinta sabbatorum paschæ in crucem ageretur. Quod mater ejus intelligens, quinque nummos militibus dedit, ut eum contraria ratione, quam Christus Dominus crucifixus fuit, affigerent cruci. Quinto igitur sabbatorum pronus in caput crucifixus est, et die parasceves animam egit. Et vox de cœlo audita est, ita sonans : « Veni, civis Christi, et coheres sanctorum angelorum. » Ita habet ejus Vita apud Surium, 7 aprilis.

Mirus vero fuit S. Wernheri pueri crucis amor,

et in ea martyrium : hic enim confessus, et communione sacra percepta, furtim captus a Judæis, in die parasceves instar Christi, in ejus odium, ab eis ad columnam ligneam suspensus, acriter flagellatus, cultro per totius corporis venas barbara immanitate incisus, forficibus quoque summo cruciatu in pedibus, manibus, collo et capite insectus fuit, ut omnem sanguinem exprimerent, ita ut totus vulneribus confectus videretur. Mansit autem sanctus puer ita triduo ad columnam suspensus, donec sanguis fluere desineret. Hos cruciatus tolerans summa patientia, in laudibus Dei spiritum Christo crucifixo reddidit. Ita habet ejus Vita apud Surium, 2 aprilis. Simillia de pueris a Judæis crucifigi solitis scribit Socrates, lib. VII *Hist.*, cap. XVI.

Ado in *Martyr.*, 22 maii, et ex eo Baronius, anno Christi 440, narrat simile de Julia ancilla sancta : hæc capta fuit a Felice principe, eumque ei Felix blanditiis non posset suadere ut idolis sacrificaret, præcepit eam alapis cædi, deinde crinibus lanqueri, flagellari, et tandem crucifigi, et sic in cruce sanctum efflavit spiritum, de cujus ore columba exivit et in cœlum evolavit. « Mulierem fortem quis inveniet? procul et de ultimis finibus pretium ejus. »

Nuper in Japone a Taicosama rege sex Fratres Franciscani, tres e nostra Societate, septemdecim laici Japones, inter quos erat Aloisius, puer annorum duodecim, et Antonius, annorum tredecim, singuli singulis crucibus affixi, muerone dextero latere transverberati, hilares et exultantes martyrii agonem peregerunt.

20. QUI DILEXIT ME, ET TRADIDIT SEMETIPSUM PRO ME. — **Nota *se* et *me*, non nos, vel nobis; ita enim loquitur, *primo*, ex vehementia et delicis amoris. *Secundo*, quia præ omnibus judicabat se peccatis obnoxium, ac mortis Christi reum. *Tertio*,** ut Chrysostomus, **quia quisque Christo pro sua passione ac morte gratias eas agere debet, ac si pro se solo passus fuisset, quia singulis tantum profuit quantum omnibus, et pro uno solo redimendo æque mori debuisset Christus.** « Beatus multumque felix, ait Hieronymus, qui vivente in se Christo per singulas cogitationes et opera potest dicere : In fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me. » Christus se totum tibi, tu te totum da, imo redde Christo.

Vehementia et delicium divini erga hoc amoris.

21. NON ABJICIO GRATIAM CHRISTI. — **Ita dixit,** Vera. Sti. **non rejicio, non repello, non aspernor; Ambrosius, *non sum ingratus gratiæ Dei*; Augustinus, *non irritam facio gratiam Dei*, ut faciunt illi, qui volunt statuere legem et justitiam ex lege, ait Hieronymus, ut et illi, inquit, qui post baptismum peccatis sordidantur. Sed hoc morale est, prius vero litterale et ex mente Apostoli.**

SI ENIM PER LEGEM JUSTITIA, ERGO GRATIS CHRISTUS MORTUUS EST. — **Quia mortuus est Christus ad justitiam suæ mortis pretio nobis comparandam : hoc autem pretium frustra dedit, frustra impendit, si ex lege eamdem justitiam habere poteramus. Est argumentum tertium ab impossibili, *q. a.*** Tertium argumentum pro ejusdem justitiæ. **Nemo tam vecors est, ut dicat Christum frustra tot et tanta passum, ac mortuum; atqui hæc omnia passus, et mortuus est pro justitia nobis promerenda : ergo hæc justitia non continget nobis a Moyse, sed a Christo; non ex lege, sed ex fide.**

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit probare quinque rationibus, nos justificari non per legem et opera legis, sed per fidem Christi.

Primo petitur ab experientia, vers. 2, quia scilicet experti erant Galatæ se non in circumcisione, sed in baptismo Spiritum Sanctum ejusque dona accepisse.

Secunda, vers. 6, ab exemplo Abrahæ, qui justificatus est, quia credidit Deo, id est ex fide.

Tertio, vers. 10, quia qui sub lege sunt, sunt sub maledicto, quod lex omnibus sui prævaricatoribus intentat, a quo Christus nos liberavit factus pro nobis maledictum.

Quarto, vers. 11, ex Habacuc, qui dixit : Justus ex fide vivit.

Quinto, vers. 16, quia Abrahæ et posteris ejus promissa est benedictio, id est justitia et salus : ergo ex promissione, quam fide apprehendimus, non autem ex lege justificamur : lex enim, ut ait vers. 24, tantum data fuit ad hoc, ut quasi pædagogus Judæos duceret ad Christum, ut ex fide Christi justificarentur, Christumque induerent, et unum cum eo omnes fierent.

1. O insensati Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati, ante quorum oculos Jesus Christus præscriptus est, in vobis crucifixus? 2. Hoc solum a vobis volo discere : Ex operibus legis Spiritum accepistis, an ex auditu fidei? 3. Sic stulti estis, ut, cum spiritu cœpe-

ipsum dilatabat dilectio. Ex multa quippe tribulatione, inquit, et anxietate cordis scripsi vobis. Et dissolutum etiam vellem videre cor istud, erga unumquemque perenitium accensum et ignitum, secundo parturiens filiorum abortus, cor Deum videns, cœlis ipsis sublimius, orbe latius, radiis solaribus exhilaratius, igne ferventius, adamante solidius, fluvios emittens aquæ vivæ, ubi erat fons exiliens, et irrigans non terræ superficiem, sed animas hominum. »

Sancti ecstatici. Hanc Christi exstasin Sancti in Christi amorem abrepti persenserunt. S. Dominicus in Missa Christi corpus elevans in altum sublatus est, et ab igne quo intus ardebat, corpus ejus subvectum volut in ignem conversum, terram deserens in cœlum ferebatur, ut Christo amori suo congereretur et immergeretur. S. Franciscus ab illo Seraph., qui sibi in nocte apparuerat, mirabilem in mente, ut ait S. Bonaventura, recepit ardorem, et in carne non minus mirabilem admisit effigiem, ut jam non tam terrestris homo quam cœlestis Seraphicus et imago crucifixi crederetur, cum quinque Salvatoris vulnera, quasi totus in Christum transf[orm]atus, et quinque ignis charitatis Christi ustiones de monte detulit, toti mundo prodigium et portentum factus.

Audi et Gregorium Nyssenum, homil. 15 *in Cant.* : « Mihi vita Christus est : Hisce verbis, ait, tantum non clamat Apostolus, nullam in se affectionem humanam vivere, non fastum, non tumiditatem, non voluptatem, non dolorem, non iram, non metum, non audaciam, non injuriarum memoriam, non invidiam, non vindictæ, avaritiæ, honoris aut gloriæ cupidinem; sed his omnibus abrasis, solus (inquit) ille mihi superest, qui nihil est horum, qui est ipsa sanctificatio, et puritas, et immortalitas, et lumen, et veritas, qui pascitur inter lilia in splendoribus Sanctorum. »

Christi crucifixi amore et impetr. Ita in cruce Christi gloriabatur, eamque ambiebat S. Andreas Apostolus. Dum enim crucem prædicat, ad crucem ab Ægea Proconsule Achaiæ damnatus, accedens ad crucem sibi paratam exclamavit, et dixit : « O bona crux diu desiderata, sollicite amata, sine intermissione quæsita, et aliquando concupienti animo præparata, securus et gaudens venio ad te : et tu exultans suscipias me discipulum ejus, qui pependit in te magister meus; ut per te me recipiat, qui per te me redemit. » Cruce ita salutata et oratione facta, expoliavit se vestibus, easque tradidit carnificibus, qui accedentes, levaverunt eum in crucem, et extendentes funibus totum corpus ejus (quasi in equuleo) suspenderunt. In qua cruce suspensus populum docens biduo supervixit : et rogato Domino, ne eum sineret de cruce deponi, circumdatus magno splendore de cœlo, abscedente postmodum lumine, emisit spiritum. Ita habent Acta ejus fidelissima.

Ita S. Petrus ad crucem a Nerone damnatus, petiit et impetravit, ne capite sursum ut Christus, sed deorsum inverso corpore suspenderetur.

Apud Hierapolim, Asiæ civitatem, Claudio imperante, S. Philippus Apostolus Scythis fidem annuntiavit, multisque baptizatis, ab infidelibus tandem crucifixus, et lapidibus obrutus, felici martyrio obiit. Ita Eusebius, et ex eo Baronius, anno Christi 34.

In majori Armenia sub Astyage rege, S. Bartholomæus Apostolus, per Lycaoniam verbo Dei disseminato, templo Astaroth in inferiore India vero Deo dicato, et rege Polemio cum universa regia civitate baptizato, paucis post diebus comprehensus, fustibus primum cæsus, deinde cruci suffixus, e vivo corpore detracta pelle, die vigesimaquarta sequenti, abscisso capite, extinctus est.

Rome Decio et Valeriano Imperatoribus, S. Sixtus Papa in Tullianum carcerem conjectus, deinde cruci affixus est, teste Prudentio, περὶ στεφάνων, in hymno 2 *de S. Laurentio*, ubi sic ait :

Fore hoc sacerdos auserat, jam Sixtus affixus cruci,
Laurentium lentem videns crucis sub ipso stipite :
Desiste decessu meo fletum dolenter fundere.
Præcedo, frater, tu quoque post hoc sequeris triduum.

Parisiis sub Adriano Imperatore, S. Dionysius Areopagita, flagellis primum contusus, deinde igni ferisque objectus non læditur, mox in crucem tollitur, e qua sublatus et cæsus iterum, amputatum caput suum ad duo millia passuum propriis manibus gestavit. Ita Baronius in *Martyrol.*, 9 octobris.

S. Calliopius, pius adolescens, ad convivium in deorum celebritatem paratum invitatus, respondit : « Christianus sum, et Christum jejuniis celebro, nec quæ sunt flagitiosis atque impuris idolis immolata, libet in os eorum qui Christum colunt, ingredi. » Quod cum audisset Præses, jussit eum immaniter cædi, et tandem dixit post multa verbera et increpationes : Nunc saltem ab insania desiste, et Imperatorum decretis obtemperans, dis sacrifica, ut vivas : alioquin ut magister tuus, suffigeris in crucem. « Admiror, inquit Calliopius, impudentiam tuam, qui cum sæpe ex me audieris Christianum me esse, et Christianum esse moriturum, et in Christo victurum, tam impudenter pergis veritatem oppugnare. Festino eamdem, quam magister meus pertulit, mortem oppetere. » Hæc cum ille dixisset, Præfectus ex responsis Martyris animadvertens eum a proposito deduci non posse, sententiam tulit, ut quinta sabbatorum paschæ in crucem ageretur. Quod mater ejus intelligens, quinque nummos militibus dedit, ut eum contraria ratione, quam Christus Dominus crucifixus fuit, affigerent cruci. Quinto igitur sabbatorum pronus in caput crucifixus est, et die parasceves animam egit. Et vox de cœlo audita est, ita sonans : « Veni, civis Christi, et coheres sanctorum angelorum. » Ita habet ejus Vita apud Surium, 7 aprilis.

Mirus vero fuit S. Wernheri pueri crucis amor,

et in ea martyrium : hic enim confessus, et communione sacra percepta, furtim captus a Judæis, in die parasceves instar Christi, in ejus odium, ab eis ad columnam ligneam suspensus, acriter flagellatus, cultro per totius corporis venas barbara immanitate incisus, forficibus quoque summo cruciatu in pedibus, manibus, collo et capite insectus fuit, ut omnem sanguinem exprimerent, ita ut totus vulneribus confectus videretur. Mansit autem sanctus puer ita triduo ad columnam suspensus, donec sanguis fluere desineret. Hos cruciatus tolerans summa patientia, in laudibus Dei spiritum Christo crucifixo reddidit. Ita habet ejus Vita apud Surium, 2 aprilis. Simillia de pueris a Judæis crucifigi solitis scribit Socrates, lib. VII *Hist.*, cap. XVI.

Ado in *Martyr.*, 22 maii, et ex eo Baronius, anno Christi 440, narrat simile de Julia ancilla sancta : hæc capta fuit a Felice principe, eumque ei Felix blanditiis non posset suadere ut idolis sacrificaret, præcepit eam alapis cædi, deinde crinibus lanqueri, flagellari, et tandem crucifigi, et sic in cruce sanctum efflavit spiritum, de cujus ore columba exivit et in cœlum evolavit. « Mulierem fortem quis inveniet? procul et de ultimis finibus pretium ejus. »

Nuper in Japone a Taicosama rege sex Fratres Franciscani, tres e nostra Societate, septemdecim laici Japones, inter quos erat Aloisius, puer annorum duodecim, et Antonius, annorum tredecim, singuli singulis crucibus affixi, muerone dextero latere transverberati, hilares et exultantes martyrii agonem peregerunt.

20. QUI DILEXIT ME, ET TRADIDIT SEMETIPSUM PRO ME. — **Nota *se* et *me*, non nos, vel nobis; ita enim loquitur, *primo*, ex vehementia et delicis amoris. *Secundo*, quia præ omnibus judicabat se peccatis obnoxium, ac mortis Christi reum. *Tertio*,** ut Chrysostomus, **quia quisque Christo pro sua passione ac morte gratias eas agere debet, ac si pro se solo passus fuisset, quia singulis tantum profuit quantum omnibus, et pro uno solo redimendo æque mori debuisset Christus.** « Beatus multumque felix, ait Hieronymus, qui vivente in se Christo per singulas cogitationes et opera potest dicere : In fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me. » Christus se totum tibi, tu te totum da, imo redde Christo.

Vehementia et delicium divini erga hoc amoris.

21. NON ABJICIO GRATIAM CHRISTI. — **Ita dixit,** Vera. Sti. **non rejicio, non repello, non aspernor; Ambrosius, *non sum ingratus gratiæ Dei*; Augustinus, *non irritam facio gratiam Dei*, ut faciunt illi, qui volunt statuere legem et justitiam ex lege, ait Hieronymus, ut et illi, inquit, qui post baptismum peccatis sordidantur. Sed hoc morale est, prius vero litterale et ex mente Apostoli.**

SI ENIM PER LEGEM JUSTITIA, ERGO GRATIS CHRISTUS MORTUUS EST. — **Quia mortuus est Christus ad justitiam suæ mortis pretio nobis comparandam : hoc autem pretium frustra dedit, frustra impendit, si ex lege eamdem justitiam habere poteramus. Est argumentum tertium ab impossibili, *q. a.*** Tertium argumentum pro ejusdem justitiæ. **Nemo tam vecors est, ut dicat Christum frustra tot et tanta passum, ac mortuum; atqui hæc omnia passus, et mortuus est pro justitia nobis promerenda : ergo hæc justitia non continget nobis a Moyse, sed a Christo; non ex lege, sed ex fide.**

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit probare quinque rationibus, nos justificari non per legem et opera legis, sed per fidem Christi.

Primo petitur ab experientia, vers. 2, quia scilicet experti erant Galatæ se non in circumcisione, sed in baptismo Spiritum Sanctum ejusque dona accepisse.

Secunda, vers. 6, ab exemplo Abrahæ, qui justificatus est, quia credidit Deo, id est ex fide.

Tertio, vers. 10, quia qui sub lege sunt, sunt sub maledicto, quod lex omnibus sui prævaricatoribus intentat, a quo Christus nos liberavit factus pro nobis maledictum.

Quarto, vers. 11, ex Habacuc, qui dixit : Justus ex fide vivit.

Quinto, vers. 16, quia Abrahæ et posteris ejus promissa est benedictio, id est justitia et salus : ergo ex promissione, quam fide apprehendimus, non autem ex lege justificamur : lex enim, ut ait vers. 24, tantum data fuit ad hoc, ut quasi pædagogus Judæos duceret ad Christum, ut ex fide Christi justificarentur, Christumque induerent, et unum cum eo omnes fierent.

1. O insensati Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati, ante quorum oculos Jesus Christus præscriptus est, in vobis crucifixus? 2. Hoc solum a vobis volo discere : Ex operibus legis Spiritum accepistis, an ex auditu fidei? 3. Sic stulti estis, ut, cum spiritu cœpe-

ritis, nunc carne consummemini? 4. Tanta passi estis sine causa? si tamen sine causa. 5. Qui ergo tribuit vobis Spiritum, et operatur virtutes in vobis : ex operibus legis, an ex auditu fidei? 6. Sicut scriptum est : Abraham credidit Deo, et reputatum est illi ad justitiam. 7. Cognoscite ergo, quia qui ex fide sunt, ii sunt filii Abrahæ. 8. Providens autem Scriptura, quia ex fide justificat Gentes Deus, prænuntiavit Abrahæ : Quia benedicentur in te omnes Gentes. 9. Igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham. 10. Quicumque enim ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt. Scriptum est enim : Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea. 11. Quoniam autem in lege nemo justificatur apud Deum, manifestum est : quia justus ex fide vivit. 12. Lex autem non est ex fide, sed, Qui fecerit ea, vivet in illis. 13. Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum : quia scriptum est : Maledictus omnis qui pendet in ligno. 14. Ut in Gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Jesu, ut pollicitationem Spiritus accipiamus per fidem. 15. Fratres (secundum hominem dico), tamen hominis confirmatum testamentum nemo spernit, aut superordinat. 16. Abrahæ dictæ sunt promissiones, et semini ejus. Non dicit : Et seminibus, quasi in multis; sed quasi in uno : Et semini tuo, qui est Christus. 17. Hoc autem dico, testamentum confirmatum a Deo, quæ post quadringentos et triginta annos facta est lex, non irritum facit ad evacuandam promissionem. 18. Nam si ex lege hæreditas, jam non ex promissione. Abrahæ autem per repromissionem donavit Deus. 19. Quid igitur lex? Propter transgressiones posita est, donec veniret semen, cui promiserat, ordinata per angelos in manu mediatoris. 20. Mediator autem unius non est : Deus autem unus est. 21. Lex ergo adversus promissa Dei? Absit. Si enim data esset lex, quæ posset vivificare, vere ex lege esset justitia. 22. Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus. 23. Prius autem quam veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem, quæ revelanda erat. 24. Itaque lex pædagogus noster fuit in Christo, ut ex fide justificemur. 25. At ubi venit fides, jam non sumus sub pædagogo. 26. Omnes enim filii Dei estis per fidem, quæ est in Christo Jesu. 27. Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. 28. Non est Judæus, neque Græcus : non est servus, neque liber : non est masculus, neque femina. Omnes enim vos unum estis in Christo Jesu. 29. Si autem vos Christi : ergo semen Abrahæ estis, secundum promissionem hæredes.

Vers. 1.

1. O INSENSATI. — Græce ὦ ἀνόητοι, *o stulti*. Ita Augustinus. Syrus אן חסירי דעיבא *o chasere reina!* o destituti mente! « Quæque provincia, ait Hieronymus, suas habet proprietates : Cretenses mendaces notat Epimenides; vanos Mauros, feroces Dalmatas Latinus pulsat historicus; timidos Phryges omnes Poetæ lacerant. Græcis, inquit Tullius *pro Flacco*, ingenita inest levitas, et erudita vanitas : in hunc modum arbitror Apostolum Galatas regionis suæ proprietate pulsasse, quod vitio gentis indociles sint, vecordes, et ad sapientiam tardiores. » Idem Hieronymus, prooemio lib. II *Commen. in epist. ad Galat.* : « Sic, inquit, et Hilarius latinæ eloquentiæ Rhodanus, Gallus ipse et Pictavis genitus, in hymnorum carmine Gallos indociles vocat (sui scilicet ævi, cum plerique adhuc infideles essent, indeque barbari). » Et infra : « Scit mecum qui vidit Ancyram, Galatiæ metropolim, quod nunc usque schismatibus dilacerata sit. Omitto Cataphrygas, Ophitas, Borboritas et Manichæos. Quis unquam Passalorincitas, et Ascodrobos, et Artotyritas, et cætera magis portenta, quam nomina in aliqua parte Romani orbis audivit? Antiquæ stultitiæ usque hodie manent vestigia. » Ita Hieronymus, quibus verbis Galatas stolidos fuisse probat, ex eo quod tot stolidas invenerint vel admiserint hæreses.

Varium genus vitia et proprietatis.

Nota : Est hoc convicium Apostoli non indignationis, sed charitatis, contumelia scilicet materialis, non formalis, quia non conviciandi animo prolata, sed ex amore et zelo, ut duros Galatas feriat, molliat, corrigat. Ita Gregorius, III part. *Pastoral.* cap. VIII. Sic enim parentes, qui filios verberibus castigant, multo magis verbis eosdem castigare possunt, et convicio, eorum vitium quasi mordaci sale inurere. Sic Christus, *Matth.* cap. XXIII, vers. 13, scribas vocat *hypocritas*. Sic Paulus Elymam vocat *filium diaboli*, *Act.* cap. XIII, vers. 10.

Superbus libenter est alios dictis mordacibus castigare.

Nota *secundo* : Convicium hoc emollit, cum dicit : « Quis vos fascinavit, » *q. d.* Vestram cæcitatem non tam vestræ dementiæ, quam fascino Judæorum tribuo.

QUIS VOS FASCINAVIT? Græcum βασκαίνειν significat *primo*, invidere, *q. d.* Quis Judæus vobis invidit Evangelii libertatem? Ita Theophylactus et Anselmus. *Secundo*, significat fascinare, incantare, et perstringere oculos, ut putes te videre, quod revera non vides, vel ut non videas quæ coram te sunt, quæque alii vident. Id aptius huic loco convenit. Unde sequitur : « Ante quorum oculos præscriptus est Christus; » oculis enim maxime teneris fascinum hoc imponi per oculos et intuitum fascinantis solebat, indeque Græci βασκανίαν dictum putant παρὰ τὸ φάσκειν κακὸν, quod oculis, et per oculos noceat. Unde Virgilius :

Fascinum quid, et quomodo fiat?

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

q. d. Quis oculus nequam et invidus vos in fide Christi teneros et novellos, o Galatæ, in hanc fraudem, cæcitatem et errorem judaismi induxit? ita Hieronymus et Anselmus. « Dicitur enim fascinum, ait Hieronymus, proprie infantibus nocere, et ætati parvulæ, et his qui firmo necdum vestigio figunt gradum. » Ait ergo Paulus : Quis vos, o Galatæ, fascinavit, ut clarissimam Evangelii lucem ante oculos vestros radiantem non videatis? unde subdit :

ANTE QUORUM OCULOS JESUS CHRISTUS PRÆSCRIPTUS EST IN VOBIS CRUCIFIXUS. — S. Anselmus et alii legunt, *proscriptus*, id est exhæredatus, et, ut Ambrosius, *spoliatus* et condemnatus, *q. d.* Vos Christum Ecclesia vestra quasi sua hæreditate privastis et expulistis : sed corrige cum Romanis *præscriptus*.

Præscriptus quid et Jesus?

Quod *primo*, S. Augustinus, inquit Erasmus, accipit de præscriptione juris, qua bona per possessionem certi temporis, puta triennii in mobilibus, decennii in immobilibus, a possessore præscribuntur, et in ejus jus ac dominium transeunt; Christus ergo præscriptus est, id est, præscriptione legis veteris, quæ per tot centenos annos nomen veræ legis, veræque Dei Ecclesiæ possidens præscripsit, Christus exclusus est sua possessione, Ecclesia scilicet vestra, o Galatæ, a Judaizantibus. Ita enim in Augustino toto hoc loco vult legi Erasmus, *præscriptus* pro *proscriptus*, sed fallitur : nam omnes codices, tam Basilicenses, quam Lovanienses correctissimi hoc loco Augustini habent *proscriptus*, non *præscriptus*; sicque explicat Augustinus, cum ait : « Judæis illam (scilicet hæreditatem) auferentibus, eumque scilicet Christum) expellentibus : » quod sane non præscribentium, sed proscribentium est.

Quidam libri habent, Christus præscriptus est in vobis

Christus quomodo vobis scriptus et depictus?

Secundo, S. Hieronymus : « præscriptus, » id est, inquit, jam ante descripta sunt in Prophetis et Sacramentis legis veteris, o Galatæ, passio, crux et mors Christi.

Tertio et optime, maximeque genuine, « præscriptus, » id est præ oculis vestris scriptus, et, ut Syrus, pingendo depictus est (Græcum enim προεγράφη commune est scripturæ et picturæ) in vobis, id est ante vos, in oculis vestris, Christus crucifixus. Est hyperbaton; sic enim verba ordinanda sunt : « Ante quorum oculos Christus in vobis est præscriptus crucifixus, » *q. d.* Christus velut depictus in cruce pendens vobis exhibitus est : neque enim vere apud Galatas fuit Christus crucifixus, sed illis per prædicationem et fidem repræsentatus est crucifixus. Τὸ enim *crucifixus* idem est quod ut *crucifixus* : subauditur enim vocula similitudinis ut vel *sicut*, more Hebræorum.

Ubi nota, τὸ *in vobis* per pleonasmum Hebraicum, quo antecedens cum relativo repetitur, interjici : *idem est enim ac* κατ' ὀφθαλμούς, id est *quibus coram oculis*, et ἐν ὑμῖν, *in vobis*. Unde clarius illud omittens Syrus, ita vertit, *ecce quasi pingendo depictus fuerat coram oculis vestris Iesus Meschicho crucifixus*; nam multa alia interjicit et trajicit sæpe Apostolus, ut dixi *Can.* 38.

Sensus ergo est, *q. d.* Licet Christus Hierosolymæ crucifixus sit, tamen per prædicationem meam quasi vivam et expressam imaginem depicta vobis est, o Galatæ, passio, vita et crux Christi, ut in illa prædicatione mea per fidem Christum crucifixum in vobis quasi præsentem ante oculos vestros intuiti sitis; ita ut fidei oculis videritis exactius crucem Christi, quam ipsi Judæi, qui Hierosolymæ cruci astiterunt, Christumque in ea pendentem conspexerunt, inquit Theophylactus et Chrysostomus, *q. d.* Qui potuerunt oculi vestri fascinari, quibus ad vivum prædicatione mea depinxi et repræsentavi Christum crucifixum (1)?

Potest *quarto*, accipi plane ut verba sonant, idque efficacius, *q. d.* Nuper vestra hac ætate, quasi ante oculos vestros, ac forte aliquibus vestrum Hierosolymæ præsentibus et spectantibus, Christus descriptus et depictus est, cum scilicet in vobis, id est vestra ætate, vestro tempore et sæculo, vel in vobis, id est in vicinia vestra, scilicet in Judæa, pene inter vos et ante oculos vestros est crucifixus; in cruce enim Christus clavis, spinis, flagellis, lancea, quasi calamis; sanguine, quasi atramento descriptus et depictus est, quasi victima mactata pro peccatis nostris, ut ab eis justificaremur, id est depictus est quasi redemptor, justificator, propitiator et salvator noster, *q. d.* Fierine potest vestros sic oculos fascinari, ut Christum redemptorem vestrum pene adhuc ante oculos vestros pendentem non intueamini, ut tam vivi recentisque beneficii, redemptionis, inquam, vestræ obliviscamini? ut Christum non agnoscatis vivis adeo coloribus, imo sanguine proprio in cruce depictum? Quomodo enim ita pingitur, nisi quia peccati expiator et justificator est peccatoris? ita Chrysostomus.

Hoc sensu Christus ipse crucifixus quasi imago

(1) Ita omnes hodierni interpretes.

vel liber proponitur, in quo sanguineis literis descriptus et depictus est ipse Christus. Vis scire quis qualisve sit Christus? librum hunc lege, crucem inspice, in ea scriptum leges libri titulum : Jesus Nazarenus, id est servator, vel sanctificator et consecrator, qui scilicet nos Deo consecravit et sanctificavit; Rex Judæorum. Leges : « Christus factus est pro nobis peccatum, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso; » solus enim ipse peccatum nostrum in se suscepit et expiavit : quid enim est peccatum, nisi christicidium, nisi deicidium? Leges quoque in libro hoc, in Christi, inquam, vulnere, vibice, livore, amore : Amor, amor tui, o homo, ita me pinxit, ita me rubricavit, ita me figuravit. Cernis ut in toto corpore scriptus, imo sculptus amor? Hic denique liber omnem Christi sapientiam, ipsumque Christianæ philosophiæ apicem legenti et contemplanti demonstrabit.

Peccatum est christicidium et deicidium.

Vers. 2. 2. EX OPERIBUS LEGIS SPIRITUM ACCEPISTIS, AN EX AUDITU FIDEI? — « Spiritum, » id est Spiritum Sanctum cum visibilibus suis donis linguarum, prophetiæ, et aliis, quæ olim in baptismo dabantur, quasi indicos Spiritus Sancti, ejusque donorum invisibilium, scilicet gratiæ, charitatis aliarumque virtutum, quas in baptismo infundit Spiritus Sanctus, *q. d.* Unde, o Galatæ, accepistis spiritum gratiæ, justitiæ, et donorum Spiritus Sancti? clarum est, quod non ex circumcisione et operibus legis, sed ex auditu fidei, puta in baptismo Christi, non ante.

EX AUDITU FIDEI, — id est ex prædicatione fidei, quam audistis, vel ex auditu, quo fidem audistis, eique obedistis : auditus enim et active et passive sumi potest hic, uti et *Isaiæ* LIII, 1. Vide *Can.* 30.

Vers. 3. Per spiritum hic doctrina Christi, per carnem circumcisio intelligitur.

3. UT CUM SPIRITU COEPERITIS (cum spirituali Christi doctrina, baptismo, Sacramentis, spiritualibus gratiis ab eo acceptis, spirituali vita et conversatione cœperitis vivere), CARNE (id est circumcisione, et aliis carnalibus legis cæremoniis) CONSUMMEMINI. — Alii, *carne*, inquiunt, id est carnalibus vitiis, gulæ, libidinis : sed hoc est præter scopum et mentem Apostoli. Unde S. Bernardus, serm. 33 in *Cant.*, hæc explicat, vel potius applicat iis, qui indiscreto fervore per nimias orationes, pœnitentias, labores, etc., ita vires exhauriunt, ut fiant inutiles : hi enim postea fiunt ignavi, et carne consummantur, dum toti student valetudini, itaque fiunt sensuales et carnales. Vide de carne dicta I *Cor.* III, 2.

CONSUMMEMINI. — Græca ἐπιτελεῖσθαι σάρκι, ἢ σαρκὶ ἐπιτελεῖσθε, *qui carnalis spiritu, carne consummamini*; Syrus, *absolvitis*, *q. d.* Carne finitis, et in eam desinitis. Notat Theophylactus, non dici active, consummetis, perficiatis, sed passive « consummemini, » perficiamini, ut innuat quod brutorum instar paterentur se concidi et circumcidi a Judaizantibus. *Secundo*, non dicit τελεῖτε, id est *consummamini*, sed per ἐπιτελεῖσθε, id est *post consummamini*, *q. d.* Post consummationem a Christo acceptam, aliam ex veteri lege, quasi quintam in curru rotam, vultis superinducere. Ita Chrysostomus.

Vers. 4. 4. TANTA PASSI ESTIS (scilicet ab infidelibus propter Christi fidem) SINE CAUSA, — id est frustra, si videlicet ab illa ad Mosen transeatis.

SI TAMEN SINE CAUSA, — id est, si tamen frustra; supple, quod erit nisi resipiscatis, *q. d.* Hortor ergo ut resipiscatis, et in Christi fide persistatis. Ita Hieronymus (1).

Vers. 5. 5. QUI ERGO TRIBUIT (ὁ ἐπιχορηγῶν, qui (scilicet Deus vel Christus) *subministrat*, suggerit, et, ut Syrus, *indit*) ET OPERATUR — ἐνεργῶν, qui inoperatur per intimam et divinam suam energiam, vim et potentiam. Vide dicta I *Cor.* XII, 6.

VIRTUTES, — miracula. Supple : facitne ea ex lege, an ex fide? *q. d.* Clarum est, et experientia scitis quod non ex lege, sed ex fide, id est per fidem Christi. Unde subdit :

6. SICUT SCRIPTUM EST : ABRAHAM CREDIDIT DEO, ET REPUTATUM EST ILLI AD JUSTITIAM. — Est secundum argumentum petitum ab exemplo Abrahæ, quo probat nos non justificari ex lege, sed ex fide; non a Mose, sed a Christo, *q. d.* Abraham incircumcisus, et ante legem accepit Spiritum, et justificatus est non ex operibus legis, quæ necdum erat, sed ex fide Christi venturi : ita et vos ex Christi fide justificamini. Ita Anselmus.

REPUTATUM EST ILLI AD JUSTITIAM, — id est, inde justificatus est. Vide de hac phrasi, deque ipsa Abrahæ justificatione, dicta *ad Rom.* IV, 3.

Vers. 7. 7. ERGO QUI EX FIDE SUNT (græcismus, id est fideles, Abrahæ fidem imitantes), HI SUNT FILII ABRAHÆ, — spirituales scilicet, non per generationem, sed per imitationem, ac consequenter ad eos pertinet benedictio, justitia et salus Abrahæ promissa. Ita Hieronymus.

Vers. 8. 8. PROVIDENS SCRIPTURA, — longe ante prospiciens : hoc enim est Græcum προιδοῦσα (2).

PRÆNUNTIAVIT ABRAHÆ — προευηγγελίσατο, *prævangelizavit*, lætissimum ei tulit nuntium hoc de futura posterorum ejus, id est fidelium, benedictione per Christi fidem, *q. d.* Ergo non est novum Evangelium de Christo, fide, justitia fidei, sed Abrahæ tempore notum.

QUIA (quod) BENEDICENTUR IN TE OMNES GENTES. — Notat Cajetanus, *Genes.* XII, Deum, cum Abrahamum evocaret, ut egrederetur de terra sua, scilicet Chaldæa, et de cognatione sua, veniretque in terram, quam illi monstraturus erat, septem Abrahamo benedictiones, sive bona ingentia promisisse. Septenarius autem symbolum est universitatis, id est omnium bonorum.

Primum, quod promisit, fuit principatus, seu paternitas magnæ gentis, cum ait : « Faciamque

(1) Alioli : Dummodo sufficiat dixisse frustra ! si enim manentis in illa perversitate, pejora vobis accident, *v. g.* amittetis Spiritum, etc.

(2) *Scriptura*, id est, Spiritus Sanctus, qui in Scripturis loquitur.

Benedictionis primitiæ.

te in gentem magnam. » *Secundum*, fruguum opumque copia, cum ait : « Et benedicam tibi. » *Tertium*, nominis celebritas et gloria, cum ait : « Et magnificabo nomen tuum. » *Quartum*, complexio omnium benedictionum et bonorum, cum ait : « Erisque benedictus. » Ubi hebraice est הֱיֵה בְּרָכָה *hehie beracha*, sis benedictio, id est, ita plene per omnia sis benedictus, ut ipsa videaris esse benedictio, utque homines cuipiam benedicere volentes te in exemplum statuant, dicentes : Fiat tibi, benedicat tibi Deus, sicut fecit et benedixit Abrahæ; quemadmodum inaugurando Cæsari acclamabant : Sit Augusto felicior, sit Trajano melior. *Quintum*, quod non solum tibi, o Abraham, sed et amicis tuis benefaciam, inquit Dominus, cum ait : « Benedicam benedicentibus tibi. » *Sextum*, quod inimicos tuos, tuasque injurias ulciscar, cum ait : « Maledicam maledicentibus tibi. » Hæc sex fere corporalia sunt et temporalia. *Septimum* vero ac præcipuum, spiritale est et æternum, cum ait : « In te benedicentur universæ cognationes terræ. »

Pro quo nota : « In te, » id est in semine tuo, ut exponitur *Genes.* XXII, 17, hoc est in Christo, qui ex Abraham natus est, ut hic exponit Apostolus vers. 16, *q. d.* Per Christum Filium tuum, perque fidem in Christum omnes gentes benedicentur, id est justificabuntur, fientque amici et Filii Dei, ac consequenter hæredes regni Dei, ut aliquando audiant : « Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. » Est ergo quod gaudeas, Abrahame, quia per Christum filium tuum pater eris omnium credentium, justorum et electorum. Ita Hieronymus, Anselmus et alii.

Duplex hujus loci resolutio.

Posset *secundo*, etiam sic accipi : « In te, » id est instar tui, ad tui imitationem et exemplum, *q. d.* Sicut tu per fidem, ita et omnes Gentes per fidem, non per opera legis, « benedicentur, » id est justificabuntur. Hebræi enim litteram ב *bet*, id est *in*, sæpe sumunt pro affini servili littera כ *caph*, quæ est nota similitudinis et comparationis. Ita Chrysostomus, Augustinus, Theophylactus, Œcumenius, S. Thomas.

Dicere Dei idem est quod facere, et benefacere, et bene dicere quid benefacere.

Adverte hic : Sicut dicere Dei, utpote efficax, idem est quod facere (*ipse enim dixit, et facta sunt*) : ita benedicere Dei, idem est quod benefacere, et bona largiri, quæ quo majora sunt, eo major est benedictio. Jam quia maximum bonum est gratia et justitia, per quam simus divinæ consortes naturæ, amici, filii hæredesque Dei et gloriæ cœlestis, hinc benedictio absolute posita eamdem per antonomasiam significat. Hæc ergo Abrahæ benedictio proprie hanc Abrahæ justificationem significat, ac posterorum ejus, hoc est, fidelium, qui per Chrisum renati Abrahæ fidem imitantur. Unde recte explicant Patres : benedicentur, id est, inquiunt, justificabuntur; benedictionem, id est justitiam assequentur; nec enim ullus bonum benedictionemve Deus nobis donare potest, quam suam justitiam, amicitiam, filiationem.

Denique hinc patet, non bene Pagninum vertisse, *in te benedicent se omnes gentes*, dicendo scilicet : Utinam sim tam felix et benedictus, quam Abraham fuit. Hebræum enim נִבְרְכוּ *nibrechu*, pure passivum est, conjunctionis scilicet passivæ *niphal*, propriæque significat *benedicentur*; non ergo significat actionem reflexam agentis in seipsum, scilicet, *benedicent se* : hæc enim significatur ultima conjugatione *hitpael*. Rursum versionem ac sensum Pagnini plane hic excludit versio ac sensus S. Pauli.

Vers. 9. 9. IGITUR QUI EX FIDE SUNT, BENEDICENTUR CUM FIDELI ABRAHAM. — Infert hanc conclusionem ex antecedente præmisso vers. præced., *q. d.* A Deo prædictum et promissum est Abrahæ : « In te, » id est in semine tuo, scilicet Christo, id est per Christum ac Christi merita, « omnes Gentes, » quæ illi credent et obedient, hac Christi fide et obedientia, « benedicentur, » hoc est, justificabuntur; igitur vere hæc eis benedictio et justitia obveniet. Probatur consequentia : quia Dei prædictio ac promissio falli aut fallere non potest. Ex secundo sensu jam dicto, vers. 8, simile est argumentum : Prædictum et promissum est Abrahæ : « In te, » id est instar tui, « benedicentur omnes Gentes; » atqui tu, o Abraham, ex fide justificatus es, ut vers. 6 probavi ex verbis *Genes.* cap. XV; ergo et Gentes per fidem justificabuntur, ac consequenter, qui ex fide sunt, id est fideles, « benedicentur, » hoc est justificabuntur, « cum fideli Abraham. » Hunc secundum sensum magis innuit τῷ *cum fideli Abraham*, *q. d.* Instar fidelis Abrahæ Gentes per fidem æque ipse justificabuntur.

Nota rursum græcismum : « Qui ex fide sunt, » hoc est fideles; sic « qui ex circumcisione sunt, » id est Judæi circumcisionis legisque veteris sectatores. Eosdem vers. sequent. vocat eos « qui sunt ex operibus legis, » hoc est, qui opera legis sectantur, iis nituntur, ex iis sperant et arrogant sibi justitiam. *Secundo*, pro *benedicentur* græce est εὐλογοῦνται, id est *benedicuntur*, in præsenti.

10. QUICUMQUE EX OPERIBUS LEGIS SUNT, SUB MALEDICTO SUNT. — Quæsivit vers. 5, unde justitia obtingat, an ex lege, an ex fide? tacite respondit ex fide, idque hucusque probavit exemplo Abrahæ; jam idem probat *tertio*, alteram adversamque partem destruendo, videlicet quod non ex lege : « Quia, inquit, quicumque ex operibus legis sunt (id est qui iis nituntur, fidunt, justificari volunt), sub maledicto sunt, » hoc est, maledictioni et execrationi, puta æternæ damnationi, sunt obnoxii; ergo lex non benedictionem, sed maledictionem adfert.

Antecedens probat hoc syllogismo : Quicumque non facit totam legem, est maledictus a lege : atqui nemo sine fide et gratia Christi facit totam legem, uti suppono, tanquam vobis experientia

Non a lege, sed a Christo datur gratia: lex maledicit, fides benedicit.

notum; scitis enim legem sine gratia impleri non posse, et legem non dare gratiam, sed Christum, legemque tantum docere, minari et punire : ergo sine fide nemo est immunis a maledicto legis, quod lex sui violatoribus intentat, sed omnes maledicti sunt a lege, *q. d.* Ergo lex maledicit, sola fides benedicit.

Magis dialectice, videlicet in prima figura in *barbara*, ita hoc argumentum dispones : Quicumque aliquam legem violat, est maledictus a lege; atqui omnes, qui sub lege sunt seclusi a fide et gratia Christi, legem violant : ergo omnes qui sub lege sunt, sunt ab ea maledicti. Majorem probat verbis sequentibus, sententia scilicet *Deut.* XXVII, 26. Minorem, ut dixi, supponit ut certam et notam; infert ergo conclusionem aque certam et infallibilem. Ubi nota, necessario hanc minorem supplendam esse : si enim sola major ponatur, nihil concludet, potuissentque dicere Galatis Judaizantes : Nos sumus tam sub benedictione quam sub maledictione; sicut enim lex sui violatores maledicit, ita sui observatores benedicit, *Deut.* XXVIII, 2 : si ergo legem veterem servaveritis, eritis nobiscum benedicti; sed hoc necessario minore jam dicta suppleta corruit.

SCRIPTUM EST ENIM : MALEDICTUS OMNIS QUI NON PERMANSERIT IN OMNIBUS, QUÆ SCRIPTA SUNT IN LIBRO LEGIS. — Aquila vertit, *maledictus, qui non statuerit*; Symmachus, *qui non fir. averit*; Theodotion, *qui non suscitaverit* verbis *legis hujus*, *ut faciat ea*, id est, ut Syrus, *qui ea non præsiterit*, Septuaginta non verbum, sed sensum reddunt : ὃς οὐκ ἐμμενεῖ, *qui non immanserit*. Sed major vis est in Hebræo הקים *hekim*, id est, stare fecerit; qui enim firmiter et constanter per omnia legem observat, eam facto et exemplo quasi stabilit, statuit, erigit, firmat et sancit. Unde ut vim vocis exprimant, Septuaginta et Paulus addunt ἐν πᾶσι *in omnibus*, quod non est in Hebræo. Hæc est major syllogismi supra dicti.

Lex non est impossibilis, ut vult Calvinus.

Nota : Relinquit minorem ut experientia notam; non hanc, ut vult Calvinus : Atqui nemo potest facere legem; ergo lex impossibilis est, et omnes necessario sunt sub lege maledicto : hoc enim impium est; sed istam : Atqui nemo sine fide et gratia Christi facit universam legem : ergo sine fide Christi, omnes sunt sub maledicto. Ita Hieronymus. Sic enim lex non est impossibilis, et Deus non præcipit impossibilia; licet enim per naturæ legisque vires tota impleri non possit, potest tamen tota impleri per vires gratiæ, quam Deus credentibus et orantibus omnibus, tam Judæis quam Gentibus, per mediatorem Christum paratus est dare.

Ages quædam divinæ tantum obligabant sub veniali.

Nota *secundo*, non omnes, qui aliquam legem violabant, fuisse maledictos : quædam enim leges etiamsi divinæ essent et a Deo latæ, tamen ob materiæ parvitatem tantum obligabant sub peccato veniali, ut lex vetans in nido capi matrem simul cum pullis, *Deuter.* XXII, 6; et lex vetans vineam seri altero semine, *ibid.* vers. 9, et lex vetans vestem ex lana linoque contextam, vers. 11. Loquitur ergo lex, *Deuter.* XXVII, quam citat hic Paulus, de legibus Decalogi, quæ graves sunt, ac de rebus magni momenti, ideoque obligant sub peccato mortali : quarum qui vel unam violat, maledictus est. Inspice citatam cap. XXVII *Deuter.*, ac ita esse videbis. Supponit Apostolus sine gratia Christi totum Decalogum a nemine impleri posse : ideoque concludit, omnes qui sub lege sunt, esse ab ea maledictos.

11. QUONIAM AUTEM. — Est nova et quarta ratio, probans nos non ex lege, sed ex fide Christi justificari; conglomerat enim Apostolus rationes et Scripturæ loca, ut Galatis id persuadeat. Unde sicut vers. 6, usus est argumento petito ab exemplo Abrahæ, et vers. præced. idem probavit ex maledictione quam lex suis intentat, *Deut.* XXVII, ita hic idem probat ex *Habacuc*, cap. II, vers. 4, ubi dicitur : *Justus* non ex lege, sed *ex fide vivit*, quem locum explicavi *Rom.* I, 17.

Vers. 12.

12. LEX AUTEM NON EST EX FIDE (lex non docet, non affert fidem et gratiam, qua legem impleamus, justificemur, juste, sancte ac beate vivamus), SED (supple, tantum de lege dicitur, *Ezech.* XX, 11, *Levit.* XVIII, 9) : QUI FECERIT EA (videlicet quæ lex jubet), VIVET IN ILLIS, — id est, non punietur morte, quam lex transgressoribus intentat; sed donabitur vita et bonorum temporalium abundantia, quam lex sui observatoribus promittit. Idem dixi *Rom.* X, 5; est enim hæc epist. *ad Galatas*, epistolæ *ad Rom.*, ut dixi, quasi compendium.

Ubi nota antithesin fidei et legis. De fide dicitur : quia justus, qua scilicet talis, ex ea vivet, *id est* putat vita justitiæ, gratiæ et gloriæ, quæ absoluta, perfecta et beata est vita. De lege vero non dicitur absolute, quod qui eam fecerit, vivet, sed, *vivet in illis, q. d.* Vivet ea vita iisque bonis, quæ præcepta legis suis promittunt, scilicet in abundantia frumenti, vini et olei (1).

Antithesis fidei et legis.

Vers. 13.

13. CHRISTUS FACTUS (est) PRO NOBIS MALEDICTUM. — Græce κατάρα, maledictio, execratio. Nota :

(1) Versum 12 alii sic interpretantur : *Lex vero non credet*, vel commendat *fidem*, id est, lex non est res fidei, nihil pertinet ad fidem. In lege non quæritur an credas, sed an tu agas. *Sed* dicit, vel edicit : *Qui fecerit ea, vivet per ea*; sicut contra, qui non fecerit, lapidabitur, ejicietur e populo.

Nota : Cum hic et alibi dicitur legem nil pertinere ad fidem, negare nullatenus intendimus, fidem, durante lege Mosaica, aut inutilem fuisse, aut pris Judæis abfuisse. Et contra Paulus suam de fide doctrinam in veteri testamento fundatam esse non semel affirmat (*Rom.* IV). De lege igitur sola atque in se spectata loquitur hic Apostolus, quidem scil. ipsi hujus temporis Judæi habebant, imo habere et intelligere poterant. Judæis enim Messiam rejicientibus, quid nisi lex sola, sine fide et gratia, supererat? Item, cum h. l. et alibi, præsente Paulo, interpretes negant, Judæos lege Mosaica justificari aut salvari potuisse, intelligi, lege sola, seu nudis legis operibus, exclusa in Christum fide. Vid. notat. 2, pag. 73.

Christus quomodo pro nobis factus maledictum et peccatum?

Christus in se suaque persona benedictus, factus est maledictio, quatenus personam sublit peccatorum, quorum peccata et execrationes in se luendas et expiandas suscepit : non secus ac si quis debitum tertii in se suscipiat, debitor fit et dicitur; sic et hic Christus pro nobis fit et dicitur maledictum et peccatum, licet non tam proprie : nam debitum pecuniarium vere in alium transferri potest, peccatum vero in alium proprie transferri nequit, sed dicitur transcribi æstimatione et denominatione civili in eum, qui pœnam peccati subit. Est ergo catachresis et metonymia. Quemadmodum ergo, II *Cor.* V, 21, Christus dicitur factus pro nobis « peccatum, » id est, hostia pro peccato, cui olim manuum impositione peccata omnia imponebantur : sic dicitur hic factus « maledictum pro nobis, » hoc est, maledictus, execrabilis : quia, ut Rupertus, maledictiones humani generis Deus in Christum transposuit, ut videlicet pro nobis infame et execrabile crucis supplicium subiret, idque tum ad ostendendam peccati enormitatem, quamque peccatum sit res execranda, tum ad patientiæ omniumque virtutum exemplum, « ut non solum nullam mortem, sed etiam nullum mortis genus Christiana libertas, sicut Judaica servitus, formidaret, » ait S. Augustinus, lib. *Contra Adimant.* XXI; et Tertullianus, lib. *De Patientia*, cap. VIII : « Dominus, ait, ipse maledictus in lege est, et tamen solus est benedictus. Igitur Dominum servi consequamur, et maledicamur patienter, ut benedicti esse possimus. »

QUIA SCRIPTUM EST (*Deut.* XXI, 23) : MALEDICTUS OMNIS QUI PENDET IN LIGNO. — *Deut.* XXI, 23, dicitur. « Maledictus a Deo est, qui pendet in ligno, » hebraice קללת אלהים תלוי *killat elohim talui*, id est, ut Aquila et Theodotion, *maledictio Dei est suspensus*; Symmachus, *in blasphemiam Dei est suspensus*; Ebion hæresiarches semijudæus et semichristianus, ait Hieronymus, vertit, ὅτι ἐπὶ ὑβρισμένος, id est *injuria*, sive *contumelia*, *Dei est*, *qui pendet*; alius vertit, ὑβριζόμενος, hoc est, *convicium Dei est suspensus*. Hebræa enim radix in *piel*, scilicet קלל *killel*, significat conviciari et blasphemare. Addit Hieronymus : « Dicebat Hebræus qui me docuit (Barbanina nomine), etiam sic posse verti, Contumeliose Deus suspensus est. » Paulus omittit nomen Dei. Unde S. Hieronymus putat Dei nomen in Deuteronomio olim non fuisse, sed postea ab aliquo Judæo insertum, ut infamiam nobis inureret, qui in Christum a Deo maledictum credimus. Sed hoc non videtur probabile : omnes enim codices Hebræi, Latini, Græci, et Septuaginta (teste S. Hieronymo, quos sequi solet Paulus) habent in *Deuter.* nomen Dei, vel a Deo. Paulus ergo studio Dei nomen omisit propter Judæos ac propter Galatas a Christo semiaversos, ne eos magis ab ipso averteret, si audirent eum a Deo fuisse maledictum.

Locus *Deut.* XXI explicatus et illustratus.

Deus ea ob quæ nocturna pœna vesperam sepelliebatur.

Quæres, quæ fuerit causa hujus legis, cur videlicet voluerit Deus corpora suspensorum ante vesperam sepeliri? Respondet Andreas Masius in *Josue* VIII, 28 : « Quia, inquit, cadaver hoc censetur contaminare terram : imbuit enim homines terræ habitatores impiissima et perniciosissima mortalitatis animæ opinione, dum scilicet humana corpora bestiarum instar honore sepulturæ carere, negligi et projici vident. » Hæc ratio sublimior est, quam germanior : nec enim est adæquata suspensis, sed omnibus quacumque morte peremptis : lex autem jubens cadavera sepeliri, tantum de suspensis loquitur. Melius ergo Cajetanus et alii causam dant, quod scilicet vellet Deus suspensos, utpote facinorosissimos, omnino deleri de terra, adeo ut nec eorum cadavera superessent : in pœnam scilicet et infamiam tantorum scelerum, ob quæ omnino interimi et quasi annihilari merebantur, utpote toti execrabiles et indigni terram tangere et afflare : sic veneficæ, incendiarii, sodomitæ flammis puniuntur, et in cineres rediguntur, quasi sceleratissimi et abominabiles, ideoque omnino de terra eradendi ac in nihilum redigendi.

Ubi notanda est Scripturæ phrasis : solet enim dicere terram sceleribus pollui, gemere, clamare, irasci, vindictam expetere, imo habitatores suos evomere, uti de Chananæis dicit *Levit.* XVIII, 28. Per prosopopœiam enim ad majorem emphasim rei inanimæ, scilicet terræ, tribuitur vita, sensus, gemitus, ira, vomitus; ut significetur enormitas criminum incolarum terræ, quæ

tanta fuit, ut ipsa terra, elementa aliæque creaturæ irrationales suo semper creatori obedientes, et pro illo pugnantes, tantos peccatores detestarentur, eosque quasi evomerent, cum illi ab ea per Deum ac Hebræos expulsi sunt : detestarentur, inquam, appetitu naturali, quo naturæ pondere in ordinem suum ac totius universi bonum, Deique vindicis voluntatem implendam feruntur, et aversantur ea quæ his sunt contraria, puta peccata : idem facturæ appetitu rationali, ac humana detestatione, et eam haberent, ejusque capaces ac compotes essent.

Denique juxta hanc legem *Deut.* Christus, utpote suspensus, eadem die qua crucifixus est, ante vesperam, quia sabbatum et requies ab operibus incipiebat, a cruce depositus et sepultus est, quanquam nec Christus, utpote innocentissimus ac injustissime ad crucem et suspendium condemnatus, hac lege *Deuter.* contineretur. Unde Hebræus ille jam dictus, S. Hieronymi præceptor, ex Hebræo prophetice ita verti posse censuit : « Non permanebit cadaver ejus (Christi) in ligno, quia contumeliose Deus suspensus est. » Nec etiam Judæi hanc legem Christi de cruce depositioni prætexuerunt, sed potius indecori speciem, ne scilicet sabbati insequentis celeberrimi, utpote paschalis, decorem tam infami spectro Christi crucifixi funestarent, ut patet *Joan.* cap. XIX, vers. 31.

Omnes judiciales et cæremoniales leges veteres abrogatæ.

Ubi adverte : Hæc *Deuter.* lex judicialis fuit, ideoque jam per Christi legem et mortem abrogata est, uti et aliæ omnes judiciales et cæremoniales leges veteres. Hinc jam nec præ aliis sonibus suspensi sunt maledicti, nec eadem die sepeliuntur, sed per dies, menses et annos pendent in patibulo ad terrorem cæterorum malefactorum.

Moraliter ac pie S. Hieronymus hic : « Domini (Christi) injuria, inquit, nostra est gloria. Ille mortuus est, ut nos viveremus. Ille descendit ad inferos, ut nos ascenderemus in cœlum. Ille factus est stultitia, ut nos sapientia fieremus. Ille se de plenitudine et de forma Dei evacuavit, formam servi accipiens, ut in nobis habitaret plenitudo divinitatis, et domini fieremus e servis. Ille pependit in ligno, ut peccatum, quod commiseramus in ligno scientiæ, ligno deleret appensus. Crux ejus amaras aquas vertit in dulcem saporem, et securim perditam, in profundumque demersam, missa in fluenta Jordanis levavit. Ad postremum factus est ille maledictio, factus, inquam, non natus, ut benedictiones quæ promissæ fuerant Abrahæ, ipso auctore et prævio transferrentur ad Gentes, et spiritus repromissio per fidem illius compleretur in nobis. » Vide et Chrysostomum et Anselmum.

14. UT IN GENTIBUS BENEDICTIO ABRAHÆ FIERET. Pendet ex vers. præced. Christus nos redemit de maledicto legis « factus pro nobis maledictum, » ut pro maledictione fieret in Gentes benedictionem Abrahæ promissam : nimirum) UT POLLICITATIONEM SPIRITUS (id est, Spiritum Sanctum nos justificantem et sanctificantem, filiis Abrahæ, id est credentibus, promissum) ACCIPIAMUS PER FIDEM, — qua credimus in Christum, Abrahæ filium, in quo hanc benedictionem constituit et consignavit Deus, dicens Abrahæ : « In te, » id est in semine tuo, quod est Christus, « benedicentur omnes gentes, » ut dixi vers. 8.

15. SECUNDUM HOMINEM DICO, — id est juxta morem et consuetudinem hominum loquor. Τὸ enim *secundum* respondet Hebræo *caph*, quod est nota similitudinis, significans *sicut*, *juxta*, *secundum*, *ad instar*. Sic *Job* XXXI, 33, dicitur : « Si abscondi quasi homo (hebraice כְּאָדָם *caadam*, id est, secundum vel juxta hominem, instar hominis, uti homines facere solent) peccatum meum; » et *Psalm.* LXXXI, vers. 7 : « Vos autem sicut homines (hebraice *caadam*, id est juxta hominem, more hominum) moriemini; » et *Osee* VI, 7 : « Ipsi autem sicut Adam (hebraice *caadam*, id est secundum Adam vel hominem, uti Adam fecit, et homo facere solet) transgressi sunt pactum. »

Semen subinde est collectivum, continens omnes certas personas singulares.

Sensus ergo Pauli est, *q. d.* in hac spirituali divinaque re, humano ac vulgari utor exemplo testamenti et testatoris, ut probem nos benedictionem Abrahæ jam dictam hæreditare non per legem, sed per fidem Christi, juxta Dei pactum cum Abraham initum; ut merito pudere vos debeat, o Galatæ, quod minus tribualis Dei, quam hominis testamentis et pactis. Est hic nova et quinta ratio, petita ex Dei pacto et promissione, qua probat nos justificari, non ex lege, sed fide.

Benedictio Abrahæ non per legem sed per fidem data.

TAMEN (*tametsi*, non nisi) HOMINIS TESTAMENTUM (id est pactum, sit) CONFIRMATUM, NEMO (illud) SPERNIT AUT SUPERORDINAT, — id est immutat, aliter ordinat, et disponit ultra quam a testatore ordinatum et dispositum est, hoc est, nec demit, nec addit, nec derogat, nec arrogat. Nota : Græcum ἔμως, id est tamen, subinde *tametsi* significat. Unde Vatablus et alii passim vertunt, *hominis licet testamentum, tametsi sit comprobatum, nemo illud rejicit, aut aliquid illi addit.*

16. ABRAHÆ DICTÆ SUNT PROMISSIONES, ET SEMINI EJUS, — scilicet Genes. XXII, 16 et seq., ubi dicitur : « Quia fecisti hanc rem (ut mihi obedires velles immolare filium tuum Isaac), benedicam tibi, etc., et benedicentur in semine tuo omnes gentes. » Unde colligunt interpretes Abraham hac obedientia filiique victima meruisse, ut ex sua potius stirpe, quam alia, imo ex eodem Isaac, quem immolare voluerat, nasceretur Christus, per quem omnes gentes benedicerentur, et implerentur benedictiones et promissiones Abrahæ factæ. Unde recte Apostolus docet hic promissiones has factas Abrahæ et semini, id est filio, videlicet Christo ex Abrahæ semine nascituro. Licet enim Genes. cap. XXII, tantum dicatur eas Abrahæ factas in semine, non autem et semini ejus : hoc ipso tamen, quo factæ sunt Abrahæ in semine, non tam

Abrahæ sua obedientia meruit Christum sic ex se nasciturum.

Hebræum בְּרִית *berit*, Græcum διαθήκη, et Latinum *testamentum*, idem sunt, significantque quodvis pactum.

Abrahæ, quam semini ejus facta sunt; non secus ac si rex Comiti promittat ac dicat : In filio tuo exaltabo familiam tuam, faciamque eum Ducem et Principem; non tam Comiti, quam Comitis filio benedicit, et Ducatum familiæque exaltationem pollicetur : ita et hic Deus dicens Abrahæ : « In semine tuo benedicentur omnes gentes, » non tam personæ Abrahæ, quam Christo hanc benedictionem, hoc est justificationem ac salutem gentium omnium, pollicetur, illarum scilicet, quas Christi fidem amplectentes Christo credent et obedient.

NON DICIT : ET SEMINIBUS, QUASI IN MULTIS; SED QUASI IN UNO : ET SEMINI TUO, QUI EST CHRISTUS. — Dices : Semen idem est, quod posteritas et posteri : ergo multos significat numero etiam singulari : est enim collectivum nomen sicut populus; quomodo ergo Apostolus concludit : Dicit Scriptura *semini*, non *seminibus*; ergo in uno, scilicet Christo, non in multis, Abrahæ promissiones implentur?

Respondeo : *Semen* subinde collectivum est, et posteros omnes significat, ut cum dicitur : « Erit semen tuum sicut stellæ cœli : » subinde vero certam tantum personam significat, idque ex adjunctis colligi debet : sic sumitur Gen. cap. XXI, vers. 13 : « Sed et filium ancillæ tuæ (Ismael) faciam in gentem magnam, quia semen tuum, » id est filius tuus, « est; » sic et hic debere sumi patet, tum ex S. Pauli hoc loco, et communi omnium interpretum, veterumque Rabbinorum expositione, qui omnes per *semen* hoc intelligunt Christum, per quem Deus omnes gentes benedicet; tum quia alioqui, si *semen* priore significatione ut collectivum acciperetur hic, falsa esset hæc prophetia et promissio : constat enim in posteritate Abrahæ, id est, in populo Judaico, omnes gentes non esse benedictas, imo Judæos aliæ omnes gentes aversabantur, erantque Judæi probrum et maledictum Gentium (1).

Deut. 27. 17. HOC AUTEM DICO, TESTAMENTUM CONFIRMATUM A DEO : QUÆ POST QUADRINGENTOS ET TRIGINTA ANNOS FACTA EST LEX, NON IRRITUM FACIT AD EVACUANDAM PROMISSIONEM. — *q. d.* Ut dixi vers. 15, hominis testamentum et pactum nemo irritare audet aut potest : multo ergo minus testamentum, id est pactum Dei cum Abrahamo initum, « in Christum » (ut addunt Græca), id est de Christo omnes gentes benedicturo, irritare potuit lex longe posterior, utpote quæ demum post 430 annos ab hac promissione data est in Sina. Ita Œcumenius.

Nota : Hic et alibi hæc tria, scilicet Hebræum בְּרִית *berit*, Græcum διαθήκη, et Latinum *testamentum*, idem sunt, significantque quodvis pactum. Hoc enim adæquate in Scriptura significat He-

(1) Ea Scripturæ loquia ita passim interpretantur *Christum*, in *Christo* S. I. tropice sit intelligendos de ejus discipulis, seu Ecclesia, quod a Paulo frequentatum esse genus loquendi illi, perinde ac *Israelis* nomen de Israelitis sæpe usurpatur.

brum *berit*, quod Septuaginta vertunt διαθήκην, et Latinum Testamentum idem sunt et significant.

Unde inchoandus computandus annus 430 annorum?

QUÆ POST QUADRINGENTOS ET TRIGINTA ANNOS FACTA EST LEX. — Gravis hic quæstio est de hisce annis, unde inchoari debeant : nam de fine et termino illorum satis constat, terminari scilicet illo anno, quo data est lex Judæis in Sina per Mosen, ut hic dicitur. Videtur enim hic Pauli annorum computus pugnare cum *Exod.* XII, 40, ubi dicitur : « Habitatio autem filiorum Israel, qua manserunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum; » habitare enim cœperunt in Ægypto cum Jacob, urgente fame, vocatus a Joseph filio eo descendit. Ab hoc Jacobi in Ægyptum descensu usque ad exitum Hebræorum ex Ægypto, sunt 430 anni, quomodo ergo Apostolus ab Abraham totidem tantum numerat, cum ab Abraham usque ad descensum hunc Jacobi effluxerint plusquam ducenti anni, et consequenter ab Abraham usque ad exitum Hebræorum ex Egypto non tantum 430, sed 630 numerare debuisset?

Inchoanda computatio ab anno 75 vitæ Abrahami, quo anno vocatus a Deo est e patria.

Dico breviter cum Augustino, Quæst. XLVII in *Exod.*, cum Athanasio, vel potius Anastasio in *Synopsi S. Scripturæ*, in *Exod.*, cum Eusebio in *Chronico*, cum Ruperto, Abulensi, Cajetano in *Exod.* XII, eosdem esse annos quos Paulus hic numerat, cum illis quos Moses computat loco *Exod.* citato, scilicet cap. XII, vers. 40, ac utrosque inchoandos esse non a descensu Jacobi in Ægyptum, sed ab anno 75 Abrahami, quo anno Abraham evocatus a Deo cœpit a domo ac patria sua, Haran scilicet, peregrinari versus terram Chanaan : hoc enim anno 75 vitæ suæ benedictiones et promissiones illas, de quibus hic Apostolus, accepit, ut patet *Gen.* XII, initio capitis.

Patet hoc *primo* : nam clarum est Hebræos a descensu Jacobi non habitasse 430 annos in Ægypto, ex eo quod Caath descendit cum avo suo Jacob in Ægyptum, Caath autem vixit 133 annos, cujus filius Amram 137 annos vixit. Hic Amram genuit Mosen, Mosis autem anno 81 egressi sunt Hebræi ex Ægypto. Quæ omnia patent *Exod.* VI, 18 et 20, et *Exod.* VII, 7; quos annos si simul omnes jungas, non summam 430, sed 344 tantum conficient. Ab hisce vero annis demendi sunt anni Caath, quibus vixit postquam genuit Amram, et anni Amram, quibus vixit postquam genuit Mosen : illi enim anni Caath in annis Amram, et reliqui anni Amram in annis Mosis, quibus patri suo Amram convixit, continentur. Hinc sequitur hos annos 430 Exodi, non a descensu Jacob, sed longe antehac, a peregri-

natione scilicet Abrahæ ex Haran versus Chanaan, arcessendos et inchoandos esse, idque diserte exprimunt Septuaginta, *Exod.* cap. XII, cum vertunt : « At habitatio filiorum Israel, quam habitarunt ipsi et patres eorum in terra Ægypti et Chanaan, fuit quadringentorum triginta annorum. »

Prob. *secundo*, quia Apostolus hic post 430 annos non a Jacobi, sed ab Abrahæ vocatione, peregrinatione et promissione numerandos, factam ait legem : atqui lex eodem anno est data, quo egressi sunt Hebræi ex Ægypto, mense videlicet tertio, quo egressum, ut dicitur *Exod.* XIX, 1. Vide quæ dixi *Exod.* XII, 40.

18. NAM SI EX LEGE HEREDITAS (si ex lege Mosis hæredes efficimur benedictionis Abrahæ, hoc est justitiæ et salutis, ergo) NON EX PROMISSIONE. — Sed hoc est falsum, quia hanc benedictionem donavit Deus per repromissionem, promittens scilicet Abrahæ semen, id est Christum, in quo, et per quem omnes gentes quæ in eum crederent, benedicerentur; si ex promissione Christi, ergo ex fide Christi, non ex lege Mosis hæc benedictio Abrahæ promissa gentibus omnibus obtigit : promissio enim jam dicta fidem Christi involvit, uti patet eam perlegenti.

19. QUID IGITUR LEX? — Ad quid lex post promissionem subinducta fuit, si Dei non explet promissionem, si promissam Abrahæ benedictionem non complet? Respondet, legem a Deo positam et datam esse propter transgressiones, scilicet puniendas et coercendas, ait Hieronymus et Chrysostomus; hoc enim directe intendit legislator Deus, cum legem tulit; indirecte vero, ut ait Augustinus, propter transgressiones, scilicet declarandas, posita est lex, ut nimirum populus superbus, visa lege, agnosceret peccata sua quæ contra legem committit, sibique Christi gratia opus esse ad eam implendam; itaque lex tacite homines ad Christum transmittebat. Unde subdit :

Lex homines transmittit ad Christum.

DONEC VENIRET SEMEN (hoc est Christus) CUI PROMISERAT, — Deus scilicet, per eum benedicendas esse gentes, hoc est justificandas, ut pie deinceps ac juste vivere, legemque implere possint, *q. d.* Data est lex quasi pædagogus noster, usque ad Christum; ergo Christo jam præsente, officio suo perfuncta est, quid ergo ulterius eam prorogare vultis, o Judæi? Ita Chrysostomus.

PROPTER TRANSGRESSIONES POSITA EST, — διαταγείς, disposita est suo ordine, uti miles suo loco et ordine in acie a duce disponitur : sic et lex suo et apto ordine, tempore, loco, modo disposita, et quasi in acie ordinata fuit.

Lex rectus non ordine, tempore, loco, modo ordinata est.

Primo, suo ordine, quia inter legem naturæ et Evangelium, quasi media intercessit : quia perfectior fuit lege naturæ, sed imperfectior Evangelio, fuitque via et præparatio ad Evangelium.

Secundo, suo tempore, quia populo illi rudi, mox ut Ægypto eductus in unam gentem rempublicam et ecclesiam ab aliis gentibus separatam coalescere cœpit, data est lex, ne ad idololatriam et libertatem aliarum gentium difflueret.

Tertio, suo loco, quia in Sina ante ingressum in Chanaan facta est quasi conditio fœderalis : promisit enim Deus se Hebræos in Chanaan inducturum, eamque illis in possessionem traditurum, si legem quasi prævium ducem sequerentur, eamque quasi pacti ac fœderis conditionem observarent.

Quarto, suo modo, quia legem illam angelus ex Sina voce tubali, cum terrifico terræ motu, fulguribus ac tonitru toti populo proclamavit et promulgavit, quasi legem timoris et terroris, ad duros ac rebelles Judæos quasi servos ejus metu et pœnis in officio continendos. His quatuor modis externus ordinata fuit lex.

Quinto, interius ordinata fuit, quia ipsa legis præcepta rectissime ordinata sunt, ordinabantque Hebræos *primo*, ad Deum per cæremonias et sacrificia rite colendum; *secundo*, ad proximum non lædendum, vel, si læsus esset, ad ei juste satisfaciendum per leges judiciales; *tertio*, ad hominem in seipso rite componendum per leges morales decalogi.

Sic et lex nova quintuplici modo fuit ordinata.

Consequenter simili modo longe ordinatior fuit lex nova Christi, quæ veteri successit. *Primo*, quia data fuit suo ordine, ultimo scilicet loco quasi perfectissima, et apex legum omnium.

Per mediatorem hic non Christum, sed Mosen intelligit.

Secundo, suo tempore, ultima scilicet mundi ætate, cum venit Christus ejus legislator, data est et promulgata in Pentecoste, quinquagesima scilicet die a Paschate, quæ plenæ remissionis, libertatis, felicitatis, æternitatis æternique jubilæ est symbolum.

Tertio.

Tertio, suo loco, scilicet non in Sina, sed in Sion, quæ typus est ac quasi specula gloriæ cœlestis, ad quam hæc lex nos inducit, de quo cap. sequenti.

Quarto, suo modo, quia cum spiritu vehementi, et linguis igneis, Spiritusque Sancti efficacia ac zelo prædicandi, et convertendi gentes quaslibet, data et lata est, quasi lex igniti amoris et incensæ charitatis.

Quinto, quia in se ordinatissima est per præcepta fidei, spei, justitiæ, charitatis et Sacramentorum.

Deus per angelum tradidit legem Judæis aliasque legem.

ORDINATA PER ANGELOS. — Hinc patet, Deum non per se locutum fuisse Mosi, sed per angelum, qui tamen Dei personam sustinuit, loquiturque quasi Deus, cum ait : « Ego sum Dominus Deus tuus, » *Exod.* XX, 2 : sicut legatus regis loquitur in persona, nomine et auctoritate regis sui. Angelus ergo vice Dei immediate legem decalogi ex Sina promulgavit toti populo, *Exod.* XX. Alias vero cæremoniales leges de fabrica tabernaculi, arcæ, Cherubim, de sacrificiis, de lustrationibus, quæ Levitico enarrantur, et judiciales, quæ *Exod.* XXI, 22, et sparsim in Pentateucho præscribuntur, angelus cum Mose in Sina colloquens Mosi tradidit, ut ipse eas populo promulgaret (1).

Manus quodvis instrumentum significat.

IN MANU MEDIATORIS. — Nota hebraismum *in manu*, id est *per*, *q. d.* Per mediatorem : quia enim manus est membrum per quod operatur homo, et quasi organum organorum, hinc *manum* Hebræi vocant quodvis instrumentum per quod Deus, vel angelus, vel homo operatur : sic dicitur verbum Domini factum in manu Eliæ, Isaiæ et aliorum Prophetarum, id est per Eliam, Isaiam et alios Prophetas tanquam Dei organa et instrumenta.

MEDIATORIS. — Μεσίτου, Vatablus, *intercessoris*; Erasmus, *conciliatoris*; Noster ad verbum et adæquate vertit, *mediatoris* : mediator enim latius patet quam conciliator; qui enim mediat inter duos et intervenit, sive quasi *internuntius*, sive quasi interpres, sive quasi conciliator, utriusque dicitur mediator.

Quæritur, quis hic intelligatur *mediator*? S. Hieronymus, Chrysostomus, Augustinus, Ambrosius, intelligunt Christum Dominum : licet enim Christus tempore Mosis necdum esset actu, ac consequenter necdum mediator esset, erat tamen in decreto et destinatione Dei, *q. d.* Lex vetus data fuit potestate et auctoritate Christi mediatoris jam prædestinati a Deo : ergo sicut in Christi potestate fuit legem per Mosen dare, ita et in eiusdem potestate fuit eamdem per se jam natum abrogare.

Secundo et melius Cyrillus, lib. XII *Thesauri*, cap. X; Nazianzenus, *orat.* 6 coram Gregorio Nysseno; Catharinus, Adamus et alii, immo et Beza, intelligunt Mosen, qui *Deut.* V, 5, dicit se sequestrum fuisse et medium inter Deum et populum.

Probatur primo.

Patet *primo*, quia Christus dici non potest mediator ut Deus, sed ut Deus homo factus; atqui tempore Mosis necdum erat homo : ergo necdum dici poterat mediator. Major patet, quia Christus, qua Deus tantum, sicut et qua homo tantum, pars est et alterum extremorum : ergo ut sic, mediator non est, sed ut est Deus homo : ut enim est Deus homo, sic utramque partem et extremum, scilicet tam Deum, quam hominem in se quasi medio junxit et univit, atque qua Deus, mediatoris auctoritatem et dignitatem; qua homo, mediatoris opera, passiones et merita exercuit.

Dices : Tempore Mosis Christus erat non actu, sed potestate et prædestinatione Dei. Contra, Apostolus mediatorem hic intelligit non potestate, sed actu; quia per mediatorem hunc dicit ordinatam esse legem veterem, acta scilicet cum illa lex data est Hebræis; atqui Christus, utpote necdum existens, non potuit illam legem ordinare cum data est Hebræis in Sina : ergo non potuit tunc esse mediator illius legis; quod enim non est, operari non potest, aut quidquam ordinare.

Secundo, *vi per angelos in manu mediatoris* significat angelos per ministerium mediatoris dedisse legem; atqui Christus dici non potest minister angelorum, sed angelorum dux est et princeps, *ad Hebr.* I : ergo hic mediator non est Christus.

Tertio, lex vetus proprie data est per Mosen, sicut nova per Christum : ergo sicut Christus novæ legis et novi Testamenti est mediator, ita Moses veteris.

Quarto.

Quarto, id docet Apostolus *ad Hebr.* cap. VIII, vers. 5 et 6, et cap. IX, vers. 15, 19 et 20.

Sancti mediatores notati, qui possunt contra Novatores.

Quod nota contra Novantes; si enim Moses dicitur *justus*, id est *mediator*, sine Christi mediatoris injuria, ut etiam Beza fatetur, mediator, inquam, non quia conciliator, pacificator et redemptor Hebræorum fuit, sed quia eorum internuntius fuit apud Deum : cur non magis Sancti mediatores nostri, sine Christi mediatoris et redemptoris injuria, dici possint, qui suis meritis et precibus gratiam Dei nobis conciliant? Mirum sane est Novantes ita de hoc nomine tricari, et plebi fucum et umbras facere, cum de sensu et re ipsa, imo et de nomine, ut hic patet, constet.

Sensus ergo Apostoli est, *q. d.* Lex vetus ab angelis data est, et lata per Mosen, nova vero per Christum ipsum, qui Deus est et homo, quique uti qua Deus legem veterem per Mosen tulit, ita potuit eamdem, cum natus est homo, per se abrogare, ut juxta promissiones Abrahæ factas, in semine ejus, hoc est, in seipso ex Abraham nato, Gentes omnes benediceret, id est justificaret et salvaret.

Vers. 20. Quintuplex hæresis vetustissima.

20. MEDIATOR AUTEM UNIUS NON EST, — sed duorum, scilicet populorum, puta Judæorum et Gentium mediator est Christus, ait Ambrosius.

Secundo, « mediator Christus unius non est, » naturæ scilicet, sed duarum, puta humanæ et divinæ.

Tertio, « mediator (Moses) unius non est, » scilicet voluntatis, decreti et consilii, sed est mutabilis, quia homo est; Deus autem in sua voluntate et promissione est immutabilis. In hanc propendet Adamus; sed hæc omnia remota sunt a phrasi Scripturæ, et mente ac scopo Apostoli : ergo, etc.

Quarto, et melius, « mediator est Christus, non unius, » sed duorum, non Deorum, quasi unus sit Pater, alter sit Filius, uti commenti sunt Arius et Nestorius : Deus enim unus est et idem, non duo. Non etiam Christus mediator est duorum, scilicet Dei et angelorum, ut videlicet angelos Deo conciliet, quia angeli sancti eo non indigent, dæmones vero, utpote damnati, eo juvari non possunt : sed mediator duorum, vel inter duos, videlicet Deum et homines, *q. d.* et inferat : Ergo

(1) Angelorum in lege ferenda commemoratio hanc habet vim, ut intelligatur id, quod est universa oratione Pauli tractatum, parum auctoritatis habere Mosaicam legem, si comparetur cum Evangelio, quod ab ipso Dei Filio hominibus propositum sit. Nec alia de causa addita sunt sequentia, *in manu Mediatoris*, scil. Moysis. Ergo stat promissio Abrahæ facta a Deo ipso, absque angelorum aut hominis cujusdam ministerio.

non lex, sed Christus nos homines redimit, justificat Deoque reconciliat. Ita Augustinus, Theophylactus, Anselmus.

Quinto et planissime, hæc videtur Apostoli esse mens, ut *mediatoris* nomen explicet, *q. d.* Mediator, quem dixi, Moses, « non est unius, » sed duorum certorum et determinatorum, Dei scilicet et Hebræorum, non autem Christianorum (ad quos vel maxime spectat benedictio, id est justitia et salus, Abrahæ promissa) Moses fuit mediator et interpres : Deus vero unus est, non duo. Itaque in hisce verbis vim argumenti non ponit Apostolus, nisi oblique et inchoate, sed tantum in iis explicandis ludit per antithesin, ut scilicet opponat mediatorem, qui duorum est, Deo, qui unus est, in quo facit præcipuam vim, uti jam dicam.

DEUS AUTEM UNUS EST, — *q. d.* Non sunt duo dii, quorum unus sit Deus legis et Judæorum, alter sit Deus Abrahæ et Christianorum, uti voluerunt Manichæi et Judæi : sed unus est Deus Judæorum et Christianorum, idem auctor legis et Evangelii, ac consequenter hic unus et idem Deus per legem, quam dedit Judæis, noluit promissionem suam Abrahæ factam revocare, de benedictione nimirum et justitia acquirenda per semen Abrahæ, id est per Christum Christique fidem et Evangelium : alias enim fuisset inconstans et sibimet contrarius : quod vel cogitare est impium ; sed potius legem dedit, ut per eam quasi pædagogum ad Christum nos perduceret, ut a Christo benedictionem et justitiam Abrahæ promissam consequeremur. Unus ergo idemque Deus fecit Mosen mediatorem inter se et Hebræos ; modo eo revocato alium, puta Christum, fecit mediatorem inter se et Christianos omnium gentium, atque per Christum benedixit et justificavit omnes Gentes, uti promiserat Abrahæ.

Hunc esse sensum Apostoli patet ex simili loco I *Tim.* II, 5, ubi ex eo quod unus est Deus omnium gentium et hominum, probat illum velle omnes homines salvos fieri, et ex eodem principio deducit quod unus sit mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, *q. d.* Deus vult non solos Judæos, sed et omnes Gentes salvas fieri. Rursum non soli Judæi, sed et omnes Gentes in peccatum prolapsi indigent reemptore et mediatore. Is autem non potest esse Moses, utpote qui tantum Judæorum fuit mediator ; ergo is sit Christus oportet : illi ergo Moses cedere debet. Christus enim est semen illud Abrahæ, in quo promisit Deus benedicendas esse omnes Gentes, ita Genadius apud Œcumenium, et ex eo Salmeron (1).

21. LEX ERGO ADVERSUS PROMISSA DEI? — Occurrit objectioni, ut recte Hieronymus, cujus occasionem dedisse videtur vers. 19, cum ait : « Lex propter transgressionem posita, » vel, ut græce προστέθη, *adjuncta est*, « donec veniret semen ; » inde enim quis colligat : Si lex promissioni adjuncta est, et quasi adrepsit, videtur quod sibi usurparit officium vivificandi et justificandi homines, ut scilicet illud, quod promissio continebat, exequeretur, eoque fungeretur donec veniret Christus ; ad quid enim aliud adjungeretur promissioni? ad quid aliud præverteret Christum? nisi, ut tu ipse ais, *propter transgressiones*, scilicet abolendas per viva virtutum opera, quæ lex præscribit, ut iis justificemur. Quod si ita est, ergo lex adversatur promissis Dei : Deus enim hanc vivificationem et justificationem promisit fidei in Christum, non legi, imo hoc ipso ab ea legem exclusit. Vers. 21. Ita lex non est adversa, sed ad hæc Christi.

Hunc esse sensum, patet ex sequent. Hanc enim interrogationem et objectionem excludens subdit : « Absit, » id est hoc de lege dici non potest. « Si enim data esset lex, quæ posset vivificare, vere ex lege esset justitia, » *q. d.* Lex non potest vivificare ; ergo non est contra Dei promissa, quæ vitam spiritalem promittunt dandam per Christum. Antecedens probatur, quia si lex vivificare posset, posset et justificare : hoc autem non potest, quia « conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus. » Lex itaque tantum data est, ut esset pædagogus noster ad Christum, ut ex fide justificaremur, *q. d.* Cum dixi legem positam propter transgressiones, intellexi, ut scilicet eas metu pœnæ coerceret, ne in opus externum prorumperent, non autem quasi internam concupiscentiam potuerit sola lex compescere, suggerendo spiritum vitalem gratiæ, quo vivaci amore, gratia et spiritu legem impleamus.

ABSIT, — *q. d.*, ait Anselmus : Fieri hoc nequit ut dederit Deus legem, quæ adversaretur promissis suis, quia jam in hoc sibipsi Deus foret contrarius ; nunquam lex subsequens adversata est præcedentibus promissis, sed ut homines digne se præpararent ad ea a Christo Christique fide accipienda, jugiter admonuit : hacteaus Anselmus. Ergo lex non est contraria promissioni, sed potius eam juvat, stabilit et firmat.

SI ENIM DATA ESSET LEX, QUÆ POSSET VIVIFICARE, VERE EX LEGE ESSET JUSTITIA. — « Vivificare, » hoc est, animæ vitam, nempe justitiam, tribuere : sed quia ex vita hac infert justitiam quasi distinctam, hinc *secundo* et melius, « vivificare » est facere ut viva sint hominis opera : quod fit dum homo vitalia opera et actiones virtutum ex interno charitatis et gratiæ spiritu exercet. Argumentatur ab effectu ad causam, a vitali scilicet opere ad vitam, sive animam ; sicut enim recte sequitur : Ille homo comedit, loquitur, discurrit ; ergo habet animam et vitam : ita similiter, si lex posset in nobis vitalia spiritus opera edere, sequeretur posse eumdem nobis spiritum charitatis et gratiæ, ipsamque justitiam tribuere ; nec enim opera spiritus edi exercerive possunt sine spiritu, sicut nec opera vitæ sine anima.

22. SED (ex lege non est justitia, quia) CONCLUSIT (id est declaravit, et sententiæ suæ auctoritate pronuntiavit) SCRIPTURA OMNIA (id est omnes concludi) SUB PECCATO, — hoc est, omnes esse peccatores, peccati reos, peccato obnoxios. Est hebraismus : verbum reale ponitur pro mentali vel vocali, juxta *Can.* 36. Scripturam hoc concludentem et pronuntiantem citat *Rom.* III, 9. Nota : ad auxesin pro *omne* dicit « omnia. »

UT PROMISSIO (promissa Abrahæ benedictio, id est justitia, salus et hæreditas) EX FIDE (hoc est per) CHRISTI (fidem) DARETUR CREDENTIBUS. — Ita Anselmus.

23. PRIUS AUTEM QUAM VENIRET FIDES, SUB LEGE CUSTODIEBAMUR CONCLUSI (quasi servi in disciplina, in custodia et carcere onerosæ legis, quæ suis pœnis quasi cancellis et septis nos a peccato continebat et coercebat) IN EAM FIDEM, QUÆ REVELANDA ERAT, — ut scilicet per legis reprehensionem, minas et ostensionem pœnarum formaremur, præpararemur, aspiraremus ad fidem, libertatem et justitiam per Christum dandam. Ita Anselmus et Theophylactus.

Vers. 24. 24. ITAQUE LEX PÆDAGOGUS NOSTER FUIT. — « Pædagogus, » id est puerum agens et ductans, ait Hieronymus. Græcis dicebatur servus, qui puerum quocumque iret, ducebat, curabat, regebat, quique primum ejus ætatem lascivientem, et in vitia proclivem, virgis coercebat, formabat, disciplinis puerilibus imbuebat, et ad altiora præparabat. Talis fuit lex, quæ Hebræos quasi pueros instituit, coercuit, formavit, præparavit. Lex est pædagogus homines ducens ad Christum.

IN CHRISTO (græce εἰς Χριστὸν, ad Christum) UT FIDE (ejus renati) JUSTIFICEMUR. — Pulchre per prosopopœiam pædagogi personam tribuit legi et Mosi ; fidei vero et Christo personam Patris, quia Christi fide renascimur, fimusque Christi ac Dei filii, atque ex parvulis, quales eramus sub lege, subito quasi transformamur in ætatem, staturam et formam virilem.

Vers. 26. 26. OMNES ENIM (sive Judæi, qui fuistis sub lege, quasi pædagogo ; sive Gentiles, qui hoc pædagogo caruistis, hoc ipso, quo credidistis per fidem Christi) FILII DEI ESTIS. — Nota : Conjunctio causalis *enim* causam significat cur non simus sub lege, quasi pædagogo, quia scilicet sumus filii Dei. Pueri enim cum sint quasi servi, ut ait cap. IV, vers. 1, imo quasi animalia et bestiolæ, quæ solo sensu reguntur, pædagogo egent : qui vero sunt pueritiam hanc trangressi per fidem Christi, factique filii Dei, creverunt in virum perfectum : ridiculum ergo esset eos quasi infantes adhuc et pueros pædagogo, id est legi, subjici : perinde enim esset, ait Theophylactus, ac si, cum dies illuxerit, solem quis videre nollet, noctem cernuam. Id magis explicat Apostolus initio cap. sequent. Pungit Judaizantes, *q. d.* Christos quasi pater nos quasi filios adultos regit et provehit, quid ergo ad legem et Mosen quasi pædagogum recurritis? quid rursum tanquam pueri ferulæ manum subditis? Christiani pædagogo, id est lege, non egent.

PER FIDEM QUÆ EST IN CHRISTO, — in Christum ; idem enim est credere Christo, in Christo et in Christum, ut dixi cap. II, vers. 16.

OMNES ENIM ESTIS FILII DEI PER FIDEM. — Non solum, sed baptismo, ut patet vers. seq., et aliis fidei actibus declaratam et protestatam. Vide *Can.* 3. Efficacia baptismi contra Novantes demonstratur.

Vers. 27. 27. QUICUNQUE ENIM IN CHRISTO (hoc est, in fide ac baptismo Christi, non Mosis, non Joannis Baptistæ baptismo) BAPTIZATI ESTIS. — Nota : Mutat personam primam in secundam ; vers. enim præced. dixit, *non sumus*, scilicet nos Judæi, sub pædagogo : hic autem in secunda dicit, *omnes enim estis*, quia a se et Judæis transit ad alios, Galatas videlicet et Gentes. Duplex hujus loci explicatio.

CHRISTUM INDUISTIS, — copiosam Christi gratiam, dona, virtutes accepistis in baptismo, iis quasi veste circumfusi et amicti estis (Hebræis enim induere significat copiose et abunde aliqua re perfundi et imbui, ut dixi *Can.* 28), ita scilicet ut facti sitis consortes divinæ naturæ et filiationis, ac consequenter divinarum operationum, per quas Christus in vobis moribusque vestris reluceat, « ut conversatio vestra quasi vestis splendida sit sanctitas Christi et christianitatis, » ait Anselmus.

Hinc *secundo* et melius : sicut materia formam, corpus animam quasi vestem substantialem induit, ut ea suam deformitatem, nuditatem et ruditatem tegat et ornet ; ita vos in baptismo Christum per gratiam induistis, ut Christi spiritus sit quasi forma et anima vestra ; ac consequenter ad unam cum Christo cognitionem, compositionem et filiationem reducti estis, ut, sicut Christus Filius Dei est per naturam, ita vos sitis filii Dei per gratiam et adoptionem. Ita Chrysostomus et Theophylactus. Vult enim (ut patet ex rationali *enim*) probare eos esse filios Dei ex eo quod Christum, qui Filius Dei est naturalis, induerint, sintque unum cum ipso, et quasi ipse Christus : de quo dixi I *Cor.* XII, 12.

Nota efficaciam baptismi, quod non tantum gratiam et dona, sed et ipsum Christum nos induat, ut ait Apostolus, eoque nos vestiat et ornet. Quid ad hæc Novantes, qui docent baptismum nudum esse signum justitiæ per fidem acceptæ? Efficacia baptismi contra Novantes demonstratur.

Pulchre de hac veste baptismali Christi tum in-

(1) Alia in explicando vers. 20 excogitarunt hodierni interpretes, quæ omnino omittere ingratum forsan esset. Noesseltus sic explicat : *Ille autem* (Moses nempe) *mediator illius unius* (prout Abrahamicus) *non est ; Deus autem est unus* (communis omnium) *Deus*, ut sensus sit : Internuntius iste, Moses, unus Israelitum gentis, sive eorum liberorum Abrahami causa erat constitutus, qui proprie essent tales, seu ab eo generati ; propter alterum genus, hoc est, gentium, seu fide similium Abrahami nullo modo, id est, quoad gentes nullum suscepit negotii, nec iis edidit legem : ex quo fit, ut gentes, quibus tamen Abrahamo promissa sunt destinata, Mosis et legis ab eo latæ interventu gratiosæ esse Deo non possint. *Deus autem est unus* communis omnium Gentiumque quam gentibus non sit prospectum per Mosen, alia est ad salutem via, alio opus internuntio, Christo.

terna et spiritali, tum externa et corporali, quæ pulcherrima adultis olim, in baptismo dabatur in signum et symbolum internæ, S. Agnes apud S. Ambrosium, *serm.* 90 : « Ornavit me, inquit, inæstimabili dextrocherio, dextram meam et collum meum cinxit lapidibus pretiosis, tradidit auribus meis inæstimabiles margaritas, et circumdedit me vernantibus atque coruscantibus gemmis; posuit signum in facie mea, ut nullum præter ipsum amatorem admittam; induit me cyclade auro texta, et immensis monilibus ornavit me. » Et infra : « Jam mel et lac ex ore ejus suscepi; jam amplexibus ejus castis astricta sum; jam corpus ejus corpori meo sociatum est, et sanguis ejus ornavit genas meas, » scilicet Eucharistia, quæ olim baptizatis dabatur, ut perfecte unirentur et incorporarentur Christo : iisdem dabatur lac et mel in symbolum suavitatis Christi et legis Christianæ, quam imbant.

28. NOS EST JUDÆUS, SEQUE GRÆCUS. — Supple, « in Christo, » ut sequitur, id est in christianismo, ait Hieronymus. In baptismo et fide Dei jam dicta nulla apud Deum est differentia generis, conditionis aut sexus : sed omnes, sive Judæi, sive Græci, id est Gentiles; sive servi, sive liberi; sive masculi, sive feminæ, unum sunt corpus mysticum, scilicet Ecclesia, cujus caput est Christus.

Duplex horum verborum sensus intelligentia.

Secundo, et aptius, *unum*, vel, ut Chrysostomus legit, *unus estis*, id est unam formam, unam vitam et animam, quasi vestem jam dictam, unam eamdemque figuram, scilicet non angeli alicujus, sed Christi, induistis et habetis omnes, puta fidem, charitatem Christique mores, ut videamini omnes esse unus homo, esse unus Christus. Ita Chrysostomus, Theophylactus et Anselmus, qui inquit : « Unum estis unitate fidei et charitatis Christi, » *q. d.* Apostolus : Nihil ergo Judæi ex judaismo peculiare habent, quo ipsi vos Galatas aliosque Gentiles invitent ad judaismum, cum tantum ex Christo et christianismo participent Gentes, quantum Judæi.

29. SI AUTEM VOS CHRISTI (scilicet quasi capitis estis membra, et quasi animæ estis corpus mysticum jam dictum), ERGO (uti Christus, ita et vos) SEMEN (id est filii) ABRAHÆ ESTIS, — ac consequenter benedictionis Abrahæ promissæ, id est, justitiæ et salutis, estis hæredes. Unde clarius et apertius sic præcedentia legit Ambrosius : « Si ergo vos unum estis in Christo, ergo semen Abrahæ estis. »

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prosequitur id quod dixit in fine cap. III, *scilicet Judæos quasi parvulos et servos sub lege quasi tutore et pædagogo fuisse : Christianos autem quasi filios jam adultos non lege, sed spiritu adoptionis agi, et clamare, Abba Pater; ac proinde indignum esse si ad infirma et egena legis elementa recertantur.*

Secundo, vers. 13, *ostendit, quanta aviditate, studio et reverentia Galatæ se, suamque prædicationem antea complexi sint, ut pudeat eos, si tam leviter ab ea resiliant.*

Tertio, vers. 21, *novum argumentum adfert ex allegoria Abrahæ, cujus ex Sara libera filius et hæres Isaac significabat Christianos, quasi ingenuos Dei filios, liberos esse a lege veteri, et benedictionis Abrahæ fore hæredes : Ismael vero ex serva Agar genitus et ejectus, significabat judaizantes a benedictione Abrahæ Deique excludendos.*

1. Dico autem : Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt a servo, cum sit dominus omnium; 2. sed sub tutoribus et actoribus est usque ad præfinitum tempus a patre : 3. ita et nos cum essemus parvuli, sub elementis mundi eramus servientes. 4. At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, 5. ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. 6. Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem : Abba, Pater. 7. Itaque jam non est servus, sed filius. Quod si filius, et hæres per Deum. 8. Sed tunc quidem ignorantes Deum, iis, qui natura non sunt dii, serviebatis. 9. Nunc autem cum cognoveritis Deum, imo cogniti sitis a Deo : quomodo convertimini iterum ad infirma et egena elementa, quibus denuo servire vultis? 10. Dies observatis, et menses, et tempora, et annos. 11. Timeo vos, ne forte sine causa laboraverim in vobis. 12. Estote sicut ego, quia et ego sicut vos : Fratres, obsecro vos : Nihil me læsistis. 13. Scitis autem quia per infirmitatem carnis evangelizavi vobis jam pridem, et tentationem vestram in carne mea 14. non sprevistis, neque respuistis : sed sicut angelum Dei excepistis me, sicut Christum Jesum. 15. Ubi est ergo beatitudo vestra? Testimonium enim perhibeo vobis, quia, si fieri posset, oculos vestros eruissetis, et dedissetis mihi. 16. Ergo inimicus vobis factus sum, verum dicens vobis? 17. Æmulantur vos non bene : sed excludere vos volunt, ut illos æmulemini. 18. Bonum autem æmulamini in bono semper, et non tantum cum præsens sum apud vos. 19. Filioli mei, quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis. 20. Vellem autem esse apud vos modo, et mutare vocem meam : quoniam confundor in vobis. 21. Dicite mihi qui sub lege vultis esse : legem non legistis? 22. Scriptum est enim : Quoniam Abraham duos filios habuit : unum de ancilla, et unum de libera. 23. Sed qui de ancilla, secundum carnem natus est : qui autem de libera, per repromissionem. 24. Quæ sunt per allegoriam dicta. Hæc enim sunt duo testamenta. Unum quidem in monte Sina, in servitutem generans : quæ est Agar. 25. Sina enim mons est in Arabia, qui conjunctus est ei, quæ nunc est Jerusalem, et servit cum filiis suis. 26. Illa autem, quæ sursum est Jerusalem, libera est, quæ est mater nostra. 27. Scriptum est enim : Lætare, sterilis, quæ non paris; erumpe, et clama, quæ non parturis : quia multi filii desertæ, magis quam ejus, quæ habet virum. 28. Nos autem, fratres, secundum Isaac promissionis filii sumus. 29. Sed quomodo tunc is, qui secundum carnem natus fuerat, persequabatur eum qui secundum spiritum : ita et nunc. 30. Sed quid dicit Scriptura? Ejice ancillam, et filium ejus : non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ. 31. Itaque, fratres, non sumus ancillæ filii, sed liberæ; qua libertate Christus nos liberavit.

1. DICO AUTEM. — Redit ad dicta cap. præced., vers. 24 et 25, ubi dixit : « Lex pædagogus noster fuit in Christo; at ubi venit fides, jam non sumus sub pædagogo. » Id latius hic probat et prosequitur, incipitque ab exemplo parvuli, qui sub tutoribus est : græce enim pro *dico autem*, est λέγω δέ, quod clarius verti potest, Quod dico, talo est; aut, illud autem est, quod dico : sic enim solet loqui Paulus cum sua dicta interpretari incipit, dicitque λέγω δέ.

QUANTO TEMPORE HÆRES PARVULUS EST (græce νήπιος, id est *infans*, hoc est, ea quæ nondum sapit ætate) NIHIL DIFFERT A SERVO. — Quia quasi servus regitur a tutore et pædagogo, nec dominio hæreditatis suæ uti potest, perinde atque si servus esset, non dominus; imo servo, scilicet pædagogo suo, subjectus est, estque sub tutoribus et actoribus.

Vers. 1.

2. ACTORIBUS. — Οἰκονόμους, id est, *œconomis* et dispensatoribus, qui res et bona parvuli administrant; Syrus, *procuratoribus*.

Quamdiu durat tempus pupillare.

AD PRÆFINITUM TEMPUS. — Græcum προθεσμία significat, teste Budæo, diem præscriptam, ad quam durabat jus et administratio tutorum, eaque adveniente expirabat, scilicet, qua parvulus annorum erat viginti quinque : uti multis in locis etiamnum moris et juris est.

Vers. 3.

3. ITA ET NOS. — Scilicet Judæi, de quibus dixit cap. præc., vers. 25 : « Jam non sumus sub pædagogo; » eo enim redit, ut dixi hoc cap., vers. 1.

CUM ESSEMUS PARVULI, — pueri rudes et imperfecti, tum in cognitione, tum consequenter in amore Dei, justitiæ et salutis. Ita Anselmus.

Lex vetus erat elementa doctrinæ Christianæ.

SUB ELEMENTIS MUNDI ERAMUS SERVIENTES, — id est sub littera, et quasi alphabeto legis veteris : lex enim imperfecta primo data est mundo, hoc est Judæis, et per Judæos omnibus mundi gentibus, ut totius mundi homines doceret fidei et pietatis rudimenta; Evangelium vero, quod legi successit, horum perfectionem docet. Ita Hieronymus. Sicut ergo Justinianus suas Institutiones vocat *elementa juris*, id est principia et rudimenta; et sicut vocamus elementa Grammaticæ, Philosophiæ, Musicæ, harum artium principia : ita hic *elementa* vocat Apostolus elementalem, introductoriam et institutoriam legem. Sicut enim pueri, ait Anselmus, discunt elementa et conjunctionem elementorum, sed ipsas voces et sententias ex elementis conflatas non intelligunt, donec ad altiores disciplinas perveniant, ad quas non pervenissent, nisi elementa præmisissent : ita Judæi elementa habuerunt suarum cæremoniarum, quarum significationem non intellexerunt, donec ad Christi fidem per hæc elementa, quasi elevamenta pervenerunt.

Nota : *Mundum* vocat homines mundi, primo Judæos, deinde alios omnes metonymice : volui enim Deus in uno mundi angulo, Judæa scilicet, scholam aperire ubi rudimenta fidei et pietatis doceret homines, donec doctissimas veritatis scholas aperiret per Christum in toto mundo.

Secundo, magis proprie et naturaliter « elementa mundi » dicuntur illa, quæ vers. 10 explicat di

terna et spiritali, tum externa et corporali, quæ pulcherrima adultis olim, in baptismo dabatur in signum et symbolum internæ, S. Agnes apud S. Ambrosium, *serm.* 90 : « Ornavit me, inquit, inæstimabili dextrocherio, dextram meam et collum meum cinxit lapidibus pretiosis, tradidit auribus meis inæstimabiles margaritas, et circumdedit me vernantibus atque coruscantibus gemmis; posuit signum in facie mea, ut nullum præter ipsum amatorem admittam; induit me cyclade auro texta, et immensis monilibus ornavit me. » Et infra : « Jam mel et lac ex ore ejus suscepi; jam amplexibus ejus castis astricta sum; jam corpus ejus corpori meo sociatum est, et sanguis ejus ornavit genas meas, » scilicet Eucharistia, quæ olim baptizatis dabatur, ut perfecte unirentur et incorporarentur Christo : iisdem dabatur lac et mel in symbolum suavitatis Christi et legis Christianæ, quam imbant.

28. NOS EST JUDÆUS, SEQUE GRÆCUS. — Supple, « in Christo, » ut sequitur, id est in christianismo, ait Hieronymus. In baptismo et fide Dei jam dicta nulla apud Deum est differentia generis, conditionis aut sexus : sed omnes, sive Judæi, sive Græci, id est Gentiles; sive servi, sive liberi; sive masculi, sive feminæ, unum sunt corpus mysticum, scilicet Ecclesia, cujus caput est Christus.

Duplex horum verborum sensus intelligentia.

Secundo, et aptius, *unum*, vel, ut Chrysostomus legit, *unus estis*, id est unam formam, unam vitam et animam, quasi vestem jam dictam, unam eamdemque figuram, scilicet non angeli alicujus, sed Christi, induistis et habetis omnes, puta fidem, charitatem Christique mores, ut videamini omnes esse unus homo, esse unus Christus. Ita Chrysostomus, Theophylactus et Anselmus, qui inquit : « Unum estis unitate fidei et charitatis Christi, » *q. d.* Apostolus : Nihil ergo Judæi ex judaismo peculiare habent, quo ipsi vos Galatas aliosque Gentiles invitent ad judaismum, cum tantum ex Christo et christianismo participent Gentes, quantum Judæi.

29. SI AUTEM VOS CHRISTI (scilicet quasi capitis estis membra, et quasi animæ estis corpus mysticum jam dictum), ERGO (uti Christus, ita et vos) SEMEN (id est filii) ABRAHÆ ESTIS, — ac consequenter benedictionis Abrahæ promissæ, id est, justitiæ et salutis, estis hæredes. Unde clarius et apertius sic præcedentia legit Ambrosius : « Si ergo vos unum estis in Christo, ergo semen Abrahæ estis. »

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prosequitur id quod dixit in fine cap. III, *scilicet Judæos quasi parvulos et servos sub lege quasi tutore et pædagogo fuisse : Christianos autem quasi filios jam adultos non lege, sed spiritu adoptionis agi, et clamare, Abba Pater; ac proinde indignum esse si ad infirma et egena legis elementa recertantur.*

Secundo, vers. 13, *ostendit, quanta aviditate, studio et reverentia Galatæ se, suamque prædicationem antea complexi sint, ut pudeat eos, si tam leviter ab ea resiliant.*

Tertio, vers. 21, *novum argumentum adfert ex allegoria Abrahæ, cujus ex Sara libera filius et hæres Isaac significabat Christianos, quasi ingenuos Dei filios, liberos esse a lege veteri, et benedictionis Abrahæ fore hæredes : Ismael vero ex serva Agar genitus et ejectus, significabat judaizantes a benedictione Abrahæ Deique excludendos.*

1. Dico autem : Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt a servo, cum sit dominus omnium; 2. sed sub tutoribus et actoribus est usque ad præfinitum tempus a patre : 3. ita et nos cum essemus parvuli, sub elementis mundi eramus servientes. 4. At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, 5. ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. 6. Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem : Abba, Pater. 7. Itaque jam non est servus, sed filius. Quod si filius, et hæres per Deum. 8. Sed tunc quidem ignorantes Deum, iis, qui natura non sunt dii, serviebatis. 9. Nunc autem cum cognoveritis Deum, imo cogniti sitis a Deo : quomodo convertimini iterum ad infirma et egena elementa, quibus denuo servire vultis? 10. Dies observatis, et menses, et tempora, et annos. 11. Timeo vos, ne forte sine causa laboraverim in vobis. 12. Estote sicut ego, quia et ego sicut vos : Fratres, obsecro vos : Nihil me læsistis. 13. Scitis autem quia per infirmitatem carnis evangelizavi vobis jam pridem, et tentationem vestram in carne mea 14. non sprevistis, neque respuistis : sed sicut angelum Dei excepistis me, sicut Christum Jesum. 15. Ubi est ergo beatitudo vestra? Testimonium enim perhibeo vobis, quia, si fieri posset, oculos vestros eruissetis, et dedissetis mihi. 16. Ergo inimicus vobis factus sum, verum dicens vobis? 17. Æmulantur vos non bene : sed excludere vos volunt, ut illos æmulemini. 18. Bonum autem æmulamini in bono semper, et non tantum cum præsens sum apud vos. 19. Filioli mei, quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis. 20. Vellem autem esse apud vos modo, et mutare vocem meam : quoniam confundor in vobis. 21. Dicite mihi qui sub lege vultis esse : legem non legistis? 22. Scriptum est enim : Quoniam Abraham duos filios habuit : unum de ancilla, et unum de libera. 23. Sed qui de ancilla, secundum carnem natus est : qui autem de libera, per repromissionem. 24. Quæ sunt per allegoriam dicta. Hæc enim sunt duo testamenta. Unum quidem in monte Sina, in servitutem generans : quæ est Agar. 25. Sina enim mons est in Arabia, qui conjunctus est ei, quæ nunc est Jerusalem, et servit cum filiis suis. 26. Illa autem, quæ sursum est Jerusalem, libera est, quæ est mater nostra. 27. Scriptum est enim : Lætare, sterilis, quæ non paris; erumpe, et clama, quæ non parturis : quia multi filii desertæ, magis quam ejus, quæ habet virum. 28. Nos autem, fratres, secundum Isaac promissionis filii sumus. 29. Sed quomodo tunc is, qui secundum carnem natus fuerat, persequabatur eum qui secundum spiritum : ita et nunc. 30. Sed quid dicit Scriptura? Ejice ancillam, et filium ejus : non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ. 31. Itaque, fratres, non sumus ancillæ filii, sed liberæ; qua libertate Christus nos liberavit.

1. DICO AUTEM. — Redit ad dicta cap. præced., vers. 24 et 25, ubi dixit : « Lex pædagogus noster fuit in Christo; at ubi venit fides, jam non sumus sub pædagogo. » Id latius hic probat et prosequitur, incipitque ab exemplo parvuli, qui sub tutoribus est : græce enim pro *dico autem*, est λέγω δέ, quod clarius verti potest, Quod dico, talo est; aut, illud autem est, quod dico : sic enim solet loqui Paulus cum sua dicta interpretari incipit, dicitque λέγω δέ.

QUANTO TEMPORE HÆRES PARVULUS EST (græce νήπιος, id est *infans*, hoc est, ea quæ nondum sapit ætate) NIHIL DIFFERT A SERVO. — Quia quasi servus regitur a tutore et pædagogo, nec dominio hæreditatis suæ uti potest, perinde atque si servus esset, non dominus; imo servo, scilicet pædagogo suo, subjectus est, estque sub tutoribus et actoribus.

Vers. 1.

2. ACTORIBUS. — Οἰκονόμους, id est, *œconomis* et dispensatoribus, qui res et bona parvuli administrant; Syrus, *procuratoribus*.

Quamdiu durat tempus pupillare.

AD PRÆFINITUM TEMPUS. — Græcum προθεσμία significat, teste Budæo, diem præscriptam, ad quam durabat jus et administratio tutorum, eaque adveniente expirabat, scilicet, qua parvulus annorum erat viginti quinque : uti multis in locis etiamnum moris et juris est.

Vers. 3.

3. ITA ET NOS. — Scilicet Judæi, de quibus dixit cap. præc., vers. 25 : « Jam non sumus sub pædagogo; » eo enim redit, ut dixi hoc cap., vers. 1.

CUM ESSEMUS PARVULI, — pueri rudes et imperfecti, tum in cognitione, tum consequenter in amore Dei, justitiæ et salutis. Ita Anselmus.

Lex vetus erat elementa doctrinæ Christianæ.

SUB ELEMENTIS MUNDI ERAMUS SERVIENTES, — id est sub littera, et quasi alphabeto legis veteris : lex enim imperfecta primo data est mundo, hoc est Judæis, et per Judæos omnibus mundi gentibus, ut totius mundi homines doceret fidei et pietatis rudimenta; Evangelium vero, quod legi successit, horum perfectionem docet. Ita Hieronymus. Sicut ergo Justinianus suas Institutiones vocat *elementa juris*, id est principia et rudimenta; et sicut vocamus elementa Grammaticæ, Philosophiæ, Musicæ, harum artium principia : ita hic *elementa* vocat Apostolus elementalem, introductoriam et institutoriam legem. Sicut enim pueri, ait Anselmus, discunt elementa et conjunctionem elementorum, sed ipsas voces et sententias ex elementis conflatas non intelligunt, donec ad altiores disciplinas perveniant, ad quas non pervenissent, nisi elementa præmisissent : ita Judæi elementa habuerunt suarum cæremoniarum, quarum significationem non intellexerunt, donec ad Christi fidem per hæc elementa, quasi elevamenta pervenerunt.

Nota : *Mundum* vocat homines mundi, primo Judæos, deinde alios omnes metonymice : volui enim Deus in uno mundi angulo, Judæa scilicet, scholam aperire ubi rudimenta fidei et pietatis doceret homines, donec doctissimas veritatis scholas aperiret per Christum in toto mundo.

Secundo, magis proprie et naturaliter « elementa mundi » dicuntur illa, quæ vers. 10 explicat di

Per elementa alii intelligunt festos dies, menses, tempora, et annos Judæorum.

cens : « Dies (scilicet festos Judæorum) observatis, et menses, et tempora, et annos : » hos enim dies, menses et annos vocat *elementa mundi*, tum quia alludit ad *Gen.* I, ubi per dies septem Deus elementa mundi creavit et produxit, ac denique die septimo, id est sabbato, requievit, ideoque in creationis illius et quietis memoriam jussit a Judæis observari et coli sabbatum : ut dies hi dicantur *elementa* ; tum quia in illis elementa sunt creata, et die sabbati eorum creatio metonymice est repræsentata ; tum quia per dies, menses et annos, quasi elementa, tempora mundi omnia, et omnium, quæ in mundo sunt, generatio, corruptio, successio, mundusque ipse decurrit, regitur, perficitur. Unde in memoriam et gratiarum actionem divinæ providentiæ et gubernationis Dei, qua singula tempora, totumque mundum per solis ac lunæ vices, per dies, menses et annos disponit, regit, gubernat et perficit Deus, voluit sabbata, neomenias aliosque dies et menses festos coli a Judæis, ut per hæc quasi rudimenta corporalia discerent Deum creatorem et gubernatorem omnium agnoscere et colere, donec per Evangelium melius edocti, altiusque provecti et promoti, scirent Deum adorare in spiritu et veritate.

Alia Erasmi, sed contra ejus explicatio.

Aliter Erasmus : *Mundum*, inquit, vocat per catachresin quidquid est visibile, caducum, temporarium, visibiles scilicet et corporales cæremonias legis veteris : nam hæc vocat *elementa mundi*, *Coloss.* II, 20, in quibus sita erat Judaizantium superstitio, dicentium : Ne gustaveritis, ne tetigeritis, ne contractaveritis, ut ibidem refert Apostolus. Sed nomen *mundi* non ita accipitur, nec eo ita abuti solet Apostolus ; et *Coloss.* cap. II, alio sensu accipit *elementa mundi*, ut ibi ostendam. Dicam etiam plura de his elementis vers. 9 (1).

Erasmus servientes. — Græce δεδουλωμένοι, *in servitutem redacti*. Theophylactus hic adaptat parabolam parvuli, qui sub tutoribus est, *q. d.* Sicut parvulus nihil differt a servo, et servit quasi ac regitur a suis tutoribus et actoribus : ita et nos cum essemus parvuli in Christi cognitione et amore Dei ac salutis, quasi servi sub elementis mundi jam dictis, et lege veteri quasi tutoribus et actoribus serviebamus.

4. At ubi venit plenitudo temporis, — quæ est quasi præfinitum tempus a Patre, ut dixit in parabola vers. 2, *q. d.* Ubi impletum est tempus a Deo Patre præfixum fini legis et initio gratiæ ac Evangelii, quo a lege quasi pædagogo, tutore et actore, hoc est, a statu et conditione servili, transferremur in libertatem fidei et filiationis Christi. Ita Anselmus, Theophylactus et alii. Aliter S. Bernardus, serm. 1 *De Adventu* : « Quando venit, inquit, plenitudo temporis, misit Deus Filium suum. Nimirum plenitudo et abundantia temporalium, oblivionem et inopiam fecerat æternorum. Opportune ergo tum advenit æternitas, quando magis temporalitas prævalebat. » Verum hoc symbolicum est, non litterale. Ad litteram enim *plenitudo temporis* non est copia temporalium, sed temporis præfixi adimpletio.

Misit (Græce non est ἔπεμψε, sed ἐξαπέστειλε, id est *emisit*, legavit quasi legatum vel Apostolum cum mandatis suis) Deus (Pater legans et mittens) Filium suum — ad homines : misit ergo Filium, non ut Filius locum mutaret, cœlum relinqueret, terram adiret ; sed ut manens ubi prius erat, tam scilicet in terra, quam in cœlo, novam personam, scilicet hominis et legati pro Deo apud homines, assumeret.

Factum ex muliere. — S. Augustinus, lib. III *De Trinit.*, legit, *natum ex muliere*, *factum sub lege* : et sic habent Græca Regia, γενόμενον ἐκ γυναικός, γενόμενον ὑπὸ νόμον ; sed Noster cum Theophylacto et aliis Græcis, legunt utrobique γενόμενον per o micron, id est *factum*, idque melius, ut dixi *Rom.* I, 3.

Nota : *Mulier* hic non corruptionem, sed sexum muliebrem significat, competitque virgini, qualis fuit beatissima Virgo Maria. *Secundo*, *ex factum ex muliere* significat Christum sine patris semine conceptum et formatum ex sola matris substantia et purissimis sanguinibus. Hinc *tertio* patet Christum non sumpsisse corpus e cœlo, quod transeundo per beatam Virginem quasi per canalem in terram detulerit, uti olim docuerunt Valentiniani, et jam Anabaptistæ ; sed Christi corpus ex Virgine factum ac formatum esse.

Christus non sumpsit corpus e cœlo, sed e Virgine sum-mum.

Factum sub lege, — quia Christus licet legi, etiam qua homo, non esset subjectus, utpote persistens in persona Filii Dei, qui legis fuit dator et conditor ; tamen eam sponte sua servavit, sponte se circumcisioni aliisque cæremoniis lege præceptis submisit ac subjecit : « factum » ergo significat, non obligationem, sed usum ; non jus, sed factum. Ita Anselmus.

Christus factus, non obligatus legi subjectus.

5. Ut eos qui sub lege erant, redimeret. — ἐξαγοράσῃ, id est, *mercaretur*, inquit Erasmus, emendo eximeret, ac dato pretio in Christianam vindicaret libertatem, et, ut Noster vertit, *redimeret* non

(1) « Loquitur hic Apostolus de disciplina sacra, qualis et apud Judæos et apud Paganos (!), quos utrosque conspectitur voce κόσμος, fuit ante Christum, utrorumque accommodata, imperfecta, rudis ; cf. vers. 9. Nempe Judæis omnia officia, quum ad religionis exercitium, tum ad vitam communem pertinentia, minutatim erant præscripta, e. g. sic facies sacra hoc die, mane, vesperi ; hoc edas, illud non ; ubi hoc attigisti, polluta te, etc. Causæ sunt in illorum temporum ante Messiam conditione, quibus omnes nationes præter Judæos fuerunt non tantum idololatræ, sed etiam vitiis deditæ, barbaræ, cultusque expertes. Hanc ob causam visum est Deo Judaicam nationem adstringere minutatim desgnatis officiis, neque permittere suo arbitrio et jori, ne et ipsi idololatria, vitiositate et barbarie, quæ tum fuit, polluerentur. Στοιχεῖα dicuntur in quaque arte ejus rudiments ; elementa prima vocari solent. Sic etiam in religionis institutione sunt quædam rudimenta puerili ætati accommodata. » Ita Rosenmullerus.

a peccato, sed a servitute legis veteris, de qua præcessit.

Ut adoptionem filiorum reciperemus. — Nota voculam *ut*, *q. d.* Ideo Filius Dei factus est ex muliere filius hominis, ut filios hominis faceret et adoptaret filios Dei. « Ideo, ait Bernardus, Deus factus est homo, ut homo fieret Deus. »

Nota *secundo* : Hæc adoptio fit per gratiam, qua non tantum jus ad hæreditatem Dei Patris, sed et naturæ divinæ participationem, ipsumque Spiritum Sanctum ac Dei filiationem nanciscimur, ut dixi *Rom.* VIII, 15.

Justi ante Christum quomodo filii adoptivi, et quomodo servi?

Nota *tertio*, omnes justos, etiam ante Christum, fuisse filios Dei adoptivos ; Apostolos tamen omnes ante Christum vocat servos. *Primo*, quia licet justi vere essent filii Dei, non habebant tamen statum filiorum, sed servorum, qui erant sub lege, ac consequenter sub spiritu timoris ac servitutis. *Secundo*, quia jus filiationis non habebant ex lege, sed ex fide et gratia Christi venturi, et sic magis ad legem novam quam veterem pertinebant, ut fuse et eleganter docet S. Augustinus, lib. III *Contra duas epist. Pelagian.*, cap. IV. *Tertio*, quia pro illo statu carebant fructu adoptionis : nec enim poterant cœlestem hæreditatem cernere, antequam Christus eam aperiret. *Quarto*, quia Christus a jugo et servitute legis nos liberando, iis unicum adoptionis et amoris spiritum in lege nova substituit. Ita Chrysostomus, Anselmus et Augustinus.

6. Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui, — id est, Spiritum Sanctum, qui a Filio æque ac a Patre procedit.

Nota : Est argumentum a signo vel effectu ad causam, vel potius ad causæ ostensionem, ut cum dico : Quia ibi fumus est, ibi ignis est : licet enim ignis sit prior et causa fumi, fumus tamen prius ostendit se nobis, ut ex eo colligamus ibi esse ignem : ita hic prius est Deum in nos mittere Spiritum suum, quam nos esse filios Dei, quia per Spiritum filii fimus : ex eo tamen quod sumus filii, quasi a posteriori recte colligimus Deum jam ante misisse in nos Spiritum suum. Vox ergo *quoniam*, vel *quia*, non causam in se, sed causam cognitionis, vel potius necessariam consequentiam et connexionem significat.

Causa nostræ adoptionis et signum.

Secundo et simplicius, *quoniam* proprie significat causam non filiationis, sed clamoris, *q. d.* Quia estis filii Dei, Deus misit Spiritum suum, non qui filios vos faciat, sed qui vos filios jam factos doceat clamare : « Abba, Pater. » Aliter hoc ex Græco vertit Maldonatus in *Notis manuscr.* : ὅτι enim, id est, *quoniam*, accipit pro *quod* ; sic ergo transfert, *quod autem filii estis*, (hinc apparet quod) *miserit Deus* (in vos) *Spiritum Filii sui*. Verum sic multa supplenda et addenda sunt, quæ non habentur in textu, scilicet omnia parenthesi hic inclusa. Melius ergo Noster, magisque proprie τὸ ὅτι vertit, *quoniam*.

Clamantem, — hoc est clamare (id est, magna piæ mentis devotione precari) facientem, ut scilicet devote, ardenter et fideiter, filiali affectu invocemus Deum Patrem : hic enim est non tam oris quam mentis clamor, de quo Dominus ad Mosem licet silentem : « Quid, inquit, clamas ad me ? » *Exodi* XIV, 15. Ita Theodoretus, Anselmus et alii.

Abba. — Hebraice אַב *ab*, chaldaice et syriace *Abba*, et terminatione Latina et Græca *Abbas*, idem est quod pater. Vide dicta *Rom.* VIII, 15. Hic locus uti terret torpidos et tepidos, qui raro hunc spiritum filiationis et filialis clamoris experiuntur ; ita pios et ferventes, qui eum persentiscunt, consolatur, et in spem salutis et cernendæ hæreditatis paternæ, scilicet divinæ, erigit.

7. Itaque jam non est servus, — aliquis scilicet inter vos, o Christiani Galatæ ! Est enallage personæ, transit enim a secunda ad tertiam, idque familiare est Apostolo, ut dixi *Canon.* 38. Græca tamen quædam habent in secunda persona, sed singulari, εἶναι σὺ δοῦλος, *non es* (scilicet quisquis per Christum Dei filius factus es) *amplius servus*, sed filius.

Quod si filius, et hæres per Deum. — Ita legunt quoque SS. Augustinus et Ambrosius ; sed Hieronymus legit, *hæres per Christum* ; Græca vero et Syrus, κληρονόμος θεοῦ διὰ Χριστοῦ, *hæres Dei per Christum* ; idque plenius est : per Christum enim cui inserti sumus, hæreditas æterna Dei et omnia bona obveniunt nobis a Deo, Deique gratia et misericordia.

Vers. 8.

8. Sed tunc, — cum infideles et pagani essetis : hoc enim ex antithesi sequente et tempore præterito, quo versabantur in ignorantia Dei, intelligendum relinquit Apostolos.

Iis qui natura non sunt dii (sed fictione falsaque opinione hominum, puta idolis), serviebatis, — id est, colebatis ea latria et sacrificiis.

9. Nunc autem cum cognoveritis Deum, imo cogniti sitis a Deo : quomodo convertimini iterum ad infirma et egena elementa ? — Nota, « cogniti sitis a Deo, » scilicet quasi filii a patre cogniti et dilecti. Ita S. Augustinus et Hieronymus. « Nullum, inquit, ignorat Deus, sed tamen eos cognoscere dicitur, qui errorem pietate mutaverint. » *Secundo* et melius, « cogniti, » id est, scire facti, edocti a Deo ; est enim hebraismus, sive significatio participii passivi *hophal* : הוּדַע *hodia* enim in *hiphil* significat scire fecit, docuit ; in passiva vero *hophal* הוּדַע *huda* significat scire factus, id est edoctus, est. Jam Latini et Græci, quia idem verbum per *hiphil* et *hophal* transferre non possunt in tam activam et passivam significationem ; hinc suo verbo vel participio sæpe neutro, vel passivo, illud exprimunt ; sed vim ejus et energiam adæquare non possunt. Simile I *Cor.* VIII, 3. Sic et alibi dicitur Deus cognoscere, cum nos cognoscere facit. Sic Spiritus Sanctus dicitur clamare, postulare, cum nos clamare facit et postulare, *Rom.* VIII, 26. Hæc enim verba sunt significatio-

Edocti iterum a Deo, reverti non debent ad legis antiqua elementa.

nis *Niphal*, *q. d.* Cum edoceri sitis ab ipso Deo, qui interius per illustrationem gratiæ suæ, exterius per os nostrum vos docuit Christi fidem ac viam ad justitiam et salutem; quomodo iterum ad rudimenta legis convertimini, ut ab eis edoceamini? Ita Chrysostomus, Ambrosius, D. Thomas. Unde Græca Regia vers. seq. habent, πάλιν ἄνωθεν, *quibus denuo ab alto*, id est ab initio, servire vultis, veluti si vir repuerascat, ad pædagogum redeat, eique serviat et subsit; aut veluti si metaphysicus ex Metaphysica ad primam Grammaticæ classem descendat, aut cursor a meta ad carceres recurrat, *q. d.* Metæ, id est justitiæ et saluti, eratis proximi, quomodo ad carceres recurritis? eratis Theologi docti a Deo, quomodo ad legem, quasi ad Grammaticæ elementa postliminio revertimini?

CONVERTIMINI.— Ἐπιστρέφετε, convertimini, revertimini, gressum cursumque reflectitis, retrogredimini.

Tria hic intelligi possunt per elementa. Primo, idola.

AD INFIRMA ET EGENA ELEMENTA. — Quæritur, quænam hæc? Respondeo: *Primo*, Augustinus et Ambrosius solem, lunam et idola accipiunt, quæ olim Galatæ, cum Gentiles essent, adorabant: de idolis enim falsisque ipsorum diis egit vers. præcedent. Hinc Tertullianus, lib. *De Præscript.*, cap. XXXIII: « Notat Apostolus, inquit, Hermogenem, qui materiam non natam introducens, eam Deo non nato comparat, et ita matrem elementorum deam faciens, potest ei servire, quam Deo comparat. » Verum obstat, quod Galatæ non volebant reverti ad gentilismum, sed ad judaismum, quodque tota epistola Apostolus non contra idola, sed contra Judaicas cæremonias agit.

Secundo, ac et Judæi, etc.

Secundo et probabilius, Chrysostomus, Theophylactus, Œcumenius, hæc « elementa, » inquiunt, sunt sol et luna, ad quæ volebant converti Galatæ, non ut iis servirent quasi diis, uti olim fecerant ante susceptum christianismum; sed ut per eorum cursum sabbata, neomenias aliaque festa Judaica describerent et observarent. Vocat hæc « infirma et egena, » respectu Dei, cujus ope et influxu assiduo egent ut firma consistant, et sine quo infirma, egena, imo evanida sunt: si enim Deus manum suam conservantem subtraheret, statim in nihilum, ex quo venerunt, recciderent. Quod de sole et luna loquatur, patet: hæc sunt proprie elementa mundi, id est, primæ mundi partes, uti ea vocavit vers. 3. *Secundo*, quia ait: « Quomodo iterum convertimini, » ad ea scilicet, quæ prius colebatis); Galatæ autem, utpote Gentiles, nunquam Judaicas cæremonias, sed solem et lunam ante coluerant.

Tertio, sacramenta et observantiæ legis veteris.

Verum *tertio* et optime, Hieronymus, Theodoretus, Anselmus, et Tertullianus, lib. V *Contra Marcion.*, cap. IV, per hæc « elementa » intelligunt Sacramenta et observantias dierum et mensium, festorum, ac aliarum cæremoniarum legis veteris, quæ quasi prima religionis et pietatis rudimenta data fuerunt Judæis, ac per eos toti mundo, quæque creationis et gubernationis mundi sunt elementa, principia, symbola, ut dixi vers. 3. Hæc sunt « egena, » ex, ut Tertullianus legit, *mendica*, quia gratiam, sanctitatem, Dei cultum et religionem non continent, nec conferunt, sed ad hoc Christi fide, gratia, Sacramentis indigent. Sunt et infirma, quia per se inefficacia ad justificandum, ut justos, pios, sanctos, spiritu et virtute præditos efficiant: nam sine fide Christi justificare neminem poterant; imo cum ea non justificabant per se, et ex opere operato, uti nova legis Sacramenta, sed tantum ex opere operantis, id est, ex fide et devotione ea suspicientis: unde et quasi infirma abolita sunt per mortem et legem Christi.

Quatuor festa annui apud Judæos.

Patet hic sensus clare ex sequentibus: has enim cæremonias Judaicas explicans subdit: « Dies observatis, et menses, et tempora, et annos, » *q. d.* Hæc sunt elementa, quibus servitis, quæque colitis, videlicet dies, menses et anni Judaici.

Secundo, quia hic sensus planus est et proprius: hæc enim elementa, nimirum hos dies ex lege festos colebant et observabant, non autem solem et lunam: valde enim improprie dicitur, quod qui primam diem mensis festam colit, lunam colat et novilunium; aut qui diem Dominicum colit, colat et solem, cui quasi primo et nobilissimo planetæ prima ac nobilissima dies tribuitur, scilicet Dominica, quæ inde Solis dies dicitur.

Dices: Huic sensui obstat vox *iterum*, cum ait: « Convertimini iterum ad infirma et egena elementa, quibus denuo servire vultis; » quia Galatæ, utpote Gentiles, antea non sacris, non sacrificiis judaicis, sed soli, lunæ idolisque servierant: unde dici poterant ad hæc, non autem ad illa, iterum se convertere.

Objectio ab Ecclesiæ contra Lutheranos explicatur.

Respondeo: « Convertimini iterum, » id est conversione cultuque vestro, sacra Judaica jam abolita, iterum stabilire vultis: respicit enim ad statum legis, de quo vers. 2 promiscue dixit omnes fuisse sub lege quasi pædagogo, *q. d.* Fuimus primo sub lege; nunc Christus eam abolevit, quomodo ergo iterum eam stabiliere et ad eam vos convertere vultis?

Secundo et melius respondet Adamus: Vox *iterum* non ad totam orationem, sed tantum ad partem refertur, tantum enim significat iteratam servitutem in genere, licet in specie alia fuerit et alia. *Prius* enim idolis servierant; *secundo* jam judaismo serviebant: unde cap. V, vers. 1, in genere ait: « Nolite iterum jugo servitutis contineri, » *q. d.* Nolite iterum fieri servi, servistis demonibus, nolite iterum servire umbris legalibus. Sic Lutherano converso ad Catholicam fidem, si postea labatur ad calvinismum, dicere possumus: Quomodo iterum ad calvinismum, hoc est, iterum ad errores, relaberis? vox enim *iterum* non afficit, nec denominat calvinismum, sed vocem *relaberis*; est enim relapsus in hæresim, licet aliam et aliam, quia primo fuit lutheranus, nunc Catholicus factus relabitur in hæresim, et fit Calvinista.

10. DIES OBSERVATIS, ET MENSES, ET TEMPORA, ET ANNOS. — S. Augustinus, *epist.* 119, et *Enchirid.* LXXIX, et Anselmus, uti per elementa acceperunt solem, lunam et idola, ita per dies hos consequenter accipiunt dies faustos vel infaustos juxta astrologiam judiciariam, vel Gentilium superstitionem. *Secundo* et melius, Chrysostomus, Hieronymus et alii supra sic explicant: « Dies observatis, » scilicet Judaicos, uti sabbata; *secundo*, « et menses, » id est, neomenias sive novilunia, atque mensem septimum, qui totus pene sacer erat et festus in lege veteri; *tertio*, « et tempora, » stata scilicet festa quatuor temporum anni, puta festum veris, videlicet paschæ; festum æstatis, scilicet pentecostes; festum autumni, nimirum festum expiationis; festum hiemis, videlicet encæniæ; *quarto*, « et annos, » annum scilicet septimum remissionis, et quinquagesimum jubilei: hi enim anni festi erant. Nota synecdochen: per observantias dierum, mensium, annorum intelligit omnes cæremonias legis veteris, quasi ex parte totum.

Festa Christianorum hic non damnantur.

Hinc patet contra hæreticos, festa Christianorum hic non damnari: nam sic et dies Dominicus damnaretur, quem tamen et ipsi servant hæretici; sed tantum damnari festa Judæorum, quæ a Christianis pulchre distinguit S. Nazianzenus, oratione *in Sanctam Pentecosten*, dicens: « Festos dies Judæus agit, verum juxta litteram; legem enim corpoream consectans, ad spiritalem legem non pervenit: festa etiam Gentilis agit, verum juxta corpus, luxu scilicet et comessatione (unde Lucianus, in *Saturnal.*: « Ne quid intra festi tempus agito, neque publicum, neque privatum, nisi quæ ad lusum, quæ ad voluptatem animique oblectationem pertinebunt; » imo sæpe festa et sacra Gentium obscœna erant, ut sacra Veneris, Priapi, Bacchi, in quibus omnem turpitudinem exercebant). Festos Christiani agimus, verum ut spiritui gratum est. » Ita Nazianzenus.

Et diserte Hieronymus: « Dicat, inquit, aliquis: Si dies observare non licet, et menses, et tempora, et annos; nos quoque simile crimen incurrimus quartam sabbati observantes, et parasceven, et diem Dominicam, et jejunium Quadragesimæ, et Paschæ festivitatem, et Pentecostes lætitiam, et pro varietate regionum diversa in honore Martyrum tempora constituta. Ad quod, qui simpliciter respondebit, dicet, non eosdem Judaicæ observationis dies esse, quos nostros; nos enim non azymorum pascha celebramus, sed resurrectionis et crucis; nec septem juxta morem Israel hebdomadas in Pentecoste numeramus, sed Spiritus Sancti veneramur adventum: » hæc ille. Ub. nota: tempore S. Hieronymi ab Ecclesia festa Martyrum celebrari solita, eaque laudari his a S. Hieronymo.

Festa Martyrum tempore S. Hieronymi.

11. TIMEO VOS. — id est, vobis, vel de vobis. Est antiptosis Hebraica, juxta *Can.* 20.

12. ESTOTE SICUT EGO, — ut, sicut me videtis Judaica festa cæremoniasque negligere, nec observare, utique Evangelica libertate: ita et vos ea non observetis, sed eadem mecum libertate utamini, *q. d.* Ego, Judæus licet, ducem me libertatis vobis præbeo, intrepide ergo me sequimini, quidquid alii Judæi de necessitate legis veteris vobis suggerant et jactent.

QUIA ET EGO SICUT VOS,—ego gentiliter vivendo, me vobis Gentilibus accommodo quantum possum salva conscientia. Ita Hieronymus.

NIHIL ME LESISTIS, —sed vos ipsos lesistis, *q. d.* Non iratus hæc dico, sed vos amans, et vestri miserans. Notat Hieronymus Apostolum increpationem cap. III, vers. 1, factam, blanditiis hic et obsecratione emollire.

13. PER INFIRMITATEM CARNIS EVANGELIZAVI VOBIS. Vers. 13.

Primo, S. Hieronymus sic explicat, *q. d.* Prima et infirma tantum fidei rudimenta vobis dedi, atque per hæc rudimenta rudes vos tantum rudite erudivi. *Secundo*, idem Hieronymus accipit per *infirmitatem carnis*, Pauli morbos et capitis dolorem. *Tertio*, optime idem accipit persecutiones, labores, paupertatem, ærumnas, afflictiones, pericula, ut videretur omnino abjectus Apostolus, vilis, infirmus et miserabilis. Eamdem vocat tentationem in carne, quia inde Galatæ tentari potuissent, Paulumque cum suo Evangelio abjicere. Ita et Chrysostomus, Theophylactus et alii.

Triplex carnis infirmitas.

14 et 14. ET TENTATIONEM VESTRAM IN CARNE MEA NON SPREVISTIS, — πειρασμόν μου, tentationem meam, sive mei. « Tentationem » autem accipit Erasmus, qua scilicet ego Paulus vos Galatas sermone humili et incondito tentavi; sed melius passive capitur, ut tentatio sit idem quod objectum tentationis, per metonymiam, juxta *Canon.* 20, *q. d.* « Tentationem vestram, » id est, me tot contumeliis oneratum, persecutionibus agitatum, flagris cæsum, pauperem, afflictum et abjectum, qui vobis poteram esse tentationis objectum, ut me meumque Evangelium aspernaremini, non sprevistis, sed tanquam angelum, imo tanquam Christum ipsum excepistis.

15. UBI EST ERGO.—Græce τίς οὖν ὁ, *quæ ergo erat*; sed noster, uti et Syrus, legit πῦ, idque melius est et significantius, et facile πῦ vicino litterarum lapsu in τίς verti et depravari potuit.

BEATITUDO VESTRA? — Græce μακαρισμός, id est *beatificatio vestra*, qua me tanta fidei causa patientem, beatum, ac vos propter me, beatos prædicabatis, atque ab aliis prædicabamini. Ita Theophylactus. Nimirum dicebatis: O nos beatos, qui talem habemus Apostolum! o felices, quibus Paulum videre et audire contingit! Uti fertur S. Augustinus, tria in votis habuisse, scilicet *primo*, videre Christum in carne conversantem; *secundo*, Romam in flore imperii triumphantem; *tertio*, Paulum in cathedra concionantem et fulminantem.

Tria vota et desideria S. Augustini.

Quasi ergo dicat : Ubi sunt pristinæ vestræ de me voces, laudes, judicia, o Galatæ? quomodo tam cito, tam temere animos erga me et Evangelium mutastis? Ita me deperibatis, ut oculos vestros, si fieri potuisset, mihi dedissetis : quo abiit amor et ardor? « Ergone inimicus factus sum vobis verum dicens vobis? » neminem scilicet ex lege, sed omnes ex Christi fide justitiam petere debere.

17. ÆMULANTUR VOS. — Judaizantes depercunt vos, ambiunt vos, vos sibi conciliare, sibi suæque legi subjicere satagunt. Est metaphora a procis deducta, qui sponsas ambiunt cum zelo et zelotypia : græce enim est ζηλοῦσιν, *zelantur vos*, de quo dixi II *Cor.* XI, 2.

NON BENE (quia non ad bonum et profectum vestrum), SED EXCLUDERE VOS VOLUNT, — a Christo et Christiana libertate. Noster et alii passim legunt in Græco ἐκκλεῖσαι, id est *excludere*; quædam tamen, ut Regia, legunt ἐγκλεῖσαι, id est *includere*; quæ lectio sensum habet aptum et commodum; nam alludit ad procos callidos, qui cum divites ambiunt sponsas, eas quasi dominas honorant, eis serviunt, per omnia se eis accommodant; sed ubi eis potiti sunt, matrimoniumque cum eis inierunt, illas cubiculis includunt, custodes apponunt, habentque quasi servas captivas, *q. d.* Sicuti proci jam dicti, sic Judaizantes blandiendo, mira et magna pollicendo vos ambiunt, ut judaismo subjiciant; et includant legi et servituti legis quasi ergastulo et custodiæ, sicque libertate vos privent, et excludant a christianismo.

Judaizantes quo cog. et ad quid proci similes.

UT ILLOS ÆMULEMINI, — *q. d.* Non æmulantur, non insectantur vos amore amicitiæ, ut vobis consulant, sed amore concupiscentiæ, ut scilicet, ad se et sui amorem illiciant, ut illos insectemini, ut de vobis quasi suis discipulis et asseclis apud plebem jactare se possint, *q. d.* Suam gloriam, non salutem vestram, æmulantur, ideoque vos excludere volunt a Christo, ut non Christum, sed illos æmulemini et consectemini.

18. BONUM AUTEM ÆMULAMINI IN BONO SEMPER. — Græca jam habent, καλὸν δὲ τὸ ζηλοῦσθαι ἐν καλῷ πάντοτε, hoc est *bonum autem*, scilicet est, *æmulari in bono semper*. Ita legit Augustinus et Syrus, *q. d.* Bonum est illos imitari et sectari, sed non in quavis re, verum in re bona. Vel simpliciori hebraismo, *bonum est æmulari in bono*, id est bonum, ut sit *beth* contactus : sic enim Hebræi dicunt, tangere, percutere in manu, id est tangere, percutere manum; sic hic æmulari in bono, est, æmulari bonum. Noster legit ζηλοῦσθε, per epsilon, in imperativo, *bonum æmulamini*, id est ambite et ardenter sectamini, sed *in bono*.

Ubi nota : « Bonum » potest accipi vel in genere neutro, *q. d.* id quod bonum et honestum est zelate, sed catenus, qua bonum est, qua bene et honeste fit. *Secundo* et apte ad præcedentia et sequentia, « bonum » hic accipi potest in genere masculino, *q. d.* Nolite Judaizantes æmulari in malo, videlicet in judaismo : hi enim non bene æmulantur vos, quia excludere vos volunt a Christo, sed viros bonos et Christianos imitamini et æmulamini, me videlicet meique similes; sicuti me non judaice, sed gentiliter viventem, in bono, puta in libertate vitaque Christiana (hic enim « bonum » capi debet in genere neutro, scilicet, *in bono*, id est in re bona) æmulati estis cum præsens essem vobis : idem ergo facite cum absens sum; bonum enim semper sequendum est, etsi absit is qui illud docuit. Innuit Apostolus absentiam suam fuisse in causa ut alio dilaberentur, et ad judaismum abducerentur. Ita Chrysostomus.

Absentia magnet causa lapsus et exitii discipulorum.

19. FILIOLI MEI (vos enim ego pe. Evangelium genui Christo), QUOS (relapsos a Christo ejusque adoptione ad judaismum) ITERUM PARTURIO (ut a judaismo revocem, Christoque rursum pariam) DONEC FORMETUR CHRISTUS (id est Christi fides, spes, libertas) IN VOBIS, — ut scilicet non a lege, sed Christo et Christi fide omnem gratiam, justitiam, salutem exspectetis. « Apostolus hic, inquit Chrysostomus, matrem refert de liberis trepidantem : vides paterna, imo materna viscera, vides anxietatem, vides qualem emittat ejulatum multo tristiorem, quam solet esse parturientium, » *q. d.* Ut B. Virgo Christum corporaliter peperit, at sine dolore, sic et ego quasi spiritalis puerpera Christi, pario, imo ingenti cum labore et dolore parturio et enitor, ut Christum Christique fidem et spiritum in vobis efformem, ut Christus sit omnia in omnibus vobis. VERS. 19.

Quomodo infantes et pueri regendi?

Præclare et pie S. Ambrosius, lib. *De Isaac et Anima*, cap. VIII : « Illic (in cruce et baptismo), inquit, parturivit te mater tua, illic parturivit te quæ genuit te. Ibi enim nascimur, ubi renascimur : parturiuntur autem in quibus Christi imago formatur. Unde quoniam formatus in sponsa Christus erat, ait : Pone me ut signaculum in cor tuum, ut sigillum in brachium tuum. Sigillum Christus in fronte est, ut semper confiteamur; in corde, ut semper diligamus; in brachio, ut semper operemur; ut, si fieri potest, tota ejus species exprimatur in nobis. Ipse est signaculum nostrum, quem Pater signavit Deus, » etc.

Apostoli pia.

Animus convertit se vehementius laborandum et sudandum.

Notent, qui animas convertere, Christoque parere student, sibi laborandum et sudandum esse parturientis instar. Hinc illud *Job* XXXIX, 1 et 3 : « Numquid parturientes cervas considerasti? incurvantur ad fœtum, et pariunt, et rugitum emittunt, » (cervarum enim partus, de quo ad litteram loquitur, difficillimus est, teste Aristotele et Plinio, adeoque seseli herba illum adjuvant cervæ) mystice accipit S. Gregorius, in citatum Jobi locum, de prædicatoribus, qui quasi cervæ in dolore, lacrymis et rugitu parturiunt Christo proles. « Video, inquit, Paulum, quasi quamdam cervam quosdam in partu suo magni doloris rugitu emittentem; ait enim : Filioli mei, quos iterum parturio, etc. Consideremus quid doloris habuerit.

quid laboris; quæ et postquam potuit concepta edere, rursum compulsa est extincta suscitare. » Ita S. Gregorius, lib. XXX *Moral.*, cap. XXI.

Rursum a S. Paulo discant Episcopi et Prælati, ut non tam patres, quam matres suis subditis se exhibeant. Pulchre S. Bernardus Prælatos alloquens, serm. 25 *in Cant.* : « Discite, ait, subditorum matres vos esse debere, non dominos. Studete magis amari, quam metui : et si interdum severitate opus est, paterna sit, non tyrannica. »

20. VELLEM AUTEM ESSE APUD VOS MODO, ET MUTARE VOCEM MEAM, — ut affectus, quos epistola scripta non capit, voce viva exprimerem, ut scilicet quasi mater nunc blandirer, nunc gemerem, nunc obsecrarem, nunc objurgarem vos, ut solent matres naturales se in omnes affectus vertere, nunc orare, nunc plorare, nunc gemere, nunc arguere, ut filios permoveant, eisque persuadeant, id quod cupiunt : viva enim vox longe est efficacior litteris mortuis. Ita S. Hieronymus, Chrysostomus et D. Thomas.

Ecce quo se dimittit amor : Paulus quasi pater videtur cum pueris suis hic puer fieri et repuerascere. Agesilaus rex, ut filiolo suo blandiretur, deposita purpura et sceptro, solebat cum ipso ludere, et equitare in arundine : cumque hac de causa a quodam esuis levitatis notaretur : « None, inquit, tace; cum vero filius et ipse habueris, tunc tibi per me licebit regis insaniam illudere. » Idem hic diceret Paulus : modum nescit, pudorem nescit, laborem nescit maternus amor, nil sibi puerile, nil indecorum æstimat.

CONFUNDOR IN VOBIS, — pudore suffundor, erubesco. Ita aliqui, sed male; nam græce est ἀποροῦμαι ἐν ὑμῖν, id est hæreo, inops sum consilii, perplexus sum, nesciens quomodo debeam scribere apposite vobis, ut vos permoveam, quod Noster proprie vertit, *confundor*. Aliud enim est pudere et erubescere, aliud confundi, hoc est animo turbari, ut nescias quid sit agendum. Rursus Maldonatus in *Notis manuscr.*, duas alias affert explicationes. Prior est, « confundor in vobis, » id est non sum consecutus fructum prædicationis meæ quem exspectabam, itaque confundor. *Secundus*, ἀπορέομαι, id est hæsito et dubito an Christiani sitis, an Judæi.

21. LEGEM NON LEGISTIS. — Νόμον οὐκ ἀκούετε, *legem non auditis?* hoc majoris est energiæ, *q. d.* Si me non audistis, legem ipsam quam ambitis, audite; ipsa vos a se ad Christum amandabit.

22. ABRAHAM DUOS FILIOS HABUIT, UNUM (scilicet Ismael) DE ANCILLA (videlicet Agar, quæ, utpote ancilla, secundaria erat uxor Abrahæ), UNUM (scilicet Isaac) DE LIBERA, — nimirum Sara, quæ primaria fuit uxor Abrahæ, domina et materfamilias, cujus filius erat hæres : nam concubinarum, qualis erat Agar, filii non erant hæredes, sed eis pater dabat munera, quæ volebat, ut dicitur *Gen.* XXV, 5 et 6.

23. SED QUI DE ANCILLA, SECUNDUM CARNEM NATUS EST. — Ismael genitus est naturaliter, nimirum per carnis vires, per carnalem ac naturalem generationem, quas habet, ut ex juvencula, qualis erat Agar, Abraham, licet senex, posset suscitare proles.

QUI AUTEM DE LIBERA, PER REPROMISSIONEM. — Isaac genitus est non virtute carnali et naturali, quia hæc in anu et sterili Sara defecerat, ut ex ea naturaliter suscitare prolem non posset senex et ipse Abraham; sed « per repromissionem » genitus est, puta per virtutem divinam et supernaturalem Dei, qui Abrahæ ex Sara supra naturam generationem Isaaci promiserat, *Gen.* XVII, 18.

Isaac genitus per repromissionem.

24. QUÆ SUNT PER ALLEGORIAM DICTA. — Allegoria est continua metaphora, estque in verbis et vocibus : hic vero, et passim apud Ecclesiasticos scriptores, significat typum et figuram, qua non voces, sed res et gesta in veteri Testamento significabant res et sacramenta novi Testamenti (1). Unde subdit :

VERS. 24.

Replicatur allegoria et typus Saræ et Agar.

HÆC ENIM (græce αὗται, *ipsæ*, Sara videlicet et Agar) SUNT (id est per allegoriam, significant) DUO TESTAMENTA, — novum scilicet et vetus. Ita Hieronymus, Chrysostomus, Theodoretus, Anselmus. Vide *Can.* 6, ubi dixi hoc loco quatuor esse Scripturæ sensus. *Primus*, litteralis, est planus litteræ sensus, scilicet Abraham ex Agar genuisse Ismaelem naturaliter, Isaacum ex Sara supernaturaliter. *Secundus*, allegoricus, cum ait : « Quæ sunt per allegoriam dicta; hæc enim sunt duo testamenta. » *Tertius*, tropologicus, cum ait, vers. 29 : « Sed quomodo tunc is qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum qui secundum spiritum : ita et nunc. » *Quartus*, anagogicus, cum ait, vers. 26 : « Illa autem quæ sursum est Jerusalem, libera est, quæ est mater nostra. »

Duplex testamentum, unum cum Mose et Deo initum, alterum cum Christo.

SUNT DUO TESTAMENTA, — duo pacta, duo fœdera : hoc enim significat Græcum διαθῆκαι, ut dixi I *Cor.* XI, 25. Prius pactum et fœdus fuit initum cum Mose et Hebræis in Sina, quo Deus promisit se Hebræorum fore Deum, tutorem et protectorem, daturumque se illis terram Chanaan : Hebræi vicissim acceptantes tam benignum Dei pactum, eique consentientes promiserunt se decalogum aliasque Dei leges judiciales et cæremoniales servaturos, *Exod.* XXIV. Secundum pactum et fœdus fuit initum cum Christo et Christianis in Jerusalem et Sion, quo Deus Christo promisit se fore Christianorum Deum, amicum, patrem, eisque quasi filiis daturum hæreditatem suam cœlestem : Christiani vicissim per Christum et Apostolos tacite tam liberale Dei pactum amplectentes, Christique voluntati, dictis, promissis et præceptis consentientes, promiserunt se Christi fidem et præcepta servaturos, ut patet ex toto Evangelio, sed maxime ex ultima Christi cœna, quam des-

(1) Id est, ad sensum altiorem referri et applicari possunt. Hesychius : Ἀλληγορία, ἄλλο τι παρὰ τὸ ἀκουόμενον ὑποδεικνύουσα.

cribit S. Joannes, cap. XIII et seq., in qua sanguine suo in Eucharistia fœdus hoc sanxit et firmavit, ut narrant S. Matthæus, Marcus, Lucas et S. Paulus.

UNUM QUIDEM A MONTE SINA (ita Græca, Syrus, et passim Latina, Latinique, Hieronymus, Ambrosius et alii; aliqui tamen legunt, *in monte Sina*, sed idem est sensus, *q. d.* Vetus testamentum a monte Sina traditum et promulgatum est) IN SERVITUTEM GENERANS, — hoc est, servos generans, videlicet Judæos, servientes umbris multiplicium, onerosarum et prægravium cæremoniarum, idque timore pœnarum, ac spe bonorum terrenorum, abundantiæ videlicet frumenti, vini et olei, quæ Deus promisit Judæis, si legem pactumque servarent.

Agar serva testatur vetus et servile significat.

QUÆ EST AGAR. — Augustinus et Ambrosius paulo clarius legunt, *quod est Agar*, *q. d.* Quod testamentum vetus et servile significat Agar serva. Ita Hieronymus, Chrysostomus, Anselmus.

Vers. 25.

25. SINA ENIM MONS EST IN ARABIA. — Græca adduntur, Agar; sic enim habent, τὸ γὰρ Ἄγαρ Σινᾶ ὄρος ἐστὶν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ, hoc est, *Agar enim Sina mons est in Arabia*, et ita legunt Syrus, Chrysostomus, Theophylactus, Œcumenius, qui docent Agar esse montem Sina; montem enim Sina ab Arabibus vocari Agar, *q. d.* Apte Agar serva significat montem Sina, et testamentum in Sina conditum pro servis, unde et Arabes Sina vocant Agar. Sed hoc ut ita sit, hiulcum est et distortum : nam vers. præced. dixit Agar esse, id est significare, testamentum vetus : quomodo ergo mox subderet Agar esse montem Sinæ? Videntur ergo Græca hic, iti et alibi, esse corrupta, legendumque ut Noster legit, uti et Beza fatetur : hæc enim lectio plana est, vera et certa.

Græca lectio hic est corrupta.

IN ARABIA, — *q. d.* Etiam Arabes hanc Judæam servitutem significant; soliti enim sunt ipsi servire : unde adagium, *Arabs tibicen*, cujus meminit Julius Pollux, qua olim sola mancipia musicam exercebant, quæ plerumque ex Arabia producebantur. Unde congrue in Arabia, nimirum in Sina, vetus servorum testamentum edidit Deus.

Musici olim soli servi.

Sensus litteralis et tropologicus verborum *Agar*, *Sina*, *Arabiæ*, *Samael*.

Addit Chrysostomus : « Agar hebraice significat incolatum, Sina tentationem, Arabia occasum; Ismael idem est quod auditio Dei. Significatur ergo, ait S. Hieronymus, per Agar, vetus testamentum non fore perpetuum; per Sina, tentationem fore; per Arabiam occasurum; per Ismael qui tantum audiat præcepta Dei, non faciat, hominem scilicet rusticum, sanguinarium, qui fratribus hostis sit, significari Judæos duros, feros, hostes Christianorum, qui legem audiunt et non faciunt. »

Tropologice, idem Hieronymus : « Christiani de Agar nati sunt, qui sacræ Scripturæ cortícem tantum sectantur, et in timore serviunt; de Sara vero nati sunt, qui spiritum et allegoriam legis veteris sectantur, serviuntque ex amore. » Vide hac de re disserentem S. Augustinum, lib. III *Contra duas epist. Pelag.*, cap. IV, ubi docet Abraham, Noe, Moysen, omnesque justos in veteri Testamento, filios esse novi Testamenti; quia eadem fide incarnationis et passionis Christi justificati sunt, eodem spiritu, eadem gratia, eodem Christi amore vixerunt; contra Christianos, qui jam timore pœnæ et coacti faciunt legem, filios esse veteris Testamenti, non novi.

Christiani qui vivunt more pœnæ legem servant, sunt sub vetere testamento.

QUI CONJUNCTUS EST EI QUÆ NUNC EST JERUSALEM, — *q. d.* Sina mons confinis, conterminus et vicinus est Hierosolymæ. Ita Hieronymus, Chrysostomus, Syrus. Idque *primo*, et proprie quoad locum : quia, ut tradunt Borchardus, Adrichomius, Zieglerus in *Descriptione terræ sanctæ*, Judæa, in qua est Jerusalem, confinis est deserto, in quo est Sina; tantum enim interjacet mons Idumææ. Sed mons hic tota est Idumæa, quæ montosa est, et bene magna, ideoque Judæa non tam conjuncta, quam longe a Sina disjuncta dicenda videtur.

Tripler hujus loci sensus.

Secundo, S. Thomas, conjuncta est Sina Hierosolymæ non vicinia loci, sed continuatione itineris, quia Hebræi ex Ægypto recto et continuo itinere per Sina iverunt in Judæam. Sed et hoc remotius est : sic enim mare Rubrum, ipsaque Ægyptus, id est Ægypti limites et fines, quæ transiverunt Hebræi euntes in Chanaan, dicerentur conjuncta Judææ.

Unde *tertio* et melius, Theophylactus, Vatablus et alii passim conjunctionem non loci, sed similitudinis accipiunt.

Hinc Glossa Ordinaria, « conjunctus, » inquit, hoc est *similis*. Græce enim est συστοιχεῖ, id est cognationem et similitudinem habet; στοῖχος enim est ordine progredi, sive in serie stare. Inde Grammatici litteras vocant στοιχεῖα, quod certa serie una alteri jungatur; Philosophi rerum elementa vocant στοιχεῖα, puta terram, aquam, aerem et ignem, quod horum quodque suo ordine et consistat, et aliis nectatur. Idem versus σίγα dicuntur, et acies ordine compositæ σίγα vocantur. Unde σύστοιχα, inquit Budæus, vocantur cognata, et συστοιχία, est series et dispositio rerum inter se cognatarum et similium. Sic ergo mons Sina συστοιχεῖ, id est cognationem habet et similitudinem, estque in eadem quasi serie, proportione et ordine rerum, cum Hierosolyma : quia scilicet illam apta quadam convenientia et allegoria significat et repræsentat.

Elementa vocantur στοιχεῖα.

Convenientia et similitudo quadruplex notatis Sina cum Hierosolyma.

Primo, quia sicut Sina mons sterilis est in deserto, ita Jerusalem in cæremoniis sterilis est et arida. Rursum in Sina data est lex, in Jerusalem servata. *Secundo*, sicut Sina est extra terram promissionis : ita Jerusalem hæc legalis est extra Christi Ecclesiam, tum militantem, tum triumphantem. *Tertio*, et magis ad mentem Apostoli, sicut Sina genuit et aluit servos tum Arabes, tum Judæos, qui in Sina servilem legem acceperunt cum tuba, tonitru, terræmotu, ut iis quasi serui terrerentur, et horum, aliarumque pœnarum metu ac timore ad legem servandam adigerentur : ita jam Jerusalem quoad vitam et doctrinam Sinaica et legalis generat Judæos servos, qui umbris serviant, et timore pœnarum, æque ut illi Sinaici, ad custodiendam legem compellantur. *Denique* Sina cognationem habet cum Jerusalem, quia Sinaici illi Judæi qui in Sina legem acceperunt, parentes fuerunt Judæorum, qui jam vivunt in Jerusalem; et sicuti in natura, sic et in indole servili, moribusque Judaicis utrique conveniunt.

Est metonymia, qua Sina et Jerusalem suos incolas civesque significant, scilicet Judæos, *q. d.* Quemadmodum Agar serva significabat servile testamentum Judæorum; sic et mons Sina Judæos servos generans, significabat Jerusalem Judæos servos generantem : hoc siquidem innuit vox *enim*, nimirum ut probet testamentum vetus Judæorum, quorum metropolis erat Jerusalem, a Sina ortum in servitutem, hoc est, servos generare. Sic autem probat : Qualis fuit Sina, talis fuit et Jerusalem; atqui Sina generavit servos, uti jam declaratum est : ergo et Jerusalem servos generavit et generat, veteris scilicet Testamenti.

ACCIPE SCHEMA HUJUS συστοιχίας, ÆQUE AC ἀντιστοιχίας ILLI OPPOSITÆ.

σύστοιχα	ἀντίστοιχα	σύστοιχα
Servitus		Libertas
Agar serva	Uxores duæ	Sara libera
Ismael ex carne, servus	Filii duo	Isaac ex promissione, ingenuus
Lex in Sina	Testamenta duo	Evangelium in Sion
Jerusalem terrestris, Synagoga Judæorum, serva	Civitates duæ	Jerusalem cœlestis et divina, per gratiam mater omnium fidelium, libera
Judæi qui in cæremoniis et umbris legis manent.	Filii duo	Fideles qui gratiam Christi amplectuntur.

ACCIPE SIMILE SCHEMA IN ELEMENTIS.

σύστοιχα		σύστοιχα
Ignis	ἀντίστοιχα	Aqua
Aer		Terra

Hinc Physici ἀντίστοιχα elementa vocant symbola, ἀσύστοιχα vocant asymbola.

ACCIPE SIMILE IN NUMERIS.

Impar		Par	
1	ἀντίστοιχα	2	
3		6	
5		10	σύστοιχα
7		14	
9		18	

Numeri enim pares imparibus sunt ἀντίστοιχα : pares autem paribus, æque ac impares imparibus.

Quæ nunc est Jerusalem, — *q. d.* Quæ nunc appellatur Jerusalem, cum olim dicta sit Jebus et Salem, deinde velut ex utrisque composito vocabulo Jerusalem quasi Jebusalem vocata est, quod nomen nunc retinet : postea ab Ælio Adriano Ælia est dicta. Ita Erasmus.

Aquisitæ origo et causa nominis Jerusalem.

Secundo et melius, « quæ nunc est Jerusalem, » id est præsens Judaica Jerusalem : hanc enim opponit Jerusalem illi, quæ sursum est, versu sequenti, hoc est Ecclesiæ Christi.

Tertio, « quæ nunc est, » id est quæ mortalis est, caduca et brevi scritura.

Adde, nomen *Jerusalem* non esse conflatum (ut vult Erasmus et alii) ex Jebus et Salem, sed ex יִרְאֶה *ire*, id est videbit, et antiquo urbis nomine *Salem* : quia enim Abraham, *Genes.* XXII, immolaturus filium Isaac in monte Sion, roganti Isaac ubinam esset victima holocausti immolanda, respondit : Deus videbit et provadebit sibi victimam, fili mi; hinc mons ille dictus est Dominus videbit, vel Moria, id est visio Dei, ut patet *Genes.* XXII, 3, 8 et 14, ac consequenter urbs monti huic Sioni, sive Moria, subjecta, dicta est Jerusalem. Ergo conflatur ex *ire*, id est videbit, et *Salem*, hoc est pacem, *q. d.* Visio pacis. Ita Andreas Masius in Josue X. Unde patet scribendum esse Jerusalem, non Hierusalem, per I videlicet, ut habet origo Hebræa, non per H.

ET SERVIT CUM FILIIS SUIS, — scilicet Agar, hoc enim requirit Græcum pronomen femininum αὐτῆς. Unde Lovanienses Biblia correctissima, verba illa, « Sina enim mons est in Arabia, qui conjunctus est ei, quæ nunc est Jerusalem, » parenthesi includunt, ut sequentia, « Et servit cum filiis suis, » referantur ad finem versus præced., « Quæ est Agar, » *q. d.* Sicut Agar serva Ismaelem et posteros ejus servos generat, ita allegorice significat testamentum vetus generare servos. E contra, sicut Sara libera liberum genuit Isaac et posteros ejus (partus enim sequitur ventrem), ita allegorice significat novum Testamentum generare liberos, ut sequitur.

Servitus veteris Testamenti ea-rem habet in deo-bus, qui et liberta-tis Christi-anæ.

Nota : Servitus veteris legis et testamenti consistebat maxime in duobus : *primo*, quod cogeret homines metu pœnæ, non amore justitiæ, Deo et legi obsequi; *secundo*, quod crassis et corporalibus cæremoniis ad justitiam et salutem inutilibus occuparentur sub illa lege Judæi, earumque multitudine et gravitate quasi servi onerarentur, et quasi opprimerentur.

Contra libertas Evangelii et legis Christianæ in eo sita est, *primo*, quod amore et spiritu nos ducit ad Deo legique serviendum; *secundo*, quod nos docet Deum in spiritu veritateque colere, ac licet suas ipsa etiam cæremonias habeat, eæ tamen spiritui subserviunt, eumque excitant et acuunt.

Vers. 26. 26. ILLA AUTEM QUÆ SURSUM EST JERUSALEM, LIBERA EST, QUÆ EST MATER NOSTRA. — Ita vocat præsentem Ecclesiam novi Testamenti. Pro quo nota, Ecclesiam Christianam, quam significat Sara, id est princeps vel domina, quæque opponitur Synagogæ Judæorum, quam significat Agar serva, quatuor his notis insigniri : *primo*, quod sit de sursum; *secundo*, quod sit Jerusalem; *tertio*, quod sit libera; *quarto*, quod sit mater fœcunda.

Ecclesia Christi-anorum quatuor notis in-signitur.

Quæritur *primo*, quomodo *de sursum* est? Respondeo : *Primo*, quia Christus ejus caput e cœlo descendit, ac rursum in cœlos ascendit, indeque Ecclesiam regit. *Secundo*, quia perfectio Ecclesiæ in superis ac cœlestibus rebus est, nimirum in fide, spe, charitate. *Tertio*, quia virtus Sacramentorum ejus e sursum provenit, et Deum ipsum in Ecclesia quasi de sursum advenientem, præsentem habet. *Quarto*, quia disciplina et conversatio ejus in cœlis est, cor et thesaurum habet in cœlo apud sponsum suum. *Quinto*, quia ad æternam coronam et quietem in cœlo anhelat ac tendit. Ita Hieronymus, Ambrosius, Anselmus. Vide *Apocal.* XXI, 1.

Ecclesia cur voca-tur Jeru-salem?

Quæritur *secundo*, cur dicitur *Jerusalem*? Respondeo, quia Jerusalem, ut dixi vers. præced., idem est quod visio pacis : hanc enim Ecclesiæ providet ac procurat Deus, ut scilicet gaudeat pace, non terrena, sed spirituali et cœlesti; quam Christus abiens, *Joan.* XIV, 27, ei legavit dicens : « Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis; » quæ est pax conscientiæ cum Deo, secum, et cum omnibus hominibus quantur est ex parte sua. *Secundo* et magis ad litteram, quia, sicut in Sina lata est lex vetus, ita in Sion et Jerusalem lata est lex nova, ibique cœpit Ecclesia nova et Christiana. Hinc passim Prophetæ Ecclesiam Christianam vocant Sionem, vel Jerusalem.

Quæritur *tertio*, cur vocatur *libera*? Nota : Quadruplex est libertas. *Prima*, civilis, quæ opponitur servituti civili mancipiorum. *Secunda*, moralis, quæ excludit servitutem cupiditatum et vitiorum, metumque rerum adversarum, in qua Stoici perfectionem et beatitudinem ponebant, si videlicet quis de seipso vere dicere posset : « Etiamsi fractus illabatur orbis, impavidum ferient ruinæ. » *Tertia*, spiritualis, ex perfecta charitate, quæ foras pellit timorem, proveniens; per quam non servili timore, sed amore filiali, reverentiaque servitur Deo, idque non corporalibus cæremoniis, sed in spiritu et veritate, ut dixi vers. præced., et hoc est, quod proprie hic spectat Apostolus. *Quarta*, cœlestis, quæ excludit omnem corporis et animi servitutem, quæ quibusvis ærumnis corporis et animi subjacet, estque consummata hominis felicitas. Dico ergo : Ecclesia jam habet libertatem moralem et spiritualem; spe vero ac voto cœlestem præcipit et prægustat, illam re ipsa post resurrectionem adeptura.

Cur ma-ter fœ-cunda sit.

Quæritur *quarto*, cur nuncupatur *mater* fœcunda? Respondeo, quia ex sterili gentilitate, quæ dæmonibus serviebat, collecta Ecclesia Christi multos et filios spirituales peperit et parit; non ex solis Judæis, ut Synagoga, sed ex omnibus et Judæis et Gentilibus; eosque Christo ad cœlum transmittit. Unde sequitur :

Vers. 27. 27. LÆTARE (o Ecclesia ex Gentibus vocata et collecta, quæ eras) STERILIS (antea, et deserta a Deo, fide et lege), QUÆ NON PARIS (quæ hactenus non soles Deo filios parere; Deo jam desponsata) ERUMPE ET CLAMA. — Ita Septuaginta, quos sequitur Paulus, et, ut habet ad verbum Isaias, *decanta laudem*, vel, ut hebraice est, *jubilum, et hinni*, quia per Christum Christique fidem *fœcundata es*, ut multos et parias filios spirituales præ ea quæ habet virum, id est præ Synagoga, cujus maritus erat lex, vel ipse Deus, non qua clemens pater, sed qua terribilis legislator et vindex. Synagoga enim quoad carnem genuit solos Judæos; Ecclesia vero quasi mater omnes Gentes credentes in Christum complexa est : quoad spiritum vero longe pauciores Deo peperit Synagoga, Prophetas scilicet, Patriarchas, et paucos alios viros sanctos, idque non viribus suis, sed gratia et virtute Christi, qui parens est novi Testamenti. Ita Hieronymus, Anselmus, Theophylactus.

Secundo et magis ad litteram, Abraham significat patrem omnium multitudinis.

Citat Apostolus caput *Isaiæ* LIV, quod licet Judæi interpretentur de restauratione terrenæ Jerusalem; Chiliastæ vero, sive Millenarii, de mille annis felicitatis quos fingunt Sanctos post diem judicii in terra acturos in omni carnis voluptate, ut testis est ibidem Hieronymus : tamen ex hoc Pauli loco patet Isaiam loqui de felicitate et fœcunditate Ecclesiæ Christianæ. De qua pulchre S. Ambrosius, lib. I *De Virginibus* : « Sancta, inquit, Ecclesia immaculata coitu, fœcunda partu, virgo est castitate, mater est prole : parturit itaque nos virgo non viro plena, sed spiritu : parit nos virgo, non cum dolore membrorum, sed cum gaudio angelorum; nutrit nos virgo non corporis lacte, sed Apostolorum; virgo est Sacramentis et virtutibus, mater est populis, cujus fœcunditatem Scriptura testatur : Quoniam plures filii desertæ, quam ejus quæ habet virum et sponsum; eo quod sive Ecclesia in populis, sive anima in singulis Dei Verbo, sine ullo fluxu pudoris quasi sponso innubit æterno. » Et S. Hieronymus hic : « Ecclesia, inquit, din sterilis non peperit antequam Christus de Virgine nasceretur : sed cum Christum quasi Isaac, id est risum, mundo peperit de Abrahamo, id est de electo patre cum voce sublimium dogmatum resonante, proles plurimas Deo peperit. » Abraham enim Hieronymo dicitur hebraice quasi אב בר המון *ab bar hamon*, id est pater electus cum sonitu.

Ecclesia est virgo virtutibus, mater prole.

Abraham significat patrem excelsum cum sonitu.

Nota : Abraham primo vocatus fuit Abram, quasi dicas אב רם *ab ram*, id est pater excelsus : tumque ex Agar genuit Ismael. Deinde fœdus iniens cum Deo, accipiensque promissionem de Isaaco a se generando, et terra Chanaan ab eo possidenda, mutatum illi a Deo fuit nomen, id pro Abram, ut *Genes.* XVII, 5, dictus est Abraham, *q. d.* אב רב המון *ab rab hamon*, id est pater magnæ multitudinis, scilicet ex Isaac secundum carnem, et ex Christo secundum spiritum nascituræ et descensuræ ab Abraham. Hæc genuina est ratio et significatio nominis Abraham. S. Hieronymus tamen vult etiam aliudere alio nomen Abraham, scilicet ad אב בר המון *ab bar hamon*, id est pater electus cum sonitu et tumultu, vel cum turba et multitudine; hæc enim omnia significat *hamon*.

Abraham est typus Dei, Agar Synagoga, Sara Ecclesia.

Nota *secundo* : Symbolice Abraham est Deus; hic ex Agar serva, hoc est ex Synagoga, genuit Ismael servum, id est **Mosen et Judæos servos legis veteris**, eisque fuit Abram, id est pater excelsus, qui ab alto tonuit legem ex Sina, eisque se exhibuit quasi Dominum majestate venerandum et vindicta terribilem : Abraham vero, hoc est idem Deus, ex Sara, id est Ecclesia, libera genuit Isaac (hoc est, risum et gaudium) quasi liberum et hæredem, puta Christum et Christianos, eisque fuit Abraham, id est pater magnæ multitudinis, scilicet ex omnibus Gentibus per Christum, Christique fidem et baptismum regenerandæ; vel, ut Hieronymus, fuit Abraham, id est pater electus cum sonitu, quia per Joannem Baptistam, Christum et Apostolos magna voce prædicavit regnum Dei, omnesque credentes eo vocavit, et ad illud elegit omnes, qui in fide et obedientia Christi, in qua baptizati et renati sunt, persistunt.

Ubi nota *tertio*, Isaac, id est Christum, dici natum ex Sara, hoc est Ecclesia, non quasi Ecclesia sit a parte rei mater Christi, aut prior Christo, cum a Christo cœperit et fundata sit; sed quod in mente Dei et ideæ divinæ quodammodo Ecclesia fuerit prior, ac Christi mater. Deus enim voluit primo existere Synagogam, deinde ei surrogare Ecclesiam : itaque habuit Deus primo in mente et intentione ideam Synagogæ, deinde Ecclesiæ, et ex hac voluntate, decreto et intentione voluit et decrevit quasi in secundo instanti et signo rationis, ut loquuntur Scholastici, creare et producere Mosen, quasi primum ideæ hujus filium, qui reliquum ideæ exequeretur, ipsamque Synagogam inchoaret et institueret. Pari modo ex voluntate ac decreto condendi Ecclesiam voluit creare et producere Christum quasi primum ideæ hujus, id est Ecclesiæ, prout erat in mente Dei, filium, qui reliquum ideæ exequeretur, ipsamque Ecclesiam quasi primus et angularis illius lapis inchoaret, fundaret, instrueret. Sic Christus et Christiani vocantur vers. seq., et alibi, *filii promissionis* et *prædestinationis Dei* : quia eorum, uti et matris, id est Ecclesiæ, productio pure et mere fuit opus et creatio solius Dei, divinæque voluntatis et prædestinationis tanquam patris, et divinæ conceptionis ac ideæ tanquam matris.

Christus, ut Ecclesia.

Vers. 28. 28. NOS AUTEM, FRATRES, SECUNDUM ISAAC (instar Isaac, qui non virtute carnis, sed promissionis divinæ natus est ex anu et sterili Sara) PROMISSIONIS FILII SUMUS.

Vers. 29. 29. SED QUOMODO TUNC IS, QUI SECUNDUM CARNEM NATUS FUERAT (hoc est Ismael, carnali virtute et generatione prognatus ex Agar), PERSEQUEBATUR EUM QUI SECUNDUM SPIRITUM, — id est Isaac, qui natus est ex Spiritus Sancti promissione et virtute supra naturam ex Sara, quasi typus fidelium et spiritualium filiorum legis novæ. Ita Anselmus.

Locus *Genes.* XXI, illustratus.

Nota : Alludit Apostolus, vel potius citat rem gestam *Genes.* XXI, 8, ubi dicitur : « Crevit itaque puer (Isaac) et ablactatus est, fecitque Abraham grande convivium in die ablactationis ejus : cumque vidisset Sara filium Agar Ægyptiæ (Ismaelem) ludentem cum Isaac filio suo, dixit ad Abraham : Ejice ancillam hanc, et filium ejus; non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac. »

Ubi adverte, Ismaelis cum Isaac fuisse irrisionem, subsannationem, vexationem, imo persecutionem, uti hic interpretatur Apostolus; sic ludunt canes cum furibus, et feles cum muribus : sic duellum Joab cum Abner vocatur lusus, II *Reg.* II, 14 : « Surgant, inquit Abner, pueri, et ludant coram nobis. » id est coram nobis digladientur, pugnent, duellent. Cur Ismael irriserit et persecutus sit Isaacum, causam fuisse putat Hieronymus et alii, quod invideret convivio in ablactatione Isaaci celebrato, ac consequenter primogenituræ ac hæreditati Isaaci, itemque promissioni de semine benedicto, id est Christo, ex Isaac nascituro. Agar vero Ismaelem filium irridentem non repressit, unde tam in eam, quam in Ismaelem exarduit Sara, et tam Agar, quam Ismaelem, ejici voluit.

Ismael derisens Isaac, figura fuit Judaicæ et persecutricis Ecclesiæ.

ITA ET NUNC, — *q. d.* Uti olim Ismael ironice insit cum Isaac, eum vexando et persequendo, ita nunc Judæi Christum regem libertatis irriserunt, vexarunt, crucifixerunt, ejusque libertos Christianos pertinaci odio persequuntur, uti jam vos Galatas vexant et persequuntur, ut sibi subjiciant, pessumdent atque pervertant. Ita Ambrosius, Anselmus. Vide Hieronymum et clarissime Rupertum in *Gen.* XXI, 9.

30. SED QUID DICIT SCRIPTURA? EJICE ANCILLAM. — Sunt verba Saræ, *Genes.* XXI, quibus petit ab Abraham marito, ut ejiciat Agar cum Ismaele vexante suum Isaac; quod licet Abraham ægre tulerit, Deus tamen hæc verba et postulata Saræ probat, jubetque Abrahamo, ut Saræ in illis obsequatur, tum quia in se æqua erant et justa, tum ob typum et significationem futurorum: volebat enim Deus hac ejectione Agar et Ismaelis ex domo et hæreditate Abrahæ, significare, pari modo repudiandam a Deo Synagogam cum Judæis, eosque benedictione, justitia, amicitia, Ecclesia et hæreditate Dei expellendos esse, quia Christum et Christianos persequuntur. Ita Patres jam citati.

Expulsio Ismaelis ex domo Abrahæ typica fuit repudiationis Judaicæ.

Nota : Pro eo, quod habet Paulus : « Non erit hæres filius ancillæ cum filio liberæ; » Sara in *Genesi* dixit : « Non erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac. » Non ergo verba, sed sensum sacræ Scripturæ reddit Paulus, idque ad majorem energiam et antithesin : Isaac enim solus mansit hæres, quia liber et filius liberæ; Ismael vero expulsus fuit, quia servus et servæ filius, invidens ac persequens fratrem suum liberum, ideoque hæredem Isaac.

Sic allegorice Christiani, quia liberi, sunt hæredes benedictionis et justitiæ Abrahæ; Judæi vero ab ea repelluntur, quia servi sunt invidentes, et Christum Christianosque persequentes, qui liberi sunt, ideoque hæredes; idque hic voluit significare Paulus, ideoque Isaac non vocavit Isaac, sed *filium liberæ*.

31. QUA LIBERTATE CHRISTUS NOS LIBERAVIT. — Pro *liberavit* Tertullianus legit, *manumisit*, *q. d.* Non nostris meritis, prosapiæ, talentis, sed Christi gratiæ tribuendum est, quod simus filii novi Testamenti et Ecclesiæ quasi liberæ, liberi, et liberati a veteris legis, Testamenti et Synagogæ quasi ancillæ, servitute.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit urgere Galatas, ut jugum legis veteris non admittant, ne expertes fiant fructus et justitiæ Christi, in quo nec proderit circumcisio, nec præputium, sed fides quæ per charitatem operatur.

Hinc secundo, vers. 13, *vocat eos ad libertatem Christianam, eamque sitam esse docet in charitate et spiritu, itaque a priori epistolæ parte, scilicet dogmatica, transit ad alteram, puta ethicam.*

Inde tertio, vers. 17, *docet carnem concupiscere adversus spiritum, et contra : atque tam carnis quam spiritus opera recenset.*

1. State, et nolite iterum jugo servitutis contineri. 2. Ecce ego Paulus dico vobis : quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit. 3. Testificor autem rursus omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ. 4. Evacuati estis a Christo, qui in lege justificamini : a gratia excidistis. 5. Nos enim spiritu, ex fide, spem justitiæ exspectamus. 6. Nam in Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium : sed fides, quæ per charitatem operatur. 7. Currebatis bene; quis vos impedivit veritati non obedire? 8. Persuasio hæc non est ex eo, qui vocat vos. 9. Modicum fermentum totam massam corrumpit. 10. Ego confido in vobis in Domino, quod nihil aliud sapietis : qui autem conturbat vos, portabit judicium, quicumque est ille. 11. Ego autem, fratres, si circumcisionem adhuc prædico, quid adhuc persecutionem patior? Ergo evacuatum est scandalum crucis. 12. Utinam et abscindantur qui vos conturbant. 13. Vos enim in libertatem vocati estis, fratres : tantum ne libertatem in occasionem detis carnis, sed per charitatem Spiritus servite invicem. 14. Omnis enim lex in uno sermone impletur : Diliges proximum tuum sicut teipsum. 15. Quod si invicem mordetis, et comeditis : videte ne ab invicem consummamini. 16. Dico autem : Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis. 17. Caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem

hæc enim sibi invicem adversantur : ut non quæcumque vultis, illa faciatis. 18. Quod si spiritu ducimini, non estis sub lege. 19. Manifesta sunt autem opera carnis : quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, 20. idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, 21. invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, et his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi : quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. 22. Fructus autem Spiritus est : charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, 23. mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Adversus hujusmodi non est lex. 24. Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. 25. Si spiritu vivimus, spiritu et ambulemus. 26. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes.

1. STATE, — firmi et constantes persistite in fide et libertate Christi, de qua præcessi in fine cap. præced. Imo Græci, Ambrosius, Syrus, Augustinus, nectunt *state* cum ultimis verbis cap. præcedent., sicque ordiuntur hoc caput : τῇ ἐλευθερίᾳ οὖν (hanc enim notam illationis habent Græca), ἡ Χριστὸς ἡμᾶς ἠλευθέρωσε, στήκετε, hoc est *libertate igitur, quæ Christus nos liberavit, state.*

NOLITE ITERUM JUGO SERVITUTIS CONTINERI. — *q. d.* Olim servistis idolis et dæmonibus, cur iterum servire vultis, non idolis, sed umbris et crassis onerosisque cæremoniis legis Moysi? Nota : Pro *contineri* græce est ἐνέχεσθε, id est, ut Vatablus, *ne implicemini*; Erasmus, *ne illaqueemini*, *q. d.* Judaizantes ad legem vos quasi ad retia et laqueum pelliciunt, iisque vos illaqueant, ac ita implicant, ut vos e tot tamque variis sinuosæ legis præceptis et ambagibus expedire et extricare non possitis.

2. SI CIRCUMCIDAMINI, CHRISTUS VOBIS NIHIL PRODERIT, — si circumcisionem apprehendilis, ut necessariam ad salutem, si spem justitiæ et salutis in ea ponitis, Christus, id est Christi redemptio, fides, gratia, baptismus, religio, scilicet Christianismus ipse, nihil vobis proderit. Hoc autem videmini facere, o Galatæ; hocque vobis Judaizantes persuadent : cum enim sitis Gentiles, et in gentilismo baptizati, factique Christiani, cur baptismo circumcisionem adjungitis? nullam sane justam aliam causam huic vestro facto prætexere potestis, nisi quod putetis circumcisionem ad justitiam et salutem prodesse, nec baptismum ad eam sufficere; nec enim prætexere potestis quod Judæi prætexunt, videlicet ad honorem suæ legis et gentis adhuc se circumcidere : hic enim adhuc justus est titulus et causa servandæ legis, modo salutis spem in ea non ponant. Ita Anselmus.

Circumcisio est Legis veteris pars. Vide.

TESTIFICOR (μαρτύρομαι, contestor quasi testis fidelissimus et verissimus, imo quasi vester Apostolus denuntio) OMNI HOMINI CIRCUMCIDENTI SE, QUONIAM DEBITOR EST UNIVERSÆ LEGIS FACIENDÆ, — quia per circumcisionem adscribi se curat militiæ Ecclesiæque Judaicæ, ac illam illiusque leges et onera, sponte sua subit, amplectitur et profitetur : est enim circumcisio tacita legis veteris onerosissimæ professio, quemadmodum baptismus est professio legis novæ et christianismi. Ita Anselmus et alii. Est nova ratio petita ab obligatione tot onerum legis pene importabilium, *q. d.* Ut quid circumcidimini? ut quid leges veteres tam multas, tam duras, tam molestas suscipitis? ut quid sponte jugum hoc induitis? quid enim aliud est circumcisio, quam harum legum et horum onerum spontanea susceptio et obligatio?

Amare in circumcisione quare Judæis licuerit, non Gentilibus? Vide.

4. EVACUATI ESTIS (scilicet per vos ipsos, vos ipsi evacuastis) VOS A CHRISTO, — id est a Christi redemptione, gratia, salute omnique efficacia et influxu meritorum ejus, ut amplius nihil boni in vos influere et derivare possit, sed vos omnibus suis beneficiis quasi vacuos relinquat.

Qui in lege justificamini Christi redemptionem.

QUI IN LEGE JUSTIFICAMINI (id est, qui justitiam ex circumcisione aliisque legis operibus quæritis. Unde explicans subdit), A GRATIA (id est a gratuita justificatione, quam per Christi fidem et gratiam in baptismo adepti estis) EXCIDISTIS, — quia scilicet gratiæ Christi, diffidendo illi, et ad legem recurrendo, fuistis et ingrati et injurii, ut propter injuriam hanc gravem et mortiferam, Christus gratiam suam et justitiam datam vobis subtraxerit.

Nota : Κατηργήθητε, id est *evacuati estis*, passivum est, sed hic accipitur in conjugatione et significatione *hitpael*, ut scilicet passionem ab eodem agente significent, sive actionem reflexam in seipsum, in qua idem est agens et patiens, *q. d.* Evacuati estis a vobis ipsis, ipsi vos evacuastis.

Hinc *secundo*, dicit « a Christo; » sicut enim puteus ruderibus obrutus, ab aquis evacuatur et exhauritur : ita vos Christo Christique gratia antea pleni, jam eam e cordibus vestris evacuastis et exhausistis, itaque fructum omnem passionis ac redemptionis Christi perdidistis et abjecistis. Rursum « evacuati estis a Christo, » quia Christus in sua Ecclesia antea vos continens, jam ab ea vos rejecit et quasi evacuavit. Unde Græcum κατηργήθητε plane et clare verti posset, aboliti estis a Christo et christianismo, id est non estis amplius Christiani; et, ut Syrus vertit, descivistis a Christo.

Posset *secundo*, per hypallagen accipi cum Vatablo, « evacuati estis a Christo, » id est Christus factus est evacuatus est a vobis, *q. d.* Christus factus est vobis vacuus, id est otiosus, inefficax, inutilis et

Ismael derisens Isaac, figura fuit Judaicæ et persecutricis Ecclesiæ.

ITA ET NUNC, — *q. d.* Uti olim Ismael ironice insit cum Isaac, eum vexando et persequendo, ita nunc Judæi Christum regem libertatis irriserunt, vexarunt, crucifixerunt, ejusque libertos Christianos pertinaci odio persequuntur, uti jam vos Galatas vexant et persequuntur, ut sibi subjiciant, pessumdent atque pervertant. Ita Ambrosius, Anselmus. Vide Hieronymum et clarissime Rupertum in *Gen.* XXI, 9.

30. SED QUID DICIT SCRIPTURA? EJICE ANCILLAM. — Sunt verba Saræ, *Genes.* XXI, quibus petit ab Abraham marito, ut ejiciat Agar cum Ismaele vexante suum Isaac; quod licet Abraham ægre tulerit, Deus tamen hæc verba et postulata Saræ probat, jubetque Abrahamo, ut Saræ in illis obsequatur, tum quia in se æqua erant et justa, tum ob typum et significationem futurorum: volebat enim Deus hac ejectione Agar et Ismaelis ex domo et hæreditate Abrahæ, significare, pari modo repudiandam a Deo Synagogam cum Judæis, eosque benedictione, justitia, amicitia, Ecclesia et hæreditate Dei expellendos esse, quia Christum et Christianos persequuntur. Ita Patres jam citati.

Expulsio Ismaelis ex domo Abrahæ typica fuit repudiationis Judaicæ.

Nota : Pro eo, quod habet Paulus : « Non erit hæres filius ancillæ cum filio liberæ; » Sara in *Genesi* dixit : « Non erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac. » Non ergo verba, sed sensum sacræ Scripturæ reddit Paulus, idque ad majorem energiam et antithesin : Isaac enim solus mansit hæres, quia liber et filius liberæ; Ismael vero expulsus fuit, quia servus et servæ filius, invidens ac persequens fratrem suum liberum, ideoque hæredem Isaac.

Sic allegorice Christiani, quia liberi, sunt hæredes benedictionis et justitiæ Abrahæ; Judæi vero ab ea repelluntur, quia servi sunt invidentes, et Christum Christianosque persequentes, qui liberi sunt, ideoque hæredes; idque hic voluit significare Paulus, ideoque Isaac non vocavit Isaac, sed *filium liberæ*.

31. QUA LIBERTATE CHRISTUS NOS LIBERAVIT. — Pro *liberavit* Tertullianus legit, *manumisit*, *q. d.* Non nostris meritis, prosapiæ, talentis, sed Christi gratiæ tribuendum est, quod simus filii novi Testamenti et Ecclesiæ quasi liberæ, liberi, et liberati a veteris legis, Testamenti et Synagogæ quasi ancillæ, servitute.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Pergit urgere Galatas, ut jugum legis veteris non admittant, ne expertes fiant fructus et justitiæ Christi, in quo nec proderit circumcisio, nec præputium, sed fides quæ per charitatem operatur.

Hinc secundo, vers. 13, *vocat eos ad libertatem Christianam, eamque sitam esse docet in charitate et spiritu, itaque a priori epistolæ parte, scilicet dogmatica, transit ad alteram, puta ethicam.*

Inde tertio, vers. 17, *docet carnem concupiscere adversus spiritum, et contra : atque tam carnis quam spiritus opera recenset.*

1. State, et nolite iterum jugo servitutis contineri. 2. Ecce ego Paulus dico vobis : quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit. 3. Testificor autem rursus omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ. 4. Evacuati estis a Christo, qui in lege justificamini : a gratia excidistis. 5. Nos enim spiritu, ex fide, spem justitiæ exspectamus. 6. Nam in Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium : sed fides, quæ per charitatem operatur. 7. Currebatis bene; quis vos impedivit veritati non obedire? 8. Persuasio hæc non est ex eo, qui vocat vos. 9. Modicum fermentum totam massam corrumpit. 10. Ego confido in vobis in Domino, quod nihil aliud sapietis : qui autem conturbat vos, portabit judicium, quicumque est ille. 11. Ego autem, fratres, si circumcisionem adhuc prædico, quid adhuc persecutionem patior? Ergo evacuatum est scandalum crucis. 12. Utinam et abscindantur qui vos conturbant. 13. Vos enim in libertatem vocati estis, fratres : tantum ne libertatem in occasionem detis carnis, sed per charitatem Spiritus servite invicem. 14. Omnis enim lex in uno sermone impletur : Diliges proximum tuum sicut teipsum. 15. Quod si invicem mordetis, et comeditis : videte ne ab invicem consummamini. 16. Dico autem : Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis. 17. Caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem

hæc enim sibi invicem adversantur : ut non quæcumque vultis, illa faciatis. 18. Quod si spiritu ducimini, non estis sub lege. 19. Manifesta sunt autem opera carnis : quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, 20. idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, 21. invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, et his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi : quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. 22. Fructus autem Spiritus est : charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, 23. mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Adversus hujusmodi non est lex. 24. Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis. 25. Si spiritu vivimus, spiritu et ambulemus. 26. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes.

1. STATE, — firmi et constantes persistite in fide et libertate Christi, de qua præcessi in fine cap. præced. Imo Græci, Ambrosius, Syrus, Augustinus, nectunt *state* cum ultimis verbis cap. præcedent., sicque ordiuntur hoc caput : τῇ ἐλευθερίᾳ οὖν (hanc enim notam illationis habent Græca), ἡ Χριστὸς ἡμᾶς ἠλευθέρωσε, στήκετε, hoc est *libertate igitur, quæ Christus nos liberavit, state.*

NOLITE ITERUM JUGO SERVITUTIS CONTINERI. — *q. d.* Olim servistis idolis et dæmonibus, cur iterum servire vultis, non idolis, sed umbris et crassis onerosisque cæremoniis legis Moysi? Nota : Pro *contineri* græce est ἐνέχεσθε, id est, ut Vatablus, *ne implicemini*; Erasmus, *ne illaqueemini*, *q. d.* Judaizantes ad legem vos quasi ad retia et laqueum pelliciunt, iisque vos illaqueant, ac ita implicant, ut vos e tot tamque variis sinuosæ legis præceptis et ambagibus expedire et extricare non possitis.

2. SI CIRCUMCIDAMINI, CHRISTUS VOBIS NIHIL PRODERIT, — si circumcisionem apprehendilis, ut necessariam ad salutem, si spem justitiæ et salutis in ea ponitis, Christus, id est Christi redemptio, fides, gratia, baptismus, religio, scilicet Christianismus ipse, nihil vobis proderit. Hoc autem videmini facere, o Galatæ; hocque vobis Judaizantes persuadent : cum enim sitis Gentiles, et in gentilismo baptizati, factique Christiani, cur baptismo circumcisionem adjungitis? nullam sane justam aliam causam huic vestro facto prætexere potestis, nisi quod putetis circumcisionem ad justitiam et salutem prodesse, nec baptismum ad eam sufficere; nec enim prætexere potestis quod Judæi prætexunt, videlicet ad honorem suæ legis et gentis adhuc se circumcidere : hic enim adhuc justus est titulus et causa servandæ legis, modo salutis spem in ea non ponant. Ita Anselmus.

Circumcisio est Legis veteris pars. Vide.

TESTIFICOR (μαρτύρομαι, contestor quasi testis fidelissimus et verissimus, imo quasi vester Apostolus denuntio) OMNI HOMINI CIRCUMCIDENTI SE, QUONIAM DEBITOR EST UNIVERSÆ LEGIS FACIENDÆ, — quia per circumcisionem adscribi se curat militiæ Ecclesiæque Judaicæ, ac illam illiusque leges et onera, sponte sua subit, amplectitur et profitetur : est enim circumcisio tacita legis veteris onerosissimæ professio, quemadmodum baptismus est professio legis novæ et christianismi. Ita Anselmus et alii. Est nova ratio petita ab obligatione tot onerum legis pene importabilium, *q. d.* Ut quid circumcidimini? ut quid leges veteres tam multas, tam duras, tam molestas suscipitis? ut quid sponte jugum hoc induitis? quid enim aliud est circumcisio, quam harum legum et horum onerum spontanea susceptio et obligatio?

Amare in circumcisione quare Judæis licuerit, non Gentilibus? Vide.

4. EVACUATI ESTIS (scilicet per vos ipsos, vos ipsi evacuastis) VOS A CHRISTO, — id est a Christi redemptione, gratia, salute omnique efficacia et influxu meritorum ejus, ut amplius nihil boni in vos influere et derivare possit, sed vos omnibus suis beneficiis quasi vacuos relinquat.

Qui in lege justificamini Christi redemptionem.

QUI IN LEGE JUSTIFICAMINI (id est, qui justitiam ex circumcisione aliisque legis operibus quæritis. Unde explicans subdit), A GRATIA (id est a gratuita justificatione, quam per Christi fidem et gratiam in baptismo adepti estis) EXCIDISTIS, — quia scilicet gratiæ Christi, diffidendo illi, et ad legem recurrendo, fuistis et ingrati et injurii, ut propter injuriam hanc gravem et mortiferam, Christus gratiam suam et justitiam datam vobis subtraxerit.

Nota : Κατηργήθητε, id est *evacuati estis*, passivum est, sed hic accipitur in conjugatione et significatione *hitpael*, ut scilicet passionem ab eodem agente significent, sive actionem reflexam in seipsum, in qua idem est agens et patiens, *q. d.* Evacuati estis a vobis ipsis, ipsi vos evacuastis.

Hinc *secundo*, dicit « a Christo; » sicut enim puteus ruderibus obrutus, ab aquis evacuatur et exhauritur : ita vos Christo Christique gratia antea pleni, jam eam e cordibus vestris evacuastis et exhausistis, itaque fructum omnem passionis ac redemptionis Christi perdidistis et abjecistis. Rursum « evacuati estis a Christo, » quia Christus in sua Ecclesia antea vos continens, jam ab ea vos rejecit et quasi evacuavit. Unde Græcum κατηργήθητε plane et clare verti posset, aboliti estis a Christo et christianismo, id est non estis amplius Christiani; et, ut Syrus vertit, descivistis a Christo.

Posset *secundo*, per hypallagen accipi cum Vatablo, « evacuati estis a Christo, » id est Christus factus est evacuatus est a vobis, *q. d.* Christus factus est vobis vacuus, id est otiosus, inefficax, inutilis et

quasi enervatus (hoc enim est καταργήθητε, illique respondens hebræum פרע *para*) ; Christi labor vobis inanis est et cassus, Christi passio et redemptio in vobis est irrita, quia vim nullam, nullam efficaciam nullumque fructum, hoc est nullam gratiam in vos transfundit ; vacant in vobis Christi insignia, nomen et dignitas Christiani : ergo vel ista ponite, si legem ambitis ; vel, si retinere vultis, valedicite legi : alterutrum enim vacet necesse est. Similis hypallage in hoc eodem verbo Græco est *Rom.* VII, 8, ut ibi dixi.

5. NOS ENIM SPIRITU EX FIDE SPEM JUSTITIÆ EXSPECTAMUS. — Probat Judaizantes, qui justificari volunt ex lege, excidisse a Christo et christianismo, nec esse amplius Christianos : quia « nos, » inquit, qui veri et puri Christiani sumus, non ex lege, circumcisione aliisve corporalibus cæremoniis, sed « spiritu, » id est per spiritum gratiæ et charitatis, « ex fide, » scilicet Christi, acceptum, « spem justitiæ, » id est justitiam speratam « exspectamus. »

Fides quemodo proficiat ad spem, pœnitentiam et orationem, et gratiam?

Nota : Vocat *spiritum ex fide*, quia fides est, quæ hominem excitando ad spem, pœnitentiam et orationem, impetrat spiritum gratiæ Dei quo justificamur. Rursum, « spem justitiæ » aliqui accipiunt gloriam æternam, quam speramus per justitiam nostram adipisci. *Secunda* et melius, per hypallagen « spem justitiæ » explices justitiam *spei*, id est speratam, *q. d.* Justitiam, quam omnes speramus, quam omnes habemus in votis, ad quam omnes anhelamus, illam Judæi exspectant *ex* lege carnali, sed falso : nos vero Christiani vere illam exspectamus, quærimus et accipimus ex spiritu, quem accepimus ex fide Christi.

Vers. 6. 6. NAM IN CHRISTO JESU (in Christi doctrina, Ecclesia, religione, id est in christianismo, juxta Col. 3) NEQUE CIRCUMCISIO ALIQUID VALET (supple, ad justitiam, Christianamque, hoc est sanctam et beatam vitam), NEQUE PRÆPUTIUM (id est neque judaismus, neque gentilismus : vide quam deprimat judaismum, cum ei gentilismum æquiparat : ita Chrysostomus) : SED FIDES QUÆ PER CHARITATEM OPERATUR, — id est fides non sola, nec inanis et otiosa, sed quæ charitate perficitur, ut vertit Syrus, et in charitatis opera se diffundit, qualis fuit fides Magdalenæ pœnitentis, Christique pedes lacrymis abluentis : nam fides, quæ charitatem et opera non habet, fides est dæmonum, non Christianorum, ait Anselmus. Quod notent Novatores, qui soli fidei justitiam arrogant. Quocirca hoc syllogismo hunc deducto nostri Campianus, Anglice martyr, ad habet ejus Vita), in carcere disputans cum lutheranis, eos convicit : Fides quæ valet coram Deo ad justitiam Deique amicitiam, sive in qua est vis et valor justificandi, est illa, iste Apostolo, quæ per charitatem operatur, eoque charitati plane unita et conjuncta est ; atqui fides sola justificans quam statuunt Lutherani, non est fidis quæ per charitatem operatur ; præsupponitur enim ab iis esse sola, idcoque a charitate sejuncta in valore justificandi : *ergo* fides sola justificans quam statuunt Lutherani, non est fides quæ coram Deo valet ad justitiam Deique amicitiam ; adeoque contradictionem involvunt hæc duo : fidem esse solam, et tamen esse justificantem : ut enim justificet fides, sibi jungi postulat charitatem : non ergo est sola, quæ charitati est sociata.

Fides sola non justificat.

Nota : fides non operatur per charitatem, sicut causa efficiens operatur per instrumentum suum : sed sicut dispositio operatur per formam ad quam disponit : uti calor per formam ignis dicitur operari ligni inflammationem, lignumque ignire et in ignem convertere ; ita fides per charitatem operatur opera bona, efficiendo scilicet actus charitatis Dei et proximi, ac imperando actus aliarum virtutum. Charitas enim est quasi forma non essentialis, sed accidentaria, quæ fidei et omnibus bonis operibus vitam, valorem et meritum tribuit in ordine ad ultimum finem. Charitas enim fidei, et reliquis omnibus virtutibus dat *primo*, statim virtutis : ubi enim est charitas, ibi exulat vitium, regnat virtus, suumque habet statum et regnum : aliasque virtutes hoc eodem statu et regno suo donat, ut inde homo absolute virtute præditus, justus, sanctus denominetur. *Secundo*, charitas tribuit eisdem dignitatem, vim et efficaciam merendi : facit enim hominem divinum, Dei amicum et filium, ac consequenter opera illius facit divina, digna et grata Deo, ut iis Deus promittat æterna præmia. *Tertio*, tribuit eisdem ordinem ad ultimum finem : charitas enim totum hominem omniaque quæ in eo sunt, dirigit ad Deum, Deique amorem et laudem. Ita D. Thomas.

Charitas tribuit vis, dignitatem, gratiam et caritatem virtutibus.

Nota *secundo*, pro *operatur* græce est ἐνεργουμένη, quod verbum significat internam vim, occultam efficaciam et energiam, *q. d.* Fides charitate formata, eaque quasi anima sua animata, per intimam quamdam vim et spiritualem suum influxum opera virtutum vitalia operatur.

7. CURREBATIS BENE, — in vita et doctrina Christiana, quasi in via et studio ad æternæ gloriæ consequendum bravium.

QUIS VOS IMPEDIVIT (græce ἐνέκοψε, id est interpellavit a cursu hoc, eumque incidit ; S. Anselmus legit, *quis* vos *fascinavit* ?) NON OBEDIRE (ut a cursu aversi, eumque reflectentes, non obedietis) VERITATI, — doctrinæ Christi et Christianæ : sed deliberemini et decurreretis ad errores judaismi ? Notat Hieronymus in vetustis codicibus non inveniri *ut non obedire veritati*, et sine eo sensus plane sibi constat.

NEMINI CONSENSERITIS, — Judaizanti scilicet, volenti vos pellicere a cursu Evangelii ad judaismum. Sed nota : Hæc verba delenda sunt ; delent enim ea Biblia Romana et Græca.

8. PERSUASIO HÆC (qua vobis persuasum est, aut potius qua Judæi, qui vos in cursu Christianæ vitæ impediunt, vobis persuadere conantur, legalia necessaria esse Christiano ad salutem) NON EST EX EO, QUI VOCAT VOS, — id est, non est ex Deo Patre, qui vos ad fidem, gratiam et salutem vocavit per Christum ; sed potius ex diabolo est ejusque ministris. Ita Anselmus.

9. MODICUM FERMENTUM TOTAM MASSAM CORRUMPIT. — Græce, μικρὰ ζύμη ὅλον τὸ φύραμα ζυροῖ, id est, ut Hieronymi Commentarius vertit, *modicum fermentum totam conspersionem* (id est farinam conspersam et subactam, quam vulgo pastam vocant) *fermentat*, hoc est suo acore imbuit, inficit, corrumpit et acidam facit. Est adagium significans parvum alicujus partis vitium, totum pervadere ac depravare ; unde ad varia aptari potest. Hinc I *Cor.* cap. V, vers. VI, aptat illud fornicario, qui quasi fermentum totam Corinthiorum Ecclesiam suo exemplo et infamia aspergebat et corrumpebat : ita et hic aptat Judaizantibus, *q. d.* « Modicum fermentum, » etc., hoc est, pauci Judaizantes et errantes totam Ecclesiæ vestræ, o Galatæ, multitudinem corrumpunt : de hisce enim Judaizantibus agit in præcedentibus et sequentibus vers. 7, 8, 10 et 12. Ita Anselmus et Hieronymus qui ait : « Arius in Alexandria una scintilla fuit, sed quia non statim oppressa est, totum orbem ejus flamma populata est : quia sermo eorum uti cancer serpit in corpore, et unius pecudis scabies totum commaculat gregem. »

Fermentum exemplum totam Ecclesiam quasi fermentum corrumpit et corrumpit.

Secundo, recte ac valde apte hoc adagium accipi potest de ipsa doctrina et errore Judaizantium, *q. d.* « Modicum fermentum, » etc., id est modicus, imo unus error in fide, qualis est hic de servandis legalibus, totam fidei substantiam, ipsamque religionem ac Christianismum evertit ; vel, ut magis præcise et proprie Chrysostomus et Theophylactus, modicum fermentum est circumcisio, quæ sola, si eam recipialis, in perfectum judaismum vos trajiciet, sicuti fermentum, licet modicum, totam massam ad se rapit, et in suum saporem et acorem transmutat : de circumcisione enim egit vers. 2, 3, 6, et de ea dixi vers. 3, quod qui se circumcidit, debitor est universæ legis : videntur enim Judaizantes præcipue Galatis circumcisionem persuasisse, quasi rem modicam et levem, sed tacuisse reliqua legis onera, quæ circumcisi subibant et profitebantur. Unde ea hic delegit Paulus, dicitque circumcisionem esse possessionem totius judaismi, totiusque christianismi corruptionem, uti fermentum exiguum massam totam inficit et corrumpit.

10. CONFIDO IN VOBIS (id est de vobis) IN DOMINO (in clementia et gratia Domini, quod ipse vos in fide Christi, ad quam vos vocavit, stabiliet, quo fiet) QUOD NIHIL ALIUD SAPIETIS, — id est quod non credetis aliud scilicet, quam quod a Domino per os meum accepistis, et edocti estis de lege et libertate Christiana ; non sequemini novellos doctores novasque eorum persuasiones (1).

QUI AUTEM CONTURBAT VOS (judaismum novasque sectas inducendo, itaque totam Ecclesiam vestram turbando et lacerando), PORTABIT JUDICIUM, — id est pœnam et vindictam Dei, quam scilicet Deus acerrimus hæresum vindex justo suo judicio illi infliget ; est metonymia : *judicium*, id est condemnationem et pœnam judicio et judicis sententia irrogatam.

Deus acerrimus hæresum vindex.

11. EGO AUTEM, FRATRES, SI CIRCUMCISIONEM ADHUC PRÆDICO, QUID ADHUC PERSECUTIONEM PATIOR ? — Fingebant Judaizantes Paulum apud Judæos judaizare, apud Gentes judaismum impugnare : hoc figmentum hic refellit Paulus : Cur enim, inquit, Judæi tam acerbis odiis me persequuntur, nisi quia publice contrarium doceo, et ubique Evangelium stabilio, circumcisionem tollo et aboleo quantum possum ? Rursum,

Vers. 11.

ERGO EVACUATUM (καταργημα, abolitum est) SCANDALUM CRUCIS, — *q. d.* Si ita est de me, ut ipsi fingunt, ergo non est quod ipsi scandalizentur in cruce Christi, quam prædico : crucem enim et ipsi admittunt, voluntque videri Christiani, modo simul cum cruce Christi lex Mosis admittatur. Imo et puri Judæi, qui non nisi pro judaismo pugnant, non adeo curant prædicationem crucis, nisi quia per illam evertitur lex et judaismus ; adeo ut, si crucem cum judaismo combinarem et prædicarem, me non persequerentur. Jam vero cum ita in mea prædicatione crucis Christi scandalizantur et offendantur, patet me passim et aperte docere, per crucem Christi legem esse abolitam, atque ex cruce, non ex lege nos justificari, idcoque eos mihi tam esse infensos, me ubique insectari, quia scilicet ita prædico crucem Christi unam et solam viam et medium ad justitiam et salutem, ut tollam legem et circumcisionem.

Paulus cur fateatur Judæis odio ?

12. UTINAM ET ABSCINDANTUR QUI VOS CONTURBANT. — « Abscindantur, » scilicet ab Ecclesia, vestroque consortio, ne quasi fermentum totam Ecclesiam corrumpant : sic enim fornicarium ab Ecclesia abscindi jussit, I *Cor.* V, 3. Hic sensus planus est, et gravitate apostolica dignus.

Vers. 12.

Duplex hujus loci sensus.

Aliter tamen Ambrosius, Chrysostomus, Theophylactus, Hieronymus, Augustinus et alii, *q. d.* Utinam exsecentur omnino membro genitali, cujus occasione delinquunt, dum se et vos circumcidere volunt !

Dicas : Quomodo Apostolus mala Judaizantibus imprecatur ? hoc est enim contra charitatem, ac inficium animi impatientis et vindictæ cupidi. « Tam enim detestanda, ait Hieronymus, est abscissionis passio, ut et qui invitis eam intulerit, legibus publicis puniatur, et qui seipsum castraverit, infamis habeatur. »

Respondet *primo* Hieronymus, Apostolum ut hominem hoc ex passione dixisse ; sed absit non

Quatuor respon.

(1) Rectius : Ego de vobis in Domino confido, vos, hac mea perlecta Epistola, nihil aliud quæsituros, quam quod hactenus vos docui.

Glossa ad id quod hic objiciunt contra Apostolum Judaïs maledictum.

modo ab Apostolo, sed et a Spiritu Sancto, hæc passio maledicentiæ.

Unde aliam responsionem addit Hieronymus, scilicet non ex odio, sed partim ex zelo justitiæ (quomodo S. Petrus Simoni Mago, *Actor.* VIII, 20, et Elisæus pueris se irridentibus maledixit, (IV *Reg.* II, 24), partim ex amore exsectionem eis imprecatum esse, ut scilicet in eo quo peccant, scilicet in sua circumcisione puniantur, et puniti, hac ignominia corrigantur et emendentur.

Respondent *tertio*, S. Chrysostomus et Theophylactus, non esse maledicentiam, sed astysmum et licentiam : Apostolus enim festiva urbanitate jocatur in circumcisos, *q. d.* Si volunt, non solum circumcidantur, sed et exsecentur.

Quarto, S. Augustinus et Anselmus putant non esse maledictionem, sed benedictionem, *q. d.* Utinam Judaizantes spadones fiant et castrent se spiritualiter per castitatem et continentiam propter regnum cœlorum, ut sic desinant cogitare et prædicare Judaicam circumcisionem, incipiantque orbam ac cœlestia cogitare, et ad ea per legem et consilia Christi tendere. Inter has quatuor responsiones secunda planior est et solidior.

Origenes præcavit se castrando.

Denique hinc Origenes castravit se, ne concupiscentiæ motus ejus castitatem turbarent : sed perperam, ut recte Chrysostomus. Nec enim hæc est mens Apostoli, nec membra corporis, sed vitia resecanda sunt; alioqui et oculos et aures et linguam resecare liceret. Adde, hac castratione membrum, non concupiscentiam truncari : hæc enim in castratis sæpe etiam magis, quam in viris, ut docet S. Basilius, lib. *De Virginitate*, in turpia desideria et tactus inardescit. Unde *Eccli.* XX, 9, dicitur : « Concupiscentia spadonis devirginabit juvenculam; » et cap. XXX, vers. 31 : « Videns oculis, et ingemiscens, sicut spado complectens virginem et suspirans. »

Qui vos conturbant. — Οἱ ἀναστατοῦντες, id est, ut Chrysostomus, qui vos statu, scilicet libertatis, Evangelii et christianismi dimovent et labefactant. Ambrosius legit, *qui vos subvertunt*.

13. Vos enim in libertatem vocati estis, — ut per Evangelium sitis liberi ab onerosa et inutili servitute tot legalium cæremoniarum : hæc enim est libertas Christiana, quam tota epistola opponit servituti judaicæ.

Vide ergo quam contra mentem Apostoli hæc torqueant Novantes, dum volunt Christianos esse liberos ab omni lege positiva, id est non debere obedire Prælatis et magistratibus, ac consequenter nec parentibus : hoc enim est contra legem naturæ et decalogi, quæ jubet honorari patrem et matrem, estque evertere omnem politiam, omnem rempublicam, omnem ordinem hierarchicum, omnemque societatem et convictum humanum : cum nulla unquam gens fuerit quantumvis barbara, quæ non suos habuerit magistratus, quorum legibus et directioni se subjiceret. Videbant enim omnes aliter pacem et quietem publicam servari non posse, nec gentem posse subsistere. Si enim semel persuasum sit hominibus, legem Præpositorum sive civilium, sive ecclesiasticorum, non obligare in conscientia, sed tantum ad pœnam in foro exteriori luendam, liberrime homines legem violabunt, quandocumque putabunt id se vel secreto, vel impune facturos. Unde Christus, Paulus et Apostoli passim jubent Christianis, ut obediant Cæsari et magistratibus etiam infidelibus, non modo propter eorum iram et vindictam, sed etiam propter conscientiam, *Rom.* XIII, 5. Vide *Can.* 19.

Dices : Saltem a pari Christiani cum sint liberi, non debent gravari tot canonibus et legibus, quia alioqui par subeunt onus et parem servitutem, atque si subjicerentur tot legibus veteris Testamenti.

Respondeo non esse paritatem : *Primo*, quia panciores longe sunt leges Ecclesiæ quæ populum spectant; omnes enim ad quinque Ecclesiæ præcepta revocantur : canones vero, qui clericorum vitam, mores ac ritus spectant, plures sunt; sed nemo eos subire cogitur, nisi qui sponte sua vult fieri clericus; et Pontificis ac Episcoporum est providere, ne nimis multi edantur canones et censuræ, sed potius contrahantur : quod multi viri cordati exoptant ne nimis grave jugum, quale fuit Judæorum, clericis imponatur, illorumque conscientiæ illaqueentur. *Secundo*, quia leges veteres onerosiores erant ac difficiliores, ut patet in tot sacrificiis et lustrationibus. *Tertio*, quia umbræ erant legum novi Testamenti; hæ ergo faciliores in illarum locum succedunt, et tolerabilius est veritati, quam umbris servire. *Quarto*, veteres leges inutiles erant, quia internam pietatem et justitiam non promovebant, sed populum continebant, ne ad idola et idololatriam defluerent, ut passim docent Patres : leges vero Ecclesiasticæ ad spiritum devotionis, pietatis, charitatis excitandum feruntur et ordinantur, ut patet ex lege jejunii, lege audiendi Sacri, lege confitendi et communicandi.

Leges veteris Testamenti graviores novis ab quatuor rationes.

Tantum (scilicet cavete, et providete) ne libertatem (hanc a Judaicis cæremoniis) in occasionem detis carnis, — ut occasione hujus libertatis volentes (ut fit et ut jam faciunt Novantes) nimium eam extendere, libere ruatis in omnia carnis desideria, ut caro, et carnalis concupiscentia ex hac libertate occasionem accipiat plura concupiscendi, magisque suas concupiscentias explendi. Unde Græca clarius habent τῇ σαρκί, ne carni, supple, detis occasionem, libere scilicet quidvis concupiscendi, et carnaliter vivendi, quasi jam libera sit, nullisque præceptis tenearur, sed velut equus indomitus facere possit quidquid libuerit. Ita Hieronymus.

Libertas a lege carnis prædi.

Sed per charitatem spiritus servite invicem. — Vocem *spiritus* non habent jam Græca, nec S. Augustinus, nec Hieronymus; recte tamen additur, ut opponatur tum carni, tum cæremoniis legis.

Legis jugum communiter. Ebetatus jugo charitatis.

« Cum legis jugum, inquit Chrysostomus, detraxisset, ne subsilirent, aliud illis imponit jugum, nimirum charitatis, illo quidem validius, sed multo levius ac jucundius, » *q. d.* Nolo vos servire cæremoniis, nec carni, sed ab eis esse liberos, ut serviatis invicem per spiritum charitatis; et ex spiritali charitate alter alteri succurrat, opituletur, serviat. Charitas spiritus opponitur charitati carnis, quam obsceni et infames Adamitæ aliique carnales jactant et exercent.

Amor solvit Zantum, sicut ignis ceram.

Notat *primo* Chrysostomus, Apostolum hic tangere mali, puta erroris et schismatis, radicem, cur scilicet aliqui Galatarum alios ad judaismum abducere voluerint, fuisse arrogantiam et dominandi studium : illi hic adhibet remedium, scilicet charitatem, *q. d.* « Quoniam dum aliis alii vultis dominari, disseceti fuistis, servite vobis invicem, sic denuo in unum redigemini : sicut enim ignis admotus ceræ facile mollit eam, sic et amoris calor omnem fastum et arrogantiam vehementius quam ignis solvit. » Hucusque Chrysostomus.

Notat *secundo* Chrysostomus non dici, *amate*, sed *servite*, quia charitas liberos facit servos non coactionis, sed charitatis, ut ex charitate qui ea flagrat, ad infima et servilia obsequia quibuslibet, præsertim afflictis, ægris et pauperibus, exhibenda se demittat : quæ servitus spontanea et sancta, non servitus, sed ingenua et ambienda Christianis libertas est.

Nota *tertio* : Commoda transitione a libertate legis ad libertatem carnis transit ad alteram epistolæ partem, id est, a dogmate ad ethicam et mores Galatarum componendos.

14. Omnis lex (scilicet proximum spectans, qua, ut præcessit, per charitatem servitur invicem) in uno sermone impletur : Diliges proximum tuum sicut teipsum. — Patet ex dictis *Rom.* XIII, 8. Aliter S. Augustinus, lib. VIII *De Trinit.*, S. Thomas, Anselmus, *q. d.* Omnis lex est de charitate vel Dei, vel proximi : charitas autem proximi indicat, includit et præsupponit charitatem Dei : propter Deum enim amandus est proximus; ergo qui diligit proximum, et implet legem, quæ dicit : « Diliges proximum, » etc., diligit et Deum, implet que legem, quæ dicit : « Diligies Dominum Deum tuum, » etc.

Charitas proximi charitatem Dei includit.

Vers. 15.

15. Si invicem mordetis, et comeditis (Ambrosius pro *comeditis*, legit, *criminatis*, *q. d.* Si invicem roditis et laceratis detractionibus, odiis, calumniis, invidiis), videte ne ab invicem consumamini. — Sicut enim duo canes rixantes, invicem mordent et conficiunt, ita et duo invidi, duo obtrectatores, duo rixantes invicem, imo seipsos ipsi conficiunt. Vere Poeta :

Invidia Obtrectationum mala.

Justius invidia nihil est, quæ protinus ipsum
Auctorem rodit excruciatque suum.

Ideoque

Invidia Siculi non invenere tyranni
Tormentum majus.

Vide invidiæ proprietates, quas enumero *Philipp.* I, 18. Sapienter et pie S. Augustinus, in *Sententiis*, num. 179 : « Homini, ait, religioso parum esse debet inimicitias non excitare, vel excitare male loquendo, nisi etiam eas extinguere studeat bene loquendo. »

16. Dico autem (*q. d.* Epitome, fundamentum, radix, caput et summa totius Epistolæ, meæque scriptionis est hæc) : Spiritu ambulate, — non lege, non carne, *q. d.* Radix omnis vestri mali est defectus spiritus : si enim eum haberetis, exciuderetis tam legalem quam carnalem vitam.

Spiritu ambulate, — vitam, actiones et mores instituite secundum dictamen, instinctum, impulsum Spiritus ac gratiæ immissæ et inditæ vobis a Spiritu Sancto, qui suadet et monet vos ut spiritualiter vivatis, spiritualia virtutum opera; orationis, fidei, spei, charitatis, misericordiæ, pietatis edatis. Hunc Spiritum copiosum et vehementem acceperunt in Pentecoste Apostoli et primi Christiani, eisque obsequendo, ac ferventer cooperando, angelice scilicet vivendo, ignea charitate et zelo prædicando, discurrendo, laborando, patiendo, satagendo omnes trahere ad Christum et salutem, hunc Spiritum in dies magis auxerunt et accenderunt. Quo jam abiit ille spiritus? Accende, Domine Jesu, illum ignem in nobis quem venisti mittere in terras, voluistique vehementer accendi.

Spiritus ambulandum, et obsequendum.

17. Caro concupiscit adversus spiritum. — Hinc Manichæi voluerunt in homine duas esse animas; unam spiritalem et bonam, a bono Deo datam; secundam carnalem et malam, a malo Deo. Philosophi nonnulli volunt in homine duas esse animas, unam sensitivam, qua cum bestiis sentit, comedit, generat; secundam rationalem, qua cum angelis ratiocinatur et intelligit : hoc enim videntur arguere contrarii appetitus et operationes in eodem homine.

Vers. 17.

Una tantum est in homine anima rationalis contra Manichæos et aliquos Platonicos.

Verum nota *primo* : Certum est tantum in homine unam esse animam rationalem, sed quæ simul eminenter continet animam vegetativam et sensitivam. Unde in seipsa habet utriusque potentias, appetitus et functiones; ergo non mirum in eadem anima esse appetitus contrarios, eosque ferri in contraria objecta, iisque præsentibus excitari et irritari : quia anima hominis virtute duplex est, imo triplex.

Concupiscentia videtur re appetitus etiam rationalis.

Nota *secundo* : « Caro » metonymice significat concupiscentiam, quæ in carne, quasi figulus in figulina et luto, suas ideas et imagines imprimit, sua desideria excitat, et formatcausas, ut dixi *Can.* 34.

Nota *tertio* : Concupiscentia hæc non tantum residet in appetitu sensitivo, scilicet in concupiscibili et irascibili, sed etiam rationali, ut docet S. Augustinus, lib. VIII *Confess.*, cap. V. Nam sicut in concupiscibili excitat appetitum gulæ et veneris, in irascibili appetitum invidiæ, iræ, rixæ; ita in rationali, id est in voluntate et ratione, sus-

citat appetitum excellentiæ, curiositatis, vanæ scientiæ : omnes enim potentiæ per peccatum originale hoc concupiscentiæ fermento infectæ sunt; dicuntur tamen caro, vel carnalis appetitus per synecdochen a potiori parte, quia hic est potissimus, creberrimus, vehementissimus appetitus in homine, qui fere semper carnales concupiscentiæ motus in eo suscitat. Hinc *opera carnis*, id est concupiscentiæ, vocat hic Apostolus non tantum fornicationem, ebrietates, comessationes, quæ vere carnalia sunt opera appetitus sensitivi et carnalis; sed etiam idolorum servitutem, invidias, etc., quæ sunt opera spiritualia, id est mentalis appetitus rationalis : hæc, inquam, vocat opera carnis, id est concupiscentiæ, quæ residet non in appetitu sensitivo, sed rationali.

Omnia peccata vocat Apostolus opera carnis, et quare ?

Nota *quarto* : « Caro concupiscit adversus spiritum, » quia carnalia concupiscit; « et spiritus adversus carnem, » quia spiritualia, cœlestia et æterna bona appetit. Hoc bellum, vel potius duellum in anima gerit hinc caro, inde spiritus : unde utrumque ducis aciem et milites disponit, et invicem opponit Apostolus; ac primo carnis, dicens : « Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, » etc. Deinde spiritus animam instruit, subdens : « Fructus autem Spiritus est charitas, gaudium, pax. » Vide hoc bellum graphice descriptum a Prudentio in *Psychamachia*. Idem in se ad vivum depingit S. Augustinus, lib. VIII *Confess.*, cap. XI. Audi et de eo Cassianum, *collat. 4*, cap. XI : « Caro, inquit, luxuriis ac libidine delectatur : spiritus ne ipsis quidem naturalibus desideriis acquiescit. Illa concupiscit satiari somno, repleri cibo; hic vigiliis et jejuniis ita saginatur, ut ne ad ipsum quidem necessarium vitæ usum, somnum cibumque velit admittere. Illa cupit exuberare copiis universis; hic ne ipsius quidem exigui panis quotidianam substantiam habere contentus est. Lavacris illa mitescere, et quotidianis adulantium cuneis appetit constipari; hic squalore sordium et inaccessibilis eremi vastitate congaudet. Honoribus illa et laudibus confovetur; hic irrogatis sibi persecutionibus injuriisque lætatur. » Vide et Thomam a Kempis in aureo suo libello *De Imitatione Christi*, lib. III, cap. LV, motus naturæ et gratiæ, hoc est, carnis et spiritus, simplici stylo, sed solerter et solide opponentem.

Hinc recte dixit Abbas Pimenius in *Vitis Patrum*, lib. VII, cap. XXV : « Concupiscentia, puta voluntas mala, est dæmon nos impugnans; » aut, ut ibidem ait Abbas Achilles, « est manubrium dæmonis. »

Denique duellum hoc intelligi et geri putat Augustinus in homine peccatore sub lege, non sub gratia constituto : verum id retractat, lib. I *Retractationum*, cap. XXIV : patet enim etiam in Sanctis hoc duellum, hanc luctam esse, eoque majorem et sensibilem magis, quo magis spiritualiter vivere et carni resistere nituntur. Unde idem Augustinus, serm. 43 *De Verbis Domini* : « Spiritus, inquit, concupiscit adversus carnem, in hominibus bonis, non malis, qui Spiritum Dei non habent, contra quem caro concupiscat. » Præclare vero idem in illud *Psal.* LXXV : « Et factus est in pace locus ejus, » hujus luctæ modum describit : « Judicatur, inquit, tibi bellum non solum adversus suggestiones diaboli, sed adversus teipsum. Quomodo adversus teipsum? adversus tuam consuetudinem malam, et adversus vetustatem vitæ tuæ malæ, quæ trahit te ad solitam consuetudinem et refrenatur a nova; judicatur enim tibi quædam nova vita, et tu vetus es; novitatis gaudio suspenderis, vetustatis onere prægravaris : incipit tibi esse bellum adversum te; sed ex qua parte tibi displices, jungeris Deo; et ex qua parte jam jungeris Deo, idoneus eris ad vincendum te, quia ille tecum est qui omnia superat. Attende quod dicit Apostolus : Monte servio legi Dei, carne autem legi peccati. Unde mente? quia displicet tibi vita tua mala. Unde carne? quia non desunt suggestiones, et delectationes malæ : sed ex eo quod mente jungeris Deo, vincis quod in te non vult sequi (scilicet tuam carnem et concupiscentiam reluctantem). Processisti enim ex parte, et ex parte tardaris. Trahe te ad illam, qui te sursum tollit; pondere quodam vetustatis gravatus, clama cum Psalmo : Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus, ab ea quo gravor? corpus enim quod corrumpitur aggravat animam. » Deinde hujus luctæ causam et finem modumque victoriæ ita describit : « Quare autem permittitur ut diu contra te litiges, donec absorbeantur omnes cupiditates malæ? ut intelligas in te pœnam tuam, in te ex teipso est flagellum tuum, tibi rixa tua tecum. Sic vindicatur in rebellem adversus Deum, ut ipse sibi sit bellum, qui pacem noluit habere cum Deo. Sed tene membra tua adversus bellum concupiscentias tuas malas : surrexit ira, tene tu manum conjunctus Deo. Potuit surgere, sed non invenit arma. Apud iram tuam impetus est, apud te arma sunt, fit impetus inermis, et dicit jam non surgere, qui frustra surrexit. » Vide dicta *Rom.* VII, in fine.

Jungere Deo et te vincis.

Rebellis Deo quis sibi est bellum.

HÆC ENIM SIBI INVICEM ADVERSANTUR, UT NON QUÆCUMQUE VULTIS, ILLA FACIATIS. — Velletis enim non concupiscere, non sentire motus iræ, gulæ, libidinis, iis non impediri a prompta et perfecta charitate, temperantia, castitate, oratione; et tamen hoc non facitis, nec facere in hac vita potestis. Rursum, multa heroica virtutum opera *fervide* et alacriter facere velletis, sed sæpe non potestis; quia resistit nimis et reluctatur caro. Pulchre Anselmus : « Concupiscentiæ non permittunt vos implere quod vultis, nolite et vos eis permittere implere quod ipsæ volunt : et ita nec vos, nec illæ facietis quod vultis. Quamvis ergo concupiscentiæ fiant in nobis, non tamen perficiuntur, quia eis non consentitis : sic et quamvis bona spiritus opera fiant, non tamen perficiuntur, quia sine dolore, lucta et resistentia concupiscentiæ, plene, hilariter et perfecte ea facere non potestis. » Hæc et plura Anselmus (1).

Ira quando peccatum quando venialis ?

18. QUOD SI SPIRITU DUCIMINI, NON ESTIS SUB LEGE. — Occupatio : objicere poterant Galatæ : Tu nos solvis a lege veteri, et ecce graviori servituti subjicis, dum perenni concupiscentiæ ejusque rebelliani nos facis obnoxios, ut sub ea, ac consequenter sub lege quæ motus hos concupiscentiæ prohibet, gemamus. Respondet Apostolus : « Si spiritu ducimini, » si spiritus ac gratiæ instinctum, ductum, impulsum sequimini, non estis sub concupiscentia, sed illi dominamini, ac consequenter non estis sub lege : quia non coactione legis, aut metu pœnæ, quam lex minatur, et transgressoribus intentat, sed spontanee ac proprio motu et spiritu, facitis quæ lex jubet, et cavetis ac restringitis concupiscentiæ motus quos lex prohibet.

Christiani ingemuerint sub lege, et quando non ?

NON ESTIS SUB LEGE — cogente scilicet et terrente, ac multo minus estis sub lege accusante et damnante : estis tamen sub lege obligante, sed ita ut sponte et liberaliter ex spiritu faciatis ea quæ lex jubet. Hinc potius videmini esse extra, vel supra legem; nec esse sub lege, sed sub spiritu. Unde enumeratis fructibus Spiritus, subdit : « Adversus hujusmodi non est lex. » Ita Anselmus et Theophylactus.

Vers. 19. 19. MANIFESTA SUNT OPERA CARNIS. — Hoc est opera et actus, ad quos excitat caro, hoc est concupiscentia, ut dixi vers. 17.

FORNICATIO. — Græca addunt πορνεία, *porneia*, *adulterium*, *fornicatio*; et sic legit Ambrosius. De singulis carnis operibus vide Hieronymum, Anselmum et D. Thomam.

IMMUNDITIA. — Est mollities, qua se molles contra naturam polluunt et contaminant.

IMPUDICITIA. — Gestus, oscula, tactus impudici. Hinc nihil jam respondet in Græco.

LUXURIA. — ἀσέλγεια, *lascivia*, quævis alia libido petulantior, et, ut Hieronymus, extraordinaria; qui addit : « Ipsarum quæque opera mutuarum si non verecunde et honeste, ac quasi sub oculis Dei fiant, ut tantum liberis servialur, immunditiam et luxuriam nominavit Apostolus. » Quod accipe, si inverecundia et libido sit mortalis, puta si in opere conjugali utantur alio vase et membro, quam illo quod natura generationi destinavit, aut si extra vas naturale semen profundant, vel profusionis periculo se exponant; tunc enim conjuges peccant mortali libidine, quæ eos excludit a regno cœlorum; alias fere in conjugio venialis tantum est libido.

In conjugio quando mortalis et quando venialis libido ?

20. IDOLORUM SERVITUS. — Græce εἰδωλολατρία, *idololatria*; servitus ergo idem est quod cultus idolorum. Ita Syrus.

Comessationes quales ?

(1) Allioli : Ut non quæcumque vultis, illa facere non *liceat*, quando scilicet voluntas a vitiosa concupiscentia ducitur.

IRÆ. — Ira est appetitus vindictæ : si gravem vindictam et grave malum appetas, optes, vel pares ei cui irasceris, ira est mortifera, et excludet te a regno cœlorum; non autem, si ira tantum sit venialis, id est si sit exacerbescentia tantum animi, appetitus vindictæ et mali, sed levis. Apostolus ergo iram, rixam, dissensiones, etc., sumit in acto et gradu perfecto : tunc enim excludant hominem a regno cœlorum, ut ait vers. sequenti.

SECTÆ. — Græca αἱρέσεις, *hæreses*, id est electiones, cum quis communem Ecclesiæ doctrinam relinquens, novum dogma eligit, ut in religione malit suam opinionem et electionem, quam majorum traditionem sequi, quæ magna est temeritas et præsumptio.

Vers. 21. Hinc cum Apostolo aliqui censent tam gulam in comedendo, quam in bibendo ebrietatem esse peccatum mortale, non tantum si rationem adimat, sed et si gravis sit ingurgitatio et ingluvies. Probatur *primo*, quia dives Epulo damnatus est, non quia ebrius, sed quia quotidie epulabatur splendide. *Secundo*, quia Isaias, V, 22, væ, id est damnationem æternam, minatur iis qui potentes sunt ad bibendum. *Tertio*, quia potest esse tanta cibi ingurgitatio, ut sit valde turpis et difformis rationi, sitque plusquam bestialis; si ergo pollutio est peccatum mortale, quæ tamen rationem non eripit, cur non sit ingurgitatio, quæ æque difformis rationi videtur?

Ira quando peccatum quando venialis ?

21. COMESSATIONES. — Dices : Ergo comessari, hoc est intempestive epulari et convivari, est peccatum mortale, qui excludit a regno Dei, ut ait Apostolus.

Comessationes quando peccatum mortale ? et quando ?

Respondeo *primo* : Hinc ex Apostolo aliqui censent tam gulam in comedendo, quam in bibendo ebrietatem esse peccatum mortale, non tantum si rationem adimat, sed et si gravis sit ingurgitatio et ingluvies. Probatur *primo*, quia dives Epulo damnatus est, non quia ebrius, sed quia quotidie epulabatur splendide. *Secundo*, quia Isaias, V, 22, væ, id est damnationem æternam, minatur iis qui potentes sunt ad bibendum. *Tertio*, quia potest esse tanta cibi ingurgitatio, ut sit valde turpis et difformis rationi, sitque plusquam bestialis; si ergo pollutio est peccatum mortale, quæ tamen rationem non eripit, cur non sit ingurgitatio, quæ æque difformis rationi videtur?

Verum communis Doctorum sententia mitior est, docetque comessationem et excessum in comedendo non esse peccatum mortale, nisi quis graviter sanitatem lædat, et gravem morbum incurrat; aut nisi quis sponte ita se ingurgitet ut vomere cogatur (quod ipsum adhuc nonnulli asserunt non esse peccatum mortale), vel certe si satur et repletus, ea mente ac fine vomat, ut rursum se ingurgitare possit : hoc enim valde turpe est et bestiale. Unde cum communi horum sententia respondeo, et

Comessationes quales sint quando ?

Dico *primo* : Pro *comessationes* græce est κῶμοι, id est temulenta et lasciva ebriorum dicta et facta, ut sunt turpes cantiones, saltationes, verba, tactus, oscula, contumeliæ. Unde Comus apud Philostratum dicitur Bacchus, et κωμάζειν, est comissari, vel, ut alii dicendum volunt, comassari, et lascivire. Ita Theophylactus, Photius, Hesychius et Græci in Lexicis, faveique Hieronymus, quin et Anselmus : « Comessationes, ait, id est inhonesta et luxuriosa convivia. » Vide dicta *Rom.* XIII, 13.

Secundo, si cum Latinis « comessationes » sola et proprias intelligere hic malis, completas accipe, id est longa et nocturna convivia, quibus ita sese ingurgitant, ut a mensa non recedant, nisi et mentem et corpus cibo et potu obruerint.

uti gentes aliquæ satis notæ faciunt; de quibus Isaias, cap. XXVIII, vers. 8 : « Omnes mensæ eorum plenæ sunt vomitu; » hi enim rationem, tempus, et sæpe castitatem ac valetudinem prodigunt, et consequenter peccant mortaliter. Sicut ergo in præcedentibus Apostolus iræ subjungit rixas quasi iræ perfectionem, et dissensionibus sectas, Invidiæ homicidia : ita et ebrietati comessationem subjungit, quasi ebrietatis perfectionem, de qua *Proverb.* cap. XXIII, vers. 20 : « Noli esse in conviviis potatorum, nec in comessationibus eorum. »

Excessus in comessatione et ebrietate communiter est tantum venialis.

Ad primum respondeo, epulari splendide per se tantum esse veniale; sed, si excessus sit ad vomitum usque et crapulam, esse mortale, ut dixi. *Secundo*, per accidens sæpe esse mortale, quia conjungitur cum ebrietate, libidine, detractione, fastu, immisericordia, contemptu pauperum et aliorum; uti dives Epulo negligebat Lazarum in gravi necessitate constitutum.

Ad secundum respondeo eodem modo. Adde, Isaiam se explicare, dum subdit : « Væ vobis qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem, » vel, ut hebraice est, *ad miscendam siceram*, id est inebriativa varia, verbi gratia, varia vina fortia, quæ commista magis inebriant; posterius enim hemistichium more Hebræorum explicat prius : ergo idem est esse potentes ad bibendum vinum, quod fortes ad miscendam ebrietatem : quales multi sunt, qui se suosque convivas inebriare student, ut, nisi e convivio ebrii, suique et mentis impotes recedant, nec hospes convivas bene excepisse, nec convivæ bene se exceptos arbitrentur : qui sensus et opinio brutalis est, nec hominum, sed porcorum.

Ad tertium : Ingluvies est res fœda in se, uti et egestiones factum per nares, os, alvum, in homine fœdæ sunt : sed tamen bono hominis et rationi non ita repugnat, ut ei graviter contrariari censeatur, nisi rationem homini adimat, vel crapulam aut morbum conciliet, uti jam dixi. Secus est de pollutione : seminis enim effusio a natura et a Deo tantum ad prolis productionem ordinata et permissa est, ideoque matrimonii septis et legibus inclusa. Alias enim proles rite concipi et educari non posset, ac proinde qui extra matrimonii usum semen effundunt, rem valde fœdam valdeque difformem rationi, naturæ et Dei ordinationi faciunt, ideoque peccant mortifere.

REGNUM DEI NON CONSEQUENTUR. — Βασιλείαν τοῦ Θεοῦ οὐ κληρονομήσουσιν, *regnum Dei non hæreditabunt*; vel, ut Ambrosius, *regni Dei hæreditatem non consequentur*.

22. FRUCTUS AUTEM SPIRITUS EST : CHARITAS, GAUDIUM. — Opponit operibus carnis, id est concupiscentiæ, « fructus, » id est opera, « Spiritus, » quæ scilicet a spiritu gratiæ procedunt, quæque Spiritus Sanctus per suam gratiam in nobis parit et producit, ut iis Dei regnum mereamur et consequamur, a quo opera carnis suos operantes excludunt.

Fructus spiritus sunt habitus vel actus virtuosi.

Nota, hos fructus esse habitus, vel potius actus (fructus enim actum et opus significat) diversissimos variarum vel virtutum, vel proprietatum et effectuum, quos virtutes in anima pariunt, uti est gaudium, pax, etc. *Secundo*, non omnes fructus Spiritus hic numerantur (omnes enim virtutes sunt fructus spiritus et gratiæ, ipsiusque Spiritus Sancti); sed tantum aliqui vulgo magis conspicui, et operibus carnis jam enumeratis oppositi. Unde *tertio*, notat Anselmus et Theophylactus, primum fructum Spiritus poni charitatem, quia primus et nobilissimus est ac cæterorum parens : reliqui enim sequentes charitatis sunt fructus.

GAUDIUM — quod oritur ex conscientia serena, sancta, purgata a peccatis, vitiis, animi perturbationibus; « secura enim mens est quasi juge convivium. » Et Cyprianus, lib. *De Disciplina et bono pudicitiæ* : « Voluptatem, inquit, vicisse voluptas est maxima : neque enim ulla major est victoria, quam quæ a cupiditatibus refertur. » E contrario fructus carnis et concupiscentiæ est dolor et tristitia. Nam, ut docet Chrysostomus, homil. 13 *in Acta* : « Impura voluptas similis est voluptati qua afficiuntur scabiosi cum se scalpunt. Fluit enim voluptati, quæ brevis est, succedit longior dolor et molestia. »

Voluptatem vicisse voluptas maxima.

PAX — qua tranquilla mens nullis passionibus perturbatur, ait Hieronymus. Sancta enim anima sentiens se terrore peccatorum et pœnarum liberatam, esse in gratia et Dei amicitia, mira animi pace et tranquillitate perfruitur, eamque in proximos derivat, ut cum omnibus, quantum potest, pacem colat. Hæc pax tantum est bonum, ut exsuperet omnem sensum, ait Apostolus *Philipp.* IV, 7; adeoque licet nullam aliam Deus virtuti posuisset mercedem quam pacem hanc, præmium dignissimum foret quod merito omnes excitaret ad quosvis etiam arduos virtutis labores subeundos, ut pace hac fruerentur.

PATIENTIA. — Ut pacem habeas et cum aliis serves, patientia est opus, et ut adversa quævis, et maxime mores aliorum tibi difformes sæpe et inconditos, præsertim cholericos et fastuosos, prudenter et patienter feras. Pro *patientia* græce est μακροθυμία, id est *longanimitas*, vel, ut Ambrosius, *lenitas*; itaque « patientia » proprie non est in Græco jam.

BENIGNITAS. — χρηστότης, suavis et benignus affectus, ut in loquendo, respondendo, beneficiendo benignum te ostendas. Potest enim quis esse bonus et beneficus, qui tamen non sit benignus, cujus scilicet natura et modus agendi est radior, rusticior, asperior : contra quæ militat benignitas, ut naturam et conversationem flectat ad comitatem, civilitatem et dulcedinem verborum et morum. Hæc magnum est indicium sanctitatis et Spiritus Sancti, qui, ut dicitur *Sap.* VII, 22, sanctus est, suavis, benignus, humanus;

Benignitas est indicium sanctitatis.

ideoque vulgus benignitate hominis sanctitatem metitur, eaque trahi, capi, flecti et regi vult.

Definitio bonitatis a Zenone tradita.

BONITAS. — Græce ἀγαθωσύνη, id est bonus et benevolus affectus ad beneficiendum proximo. « Bonitas » ergo idem est, quod beneficentia, quam Zeno ita definit, ait Hieronymus : « Bonitas est virtus quæ prodest, sive virtus ex qua oritur utilitas, aut effectus, qui sit fons utilitatum. » Hæc evidens est nota Spiritus Sancti, eaque insignis fuit in Christo. « Vos scitis, ait Petrus, *Act.* X, 38, Jesum a Nazareth, quomodo unxit eum Deus Spiritu Sancto et virtute, qui pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo, quoniam Deus erat cum illo. » Si vis habere Spiritum Christi « nemini malefac, benefac omnibus.

23. MANSUETUDO. — « Mansuetus, ait Anselmus, dicitur, quasi manu assuetus, tractabilis, ductilis, flexilis; tractari, duci, pati, facere, ferre assuetus. » Opponitur iræ et animositati, quæ nihil vult pati, nullius jugum aut mores ferre, sed statim sese vindicare, imo pro verbis verbera reddere.

Triplex fidei acceptio.

FIDES. — Est virtus Theologica, ait Hieronymus, quæ hæresi opponitur, qua credimus omnia credenda, etiamsi naturam, sensum et rationis captum superent : sed hæc fides non tam est fructus, quam radix et principium spiritus et gratiæ. Unde *secundo*, et aptius Anselmus : « Fides, inquit, est fidelitas et veracitas in promissis, » quæ opponitur fraudi et mendacio : Spiritus enim Sanctus, ut dicitur *Sap.* VII, 23, est « stabilis, certus, securus, » ac consequenter fidelis, suosque stabiles, veraces, fideles, hoc est sui similes facit. *Tertio*, non improbabiliter cum nonnullis accipi potest « fides, » ut sit idem quod credulitas, qua facile et simpliciter quis proximo credit, non eum suspicatur fallere vel mentiri. Sic enim, I *Cor.* XIII, dicitur : « Charitas omnia credit, » quia scilicet non est suspicax. Hæc enim fides ac candida simplicitas indicium est animi candidi, columbini et sancti, ac consequenter Spiritus Sancti.

Continentia et castitas quomodo differant?

MODESTIA. — Virtus est, quæ modum ponit, et moderatur omnes actiones exteriores, scilicet incessum, vestitum, sermonem, risum, lusum, ac totum hominem exterius recte componit, provenitque ex interna mentis et passionum moderatione. Nam, ut ait Ambrosius, lib. I *Offic.* XVIII : « Ex actibus exterioribus homo cordis nostri absconditus, aut levior, aut factantior, aut turbidior, aut gravior, aut constantior, et purior et maturior æstimatur. » Et ut Sapiens, *Eccli.* XIX, 27 : « Amictus corporis, et risus dentium, et ingressus hominis enuntiant de illo. » Hinc recte præcipit S. Augustinus, in *Regula* 3 : « In omnibus motibus vestris nihil fiat, quod cujusquam offendat aspectum, quod vestram deceat sanctitatem. »

Continentia vires naturæ complectitur.

CONTINENTIA — a nimis cibo et potu, id est temperantia, ut vertit Valablus. *Secundo*, ut Anselmus, *continentia* a venere et libidine, et differt a castitate : quia « continentia, ait Anselmus, in lectamine est, castitas in pace. » Non enim castitas, sed continentia dicitur, ubi adhuc ei resistit adversitas voluptatis. Continentia ergo est inchoata et militans ac pugnans castitas. *Tertio* et melius, « continentia, » juxta Aristotelem, generalis est virtus, aut potius complexio virtutum, qua continens vitiorum omnes illecebras et tentationes frenat ac cohibet. « Continentiam, ait Hieronymus, non solum in castitate debemus accipere, sed etiam in cibo et potu : in ira quoque et vexatione mentis, et detrahendi libidine; inter modestiam autem et continentiam hoc interest, quod modestia in viris perfectis est, consummatæque virtutis, de quibus Salvator ait : Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram; et de seipso : Discite a me, quoniam mitis sum, et humilis, et mansuetus corde. Continentia vero in via quidem virtutis est, sed necdum pervenit ad calcem : quia cupiditates adhuc in ejus, qui se continet, cogitatione nascuntur, et mentis pollunt principale, licet non superent, nec ad opus pertrahant cogitantem : non solum autem in desideriis et cupiditate continentia necessaria est, sed etiam in tribus reliquis perturbationibus, dolore scilicet, lætitia et timore. »

Nota : Græca hic, uti et alibi, decurtata sunt : in Græco enim deest « patientia, modestia, castitas. » Unde novem tantum fructus numerant Græca, ut et Augustinus et Hieronymus. De his fructibus et virtutibus tractat Augustinus, tract. 78 *in Joan.*, et D. Thomas, in II II, ubi agit de singulis virtutibus.

ADVERSUS HUJUSMODI NON EST LEX. — nulla est lex quæ hos fructus Spiritus et eorum observatores arguat, compescat, condemnet; ac proinde « si spiritu ducimini, non estis sub lege, » ut dixi vers 18, eo enim respicit ac redit.

24. QUI SUNT CHRISTI, CARNEM SUAM CRUCIFIXERUNT CUM VITIIS ET CONCUPISCENTIIS. — Est complexio præcedentis antithesis, sive belli, quod est inter opera carnis et fructus Spiritus, *q. d.* Hi sunt milites, hæc acies, hæc opera tam carnis, quam spiritus; qui vero miles est Christi, ejusque spiritu agitur, vivit, militat, hic carnem suam crucifixit cum vitiis et concupiscentiis, id est, non tantum vitia et concupiscentias, sed ipsam carnem corruptam, quasi fomitem concupiscentiarum castigat et crucifigit per jejunia, cilicia, labores, pœnitentias. Ita Anselmus.

Caro est concupiscentia in carne residens.

Secundo et melius, *caro* non carnem proprie, hoc est corpus, sed concupiscentiam in carne residentem significat; ita enim carnem accipit, vers. 17, et deinceps, *q. d.* Qui Christi spiritu aguntur, hi carnem, id est concupiscentiam et naturam vitiatam, cum suis habitualibus vitiis, et cum suis motibus actualibus, scilicet concupiscentiis, crucifixerunt et « compresserunt, in-

quit S. Augustinus, timore illo casto, qui permanet in sæculum sæculi, quo cavemus offendere illum quem toto corde, anima, mente diligimus. »

Nota : Concupiscentia est quasi anima; vitia sunt ejus quasi potentiæ; concupiscentiæ, illius sunt actus. Hæc Christiani crucifigunt, id est comprimunt et mortificant cum dolore instar Christi crucifixi, qui propterea in cruce summo dolore mortificatus fuit. Alludit enim ad carnem Christi crucifixam quasi ideam et exemplar mortificationis.

Sancti quisque carnem crucifigunt, et vitia comprimunt.

Nota *secundo* : Sancti crucifigunt et comprimunt vitia hæc, *primo*, per metum gehennæ et Dei; *secundo*, per rationem et voluntatis constantiam ac fortitudinem, firmumque Deo placendi propositum; *tertio*, per custodiam oculorum et sensuum; *quarto*, per orationes; *quinto*, per jejunia, vigilias aliasque austeritates.

Vers. 25. 25. Si spiritu vivimus, — si interim habemus vitam et animam gratiæ, spiritus et justitiæ.

Spiritu et ambulemus, — secundum spiritus et gratiæ dictamen ductumque incedamus, conversemur, agamus, operemur. Græcum enim στοιχῶμεν significat certo ordine, serie et norma incedere, de quo dixi cap. IV, vers. 25. Aliter Chrysostomus et Theophylactus, *q. d.* Ordine, lege et norma Spiritus Christi et christianismi incedamus, extra hunc ordinem ad legem, ad judaismum non deflectamus, pedem non efferamus.

26. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, — κενόδοξοι, id est inanis, vel vanæ gloriæ cupidi. Qui enim laudem quærit apud homines, inanem, id est vacuam, laudem quærit : quia hæc gloria est quasi bulla tumida et vento inflata ac turgida, sed inanis et vacua, quæ nihil habet rei, solliditatis et substantiæ, qua mentem et appetitum hominis implere et explere valeat : plena enim et solida gloria, quæ mentem explet, tantum est apud Deum. « Plenæ gloriæ, ait Hieronymus, cupidi sunt qui gloriam Dei desiderant, et laudem virtute condignam, » a Deo scilicet commendari et laudari.

Invicem provocantes — ad rixas, lites, jurgia, pugnas : has enim, uti et invidiam, suscitat cupido gloriæ et excellentiæ, dum, verbi gratia, Pompeius non patitur parem, Cæsar non patitur superiorem.

Plena et solida gloria a Deo.

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, hortatur ad bona opera, præsertim misericordiæ et beneficentiæ in Christianos, maxime doctores et catechistas, atque non quærant laudes et gloriam hominum, sed studeant seminare bona opera, quibus metant vitam æternam.

Secundo, vers. 12, *gloriationi Judæorum in circumcisione opponit suam in cruce Christi, dicens* : Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, *in quo* neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura.

1. Fratres, et si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne et tu tenteris. 2. Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi. 3. Nam si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit. 4. Opus autem suum probet unusquisque, et sic in semetipso tantum gloriam habebit, et non in altero. 5. Unusquisque enim onus suum portabit. 6. Communicet autem is, qui catechizatur verbo, ei, qui se catechizat, in omnibus bonis. 7. Nolite errare : Deus non irridetur. 8. Quæ enim seminaverit homo, hæc et metet. Quoniam qui seminat in carne sua, de carne et metet corruptionem : qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. 9. Bonum autem facientes, non deficiamus : tempore enim suo metemus non deficientes. 10. Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei. 11. Videte qualibus litteris scripsi vobis mea manu. 12. Quicumque enim volunt placere in carne, hi cogunt vos circumcidi, tantum ut cruci Christi persecutionem non patiantur. 13. Neque enim qui circumciduntur, legem custodiunt : sed volunt vos circumcidi, ut in carne vestra glorientur. 14. Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi : per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. 15. In Christo enim Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura. 16. Et quicumque hanc regulam

secuti fuerint, pax super illos, et misericordia, et super Israel Dei. 17. De cætero nemo mihi molestus sit : ego enim stigmata Domini Jesu in corpore meo porto. 18. Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro, fratres. Amen.

1. Fratres, et si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis. — Nota : Præcipit hic Apostolus correptionem fraternam cujuslibet delicti (hoc enim significat, cum ait, *in aliquo delicto*); oculos tamen maxime intendit, ut recte annotavit Hieronymus, ad delictum, quod tota epistola est insectatus, scilicet judaismi; jubet ergo judaizantes corripi, sed leniter. Idem jussit *Rom.* XIV, 1; quem enim ibi vocat « infirmum in fide, » hic vocat « præoccupatum in aliquo delicto; » illum ibi jubet assumi, hic instrui : est enim hæc epistola quasi epitome et compendium epistolæ *ad Rom.*, cum eaque in sententiis, rationibus et discursu valde consentit, ut dixi in prooemio. Unde sicut prioribus cap. epistolæ *ad Rom.*, scriter judaismum est insectatus, ita et hic; et sicut ultimis, id est cap. XIV et XV *ad Rom.*, lenit istam acredinem, jubetque Judaizantes tolerari, ita et hic jubet eosdem leniter instrui.

Nota : Non loquitur de obstinatis in malo : hi enim docente S. Gregorio, quia destinata malitia et voluntate peccant, duro sunt increpandi : duritia enim, ait Tertullianus, frangenda est et vincenda, non sundenda; sed de præoccupatis, qui in fide et moribus fragiles, recentes et imbecilles falsa Judæorum persuasione seducti, et in judaismum aliunde vitia impulsi sunt; hi enim dicuntur præoccupati, id est præventi, antequam lapsum advertere, vel cavere possent. Unde pro *delicto* græce est παράπτωμα, quod lapsum non destinatum, sed casualem significat, cum quis alio respiciens, vel non advertens, in lapidem impingens, vel in fossam incidens, ruit et collabitur.

Qui ex infirmitate, non qui ex pertinacia peccant, tolerandi.

Instruite, — καταρτίζετε, id est, ut Syrus, *erigite*; vel, ut magis genuine Vatablus, *instaurate*, redintegrate, restituite, *q. d.* Sicuti restaurantur artus et membra hominis lapsu luxata, ita fidem et mores luxatos proximorum restaurate. Hinc Erasmus putat nostrum interpretem vertisse *instaurate*, et corrupte jam legi *instruite*, pro *instaurate*. Sed non est verisimile : omnia enim exemplaria habent *instruite* : itaque recte, non verbotenus, sed clariori sensu vertit interpres; nam instauratio fidei et morum, non est aliud quam in iisdem ipsorum instructio.

In spiritu lenitatis, — id est cum mansuetudine, blande, leniter. Nota : *Spiritum* vocat affectum internum lenitatis, qui est donum Spiritus Sancti, ait Chrysostomus, quique spirare, et quasi inflare dicitur verbis monitoris suam lenitatem et dulcedinem, ut ipsa verba et gestus spirent internam quamdam lenitatem et suavitatem corripientis; correptio enim est quasi pilula per se amara, quia correpti vitium detegit et incusat; hinc sacchato et dulcedine vocis, et commodis insinuationis, vel etiam extenuationis culpæ, oblinenda est, et amarities illius dolcoranda.

Correptionis fraternæ modus qualis esse debeat?

Pulchre et vere S. Chrysostomus, hom. 52 ad *Populum*, asserit linguam nostram quasi fieri linguam Christi, si in loquendo, docendo, corripiendo, imitamur Christi mansuetudinem. Et S. Dionysius, epist. 8 *ad Demophilum*, quæ est de benignitate, docet Mosem propter mansuetudinem (erat enim teste Scriptura mortalium mitissimus) meruisse colloquium et familiaritatem Dei tantam, ut Dei famulus κατ' ἐξοχὴν diceretur, cum quo præ cæteris Prophetis Deus ore ad os, facie ad faciem quasi amicus cum amico loqueretur. Mox que subjungit : Hoc eximiæ in se dilectionis argumentum Christus capit, si pascamus gregem ipsius modestissima gubernatione. Atque in fine addit pulchrum exemplum visionis cujusdam S. Carpo ostensæ, qua Christus Carpi indignationem et vindictæ appetitum contra Gentiles quosdam, qui duos a fide Christi abduxerant, redarguens eidem dixit : « Perente adversum me, paratus enim sum etiam iterum pro salvandis hominibus pati : gratum mihi illud est, dum non alii homines peccent. »

Mosen mansuetudine usum ratione colloquium Dei.

Vasis & Carpi.

Illinc et S. Augustinus hoc loco in praxi hunc correptionis modum perutilem præscribit : « Nunquam, inquit, alieni peccati objurgandi suscipiendum est negotium, nisi cum internis interrogationibus examinantes nostram conscientiam, liquidio nobis coram Deo responderimus, dilectione nos facere, » scilicet sola dilectione proximi nos moveri ad eum corripiendum, additque : « Dilige, et die quod voles; nullo modo male dictum erit, quod speciem maledicti sonuerit, si memineris sensersque te in gladio verbi Dei liberatorem hominis esse velle ab obsidione vitiorum. » Quod si quis impatientiæ motus nobis surrepat, nosque dum nobis bene monentibus resistitur, irasci conligat, cogitemus, inquit, « quam non debeamus super aliorum superbire peccata, quando et ipsa eorum objurgatione peccamus, cum facilius nos ira peccantis iratos, quam miseria misericordes facit. » Et S. Basilius in *Reg. fusius disputatis*, Reg. 51, docet Superiores, aliosque qui animarum morbos curare satagunt, debere imitari probos medicos, videlicet « ut ægris non irascantur, sed adversus morbum ipsum pugnent. »

Corripiendi modus ex S. Augustino.

Dilige, et die quod voles.

Considerans teipsum, ne et tu tenteris. — Est enallage numeri : nam transit a plurali numero ad singularem; consequenter enim dicere debuisset : Considerantes vos, ne et vos tentemini; sed quia pluralis hic distribuit, et supponit pro singulis (vos enim, id est singuli vestrum), hinc apte

quit S. Augustinus, timore illo casto, qui permanet in sæculum sæculi, quo cavemus offendere illum quem toto corde, anima, mente diligimus. »

Nota : Concupiscentia est quasi anima; vitia sunt ejus quasi potentiæ; concupiscentiæ, illius sunt actus. Hæc Christiani crucifigunt, id est comprimunt et mortificant cum dolore instar Christi crucifixi, qui propterea in cruce summo dolore mortificatus fuit. Alludit enim ad carnem Christi crucifixam quasi ideam et exemplar mortificationis.

Sancti quisque carnem crucifigunt, et vitia comprimunt.

Nota *secundo* : Sancti crucifigunt et comprimunt vitia hæc, *primo*, per metum gehennæ et Dei; *secundo*, per rationem et voluntatis constantiam ac fortitudinem, firmumque Deo placendi propositum; *tertio*, per custodiam oculorum et sensuum; *quarto*, per orationes; *quinto*, per jejunia, vigilias aliasque austeritates.

Vers. 25. 25. Si spiritu vivimus, — si interim habemus vitam et animam gratiæ, spiritus et justitiæ.

Spiritu et ambulemus, — secundum spiritus et gratiæ dictamen ductumque incedamus, conversemur, agamus, operemur. Græcum enim στοιχῶμεν significat certo ordine, serie et norma incedere, de quo dixi cap. IV, vers. 25. Aliter Chrysostomus et Theophylactus, *q. d.* Ordine, lege et norma Spiritus Christi et christianismi incedamus, extra hunc ordinem ad legem, ad judaismum non deflectamus, pedem non efferamus.

26. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, — κενόδοξοι, id est inanis, vel vanæ gloriæ cupidi. Qui enim laudem quærit apud homines, inanem, id est vacuam, laudem quærit : quia hæc gloria est quasi bulla tumida et vento inflata ac turgida, sed inanis et vacua, quæ nihil habet rei, solliditatis et substantiæ, qua mentem et appetitum hominis implere et explere valeat : plena enim et solida gloria, quæ mentem explet, tantum est apud Deum. « Plenæ gloriæ, ait Hieronymus, cupidi sunt qui gloriam Dei desiderant, et laudem virtute condignam, » a Deo scilicet commendari et laudari.

Invicem provocantes — ad rixas, lites, jurgia, pugnas : has enim, uti et invidiam, suscitat cupido gloriæ et excellentiæ, dum, verbi gratia, Pompeius non patitur parem, Cæsar non patitur superiorem.

Plena et solida gloria a Deo.

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, hortatur ad bona opera, præsertim misericordiæ et beneficentiæ in Christianos, maxime doctores et catechistas, atque non quærant laudes et gloriam hominum, sed studeant seminare bona opera, quibus metant vitam æternam.

Secundo, vers. 12, *gloriationi Judæorum in circumcisione opponit suam in cruce Christi, dicens* : Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, *in quo* neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura.

1. Fratres, et si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne et tu tenteris. 2. Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi. 3. Nam si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit. 4. Opus autem suum probet unusquisque, et sic in semetipso tantum gloriam habebit, et non in altero. 5. Unusquisque enim onus suum portabit. 6. Communicet autem is, qui catechizatur verbo, ei, qui se catechizat, in omnibus bonis. 7. Nolite errare : Deus non irridetur. 8. Quæ enim seminaverit homo, hæc et metet. Quoniam qui seminat in carne sua, de carne et metet corruptionem : qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. 9. Bonum autem facientes, non deficiamus : tempore enim suo metemus non deficientes. 10. Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei. 11. Videte qualibus litteris scripsi vobis mea manu. 12. Quicumque enim volunt placere in carne, hi cogunt vos circumcidi, tantum ut cruci Christi persecutionem non patiantur. 13. Neque enim qui circumciduntur, legem custodiunt : sed volunt vos circumcidi, ut in carne vestra glorientur. 14. Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi : per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. 15. In Christo enim Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura. 16. Et quicumque hanc regulam

secuti fuerint, pax super illos, et misericordia, et super Israel Dei. 17. De cætero nemo mihi molestus sit : ego enim stigmata Domini Jesu in corpore meo porto. 18. Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro, fratres. Amen.

1. Fratres, et si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis. — Nota : Præcipit hic Apostolus correptionem fraternam cujuslibet delicti (hoc enim significat, cum ait, *in aliquo delicto*); oculos tamen maxime intendit, ut recte annotavit Hieronymus, ad delictum, quod tota epistola est insectatus, scilicet judaismi; jubet ergo judaizantes corripi, sed leniter. Idem jussit *Rom.* XIV, 1; quem enim ibi vocat « infirmum in fide, » hic vocat « præoccupatum in aliquo delicto; » illum ibi jubet assumi, hic instrui : est enim hæc epistola quasi epitome et compendium epistolæ *ad Rom.*, cum eaque in sententiis, rationibus et discursu valde consentit, ut dixi in prooemio. Unde sicut prioribus cap. epistolæ *ad Rom.*, scriter judaismum est insectatus, ita et hic; et sicut ultimis, id est cap. XIV et XV *ad Rom.*, lenit istam acredinem, jubetque Judaizantes tolerari, ita et hic jubet eosdem leniter instrui.

Nota : Non loquitur de obstinatis in malo : hi enim docente S. Gregorio, quia destinata malitia et voluntate peccant, duro sunt increpandi : duritia enim, ait Tertullianus, frangenda est et vincenda, non sundenda; sed de præoccupatis, qui in fide et moribus fragiles, recentes et imbecilles falsa Judæorum persuasione seducti, et in judaismum aliunde vitia impulsi sunt; hi enim dicuntur præoccupati, id est præventi, antequam lapsum advertere, vel cavere possent. Unde pro *delicto* græce est παράπτωμα, quod lapsum non destinatum, sed casualem significat, cum quis alio respiciens, vel non advertens, in lapidem impingens, vel in fossam incidens, ruit et collabitur.

Qui ex infirmitate, non qui ex pertinacia peccant, tolerandi.

Instruite, — καταρτίζετε, id est, ut Syrus, *erigite*; vel, ut magis genuine Vatablus, *instaurate*, redintegrate, restituite, *q. d.* Sicuti restaurantur artus et membra hominis lapsu luxata, ita fidem et mores luxatos proximorum restaurate. Hinc Erasmus putat nostrum interpretem vertisse *instaurate*, et corrupte jam legi *instruite*, pro *instaurate*. Sed non est verisimile : omnia enim exemplaria habent *instruite* : itaque recte, non verbotenus, sed clariori sensu vertit interpres; nam instauratio fidei et morum, non est aliud quam in iisdem ipsorum instructio.

In spiritu lenitatis, — id est cum mansuetudine, blande, leniter. Nota : *Spiritum* vocat affectum internum lenitatis, qui est donum Spiritus Sancti, ait Chrysostomus, quique spirare, et quasi inflare dicitur verbis monitoris suam lenitatem et dulcedinem, ut ipsa verba et gestus spirent internam quamdam lenitatem et suavitatem corripientis; correptio enim est quasi pilula per se amara, quia correpti vitium detegit et incusat; hinc sacchato et dulcedine vocis, et commodis insinuationis, vel etiam extenuationis culpæ, oblinenda est, et amarities illius dolcoranda.

Correptionis fraternæ modus qualis esse debeat?

Pulchre et vere S. Chrysostomus, hom. 52 ad *Populum*, asserit linguam nostram quasi fieri linguam Christi, si in loquendo, docendo, corripiendo, imitamur Christi mansuetudinem. Et S. Dionysius, epist. 8 *ad Demophilum*, quæ est de benignitate, docet Mosem propter mansuetudinem (erat enim teste Scriptura mortalium mitissimus) meruisse colloquium et familiaritatem Dei tantam, ut Dei famulus κατ' ἐξοχὴν diceretur, cum quo præ cæteris Prophetis Deus ore ad os, facie ad faciem quasi amicus cum amico loqueretur. Mox que subjungit : Hoc eximiæ in se dilectionis argumentum Christus capit, si pascamus gregem ipsius modestissima gubernatione. Atque in fine addit pulchrum exemplum visionis cujusdam S. Carpo ostensæ, qua Christus Carpi indignationem et vindictæ appetitum contra Gentiles quosdam, qui duos a fide Christi abduxerant, redarguens eidem dixit : « Perente adversum me, paratus enim sum etiam iterum pro salvandis hominibus pati : gratum mihi illud est, dum non alii homines peccent. »

Mosen mansuetudine usum ratione colloquium Dei.

Vasis & Carpi.

Illinc et S. Augustinus hoc loco in praxi hunc correptionis modum perutilem præscribit : « Nunquam, inquit, alieni peccati objurgandi suscipiendum est negotium, nisi cum internis interrogationibus examinantes nostram conscientiam, liquidio nobis coram Deo responderimus, dilectione nos facere, » scilicet sola dilectione proximi nos moveri ad eum corripiendum, additque : « Dilige, et die quod voles; nullo modo male dictum erit, quod speciem maledicti sonuerit, si memineris sensersque te in gladio verbi Dei liberatorem hominis esse velle ab obsidione vitiorum. » Quod si quis impatientiæ motus nobis surrepat, nosque dum nobis bene monentibus resistitur, irasci conligat, cogitemus, inquit, « quam non debeamus super aliorum superbire peccata, quando et ipsa eorum objurgatione peccamus, cum facilius nos ira peccantis iratos, quam miseria misericordes facit. » Et S. Basilius in *Reg. fusius disputatis*, Reg. 51, docet Superiores, aliosque qui animarum morbos curare satagunt, debere imitari probos medicos, videlicet « ut ægris non irascantur, sed adversus morbum ipsum pugnent. »

Corripiendi modus ex S. Augustino.

Dilige, et die quod voles.

Considerans teipsum, ne et tu tenteris. — Est enallage numeri : nam transit a plurali numero ad singularem; consequenter enim dicere debuisset : Considerantes vos, ne et vos tentemini; sed quia pluralis hic distribuit, et supponit pro singulis (vos enim, id est singuli vestrum), hinc apte

hunc distributionem explicat dicens in singulari, « Considerans teipsum, ne et tu tenteris. » Præsertim, quia hoc mollius dicitur : durius enim dicitur toti communitati, Considerate vos, ne et vos tentemini; quia hoc est totam Ecclesiam vel communitatem monere, et monendo tacite culpare et incusare. Efficax hæc est ratio persuadens misericordiam et misericordem ac lenem correptionem, si cogites te ejusdem tentationis et miseriæ consortem et obnoxium, Deumque solere permittere tentari eos, qui in lapsos duri sunt et inclementes. Hinc sæpe in *Vitis Patrum* legimus, seniores, qui durius discipulos suos libidine aliove vitio tentatos arguerant, eadem mox tentatione pulsatos fuisse; ut discerent misereri, et tentatis compati, ac eos consolari et animare.

Utrum præsumendum sit antequam diam in correptione.

Refert Cassianus, lib. V *De Instit. renunt.*, n, 20, Abbatem Machetem dixisse : Tribus in rebus judicavi fratres meos, et in eosdem tres defectus prolapsus sum, « ut sciant gentes quoniam homines sunt. » Alius ex Patribus antiquis quoties audiebat aliquem cecidisse, flebat amare dicens : « Ille hodie, et ego cras. » Ita quisque dicat dum proximi lapsum videt : Homo sum, et humanum a me nihil alienum puto. Nam, ut ait S. Gregorius, hom. 34 *in Evang.* : « Vera justitia compassionem habet, falsa justitia dedignationem. » Narrat Cassianus, *collat.* 2, cap. XIII, quod monachus quidam junior graviter tentatus spiritu fornicationis, seniorem quemdam, sed rudem et indiscretum, adierit; eumque tentationem ei declarasset, alteruter acceptus et objurgatus, desperans decreverit redire ad sæculum, et uxorem ducere. Item ex vulta monachi deprehendit Abbas Apollo; igitur suaviter eum demulcens consolatus est, et in proposito corroboravit : ac mox adiens cellam senioris, qui juvenem ita duce acceperat, gravit Deum ut senlori tentationem juvenis immitteret, ut in senectute, inquit, discat compati junioribus dum tentantur. Mox tentatio seniorem invasit, adeo, ut quasi amens hue illuque discurreret. Rem eminus spectabat Apollo, ac seniorem adiens : Scito, ait, Deum permisisse te hac tentatione pulsari, ut per experientiam discas compati junioribus in tentatione, nec austere eos repellas, adigasque in desperationem, uti istum juvenem pene adegisti, utpote qui teipsum jam videas parva tentatione ita agitatum, ac pene superatum fuisse; sed benigne eos excipias, consoleris et corrobores, juxta illud *Isaiæ* L, 4 : « Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum qui lassus est verbo. » Sic enim fecit Christus, de quo prædixit Isaias, cap. XLII, vers. 3 : « Arundinem quassatam non confringet, et linum fumigans non extinguet; » idque re ipsa præstitisse Christum refert Matthæus XII, 20.

Tres regulæ correptionis fraternæ.

Quare prudenter et apposite S. Augustinus, lib. II *De Serm. Domini in monte*, cap. XX, in particulari hasce tres regulas corripiendi proximum assignat : « Pie, inquit, cauteque vigilandum est, ut, cum aliquem reprehendere vel objurgare nos necessitas coegerit, *primo*, cogitemus utrum tale sit vitium quod nunquam habuimus, vel quo jam caruimus; et si nunquam habuimus, cogitemus et nos homines esse, et habere potuisse. *Secundo*, si vero habuimus et non habemus, tangat memoriam communis fragilitas, ut illam reprehensionem aut objurgationem non odium, sed misericordia præcedat : ut, sive ad correctionem ejus, propter quem id facimus, sive ad perversionem valuerit (nam incertus est exitus), nos tamen de simplicitate oculi nostri securi simus. *Tertio*, si autem cogitantes nosmetipsos invenerimus in eo esse vitio, in quo est ille quem reprehendere parabamus, non reprehendamus, neque objurgemus : sed tamen congemiscamus, et non illum ad obtemperandum nobis, sed ad pariter cavendum invitemus. »

2. ALTER ALTERIUS ONERA PORTATE. — Græce ἀλλήλων τὰ βάρη βαστάζετε, id est *alii vicissim aliorum onera bajulate*, *q. d.* ut Chrysostomus, Anselmus, Theophylactus : Infirmitatum mutuarum pondera ferte, ea vicissim tolerando, eis compatiendo; verbi gratia tu feras proximi choleram et verba cholerica, ille ferat tuam melancholiam et phlegmaticos mores; « ut qui celer est et iracundus, ait ex Chrysostomo Theophylactus, ferat segnem tardumque, segnis autem ferat vehementem illius impetum, » nimirum cogitet esse onus, quod proximum gravat magis quam se, illique compatiatur.

Vers. 2. Per onera bilia intelligit.

Secundo et generalius, « onera, » vel, ut græce est βάρη, hoc est *gravamina* quæcumque proximum gravant, sive vitia, sive morbi, sive curæ, sive melancholia, seu quidvis aliud eum gravans, feras cum eo, ei compatiendo, illum adjuvando, roborando, sustentando, et quasi onera cum eo succollando, ut nimirum sis spes claudo, oculus cæco, baculus senl. De qua re vide S. Augustinum in *Psal.* CXXVI.

Peccata sunt onera gravissima.

Tertio, et genuine ad mentem Apostoli, Basilius, in *Regul. brevior.*, Reg. 278 : « Peccatum, ait, est onus grave animam premens, imo deprimens et detrahens ad infernum; » sicut enim jumentum bajulans onus nimis grave, ac viribus suis impar, sub eo collabitur : ita sub peccato quasi sub onere collabitur anima in reatum gehennæ, et sub onere gemit, nec ab eo se relevare et surgere potest. De peccato enim hic agi patet ex versu præcedent., ubi hoc onus vocavit « delictum, » et ex eo quod subdit vers. 5 : « Unusquisque enim onus suum, » peccatorum scilicet suorum, « portabit. »

Ex quo patet omne peccatum quidem hic vocari onus; Apostolum tamen proprie oculum intendere ad peccatum apostasiæ et judaismi; ad hoc enim proprie respexit vers. 1. Unde judaismum apte vocat *onus*, sicut cap. V, vers. 1, vocat eumdem *jugum servitutis*, quia onerosas leges et cæremonias suis subditis judaismus imperabat, *q. d.* Si quis præventus sit aliquo delicto, præsertim infidelitatis aut judaismi, ut sub eo collapsus quasi sub onere gemat, noli eum dure increpare, pungere, stimulare; sed leniter eum instrue et subleva, et quasi porta cum eo onus tua doctrina, consilio, consolatione, confortatione, ut a peccato et judaismo resurgat, sibique, Ecclesiæ et Christo restituatur; explicat enim quod dixit vers. 1 : « Hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, » *q. d.* Tanta debet hæc esse lenitas, ut quasi cum eo quem corripitis, portetis et bajuletis illius onus et delictum, vel potius hoc onus ab eo devolvatis, et devolvendo quasi in vos ipsos suscipiatis, ut is qui lapsus est a peccato resurgere possit; sicut qui asinum sub onere lapsum subleval, onus ab eo devolvit, illudque inter brachia quasi in se suscipit, ut hoc onere levatus asinus resurgere possit.

Unde S. Basilius supra : « Hoc onus, ait, inter nos vicissim alii ab aliis tollimus (et tollendo quasi in nos suscipimus), quoties operam damus, ut hi qui peccarunt et lapsi sunt, resipiscant. » Sic Christus, inquit Isaias cap. LIII, vers. 4, « vere languores nostros tulit, et dolores nostros ipse portavit, » quia peccata nostra et peccatorum pœnas in se suscepit, bajulavit, ac bajulando solvit et expiavit.

Ergo portamus onus, id est peccata proximi, eumque hoc onere levamus, *primo*, per compassionem et lenitatem, lenemque instructionem et correptionem; et hoc proprie intendit Apostolus hic. *Secundo*, per orationem, si oremus pro eo, ut eum Deus hoc onere levet. *Tertio*, et perfectissime per pœnitentias, si Christi exemplo proximi peccata voluntariis jejuniis, ciliciis aliisque pœnis luenda et expianda suscipiamus.

Nota, hic peccata esse et dici *onera*, eaque maxima et gravissima. « Videte, inquit S. Augustinus, homil. 22 *in hanc Apostoli verba*, tom. X, hominem oneratum sarcina avaritiæ, videte illum sub hac sarcina sudantem, anhelantem, sitientem, et laborando sarcinam addentem. Quid exspectas, o avare, amplectens onus tuum et sarcinam sub humeros tuos? Quid exspectas? Quid laboras? Quid inhias? Quid concupiscis? nempe saliare avaritiam : illa te potest premere, tu illam non potes satiare. An forte non est gravis? usque adeo sub hac sarcina sensum etiam perdidisti? Non est gravis avaritia? Quare ergo te de somno excitat, quæ te aliquando etiam dormire non sinit? Et fortasse habes cum illa alterum onus pigritiæ, et ista duo nequissima onera sunt, secumque pugnantia premunt te et dilaniant te. Non enim paria imperant, non enim similia jubent. Pigritia dicit : Dormi; avaritia dicit : Surge; pigritia dicit : Noli pati frigidos dies; avaritia dicit : Tolera in mari etiam tempestates; illa dicit : Quiesce; illa non sinit quiescere, jubet non solum : Procede, sed et : Naviga trans mare, quære terras quas ignoras. » Addit S. Augustinus, Christum nobis exonere hanc sarcinam cupiditatis, et suam charitatis imponere, quæ non gravat, sed levat, sicut alæ avem non gravant, sed levant.

Exemplum in cervis portandi mutua onera.

Nota *secundo*, quomodo hæc onera invicem portare debeamus, hocque esse charitatis proprium officium pulchra similitudine cervorum docet S. Augustinus ibidem, hom. 21, et lib. LXXXIII *Quæst.*, Quæst. LXXI, ubi ait : « Dilectionis officium est invicem onera nostra portare. Sicut enim de cervis nonnulli scripserunt, cum fretum ad insulam transeunt pascuorum gratia, sic se ordinant, ut onera capitum suorum, quæ gestant in cornibus, super invicem portent, ita ut posterior super anteriorem, cervice projecta, caput colloeet. Et quia necesse est unum esse, qui cæteros præcedens non ante se habeat cui caput inclinet, vicibus id agere dicuntur; ut lassatus sui capitis onere, ille qui præcedit post omnes redeat, et ei succedat, cujus ferebat caput eum ipse præiret. Ita invicem onera sua portantes, fretum transeunt, donec veniant ad terræ stabilitatem istam. Fortasse cervorum naturam intenderat Salomon, cum ait : Cervus amicitiæ et pullus gratiarum tuarum colloquantur tecum; nihil enim sic probat amicum, sicut oneris amici portatio, v. g. iram fratris tui tunc portabis, cum tu adversus eum non irasceris, ut rursus eo tempore quo te ira præoccupaverit, ille te tranquillitate sua supportet. Et item si quis loquacitatem in se vicerit, et pertinaciam nondum vicerit; alius vero adhuc loquax sit, sed jam pertinax non sit: debet ille hujus loquacitatem, et iste illius pertinaciam, donec illud in illo, et hoc in isto sanetur, charitate portare. » Deinde exemplo Pauli et Christi idipsum demonstrat, dum subdit : « Et Paulus dixit : Non quæ sua sunt unusquisque quærat, sed quæ aliorum. Cui sententiæ connexuit : Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Jesu; ad hoc dumtaxat, ut quemadmodum in eo quod Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, et sine peccato cum esset, peccata nostra suscepit, non attendens sua, sed nostra : ita et nos libenter ad ejus imitationem invicem onera nostra portemus; hoc ergo exhibeamus illi, cujus infirmitatem portare voluimus, quod ab illo nobis vellemus exhiberi, si forte nos in ea essemus, et ipse non esset. Omnibus omnia factus sum, ut omnes lucrifacerem, ait Paulus. Omnibus omnia factus est, cogitando scilicet, etiam in eo vitio se esse potuisse unde cuplebat illum liberare. »

Bajuli infirmitatem proximi similes compara tis.

Hos onerum et infirmitatum proximi bajulos eleganter ossibus comparat S. Basilius in *Ps.* XXXIII ad illa verba, *Custodit Dominus omnia ossa eorum* : « Quemadmodum, ait, ossa ingenita sibi vi præteneram carnis mollitiem suffulciunt, et pressius contrahunt : itidem sunt in Ecclesia quidam, qui possint sua ipsorum constanti firmitudine debilium fulcire ac ferre imbecillitatem. Et sicuti ossa inter se connectuntur secundum commissuras articulorum, et hæ consertiones nervis

firmantur et ligamentis, quæ ossibus adhæserunt : idem prorsus contigerit, si charitatis pacisque colligatio in Ecclesia Dei veluti cognationem quamdam conficiet spiritualium ossium, et in unum conspirantem. De ejusmodi ossibus a concordi partium harmonia emotis solutisque, et quasi a commissuris suis et artubus eluxatis, Propheta inquit : Dissipata sunt ossa nostra secus inferorum. Et quidem ossa hæc, si qua interim turbata, si qua conquassatio occupaverit, orans ait : Sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea. Ubi vero propriam servaverint harmoniam, a Domino custodita, ait : Ne unum quidem ex his conteretur. Quumi sane digna sunt, quæ in Deum transcribant gloriam ac referant, inquit : Omnia ossa mea dicent : Domine, quis similis tibi ? Vidisti itaque ossium naturam rationis præditorum. »

Compassio infirmitatibus proximi, signum est perfectionis Christianæ.

Hinc sequitur *tertio*, eos qui aliorum onera portant, aliorum infirmitatibus condolent et compatiuntur, esse in virtute osseos et robustos, et consequenter hanc compassionem signum esse perfectionis Christianæ ; sicut e contrario non compati, sed rigide proximum peccantem arguere et condemnare, signum est latentis alicujus vitii et imperfectionis. Docet id Cassianus, *Collat.* 11, cap. XI : « Evidens, ait, indicium est animæ necdum vitiorum fœtibus aliquatæ, in criminibus alienis non affectu misericordiæ condolere, sed rigidum judicantis tenere consurum. Nam quemadmodum perfectionem cordis poterit obtinere, is qui non habet illud quod Apostolus plenitudinem legis consummare signavit ? alterutrum, inquiens, onera vestra portate, et sic adimplebitis legem Christi ; sed nec illam virtutem possidet charitatis, quæ non irritatur, non inflatur, non cogitat malum, quæ omnia suffert, omnia sustinet, omnia credit. Justus enim miseretur animas pecorum suorum, viscera autem impiorum sine misericordia ; ideoque iisdem vitiis monachum subjacere certissimum est, quæ in alio inclementi atque inhumana severitate condemnat. Rex enim rigidus incurret mala, et qui obturat aures suas, ne audiat infirmum, et ipse invocabit, et non erit qui exaudiat eum. » Citat hæc verba Cassianus ex *Prov.* cap. XXI, juxta Septuaginta. Exempla compatientium et supportantium alios attuli *Num.* **cap. XI, vers. 12.**

Et sic adimplebitis legem Christi. — Legit noster Interpres ἀναπληρώσετε per *i*, id est *adimplebitis* ; jam Græca habent ἀναπληρώσατε, in imperativo, hoc est *adimplete* : sed idem est sensus, si videlicet mutuos defectus et peccata toleremus, portemus, sublevemus, nos adimpleturos legem Christi, quæ jubet : « Diliges proximum tuum sicut teipsum. »

Ubi nota : Lex Christi est amor. « In hoc, inquit, cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem, » *Joan.* XIII, **35** ; et XV, **12** : « Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. » In hac autem dilectione mutua difficillimum, quodque maxime exigit a nobis Christus, est, ut alter alterius onera portemus ; ut si hoc impleamus, legem dilectionis proximi, ac consequenter legem Christi simus impleturi, qui magnus est stimulus, ut idipsum faciamus ; non enim dicit : Facietis, sed plane : « Adimplebitis legem Christi. »

Lex Christi tunc perfecte impletur, si proximi infirmitatibus portatis sarcina gravium.

Notat *secundo* Chrysostomus et Theophylactus non dicere Apostolum πληρώσατε, id est *implete* : sed ἀναπληρώσατε, hoc est *readimplete*, denuo implete, vel simul ac communiter omnes impleta, ut scilicet quod alterius cholera, vel delicto diuturnum fuit in legis observatione, id alterum sarciat charitas ; sic ut quisque quod proximo deest in implenda lege, suppleat sua tolerantia et charitate legem implendo, v. g. Qui verbis asperis et cholericis proximum offendit, violat legem, quæ dicit : « Diliges proximum tuum. » Si proximus hoc vitium patienter ferat, condonet, compatiatur, supplebit, in quo alter defecit, et pro eo implebit legem quæ dicit : « Diliges proximum tuum. » Rursum et magis ad mentem Apostoli : qui judaizantem et peccantem portat, instruit, corrigit, ejus in lege defectum adimplet, quia illum tollit et emendat, hominemque fidei et legi restituit, ut eam rursus faciat implendo. Sic S. Bernardus, tract. *De Præcepto et Dispens.*, paulo post init., docet eum qui peccando legem violavit, pœnitendo, veniam petendo, orandoque, « dimitte nobis debita nostra, » lapsum hunc et violationem legis rursum sarcire et implere : « Illum, inquit, sane dico securum, qui etsi interdum obedientiæ limitem præterit, consilium non respuit pœnitentiæ : pars siquidem regulæ (legis monasticæ) est regularis correctio, et in ea reperitur non solum bonæ vitæ instructio, sed et emendatio pravæ. »

Tolerans supplet defectum proximi.

3. Nam si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit, — si quis existimet se esse spiritualem, egregium, magnum et perfectum in virtute et Christianismo, idcoque superbo, duro et contemptim proximum peccantem, ac præsertim judaizantem, increpet ac redarguat : ille nihil est, quia suo fastu, arrogantia, duritie, contempta ostendit se nullius esse virtutis. Ita S. Hieronymus (aliter Anselmus : « Nihil est, scilicet, ex se ; quia quidquid habet, a Deo habet ; » sed prior sensus plus habet energiæ et connexionis) ; ideoque talis *se seducit*, græce φρεναπατᾷ, id est, ut Hieronymus, mentem suam decipit ; quæ deceptio maxima est et perversissima, cum scilicet quis sibi cæco blandiens, sibi ipsi imponit, persuadens sibi se esse, quod revera non est.

4. Opus autem suum probet unusquisque, — *q. d.* Quisque non lapsum, vitam, mores, opera alterius examinet, ut instar Pharisæi considerans Publicani vitam, putet se præ eo sanctum esse ; sed potius quisque probet et exacte examinet suum opus, id est singula sua opera, num ea

faciat ex vana gloria, ex simulatione, ex odio et invidia, an vero puro ut placeat Deo : sic enim multos videbit defectus, ut non existimet se esse aliquid. Quod si nullos vel paucos videat, videaturque opus suum esse purum et perfectum, gloriam, id est, ut græce, καύχημα, *gloriationem*, habebit in semetipso, ut scilicet, in conscientia, in se suisque operibus gloriari possit ; sed in Domino et Domini gratia, cujus virtute ea fecit, « et non in altero, » id est, non per respectum ad alterum, græce εἰς τὸ ἕτερον, *non in alterum* : quod Chrysostomus explicat, non contra alterum, *q. d.* Non gloriabitur respiciens alterum graviter lapsum, quod eo sit melior, uti Pharisæus gloriabatur contra Publicanum eum contemnendo ; et se præ eo laudando ; sed modeste in se suaque conscientia in operibus Dei gratia factis gloriabitur. Ita Chrysostomus, Theophylactus, Anselmus.

Et pulchre Hieronymus : « Sensus, inquit, iste est : Tu quæ te æstimas spiritualem, et de alterius infirmitate robustior es, non debes imbecillitatem accentis, sed tuam fortitudinem considerare ; neque enim, si alius perfecte non potest ad Christianismum a Judaismo transire, idcirco tu perfectus es Christianus ; sed si te propria conscientia non remordet, habes in semetipso gloriam, et non in altero. Athleta non ideo fortis, quia vicit infirmum, et languida adversarii membra superavit ; sed si robustus est, et in sua fortitudine, non in infirmitate alterius gloriatur. Intelligi potest et aliter : Qui conscientiam habet operis boni, et seipsum considerans, opus suum non reprehendit, non debet de hoc apud alium gloriari, et laudem suam foras fundere et communicare cum canefis, et ex hominum favore quærere jactantiam ; sed in semetipso habeat gloriam, et dicat : Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. » Sed prior sensus est genuinus, et intime connexus præcedentibus.

5. Unusquisque enim onus suum portabit. — Ambrosius, *sarcinam suam* ; græce enim est, ἴδιος τὸ ἴδιον φορτίον βαστάσει, id est, ut Vatablus, *quisque propriam sarcinam bajulabit*.

Dices : Hæc sententia videtur contraria jam dictæ vers. 2 : « Alter alterius onera portate. »

Respondet Hieronymus, illam vers. 2 loqui de præsenti sæculo, hanc vers. 5 de futuro, deque judicii die ; quia scilicet in hoc sæculo alter alterum consiliis et precibus juvare possumus ; cum vero venerimus ante tribunal Christi, nec Job, nec Daniel, nec Noe poterunt liberare animas filiorum suorum, ut dicitur *Ezech.* XIV, 14 ; sed quisque operum et peccatorum suorum onus, id est meritas operum pœnas et præmia, feret et portabit, *q. d.* In die judicii Christus non examinabit te de lapsu, vel delicto proximi, aut an eo melius minusve male vixeris, sed te tibi comparabit, statuet te ante faciem tuam, opera tua ad legem

Novantes perperam alios tantum Purgatorio ascribunt.

mentis et rationis tuæ exiget, judicabit, punict, vel præmiabitur. Vide ergo ne te putes esse aliquid præ eo qui cecidit in peccatum aut Judaismum, sed opus tuum proba, et compara tibi ipsi et legi divinæ, ut explores an coram Deo tale, tam purum et perfectum sit, quale exigit Christus in suo tribunali.

Perperam ergo hanc Novantes torquent contra Purgatorium, et suffragia quæ faciunt pro iis, qui sunt in Purgatorio : non enim loquitur Apostolus de Purgatorio, sed de die judicii, in quo quisque suum onus portabit, et a nemine defendi aut juvari, poterit : ante diem enim judicii invicem precibus et meritis, tam vivos quam mortuos in Purgatorio existentes juvare possumus ; hoc enim requirit communio Sanctorum, quæ est in Ecclesia, ad quam utique pertinent illi qui sunt in Purgatorio.

Nota : Quisque eum ex hac vita et mundo discedit, nihil secum effert nisi opera sua. Unde opera sunt quasi sarcina viatorum pergentium ad tribunal Christi, ut ibi illa denudetur, examinetur, et ferentem vel cœlo, vel inferno dignum ostendat ; qualis enim erit sarcina, talis censebitur esse et ejus bajulus, imo opifex homo, qui hanc sarcinam sibi confecit, id est ejus operum, suorum, et consequenter onus suppliciorum, vel præmiorum, sive onus pœnæ oneri culpæ commensuratum et debitum sibi, quasi sarcinam confecit et imposuit.

Opera sunt sarcina viatorum pergentium ad tribunal Christi.

6. Communicet is qui catechizatur verbo, et qui se catechizat, in omnibus bonis. — Nota *primo*, « catechizatur verbo, » id est per verbum, vocem et doctrinam catechizantis, sive docentis, quam catechumenus sive discipulus haurit et exoipit. Ita S. Ambrosius.

Secundo, ἐν πᾶσι τοῖς ἀγαθοῖς refer non ad proxime præcedens, *qui te catechizat*, sed remotius ad *communicet* : non enim vult catechistam, sed catechumenum sua bona, victum et opes communicare cum suo catechista. Ita Hieronymus, Theophylactus et alii.

Ambrosius tamen refert ad *qui se catechizat*, *q. d.* Communicet catechumenus suas opes cum catechista, si tamen *in omnibus bonis*, scilicet disciplinis et moribus, se catechizet ; nam si a catechizet, audiet id quod sequitur : « Nolite errare, Deus non irridetur. »

Rursum Marsion, ait Hieronymus, sic explicabat : In oratione, bonis moribus et *omnibus bonis* spiritualibus communicet catechumenus cum suo catechista et magistro, ut ejus doctrinam et mores imitetur, et in se exprimat ; sed primus sensus planior est et communior.

Mysteria fas olim non fas.

Catechizare. — *Catechizo* vox græca est ἀπὸ τοῦ ἠχέω, id est voce sonare ; inde vox Echo. Inde κατηχῶ idem est, quod voce instruere, quia olim mysteria religionis viva voce tradebantur, et nefas erat ea scriptis committere, ne in infidelium manus et notitiam devenirent, propalarentur et

Quibus ammonendi fuere.

profanarentur ac riderentur. Inde catechista dicitur, qui hæc mysteria docet; catechumenus, qui ea audit et discit; catechismus, ipsa doctrina et instructio.

Catechismi et catechizationis antiquitas.

Unde patet catechismi et catechizationis antiquitas : tempore enim Pauli fiebat hæc catechesis, jubetque hic Paulus catechumenis, ut bona sua omnia communicent cum suis catechistis; imo conciones Apostolorum fere tantum erant catechesses. Talis catechista fuit Paulus, I *Corinth.* XIV, 19 : « In Ecclesia, inquit, volo quinque verba sensu meo loqui, ut et alios instruam, » græce est κατηχέω, *catechizem*. Sic Apostolos secuti sunt Patres, ut Cyrillus Hierosolymitanus cujus exstant Catecheses, et Augustinus qui scripsit librum de Catechizandis rudibus, Gregorius Nyssenus, qui edidit orationem catecheticam, quæ dicitur Magna, et alii. Unde patet munus catechizandi esse primævum Ecclesiæ et Apostolicum; ut merito D. Joannes Gerson, Cancellarius licet Parisiensis, eo quasi honorifico vereque Christiano perfunctus sit, ipseque pueros erudire, eorumque confessiones assidue audire voluerit, uti etiamnum faciunt viri insignes et Religiosi, quin et doctores, magno Ecclesiæ bono et fructu. Est enim hoc munus necessarium in Ecclesia : multi enim ita simplices etiamnum et ignari sunt, ut SS. Trinitatis et Incarnationis ac redemptionis Christi mysteria nesciant, Symbolum non intelligant, sed illud recitent ut psittacus suum χαῖρε; quibus sane magis utilis et necessaria est catechesis, quam quævis alia concio. Quare Episcopi et Parochi juxta præceptum Concilii Tridentini, *sess.* XXIV, cap. IV et VII, necessario illos vel per se, vel per alios hæc docere et catechizare debent : alioqui væ illis. Si enim simplices ob ignorantiam pereant et damnentur, multo certe magis damnabuntur Parochi, qui docere illos noluerint aut neglexerunt.

Quam utilis et necessaria sit Ecclesiæ ut pueros erudiat fidelium confessiones audiat.

Scripsit D. Gerson jam citatus tractatum *De Pueris ad Christum trahendis*, qui extat part. II operum ejus, ubi multa in hanc rem habet, seque summque factum de pueris catechizandis defendit, atque inter cætera sic ait : « Adeo jam indignum videtur apud multos, si quis ex Theologis aut famosis in litteris, vel Ecclesiastica dignitate præditus ad hoc se opus inclinaverit, præsertim circa parvulos, quod mihi in fabulam et improperium cesserit. Convincit autem illos exemplum Christi, qui, Sinite, inquit, parvulos venire ad me; talium enim est regnum cœlorum. O piissime Jesu, quis ultra post te verecundabitur esse humilis ad parvulos, quando tu, qui es Deus, usque ad castissimos puerorum amplexus brachia mansuetus inclinas atque circumligas! Da mihi aliquem, qui spiritualis est, qui quærat non quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi, quem totum repleverit charitas, humilitas et pietas, et nullum in eo locum inveniat vanitas et cupiditas, cujus conversatio in cœlis sit, qui tanquam unus ex angelis Dei, nec benedictione, nec maledictione moveatur, qui nullis stimuletur aut illiciatur formis corporum : sed abstractus in sublimi arce rationis, in sola animarum perspicaci qualitate versetur; et hæc intelliget. » Deinde obtrectatorum objectionibus ita respondet : « Sed dicunt occupationem meam (tanquam cancellarii) in majoribus esse debere. Nescio prorsus si quidquam majus esse potest, quam animas ab ipsis inferni portis eripere, et tales parvulorum animas quasi plantare aut rigare, partem non indignam horti Ecclesiastici. Sed assertunt me in prædicationibus publicis ista magnificentius operaturum. Id quidem forte pomposius, sed meo judicio non efficacius, neque fructuosius : nam quo semel est imbuta recens, servabit odorem testa diu. Venite ergo ad me, parvuli, ego vobis doctrinam, vos mihi orationem impendetis : sic angelos nostros vicissim lætificabimus. » Hæc sparsim, et plura Gerson citato tract. Plura de catechesi vide apud Antoninum Possevinum, lib. IV *Biblioth. sanctæ*, cap. VI, VII, VIII, IX.

7. NOLITE ERRARE, — in hac scilicet communicatione bonorum vestrorum, ait Anselmus, ut ab alimonia catechistarum vos excusetis, prætextu paupertatis, necessitatis familiæ et prolium : quia licet hominibus hæc obtendere possitis, videte tamen ne vos fallatis, falsoque hæc obtendatis : Deum enim omnia videntem fallere et irridere non potestis. Ita Hieronymus, Theophylactus, Anselmus.

Secundo, generalius et melius, hæc verba more Hebræo paulo superius inferenda sunt ad id, quod dixit superius, vers. 4 : « Opus autem suum probet unusquisque, » *q. d.* Quisque sincere et coram Deo opera sua probet, hac in re non erret; quia licet hominibus fucum facere possit, Deo tamen illudere non potest. Nam generatim de quovis opere hæc esse accipienda, patet ex vers. seq. : « Quæ enim seminaverit homo, hæc et metet : quoniam qui seminat de carne sua, de carne et metet corruptionem. »

DEUS NON IRRIDETUR. — Pro *irridetur* græce est μυκτηρίζεται, quod significat nasum suspendere, irridere suspenso naso, uti faciunt, qui cum alios deceperint, a tergo in eos linguam, nasum, digitum in signum irrisionis extendunt.

8. QUÆ ENIM SEMINAVERIT HOMO, HÆC ET METET. — Nota metaphoram. Vita nostra est quasi agricultura tempusque seminandi; futura vita metendi tempus est, id est mercedem recipiendi pro ratione seminis, hoc est meriti. Sic vulgo dicitur :

Præmia de semine tuo erunt Christus.

Quod sibi quisque serit præsentis tempore vitæ,
Hoc sibi messis erit, cum dicent : Ite, venite;

cum scilicet Christus et Apostoli electis dicent : « Venite, benedicti, possidete regnum; » reprobis vero : « Ite, maledicti, in ignem æternum. »

QUI SEMINAT DE CARNE SUA, DE CARNE ET METET CORRUPTIONEM (*q. d.* Qui operatur carnalia, eaque quasi semen conjicit in carnem suam, ut habent Græca, ut scilicet carnem suam pascat et oblectet, hic « de carne, » id est carnali opere et voluptate, « metet corruptionem, » et mortem, tum præsentem, tum æternam. Alludit ad carnales voluptates gulæ et veneris, quarum messis et finis est corruptio : vertuntur enim in phlegmata, sordes, menstrua, saniem, omnemque corruptionem. Contra), QUI SEMINANT IN SPIRITU (id est operantur spiritualia, quibus spiritum foveant et acuant, hi) DE SPIRITU (id est de opere hoc spirituali) METENT VITAM ÆTERNAM. — *Secundo*, licet generalis sit sententia Apostoli, tamen, ut dixi, oculos intendit et respicit proprie semen et opus beneficentiæ, et præsertim eleemosynæ, qua catechumenus alit suum catechistam, *q. d.* Qui opes suas profundit in carnem suam, ut eam splendide vestiat, alat, infarciat, hic de carne metet corruptionem; qui vero opes suas seminat et profundit in opera pia et spiritualia, in eleemosynas præsertim, ut suos alat catechistas et magistros, hic ex hac eleemosyna et opere spirituali metet vitam æternam. Ita Hieronymus et Theophylactus.

9. BONUM AUTEM FACIENTES. — « Bonum, » id est bona opera, præsertim eleemosynæ et liberalitatis, maxime in catechistas et præcones Evangelii. Sic enim omnibus hisce verbis in genere loquitur de bono opere, ut tamen ejus mens maxime feratur, et respiciat bonum hoc, quo quis alium in fide labentem instruit et confirmat, et vicissim quo is, qui in fide instruitur, communicat suas opes suo instructori, ut inde vivat, ne cogatur doctrinam relinquere, ut sibi victum quærat et comparet.

NON DEFICIAMUS. — Græce οὐκ ἐκκακῶμεν, non fatigemur, non lassemur, non segnescamus.

TEMPORE SUO (videlicet in die judicii et retributionis extremæ) METEMUS NON DEFICIENTES. — Οὐκ ἐκλυόμενοι, id est, ut Theophylactus, indefatigabiles, *q. d.*, ait Theophylactus : Non fatigemur hic bene operando et seminando, ut pro mercede perfectam quietem in qua nulla erit fatigatio, in messe cœlesti et æterna assequamur : in hac enim vita, in messe corporali, v. g. tritici aut frumenti, multus est labor et fatigatio; sed nihil tale erit in messe cœlesti. Vel clarius et concinnius, « metemus non deficientes, » id est metemus incessanter et sine fine : quia sicut non defecimus in hac vita seminando, inquit Anselmus, sic non deficiemus in altera metendo fructus vitæ et gloriæ æternæ. Hæc enim est congrua, par et æqua merces, ut qui hic sine cessatione perpetuo laboraverunt infatigabiles, ibi sine cessatione insatiabiles epulentur, omnibusque bonis affluant in æternum.

Posset *secundo*, non male sic accipi, « Non deficientes, » id est si non defecerimus. Græce οὐκ ἐκλυόμενοι, *non dissoluti*, non languentes, id est, si non elanguerimus, sed strenue perseveraverimus in benefaciendo : sola enim perseverantia coronatur, et finis coronat opus.

10. ERGO DUM TEMPUS HABEMUS (seminandi, benefaciendi, merendi in hac vita), OPEREMUR BONUM AD OMNES (hoc est, omnibus, non modo catechistis, ut dixi vers. 6, sed omnibus omnino, etiam Gentilibus), MAXIME AUTEM AD DOMESTICOS FIDEI, — hoc est Christianis, qui in domo Dei, id est Ecclesia, quasi domestici nobiscum versantur, benefaciamus, charitatem eis ostendamus, omni ope et opera juvemus, sive docendo, sive monendo, sive consulendo, sive eleemosynam dando, sive alio quovis modo opitulando. Pulchrum hac de re documentum S. Joannis Apostoli narrat hic S. Hieronymus : « Beatus Joannes Evangelista, inquit, cum Ephesi moraretur usque ad ultimam senectutem, et vix inter discipulorum manus ad ecclesiam deferretur, nec posset vocem in plura verba contexere, nihil aliud per singulas solebat proferre collectas, nisi hoc : Filioli, diligite alterutrum. Tandem discipuli et fratres qui aderant, tædio affecti, quod eadem semper audirent, dixerunt : Magister, quare semper hoc loqueris? Qui respondit dignam Joanne sententiam : Quia præceptum Domini est, et si solum fiat, sufficit. » Addit S. Hieronymus, moneri hic omnes ut tempus bene collocent : « Breve, inquit, est curriculum hujus vitæ. Titus, Vespasiani filius, cum quadam nocte sero recordaretur in cœna se nihil boni illa die fecisse, dixit amicis : Hodie diem perdidi; nos non putamus perire nobis horam, diem, momentum, tempus, ætates, cum otiosum verbum loquimur, pro quo reddituri sumus rationem in die judicii. »

Καιρός, id est tempus sive occasionem, pulchre describit Posidippus, et ex eo B. Thomas Morus et Giraldus, *Syntagm.* 4 :

..... Tu quis? καιρὸς ego, omne domans.
Cur summis instas pedibus? Semper rotor. Alas
Cur plantis gestas? Ut levis aura fero.
Dextræ cur inserta novacula? Signum hominis hoc est,
Vix ceferi acie quod mihi nulla potest.
Cur coma fronte jacet? Venientem ut prendere possis.
Parte est cur calvum posteriore caput?
Quod, postquam levibus pinceps effugero pennis,
Ne valeat tergo qui revocare velit.

Oh! si bene cogitaremus quam breve tempus sit agonis et cursus nostri, quam volet irrevocabile tempus, quam ab hoc momento pendeat æternitas : quam fervidi et assidui essemus in omni bono opere! Quod enim jam negligimus, per omnem æternitatem recuperare non licebit, quia brevi finietur omne tempus vivendi, agendi, merendi. « Juravit angelus, inquit Joannes, *Apocalyp.* X, 6, per viventem in sæcula sæculorum, quia tempus non erit amplius, » sed æternitas et æterna retributio eorum, quæ in tempore hoc gerimus. S. Chrysostomus, hom. 17 *in Joann.* « Breve, inquit, tempus nobis in præsenti vita præstatur : quo nisi in necessariis utamur, quid

illic migrantes faciemus? » Æternis ergo sanctisque rebus tribuendum est tempus, non malis, non vanis, non otiosis. Suadet id Ethnicus Seneca Lucilio, *epistola* 1 : « Turpissima, inquit, temporis jactura est, quæ per negligentiam fit; et si volueris attendere, magna vitæ pars elabitur male agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus. »

Hinc S. Gregorius Nazianzenus in *Iambicis* ait vitam hanc esse mercatum, in quo omnes opes, puta virtutes, comparare possimus; eo exacto, nullus emendi et comparandi supersit locus. Mercatus hic durat tantum uno die, puta vita nostra, quæ non est nisi unus dies, imo nisi punctum respectu æternitatis. Vide ergo ut hoc die copiose merceris, et lucra tua in æternum duratura adaugeas.

11. VIDETE QUALIBUS LITTERIS SCRIPSI VOBIS MEA MANU. — « Qualibus, id est, quam deformibus, *q. d.* Licet ineleganter et inscite pingam, tamen ex vestri amore hanc epistolam mea manu et charactere licet deformi scripsi. Ita S. Chrysostomus, Theophylactus. *Secundo*, Augustinus, « qualibus, » id est, quam apertis, quam liberis litteris, Judaizantes nihil veritus, hæc scripsi. *Tertio*, « qualibus, » id est, quam sublimibus. Ita ex S. Hilario in Psalmos nonnulli. *Quarto*, S. Hieronymus putat S. Paulum hanc epistolam hucusque e vinculis aliena manu scripsisse : hinc vero ad finem usque sua manu scribere, ne Judæi dicerent, quod alias dixerant, suppositiliam esse hanc Pauli epistolam. *Quinto* et optime, « qualibus, » græce πηλίκοις, id est, quantis, quam longis litteris vobis scripsi mea manu, *q. d.* Ego Paulus, qui alias aliena manu soleo scribere, et tandem mea manu subscribere, hanc epistolam ad vos totam (ut fatetur S. Chrysostomus, Ambrosius, Theophylactus), licet bene magnam, scripsi mea manu, ut ostendam quam mihi curæ sit vestra salus, puta fides et religio, ut a Judaismo ad Christianismum vos reducam.

Quintoplex hujus loci explicatio.

12. QUICUMQUE VOLUNT PLACERE IN CARNE. — Pro *placere* græce est εὐπροσωπῆσαι, id est, bonam faciem, bonum vultum ostendere, speciosum apparere, secundum faciem et speciem externam placere, *q. d.* Judaizantes, qui bonam faciem et speciem ostendere, eaque placere volunt « in carne. » Est Hebraismus, id est, carni, hoc est, carnalibus Judæis, suis secundum carnem cognatis. Ita Chrysostomus et Theophylactus; itaque se explicat Paulus vers. sequenti. *Secundo*, non male alii, « in carne, » id est in observantia carnalis circumcisionis aliarumque carnalium cæremoniarum. Sic enim τὸ *in carne* accipit vers. seq. cum ait : « Ut in carne vestra glorientur; » sed non est necesse hic accipere ut ibi accipitur, præsertim cum hic desit persona, cui placentur; nisi « in carne » hic aliter explices, ut scilicet idem sit, ac carnalibus Judæis, uti explicui.

IIS COGUNT VOS CIRCUMCIDI, UT CRUCIS CHRISTI PERSECUTIONEM NON PATIANTUR, — scilicet a Judæis, qui pro suo Mose et lege pugnant, et persequuntur crucem Christi, et crucis Christi præcones ac defensores. Græce est, ἵνα μὴ τῷ σταυρῷ τοῦ Χριστοῦ διώκωνται, *ne cruce Christi*, id est, ob crucem Christi, *persecutionem patiantur*, ne crux illos in persecutionem inducat.

13. NEQUE ENIM, QUI CIRCUMCIDUNTUR, LEGEM CUSTODIUNT (*q. d.* Judaizantes cum volunt vos pertrahere ad judaismum, non faciunt hoc zelo legis et judaismi : neque enim ipsi licet circumcisi legem custodiunt); SED (tantum) VOLUNT VOS CIRCUMCIDI, UT IN CARNE VESTRA GLORIENTUR, — ut scilicet apud Judæos glorientur de vestra carnis circumcisione, quod scilicet vos ad circumcisionem et judaismum converterint. Ita Theophylactus, Anselmus et alii. Sic et hodie multi alios ad suam hæresim et sectam pertrahere conantur, non zelo salutis ipsorum, sed ut glorientur se multos habere asseclas, se multos in suam sententiam traxisse. Ita luduntur, et aleam jaciunt super alieno corio, imo anima, temeritate et fraude inexpiabili.

Vanitas hæreticorum.

14. MIHI AUTEM (nota conjunctionem adversativam, *autem*, *q. d.* Judaizantes volunt gloriari coram Judæis « in carne » et carnali vestra circumcisione, jactantes quod ad judaismum vos traduxerint : « mihi autem » ABSIT GLORIARI (hoc est, absit ut glorier, « in carne, » aut alia re) NISI IN CRUCE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI, — id est in fide, grata memoria, meditatione et prædicatione beneficii crucis, utpote per quam redempti et justificati sumus, a qua gratiam pie et sancte vivendi, et ad beatitudinem aspirandi accepimus. In cruce ergo patet magnitudo peccati nostri, et immensus Dei in nos amor. Hinc in ea sola glorior. Ita Chrysostomus. Vide Augustinum, serm. 20 *De Verbis Apost.* : « Poterat, ait, Apostolus gloriari in sapientia Christi, et verum diceret; poterat in majestate, poterat in potestate, et verum diceret : sed dixit in cruce. Ubi mundi Philosophus erubuit, ibi Apostolus thesaurum reperit, ut qui gloriatur, in Domino glorietur. Quo Domino? Christo crucifixo : ubi humilitas, ibi majestas; ubi infirmitas, ibi potestas; ubi mors, ibi vita : si vis ad illam venire, noli ista contemnere, noli erubescere; ideo in fronte tanquam in sede pudoris signum crucis accepisti. » Hactenus Augustinus.

Gloria quanta crucis et crucifixi.

Et S. Bernardus, serm. 25 *in Cant.* : « Nihil, ait, sibi gloriosius putat, quam Christi portare opprobrium. Grata ignominia crucis ei, qui crucifixo ingratus non est. » Et serm. 1 *De S. Andrea* : « Crux, inquit, pretiosa est, et crux amari potest, et crux habet exultationem. Ita est, fratres mei. Si fuerit qui colligat, semper lignum crucis vitam germinat, fructificat jucunditate, oleum lætitiæ stillat, balsamum sudat temporalium charismatum. Non est silvestris arbor, lignum vitæ est apprehendentibus eam. Arbor fructifera, arbor salutifera est, alioqui quomodo Dominicam occuparet terram? Illam dico pretiosissimam gleham, cui clavorum est infixa radicibus. » Et epist. 190 *ad Innocent. Pont.* : « Tria, ait, quædam præcipua in hoc opere salutis nostræ (in cruce Christi) intueor : formam humilitatis, in qua se Deus exinanivit; charitatis mensuram, quam usque ad mortem, et mortem crucis expendit; redemptionis sacramentum, quo ipsam mortem quam pertulit, solvit. »

Amor crucifixus est, ait S. Ignatius.

PER QUEM MIHI MUNDUS CRUCIFIXUS EST. — *q. d.* Ubi mundus horret crucem, vel crucifixum aliquod cadaver, ibi et me exhorret, et vice versa, delicias et pompæ mundi mihi crux sunt, easque, ut crucem ille, aversor et horreo. Ita D. Thomas. Et S. Bernardus : « Quæcumque, ait, mundus reputat crucem, ego delicias reputo; et quæ mundus delicias, ego reputo crucem. »

Modus quo quis Christo crucifixus fit possit.

Secundo, simplicius, « crucifixus, » id est mortuus, per metalepsim : ex cruce enim et crucifixione necessario sequitur mors ejus qui crucifixus est; dicit tamen Apostolus « crucifixus, » potius quam mortuus, ut persistat in cruce Christi, ex qua omnis hæc illi mutatio obvenit, *q. d.* Ego Christo concrucifixus nova creatura, novus homo esse cœpi, et ex arbore crucis Christi novam gratiæ et mortificationis vitam sugere. Unde « mundo crucifixus, » id est mortuus, sum, hoc est, non tangor, non delector, non tangor mundanis Judæorum (ad eos enim proprie respicit, ut patet ex præcedentibus) et quorumvis filiorum opinionibus, favoribus, odiis, opibus, deliciis, gloria, utilitati Judaizantes languntur. Et consequenter vice versa « mihi mundus crucifixus, » id est, mortuus est, quia eadem ista mundana me non tangunt, non tenent, non delectant, ac si mortua essent. « Mundus, ait, mihi crucifixus est, ut non me teneat : et ego mundo, ut eum non teneam, id est, ut neque mundus mihi nocere possit, neque ego de mundo aliquid cupiam. » Ita Augustinus; ita et Ambrosius, Theophylactus, Anselmus, D. Thomas, Haymo et S. Ignatius, epist. *ad Roman.* : « Amor, ait, meus crucifixus est, non mihi placet cibus corruptionis, neque voluptas vitæ hujus; panem Dei volo, panem cœlestem, qui est caro Christi, Christo concrucifixus sum. »

Pulchre Pinufius abbas apud Cassianum, lib. IV *De Institut. renuntiantium*, cap. XXXIV et XXXV, novitium, quem ad suum monasterium admittebat, instruens, hanc vitæ monasticæ ideam, Christum scilicet crucifixum, ei proponit dicens : « Abrenuntiatio nihil est aliud, quam crucis ac mortificationis indicium. Ideoque noveris hodierno die te huic mundo, et actibus ejus ac deliciis esse defunctum, teque secundum Apostolum huic mundo esse crucifixum tibique hunc mundum. Considera ergo conditiones crucis, sub cujus te ingressu sacramento oportet in hac luce versari : quia jam tu non vivis, sed ille vivit in te, qui est crucifixus pro te. Eo ergo habitu ac figura, qua pro nobis in patibulo fuit ille suspensus, nos quoque necesse est in hac vita degere, ut scilicet secundum David affigentes de timore Domini carnes nostras, universas voluntates ac desideria, non nostræ concupiscentiæ servientia, sed mortificationi ejus habeamus affixa : sic enim Domini præceptum implebimus, dicentis : Qui non accipit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus. »

Non sufficit Religiosis, sed et omnes mundo crucifixi debent esse crucifixi.

Deinde modum, quo Christo concrucifigi debeat, in particulari ita declarat : « Sed forte dicas : Quomodo potest homo crucem suam jugiter portare, vel quemadmodum vivens quis possit ita esse crucifixus? Audi rationem breviter : crux nostra timor Domini est; sicut ergo crucifixus quis, jam non pro animi sui motu membra sua quoquam movendi vel convertendi habet potestatem : ita et nos voluntates nostras ac desideria non secundum id, quod nobis suave est, ac delectat ad præsens, sed secundum legem Domini, quo nos illa constrinxerit, applicare debemus. Et sicut is qui patibulo crucis affigitur, non jam præsentia contemplatur, nec de suis affectionibus cogitat, non pro die crastino sollicitudine curaque distenditur, nulla possidendi concupiscentia permovetur, nulla superbia, nulla contentione, nulla æmulatione succenditur, non de præsentibus dolet injuriis, non præteritarum jam recordatur, sequecum adhuc spirat in corpore, cunctis elementis credit esse defunctum, illuc præmittens sui cordis intuitum, quo se non dubitat illico transiturum : ita nos quoque timore Domini crucifixos oportet his omnibus, id est, non solum carnalibus vitiis, verum etiam ipsis elementis mortuos esse, illuc habentes oculos animæ nostræ defixos, quo nos sperare debemus momentis singulis migraturos. » Hucusque Pinufius apud Cassianum.

Nota hic, Apostolum non loqui solis Religiosis, sed scipsum exemplum statuere Galatis, et consequenter omnibus Christianis, qui pompis sæculi renuntiarunt in baptismo; itaque debent mundo esse mortui, ut leges mundanas de hypocrisi, de politica simulatione, de luxu, de honore, de vindicta, allasque similes Christo Christique cruci repugnantes, quasi ad se non pertinentes non curent, v. g. mundi lex dicit : Utere foro, omnibus te accommoda; cum hæreticis simula te hæreticum, cum politicis politicum; si cum eis in mensa verseris, die licet vetito, carnes comede. Sed Christianus respondebit se huic legi esse mortuum, se Christi legi, religioni, obedientiæ astrictum vivere; esto vocetur Papista, hypocrita, Jesuita, non curabit, non sentiet, ac si mortuus esset. Rursus mundus et mundi lex dicit : Nisi duellum ab æmulo oblatum acceptes, ignavus, vilis, inglorius habebere. Christianus, si ei duellum offeratur, huic legi se mortuum esse respondebit per legem Christi, quæ duellum vetat, dicetque se minime curare, imo contemnere mundi stolidi stolida judicia : sed sequi se sapien-

tissimum Dei, Christi virorumque Christianorum judicium, qui duellum rem esse infamem, temerariam, stultam, animæ et corpori, ipsique reipublicæ quæ duellis exhauritur, virisque fortissimis et nobilissimis spoliatur, nocentissimam ducent : veram autem fortitudinem Christianam spectari in tolerantia injuriarum, mortis, martyrii; tum in forti defensione patriæ, reipublicæ fidei, quin et propriæ personæ; ita ut sibi insultanti et ad duellum provocanti resultare et regrere possit : Si me aggrediaris, experieris vires meas, meos animos, meam in pugnando industriam.

Tres gradus quibus mori debet mundus et homo ad Christianismum.

Moraliter S. Bernardus, serm. 7 *in Quadragesima*, qui est de peregrino, mortuo et crucifixo, tradit tres gradus quibus mori debet mundus et carni Christianus, qui ad perfectionem aspirat. « *Primus* est, ut in hac vita se gerat tanquam peregrinum, qui, inquit, si forte jurgantes viderit, non attendit; si rubentes aut ebcros ducentes, aut aliud quodlibet facientes, nihilominus transit, quia peregrinus est, et non pertinet ad eum de talibus. Ad patriam suspirat, ad patriam tendit, vestitum et victum habens non vult aliis onerari. *Secundus* est, ut se gerat tanquam mortuum, qui non sentit, sed sic vituperantes ut laudantes, sic adulantes audit ut detrahentes : imo vero nec audit, quin mortuus est. Omnino felix mors, quæ sic immaculatum servat, imo penitus alienum facit ab hoc sæculo. Sed necesse est, ut qui non vivit in se, vivat Christus in illo. Hoc est enim quod ait Apostolus : Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus, ac si diceret : Ad alia quidem omnia mortuus sum, non sentio, non attendo, non curo; si qua vero sunt Christi, hæc vivens inveniunt et paratum. *Tertius* est, si non tantum mortuus sit, sed et crucifixus, ut dicat : Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. Omnia quæ mundus amat, crux mihi sunt; puta delectatio carnis, honores, divitiæ, vanæ hominum laudes; quæ vero mundus reputat crucem, illis affixus sum, illis adhæreo, illa toto amplector affectu. » Addit deinde Bernardus aliam hujus loci et crucifixi explicationem, non litteralem, sed accommodatitiam : « Quamvis, inquit, et in his verbis Apostoli non incongrue posset intelligi, crucifixum ei mundum reputatione, ipsum vero mundo crucifixum compassione : crucifixum enim mundum videbat obligationibus vitiorum, et ipse crucifigebatur ei per compassionis affectum. »

ET EGO MUNDO. — B. Dorotheus, tom. III *Biblioth. SS. Patrum*, doctrina prima, quæ est de renuntiatione, quærit : « Quo pacto mundus crucifigitur homini? » ac respondet id fieri, « cum homo abrenuntiat mundo, mundum deserit, et exinde solitarius fit relictis parentibus, possessionibus, agris, negotiationibus, rerum copia. » Quærit deinde, « Quo pacto homo crucifigitur mundo? » ac respondet id fieri « per abrenuntiationem, cum scilicet homo postquam mundi rebus excessit, certat adversus mundi concupiscentias, adversus voluptates, adversus propriam voluntatem, subigitque innatas passiones et vitia. » Ac subdit, suos Religiosos exhortans ad hanc abrenuntiationem : « Nos, inquit, videmur quidem nobis ipsis mundum crucifixisse, quia reliquimus eum, et ad monasterium divertimus : at nolumus nos mundo crucifigere. Adhuc enim in animo nostro vigent illius blanditiæ, adhuc in nobis ipsius affectum abscondimus, compatimur illius gloriæ, compatimur deliciis et voluptatibus, compatimur ornamentis et vestibus, et ob viles et inanes res delabimur plerumque in pristinas ejus passiones. Quod sane nonnisi ex amentia multa provenit, ut, qui pretiosas ac magnas res reliquimus, ob minimas plurimum perturbemur; fitque id a nobis pessime : ut enim mundo et rebus ejus abrenuntiavimus, ita et pristinis ejus passionibus abrenuntiare debemus. »

Verum hæc arctior est expositio : Apostolus enim non solis Religiosis, sed omnibus Christianis Galatis loquitur, seque eis in exemplum proponit, ut secum omnes crucifigant se mundo, et mundus vicissim eis crucifigatur : hæc enim non diversa sunt, ut videtur velle D. Dorotheus, sed eadem et in eodem sibi contraposita, uti jam explicui.

15. IN CHRISTO (in Christi fide, religione, Ecclesia, id est in christianismo, in Christiana vita, ad christianæ scilicet, bene beateque vivendum) NEQUE CIRCUMCISIO ALIQUID VALET, NEQUE PRÆPUTIUM (id est impertinens est gentilismus et judaismus, ut non aptior sis, non dignior in christianismo et Christiana vita, si sis Judæus; non ineptior, non indignior, si Gentilis), SED NOVA CREATURA, — id est anima baptismo et gratia Christi regenerata et renata, imo recreata, et quasi nova creatura spiritualis effecta, novam gratiæ vitam sortita, ut deinceps in novitate vitæ ambulet; hæc scilicet plurimum valet ad Christianam vitam ineundam et prosequendam. Unde *Apoc.* III, 14, Christus dicitur « principium creaturæ Dei; » et *Isaiæ* IX, 6, « Pater futuri sæculi : » quia a Christo cepit nova gens, novus mundus, et, ut canit Sibylla Cumana apud Virgilium, *eclog.* 4, qui adulando transtulit carmina Sibyllina, quæ aperte loquuntur de Christo nascente, ad Salonium, Asinii Pollionis Consulis Romani filium recens tunc natum :

Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum
Desinet, ac toto surget gens aurea mundo,
Casta fave Lucina.

Gentem auream vocat gentem Christianorum aureis virtutibus, gratiis et donis a Christo acceptis splendentem ac fulgentem instar auri.

16. ET QUICUMQUE HANC REGULAM SECUTI FUERINT. — Græca καὶ ὅσοι τῷ κανόνι τούτῳ στοιχήσουσι, id est, ut Vatablus, *quicumque ad hanc incedent regulam*, quam scilicet tradidit de justificatione, libertate, doctrina vitaque Christiana, ut extra hanc regulam et orbitam non exorbitent, et deflectant ad legem et normam judaismi, velintque utraque via incedere, vel potius discurrere et vagari sine ordine et semita a christianismo ad judaismum; hoc enim significat Græcum στοιχεῖν, scilicet ordine, recta via et tramite incedere, ut dixi can. IV, vers. 25.

Pax super illos (Gentiles scilicet), ET SUPER ISRAEL, — hoc est, et super Judæos credentes Christo, ait Ambrosius. *Secundo* et melius, *et* hic, uti et *Ephes.* I, 1; *Coloss.* II, 8, et alibi sæpe, significat *id est*, « pax super illos, et » id est, « super Israel Dei, » *q. d.* Qui sequuntur hanc regulam christianismi a me præscriptam, ii pacem habent, id est tranquillitatem conscientiæ, item misericordiam, scilicet Dei, ut Deus in eos misericors sit et beneficus, suamque gratiam et consolationem misericorditer in eos effundat; iique scilicet sunt *Israel Dei*, id est ii sunt populus Israeliticus, non secundum carnem descendentes ex Israel, id est ex Jacobo patriarcha, uti Judæi sunt et dicuntur Israel, id est Israelis sive Jacobi filii : sed sunt Israel, id est populus Dei, qui ex Israele, hoc est Jacobo, et consequenter ex Abrahamo, descendunt secundum fidem et spiritum, quia Jacobi et Abrahæ fidem et sanctitatem imitantur.

Tranquillitas et pax ex christianismo.

Rursum alludit Apostolus ad significationem Hebraeæ vocis *Israel* : Israel enim hebraice significat *videns Deum*, ait Theophylactus. Dicit ergo : Qui hanc Christi legem et regulam sequuntur, ii sunt Israel, id est videntes Deum per fidem, et in cœlis visuri Deum per speciem, *q. d.*, ait Augustinus : Ii sunt qui ad visionem Dei in cœlis præparantur et recta contendunt. *Secundo* et melius, *Israel* hebraice dicitur quasi שָׂרָה אֵל *sara el*, qui dominatur, vel prævalet Deo : cum enim Jacob patriarcha timens et fugiens insequentem Esau fratrem suum, angelum, qui Deum repræsentabat, se confortantem vidisset, cum eoque luctaretur, eique prævaleret, nolens eum dimittere, eumque retentans donec sibi benediceret, sinens se vinci angelus, et Jacobo benedicens : « Nequaquam, inquit, Jacob appellabitur nomen tuum, sed Israel; quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis? » *Gen.* XXXII, 28, *q. d.* Ne timeas Esau fratrem tuum, o Jacob; nam violentis tuis precibus apud Deum licet renitentem obtinuisti, ut contra Esau, et quosvis hostes animo sis futurus infracto, insuperabilis et victor : hæc enim est petita a Jacob, data ab angelo benedictio. Dicit ergo Apostolus : Qui hanc Christi regulam sequuntur, ii sunt Israel Dei, id est populus Dei, dominans vitiis, mundo, Judæis et Judaismo (quos repræsentabat Esau carnalis frater Jacob), quin etiam ipsimet Deo, ut ab eo impetrent quidquid volunt ac petunt ab eo. Ita D. Thomas, Haymo et alii.

Interpretatio vocis *Israel*.

17. DE CÆTERO NEMO MIHI MOLESTUS SIT. — « Nemo » scilicet Judæorum, rogando me an servus sim Christi, an Mosis, me molestet; nam cujus sim servus, patet ex stigmate meo : ego non stigma circumcisionis præfero, uti faciunt servi legis, sed Christi stigmata. Maldonatus in *Not. manuscr.* sic vertit, *nemo mihi ob apostolatum meum litem intendat* : meum enim apostolatum stigmata pro Christo inusta satis probant (1).

EGO ENIM STIGMATA DOMINI JESU IN CORPORE MEO PORTO. — Nota : Stigmata a Græcis dicuntur notæ alicui inustæ, quales servis inurunt domini, ut, si fugiant, ex hisce notis agnoscantur esse servi talis domini. *Secundo*, stigmata dicuntur cicatrices, v. g. militum vulneratorum. Paulus ergo « stigmata Christi » hic vocat plagas et cicatrices ex verberibus, vulneribus et afflictionibus propter Christum susceptis, corpori suo impressas, de quibus II *Cor.* XI, 23; quæ stigmata coram Deo non dedecora sunt, sed summæ laudes. Unde, uti milites, vexilliferi et capitanei sua vulnera et cicatrices ostentant quasi signa fortitudinis et gloriæ bellicæ : ita ego Paulus hæc stigmata, has plagas, quasi trophæa militiæ Christi non tantum habeo, sed « porto, » inquit, et ostento. Ita Hieronymus, Chrysostomus, Anselmus, D. Thomas, Haymo, Theophylactus.

Egregie S. Ambrosius in Psal. CXVIII, 120. *Confige timore tuo carnes meas*, serm. 15 : « Ilis, inquit, configitur clavis, qui mortificationem Jesu in corpore suo portat. His clavis configitur, qui meretur audire dicentem Jesum : Pone me ut signaculum in cor tuum, ut sigillum in brachium tuum. Infige ergo pectori tuo et cordi tuo hoc signaculum crucifixi; infige et brachio tuo, ut opera tua peccato mortua sint. Fortasse hanc imaginem clavi non solum timoris, sed etiam charitatis affigunt : quia valida est ut mors dilectio, durus sicut inferi zelus. His clavis charitatis configatur anima nostra, ut et ipsa dicat : Vulnerata charitate ego sum. »

Simili modo in suis vibicibus et stigmatibus pro defensione sanctarum imaginum susceptis gloriabatur B. Theodoretus Studita, anno Domini 824. Cum enim Leo Armenius Imperator Iconoclasta eum sibi resistentem flagellari juberet, ipse illico sponte zonam solvit, positaque veste corpus nudum obtulit ad verbera : « Voluptati enim, inquit, mihi est corpusculi hujus flagellatio, atque ista demum ejus suprema depositio, quo citius nuda anima evolem ad eum quem desidero. » Acriter ergo flagellatus, post verbera exultans scripsit ad Naucratium : « An non, ait, diadema gestantium gloria mirabilius stigmata ferre Christi, vivificas ejus passiones seu coronas? » Ita Michael Studita in ejus Vita, et ex eo Baronius.

Moraliter stigmata Christi in corpore suo portant, ait Hieronymus, qui corpus macerant affligunt amore Christi, utque ex Christi cruci

(1) Rectius : Nemo posthac mihi molestias creet, ego enim jam satis molestiarum, scilicet verbera, etc., propter Christum pertuli.

Sect stigmata Christi.

passioni configurent et conforment. Rursum ii, qui a Deo morbis et ærumnis affliguntur, ut Christo hic in cruce, post hanc vitam in gloria conformentur. Sic S. Franciscus, ut narrat Bonaventura, cap. XIII *Vitæ S. Francisci*, ab angelo Seraphino crucifixum alis suis continente, Christi crucifixi stigmata, id est clavos per pedes et manus valnusque lateris instar Christi accepit, quia totus in Christi crucifixi amorem, imitationem et obsequium transire gestiebat. Erant hi clavi non e ferro, sed e carne mortua calli, instar clavorum, capite scilicet crassiore exstante, et cuspide acuta interius reflexa, qui sanctum virum ita cruciabant, ut vix incedere posset : sicut nos torquent in incessu calli pedum e carne mortificata, quos Flandri *exteren eoghen*, Galli *nids d'agache* vocant. « Exerverat, ait S. Bonaventura, in Francisco insuperabile amoris incendium boni Jesu in lampades ignis atque flammarum, ut Seraphicis desideriorum ardoribus ageretur, et per Seraphim stigmata sibi imprimentem cognovit se non per martyrium carnis, sed per incendium mentis totum in Christi crucifixi similitudinem transformandum. » Hæc stigmata se propriis oculis in S. Francisci corpore mortuo conspexisse testatus est Alexander IV Pontifex, ex cujus ore ipsum audivit S. Bonaventura.

S. Franciscus habuit vera stigmata.

Facessat ergo impia Bezæ blasphemia, qui hoc loco S. Franciscum hisce stigmatibus notatum vocat horrendum stigmaticum idolum, idque falsum et confictum. Verum de hisce stigmatibus non loquitur hic Paulus, nec constat talia, qualia S. Franciscus habuit, in Paulo fuisse : imo illa, ejus itinera et labores valde impedivissent. Unde nec imagines Pauli antiquissimæ ea nobis exhibent. Imo Sixtus IV in bulla quadam, quam refert Henricus Sedulius in *Notis* ad Vitam S. Francisci, vetuit sub pœna excommunicationis, ne quis Sanctum alium, quam S. Franciscum, pingat cum quinque stigmatibus, qui tamen nuper e S. Dominici familia ediderunt Vitam S. Catharinæ Senensis per imagines expressam, asserunt postea Pium V concessisse, ut et S. Catharina Senensis cum iisdem pingatur, uti habent et testantur recentissimæ illæ ejus imagines. Sed nulla Pauli imago ea nobis exhibet, ut dictum est.

Pastor non baptizat, nisi in morbis et peste.

S. Catharina Senensis etiam habuit.

Mihi absit gloriari nisi in cruce Jesu Christi.
Crux est scala beatæ ÆTERNITATIS.
O longa et fortunata ÆTERNITAS !

COMMENTARIUS

IN EPISTOLAM

AD EPHESIOS.

ARGUMENTUM.

Prior Epistolæ pars dogmatica tractat de prædestinatione.

Prior Epistolæ hujus pars dogmatica est, disputatque profundissime usque ad cap. IV de arcano divinæ prædestinationis, illiusque beneficium admiratur. Scilicet *primo*, quod Deus prædestinarit nos homines sibi inimicos reconciliare, eosque per mortem Filii sui. *Secundo*, quod Gentes atheas in hac prædestinatione prætulerit Judæis Deum nolentibus. *Tertio*, quod ita Deus ab æterno sua providentia res disposuerit, ut inter tot myriades hominum, qui tunc in mundo erant, et ante Christum fuerant, soli Ephesii, aliique pauci fideles acceperint prædicationem et doctrinam Evangelii, fidem, remissionem peccatorum omnemque benedictionem Christianam.

Deinde eos in fide stabilit, carpitque Philosophorum ac Poetarum, et suborientes Ephesi Simonis Magi, ejusque asseclarum errores : nam, ut ait Chrysostomus, multi Philosophorum in hac urbe (Epheso) fuerunt. Dicitur et Pythagoras hinc prodiisse. Illinc est omnis schola fonica, e qua prodiit Plato. Unde et Platonicorum errores Ephesi grassantes carpit et perstringit hic Paulus, ut ex Epistolæ decursu patebit.

Ephesiorum avaritia, superstitio, idola, conversio.

Erat enim Ephesus Asiæ minoris metropolis, idololatriæ, et quæ ex ea sequitur, magiæ et præstigiis magicis ac erroribus dedita. Unde Ephesii conversi a Paulo, coram eo libros magicos plurimos combusserunt, ut dicitur *Act.* XIX, 19. Fuit quoque Ephesi celeberrimum templum Dianæ, quam πολύμαστον, id est multimammeam, vocabant : ita enim pingebatur, ut multas haberet mammas, quo significarent eam omnium bestiarum et viventium esse nutricem, ait Hieronymus in *prologo*.

Posterior Epistolæ pars ethica est, quæ, a capite IV ad finem Epistolæ, cuique hominum ætati et conditioni recte et christiane vivendi modum præscribit (1). Stylus profundus est et grandiloquus, quia sapientissimus sapientibus scribit contra sapientes Philosophos.

Missa est Roma e carcere per Tychicum diaconum, ut patet cap. IV, vers. 1, et cap. VI, vers. 20, anno Christi 62, ut ait Baronius (2).

Ubi nota : Epistolæ, quas scripsit Apostolus e carcere, quasi concluso utre, plus eructant sapientiæ et spiritus : anhelans enim ad martyrium, ejusque desiderio æstuans illas scripsit, quasi ultimas et cygneas suas cantiones. Talis est hæc, talis ad Colossenses, talis ad Philippenses, talis denique ad Timotheum secunda. Ex hac sane Epistola, quæ, inquit Hieronymus, subtilissima est, agnoscas Pauli fervorem, profunditatem, spiritum, indolem. Videtur enim musto plenum hic pectus ejus altissima spirare et convolvere, ut sublimitatem conceptuum suorum sermo ejus assequi non possit, nedum exprimere. Hinc præ aliis epistolis hæc longas, implexas, convolutas habet sententias ; abundat hyperbatis, anantapodotis, ellipsibus aliisque quæ dixi *Can.* 38.

Denique occasio scribendæ hujus Epistolæ fuit, quod, sicut prædixerat Ephesiis ad se Miletum evocatis Paulus, *Act.* XX, 29, inquiens : « Ego scio, quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi ; et ex vobismetipsis exurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se : propter quod vigilate, » ita revera acciderit : nimirum ex Judeo-

illud *Christi mysterium* in unum eumdemque Dei populum Judæos et Gentiles coadunare deberet, cap. II, 11-22 ; *postremo* declarat se maxime ad Gentes convertendas esse a Deo vocatum, atque in hoc opus laboribus ac votis incumbere. Pars posterior varias continet cohortationes, quum ad pietatem vitamque christianam in universum, cap. IV, 1-V, 20 ; tum ad singula singulorum Christianorum officia, cap. V, 20-VI, 24.

(2) Hanc Epistolam fuisse encyclicam, id est, non ad Ephesios solos, sed Asiæ minoris Ecclesias plures missam esse, nempe ad Ecclesias in Ephesinæ urbis vicinia conditas, eumque Ecclesia Ephesina, quam Apostolus tanquam primariam et quasi matrem cæterarum in inscriptione nominaverit, conjunctas, recentiorum interpretum plerique statuunt. Eam autem anno 58 exeunte scriptam ait Sepp, op. cit. tom. II, pag. 367.

Sect stigmata Christi.

passioni configurent et conforment. Rursum ii, qui a Deo morbis et ærumnis affliguntur, ut Christo hic in cruce, post hanc vitam in gloria conformentur. Sic S. Franciscus, ut narrat Bonaventura, cap. XIII *Vitæ S. Francisci*, ab angelo Seraphino crucifixum alis suis continente, Christi crucifixi stigmata, id est clavos per pedes et manus valnusque lateris instar Christi accepit, quia totus in Christi crucifixi amorem, imitationem et obsequium transire gestiebat. Erant hi clavi non e ferro, sed e carne mortua calli, instar clavorum, capite scilicet crassiore exstante, et cuspide acuta interius reflexa, qui sanctum virum ita cruciabant, ut vix incedere posset : sicut nos torquent in incessu calli pedum e carne mortificata, quos Flandri *exteren eoghen*, Galli *nids d'agache* vocant. « Exerverat, ait S. Bonaventura, in Francisco insuperabile amoris incendium boni Jesu in lampades ignis atque flammarum, ut Seraphicis desideriorum ardoribus ageretur, et per Seraphim stigmata sibi imprimentem cognovit se non per martyrium carnis, sed per incendium mentis totum in Christi crucifixi similitudinem transformandum. » Hæc stigmata se propriis oculis in S. Francisci corpore mortuo conspexisse testatus est Alexander IV Pontifex, ex cujus ore ipsum audivit S. Bonaventura.

S. Franciscus habuit vera stigmata.

Facessat ergo impia Bezæ blasphemia, qui hoc loco S. Franciscum hisce stigmatibus notatum vocat horrendum stigmaticum idolum, idque falsum et confictum. Verum de hisce stigmatibus non loquitur hic Paulus, nec constat talia, qualia S. Franciscus habuit, in Paulo fuisse : imo illa, ejus itinera et labores valde impedivissent. Unde nec imagines Pauli antiquissimæ ea nobis exhibent. Imo Sixtus IV in bulla quadam, quam refert Henricus Sedulius in *Notis* ad Vitam S. Francisci, vetuit sub pœna excommunicationis, ne quis Sanctum alium, quam S. Franciscum, pingat cum quinque stigmatibus, qui tamen nuper e S. Dominici familia ediderunt Vitam S. Catharinæ Senensis per imagines expressam, asserunt postea Pium V concessisse, ut et S. Catharina Senensis cum iisdem pingatur, uti habent et testantur recentissimæ illæ ejus imagines. Sed nulla Pauli imago ea nobis exhibet, ut dictum est.

Pastor non baptizat, nisi in morbis et peste.

S. Catharina Senensis etiam habuit.

Mihi absit gloriari nisi in cruce Jesu Christi.
Crux est scala beatæ ÆTERNITATIS.
O longa et fortunata ÆTERNITAS !

COMMENTARIUS

IN EPISTOLAM

AD EPHESIOS.

ARGUMENTUM.

Prior Epistolæ pars dogmatica tractat de prædestinatione.

Prior Epistolæ hujus pars dogmatica est, disputatque profundissime usque ad cap. IV de arcano divinæ prædestinationis, illiusque beneficium admiratur. Scilicet *primo*, quod Deus prædestinarit nos homines sibi inimicos reconciliare, eosque per mortem Filii sui. *Secundo*, quod Gentes atheas in hac prædestinatione prætulerit Judæis Deum nolentibus. *Tertio*, quod ita Deus ab æterno sua providentia res disposuerit, ut inter tot myriades hominum, qui tunc in mundo erant, et ante Christum fuerant, soli Ephesii, aliique pauci fideles acceperint prædicationem et doctrinam Evangelii, fidem, remissionem peccatorum omnemque benedictionem Christianam.

Deinde eos in fide stabilit, carpitque Philosophorum ac Poetarum, et suborientes Ephesi Simonis Magi, ejusque asseclarum errores : nam, ut ait Chrysostomus, multi Philosophorum in hac urbe (Epheso) fuerunt. Dicitur et Pythagoras hinc prodiisse. Illinc est omnis schola fonica, e qua prodiit Plato. Unde et Platonicorum errores Ephesi grassantes carpit et perstringit hic Paulus, ut ex Epistolæ decursu patebit.

Ephesiorum avaritia, superstitio, idola, conversio.

Erat enim Ephesus Asiæ minoris metropolis, idololatriæ, et quæ ex ea sequitur, magiæ et præstigiis magicis ac erroribus dedita. Unde Ephesii conversi a Paulo, coram eo libros magicos plurimos combusserunt, ut dicitur *Act.* XIX, 19. Fuit quoque Ephesi celeberrimum templum Dianæ, quam πολύμαστον, id est multimammeam, vocabant : ita enim pingebatur, ut multas haberet mammas, quo significarent eam omnium bestiarum et viventium esse nutricem, ait Hieronymus in *prologo*.

Posterior Epistolæ pars ethica est, quæ, a capite IV ad finem Epistolæ, cuique hominum ætati et conditioni recte et christiane vivendi modum præscribit (1). Stylus profundus est et grandiloquus, quia sapientissimus sapientibus scribit contra sapientes Philosophos.

Missa est Roma e carcere per Tychicum diaconum, ut patet cap. IV, vers. 1, et cap. VI, vers. 20, anno Christi 62, ut ait Baronius (2).

Ubi nota : Epistolæ, quas scripsit Apostolus e carcere, quasi concluso utre, plus eructant sapientiæ et spiritus : anhelans enim ad martyrium, ejusque desiderio æstuans illas scripsit, quasi ultimas et cygneas suas cantiones. Talis est hæc, talis ad Colossenses, talis ad Philippenses, talis denique ad Timotheum secunda. Ex hac sane Epistola, quæ, inquit Hieronymus, subtilissima est, agnoscas Pauli fervorem, profunditatem, spiritum, indolem. Videtur enim musto plenum hic pectus ejus altissima spirare et convolvere, ut sublimitatem conceptuum suorum sermo ejus assequi non possit, nedum exprimere. Hinc præ aliis epistolis hæc longas, implexas, convolutas habet sententias ; abundat hyperbatis, anantapodotis, ellipsibus aliisque quæ dixi *Can.* 38.

Denique occasio scribendæ hujus Epistolæ fuit, quod, sicut prædixerat Ephesiis ad se Miletum evocatis Paulus, *Act.* XX, 29, inquiens : « Ego scio, quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi ; et ex vobismetipsis exurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se : propter quod vigilate, » ita revera acciderit : nimirum ex Judeo-

illud *Christi mysterium* in unum eumdemque Dei populum Judæos et Gentiles coadunare deberet, cap. II, 11-22 ; *postremo* declarat se maxime ad Gentes convertendas esse a Deo vocatum, atque in hoc opus laboribus ac votis incumbere. Pars posterior varias continet cohortationes, quum ad pietatem vitamque christianam in universum, cap. IV, 1-V, 20 ; tum ad singula singulorum Christianorum officia, cap. V, 20-VI, 24.

(2) Hanc Epistolam fuisse encyclicam, id est, non ad Ephesios solos, sed Asiæ minoris Ecclesias plures missam esse, nempe ad Ecclesias in Ephesinæ urbis vicinia conditas, eumque Ecclesia Ephesina, quam Apostolus tanquam primariam et quasi matrem cæterarum in inscriptione nominaverit, conjunctas, recentiorum interpretum plerique statuunt. Eam autem anno 58 exeunte scriptam ait Sepp, op. cit. tom. II, pag. 367.

christianis (cum adverterent per Evangelium suam legem et Synagogam aboleri) qui erant Ephesi, et in reliqua Asia, plures factos esse apostatas et hæreticos, qui Pauli hostes infensissimi, ejus et Evangelium et studia omnia evertere conabantur.

Id patet *primo*, ex eo quod qui ex Asia erant Judæi, primi fuerunt, qui Hierosolymis contra Paulum turbas concitarunt, et in ipsum manus injecerunt, ut dicitur *Act.* XXI, 27. *Secundo*, ex eo quod ipse Paulus ad Timotheum cum querela scribit, *epist.* II, cap. I, vers. 15 : « Scis, inquit, hoc, quod aversi sunt a me omnes, qui in Asia sunt (Judæi scilicet Judaizantes), ex quibus est Phygellus et Hermogenes. » Addit Metaphrastes in sermone *De S. Petro et Paulo*, Phygellum a S. Petro dictum (quod tamen non videtur probabile) Episcopum Ecclesiæ Ephesinæ, eumque Judæos credentes a fide avertisse.

Timens ergo Paulus, ne Gentiles Asiani et Ephesini ad fidem Christi a se conversi, ab hisce lupis seducerentur, ad eos, adhuc in Christi fide constantes, hanc scribit Epistolam (ad Gentes enim, non autem ad Judæos, esse scriptam patet cap. III, vers. 1, et cap. II, vers. 11), ut eos in fide et officio contineat, quod et fideliter præstiterunt.

Testis est S. Ignatius, qui post quadraginta annos ad eosdem Ephesios scribens, eorum in fide constantiam, et hæreseos ac hæreticorum odium hisce verbis dilaudat : « Novi nonnullos per vos transeuntes habere perversam doctrinam peregrini et maligni spiritus, quibus negastis transitum, ad spargendam zizaniam, obturatis auribus ne reciperetis errorem, quem docent. » Et unde hoc habebant Ephesi, superius inditat, cum ait : « Vos itaque estis ejusmodi a talibus instructoribus eruditi, a Paulo Christi pleno, et fidelissimo Timotheo. » Et iterum : « Honestissimum supra modum laudat (Onesimus Episcopus vester) vestrum decentem compositumque ordinem, quodque omnes secundum veritatem vivitis, et quod nullus sit inter vos hæresi locus, sed nec auditur nomen ullius, quam solius Jesu Christi veri pastoris et magistri, et estis, ut Paulus vobis scripsit, unum corpus et unus spiritus, propterea quod vocati estis in una spe vocationis vestræ. »

CAPUT PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Benedicit Deum, quod per Christum nos prædestinarit, et omni gratia cumularit, itaque instaurarit omnia quæ in cœlis et quæ in terra sunt.

Secundo, vers. 11, *excitat Ephesios ad laudem Dei, utpote qui eos ad hanc gratiam præ aliis sorte vocaverit.*

Tertio, vers. 15, *agit gratias Deo ob fidem et charitatem Ephesiorum, orans ut perfectam in Christo sapientiam adipiscantur, scilicet ut penetrent magnitudinem suæ vocationis, Deique potentiam qua eos ad Christum convertit, quaque Christum a morte suscitavit, et supra omnes angelos exaltavit, constituitque caput supra omnem Ecclesiam.*

1. Paulus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, omnibus sanctis, qui sunt Ephesi, et fidelibus in Christo Jesu. 2. Gratia vobis, et pax a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo. 3. Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus, in Christo, 4. sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate. 5. Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ, 6. in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo. 7. In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum secundum divitias gratiæ ejus, 8. quæ superabundavit in nobis in omni sapientia et prudentia : 9. ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis suæ, secundum beneplacitum ejus, quod proposuit in eo, 10. in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, et quæ in terra sunt in ipso ; 11. in quo etiam et nos sorte vocati sumus prædestinati secundum propositum ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ. 12. Ut simus in laudem gloriæ ejus nos, qui ante speravimus in Christo : 13. in quo et vos, cum audissetis verbum veritatis (Evangelium salutis vestræ), in quo et credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, 14. qui est pignus hæreditatis nostræ in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriæ ipsius. 15. Propterea et ego audiens fidem vestram, quæ est in Domino Jesu, et dilectionem in omnes sanctos, 16. non cesso gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis : 17. ut Deus, Domini nostri Jesu Christi pater gloriæ, det vobis spiritum sapientiæ et revelationis, in agnitione ejus : 18. illuminatos oculos cordis vestri, ut sciatis quæ sit spes vocationis ejus, et quæ divitiæ gloriæ hæreditatis ejus in sanctis, 19. et quæ sit supereminens magnitudo virtutis ejus in nos, qui credimus secundum operationem potentiæ virtutis ejus, 20. quam operatus est in Christo, suscitans illum a mortuis : et constituens ad dexteram suam in cœlestibus, 21. supra omnem principatum, et potestatem, et virtutem, et dominationem, et omne nomen, quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed etiam in futuro. 22. Et omnia subjecit sub pedibus ejus : et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, 23. quæ est corpus ipsius, et plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur.

1. OMNIBUS SANCTIS, — id est omnibus Christianis, qui sancti sunt vocatione, baptismo, debito obligatione : quia in baptismo sanctificati, cati sunt ad sancte vivendum, debentque in omni vita et conversatione esse sancti, ut dixi *Rom.* I, 7. Unde explicans subdit : baptismo, et obligatione.

ET FIDELIBUS IN CHRISTO JESU, — id est credentibus in Christum. Est hebraismus : Hebræum

enim חסד *eeman* et nomen est significans fidelem, et participium significans credentem. Rursum, credere in Christo, et credere in Christum, idem sunt, ut dixi. Ubi nota : Conjunctio *et* est hic explicativa, et significat *id est*, uti et *Galat.* VI, 16, et *Coloss.* II, 8.

3. BENEDICTUS DEUS. — Dupliciter, ait Hieronymus, hic locus legi potest : « Benedictus Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi : ut sit benedictus Deus, qui universorum conditor est, et hucusque distinctio ; deinceps inferatur, qui est et Pater Domini nostri Jesu Christi. Vel ita, ut Deus et Pater ad Dominum nostrum in communereferatur : Benedictus Deus ejus, qui assumptus est, hominis ; et Pater ejus, qui in principio apud Deum fuit Deus Verbum. Non quo alius assumptus homo, et alius sit sermo qui assumpserit ; sed quo unus atque idem pro varietate causarum, nunc sublimis, nunc humilis prædicetur. » Simili sensu dicit Christus Magdalenæ : « Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum ; Deum meum, et Deum vestrum. » *Joan.* XX, 17. Et secundus hic sensus planior est, magisque fluit. Unde correctissima exemplaria inter *Deus* et *Pater* nullam diastoles notam, aut comma interjiciunt.

QUI BENEDIXIT NOS, — id est, qui beneficit nobis, copiose cumulavit nos suis bonis et beneficiis. Dei enim dicere non est aulicum (aulici enim aurea sæpe promittunt, sed parum re ipsa præstant), sed simplex est, sincerum et efficax : Deus enim plura facit et præstat, quam promittat. Idem imitantur viri fideles et cordati.

Beatitudo Christi, hujus fides et qualis?

OMNI BENEDICTIONE (id est omni bono, beneficio et dono, non terreno, ut sunt honores, opes, forma, robur, voluptates : has enim non venit conferre nobis Christus ; sed) SPIRITUALI, — puta fide, gratia, peccatorum remissione, justitia, amicitia Dei, virtutibus, bonis operibus, per ea nos destinando, et si in iis perseveremus, nos ad gloriam æternam eligendo, ut dicatur nobis : « Venite, benedicti, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi, » ait Chrysostomus ; hæc enim summa est et extrema benedictio. Unde addit :

IN CŒLESTIBUS, — scilicet donis, puta cœlesti gratia, cœlesti vita et moribus hinc, et postea cœlesti gloria. *Secundo*, S. Hieronymus, « in cœlestibus, » scilicet locis, inquit, et sedibus (sic enim capitur vers. 20) quas nobis Deus præparavit, et ad quas nos destinat (1) ; « in » id est *per* Christum, per Christi sanguinem et merita, non per Simonem Magum, qui se jactabat esse mediatorem, esse Dei virtutem, *Act.* VIII, 10.

Hinc patet, omnem gratiam, omnemque dispositionem ad justificationem, ipsumque fidei initium non tantum esse gratiæ Dei, sed etiam (quod male de fide et fidei initio negarunt nonnulli) esse ex meritis Christi. Apostolus enim dicit, quod Deus nos benedixit omni benedictione spirituali in Christo ; ergo per Christum omne bonum spirituale nobis obvenit ; atqui fides et gratia excitans nos ad credendum, est bonum spirituale, imo omnis boni fons et initium : ergo fides et prima gratia, ipsumque fidei initium obvenit nobis per merita Christi. Ita Augustinus, *De Prædest. Sanctorum*, cap. XIX.

Nota, *benedictionem* non tantum beneficentiam, bonum et donum significare, sed largitatem, copiam et abundantiam bonorum et donorum, ut dixi II *Cor.* IX, 6.

Rursum, pro *in cœlestibus* græce est ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, *in supercœlestibus*, quod aliqui ad Deum referunt, *q. d.* Deus existens in supercœlestibus, id est, in cœlo quod est super omnes cœlos, imo existens super cœlum empyreum in spatiis illis vacuis, quæ supra cœlum et mundum sunt, benedixit nos. *Secundo* et melius, ut dixi, refertur ad *nos*, *q. d.* Deus nos in cœlestibus donis, vel locis benedixit, ut scilicet per cœlestia gratiæ bona perveniamus ad cœlestia gloriæ loca.

Nota *tertio* : Pro *in Christo*, Erasmus et Vatablus legunt in Græco Χριστῷ, *Christo*, *q. d.* ait Vatablus : Deus benedixit nos omni dono supernaturali, ut tandem locum habeamus in cœlo cum Christo. Sed hæc lectio, uti dura et obscura est, ita est et falsa. Unde Chrysostomus, Theophylactus, Ambrosius, Hieronymus, et passim alii legunt, ἐν Χριστῷ, *in Christo*. Hinc rursum videas Græca exemplaria novi Testamenti magis dubia, varia et corrupta esse quam Latina.

4. SICUT ELEGIT NOS IN IPSO. — *q. d.* Deus actu benedixit, id est benefecit, nobis donando suas gratias et dona ; sicut ab æterno ad ea nos prædestinavit, et elegit in ipso, id est per ipsum, scilicet Christum et Christi merita prævisa.

Ex hoc capite insignes et graves Theologi contendunt singulos electos ad gloriam ex solo beneplacito Dei ad eam electos esse : ita ut ab æterno Deus ante prævisa merita non tantum propria, sed et ipsius Christi, singulos, qui salvabuntur, ad gloriam et salutem hanc efficaciter elegerit. *Deinde* decreverit illos Christo nascituro repræsentare, ut Christus pro iis passionem suam et merita offerret. *Tertio*, Christo jam incarnato Deus illi proposuerit singulos a se ab æterno electos, ut pro iis merita sua Christus offerret, quibus eis gratiam ac omnia salutis media impetraret ; et mox Christum Patri obtulisse pro iis merita sua obtulisse dicunt. Inde *quarto*, singulos ex Christi meritis accepisse gratiam a Christo petitam et impetratam, cui ipsi electi cooperantes per propria merita re ipsa gloriam sint adepti : hunc enim providentiæ ordinem censent esse optimum, et probatur maxime ex vers. 11, ubi sic ait : « In quo etiam et nos forte vocati sumus, prædestinati secundum propositum ejus qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ. »

An electio et prædestinatio motivo ob facta independenter a meritis Christi?

(1) *Cœlestibus*, id est æternum in cœlo duraturis. Cœlestia hic non sunt bona quæ in cœlo sunt, sed bona eximia, æterna, et opponuntur rebus terrenis atque caducis.

Ecce, inquiunt, « in quo, » scilicet Christo, « vocati sumus, » quia vocatio et gratia actualis est ex meritis Christi ; sed « prædestinati sumus secundum propositum et consilium voluntatis Dei. » Ecce solum Dei propositum ponit causam prædestinationis nostræ, non ergo illa facta est ex meritis Christi.

Verum omissa quæstione de meritis propriis, quæ alii non pauci graves Theologi censent esse prævisa, et causam electionis singulorum ad gloriam, de qua re alibi dicendum est : quod ad præsentem locum et quæstionem de Christi meritis attinet, verius videtur id quod alii illustres Theologi docent, nimirum Christi solius prædestinationem, electionem et incarnationem factam esse sine ullius, etiam ipsius Christi merito, ex solo Dei beneplacito, ut docet D. Augustinus, *De Prædest. Sanctorum*, cap. XV ; cæterorum vero hominum prædestinationem, et quatenus est prædestinatio, sive prædilectio omnibus communis, et quatenus electio est unius præ aliis, sive aliis neglectis, esse ex meritis Christi, ob quæ placuit Deo prædestinare eos et eligere tam ad gloriam, quam ad gratiam. Hoc enim exigunt merita, honor et dignitas Christi, ut scilicet electorum omnium et prædestinatorum primus sit, per quem eligantur cæteri omnes et prædestinentur.

Electio Christi facta ex solo Dei beneplacito, electio vero hominum ex meritis Christi.

Probatur hæc sententia *primo*, quia vers. 3 dixit Apostolus : « Benedixit nos in omni benedictione spirituali in Christo, » id est per Christum : atqui magna, imo maxima, benedictio spiritalis est hæc prædestinatio et electio efficax ad gloriam : quam enim majorem benedictionem a Deo desiderare possim, quam ut sim electus ad beatitudinem, ac consequenter certissimo hac beatitudine donandus ? ergo hæc prædestinatio et electio per Christum et Christi merita facta est nobisque obtigit.

Secundo, si electio cujusque ad gloriam non est ex meritis Christi : ergo nec prædestinatio gratiæ et mediorum ad eam assequendam erit ex meritis Christi ; hoc autem est falsum, ergo et antecedens, ex quo id sequitur. Sequela majoris probatur : efficax intentio finis necessario imperat et elicit electionem mediorum ad finem necessariorum ; atqui hic finis est gloria, media necessaria ad eam sunt gratia, adoptio et merita : ergo si Deus ante prævisa Christi merita efficaciter nos intendit glorificare, efficaciter etiam intendit nos in filios adoptare, gratiam et merita dare, quibus gloriam nobis prædestinatam assequeremur. Sicut qui intendit ire Romam, hoc ipso tacita et in confuso intendit transire Alpes, quia Alpium transitus est via et medium necessarium, ut finem, id est Romam, attingat : pari enim modo gratia, justificatio et merita, sunt media necessaria et connaturalia ad finem, id est, gloriam assequendam : incarnatio autem et merita Christi ad hunc finem, id est ad gloriam nostram, non sunt medium necessarium et connaturale, sed arbitrarium ex Dei libera voluntate, qui hoc medium elegit et instituit, cum alia multa eligere et instituere potuisset. Ergo hoc ipso, quo Deus intendit nos glorificare, intendit et nobis gratiam et justitiam, quasi medium per se ad glorificationem necessarium, dare ; non autem hoc ipso intendit dare nobis gratiam et justitiam per merita Christi, qui ea nondum instituit et elegit : *ergo* si ante merita Christi nos prædestinavit ad gloriam, etiam ante merita Christi prædestinavit ad gratiam, justitiam et adoptionem. Minor probatur hic vers. 5 : « Prædestinavit, inquit, nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum : » ergo non tantum adoptio nostra, sed et prædestinatio adoptionis facta est per Christum ; quia quando Deus nos elegit ad gloriam, hoc ipso prædestinavit et statuit nos sibi in filios adoptare. Rursum, hic ait : « Elegit nos in ipso, » scilicet Christo : ergo non tantum executio electionis, sed et ipsa electio nostra per Christum facta est.

Dices : Elegit nos in Christo, non qua Christus homo est, sed qua Deus et Verbum ac Sapientia Patris.

Prima objectio contra dicta solvitur.

Contra : Omnibus pene versibus vocant eum « Jesum Christum ; » Jesus autem nomen est, non Verbi qua Deus est, sed qua incarnatum, ait S. Augustinus ; est enim nomen hujus hominis, Christo scilicet, in circumcisione impositum ; ergo loquitur de Christo ut homine, non ut Deo. *Secundo*, vers. 7 ait : « In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum : » ergo clarum est, eum loqui de Christo homine, qui suum pro nobis sanguinem effudit. *Tertio*, vers. 10, docet quod Deus proposuerit omnia instaurare in Christo, scilicet lapsum hominem restaurando (per hominem enim angelos et omnia restauravit) ; hoc autem factum est per Christum hominem ; ut homo enim, mediator fuit et redemptor omnium. Quæ omnia rursum magis confirmant sententiam, quam hic probare conamur : si enim Deus proposuit instaurare nos in Christo, ergo etiam prædestinavit et elegit nos in Christo : ipsa enim prædestinatio et electio Dei est ipsum Dei propositum instaurandi nos.

Dices *secundo* : « Elegit nos in ipso, » id est ad habendam fidem in ipso, vel ut nos ipsi, id est Christo et Christi Ecclesiæ incorporarel.

Secunda objectio, et respondetur.

Contra : Nihil dicit Apostolus de fide, nec de incorporatione : unde ergo illa hic accersis et supples, cum verba Apostoli *per se* et nude sumpta plana sint ? *Secundo*, « in Christo » idem esse, quod per Christum et Christi merita, docet Ambrosius, Chrysostomus, Photius et alii passim ; imo ita se explicat Apostolus vers. 5, 7, 10.

Probatur *tertio*, ex cap. III, vers. 11, ubi Apostolus ait, « præfinitionem sæculorum (id est prædestinationem, qua quos voluit quolibet sæculo prædestinavit et prædefinivit salvare) » factam esse per Christum, id est, per Christi merita prævisa. Ad argumentum petitum ex vers. 11,

Probatur tertio, nostram prædestinationem esse ex meritis Christi.

respondeo illud *in quo*, scilicet Christo, non tantum referri ad *vocati sumus*, sed etiam ad *prædestinati*, quod sequitur, *q. d.* Per Christum vocati sumus in tempore, sicut ab æterno per Christum ad hanc vocationem prædestinati sumus ex consilio et beneplacito Dei : id enim clare dixit vers. 3, 4 et sequent.; cum enim toties nomen Christi hic repetisset Apostolus, noluit hoc vers. 11 semel positum iterare. Adde, non loqui Apostolum hic de electione et prædestinatione immediata ad gloriam (quam satis constat factam ex meritis Christi), sed ad gratiam. Unde ait : « Sicut elegit nos ut essemus sancti, » id est, elegit nos ad gratiam, justitiam et sanctitatem. Id magis patebit vers. 5. Vide *Cun.* 13.

Platonicorum et Origenis error de animarum ante corpora.

ANTE MUNDI CONSTITUTIONEM. — Πρὸ καταβολῆς τοῦ κόσμου, id est, ut Hieronymus, *ante jacta mundi fundamenta*. Hoc addit contra Platonicos dicentes Deum creasse omnia non ex nihilo, sed ex materia sibi coæterna et increata.

Error Semipelagianorum de gratia refutatur.

UT ESSEMUS SANCTI. — *q. d.* Elegit nos, non ut ventri et veneri serviamus, uti serviunt Epicurei, sed « ut essemus sancti, » id est puri, casti, immaculati.

Perstringit hic *primo*, Platonicos, quos secutus Origenes docuit animas ante corpora extitisse, et vixisse in cœlo inter angelos, illasque electas a Deo, quæ ibidem sancte vixerant, ut in sancta corpora in terram mitterentur, ibique fierent magistræ animarum peccatricium, quæ e cœlis in corpora sibi similia dejectæ sunt, uti refert hic S. Hieronymus. Contra, ait Apostolus nos electos, non quia sancti eramus, sed « ut essemus sancti. »

Secundo, perstringit errorem Semipelagianorum, qui docuerunt Deum illos elegisse ad fidem et gratiam, quos prævidebat eam desideraturos, acceptaturos, ea bene usuros, itaque sanctificandos. Contra quos docet Apostolus Deum nos elegisse non ex prævisa sanctitate usuque gratiæ, sed « ut essemus sancti, » ut gratia bene uteremur et sanctificaremur. Unde et vers. 11, ait nos prædestinatos secundum beneplacitum, non nostrum, sed Dei, nosque a Deo non ex præscientia futuræ bonitatis, sed sorte vocatos esse.

Prima vocatio, et Dei electio non pendet ab humanis dispositionibus.

Rursum *tertio*, Chrysostomus et Theophylactus sic exponunt, *q. d.* Elegit nos Deus ob virtutem nostram, ut permanemus sancti. Non enim, inquiunt, eligitur unus præ altero, nisi qui melior est. Sed respondeo, hoc verum esse apud homines : hi enim meliores eligunt ad officia et dignitates (ac utinam semper); non tamen apud Deum : Dei enim electio a gratia et mero ejus beneplacito pendet, eligitque Deus hominem, non quia est melior, sed ut fiat bonus et melior. Secundo, non ait Apostolus, ut permaneremus, sed « ut essemus sancti : » loquitur ergo de prima gratia, eamque docet pure et gratis dari a Deo.

ET IMMACULATI. — Græce ἀμώμους, id est inculpati, *irreprehensibiles*; μῶμος enim græce reprehensionem significat. Inde μώμος deus est, inquit Hesiodus, nocte matre, et somno patre progenitus, qui nihil operis edit, sed aliorum deorum opera curiose contemplatur, et si quid in iis viderit omissum, aut perperam factum, id summa cum libertate carpit. Unde opus perfectum dicitur, in quo Momus nihil habet quod redarguat, et irreprehensibile vel judice Momo : sic hic dicitur : « Ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus, » *q. d.* Ut essemus omnino sancti et puri, ut non homo aut momus, sed Deus ipse; cujus sincerissimum et exactissimum est judicium, quique omnia dicta, facta, imo et cogitata, cordisque fundum penetrat, nullam in nobis graviorem maculam, nævum aut culpam cernat, quam arguat.

Tria corollaria ex superiore tria.

Hinc patet *primo*, in homine justo et sancto peccata non legi per justitiam Christi illi imputatam, sed omnino tolli, ita ut Deus ea videre et carpere non possit. *Secundo*, concupiscentiam in homine justo non esse peccatum, quod Deus culpare possit. *Tertio*, ita sancte, integre ac perfecte nos omnia nostra opera facere debere, quasi memores in conspectu Dei nos ea facere, ut Deus eorum inspector nihil in eis inveniat quod judicet et damnet.

Quadruplex horum verborum explicatio.

IN CHARITATE. — Adamus renuit ac *elegit*, *q. d.* *Elegit nos in charitate*, id est per charitatem, quia scilicet dilexit nos. *Secundo*, Chrysostomus et Theophylactus referunt ad sequentia, ἐν ἀγάπῃ προορίσας ἡμᾶς, *in charitate*, id est per charitatem, qua nos amavit, *prædestinavit nos*. Unde et Syrus vertit, *per charitatem præsignavit nos sibi*. *Tertio*, planius et facilius refertur ad proxime præcedentia, *q. d.* Elegit nos Deus ut in sanctitate sine macula et culpa serviamus illi, non ex timore pœnæ, sed ex charitate et liberali amore, « ut amor Dei, inquit Ambrosius, sanctam faciat nostram conversationem. » Sic et Anselmus.

Prædestinatio Dei tertium, multa involvit.

5. QUI PRÆDESTINAVIT NOS IN ADOPTIONEM FILIORUM PER JESUM CHRISTUM IN IPSUM. — Nota : Idem est, « elegit nos ut essemus sancti, et prædestinavit nos in adoptionem filiorum, » nam Sancti sunt filii Dei adoptivi; Apostolus tamen idem repetit et inculcat, tum quia plenus erat recordatione suavissima tantæ dilectionis et electionis Dei, tum quia hæc electio et prædestinatio Dei licet una sit, multa tamen involvit : quia per illam Deus elegit et prædestinavit nos ad sanctitatem, ad suam amicitiam, ad suam filiationem, ad suam hæreditatem : nam formaliter aliud est esse sanctum, aliud esse Dei amicum, aliud esse filium Dei; potuissetque Deus nos eligere ad sanctitatem, et tamen nolle nos adoptare sibi in filios, imo nolle nos evehere ad suam amicitiam. Quis enim est homo quantumvis sanctus, qui sibi deberi putet, ut Deus secum amicitiam ineat, aut foveat, et quasi amicus cum amico agat et conversetur? Dei ergo clementiæ, gratiæ et liberalitatis fuit, quod per gratiam et charitatem simul et

Charitati annexit Deus, Primo, justitiam; Secundo, amicitiam.

sanctos, et amicos, et filios nos efficere voluerit, quodque hæc tria charitati indivulse annexuerit, scilicet justitiam, sive sanctitatem, amicitiam et filiationem Dei.

« QUI PRÆDESTINAVIT. — Nota ex S. Augustino, *De Prædest. Sanctorum*, cap. X, « prædestinatio est gratiæ per Deum præparatio, » qua scilicet creatura rationalis instruitur, dirigitur et ordinatur ut perveniat ad vitam et hæreditatem æternam : est enim hæc prædestinatio liberale Dei decretum, quo ab æterno decrevit Deus et angelos et homines per casum Adami lapsos ad se vocare, et sine ullis meritis propriis sanctificare, sibique in filios et hæredes adoptare, id est, decrevit eos vocare et adducere ad fidem, gratiam, sanctitatem omnemque perfectionem, et tandem ad gloriam et hæreditatem æternam.

Effectus prædestinationis.

Estque duplex hæc prædestinatio. Alia completa Sanctorum et Beatorum, tota scilicet illa series providentiæ Dei gratiarum et mediorum omnium, ex quibus effectum et consecutum est, ut prædestinati a Deo vocarentur, vocati justificarentur, justificati in justitia fidere perseverarent, perseverantes vitam finirent, itaque bearentur et glorificarentur. De hac loquitur sæpe S. Augustinus.

Altera prædestinatio est non completa, sed inchoata, scilicet ex parte Dei, qua Christianos omnes Deus prædestinat ad gratiam christianismi, in qua si perseverare velint, Christique gratia uti, eique in finem usque cooperari, complebunt suam prædestinationem, et beatitudinem ad quam creati et prædestinati sunt, assequentur.

De hac secunda loquitur hic Apostolus : idque *primo*, colligitur ex eo quod totam hanc epistolam inscribit Ephesiis, non electis ad gloriam certoque beandis, sed « sanctis et fidelibus in Christo Jesu, » ut ipse ait vers. 1. Omnes ergo Ephesios Christianos vocat prædestinatos; inter quos quis asserat neminem fuisse reprobum, aut postea damnatum? quis asserat Apostolum voluisse omnes Ephesios fideles certos reddere de sua perseverantia, de sua salute et gloria, eamque omnibus revelare et propalare?

Proponendum beneplacitum et consilium Dei idem esse.

Secundo, ex eo quod de ipsis dicit vers. 5 : « Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum, etc., in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo; » et vers. 4 : « Sicut elegit nos in ipso, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate. » Ubi clare vides eum loqui electis, non ad gloriam, sed ad gratiam et sanctitatem, per quam adoptamur in filios Dei.

Refutatur Calvini justitia imputativa.

Tertio, ex eo quod cap. IV, vers. 3 et sequent., prædestinatos non securos, non certos esse velit, sed vigiles et sollicitos, utpote quorum incerta et dubia sit salus, et in quorum arbitrio sit virtus et vitium, perseverare et cadere, salvari et damnari, uti publice docet S. Chrysostomus hic, *homil.* 2 in morali. Vide *Cun.* 13.

Nota hic notari omnes causas prædestinationis : *primo*, efficientem, cum ait, *qui*, scilicet Deus, prædestinavit : *secundo*, meritoriam, *per Christum*; *tertio*, materialem, *nos*; *quarto*, exemplarem, *in ipsum*, Christum scilicet, ut Christo quasi capiti et exemplari conformemur, hic per Dei cognitionem, amorem et gratiam; in futuro, per gloriam. Ita Anselmus, Ambrosius, D. Thomas, et docte Augustinus, *De Prædestinat. Sanctor.*, cap. XV. Posset *secundo*, sic accipi, *in ipsum*, id est, in gloriam Christi, *q. d.* Christi gloria finis est nostræ prædestinationis. *Tertio*, Erasmus et Adamus, *in ipsum*, id est, in se, *q. d.* Ut Deus nos duceret in seipsum, et faceret nos unum cum seipso : sed hoc duriusculum est : nec enim filii sunt unum cum patre, sed patri conjuncti sunt, non per identitatem naturæ, aut personæ, sed per filiationem vel adoptionem, ut præcessit. *Quinto*, notat causam formalem, cum ait : « Secundum propositum voluntatis suæ : » hæc enim prædestinatio non est aliud quam propositum, sive decretum liberale voluntatis Dei. *Sexto*, finalem, cum ait, « in laudem gloriæ gratiæ suæ, » id est ut laudetur gloria, splendor, et, ut Ambrosius legit, claritas gratiæ Dei, vel gloriosa gratia Dei, qua nimirum mirabilior Deus apparuit in redimendo homine, quam in creando. *Septimo*, effectus sunt, redemptio, peccatorum remissio, et quod « glorificavit nos, » id est, gratos et charos sibi reddidit, gratia, amicitia, charitate sua nos donando.

SECUNDUM PROPOSITUM (S. Hieronymus vertit, *secundum placitum*) VOLUNTATIS SUÆ; — græce enim est εὐδοκία, quo nomine Septuaginta Hebræum רָצוֹן *ratson* vertunt et explicant, novis rebus nova verba fingentes, inquit Hieronymus, additque : εὐδοκία « componitur ἀπὸ τοῦ εὖ καὶ τοῦ δοκεῖν, id est a *bene* et a *placito*, quod nos dicere possumus beneplacitum; quia non statim omne quod placuit et bene placere potest : sed ibi tantum εὐδοκία, id est beneplacitum, dicitur, ubi quod placuit, recte placitum comprobatur. » Ita Hieronymus.

Ubi nota : *Propositum*, quod proprie vers. 11 Apostolus vocat προθεσιν, vers. 9 vocat εὐδοκίαν, hoc est *beneplacitum*, et vers. 11 rursum vocat βουλὴν, id est *consilium* voluntatis divinæ : idem ergo sunt *propositum*, *beneplacitum* et *consilium Dei*, liberale scilicet Dei decretum, quo prædestinavit, id est statuit et proposuit, nos vocare ad fidem et sanctitatem christianismi per Christum; quod non solis electis, sed omnibus Christianis competit.

6. IN QUA (gratia) GRATIFICAVIT NOS IN DILECTO Vers. 6.
FILIO SUO. — Græcum ἐχαρίτωσεν, Calvinus vertit *gratiosos*, vel acceptos *habuit*. Hinc enim stabilire nititur suam justitiam imputativam, *q. d.* Apostolus : Nos re ipsa in nobis sumus peccatores, ideoque Deo odibiles, sed in Christo, id est cooperti justitia Christi nobis imputata, gratiosi et amabiles simus in oculis Dei.

Verum respondeo, ἐχαρίτωσεν non significat *gratiosos habuit*, ut vult Calvinus, sed *gratiosos fecit*,

et, ut Noster vertit, *gratificavit*, scilicet gratiam suam nobis communicando et infundendo. Ita Chrysostomus : « Gratiosos, inquit, nos reddidit, hoc est, non solum peccatis liberavit, sed et dilectos effecit. Sicut enim si quis scabrosum quemdam peste morbo, senio, paupertate pariter ac fame corruptum nactus, formosum mox adolescentem reddat, qui quosvis venustate superet, vehementem splendorem ex genis emittat, ipsaque fulgura oculorum repercussionibus obscuret : quem deinde et in ipso ætatis flore constituat, atque insuper et purpura et omnigeno mundo vestiat atque exornet : non aliter animam nostram Deus et elaboratam, et pulchram, et desiderabilem ac dilectam reddit. »

IN DILECTO FILIO SUO, — *q. d.* Gratiam hanc adepti sumus non meritis nostris, sed per merita dilecti Filii Dei, vel per amorem, quo Pater Filium diligit, cui nos fratres esse voluit, cuique pro nobis, nostraque gratia et adoptione ad hanc suam fraternitatem roganti et oranti, Pater omnia concessit et indulsit.

Nota : Græce non est « Filio suo, » sed tantum ἐν τῷ ἠγαπημένῳ, *in dilecto*, scilicet absolute in omnibus, ac præ omnibus, sine quo nemo cæterorum diligitur, quique causa est cur cæteri omnes diligantur. Ita Hieronymus. Sic Christus, *Psal.* XXVIII, 6, quo forte alludit hic Apostolus, vocatur « dilectus quemadmodum filius unicornium ; » quia sicut hinnuli vel pulli unicornium valde amabiles sunt et gratiosi, ita et Christus. *Secundo*, quia Christus quasi monoceros potentissimus solo B. Virginis sinu captus est, ut dixi *Num.* XXIII, 22; ibi enim de eo dicitur : « Cujus fortitudo similis est rhinocerotis, vel monocerotis : Hebræum enim רְאֵם *reem* et rhinocerotem, et monocerotem sive unicornem significat. *Tertio*, quia unicornis cornu habet bifurcum instar crucis, ait Justinus Martyr, estque modicum et validum : talis est et crux Christi. *Quarto*, unicornis tactu sui cornu aquas purgat a veneno serpentum : sic Christus tactu Jordanis aquas baptismi, peccati purgatrices et expiatrices effecit. *Quinto*, quia Christus quasi unicornis, cornu, id est fortitudinem omnem suam, habet in capite, id est divinitate, atque communione et unione cum Deo. *Sexto*, sicut dejectis cedris per tonitru, apparent et exiliunt hinnuli unicornium, quod ad litteram significat Psalles citato *Psal.* XXVIII, 6 ; ita allegorice Christus mundo apparuit post dejectas cedros, id est superbiam, impietatem, idololatriam per vim tonitrui Evangelii ; tunc que patuit ejus species, decor et gratia. Ipse ergo est dilectus Patris, dilectus noster, amor noster, desiderium, gaudium, exultatio, quies, saties, salus animæ nostræ, ut cum sponsa in Canticis dicamus : « Dilectus meus similis est capreæ hinnuloque cervorum. Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies, et inclinentur umbræ. »

Christus dilectus quemadmodum filius unicornium.

Christus, gratia, et crux Christi eorum utilitatis similitudo in sex analogia.

7. IN QUO HABEMUS REDEMPTIONEM, — non tam activam (hanc enim non habemus nos, sed Christus), quam passivam, qua scilicet Christi sanguine quasi pretio redempti sumus a servitute peccati, mortis et inferni. Unde per epexegesin explicans subdit :

REMISSIONEM PECCATORUM. — Hæc ergo redemptio est remissio peccatorum et justificatio nostra.

8. QUÆ (scilicet gratia) SUPERABUNDAVIT IN NOBIS (abunde in nos a Deo effusa est) IN (id est cum) OMNI SAPIENTIA ET PRUDENTIA, — *q. d.* Non per scholas Philosophorum, sed per gratiam christianismi, veram sapientiam et prudentiam adepti sumus.

Nota : Prudentiam Christianam et veram intelligit eam, quæ nos docet recte, pie et christiane vivere, quæque mores nostros Christo, Christique legi et spiritui conformat, ut vitam beatam assequamur, quam Sapiens vocat « scientiam sanctorum, » et angelus ad Zachariam « prudentiam justorum, » *Luc.* I, 17. Pari modo « sapientiam » intelligit Christianam, quæ summa est, fidem scilicet Dei trini et unius, aliorumque divinorum mysteriorum, quibus justificari et salvari debemus : maxime autem intelligit fidem Christi redemptoris. Unde explicans subdit : « Ut notum faceret sacramentum quod proposuit, instaurare omnia in Christo. » Hoc etiam Græca clarius hic, et magis connexe significant : sic enim habent, ἧς ἐπερίσσευσεν εἰς ἡμᾶς ἐν πάσῃ σοφίᾳ καὶ φρονήσει γνωρίσας ἡμῖν, etc., *quam* (scilicet gratiam) *abunde effudit in nos cum omni sapientia et prudentia* (vel, ut Vatablus vertit, *de qua ubertim nobis effudit omnem sapientiam et prudentiam*), *patefaciens nobis*, etc. ; ἐπερίσσευσεν enim non passive hic capitur, ut significet abundavit ; sed active, ut significet abunde effudit, ut notat Chrysostomus et Theophylactus. Et patet, quia alioqui γνωρίσας, quod sequitur, non habebit suppositum, nisi scilicet idem subintelligas quod subintelligitur in verbo ἐπερίσσευσεν, si active capiatur, abundare fecit, scilicet Deus, patefaciens nobis mysterium, etc.

Quid sit *abundo* apud Græcos.

Nota : Gratiæ copiam significat per *divitias*, et per *superabundavit*.

UT NOTUM FACERET. — Noster legit γνωρίσας, jam legunt γνωρίσας, id est, ut Hieronymus, *notum faciens* ; vel potius, *cum notum fecisset* : est enim aoristus participii.

Vocalio Græcum aoristum participii pro præterito.

SACRAMENTUM VOLUNTATIS SUÆ, — sacram et arcanam voluntatem suam. « Sacramentum » enim hic idem est quod arcanum vel mysterium, altum scilicet et secretum Dei consilium et decretum de vocandis Gentibus æque ac Judæis ad salutem per Christum : hoc enim hactenus incognitum fuerat mundo, putabantque Judæi hanc salutem et benedictionem Abrahæ ad se solos pertinere ; jam vero notum fecit Deus illam etiam ad gentes extendi.

Sacramentum æque ac mysterium, secretum, arcanum, consilium divinum.

QUOD (scilicet sacramentum) PROPOSUIT (statuit, decrevit exequi, suppl. et implere) IN EO, — dilecto scilicet Filio suo, ut dixit vers. 6 ; eo enim

omnia hæc referuntur, ut patet ex initio vers. 7, *q. d.* Non per Simonem Magum, ut ipse jactat, non per Platonem, non per Pythagoram aliosque Philosophos qui veram sapientiam et viam ad beatam vitam se docere profitentur et falso jactant ; sed per dilectum Filium suum verum mediatorem, et unicum redemptorem nostrum suam voluntatem de redimendis Judæis et Gentibus Deus implere decrevit.

Nota, ἐν αὐτῷ per spiritum lenem significat, *in ipso* ; sed per spiritum asperum, uti jam legunt, ἑαυτῷ, significat, *in seipso*, *q. d.* In seipso proposuerat et decreverat hoc sacramentum Deus. Ita Vatablus. Vel, ut Syrus, hoc arcanum proposuerat Deus exequi in seipso, id est per seipsum. Sed prior Interpretis nostri sensus magis est e mente et spiritu Pauli, qui hic præsertim nihil nisi Christum spirat, magisque vers. 6 et 7 connexus est. Ita Theophylactus, et passim alii.

S. Hieronymus hic distinguit prædestinationem et propositum, quod prædestinatio sit rei, quam multo ante, quam fiat, in animo facere destinamus ; propositum vero sit rei vicinæ, ut pene cognitionem et propositum sequatur effectus. Hoc verum est apud homines, quorum brevis est vita, ac consequenter proposita arcta et brevia. Hinc vulgæ prædestinationem Deo, propositum hominibus tribuimus, ut Deus prædestinet, homo proponat : in Deo vero idem est propositum et prædestinatio ; omne enim decretum Dei, omnemque propositum æternum est, et ab æterno : hoc ergo propositum ab æterno parturiit Deus, inquit Chrysostomus, ac consequenter nos nostramque adoptionem parturiit ab omni æternitate clementissimus et optimus Pater.

In Deo idem est propositum et prædestinatio.

10. IN DISPENSATIONE PLENITUDINIS TEMPORUM. — *q. d.* Cum dispensata, id est constituta, distributa et ordinata ab eo tempora, essent evoluta et impleta ; ut sit hypallage : « in dispensatione plenitudinis, » id est in plenitudine dispensationis, id est distributionis, temporum. Ita Anselmus et D. Thomas. *Secundo* et melius, *q. d.* Cum dispensata, id est erogata, expensa, evoluta esset plenitudo temporum, id est plenum et omne illud tempus, quod ex Dei ordinatione præcurrere debebat Christum. Sic Christum dixit missum in plenitudine temporis, id est impleto tempore, quod Pater ab æterno incarnationi ejus præfinierat, *Galat.* IV, 4 (1).

Quænam sæculorum series in Christo ? Prima explicatio.

INSTAURARE OMNIA IN CHRISTO. — Græca ἀνακεφαλαιώσασθαι, id est *recapitulare*, ut legit S. Hieronymus, *q. d.* Proposuit Deus omnes homines et angelos, cum inter se admodum essent disjuncti, imo inimici, unire, et ad unum caput Christum revocare et conjungere : Christum enim dedit caput super omnem Ecclesiam, ut ait vers. 22. Et hinc cap. II, vers. 19, infert : « Ergo jam non estis hospites et advenæ, sed estis cives sanctorum et domestici Dei, *q. d.* Christus nos revocavit ad societatem angelorum, ut eorum simus fratres, et cives cœlestes in eadem Dei domo, id est Ecclesia, sub eodem duce et capite, qui est ipsemet Christus. Hic sensus geminus est. Ita Chrysostomus, Theophylactus, Anselmus, imo et S. Augustinus, *Enchiridii* LXII, qui legit et explicat nostrum *instaurare* : « In Christo, inquit, instaurantur quæ in cœlis sunt, cum id quod inde in angelis lapsum est, ex hominibus redditur. Instaurantur autem quæ in terris sunt, cum ipsi homines, qui prædestinati sunt ad æternam vitam, a corruptionis vetustate renovantur. » Instaurat ergo Christus ea quæ in cœlis sunt, cum sedes gloriæ, dæmonum lapsu vacuas, et numerum angelorum hoc eodem lapsu imminutum, per homines restaurat et implet, cum, ut ait S. Gregorius, lib. XXXI *Moral.*, cap. XXXV, « hic humiliati homines redeunt, unde apostatæ angeli superbiendo occiderunt ; » sicque homines et angelos ad unam domum, scilicet Ecclesiam, et ad unum caput revocat. Dissociata enim et divisa per Adæ peccatum erat hæc Ecclesiæ domus, et uno pariete, angelorum scilicet societate, integro et perfecto, inquit Chrysostomus, paries alter corruerat, nos scilicet homines ab Ecclesia et societate angelorum collapsi eramus in societatem jugumque dæmonis : Christus ergo hunc domus parietem, id est nos homines, Ecclesiæ restituit, sicque totam domum, scilicet Ecclesiam angelorum et hominum restauravit, ut jam una ex utrisque integra (uti ante lapsum Adæ fuerat) et perfecta sit domus, sibi, quasi capiti et lapidi angulari devincta, astricta et unita : hoc enim significat Græcum ἀνακεφαλαιώσασθαι, id est *recapitulare*. « Tanto itaque dono, tanto honore, ait Chrysostomus, tanta benignitate cum nos dignatus sit Deus, ne dedecoremus benefactorem, ne tantam gratiam inanem reddamus : vitam angelicam, angelicam plane, oro ac supplico, virtutem et conversationem ostendamus. »

Christus unus Adamum hominum redemptus instaurat vii.

Secundo, ἀνακεφαλαίωσις, id est *recapitulationem*, ait Hieronymus, vocant oratores, cum in epilogo ea, quæ tota oratione sparsim ac fuse dicta sunt, summatim repetantur, et simul judici in memoriam revocantur. Hebræi quoque summam rei vocant caput rei, ut patet *Num.* I, 2 ; et sic de Christo dicitur *Hebr.* X, 7 : « In capite (id est in summa) libri (S. Scripturæ) scriptum est de me. » Sic ergo Christus fuit caput et recapitulatio omnium operum Dei visibilium et invisibilium : omnia enim Christi adventum præsignarunt, vel ad eum directa sunt et diriguntur, omnesque eorum dotes, gratiæ, perfectiones unus in se complectitur Christus ; ut, si Christum intueris, non sit quod scruteris et recorderis alicujus veterum patrum, aut gestorum, aut alicujus operis Dei ; omnia enim tibi exhibet Christus, *q. d.* Quæcumque olim gesta sunt in cœlo et in terra, quæcumque

Christus fuit caput et recapitulatio omnium.

(1) « In dispensatione, » etc. id est, *ex factorum suo* (vel *definito*) *tempore hanc dispositionem*, ut nempe, etc.

in eis sunt vel fuerunt (in Græco enim non est *sunt*, sed tantum, *quæ in cœlis et quæ in terra*, supple, sunt vel fuerunt), quidquid in Mose, Josue, Abrahamo, Davide, omnibusque veteribus historiis, regibus, Prophetis, Patriarchis excellens est et laude dignum, quidquid gratiæ, quidquid virtutis, quidquid præclare dictum, quidquid heroice gestum; si quid in lege est memorabile, si quid in templo Salomonis speciosum, si quid in sacrificiis Deo gratum; imo si quid inter cœlestes spiritus est sanctum, gloriosum, illustre: id multo excellentiori ratione breviorique compendio habemus in Christo. Ita Hieronymus, Chrysostomus et Theophylactus: « Christus enim, inquit Theophylactus, est verbum consummans et abbrevians a justitia. » Hic sensus sublimis est, et bene respondet tum Græco ἀνακεφαλαιώσασθαι, tum spiritui, sensui et amori D. Pauli in Christum.

Christus cum incarnatione sua omnibus rebus omnibus ætatis dignitatem.

Tertio, Irenæus, lib. III, cap. VIII, docet in Christo omnia esse recapitulata, quia in natura humana omnes res et rerum species ac gradus quasi in summa continentur. Unde homo dicitur microcosmus, ac consequenter cum Verbum divinum humanam naturam assumpsit, tunc quasi res omnes in summam redactas sibi conjunxit, et ad se quasi ad auctorem et primum originem, ad Verbum scilicet, quo creata sunt, revocavit, sicque incarnatione sua Christus magnam rebus omnibus attulit dignitatem, omnesque quasi deificavit. Hic sensus symbolicus est. Primus maxime est litteralis; agit enim Paulus de restauratione lapsi hominis et Ecclesiæ. Unde subdit: « in quo etiam nos sorte vocati sumus. »

IN IPSO — redundat, more Hebræo; unde illud hic non legunt Ambrosius, Hieronymus, Chrysostomus. Hebræi enim repetunt pronomen cum suo antecedente. Idem ergo hic est « in ipso, » quod « in Christo, » uti paulo ante dixit. Nimirum ita saliari nomine Christi non poterat Paulus, ut eum, ut ita dicam, superfluo, et singulis sæpe versibus nominaret. Hinc nomen « Jesu » in parvis et paucis hisce quatuordecim epistolis suis repetit ducenties decies novies, « Christi » nomen quadringenties et semel.

11. IN QUO, — ἐν ᾧ potest referri ad ἀνακεφαλαιώσασθαι, ut *in quo* significet *ad quod*, scilicet *recapitulare*, vocati sumus, nimirum ut recapitulemur et instauremur, et ad Christum quasi caput nostrum revocemur. *Secundo* et planius, referas ad immediate præcedens, « in ipso, » scilicet Christo, « in quo, » id est per quem, vocati sumus, supple ad instaurationem, recapitulationem et unionem jam dictam cum Christo in christianismo (1).

SORTE VOCATI SUMUS. — Chrysostomus et Theophylactus sic explicant, quasi Deus prudenti suo consilio nos ad sortem hanc vocaverit: quia priusquam vocaret nos, illa jam sorte nos esse dignos prævideral. Verum hoc non est sorte vocari, sed merito, et hoc dicere de vocatione ad primam gratiam, est Pelagianum; sed excusandus est Chrysostomus, quod loquatur de vocatione non ad primam gratiam et fidem, sed ad justitiam: de hac enim agit Apostolus, vers. 4, 5, 7, et de hac verum est dicere quod Deus neminem vocet ad justitiam suamque amicitiam, nisi quem per actus fidei, spei, pœnitentiæ, etc., ad illam se præparare, et dignum, id est idoneum, se efficere prævideril. Sed hoc non est ad mentem Apostoli: Apostolus enim loquitur de vocatione prima ad fidem et christianismum: ad hanc enim sorte vocati sumus, et, ut græce, ἐκληρώθημεν, id est sortiti sumus, hoc est, sine merito vocati sumus: est enim metaphora ab alearoribus, qui aleæ jacta de lucro, aliave re sortiuntur; sic enim Deus hic inducitur quasi dixisset: Jaciant omnes homines sortem, et sorte ac aleæ jactu decidatur, qui vocandi sint ad fidem et salutem, qui non vocandi et negligendi; jactaque super omnes alea et sorte, decidit super nos Ephesios sors hæc et alea, ut vocaremur, ita ut ex parte nostra fuerit sors et fortuitum vocari ad fidem, gratiam, baptismum et christianismum: quia nihil agebamus ut vocaremur, ac ne cogitabamus quidem de vocatione, imo aliqui eam fugiebant et adversabantur; ex parte tamen Dei non fuit sors, sed electio, et destinatum propositum nos vocandi, ut sequitur. Ita Anselmus, D. Thomas, et passim Latini cum S. Augustino in *Psal.* XXXIV, ubi ait: « Sorte, id est gratia: nam ubi sors est, non est electio, sed voluntas Dei; ubi enim dicitur: Iste fecit hoc, iste non fecit, merita considerantur: et ubi merita considerantur, electio est, non sors; quando autem Deus merita nulla invenit, sorte voluntatis suæ nos salvos fecit, quia voluit, non quia digni fuimus: hæc est sors. »

Chrysostomus sic explicat vocationem ad primam gratiam.

Deus non vocat omnes, et quam ob rationem istos vocat alios?

Hæc ratio quasi jacenti alicui de sua salute.

Cur Romanos primo vocarit et convertit Deus?

Ex parte Dei, electio; ex parte nostra, sors.

Hinc patet totam prædestinationem, primumque ejus effectum, hoc est vocationem, non ex bono usu liberi arbitrii, sed ex mera Dei voluntate pendere; habito tamen primo hoc effectu, cæteros qui ex eo consequuntur, merori possumus, scilicet justificationem ex congruo, glorificationem ex condigno.

Potest *secundo*, ἐκληρώθημεν, id est *sortiti sumus*, accipi, cum Ambrosio et Hieronymo sic accipi, q. d. In sortem filiorum, et ad partem hæreditatis Dei sumus asciti: inde enim hæreditaria sors dicitur res ad hæreditas, quod olim illa inter hæredes sorte divideretur; ut sorte divisa est terra sancta inter duodecim tribus Israel, *Josuæ* XV; et sorte ad illam sortem Israel alludit hic Paulus. Sic *ad Colos.* I, 12, dicit nos vocatos in partem sortis Sanctorum, » id est ad partem hæreditariam, sive ad hæreditatem Sanctorum.

Sors ad hæreditatem filiorum Dei.

SECUNDUM PROPOSITUM EJUS, QUI OPERATUR OMNIA SECUNDUM CONSILIUM VOLUNTATIS SUÆ. — Hinc patet,

(1) Qui sensus genuinus est. « Nos, » id est ego, aliique Apostoli, et omnes qui ex *Judæis* vocati fuerant.

sortem jam dictam, id est vocationem ad fidem et gratiam, licet nobis sit sors fortuita et immerita, in Deo tamen procedere ex proposito et decreto non casuali, sed prudenti, adeoque ex consilio divino, quod hac de re habitum est in consistorio SS. Trinitatis: habuit enim Deus rationes justissimas, licet nobis sæpe ignotas, hos vocandi, non alios: v. g. cur Judæos primo vocaverit ante alias Gentes, causa fuit, quia iis propriæ et primo promissus fuerat Christus; cur deinde secundo loco vocarit Samaritanos, Palæstinos, Syros, causa fuit, quia hi Judæis erant vicinissimi, et ex parte Judæorum fratres; cur tertio proserpente paulatim Apostolorum prædicatione, Paulus in Græcia prædicarit Ephesiis, Corinthiis, Philippensibus, eosque ad Christi fidem vocarit, potius quam Megarenses, Thebanos, Lacedæmones, causa videtur esse, quia Ephesus, Corinthus, Philippi, primariæ erant urbes, eaque ætate florentissimæ, tum opibus, tum copia hominum. Itaque eo se contulit Paulus, quia majorem in eis sperabat messem et fructum prædicationis suæ. Unde I *Corinth.* XVI, 8, ipsemet Paulus hanc causam dat: « Permanebo, inquit, Ephesi usque ad Pentecosten: ostium enim mihi apertum est magnum et evidens. »

Sic cur Romani præ cæteris Occidentalibus vocati sint primi, causa fuit, quia Roma erat caput orbis: eo ergo statim se contulit S. Petrus, et deinde Paulus, ut Roma quasi capite conversa, fides per universum orbem facillime propagaretur, et, ut inquit S. Leo, serm. I *De Nativitate Apostolorum Petri et Pauli*, « ut lux veritatis, quæ in omnium gentium revelabatur salutem, efficacius se ab ipso capite per totum mundum effunderet, » uti clarissime factum videmus, cum Constantius et Romani Imperatores fuerunt conversi. Erant enim Romæ omnium gentium homines, ita ut quod Roma audiret et disceret, hoc omnes gentes audirent et discerent. Pari modo, cur Itali prius Germanis, Anglis, Francis vocati sint, causa est, quia viciniores erant Romæ, ex qua Pontifex ibi residens præcones Evangelii primo in proximas urbes et gentes misit, ut ita sensim ulterius in alias et alias, et tandem ad nos, ac denique ad remotissimas in Norvegia, Islandia, Moscovia proserperent, et fidem propagarent: sic enim caput humanum primo in collum sibi vicinissimum, deinde in pectus, tertio in femora, ac deinde in pedes sensum et motum influit; hic enim est naturalis et commodissimus ordo.

Hæ rationes nobis notæ sunt et probabiles; sed in his, et aliis magis particularibus vocationibus tam gentium et urbium, quam hominum singulorum, v. g. cur Magdalenam tam illustri ratione et modo vocaverit præ aliis meretricibus, cur Paulum præ aliis Judæis persecutoribus, Deus alias plures et sublimiores habet rationes, intentiones et fines nobis incognitos secundum consilium voluntatis suæ, ut inquit Apostolus, et in eis dicendum est illud *Rom.* XI: « O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! »

12. UT SIMUS IN LAUDEM GLORIÆ EJUS, — ut per nos laudetur et celebretur gloria Dei, ejusque gloriosa misericordia; ut simus Deo laudi et gloriæ, ut laudemus et glorificemus Deum, gloriosum ejus in nos clementiam admirando, ac ubique deprædicando.

Triplex hujus loci exposi tio.

Nos QUI ANTE SPERAVIMUS IN CHRISTO. — *Primo*, S. Hieronymus refert hæc ad præscientiam divinam, in qua ante mundum conditum præscivit Deus nos credituros et speraturos in Christo. *Secundo*, Theophylactus sic explicat: Speramus in Christo bona, quæ nobis contingent in futuro sæculo, speramus inquam nunc, antequam illud et illa adipiscamur. *Tertio* et genuine: « Nos, » scilicet Apostoli et Judæi, qui ante alias Gentes credidimus, et credendo speravimus bona promissa a Christo (per metalepsim enim sub spe intelligit fidem, nimirum per *speravimus* intelligit *credidimus*) q. d. Nos Judæi, quibus antea promissus a Prophetis, et jam ante alias Gentes exhibitus et evangelizatus est Christus, et apud quos cœpit Ecclesia, et per quos propagatur, primi sumus per quos laudatur et celebratur gloria Dei, gloria Evangelii Christi. Ita Ambrosius, Anselmus et Tertullianus, lib. V *Contra Marcion.* Hic sensus patet ex antithesi vers. sequentis.

Quales certitudines habeat præsciens in hac vita prædestinationis nostræ?

13. IN QUO (supple Christo, sperastis) ET VOS, — o Ephesii Gentiles, sicut et nos Judæi ante vos speravimus in ipso. *Secundo* et potius, refer ad vers. 11: « In quo, » id est per quem, vos, o Ephesii, supple sorte vocati estis, ut sitis in laudem gloriæ ejus; sicut nos Judæi, qui ante vos credidimus, et speravimus in Christo, per ipsum ad hanc fidem et spem sorte vocati sumus.

CUM AUDISSETIS VERBUM VERITATIS, EVANGELIUM SALUTIS. — Græca τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, τὸ εὐαγγέλιον τῆς σωτηρίας, id est, ut Syrus, *verbum veritatis, quod est Evangelium salutis, q. d.* Qui Simonem Magum, qui Platonem, qui veteres poetas ac philosophos docent, falso veritatem promittunt: solum enim Evangelium docet veritatem veramque viam ad salutem; solum Evangelium est verum nuntium, vera doctrina salutis et veritatis.

IN QUO ET CREDENTES SIGNATI ESTIS. — Græce πιστεύσαντες, id est *postquam credidistis*; hoc ergo signaculum spiritus non est ipsa fides, sed fidem consequitur.

SIGNATI ESTIS, — ἐσφραγίσθητε, hoc est, *sigillati estis*, sigillo obsignati estis: sicut enim sigilli impressione obsignantur litteræ regis, ac tabulæ publicæ, ut authenticæ a dubiis, genuinæ a falsis secernantur, certoque constet has esse litteras et tabulas regis: ita vos Christiani Ephesii, quasi « epistola Christi, scripta non atramento, sed spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus, » signati, id est obsignati, estis Spiritu Sancto quasi sigillo, ut constet vos

esse non fictam, sed authenticam Christi epistolam, vos vere esse fideles conscriptos a Deo, vere esse populum et Ecclesiam veri ac summi Dei.

Dices : Ergo fideles ex hoc sigillo certi omnino sunt se esse in vera fide et gratia.

Respondeo : Nego consequentiam, quia sicut sigillum hoc non est eis physice et omnino certum et evidens (quis enim certo scit, quis jurare audeat se signatum esse Spiritu Sancto tanquam sigillo), sed tantum probabile, et subinde moraliter quasi certum ex signis et conjecturis : ita pariter non est eis certum et clarum, se esse in vera fide et gratia Dei. Vide dicta *Rom.* VIII, 16.

Spiritu promissionis, — *q. d.* Signati estis non signo corporali, puta circumcisionis, quasi pecudes, ait Chrysostomus, uti Judæi signati sunt ; sed quasi Christiani, et filii rationales, signati estis « spiritu promissionis, » id est promisso, quem scilicet per Prophetas Deus promisit, ut per *Ezech.* XXXVI, 26 : « Dabo vobis cor novum, et spiritum novum ; » per *Joelem*, cap. II, vers. 28, et alios. Hic spiritus promissus a Deo, est charitas, justitia, pax et gaudium conscientiæ, quæ accepistis, postquam credidistis, in baptismo ; quæque jam experimini et ostenditis in conversione morum, et sanctitate ac innocentia vitæ Christianæ. Aliqui sic intelligunt, « signati estis Spiritu, » id est donis Spiritus Sancti, linguarum, prophetiæ et similibus visibilibus, quæ olim dabantur in baptismo. Sed hæc non dabantur omnibus, sicut jam nemini dantur, imo incertum est an Ephesii hoc tempore ea receperint : parvo enim tempore, et tantum in primordiis Ecclesiæ hæc dona visibiliter data sunt.

Dona visibilia Spiritus Sancti quondam et quando collata fuerint in baptismo?

Sancto. — Hinc Didymus, lib. *De Spiritu Sancto*, probat Spiritum Sanctum non participatione alterius, sed suapte natura bonum ac sanctum esse, ac consequenter esse Deum ; quia nimirum in sigillo, quo character bonitatis et sanctitatis imprimitur, Spiritus archetypus est bonitatis et sanctitatis, ut qui signatur Spiritu Sancto, formam et speciem sanctitatis ejus assumat. Ubi adverte, sicut imago ceræ impressa refert, et plane conformatur suo sigillo, quod imaginem illam imprimit : ita sanctitatem in anima nostra expressam a Spiritu Sancto, illi quasi sigillo imprimenti, et quasi archetypo sanctitatis conformari, planeque exprimere et repræsentare sanctitatem Spiritus Sancti. Quanta ergo animæ nostræ est dignitas ! quanta cura sanctitas hæc tuenda et conservanda est !

Anima nostra Spiritus Sancti, ut sigillum ceræ, imprimit sanctitatem.

14. Qui est pignus hereditatis. — *q. d.* Signati estis Spiritu Sancto quasi sigillo, non tantum ut constet vestræ fidei tabulas esse veras, a vero Deo cordi vestro inscriptas, sed etiam ut tabulas spei vestræ obsignet, ut scilicet ex hoc quasi sigillo certam habeatis spem et jus ad futuram hæreditatem : unde hic Spiritus et sigillum est, et etiam pignus, hæreditatis cœlestis.

Nota : Pro *pignus* græce est ἀρραβών, id est *arrha* ; nam, ut docet S. Hieronymus, Chrysostomus et ex Augustino Beda, Spiritus hic melius dicitur arrha, quam pignus : quia pignus datur in manu, et soluto debito repetitur et aufertur ; arrha autem datur in contractu vendentis et ementis, ut firmus sit contractus ; datur, inquam, quasi pars anticipata futuræ plenæ solutionis : hic autem Spiritus datur quasi pars et prægustus futuræ nostræ hæreditatis et felicitatis. Addunt alii, Spiritum Sanctum esse pignus quoad fidem et spem ; hæc enim dona deficient, et in cœlo transibunt in visionem et possessionem Dei ; arrham autem dici quoad charitatem quæ nunquam excidit, sed permanebit et perficietur in beatitudine. Si tanta et tam suavis est arrha, quam Deus hic suis elargitur, quanta erit hæreditas ipsa, quam suo tempore præstabit !

Spiritus Sanctus est arrha salutis nostræ, et quomodo differat pignus et arrha ?

In redemptionem acquisitionis, — id est, ut perfecte redimatur, et in perfectam libertatem vindicetur ipsa acquisitio, scilicet ut, cum hæreditatem jam dictam cernemus et adibimus, liberemur ab omni malo, tentatione, morbo, morte, ærumna, nos, qui sumus acquisitio, id est acquisita possessio Dei et Christi.

Nota *primo* : « Redemptio » hic tam activa accipi potest, qua scilicet nos redimit Spiritus Sanctus et Christus, quam passiva, qua nos redimimur : hæc enim terminus est activæ.

Redemptio nostra data, incepta et completa.

Nota *secundo* : Redemptio nostra est duplex. *Prima*, inchoata, qua hic redimimur a servitute peccati, et asserimur in libertatem gratiæ filiorum Dei. *Secunda*, completa in cœlo, qua ab omni prorsus concupiscentia, pœna, miseria liberati asseremur in libertatem gloriæ Beatorum. Hanc secundam hic intelligit Apostolus : hoc enim significat propositio *in*, *q. d.* Spiritus Sanctus est pignus hæreditatis, *in*, id est *ad*, redemptionem perfectam assequendam.

Nota *tertio* : Pro *acquisitionis* græce est περιποιήσεως, quod nonnulli vertunt, vindicationis, assertionis ; melius Noster, Theophylactus, Photius, quin et Vatablus, Budæus, Erasmus, *acquisitionis* ; περιποίησις enim non tantum asserere, sed et comparare ac acquirere significat, uti omnes Græci fatentur. Jam *acquisitio* vocatur acquisita possessio, substantia, peculium, scilicet populus Christianus, quem Christus tot laboribus, doloribus, lacrymis, imo et sanguine et morte sibi et Deo acquisivit.

15. Ego audiens dilectionem (quam scilicet ostenditis) in omnes sanctos, — id est Christianos.

16. Non cesso gratias agens. — Græcismus, pro non cesso gratias agere, ut legit Hieronymus.

17. Ut Deus Domini nostri Jesu Christi, — hoc est, Deus Pater, qui est Deus tam omnium hominum, quam Christi secundum humanam naturam ; ita ut omnes gloriemur nos eumdem cum Christo homine habere Deum patrem.

Pater gloriæ. — Adamus et alii putant esse hyperbaton, ut genitivus *gloriæ* pertineat, non

ad *Pater*, sed ad *Deus*, sicque legunt, et parenthesi intercipiunt cum Plantiniana Biblia : « ut Deus (Domini nostri Jesu Christi Pater) gloriæ, » *q. d.* Ut Deus gloriæ, id est gloriosus, qui est Domini nostri Jesu Christi Pater, det vobis, etc. Sed hæc lectio minis implexa et obscura repugnat Græcis et Romanis : Græca enim sic habent, ἵνα ὁ Θεὸς τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὁ Πατὴρ τῆς δόξης, id est, ut Romana distinguunt, *ut Deus Domini nostri Jesu Christi Pater gloriæ* ; et ita legunt et distinguunt S. Hieronymus, Chrysostomus, Theophylactus, Anselmus et alii.

Quomodo Deus dicatur Pater gloriæ ?

Quæres : Quomodo Deus dicitur « Pater gloriæ ? »

Respondet Anselmus, esse « Patrem gloriæ, » id est Christi, qui est gloria Patris. Sic et Nazianzenus apud Theophylactum, per gloriam accipit divinitatem Filii, ut Pater æternus dicatur *Deus* respectu humanitatis Christi, dicatur vero *Pater* respectu divinitatis ejusdem. Sed hoc obscurius videtur et remotius.

Dico ergo : *Pater*, id est, auctor omnis gloriæ et gloriosæ nostræ redemptionis per Christum ; *Pater* enim Hebraïs auctorem et causam efficientem significat, tribuiturque Deo respectu creaturarum inanimatarum. Sic dicitur *Job* XXXVIII, 28 : « Quis est pluviæ pater ? » id est productor. Sic Apostolus vocat Deum, *patrem*, id est auctorem, *misericordiarum*. Ita Theophylactus : « Dicitur, ait, Pater gloriæ, quia ingentia, celebria et præclara nobis bona dedit. »

Ubi nota, aliud est esse « Deum gloriæ, » uti Deum vocat Stephanus, *Act.* VII, 2, vel « Dominum gloriæ, » uti eum vocat Apostolus, I *Cor.* cap. II, vers. 8, vel « Regem gloriæ, » uti eum vocat David, *Ps.* XXIII, 7 ; aliud vero est esse « Patrem gloriæ. » Dicitur Deus « Dominus » vel « Rex gloriæ, » id est gloriosissimus, plenus gloria et majestate, *q. d.* Regalis, dominica, divina gloria ; sicut enim Regem vocamus regiam majestatem, sic Deus dicitur divina gloria et majestas, hoc est, gloriosa et augusta divinitas ; gloria ergo idem est, quod majestas gloriosa ; ipsa enim majestas et divinitas est origo et fundamentum gloriæ : gloria vero ex majestate et divinitate emanat et resultat, sicut radius a sole ; est enim hæc gloria, Dei et divini nominis claritas et celebritas, qua ab angelis, hominibus creaturisque omnibus dignus est Deus laudari, celebrari, glorificari, ob immensam suam sapientiam, potentiam, sanctitatem, majestatem ; sicut enim dux belli per fortitudinem suam præclarasque victorias, egregii sibi ducis nomen et gloriam acquirit : ita Deus ob naturalem suam perfectionem et excellentiam, immensam habet in se gloriam, ob quam dignus est, debetque ab omnibus glorificari. Illinc in veteri Testamento Deus Mosi et Judæis per ingens lumen se spectandum exhibuit, dicunturque Moses et Hebræi vidisse gloriam Domini, id est, corpus mire lucidum, quod luce

Gloria idem est quod majestas vel divinitas gloriosa.

sua repræsentabat gloriam Domini, id est, Deum gloriosum ; et a Psalte dicitur Deus « amictus lumine sicut vestimento : » lumen enim et radii symbolum sunt claritatis et gloriæ : unde Sanctis quasi beatis et gloriosis radios appingimus.

Pater vero *gloriæ* dicitur Deus, quia gloriam immensam, quam in se habet quasi Dominus, rex, fons et origo gloriæ, creaturis communicavit, et communicat, dum scilicet cœlos, solem, elementa, homines, angelos aliosque creaturas excellentes et gloriosas produxit ; dum (quod proprie hic spectat Apostolus) per Christum gloriosa nos redemit, et de diabolo, morte, peccato ab inferno triumphavit ; dum gloriosam gratiam, Sacramenta et miracula partim per Christum, partim per Apostolos (unde II *Cor.* III, 8, docet Apostolatum novi Testamenti esse ministerium gloriæ) contulit, instituit, patravit, quibus ad æternam beatitatem et gloriam regni cœlestis dirigamur : hoc enim proprie est præsentis loci. Vocat ergo Apostolus Deum *Patrem gloriæ*, ob gloriosam fidem, sapientiam, cognitionem, spem et gratiam novi Testamenti per Christum exhibitam Ephesiis aliisque Christianis. Hinc explicans, subdit :

Vers. 17 et 18.

17. Ut Pater gloriæ det vobis spiritum sapientiæ et revelationis, in agnitione ejus illuminatos oculos cordis vestri. — *q. d.* Oro, ut Deus pater et auctor gloriosæ sapientiæ, fidei, spei et gloriæ cœlestis, det vobis spiritum sapientiæ et revelationis, quo scilicet inspiret vobis et revelet hunc suam arcanam gloriam et sapientiam ; « in agnitione ejus, » id est, ut agnoscatis illum esse patrem gloriæ jam dictæ ; « illuminatos, » inquam, vobis det, ait Ambrosius, « oculos cordis vestri, » ut ejus lumine illustrati, agnoscatis eum talem, ut dixi.

Simonis Magi error de Deo patre incognito.

Textat Simonem Magum, qui inducebat Deum quemdam et patrem incognitum, teste Epiphanio, *hæresi* 27, *q. d.* Adeo noster Deus et Pater non est incognitus, non celat, non abscondit se, ut sit pater gloriæ et claritatis, tanquam ipsa increata gloria et claritas, quæ sui notitiam et claritatem ubique diffundit ; oro ergo eum, ut clara sui cognitione vos, o Ephesii, illuminet, ut eum clare agnoscatis.

Hieronymus hic recte legendus, contra errorem Origenis de animarum reminiscentia.

In agnitione. — Caute hic legendus S. Hieronymus, qui distinguit ἐν γνώσει, id est *agnitionem*, qua agnoscimus olim cognita, sed quæ jam nosse desimus, sive qua olim cognita recordamur, a ἐπιγνώσει, id est *cognitione*, qua prius incognita nosse incipimus : Quia, inquit, quidam sic intelligunt, quod patrem olim in cœlo cognoverint animæ, sed detrusæ in corpora, rursum per revelationem spiritus illius cœperint recordari, illumque denuo agnoscere.

Verum hic est error Origenis, et ex ejus sententia, non autem ex sua dicit hoc Hieronymus. Ubi nota : Solet Hieronymus in Comment. multa ex aliis transcribere, unde solet eos, quos secu-

turus est, in proœmio nominare et præmittere : sicut in proœmio hujus epistolæ nominat Origenem ejusque commentarium in hanc epistolam. Ita ipse se exousat in sua Apologia *Contra Rufinum*. Dico ergo : *Agnitio* hic idem est quod cognitio prima, vel certe *agnitio* est illa, qua Gentiles et Philosophi Deum Patrem, quem prius in gentilismo obscure, involute et in confuso cognoverunt, jam per Evangelium penitus, clare, explicate et distincte, ut auctorem gratiæ et gloriæ agnoscere cœperunt.

18. UT SCIATIS QUÆ SIT SPES VOCATIONIS EJUS, — ut scilicet, quæ et quanta bona sperare debeatis ex vocatione, qua vos vocavit ad christianismum, id est ex christianismo ipso ad quem a Deo vocati estis.

QUÆ DIVITIÆ GLORIÆ HÆREDITATIS EJUS IN SANCTIS, — id est, quam diver, copiosa et abundans sit gloria hæreditatis, id est hæreditas gloriæ (est enim hypallage) quam Deus promisit et confert sanctis, id est, Christianis qui juxta Christi doctrinam et legem christiane ac sancte vivunt.

Vers. 19. 19. ET QUÆ SIT SUPEREMINENS MAGNITUDO VIRTUTIS EJUS IN NOS QUI CREDIMUS, — τὸ ὑπερβάλλον μέγεθος, id est, ut Hieronymus, *sublimis magnitudo*; Ambrosius, *excelsa magnitudo* « virtutis, » græce δυνάμεως, id est potentiæ, « ejus in nos, » v. d. Ut scitis quantam potentiam Deus ostenderit in nostra conversione a gentilismo ad christianismum, qua scilicet nos ex idololatris fecit Dei veri cultores; ex ebriis, sobrios; ex libidinosis, castos; ex superbis, humiles; ex lupis, oves; ex iracundis, mites; ex barbaris, comes et humanos : ut cor barbarum, carnale, ferum nobis abstulerit, et pro eo dederit nobis cor mentemque Christianam, spiritualem, humanam, imo angelicam et divinam. Hanc potentiam et potentem sui mutationem mirantur etiamnum Indi et Japones, cum ab idolis convertuntur ad Christum, et ex ea agnoscunt veritatem fidei et vim gratiæ Christi.

Mira Dei virtus elucet in hominum conversione.

SECUNDUM OPERATIONEM POTENTIÆ VIRTUTIS EJUS, κατὰ τὴν ἐνέργειαν τοῦ κράτους τῆς ἰσχύος αὐτοῦ, id est *secundum energiam*, hoc est efficaciam et vim, *potentiæ fortitudinis ejus* (1).

20. QUAM OPERATUS EST (græce ἐνήργησεν, id est, per energiam potenter et efficaciter operatus, vel, ut Tertullianus vertit, *inoperatus est*) IN CHRISTO RESCITANS ILLUM A MORTUIS. — *q. d.* Illa Dei virtus, potentia et energia, qua nos resuscitavit ab idolatria, peccatis, morte et inferno, similis illi est, quam Deus ostendit in Christo, cum illum a morte suscitavit, et ad suam dexteram evexit; nam, ut ex S. Augustino et Chrysostomo, docet S. Thomas, I II, *Quæst.* CXIII, art. 9, difficilius est, majorisque potentiæ, peccatorem justificare, quam cœlum et terram creare : quia magis contraria sunt peccatum et gratia, quam aliquid et nihil; et longe magis distat a Deo, illique contrarium est peccatum et peccator, quam nihil : sunt enim duo extrema summe et in immensum distantia et contraria, Deus et peccatum. Denique gratia et justitia est ordinis supernaturalis et divini, ubi summa potentia opus est, ut peccator per peccatum depressus et abjectus infra omnes creaturas, supra omnes attollatur, et assurgat ad justitiam, fiatque Dei amicus, filius et consors divinæ naturæ.

Difficillima peccatorem justificare.

(1) Potest quoque τῷ qui *credimus* cum sequentibus jungi, ut sensus sit : Qui credimus propter maximam ejus potentiam, quam scilicet in resurrectione Christi etc., cernimus.

ET CONSTITUENS AD DEXTERAM SUAM IN CŒLESTIBUS. — Græce ἐνέβασεν ἐν δεξιᾷ αὐτοῦ, id est *sedere eum fecit in dextera*, id est ad dexteram suam. Ita Hieronymus. De hac sessione dicam *ad Colos.* cap. III, vers. 1.

Ea quæ sunt peccatum et gratia.

21. SUPRA OMNEM PRINCIPATUM, ET POTESTATEM, ET VIRTUTEM, ET DOMINATIONEM. — Adamus putat Apostolum hic non recensere ordines angelorum, sed tantum contra Gnosticos docere Christum supra omnes, quantumvis principes, potentes, dominantes, et supra omnia quantumvis potentia et eminentia evectum esse. Verum S. Dionysius, S. Pauli discipulus, Hieronymus, Chrysostomus, Theophylactus, et passim Patres et Scholastici ex hoc loco, et *Colos.* cap. I, vers. 16, accipiunt et distinguunt quatuor choros angelorum : imo Ecclesia hinc inter novem angelorum choros ponit Principatus, Potestates, Virtutes et Dominationes : nec enim aliunde colligi possunt.

Apostolus hic recenset quatuor ordines angelicos.

Nota : *Coloss.* I, 16, alio ordine hos angelorum ordines enumerat Apostolus; descendendo enim sic ait : « Sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates. » Unde S. Gregorius, S. Thomas et alii Latini putant Virtutes esse inferiores Potestatibus, et Virtutes esse primos in tertia hierarchia. Rursum Principatus ponunt medios in secunda, ut illa constet Dominationibus, Principatibus et Potestatibus; tertia vero Virtutibus, Archangelis et Angelis. Contra S. Dionysius Virtutes immediate subjicit Dominationibus, ponitque eos medios in secunda hierarchia, ut ea constet Dominationibus, Virtutibus, Potestatibus. In tertia vero primo ponit Principatus, secundo Archangelos, tertio Angelos. Huic sententiæ favet hic locus et S. Dionysius, qui *Cœlestis Hierarch.* cap. VI, se hæc accepisse ait a magistro suo, scilicet Hierotheo, vel certe Paulo, qui in tertium cœlum raptus hæc ibi audivit, imo conspexit.

Ordo hierarchiarum angelicarum.

Nota *secundo* : Pro *virtutem* græce non est ἀρετή, sed δύναμις, id est *potentia*, robur, fortitudo. Rursum pro *dominationem* græce est κυριότης, id est dominium, sive auctoritas, et jus domini in servum, vel in rem suam.

Nota *tertio*, hæc abstracta sumi pro concretis, « Principatus, » id est principes; « Potestates, » id est potestate præditi; « Virtutes, » id est robusti, fortes; « Dominationes, » id est dominantes : sunt enim nomina angelorum. Vide *Can.* 21.

ET OMNE NOMEN, — id est, omne quod nominatur

Nomen Christi omnibus cœlestibus superius.

et celebratur : sic enim Hebræi vocant אנשי השם *anshe hasshem*, viros nominis, id est celebres. Perstringit nomina deorum, quos fingebant Gnostici et Poetæ, Hesiodus, Orpheus et alii Gentium Theologi, qui mira fabulabantur de rebus cœlestibus. Perstringit etiam triginta Æones Valentini, qui tantum erant nominum portenta, et crimina potius quam numina, quos describit D. Pamelius in Tertulliano, initio libri *Contra Valentinianos*; hos Valentinus videtur sumpsisse ex Platone, qui in *Timæo* mundum dixit factum esse ex cubo ternarii, qui est viginti septem : nam ter tria faciunt novem, et ter novem faciunt viginti septem; eo quod in hos numero omnis harmonia et consonantia consistat. Tot enim fere Æones confinxit Valentinus, nimirum triginta. Hisce omnibus Apostolus opponit et anteponit nomen Christi.

Error et insania Valentini de triginta Æonibus.

Tropologice, vide Chrysostomum, *homil.* 3 in morali, quam per Christum supra omnes angelos exaltati sint homines, quamque turpe sit, ac, cum membra sint Christi, subdere ventri, iræ, dæmoni; quamque digne ad sacram communionem se comparare debeant, ut adeo sublimato Christi corpori unlantur.

QUOD NOMINATUR NON SOLUM IN HOC SECULO, SED ETIAM IN FUTURO. — Hinc discimus, nomina quædam, gradus et distinctiones angelorum et spiritum cœlestium nobis hic esse incognita, quæ in cœlo revelabuntur, ait Theophylactus.

22. OMNIA SUBJECIT SUB PEDIBUS EJUS. — Hinc patet angelos subjectos esse Christo homini, et Christum, ut homo est, regem esse ac dominum cœli et terræ, hominum et angelorum. Ita Chrysostomus et Theophylactus.

ET IPSUM DEDIT CAPUT SUPRA OMNEM ECCLESIAM. Græca, δοὺς αὐτὸν τῇ ἐκκλησίᾳ, *super omnia ipsi Ecclesiæ*, id est, Christum dedit caput Ecclesiæ, qui est super omnia visibilia et invisibilia præsidens et dominans. Ita Hieronymus, Chrysostomus et Theophylactus, unde Syrus vertit, *ipsum qui est super omnia, dedit caput Ecclesiæ*. Hinc rursum exclamat Chrysostomus : « Papæ! quo rursus et ipsam Ecclesiam (imo consequenter unum hominem sanctum, qui est quasi unus culex et pulex, ut alibi ait Chrysostomus) evexit? Quasi quadam machina trahens in magnam ipsam sublimitatem sustulit, inque ipsius cœlestem thronum sedere fecit : nam ubi est caput, ibi est et corpus, supra omnia visibilia et invisibilia, » etc. Sed Latina Biblia passim, etiam Romana legunt, *et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam*, angelorum scilicet et hominum, militantem et triumphantem. Ita S. Augustinus et alii.

Christus, qua homo, est caput angelorum et totius Ecclesiæ militantis et triumphantis.

Putant aliqui Christum, qua homo est, caput esse hominum; qua Deus est, esse caput angelorum : sed ex hoc loco recte colligunt Doctores, Christum etiam ut homo est, caput esse angelorum, sicut et hominum, quia ex angelis et hominibus una Ecclesia, et una quasi respublica constituitur. Nam de Christo non qua Deus, sed qua homo est et redemptor, agit Apostolus hoc capite; est ergo Christus ut homo, angelorum caput, quia ut homo angelis præest et præest.

Secundo, quia, ut multi volunt, Christus ut homo, angelis gratiam et gloriam meruit : nam D. Thomas, Albertus, Ruardus, Arboreus et alii quos citat et sequitur Suarez, III *part.*, disp. XLII, sect. 1, Gregorius de Valentia et alii docent probabiliter Christum esse causam gratiæ non tantum hominum, sed et angelorum, eamque triplicem, scilicet finalem, exemplarem et meritoriam; ac consequenter angelos, per fidem Christi, id est in Christum mediatorem, sanctificatos et gloriam adeptos esse : eos vero, qui Christo homini hanc mediatoris dignitatem superbe inviderunt, sibique arrogare voluerunt, factos esse dæmones, et hoc fuisse peccatum Luciferi, quod scilicet Christi mediatoris officium ambiverit : non enim potuit divinitatem in se sibi appetere Lucifer; hoc enim scibat fieri non posse, imo involvere contradictionem, ut scilicet creatura in creatorem, Lucifer in Deum transmutetur.

An Christus fuerit causa gratiæ et gloriæ, non tantum hominibus, sed et angelis?

Prior pars affirmativa, Christum amnisse angelis gratiam.

Probant hanc sententiam ex hoc loco : « Dedit, inquit, eum caput supra omnem Ecclesiam; » caput enim in sua membra influit; unde subdit : « Quæ, » scilicet Ecclesia, « est corpus ipsius, et plenitudo ejus, qui omnia in omnibus (membris suis, ergo et in angelis) adimpletur, » et adimplet. Et vers. 10 dixit in Christo instaurata esse « omnia quæ in cœlis sunt et quæ in terra, » quia scilicet sicut Christus Adamum et hominibus lapsos instauravit, ita et dæmonibus labentibus, eorum lapsum per angelorum gratiam et perseverantiam instauravit et complevit.

Secundo, quia hæc dignitas Christum, qui est unigenitus Dei Filius, decuisse videtur, et eadem opera, qua hominibus, potuit et angelis mereri.

Prolatur Christus angelis esse meritorem gratiæ.

Alii tamen graves Theologi contrarium docent, Christum scilicet solis hominibus, non autem angelis, meruisse gratiam et gloriam, eumque dici caput angelorum tantum hac ratione, quod illis emineat eorumque sit superior.

Probant *primo*, quia Scriptura et Patres docent Christum propter homines, non autem propter angelos natum et passum esse. Sed responderi posset, Christum primario ad hoc venisse, ut homines lapsos sua cruce et morte repararet, adeoque non moriturum fuisse, imo nec nasciturum, nisi peccasset Adam, quam sua morte redimeret : posito tamen quod propter hominem venturus erat Christus, Deum voluisse ut merita ipsius etiam ad angelos se extenderent : id enim nihil tollit de misericordia Dei in homines lapsos, et maxime decebat Christum Deo hypostatice unitum, qui tam angelorum, quam hominum rex erat et caput. Et sic responderi posset ad locum Apostoli *ad Hebr.* II, 11 : « Qui sanctificat, » scilicet Christus, « et qui sanctificantur, » scilicet a peccato, puta homines lapsi (de his enim agit : nam vox *enim* dat causam, cur, ut dixit vers.

Deus potuit intendere gratiam angelorum propter Christum.

præced., propter eos Christus debuerit consummari, id est, mori in cruce), « ex uno, » scilicet Adamo, « omnes » prognati sunt. Inde non sequitur : Angeli non sunt prognati ab Adamo : ergo non sunt sanctificati, id est, primam suam gratiam non acceperunt a Christo.

Probant *secundo*, quia angelus prius est creatus et gratiam accepit, quam homo aut crearetur, aut peccaret : Christus autem non venisset, nisi peccasset homo; ergo prius decrevit Deus dare gratiam angelo, quam Christum incarnari.

Responderi rursum potest, negando consequentiam; licet enim in executione prius dederit Deus gratiam angelo, quam Adæ aut Christo, in Dei tamen præordinatione et decreto omnia hæc facta sunt unico divinæ voluntatis actu, quo totum hunc rerum ordinem, qui de facto exstitit, simul et semel elegit et instituit, cum multa contradependentia per præscientiam conditionatam; ut v. g., decerneret in hoc rerum ordine non creare angelos, nec Adam, nec permittere eum labi, nisi simul prævidens et præordinans Christum, qui ejus lapsum repararet, et qui consequeretur sua merita et gloriam ad angelos extenderet : quia decrevit totum hunc rerum ordinem instituere propter Christum, eumque primo intendit, et ad eum cætera ordinavit, quia in Christo statuerat maxime ostendere suam potentiam et gloriam : sed hæc quæstio exactius alibi discutienda est.

Contradependentia angelorum; Adami et Christi.

Vers. 23. PLENITUDO EJUS, — πλήρωμα, id est, *complementum*, q. d. Ecclesia, tanquam corpus, est complementum Christi tanquam sui capitis : caput enim corpore completur et perficitur; cum enim caput habet omnia corporis membra, ita ut nullum desit, tunc completum plane est et dicitur. Ita S. Chrysostomus, Ambrosius, Œcumenius, D. Thomas, Anselmus.

Amor Christi in Ecclesiam.

Nota hic utriusque et mutuum Christi in Ecclesiam : licet enim in se plenissimus sit et perfectissimus, tamen mancum se, et quasi membris mutilum caput esse putat, nisi habeat Ecclesiam instar corporis sibi adjunctum. Hinc Christus aliquando vocatur tota Ecclesia, ut dixi 1 Cor. XII, 12. Hinc toties dicitur nos esse, nos crescere, nos agere, nos pati in Christo. Hinc Apostolus dit Christum in se, atque in Christo vivere. Hinc illa Christi vox : « Saule, Saule, quid me persequeris? » Vide *Coloss.* I, 24. Hinc omnis spes et consolatio nostra.

QUI OMNIA IN OMNIBUS ADIMPLETUR. — Est græcismus : *omnia*, id est, quod omnia, intelligitur enim ἅπαντα. Sensus est primo, Christus in præsenti vita completur omnibus suis membris : singuli enim fideles conferunt ad Christi complementum : completur, inquam, quoad omnia, id est, quoad omnes gratias, virtutes; non quod singuli habeant omnes, sed quod singuli singulas, ita ut simul collecti habeant omnes : nam in hoc excellit charitas, in illo patientia, in isto castitas, et sic singuli singularum virtutum excellentiam et plenitudinem ipsi Ecclesiæ, quæ corpus est Christi, ac consequenter ipsi Christo, conferunt. Ita Hieronymus, Chrysostomus, Anselmus. « Sicut, ait Hieronymus, adimpletur imperator, si quotidie ejus augeatur exercitus, et fiant novæ provinciæ : ita et Christus; » et Theophylactus : « Christus, ait, quoad manum, impletur in homine misericorde; quoad pedum, in eo, qui Christi amore peregrinatur, vel visitat ægros; quoad linguam, in doctore, » sicque Christus in omnibus proficit sapientia, gratia et omni virtute, ait Hieronymus.

Christus in Ecclesia proficit et perficitur.

Secundo, in futura vita Christus omni gloria et omnibus suis electis membris implebitur. Ita Hieronymus et Theodoretus.

Potest *hæc* verti cum Valablo et Erasmo, *qui omnia in omnibus implet* : Græcum enim πληρουμένου est voris mediæ, unde tam active quam passive verti potest. Implet ergo Christus omnia in omnibus, quia scilicet facit ut omnes et singuli omnibus virtutibus proficiant et impleantur. Ita Hieronymus (1).

Secundo, quia, ut Chrysostomus in morali, implet Christus omnes Eucharistia et semetipso, in quo sunt omnes gratiæ; ipse enim est fons gratiarum. Sed prior sensus est genuinus, q. d. Christus non indiget hoc supplemento corporis Ecclesiæ, ut qui omnia in omnibus impleat; sed amoris est, quod sibi tam arcte Ecclesiam uniat.

Christus non indiget plenitudine ecclesiæ, sed illam implet et replet Dei gratiis.

Nota : Christus per se non omnia complevit, sed Apostolis aliisque verbi Dei præconibus multa complenda reliquit, procurationem nimirum salutis omnium hominum, ut Christus omnibus suis electis quasi membris compleatur. Qui ergo saluti animarum incumbunt, quot animas Christo lucrifaciunt, tot membris Christi corpus, Christumque perficiunt et complent. Quæ sane magna est dignitas, magnus stimulus, ut singuli totos se conversioni animarum impendant, easque Christo inserant, complendoque Christi corpus ea parte adhuc mancum. Sic *Coloss.* I, 24, dicit : « Adimplco ea, quæ desunt passionum Christi, in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia. » Patiendo ergo et laborando pro salute proximorum, passiones et labores Christi, ipsumque Christi corpus, et Christum ipsum adimplemus.

(1) Rosenmullerus sic vertit : *Quæ* (Ecclesia) *est corpus ejus* (ab ipso regitur, sicut corpus a capite), *cœtus* (κλῆσις, id est κλητῶν, scilicet fidelium) *numerosus illius* (Christi), *qui omnes homines* (πάντα, neutrum pro masculino) *omnibus* (scilicet bonis) *replet.*

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo docet, Gentiles peccatis mortuos per Christum vivificatos esse, non merito operum, sed gratis per fidem Dei, qui in Christo nos denuo quodammodo creavit ad opera bona peragenda.

Secundo, vers. 11, *ostendit, quo? Christus Gentes, quæ prius alienæ erant a Deo Deique promissionibus, Judæis in una Ecclesia sibi et Deo conjunxerit.*

Inde tertio, vers. 19, *concludit, nos jam non esse hospites et advenas; sed esse cives Sanctorum, et domesticos Dei, atque in Ecclesia superædificatos esse supra fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu.*

1. Et vos, cum essetis mortui delictis et peccatis vestris, 2. in quibus aliquando ambulastis secundum sæculum mundi hujus, secundum principem potestatis aeris hujus, spiritus, qui nunc operatur in filios diffidentiæ, 3. in quibus et nos omnes aliquando conversati sumus, in desideriis carnis nostræ, facientes voluntatem carnis et cogitationum, et eramus natura filii iræ, sicut et cæteri : 4. Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, 5. et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo (cujus gratia estis salvati), 6. et conresuscitavit, et consedere fecit in cœlestibus in Christo Jesu : 7. ut ostenderet in sæculis supervenientibus abundantes divitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Jesu. 8. Gratia enim estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis : Dei enim donum est; 9. non ex operibus, ut ne quis glorietur. 10. Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus. 11. Propter quod memores estote, quod aliquando vos Gentes in carne, qui dicimini præputium ab ea, quæ dicitur circumcisio in carne, manu facta : 12. quia eratis illo in tempore sine Christo, alienati a conversatione Israel, et hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, et sine Deo in hoc mundo. 13. Nunc autem in Christo Jesu vos, qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi. 14. Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, et medium parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne sua : 15. legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem, 16. et reconciliet ambos in uno corpore, Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso. 17. Et veniens evangelizavit pacem vobis, qui longe fuistis, et pacem iis qui prope. 18. Quoniam per ipsum habemus accessum ambo in uno Spiritu ad Patrem. 19. Ergo jam non estis hospites, et advenæ : sed estis cives sanctorum, et domestici Dei : 20. superædificati super fundamentum Apostolorum, et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu : 21. in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, 22. in quo et vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu.

1. ET VOS, CUM ESSETIS MORTUI DELICTIS ET PECCATIS VESTRIS. — Supple, « convivificavit Christo, conresuscitavit, et consedere fecit in cœlestibus, » ut dixit v. 5 et 6; ibi enim post longam parenthesin (qua de more digreditur et abripitur Paulus vi spiritus et copia rerum, ut dixi *Can.* 38) regreditur et explet sententiam vers. 1 inchoatam, mutata tamen persona secunda in primam; pro vos enim dicit nos (1).

Nota : Pendet hic locus totus a cap. præced.; quia enim ibi vers. 19 dixerat potentiam, quam Deus in Ephesiorum a gentilismo ad christianismum conversione ostendit, esse similem illi potentiæ, qua Christum suscitavit a mortuis, et constituit ad dexteram suam : hinc hoc loco idipsum arctissime cohæret, nec debebat divelli hoc caput a præcedenti, ut sensus sit : Qui (Christus, vel Deus) sicut omnes alios beneficiis cumulat, sic etiam vos, qui, etc.

(1) Juxta Rosenmullerum, vs *et vos* cum præcedentibus

præced., propter eos Christus debuerit consummari, id est, mori in cruce), « ex uno, » scilicet Adamo, « omnes » prognati sunt. Inde non sequitur : Angeli non sunt prognati ab Adamo : ergo non sunt sanctificati, id est, primam suam gratiam non acceperunt a Christo.

Probant *secundo*, quia angelus prius est creatus et gratiam accepit, quam homo aut crearetur, aut peccaret : Christus autem non venisset, nisi peccasset homo; ergo prius decrevit Deus dare gratiam angelo, quam Christum incarnari.

Responderi rursum potest, negando consequentiam; licet enim in executione prius dederit Deus gratiam angelo, quam Adæ aut Christo, in Dei tamen præordinatione et decreto omnia hæc facta sunt unico divinæ voluntatis actu, quo totum hunc rerum ordinem, qui de facto exstitit, simul et semel elegit et instituit, cum multa contradependentia per præscientiam conditionatam; ut v. g., decerneret in hoc rerum ordine non creare angelos, nec Adam, nec permittere eum labi, nisi simul prævidens et præordinans Christum, qui ejus lapsum repararet, et qui consequeretur sua merita et gloriam ad angelos extenderet : quia decrevit totum hunc rerum ordinem instituere propter Christum, eumque primo intendit, et ad eum cætera ordinavit, quia in Christo statuerat maxime ostendere suam potentiam et gloriam : sed hæc quæstio exactius alibi discutienda est.

Contradependentia angelorum; Adami et Christi.

Vers. 23. PLENITUDO EJUS, — πλήρωμα, id est, *complementum*, q. d. Ecclesia, tanquam corpus, est complementum Christi tanquam sui capitis : caput enim corpore completur et perficitur; cum enim caput habet omnia corporis membra, ita ut nullum desit, tunc completum plane est et dicitur. Ita S. Chrysostomus, Ambrosius, Œcumenius, D. Thomas, Anselmus.

Amor Christi in Ecclesiam.

Nota hic utriusque et mutuum Christi in Ecclesiam : licet enim in se plenissimus sit et perfectissimus, tamen mancum se, et quasi membris mutilum caput esse putat, nisi habeat Ecclesiam instar corporis sibi adjunctum. Hinc Christus aliquando vocatur tota Ecclesia, ut dixi 1 Cor. XII, 12. Hinc toties dicitur nos esse, nos crescere, nos agere, nos pati in Christo. Hinc Apostolus dit Christum in se, atque in Christo vivere. Hinc illa Christi vox : « Saule, Saule, quid me persequeris? » Vide *Coloss.* I, 24. Hinc omnis spes et consolatio nostra.

QUI OMNIA IN OMNIBUS ADIMPLETUR. — Est græcismus : *omnia*, id est, quod omnia, intelligitur enim ἅπαντα. Sensus est primo, Christus in præsenti vita completur omnibus suis membris : singuli enim fideles conferunt ad Christi complementum : completur, inquam, quoad omnia, id est, quoad omnes gratias, virtutes; non quod singuli habeant omnes, sed quod singuli singulas, ita ut simul collecti habeant omnes : nam in hoc excellit charitas, in illo patientia, in isto castitas, et sic singuli singularum virtutum excellentiam et plenitudinem ipsi Ecclesiæ, quæ corpus est Christi, ac consequenter ipsi Christo, conferunt. Ita Hieronymus, Chrysostomus, Anselmus. « Sicut, ait Hieronymus, adimpletur imperator, si quotidie ejus augeatur exercitus, et fiant novæ provinciæ : ita et Christus; » et Theophylactus : « Christus, ait, quoad manum, impletur in homine misericorde; quoad pedum, in eo, qui Christi amore peregrinatur, vel visitat ægros; quoad linguam, in doctore, » sicque Christus in omnibus proficit sapientia, gratia et omni virtute, ait Hieronymus.

Christus in Ecclesia proficit et perficitur.

Secundo, in futura vita Christus omni gloria et omnibus suis electis membris implebitur. Ita Hieronymus et Theodoretus.

Potest *hæc* verti cum Valablo et Erasmo, *qui omnia in omnibus implet* : Græcum enim πληρουμένου est voris mediæ, unde tam active quam passive verti potest. Implet ergo Christus omnia in omnibus, quia scilicet facit ut omnes et singuli omnibus virtutibus proficiant et impleantur. Ita Hieronymus (1).

Secundo, quia, ut Chrysostomus in morali, implet Christus omnes Eucharistia et semetipso, in quo sunt omnes gratiæ; ipse enim est fons gratiarum. Sed prior sensus est genuinus, q. d. Christus non indiget hoc supplemento corporis Ecclesiæ, ut qui omnia in omnibus impleat; sed amoris est, quod sibi tam arcte Ecclesiam uniat.

Christus non indiget plenitudine ecclesiæ, sed illam implet et replet Dei gratiis.

Nota : Christus per se non omnia complevit, sed Apostolis aliisque verbi Dei præconibus multa complenda reliquit, procurationem nimirum salutis omnium hominum, ut Christus omnibus suis electis quasi membris compleatur. Qui ergo saluti animarum incumbunt, quot animas Christo lucrifaciunt, tot membris Christi corpus, Christumque perficiunt et complent. Quæ sane magna est dignitas, magnus stimulus, ut singuli totos se conversioni animarum impendant, easque Christo inserant, complendoque Christi corpus ea parte adhuc mancum. Sic *Coloss.* I, 24, dicit : « Adimplco ea, quæ desunt passionum Christi, in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia. » Patiendo ergo et laborando pro salute proximorum, passiones et labores Christi, ipsumque Christi corpus, et Christum ipsum adimplemus.

(1) Rosenmullerus sic vertit : *Quæ* (Ecclesia) *est corpus ejus* (ab ipso regitur, sicut corpus a capite), *cœtus* (κλῆσις, id est κλητῶν, scilicet fidelium) *numerosus illius* (Christi), *qui omnes homines* (πάντα, neutrum pro masculino) *omnibus* (scilicet bonis) *replet.*

CAPUT SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo docet, Gentiles peccatis mortuos per Christum vivificatos esse, non merito operum, sed gratis per fidem Dei, qui in Christo nos denuo quodammodo creavit ad opera bona peragenda.

Secundo, vers. 11, *ostendit, quo? Christus Gentes, quæ prius alienæ erant a Deo Deique promissionibus, Judæis in una Ecclesia sibi et Deo conjunxerit.*

Inde tertio, vers. 19, *concludit, nos jam non esse hospites et advenas; sed esse cives Sanctorum, et domesticos Dei, atque in Ecclesia superædificatos esse supra fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu.*

1. Et vos, cum essetis mortui delictis et peccatis vestris, 2. in quibus aliquando ambulastis secundum sæculum mundi hujus, secundum principem potestatis aeris hujus, spiritus, qui nunc operatur in filios diffidentiæ, 3. in quibus et nos omnes aliquando conversati sumus, in desideriis carnis nostræ, facientes voluntatem carnis et cogitationum, et eramus natura filii iræ, sicut et cæteri : 4. Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, 5. et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo (cujus gratia estis salvati), 6. et conresuscitavit, et consedere fecit in cœlestibus in Christo Jesu : 7. ut ostenderet in sæculis supervenientibus abundantes divitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Jesu. 8. Gratia enim estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis : Dei enim donum est; 9. non ex operibus, ut ne quis glorietur. 10. Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus. 11. Propter quod memores estote, quod aliquando vos Gentes in carne, qui dicimini præputium ab ea, quæ dicitur circumcisio in carne, manu facta : 12. quia eratis illo in tempore sine Christo, alienati a conversatione Israel, et hospites testamentorum, promissionis spem non habentes, et sine Deo in hoc mundo. 13. Nunc autem in Christo Jesu vos, qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi. 14. Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, et medium parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne sua : 15. legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem, 16. et reconciliet ambos in uno corpore, Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso. 17. Et veniens evangelizavit pacem vobis, qui longe fuistis, et pacem iis qui prope. 18. Quoniam per ipsum habemus accessum ambo in uno Spiritu ad Patrem. 19. Ergo jam non estis hospites, et advenæ : sed estis cives sanctorum, et domestici Dei : 20. superædificati super fundamentum Apostolorum, et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu : 21. in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, 22. in quo et vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu.

1. ET VOS, CUM ESSETIS MORTUI DELICTIS ET PECCATIS VESTRIS. — Supple, « convivificavit Christo, conresuscitavit, et consedere fecit in cœlestibus, » ut dixit v. 5 et 6; ibi enim post longam parenthesin (qua de more digreditur et abripitur Paulus vi spiritus et copia rerum, ut dixi *Can.* 38) regreditur et explet sententiam vers. 1 inchoatam, mutata tamen persona secunda in primam; pro vos enim dicit nos (1).

Nota : Pendet hic locus totus a cap. præced.; quia enim ibi vers. 19 dixerat potentiam, quam Deus in Ephesiorum a gentilismo ad christianismum conversione ostendit, esse similem illi potentiæ, qua Christum suscitavit a mortuis, et constituit ad dexteram suam : hinc hoc loco idipsum arctissime cohæret, nec debebat divelli hoc caput a præcedenti, ut sensus sit : Qui (Christus, vel Deus) sicut omnes alios beneficiis cumulat, sic etiam vos, qui, etc.

(1) Juxta Rosenmullerum, vs *et vos* cum præcedentibus

declarat, dicens ipsos per hanc conversionem cum Christo resurrexisse, et cum eo collocatos esse ad dexteram Patris in cœlo.

CUM ESSETIS MORTUI (privati vita gratiæ) DELICTIS ET PECCATIS VESTRIS, — per delicta et peccata vestra. Ita Hieronymus.

Quæres, quomodo distinguantur delicta et peccata.

Respondet S. Hieronymus, delicta esse peccata in cogitatione inchoata; peccata esse, cum opere consummantur. Verum Apostolus in lege versatus omnino ad eam respexit; in lege enim *Levit.* VII, 7 et 37, distinguitur delictum a peccato, et hostia pro delicto ab hostia pro peccato. Ubi Rabbini Judæorum Hebræum חטאת *chattat*, quod Septuaginta ἁμαρτίαν, *Noster peccatum* vertit, explicant esse illud, quod committitur contra præcepta legis affirmativa, quæ ipsi tot numerant, quot sunt ossa in corpore humano, nempe 248; אשם *ascam* vero, quod Septuaginta παράπτωμα id est erratum, Noster *delictum* vertit, esse illud quod committitur contra præcepta negativa, quæ ipsi numerant tot, quot sunt dies in anno, videlicet trecenta sexaginta quinque.

Peccati et delicti discrimen triplex ex Hebræis et Patribus.

Secundo, contrarie S. Augustinus, Quæst. XX in *Levit.*, Lyranus, Abulensis et alii per « peccatum » intelligunt culpam commissionis; per « delictum, » omissionis.

Sed verius videtur, « peccatum, » cum a delicto distinguitur (sæpe enim confunduntur, ut patet *Levit.* V, 5 et 6), esse id, quod scienter contra legem committitur; « delictum, » quod ignoranter vel per oblivionem, præsertim juris et præcepti. Ita ex Procopio et S. Hieronymo Ribera, lib. IV *De Templo*, cap. V. Et probatur, quia pro *delicto* Septuaginta vertunt, ἀγνοήματα, id est *erratum*, et ἄγνοιαν, id est *ignorantiam*. *Secundo*, quia ita vertit Noster *Levit.* cap. V, vers. ultim.: « Quia per errorem deliquit Domino, » ubi hebraice est שגג *ascam*, id est delictum. *Tertio*, id patet *Psal.* XVIII, 13: » Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me. » Ecce delicta dicit non intelligi, non cognosci, esseque occulta, quasi scilicet per ignorantiam vel oblivionem commissa sint. Et *Psal.* LXVIII, 6: « Deus, tu scis insipientiam meam, et delicta mea a te non sunt abscondita. » Ergo delicta sunt, quæ per insipientiam, id est imprudentiam et inadvertentiam, commissa, nobis, sed non Deo, sunt abscondita. Et hoc innuit Græcum παράπτωμα, quo Apostolus hic utitur, quod Noster *delictum* vertit: Græcum enim παρὰ significat *præter*, cum scilicet quis præter mentem, obiter, inadvertenter impingit, labitur et delinquit. Contra S. Jacobus, cap. IV, vers. 17, « peccatum » vocat quod scienter committitur: « Scienti, inquid, bonum facere, et non facienti, peccatum est illi. »

2. IN QUIBUS ALIQUANDO AMBULASTIS, — conversati estis, ut explicat vers. sequent.; ambulatio enim significat peccati iterationem et consuetudinem. Unde subdit:

SECUNDUM SÆCULUM MUNDI HUJUS, — id est, secundum consuetudinem sæcularium, qui sæculariter et mundane vivunt in hoc mundo.

SECUNDUM PRINCIPEM POTESTATIS AERIS HUJUS. — *q. d.* Secundum voluntatem et impulsum principis, qui potestatem suam exercet in hoc aere; vel potius, qui est princeps potestatis, id est dæmonum, qui dicuntur *potestas*, quia potestatem exercent in hoc aere; potestas enim, uti est nomen ordinis angelorum, qui potestatem exercent in terra, ita est et dæmonum, qui eamdem, quam habuerunt cum essent angeli, retinent jam facti dæmones, sed in malum, ut hominibus noceant. Id patet cap. I, vers. 21; et cap. VI, vers. 12; *Coloss.* I, 16.

Quis ille princeps aeris?

Nota: Hic princeps est Lucifer, vel alius dæmon, qui sub eo præest potestatibus, id est, dæmonibus qui in hoc aere dominantur.

Secundo, dicitur « potestas aeris, » qui in aere miscet ventos, tonitru, fulgura et tempestates, quibus frugibus, bestiis et hominibus nocet; vel potius, quia in aere, id est in mundo hoc (ut sit synecdoche) inter homines potestatem suam exercet, eos tentando, vexando, et quoquo modo nocendo. Ita D. Thomas. Unde Patres docent aerem hunc usque ad diem judicii plenum esse dæmonibus, qui homines exerceant, ut boni probentur et perficiantur, mali indurentur, et cum dæmonibus in die judicii ad communem damnationem in tartara detrudantur. Præclare S. Augustinus in *Sententiis*, num. 150: « Cum homo, ait, secundum se vivit, non secundum Deum, similis est diabolo: quia nec angelo secundum angelum, sed secundum Deum vivendum fuit, ut staret in veritate, et veritatem de illius, non de suo mendacium loqueretur. Unde non frustra dicitur, omne peccatum esse mendacium: quia non peccatur nisi ea voluntate, quæ contraria est veritati, id est Deo. »

Aer usque ad diem judicii plenus dæmonibus.

SPIRITUS. — Græce est πνεύματος, id est, *spiritus* in genitivo, quem aliqui per appositionem, ut aer cohæreat cum spiritu, sic explicant: « Secundum principem potestatis aeris, » qui scilicet aer, est spiritus. Sed obstat quod sequitur: « Qui operatur in filios diffidentiæ; » nec enim aer in eos operatur.

Quinta-plex sedes malitiæ ordinata.

Secundo, Erasmus sic ordinat: « Secundum principem cujus potestas est et aeris et spiritus, » id est, et in aera, et etiam in spiritum, « qui operatur in filios diffidentiæ. »

Tertio, Adamus refert ad *aeris*, *q. d.* Secundum principem aeris hujus, in quo degunt spiritus, id est dæmones: princeps enim hic in aere quasi in spiritu spiritus versatur, ait Theophylactus.

Quarto, Vatablus refert ad *principem*, *q. d.* Secundum principem spiritus, id est spirituum, puta dæmonum. Sed hi omnes supplere debent copulam *et*, vel aliquid simile.

Quinto ergo, plane et simpliciter, per appositionem et epexegesim, *spiritus* refertur ad *potestatis*: explicat enim quid sit potestas aeris, nimirum dicit eam esse spiritum, « qui operatur in filios diffidentiæ, » id est, esse spiritus (est enallage numeri; singularis enim ponitur pro plurali), puta esse dæmones, « qui, » quasi spiritus maligno suo impulsu et afflatu « operantur, » id est vim, energiam (græce enim est ἐνεργοῦντος) et malignitatem suam exercent (incitando scilicet, et impellendo ad gulam, crapulam, fornicationem, superbiam, vindictam, hæresim, omniaque scelera) « in filios diffidentiæ, » græce ἐν τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπειθείας, quod clarius vertas, *in filios incredulitatis*, impersuasibilitatis et inobedientiæ; id est incredulos, indociles, rebelles. Ita Syrus; ἀπείθεια enim est insuasibilitas, cum quis est intractabilis, contumax, non vult regi disciplina, sed pro arbitratu fertur quo lubet. Unde S. Basilius: aut potius ejus interpres in *Reg. brev.*, Reg. 268, vertit *filios contumaciæ*, hic est, inquit, qui opera quæ contumaciæ sunt exercent, aut qui faciunt voluntatem et opera diaboli: hic enim est contumacium princeps et pater, ut jure vocari possit ipsa contumacia. Ceterum iden sunt filius contumaciæ et filius iræ. Nam Christus ait: « Qui contumax est in Filium, non videbit vitam æternam, sed ira Dei manet super eum. » hucusque S. Basilius. Noster vertit *diffidentiæ*, quia tales Deo non fidunt, id est non credunt, practice scilicet, hoc est, non obediunt: qui enim credit dicenti, facile illi obedit, illique fidit, et ab eo se regi patitur. Hinc *credere* in Scriptura per metalepsin sæpe significat obedire, ut *Psalm.* CXVIII, 66, ac consequenter *non credere* significat non obedire. Potest *secundo*, proprie sumi diffidentia, quia tales ob inobedientiam et vitia sua, Deo salutique diffidunt, deque ea desperant.

Quinam sint filii diffidentiæ?

Nota: VOX *filius*, cum jungitur genitivo vitii aut virtutis, significat debitum vitio aut virtuti: sic dicitur filius inobedientiæ, id est addictus, deditus inobedientiæ, ut ex ea quasi prognatus, eamque quasi proles matrem imitari videatur, id est, plane inobediens et rebellis. Cum vero *filius* jungitur genitivo pœnæ, vel præmii, idem est, quod dignus: ut filius mortis, filius gehennæ, filius resurrectionis, id est, dignus morte, gehenna, resurrectione.

3. IN QUIBUS (inter quos) ET NOS OMNES ALIQUANDO CONVERSATI SUMUS.

FACIENTES VOLUNTATEM CARNIS. — Græce θελήματα, id est *voluntates*, *q. d.* Explentes appetitus et desideria concupiscentiæ, sive ea quæ carni, id est concupiscentiæ carnali, cogitationi et phantasiæ libebant, quæque concupiscentia volebat, id est appetebat.

Caro concupiscentiam carnalem

Nota: « Voluntas » hic appetitum significat, non rationalem tantum, sed et sensualem, animalem, carnalem et brutalem; caro enim, id est concupiscentia, tam in rationali, quam in animali appetitu residet, ut dixi *Galat.* V, 17.

Nota *secundo*: Pro *cogitationum* græce est διανοιῶν, quod Ambrosius vertit, *consiliorum*; S. Hieronymus, *mentium*: quia, inquit, alia sunt peccata carnis, ut gula, libido; alia mentium, ut hæresis, sectæ, invidiæ, etc. Sed simplicius accipiemus carnem pro concupiscentia qualibet, sive carnali, sive mentali; cogitationes pro ipsa imaginatione, quæ varias concupiscentiæ species et modos imaginatur, concipit, effingit: nam qui concupiscunt, perinde ut qui amant, sibi somnia fingunt.

Et mentalem significat.

ET ERAMUS NATURA FILII IRÆ. — Quia, inquit, illyricus, peccatum originale, quod nos facit filios iræ, non est accidens, sed forma, substantia et natura nostra. Sed hoc tam stolidum est, et contra Aristotelem omnesque Philosophos, quam impium: si enim peccatum Adæ est substantia, ergo cum omnis substantia a Deo creata sit, sequetur, peccatum a Deo eoque solo esse creatum, et Adæ posterisque inditum.

Illyrici error, ex hoc loco asserens peccatum originale esse substantiam, rebelliter trifidi hujus loci expositioni.

Dico ergo: « eramus filii iræ natura, » non in se et sua substantia, uti a Deo est condita, sed in sua naturali qualitate et conditione, uti per Adam et peccatum originale corrupta est: tunc enim vitium pro natura inolevit, ait S. Augustinus. *Secundo*, « natura, » id est a nativitate, et ab orta naturæ: ita Chrysostomus, D. Thomas. *Tertio*, « natura, » id est naturali ingenio, indole, proclivitate, qua a puero quasi naturaliter sumus in mala proclives. Ita Hieronymus. Græcum enim φύσει, *primo*, naturam; *secundo*, nascentiam, ortum, generationem; *tertio*, naturalem indolem et propensionem significat. Hinc *quarto*, adverbialiter, τῇ φύσει, id est *natura*, idem est quod *plane omnino* per metalepsin; quod enim natura est tale, hoc plane et omnino est tale. Hinc vice versa quod omnino est tale, natura dicitur esse tale: sicque homo totus addictus ebrietati, dicitur natura sua, id est omnino, esse ebriosus. Dicit ergo Paulus: « Eramus natura, » id est, ex naturæ nostræ corruptione et propensione, ita carni et concupiscentiis eramus dediti, ut « natura, » id est omnino, essemus peccatores et filii iræ. Ita Hieronymus, Syrus et alii. Hic plenus est Apostoli sensus: nec enim tantum spectat corruptionem naturæ in Adamo, sed etiam et multo magis quod ex ea secutum est, scilicet ut singuli ex Adamo nati, carni et peccatis serviant toti quasi naturaliter, itaque sint filii iræ, donec Christi gratia liberentur et reformentur: agit enim de peccatis actualibus, ut patet ex præcedentibus.

Quadruplex significatio vocis φύσει.

FILII IRÆ, — id est, digni et obnoxii iræ ac vindictæ Dei. Vide dicta in fine vers. 2; sic enim dicitur filius mortis, id est dignus morte.

Ubi nota prosopopœiam Hebraeam: mors enim quasi mater, peccatorem talem, qui dignus est morte, fingitur genuisse ad mortem, ut seipsam illi communicet, illique mortem inferat, ut mors peccatoris a morte, quasi a matre prog-

Mors est peccatoris mater.

nata; morsque illum quasi filium suum quem gignat et ducat ad mortem, amplecti videatur. Aliter Chrysostomus et Theophylactus, « Eramus filii iræ, » id est eramus ipsa Dei ira, et nihil aliud: sic enim filius hominis non est alius quam homo. Alii *tertio*, apud Hieronymum, « filii iræ, » id est diaboli, qui dicitur mors et ira ob feritatem, quam in homines exercet. Sed primus sensus simplicissimus est, et optime respondet idiotismo Hebræorum.

Pulchre S. Bernardus, serm. 1 *De Purificatione B. Mariæ*: « Eramus, inquit, et nos filii iræ; cujus iræ filii? nempe filii ignorantiæ, ignaviæ, captivitatis. Ignorantia mulieris seductæ excæcaverat nos; mollities viri abstracti et illecti a propria concupiscentia enervaverat nos; malitia diaboli expositos juste a Deo captivaverat nos. Sic ergo nascimur universi primum quidem vitæ civitatis habitaculi prorsus ignari; deinde imbecilles et ignavi, ut, etsi nota nobis esset via vitæ, propria tamen præpediremur et detineremur inertia; postremo captivi sub pessimo crudelissimoque tyranno, ut, licet prodantes essemus atque robusti, ipsa tamen miseræ servitutis opprimeremur conditione. »

PROPTER NIMIAM CHARITATEM. — Græca ἀπὸ τῆς πολλῆς, *propter multam charitatem*; et ita legit Hieronymus et Ambrosius, *multam*, id est magnam; per enallagen, qua quantitas discreta ponitur pro continua, id est multitudo pro magnitudine: magnam, inquam, per emphasim, id est immensam et nimiam. *Nimia* dicitur respectu hominum tam miserorum et indignorum, non respectu Dei: Deum enim, qui est ipsa bonitas increata, decet hæc immensa sui communicatio et nimia charitas in homines. Sic Agesilaus rex cum ingens donum cuidam plebeio daret, illeque ex verecundia recusaret, dicens hoc esse nimis magnum pro se: At, inquit rex, non est magnum nimis pro Agesilao.

Agesilai regis apophthegma.

Vers. 5. 5. ET CONVIVIFICAVIT NOS IN CHRISTO. — Conjunctio *et* nectit sequentia; dicit enim: « Et convivificavit, et conresuscitavit, et consedere fecit: per anadiplosin enim conduplicat *et* ad emphasim. *Secundo*, « convivificavit nos, » id est nos ad similitudinem Christi communi cum eo vita spirituali donavit. *Tertio*, « in Christo, » id est cum Christo, vel, instar Christi. Unde Græca et Latina multa tantum habent *Christo*.

6. ET CONSEDERE FECIT IN CŒLESTIBUS, — quia nos, id est carnem nostram, Christus in suo corpore cœlis invexit. Ita Chrysostomus. Verum quia loquitur Apostolus de nostra, qui per peccata mortui eramus, suscitatione et sessione, hinc *secundo*, aptius dicitur Christus nos cœlis invexisse, ibique collocasse et sedere fecisse per spem, affectum, tendentiam ad vitam cœlestem, per quam re ipsa post mortem nos cœlis invehet, et sibi consedere faciet: hoc enim præteritum, partim futurum significat: « fecit » scilicet, id est et fecit et faciet. Simili modo Prophetæ de futuris ob eorum certitudinem loquuntur in præterito, quasi jam facta essent: licet enim futura sint in re, tamen in Dei præscientia jam facta sunt. Deus ergo inchoata nos consedere fecit Christo in cœlis, quia locum et cathedram ibi jam nobis paravit, ad eamque nos sua gratia dirigit, ut certa spe locum illum præcipiamus, nobis vindicemus, quasi jam illum occuparemus, ibique sederemus; jam perfecte et proprie faciet nos consedere, cum ex hac vita transferet nos in cœlum. Ita Hieronymus. Quid ergo hic quasi talpæ, terræ et terrenis inhiamus, cum domus et sedes nobis parata sit in cœlo, ibique jam Christo quasi assideamus?

Deus per opera inchoata nos consedere fecit in cœlestibus.

Notat S. Gregorius, lib. VI *Moral.* cap. VIII, Paulum cum in carcere catena vinctus esset, ob spei tamen certitudinem et animositatem dixisse se et nos sedere cum Christo in cœlestibus. « Sancti itaque viri, inquit, foris despecti sunt, et velut indigni omnia toleraut; sed dignos se superalis sedibus confidentes, æternitatis gloriam cum certitudine exspectant; eumque laborant foris adversitate persecutionis, ad munitam recurrunt intrinsecus arcem mentis, et inde cuncta sub se fre despiciunt, inter quæ transire corporaliter etiam seipsos cernunt: minas non metuunt, quia et tormenta patiendo contemnunt. Hinc enim per Salomonem dicitur: Justus quasi leo confidit; et: Non contristabit justum quidquid acciderit ei. »

Paulus vinctus in cœlo habitans vincula despicit.

IN CHRISTO, — cum Christo. Hebræum enim ב, id est *in*, subinde valet idem quod עם *im*, id est *cum*.

7. UT OSTENDERET IN SÆCULIS SUPERVENIENTIBUS (in sequentibus temporibus) ABUNDANTES DIVITIAS (id est excellentem exuberantiam) GRATIÆ SUÆ, IN BONITATE (græce ἐν χρηστότητι, id est *per benignitatem* (supple, quam ostendit) SUPER NOS (id est, erga nos), IN CHRISTO JESU, — hoc est, per Christum Jesum. Vers. 7.

8. GRATIA ESTIS SALVATI (id est, gratis justificati estis) PER FIDEM (justitia enim est salus inchoata, sicut salus plena et perfecta, est justitia consummata: ut dixi *Rom.* XI, 5), ET HOC NON EX VOBIS. — Pronomen *hoc* demonstrat, non *vi estis salvati*, sed *vi per fidem*, q. d. Quod per fidem salvati sitis, hoc non ex vobis est, quia fides non est ex vobis, sed Dei donum est. Unde Vatablus hæc per parenthesin intercipit hoc modo: (et hoc non est ex vobis, Dei enim donum est); tunc enim sequens antithesis, « non ex operibus, » optime cohæret, ut non redundet, sed opponat opera fidei, q. d. Per fidem justificati estis, non per opera, « ut ne quis glorietur » se suis operibus adeptum esse et meruisse justitiam et salutem.

Hinc patet Apostolum hic excludere non opera fidei et quæ ex fide profluunt, uti sunt actus spei, pœnitentiæ, charitatis, etc., sed quæ sunt sine fide et fidei opponuntur, sicut natura opponitur gratiæ; id est, excludere opera facta propriis naturæ viribus, in quibus gloriabantur Philosophi et Gentiles, quasi suo marte facta et gesta. Vide *Can.* 2 et 3. Apostolus hic non excludit bona opera.

10. IPSIUS ENIM SUMUS FACTURA (†). — Græce ποίημα, id est, ut Ambrosius, *figmentum*; Vatablus, *creatura*; Erasmus, *opus*. Loquitur non de prima creatione hominis, qua creati sumus omnes in Adamo; sed de secunda, quam explicat subdens: « Creati in Christo Jesu. » Quod licet Nazianzenus apud Theophylactum sic exponat, « per Christum, qui est Verbum, » id est, per Christum non hominem, sed Deum, in Adamo creati sumus in gratia: melius tamen alii passim intelligunt Christum hominem; hic enim dicitur Jesus, q. d. Per Christum redemptorem rursum quasi creati sumus, quia in baptismo spiritu Christi regenerati et velut creati, factique sumus fratres Christi, nova creatura, filii Dei et cives Sanctorum.

Nota: Justificatio impii dicitur creatio, non physica, quia non fit ex nihilo; sed moralis, quia nullo impii merito, vel opere illi obtingit. *Secundo*, quia tota meritis Christi tribuitur, sicut creatio tota omnipotentiæ Dei attribuitur. Ita Chrysostomus. Justus ergo per novitatem vitæ, et sublimitatem gratiæ est quasi novus mundus virtutum, creatus et conditus a Christo.

Per Christum iterum creati sumus in baptismo, duas rationes.

Arguitur hic Beza: pronomen *ipsius*, cum ait Apostolus: « Ipsius factura sumus, » scilicet Dei, cæteros excludit: falluntur ergo qui naturam deum fingunt a gratia adjuvari; hinc enim discimus, inquit, opera bona in solidum Deo et gratiæ Dei deberi.

Error Bezæ et hoc loco male inducti hæretici.

Sed mirum est Bezam non advertere Apostolum loqui de justificatione: hac enim finis nova factura et creatura Dei; non autem de operibus, quæ justificationem sequuntur. Unde sicut secundum naturam sumus factura et opus Dei solius, qui nos creavit, et tamen accepta a Deo natura multa opera naturalia et moralia facimus libere tam bona, quam mala: ita prorsus in justificatione, justitiam, per quam recreamur et finus quasi nova creatura, a Deo solo infusam accipimus: ea tamen accepta per eamdem libere opera fidei, spei, charitatis et justitiæ Christianæ operamur. Adde, aliter nos creari, aliter recreari, sive renovari, per justificationem. « Qui » enim « creavit te sine te, ait S. Augustinus, non salvabit, » ac consequenter non justificabit, « te sine te: » quia scilicet liberam cooperationem et liberam dispositionem, qua ad justitiam te per actus fidei, spei et pœnitentiæ disponas, a te requirit.

Liberum nobis est exercitium bonorum.

CREATI IN CHRISTO JESU IN OPERIBUS BONIS (*in*, id est *ad* opera bona faciendi: unde sequitur) QUÆ PRÆPARAVIT DEUS, UT IN ILLIS AMBULEMUS. — Si enim Deus opera bona præparat, si in iis ambulamus: ergo Deus ea non creat in nobis, sed tantum ad ea nos destinat et dirigit, ut in iis libere nos exerceamus; hoc enim significat vox *ambulemus*. Ita Chrysostomus, Syrus, Œcumenius, imo et Beza, Vatablus et Erasmus. Hebræi enim sæpe ב *bet*, id est *in*, sumunt pro ל *lamed*, id est *ad*; sic 1 *Cor.* VII, 15: « In pace, » id est ad pacem, « vocavit nos Deus. » Similia sunt *Jacobi* IV, 1; *Coloss.* III, 23, et *Cor.* VII, 15. Et Græcum, ἐπὶ ἔργοις ἀγαθοῖς: tam *ad opera bona*, quam *in operibus bonis*, verti potest: ἐπὶ enim cum dativo sæpe significat *ad*, teste Budæo: sic Isocrates dicit, ἐπὶ δυνάμεις καλοῦσιν, id est *ad mentem rapere*; et Homerus, ἀνέρες ἐπ' ἄνθεσιν, id est *provolant ad flores*.

Notat Chrysostomus hoc addere Apostolum, ne quis ex eo quod exclusit opera a salute et justitia, addens: « Non ex operibus, » putet pariter a vita Christiana ea excludere voluisse, ut Christiano sola fides sufficiat. Dicit ergo nos creatos esse ad opera bona, q. d. Christiani facti sumus, non ut in otio, aut in carnalibus voluptatibus gulæ et libidinis vitam inertem et epicuream deinceps agamus; sed ut bonis operibus insistamus: hoc enim insinuat vox *ambulemus*, scilicet non sufficere ordiri et inchoare bona opera, sed in iis nos esse debere assiduos et continuos, ut in iis ambulemus, non per duos vel tres annos, sed per omnem vitæ nostræ viam et cursum. Hoc enim significat Græcum περιπατήσωμεν, id est *circumambulemus*, inquit Theophylactus et Chrysostomus. Qui addit in morali *homil.* 5: « Non, inquit, ut unum duntaxat, sed ut omnia operemur præcipit. Nam sicut quinque nobis sensus sunt, quibus omnibus pro rerum exigentia uti oportet, ita et omnibus utendum est virtutibus. »

A Sto non excludi opera Apostolus.

Triplicem intellige potest præparatio a Deo bonorum operum nostrorum.

QUÆ PRÆPARAVIT DEUS. — Nota: Præparat nobis Deus bona opera, cum præparat et dat nobis gratiam, tum habitualem, tum actualem, puta cum pios indit instinctus et impulsus voluntati, ac pias illuminationes intellectui: hisce enim intellectus et voluntas præparantur, flectuntur, incitantur ad bona opera capessenda; sic effectus præparantur, cum eorum causa paratur et ponitur: sic præparatur messis, cum semen in terram jacitur; præparatur bellum, cum milites arma, quibus bellum gerendum est, parant.

Unde *secundo*, per hypallagen præparat nobis Deus bona opera, id est nos ipsos, puta intellectum et voluntatem, præparat ad bona opera modis jam dictis.

Tertio, præparat nobis bona opera, cum bonos socios, præceptores, confessarios, concionatores, sancta exempla, aliaque incitamenta et occasiones bene agendi nobis objicit, v. g. dum pauperem mendicantem et languidum diviti misericordi objicit, præparat illi materiam et objectum invitans ad actum eleemosynæ. Unde Græcum εἰς περιπάτησιν, proprie verti potest, *quibus*, scilicet bonis operibus, *præparavit* Deus, supple mate-

(†) Alia affertur ratio, ut ostendat ex *gratia* nos esse justificatos. Justificatio enim nova quædam creatio est; quis autem esse iterum creare posset?

riam, occasionem, causam, vel viam, *q. d.* Deus stravit viam bonis operibus, ut in hac via bonorum operum, ac consequenter in ipsis bonis operibus ambulemus et conversemur. Aptius tamen Noster vertit, *quæ præparavit* : sicut enim via dicitur parari regi, ut in illa ambulet, ita Deus dicitur præparare nobis bona opera, ut in iis ambulemus; ipsa ergo sunt via ad cœlum, non autem operibus fit via, nisi dicas fieri viam viæ, seu ad viam; sicut enim fit via ad hortum ut in eo rex ambulet, ita Deus facit nobis viam et introitum ad bona opera, ut in iis ambulemus. Denique hæc omnia jam dicta non tam paral Deus cum in tempore ea actu et re ipsa dat et suggerit, sed etiam in mente sua præparavit ea ab æterno, cum præordinavit et prædestinavit illa enivis homini suo tempore dare et exhibere. Quam sapiens et felix est, qui has bonorum operum occasiones, vias, modos, gratias impulsusque, quos illi in dies præparat et suggerit Deus, sollicite observat, advertit, ampleetitur, exoquitur!

11. PROPTER QUOD MEMORES ESTOTE, — *q. d.* Quia tantam per Christum redemptionem et gratiam Deus vobis fecit et exhibuit, hinc hortor vos, o Ephesii, ut tota vita sitis illius memores, præsertim quod e gentilismo, idololatria omnibusque sceleribus ad hanc christianismi gratiam vos evocarit, ut illi quas potestis gratias et laudes referatis.

ERATIS GENTES IN CARNE. — Opponit « Gentes in carne, circumcisioni in carne, » id est Judæis : eum ergo constet Judæos vocari circumcisionem in carne, quia carnem, id est præputium carnis habebant circumcisum, sequitur Gentiles vocari « Gentes in carne, » quia, ut Vatablus, præputium habebant gentilitium et incircumcisum, ac consequenter quasi Gentiles et Pagani incircumcisi vivebant gentiliter secundum carnem in idololatria, gula, libidine, etc. Unde sequitur : « Qui dicimini præputium, » id est præputiati, « ab ea quæ dicitur circumcisio in carne, manu facta, » id est a Judæis, qui vocantur circumcisio ob carnem præputii circumcisam.

Gentes vocantur *præputium*, Judæi *circumcisio*.

Nota : Sicut metonymice *scelus* vocamus scelestum, ita ad majorem contemptum et detestationem, Judæi Gentes præputiatas, vocabant *præputium*; se vero circumcisos extollendo, vocabant *circumcisionem*. *Secundo*, τὸ *manu facta* non refertur ad *carne*, sed ad *circumcisio*; hæc enim manu fiebat. Patet ex Græco. Addit *manu facta*, ut eam distinguat a circumcisione spirituali, quæ fit per spiritum et gratiam Christi. De qua *ad Roman.* II, vers. ult. Ita Hieronymus.

Circumcisio in quanto honore fuerit Judæis et Ægyptiis.

Nota : Circumcisio apud Judæos maximum erat decus et gloria, sicuti præputium maximum erat dedecus et ignominia. Unde et apud Ægyptios, qui Judæis vicini sunt, circumcisio nonnisi sacerdotibus, sapientibus et nobilibus concedebatur. « Apud Ægyptios, inquit Origenes in cap. II *ad Roman.*, nullus geometriæ, astrologiæ et geneseos, qua nihil divinius putant, secreta rimabatur, nisi circumcisione suscepta. Sacerdos apud eos, aruspex, aut quorumlibet sacrorum minister, vel, ut illi appellant, Propheta, omnis circumcisus est. Litteras quoque sacerdotales, quas hieroglyphicas vocant, nemo discebat nisi circumcisus. Omnis hierophantes, omnis vates, omnis cceli (ut putant) infernique mystes et conscius apud eos esse non creditur, nisi fuerit circumcisus. »

12. QUIA ERATIS (ita legendum cum Ambrosio, Hieronymo et Græcis, non *qui*, vel *quod eratis* : dat enim causam cur Ephesii et aliæ Gentes et essent, et vocarentur præputium, et Gentes in carne : « quia » scilicet « eratis ») SINE CHRISTO (hoc est, sine cognitione Christi, lege, gratia, religione, vita, id est sine christianismo), ALIENATI A CONVERSATIONE ISRAEL. — Græce τῆς πολιτείας, id est, *primo*, *a civilitate*, vel *a republica* Israel, inquit Erasmus. *Secundo*, Syrus, *a gubernatione Israel*; significat enim politia, ipsam reipublicæ administrationem et gubernationem, qua scilicet hic Deus Israelem quasi populum suum sanctis legibus, cæremoniis et prophetiis gubernabat. *Tertio* et melius, Noster, *a conversatione*, hoc est, a ratione et norma vivendi Israelitarum, patrum et patriarcharum, præsertim Jacobi, qui dictus est Israel, a quo Israelitæ descendunt, qui unum Deum sancte colebant, et secundum ejus legem sancte vivebant, cum vos coleretis idola, essetisque sine lege et concupiscentiæ ductum ac impulsum sequeremini : Græcum enim πολιτεύεσθαι significat conversari. Ita Budæus et alii.

Triplex hujus loci sensus.

Politia quid significet.

HOSPITES TESTAMENTORUM, — id est peregrini, sive extranei et alieni a testamentis, id est a pactis, quæ Deus cum Judæis inivit : testamentum enim significat quodvis pactum, ut dixi I *Corinth.* XI, 25. Allndit ad rempublicam et conversationem Israel jam dictam. Unde « hospites » vocat alienos a jure civium, civitatis et reipublicæ.

PROMISSIONIS SPEM NON HABENTES. — Chrysostomus, Theophylactus, Œcumenius, referunt vocem *promissionis* ad præcedentem *testamentorum*, *q. d.* Eratis hospites et alieni a testamentis et pactis promissionis, id est promissoris, quæ tot bona promittunt Israeli. Verum longe plenius et concinnius hæc per comma dividunt Biblia Romana et alia correctiora, ut τὸ *promissionis* nectatur cum eo quod sequitur, *spem non habentes*. Promissionem intelligit resurrectionis et vitæ beatæ ac æternæ, uti se explicat coram Agrippa rege Paulus, *Actor.* XXVI, 6 : « Et nunc, inquit, in spe, quæ ad patres nostros repromissionis facta est a Deo, sto judicio subjectus; in quam duodecim tribus nostræ nocte et die deservientes sperant devenire, de qua spe accusor a Judæis, rex. Quid incredibile judicatur apud vos, si Deus mortuos suscitat? » Unde hanc spem vocat « spem Israelis, » *Act.* cap. XXVIII, vers. 20 : « Propter spem, inquit, Israel, hac catena circumdatus sum, » *q. d.* hic Paulus : Vos, o Gentes, beatitudinis Judæis promissæ spem nullam habebatis in gentilismo.

SINE DEO — vero. Colebatis enim idola et deos falsos; multi etiam erant inter vos atlei, qui divinitatem e mundo tollebant.

13. NUNC AUTEM IN CHRISTO JESU (per Christum Jesum) VOS QUI ALIQUANDO ERATIS LONGE (a Deo, a spe promissis beatitudinis, a testamentis et pactis, a republica et conversatione Israel, a Christo denique et salute), FACTI ESTIS PROPE (id est propinqui Christo, Israelitis, beatitudini et Deo) IN SANGUINE (id est per sanguinem, puta per merita passionis et mortis) CHRISTI.

IPSE ENIM EST PAX NOSTRA. — « Pax, » id est pacem faciens, uti explicat vers. seq. et *ad Coloss.* I, 20 : « Pacificans, inquit, per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt. » Per metonymiam ergo effectus pro causa ponitur. Hinc videns quo sensu et qua figura Apostolus dicat Christum esse nostram justitiam, sapientiam, redemptionem, simili nimirum qua hic dicit Christum esse pacem nostram, non formalem, uti patet, sed causalem. Unde explicans subdit :

Christus justitia et pax nostra non formalis, sed causalis.

Vers. 14.

14. QUI FECIT UTRAQUE UNUM, — id est utrumque populum, Judaicum et Gentilem, conciliavit et univit in sua Ecclesia. Ita Hieronymus.

Nota : Non dicit *utrumque* in masculino, sed utraque in neutro, quia, ut patet ex seq., hoc vers. et 20 respicit ad metaphoram domus, vel urbis et reipublicæ ac politiæ, ut dixi vers. 12, ejusque gemina membra, partes et parietes : ἀμφότερα ergo, id est utraque, tacite respicit τοῖχα (quod græce est neutrius generis), id est muros et parietes, *q. d.* Duo sunt symbolici parietes, Judæi scilicet et Gentes, olim muro distincti, quos Christus, muro, qui medius erat, disjecto, conjunxit in unam domum, scilicet Ecclesiam. Hinc sequitur :

Duo parietes, Judæi et Gentes a Christo conjuncti.

ET MEDIUM PARIETEM MACERIÆ, — græce μεσότοιχον τοῦ φραγμοῦ, id est, ut Vatablus, *interstitium maceriæ*, hoc est septi, sepis aut muri, puta sepem aut murum, qui medius erat et dividebat parietem unum ab altero. Proprie autem *maceria* est septum, vel interstitium factum ex congerie lapidum vel lignorum, quod hebraice גדר *gader* dicitur. Sic apud Comeum jubet Mitio maceriam dirui, ut fiat una domus.

SOLVENS, — id est solvit et diruit Christus : Hebræi enim carent indicativo, et pro eo utuntur participio. Vide *Can.* 29.

Quæres, qui hic paries et murus medius, sive interstitium separans Judæos a Gentibus, quod solvit et diruit Christus?

Media paries natura-lis Gentilitas.

Primo, respondet S. Hieronymus et Chrysostomus, esse peccata et inimicitiam inter Deum et homines, sive Judæos, sive Gentiles. Verum quia sequitur : « Ut duos, » scilicet populos, « condat in semetipso, » hinc melius alii passim accipiunt dissidium, quod erat inter Judæos et Gentes.

Unde *secundo*, Ambrosius et Hieronymus respondent hoc interstitium fuisse disparem Judæorum et Gentilium fidem, legem, cultum : idololatriam scilicet, ex parte Gentium; ex parte vero Judæorum, fiduciam in lege et cæremoniis suis.

Odia et inimicitiæ mutuæque contemptus inter Judæos et Gentes.

Tertio, Theodoretus et Anselmus interstitium hoc volunt fuisse legem Mosaicam, quam complexi sunt Judæi, aversati Gentiles.

Quarto et optime, Vatablus, Adamus, Erasmus et alii, respondent Apostolum hunc medium parietem explicare, dum statim per appositionem et epexegesin subdit « inimicitias, » *q. d.* Medius paries divellens Judæos a Gentibus, erant inimicitiæ mutuæ, mutuus contemptus, et odium quo Judæi Gentes omnes quasi idololatras et præputiatas contemnebant et aversabantur; Gentes pariter Judæos quasi a communi Gentium lege, ritu et vita abhorrentes oderant, uti cæteræ aves oderunt et persequuntur noctuam. Hæc odia, has inimicitias dissolvit et abolevit Christus « in carne sua, » moriens pro utrisque, et utrisque affians communem charitatis legem et spiritum, tolleasque occasionem inimicitiarum, legem scilicet mandatorum.

Primo enim lex mandabat circumcisionem, quam ridebant Gentes, et ex ea Judæos vocabant « verpos, recutitos, apellas. » Hinc illa : « Verpe jura mihi per Anchialum : » et, « Credat Judæus apella, Non ego. » Contra, Judæi spernebant Gentes ut profanas, quia incircumcisas.

Rursum Gentiles nixi lege naturæ et rationis, ridebant Judæos quasi fidentes legi scriptæ et tabulis lapideis, dicentes se habere legem non in lapide, sed in mente. Ita Ambrosius. Contra, Judæi spernebant Gentes, quasi sine lege viventes, imo qui decalogum in multis ignorarent et violarent.

Denique Gentiles ridebant tot ritus, baptismata, abstinentias, cæremonias et sacra Judæorum. Judæi execrabantur Gentes, quod porcina aliisque cibis per legem Mosis immundis vescerentur, multisque aliis immunditiis per eamdem legem vetitis se contaminarent.

15. LEGEM MANDATORUM DECRETIS EVACUANS. — Nota : Lex Mosis dicitur « mandatorum, » quia nihil continet, nisi mandata, eaque plurima, nec ad ea implenda auxilium et gratiam conferebat. « Lex » ergo τῶν ἐντολῶν, id est *mandatorum*, idem est, quod lex imperiosa, mandans, nec gratiam conferens : sic enim Hebræi per duo substantiva efferunt, quod nos per substantivum et adjectivum, sive epithetum efferimus; sic « templum sanctitatis » vocant templum sanctum, « viros misericordiæ » vocant viros misericordes, « vasa belli » vocant arma bellica. Hanc legem Christus « evacuans, » id est evacuavit et abolevit, « decretis, » hoc est, per alia decreta : quia illa Evangelicis decretis et dogmatibus (hoc enim est Græcum δόγμασι) commutavit, ait Hieronymus, Chrysostomus, Theophylactus, Œcumenius.

Commutatio legis Mosaicæ cum lege Evangelica.

Nota *secundo* : Græce est ἐν δόγμασι. Unde Vatablus et Erasmus vertunt, *legem mandatorum in decretis suam abrogans*; sed melius Noster cum

Chrysostomo, Theophylacto et Græcis exponit *in decretis*, id est per decreta, scilicet Evangelii.

Nota *tertio* : Græcum ἔχθρας idem est quod Latinum *dogmatibus*. Unde Chrysostomus, Theophylactus et Œcumenius intelligunt fidem et doctrinam fidei, *q. d.* Apostolus : Christus abolevit legem Mosis per fidem, quia justitiam annexuit fidei, non legi. *Secundo*, ut Hieronymus : « Lex mandatorum subversa est in dogmatibus, postquam circumcisio et sabbatismus, qui relictus est populo Dei, et pascha, et pentecoste, et non apparere in conspectu Dei vacuum, sunt alius intellecta quam resonant, et ab occidente littera recedentes cœpimus vivificantem spiritum sequi, » *q. d.* Deus mandata legis carnalia evacuavit per eorum intelligentiam spiritualem, sive per dogmata Evangelii.

Verum nota, *dogmata* Græcis non tantum documenta et doctrinam, sed etiam præcepta et decreta significare; et ita accipit Apostolus *ad Colos.* II, 14 et 20, qui locus huic similis est : est enim lex, lux et dogma. « Lucerna, inquit Psaltes, pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis. » Vocat ergo præcepta Evangelii non mandata, sed dogmata, quia Christianos illuminant, docentque quomodo Deum per fidem agnoscere, per spem, charitatem et religionem colere et invocare, eique servire et vivere debeant.

UT DUOS CONDAT IN SEMETIPSO IN UNUM NOVUM HOMINEM, — ut scilicet duos populos, Judaicum scilicet et Gentilem, quasi duos homines, sibi et corpori suo, id est, Ecclesiæ suæ, cujus ipse caput est, inserat et incorporet, faciatque utrumque hunc hominem, id est populum, velut novum quemdam hominem in novitate vitæ ambulantem. Unde pro *condat* græce est κτίσῃ, id est *crest*.

Gentes et Judæi Christo incorporati conserunt in unum hominem.

Nota : Hic explicat metaphoram præcedentem paricium, macerie et domus, per aliam metaphoram, scilicet hominis et corporis humani : Judæi enim et Gentes sunt quasi duo homines, qui Christo incorporati coalescunt in unum hominem mysticum, id est, in unum populum Christianum. Unde a genere neutro, quo usus est vers. præced., transit hic ad masculinum, quia res figurata, scilicet homo et populus, est masculini generis.

Vers. 16.

16. ET RECONCILIET AMBOS (scilicet homines, id est populos, Judæorum videlicet et Gentium) IN UNO CORPORE (mystico scilicet, id est Ecclesia) unitos, *q. d.* Ut ambos hos populos effectos jam unum corpus mysticum, id est, unum rempublicam et Ecclesiam, « reconciliet » DEO PER CRUCEM, INTERFICIENS (id est plane perimens) INIMICITIAS (quæ erant inter Judæos et Gentes; ac rursum, quæ erant inter utrosque et Deum) IN SEMETIPSO, — id est per semetipsum, puta per crucem et passionem suam. Idem est, quod dixit vers. præced. : « In carne sua. » Noster interpres legit græce *in uno* spiritu aspero; sed S. Hieronymus, Erasmus, Vatablus, legunt spiritu leni, et vertunt *in eo*, scilicet cruce; ᾧ enim, id est *eum*, Græcis est masculini generis : unde apte respondet masculino pronomini αὐτῷ. Hinc Syrus vertit, *et cruce sua enecavit odium*. Sed eodem redit sensus, sive ad Christum, sive ad crucem referas : Christus enim per crucem hanc fecit.

Cum Christi inimici fiamus eorum causa.

Ex hoc loco moraliter docet S. Leo, serm. 6 *De Nativit.*, Christianos ubique debere colere pacem, eamque quasi victimam gratissimam Deo offerre. « Qui ergo, inquit, non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt, offerant patri pacificorum concordiam filiorum, et in primogenitum novæ creaturæ, etc., universa adoptionis membra concurrant : quoniam gratia Patris non discordes, neque dissimiles, sed unum sentientes, unumque amantes, adoptavit hæredes. Natalis Domini, natalis est pacis. Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, » etc.

17. ET VENIENS EVANGELIZAVIT PACEM VOBIS (Gentibus) QUI LONGE FUISTIS (a Deo, Christo et salute), ET PACEM IIS QUI PROPE, — Judæis scilicet; hæc enim periphrasi ex *Isaiæ*, cap. LVII, 19, petita, describit Judæos et Gentes. Vide dicta vers. 12 et 13. Alludit ad vocem angeli ad pastores in Christi nativitate : « Ecce evangelizo vobis gaudium magnum, etc. : gloria in Excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis, » *Luc.* II.

18. QUONIAM PER IPSUM (scilicet Christum) HABEMUS ACCESSUM (προσαγωγήν, id est, ut Vatablus et Erasmus, *aditum*, introductionem) AD DEUM PATREM, AMBO (scilicet tam Judæi, quam Gentiles) IN UNO SPIRITU — id est, per eumdem Spiritum ducforem et impulsorem. *Secundo*, in uno et unanimi spiritu, id est, voluntate et studio fidei, religionis et charitatis Christianæ, ut sit nobis cor unum et anima una. Ita Anselmus. Alludit ad reges, ad quos non patet accessus, nisi per principes, qui sunt regi a cubiculis, qe tanquo clavem auream regii cubiculi, quique ingressuris suum procurant ductorem et instructorem, ut sciant quo gestu, reverentia, forma, modo debeant alloqui et compellare regem. Ita hic ex est Deus Pater, princeps paratus aditum est Christus, ductor est Spiritus Sanctus.

Deus Pater est rex, Christus princeps, ductor Spiritus Sanctus. Vers. 18.

19. JAM NON ESTIS (ut exules in gentilissimo) HOSPITES ET ADVENÆ, — ξένοι καὶ πάροικοι, peregrini et accolæ, vel advenæ, qui scilicet alienæ veniendo commigrarunt in alienam civitatem et provinciam, quos Romani *Colonos* vocabant : ex una enim urbe, v. g. Romana, in alias regiones colonias deducebant : sicut Agrippina, Neronis mater, ad Rhenum apud Ubios, ubi gentis erat, colonium ex veteranis deduci imperavit, quæ inde Colonia Agrippina etiamnum dicitur, urbs opibus et religione inclyta. Tales apud Judæos erant Proselyti, seu advenæ, qui quasi alieni, utpote e Gentibus oriundi, convertebantur ad Judaismum, et aggregabantur Judæis et Ecclesiæ Dei;

q. d. Jam non estis proselyti, sed inquilini Ecclesiæ, ut sequitur :

Jus civium in Ecclesia Dei quale, et quantum?

SED ESTIS CIVES (συμπολῖται, *concives*) SANCTORUM (tum angelorum, tum potius patriarcharum Abrahæ, Isaac et Jacob, sive Israelis, et posterorum ejus sanctorum Israelitarum, uti Davidis, Samuelis, Isaiæ et aliorum Prophetarum, a quibus in gentilissimo fuistis extranei et alienati, ut dixit vers. 12) ET DOMESTICI DEI. — *q. d.* Estis de domo et familia Dei, puta de Ecclesia Dei, a qua fuistis ante Christum extorres; estis de familia regis Messiæ, qui tam Deus est, quam homo, deque Christiana republica, in qua habetis jus civicum ad Ecclesiæ Sacramenta, et bona omnia Christi et Christianorum, atque conscripti estis cives et hæredes ejusdem civitatis cœlestis, scilicet Jerusalem. Ita Chrysostomus, Anselmus, Theophylactus. Idque pulchre explicat Apostolus *Hebr.* XII, 22 : « Accessistis, inquit, ad Sion montem, et civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem, et multorum millium angelorum frequentiam, et Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis, et judicem omnium Deum, et spiritus justorum perfectorum, et Testamenti novi mediatorem Jesum, et sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel. »

Audi et S. Augustinum in *Sententiis*, num. 186 : « Civis terrenæ civitatis parit peccato vitiata natura, qui sunt vasa iræ : cives vero cœlestis patriæ parit a peccato naturam liberans gratia, qui sunt vasa misericordiæ. »

Locus Apocalypsis de duodecim nominibus Apostolorum illustratus.

20. SUPERÆDIFICATI (redit ad metaphoram fabricæ et domus, de qua vers. 14; hæc enim domus Deo sacra sive templum, est Ecclesia, quæ ædificata est) SUPER FUNDAMENTUM APOSTOLORUM ET PROPHETARUM, — id est, super Apostolos et Prophetas, qui sunt fundamentum Ecclesiæ : Apostolorum enim et Prophetarum fidei, doctrinæ, prædicationi, institutioni, quasi fundamento Ecclesia incumbit, *q. d.* in fundamentum Ecclesiæ positi sunt Apostoli; vos Ephesii, cæterique Christiani, illis superædificati estis, et reliquam structuram domus ejus et templi completis. Ita Chrysostomus, Theophylactus, Œcumenius, et præclare Augustinus in illud Psal. LXXXVI, *Fundamenta ejus in montibus sanctis*.

Apostolorum et Prophetarum doctrina est fundamentum Ecclesiæ.

Christus quomodo fundamentum Ecclesiæ? quomodo Apostoli?

Aliter Anselmus : « Super fundamentum, » inquit, id est super Christum, qui est fundamentum Apostolorum, Prophetarum ac totius Ecclesiæ, quod avide arripit et sequitur Beza. Anti-christiana, ait, vox est aliud fundamentum ponere : fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus. Sed respondet S. Augustinus supra, Christum esse fundamentum fundamentorum, sive primum, cui ipsi Apostoli et tota Ecclesia incumbit; Apostolos vero post Christum esse secundarium fundamentum : sicut in fundamentis domus, sua est latitudo, ut aliud sit imum fundamentum sub terra, aliud superius in ipsa terræ superficie, nec hoc secundum priori officit aut repugnat.

Christus quomodo summus et imus lapis fundamentalis Ecclesiæ? Prima expositio.

Nam Apostolos hic dici fundamenta, non autem Christum, patet, quia Christus vocatur lapis angularis fundamentalis, cui fundamentum incumbit. Id clarius est in Græco : Ἐπ᾽, inquit, τῷ θεμελίῳ τῶν Ἀποστόλων ὄντος ἀκρογωνιαίου αὐτοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ : ubi Χριστοῦ (qui est genitivus) non potest referri ad θεμελίῳ (qui est dativus), sed ad ἀκρογωνιαίου genitivum, id est ad *angulari lapide*, non autem ad *fundamentum*, *q. d.* Fundamentum sunt Apostoli, sed fundamenti lapis angularis est Christus. Sic et *Apoc.* XXI, S. Joannes videns « sanctam civitatem Jerusalem novam descendentem de cœlo, » id est Ecclesiam Christi, subdit vers. 14 : « Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni. » Vides fundamenta Ecclesiæ duodecim esse duodecim Apostolos; ideo enim cujusque nomen sub fundamento, vel lapidi fundamentali inscriptum, vidit Joannes, ut sciret hæc fundamenta duodecim significare duodecim Apostolos. Sic *Matth.* XVI, 18, dicit Christus Petro : « Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. » Si Petrus est petra hæc, ergo est fundamentum Ecclesiæ : petra *ex* im, supra quam ædificatur Ecclesia, alia esse n ja potest, quam petra fundamentalis Ecclesiæ.

IPSO SUMMO ANGULARI LAPIDE (scilicet existente) CHRISTO JESU. — *q. d.* Christus quasi lapis angularis valdissimus continet fundamentum et structuram totam Ecclesiæ, ejusque utrumque parietem, Judæos scilicet et Gentes, ipse quasi medius in se quasi angulo in pacis osculo nectit et unit. Ita Hieronymus, Augustinus, Beda.

Dices : Fundamentum in imo ponitur; quomodo ergo hic dicit lapidem angularem esse in summo? Villalpando, in *Ezechielem*, in fabrica templi, pag. 477, admittit summum lapidem hic intelligi eum, qui in orientali facie contegit, exornat et continet omne ædificium in domus fastigio, quem frontispicium vocamus. Unde *Psal.* CXVIII, quo alludit hic Apostolus, vocatur *anguli caput*; si caput, ergo in summo est, non in imo.

Sed in contrarium facit, quod Apostolus hic dicat in hoc lapide superædificari Ephesios et Ecclesiam, et ædificationem constructam crescere in templum sanctum in Domino : non ergo intelligit summum lapidem, qui ædificium claudit, sed imum, qui fundamentum et totam fabricam sustinet, et a quo quasi firmissimo incipit tota Ecclesiæ structura. Hinc a Psalte dicitur רֹאשׁ פִּנָּה *rosch pinna*, id est, caput anguli, per metaphoram; quia sicut a capite dependent reliqua membra et totum corpus, ita a lapide angulari dependet totum ædificium, sed diverso situ : caput enim in corpore summum tenet locum, lapis vero angularis in domo tenet imum; sed in imo id præstat ædificio, quod caput in summo præstat corpori, ideoque *caput* dicitur. Unde רֹאשׁ *rosch*

Hebræis, *et caput* Latinis, significat id, quod in quaque re primum est ac præcipuum.

Secunda. *Secundo*, ergo respondet S. Augustinus in *Psal.* LXXXVI, et ex eo Anselmus, lapidem hunc angularem esse in summo, quia hæc fabrica et domus Ecclesiæ non corporalis est, sed spiritualis et cœlestis : est enim, ut ait S. Joannes, *Apoc.* XXI, Jerusalem nova de cœlo descendens ; ergo fundamentum et lapis ejus angularis in summo est, utpote in cœlo. « Si ad terram, inquit Augustinus, ædificaremur, in imo ponendum esset fundamentum nostrum ; jam vero, quia cœlestis est fabrica nostra, hinc ad cœlos præcessit fundamentum nostrum, » quia scilicet origo et principium Ecclesiæ est e cœlo. Sed hoc symbolicum est et mysticum.

Fundamentum Ecclesiæ in cœlo ponit S. angularis. Dico ergo : Pro *summo angulari* græce est ἐκφυσικῶς, id est, *extreme angulari*, hoc est imo, sive infimo : extremum enim in ædificio et fundamento est imum, sive infimum fundamenti ; ἔσχατον enim græce *extremum* significat, sive id summum sit, sive infimum. Hic autem infimum debere accipi, patet ex fundamento quod lapis hic angularis sustentat. Sic latinæ, mare altum sive summum, significat profundum sive imum. Alludit Paulus ad saxa illa ingentia et durissima, quæ e rubrica aliave petra instar massæ in imo fundamenti ponuntur, et immediate terræ solidæ substernuntur, quibus deinde fabri alia saxa, rudera, lateres injiciunt, confundunt, et calce conglutinant, altitudine quatuor, sex, aut etiam decem pedum, prout moles et altitudo domus fundamentum majus aut minus exigit : prima enim illa saxa ingentia vocantur hic lapis summus, id est, imus fundamenti, isque angularis, ut utrumque parietem sustineat et nectat, ideoque cæteris validior esse debet, estque in fabrica primarius et capitalis.

Angulus symbolum est regni et principis. Principes populorum vocantur anguli, et quare? Nota : S. Hieronymus in illud Isaiæ, XIX, *Deseperunt Ægyptum angulum populorum* : « Idioma, inquit, est S. Scripturarum, ut angulum pro regno ponant, eo quod populos contineat, et quod in tota domo fortissimum sit. » Cum ergo anguli fiant ex lapidibus majoribus et solidioribus, hinc principes sive duces populorum vocantur anguli, quemadmodum nos Helvetiorum duces et respublicas vulgari voce Cantones (quasi angulos) vocamus. Ita Zacharias, cap. X, vers. 4, ait : « Ex ipso angulus, » id est, ex Juda prodibit Christus lapis angularis, et princeps Judæorum et Gentium. Et Jeremias, cap. LI, vers. 26, ait de Babylone mox evertenda : « Non tollent de te lapidem in angulum, » id est, ut Chaldæus vertit, non tollent ex te regem in regnum, et principem in principatum. Sic *Psal.* CXVIII (ad quem hic Paulus alludit) de Christo dicitur : « Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. » Ubi Lyranus et Abulensis putant alludi ad verum lapidem, qui initio a Judæis quasi inutilis rejectus sit a fabrica templi, postea vero receptus, accommodatus sit, positusque loco honestissimo, scilicet in caput anguli. Verum hoc est commentum Judæorum, ait Burgensis. Est ergo metaphora, ab angulis ædificiorum petita, de qua jam dixi : quod enim est angulus, præsertim fundamentalis, in ædificio, hoc est rex in regno, puta Christus in Ecclesia. Simili phrasi et sensu dixit Christus Petro, *Matth.* XVI, 18 : « Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. »

21. IN QUO (per quem, scilicet Christum, qui præcessit) OMNIS (tota) ÆDIFICATIO (ædificium, fabrica) CONSTRUCTA (συναρμολογουμένη, id est, ut Hieronymus, *compaginata* ; ut Ambrosius, *compacta* ; ut Vatablus et Erasmus, *coagmentata*) CRESCIT IN TEMPLUM SANCTUM (in Ecclesiam, quæ est domus sancta et templum Dei) IN DOMINO, — per Dominum ; vel potius « in Domino, » id est Domini, ut sitis templum sanctum Domini : Hebræum enim *bet*, id est *in*, sæpe significat regimen genitivi. Vide *Can.* 25.

22. IN QUO (per quem, scilicet Christum jam dictum, vel « in quo, » scilicet templo) ET VOS CONÆDIFICAMINI IN HABITACULUM DEI (in templum Ecclesiæ jam dictum, in quo, quasi in domo sua habitat Deus) IN SPIRITU SANCTO, — per Spiritum Sanctum.

Nota : Τὸ *sancto* non est in Græco, nec Romanis, sed Plantinianis, et intelligitur in Græco. Spiritus enim hic est gratia quam Sanctis aspirat Spiritus Sanctus, *q. d.* Ecclesia est domus et templum Dei, cujus fundamentum sunt Apostoli, lapis angularis est Christus, parietes sunt Judæi et Gentes, qui indies assurgunt cum plures ex Judæis et Gentibus Christo et Ecclesiæ inseruntur et inædificantur. Vos ergo, o Ephesii, cum aliis Christianis simul inædificemini hujc fabricæ, ut sitis lapides, partes et membra hujus templi, ut illud in dies altius assurgat et crescat, fiatque ingens templum et habitaculum Dei, idque per Spiritum Sanctum, quia sua gratia et charitate quasi glutino et calce fideles omnes conglutinat et coagmentat, ut faciant unum parietem, unam domum, unam Ecclesiam.

S. Ignatius tamen in epist. *ad Ephes.*, afferens eandem metaphoram fabricæ, Spiritum Sanctum comparat perpendiculo : « Jesus Christus, inquit, fundavit vos super petram, ut lapides electos, aptos ad divinum ædificium Patris, sublatos in altum per Christum, qui pro nobis crucifixus est, perpendiculo usos Spiritu Sancto, fide vero subductes, et charitate elevatos a terra in cœlum. »

Tropologice, S. Hieronymus : « Cum fuerimus vivi lapides ex omni parte dolati, lævas, politi, nullam habentes scabredinem (vitiorum), ædificabimur in templum, et fiemus habitaculum Deo, conderturque in nobis arca testamenti custos legis Domini, et Cherubim scientiæ multitudo, ut interiora pectoris nostri in novum vocabulum transeant, dicamurque *debir*, id est, oraculum, sive responsorium et locutorium Dei. »

Beatus quoque Dorotheus, tom. III *Bibliothecæ SS. Patrum*, doctrina 14, ad ædificationem vel restaurationem domus spiritualis suos ita instruit : « Primum, inquit, jacienda sunt fundamenta, quæ fides est, sine qua impossibile est placere Deo. Constitue deinde supra fundamentum ædificium excellentissimum. Intercidit obedientia ? adjice lapidem obedientiæ. Irasceris fratri a quo injuriam acceptisti ? apponat virtus alterum patientiæ lapidem ; singulæ deinde adjectæ virtutes singuli lapides erunt. Charitas annectet parietem parieti. Bitumen humilitas est, quæ cæteris virtutibus ut tales sint, efficit. Tectum amor Dei. Corona, quæ supra tectum præcipitur in lege adhiberi, ne parvuli cadant, prudentia est. In hoc ædificio exstruendo nostra desudet industria, ut habere inhabitantem Spiritum Sanctum possimus. Ille domum conservabit, nisi desides ipsi fuerimus, ne spirantibus mundi a quatuor angulis flatibus subito in terram cadat. »

Rursum S. Augustinus in *Psal.* LXXXV, docet nos Ecclesiæ quasi cœlesti fabricæ debere conquadrari, ut illi inædificari possimus, ac consequenter Christianum quemque debere esse instar quadrati lapidis. « In omni, inquit, tentatione sua Christianus non cadit, etsi impellitur, et si qua vertitur, non cadit. Nam quadratum lapidem quacumque verteris, stat. Cadere visi sunt Martyres cum percuterentur : sed quid dixit vox *Psalmi* XXXVI ? Cum ceciderit non collidetur, quia Dominus supponit manum suam. Sic ergo conquadramini ad omnes tentationes parati, quidquid impulerit, non vos evertat. Stantem te inveniat omnis casus. »

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, pergit mirari vocationem Gentium, docetque hoc mysterium hactenus incognitum revelatum fuisse Apostolis, scilicet quod Gentes æque ac Judæi per Christum participes essent gratiæ, Ecclesiæ et promissionum Dei.

Secundo, vers. 7, hujus mysterii se ministrum esse gloriatur, puta quod a Deo constitutus sit doctor Gentium.

Tertio, vers. 14, orat Deum, ut Ephesios in Christi fide et spiritu corroboret, ut in charitate radicati ad plenum in divinis hisce Christi mysteriis edoceantur, scilicet ut comprehendant quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas et profundum, sciant etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi.

1. Hujus rei gratia, ego Paulus vinctus Christi Jesu, pro vobis Gentibus, 2. si tamen audistis dispensationem gratiæ Dei, quæ data est mihi in vobis : 3. quoniam secundum revelationem notum mihi factum est sacramentum, sicut supra scripsi in brevi : 4. prout potestis legentes intelligere prudentiam meam in mysterio Christi : 5. quod aliis generationibus non est agnitum filiis hominum, sicuti nunc revelatum est sanctis Apostolis ejus, et Prophetis in Spiritu. 6. Gentes esse cohæredes, et concorporales, et comparticipes promissionis ejus in Christo Jesu per Evangelium. 7. Cujus factus sum minister secundum donum gratiæ Dei, quæ data est mihi secundum operationem virtutis ejus. 8. Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc, in Gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, 9. et illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi a sæculis in Deo, qui omnia creavit. 10. Ut innotescat principatibus, et potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam, multiformis sapientia Dei. 11. Secundum præfinitionem sæculorum, quam fecit in Christo Jesu Domino nostro : 12. in quo habemus fiduciam, et accessum in confidentia per fidem ejus. 13. Propter quod peto ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis : quæ est gloria vestra. 14. Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, 15. ex quo omnis paternitas in cœlis, et in terra nominatur, 16. ut det vobis secundum divitias gloriæ suæ, virtute corroborari per Spiritum ejus in interiorem hominem, 17. Christum habitare per fidem in cordibus vestris : in charitate radicati, et fundati, 18. ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, et longitudo, et sublimitas, et profundum : 19. scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, ut impleamini in

Hebræis, *et caput* Latinis, significat id, quod in quaque re primum est ac præcipuum.

Secunda. *Secundo*, ergo respondet S. Augustinus in *Psal.* LXXXVI, et ex eo Anselmus, lapidem hunc angularem esse in summo, quia hæc fabrica et domus Ecclesiæ non corporalis est, sed spiritualis et cœlestis : est enim, ut ait S. Joannes, *Apoc.* XXI, Jerusalem nova de cœlo descendens ; ergo fundamentum et lapis ejus angularis in summo est, utpote in cœlo. « Si ad terram, inquit Augustinus, ædificaremur, in imo ponendum esset fundamentum nostrum ; jam vero, quia cœlestis est fabrica nostra, hinc ad cœlos præcessit fundamentum nostrum, » quia scilicet origo et principium Ecclesiæ est e cœlo. Sed hoc symbolicum est et mysticum.

Fundamentum Ecclesiæ in cœlo ponit S. angularis. Dico ergo : Pro *summo angulari* græce est ἐκφυσικῶς, id est, *extreme angulari*, hoc est imo, sive infimo : extremum enim in ædificio et fundamento est imum, sive infimum fundamenti ; ἔσχατον enim græce *extremum* significat, sive id summum sit, sive infimum. Hic autem infimum debere accipi, patet ex fundamento quod lapis hic angularis sustentat. Sic latinæ, mare altum sive summum, significat profundum sive imum. Alludit Paulus ad saxa illa ingentia et durissima, quæ e rubrica aliave petra instar massæ in imo fundamenti ponuntur, et immediate terræ solidæ substernuntur, quibus deinde fabri alia saxa, rudera, lateres injiciunt, confundunt, et calce conglutinant, altitudine quatuor, sex, aut etiam decem pedum, prout moles et altitudo domus fundamentum majus aut minus exigit : prima enim illa saxa ingentia vocantur hic lapis summus, id est, imus fundamenti, isque angularis, ut utrumque parietem sustineat et nectat, ideoque cæteris validior esse debet, estque in fabrica primarius et capitalis.

Angulus symbolum est regni et principis. Principes populorum vocantur anguli, et quare? Nota : S. Hieronymus in illud Isaiæ, XIX, *Deseperunt Ægyptum angulum populorum* : « Idioma, inquit, est S. Scripturarum, ut angulum pro regno ponant, eo quod populos contineat, et quod in tota domo fortissimum sit. » Cum ergo anguli fiant ex lapidibus majoribus et solidioribus, hinc principes sive duces populorum vocantur anguli, quemadmodum nos Helvetiorum duces et respublicas vulgari voce Cantones (quasi angulos) vocamus. Ita Zacharias, cap. X, vers. 4, ait : « Ex ipso angulus, » id est, ex Juda prodibit Christus lapis angularis, et princeps Judæorum et Gentium. Et Jeremias, cap. LI, vers. 26, ait de Babylone mox evertenda : « Non tollent de te lapidem in angulum, » id est, ut Chaldæus vertit, non tollent ex te regem in regnum, et principem in principatum. Sic *Psal.* CXVIII (ad quem hic Paulus alludit) de Christo dicitur : « Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. » Ubi Lyranus et Abulensis putant alludi ad verum lapidem, qui initio a Judæis quasi inutilis rejectus sit a fabrica templi, postea vero receptus, accommodatus sit, positusque loco honestissimo, scilicet in caput anguli. Verum hoc est commentum Judæorum, ait Burgensis. Est ergo metaphora, ab angulis ædificiorum petita, de qua jam dixi : quod enim est angulus, præsertim fundamentalis, in ædificio, hoc est rex in regno, puta Christus in Ecclesia. Simili phrasi et sensu dixit Christus Petro, *Matth.* XVI, 18 : « Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. »

21. IN QUO (per quem, scilicet Christum, qui præcessit) OMNIS (tota) ÆDIFICATIO (ædificium, fabrica) CONSTRUCTA (συναρμολογουμένη, id est, ut Hieronymus, *compaginata* ; ut Ambrosius, *compacta* ; ut Vatablus et Erasmus, *coagmentata*) CRESCIT IN TEMPLUM SANCTUM (in Ecclesiam, quæ est domus sancta et templum Dei) IN DOMINO, — per Dominum ; vel potius « in Domino, » id est Domini, ut sitis templum sanctum Domini : Hebræum enim *bet*, id est *in*, sæpe significat regimen genitivi. Vide *Can.* 25.

22. IN QUO (per quem, scilicet Christum jam dictum, vel « in quo, » scilicet templo) ET VOS CONÆDIFICAMINI IN HABITACULUM DEI (in templum Ecclesiæ jam dictum, in quo, quasi in domo sua habitat Deus) IN SPIRITU SANCTO, — per Spiritum Sanctum.

Nota : Τὸ *sancto* non est in Græco, nec Romanis, sed Plantinianis, et intelligitur in Græco. Spiritus enim hic est gratia quam Sanctis aspirat Spiritus Sanctus, *q. d.* Ecclesia est domus et templum Dei, cujus fundamentum sunt Apostoli, lapis angularis est Christus, parietes sunt Judæi et Gentes, qui indies assurgunt cum plures ex Judæis et Gentibus Christo et Ecclesiæ inseruntur et inædificantur. Vos ergo, o Ephesii, cum aliis Christianis simul inædificemini hujc fabricæ, ut sitis lapides, partes et membra hujus templi, ut illud in dies altius assurgat et crescat, fiatque ingens templum et habitaculum Dei, idque per Spiritum Sanctum, quia sua gratia et charitate quasi glutino et calce fideles omnes conglutinat et coagmentat, ut faciant unum parietem, unam domum, unam Ecclesiam.

S. Ignatius tamen in epist. *ad Ephes.*, afferens eandem metaphoram fabricæ, Spiritum Sanctum comparat perpendiculo : « Jesus Christus, inquit, fundavit vos super petram, ut lapides electos, aptos ad divinum ædificium Patris, sublatos in altum per Christum, qui pro nobis crucifixus est, perpendiculo usos Spiritu Sancto, fide vero subductes, et charitate elevatos a terra in cœlum. »

Tropologice, S. Hieronymus : « Cum fuerimus vivi lapides ex omni parte dolati, lævas, politi, nullam habentes scabredinem (vitiorum), ædificabimur in templum, et fiemus habitaculum Deo, conderturque in nobis arca testamenti custos legis Domini, et Cherubim scientiæ multitudo, ut interiora pectoris nostri in novum vocabulum transeant, dicamurque *debir*, id est, oraculum, sive responsorium et locutorium Dei. »

Beatus quoque Dorotheus, tom. III *Bibliothecæ SS. Patrum*, doctrina 14, ad ædificationem vel restaurationem domus spiritualis suos ita instruit : « Primum, inquit, jacienda sunt fundamenta, quæ fides est, sine qua impossibile est placere Deo. Constitue deinde supra fundamentum ædificium excellentissimum. Intercidit obedientia ? adjice lapidem obedientiæ. Irasceris fratri a quo injuriam acceptisti ? apponat virtus alterum patientiæ lapidem ; singulæ deinde adjectæ virtutes singuli lapides erunt. Charitas annectet parietem parieti. Bitumen humilitas est, quæ cæteris virtutibus ut tales sint, efficit. Tectum amor Dei. Corona, quæ supra tectum præcipitur in lege adhiberi, ne parvuli cadant, prudentia est. In hoc ædificio exstruendo nostra desudet industria, ut habere inhabitantem Spiritum Sanctum possimus. Ille domum conservabit, nisi desides ipsi fuerimus, ne spirantibus mundi a quatuor angulis flatibus subito in terram cadat. »

Rursum S. Augustinus in *Psal.* LXXXV, docet nos Ecclesiæ quasi cœlesti fabricæ debere conquadrari, ut illi inædificari possimus, ac consequenter Christianum quemque debere esse instar quadrati lapidis. « In omni, inquit, tentatione sua Christianus non cadit, etsi impellitur, et si qua vertitur, non cadit. Nam quadratum lapidem quacumque verteris, stat. Cadere visi sunt Martyres cum percuterentur : sed quid dixit vox *Psalmi* XXXVI ? Cum ceciderit non collidetur, quia Dominus supponit manum suam. Sic ergo conquadramini ad omnes tentationes parati, quidquid impulerit, non vos evertat. Stantem te inveniat omnis casus. »

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, pergit mirari vocationem Gentium, docetque hoc mysterium hactenus incognitum revelatum fuisse Apostolis, scilicet quod Gentes æque ac Judæi per Christum participes essent gratiæ, Ecclesiæ et promissionum Dei.

Secundo, vers. 7, hujus mysterii se ministrum esse gloriatur, puta quod a Deo constitutus sit doctor Gentium.

Tertio, vers. 14, orat Deum, ut Ephesios in Christi fide et spiritu corroboret, ut in charitate radicati ad plenum in divinis hisce Christi mysteriis edoceantur, scilicet ut comprehendant quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas et profundum, sciant etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi.

1. Hujus rei gratia, ego Paulus vinctus Christi Jesu, pro vobis Gentibus, 2. si tamen audistis dispensationem gratiæ Dei, quæ data est mihi in vobis : 3. quoniam secundum revelationem notum mihi factum est sacramentum, sicut supra scripsi in brevi : 4. prout potestis legentes intelligere prudentiam meam in mysterio Christi : 5. quod aliis generationibus non est agnitum filiis hominum, sicuti nunc revelatum est sanctis Apostolis ejus, et Prophetis in Spiritu. 6. Gentes esse cohæredes, et concorporales, et comparticipes promissionis ejus in Christo Jesu per Evangelium. 7. Cujus factus sum minister secundum donum gratiæ Dei, quæ data est mihi secundum operationem virtutis ejus. 8. Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc, in Gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, 9. et illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti absconditi a sæculis in Deo, qui omnia creavit. 10. Ut innotescat principatibus, et potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam, multiformis sapientia Dei. 11. Secundum præfinitionem sæculorum, quam fecit in Christo Jesu Domino nostro : 12. in quo habemus fiduciam, et accessum in confidentia per fidem ejus. 13. Propter quod peto ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis : quæ est gloria vestra. 14. Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, 15. ex quo omnis paternitas in cœlis, et in terra nominatur, 16. ut det vobis secundum divitias gloriæ suæ, virtute corroborari per Spiritum ejus in interiorem hominem, 17. Christum habitare per fidem in cordibus vestris : in charitate radicati, et fundati, 18. ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, et longitudo, et sublimitas, et profundum : 19. scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, ut impleamini in

omnem plenitudinem Dei. 20. Ei autem, qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus, aut intelligimus, secundum virtutem, quæ operatur in nobis : 21. ipsi gloria in Ecclesia, et in Christo Jesu in omnes generationes sæculi sæculorum. Amen.

1. HUJUS REI GRATIA, EGO PAULUS VINCTUS.—Deest verbum, quod sententiam expleat. Unde S. Hieronymus putat esse solœcismum. *Secundo*, Erasmus et Anselmus supplent verbum *sum*, *q. d.* Hujus rei gratia vinctus sum (1); sed articulus ὁ, cum ait, ὁ δέσμιος, *q. d.* Ille vinctus, id sæpe patitur. Unde *tertio*, melius Vatablus et Ambrosius supplent, *legatione fungor*. Sed longe verius est, sententiam hanc post longam parenthesim (quam Apostolus suo more a vers. 2 ad 14, interjecit de beneficio vocationis Gentium, cujus admiratione absorptum erat cor ejus, itaque plenum, ut eo identidem recurreret, illudque aliis et aliis verbis assidue eructaret) expleri vers. 14; ibi enim prima capitis verba repetens, subdit : « Hujus rei gratia ego Paulus vinctus Christi Jesu, flecto genua, » etc. Simile hyperbaton vidimus *Rom.* v, 12 et 18. Vide *Can.* 38.

VINCTUS CHRISTI JESU, — ὁ δέσμιος est epithetum non conditionis servilis, sed gloriæ et honoris : gloriatur enim Paulus de vinculis suis pro Christo susceptis, quasi de insignibus sui apostolatus et martyrii, sicut rex gloriatur suo torque aut diademate. « Vinctum esse propter Christum, inquit Chrysostomus hic, *homil.* 8, illustrius est, quam sive Apostolum, sive doctorem, sive evangelistam esse. Magna dignitas hæc, et regno quovis ac consulatu major; qui diligit et ardet Christum, eligit potius vincula ferre propter Christum, quam cœlos inhabitare : non enim caput ita splendidum reddit imposita corona margaritis conspicua, ut catena ferrea, quæ propter Christum fertur. Quod si quis mihi vel universi orbis, vel hujus catenæ copiam et optionem largitus esset, catenam hanc ego plane elegissem; si mihi cum angelis, et iis qui prope thronum Dei sunt, standum fuisset sursum, aut cum Paulo vincto, carcerem utique præoptassem. Nihil hac catena beatius. Non ita beatum dico Paulum, quod in paradisum raptus, atque quod vincula sustinuit : potius mihi habetur male affici pro Christo, quam honorari a Christo. O beata vincula! o beatas manus, quas catena illa exornavit! » Pergit deinde hæc vincula exemplis et miraculis exornare, cum ait : « Sic Petrus vinctus fuit, et ab angelo solutus. Hic si mihi quispiam diceret : Elige utrum velis : vis esse angelus Petrum solvens, an Petrus vinctus? Petrus utique esse maluissem. Majus hoc vinculorum donum est, quam solem sistere, aut mundum movere, aut dominari dæmonibus, eosque expellere. Commotus est carcer vincto Paulo, solutaque sunt omnium vincula, *Act.* XVI. Vides naturam vinculorum vincula solventem; nam sicut mortem interemit mors Domini, ita ligatos solverunt vincula Pauli, carceremque concusserunt, ac januas aperuerunt. Paulus ergo vinctus vinctis dominatur. Iursum *Act.* XXVIII, Paulus vinctus navigabat, et naufragium solvebat, et tempestatem ligabat, et a vipera læsi non potuit. » Hæc et plura Chrysostomus, *homil.* 8, et rursum in ejus *morali*. Hac de causa Babylas, Antiochenus episcopus et martyr, post fidei confessionem in vinculis vitam finiens, jussit discipulis suis, ut catenas, quasi suæ pugnæ testes, et victoriæ decora, secum sepelirent.

2. SI TAMEN (non dubitantis, sed asserentis est. Unde clarius Vatablus, Erasmus et alii vertunt Græcum εἴγε, *siquidem*, *q. d.* Pro vobis Gentilibus vinctus sum, siquidem pro vobis evangelizo; propter Evangelium autem vinctus sum, uti omnibus, maxime vobis, notum et clarum est : siquidem) AUDISTIS DISPENSATIONEM (græce οἰκονομίαν, *œconomiam*, administrationem) GRATIÆ DEI, QUÆ (scilicet dispensatio) DATA EST MIHI IN VOBIS, — inter Gentes. Nota : Per *dispensationem* hanc et administrationem intelligit suum apostolatum, sive munus prædicandi Evangelium, id est, munus promulgandi redemptionem et gratiam Christi propositam et paratam omnibus qui credunt in eum.

3. QUONIAM (pendet ab *audistis*, *q. d.* « Audistis quoniam, » id est quod) SECUNDUM REVELATIONEM NOTUM MIHI FACTUM EST) græce ἐγνώρισε, *notum mihi fecit*, scilicet Deus. Noster cum Chrysostomo varius et aptius videtur legisse ἐγνωρίσθη, id est, *notum factum est*) SACRAMENTUM, — græce τὸ μυστήριον, *mysterium*, scilicet Christi, ut explicat vers. 4, puta arcanum illud et magnum pietatis sacramentum, quod passim prædico et admiror, de Christi incarnatione, redemptione, prædestinatione, salvatione, et ad eam vocatione, non tantum Judæorum, sed et Gentium : hanc enim Gentium vocationem potissimum hic et alibi admiratur et celebrat Paulus.

SICUT SUPRA SCRIPSI — de hoc sacramento et mysterio; si quis enim legat cap. I et II, videbit hoc Christi mysterium jam dictum, præsertim circa vocationem Gentium, clare et profunde Paulo fuisse revelatum. Ita Hieronymus.

IN BREVI, — ἐν ὀλίγῳ, *in modico*, id est, **paucis et breviter. Ita Chrysostomus et Hieronymus.**

(1) Ita Allioli et Rosenmullerus.

« Mysteriorum Christi, ait Hieronymus, partem modicam suo sermone perstringit Apostolus, non tam totum, quod noverat, proferens, quam ex modico ostendens quid taceret. » Unde sequitur :

4. PROUT POTESTIS LEGENTES (cap. I et II) INTELLIGERE PRUDENTIAM (σύνεσιν, id est *intelligentiam*) MEAM IN MYSTERIO CHRISTI, — de quo jam dixi vers. 3. « Nulla enim, inquit Hieronymus, epistolarum Pauli tanta habet mysteria, tam reconditis sensibus involuta est, atque hæc. » Proprie autem Apostolus hic intelligit mysterium vocationis Gentium ad fidem et gratiam Christi, ut explicat versibus proxime sequentibus.

Nota : Paulus sæpe sumit pro eodem *prudentiam*, *sapientiam*, *intelligentiam*, *cognitionem*, *scientiam*; idque ex phrasi Hebræa, in qua imitatur Sapientem, qui in Proverbiis suam ethicam et præcepta de moribus, vocat nunc *sapientiam*, nunc *prudentiam*, nunc *intellectum*, nunc *disciplinam*, nunc *eruditionem*, nunc *doctrinam*, nunc *scientiam* : quæ nomina licet connotato, etyme et propria significatione distinguantur, ut patet intuenti, Sapiens tamen ea confundit, et pro eodem, scilicet ethica jam dicta, sumit, idque facit copiæ causa.

5. QUOD ALIIS GENERATIONIBUS (id est, ut Ambrosius, aliis sæculis) NON EST AGNITUM FILIIS HOMINUM (id est hominibus) SICUT NUNC REVELATUM EST APOSTOLIS ET PROPHETIS (novi scilicet Testamenti) IN SPIRITU, — id est, per Spiritum Sanctum.

Quæritur quomodo hoc sit verum : nam Isaias et alii Prophetæ clarissime prophetarunt de Gentium vocatione ad fidem Christi.

Respondet *primo*, S. Hieronymus et Chrysostomus, per *filios hominum* intelligi homines vulgares et animales : nam Patriarchæ et Prophetæ non vocantur filii hominum, sed *filii Dei*; sed hoc subtilius et acutius est, ac præter mentem Apostoli.

Unde *secundo*, idem Chrysostomus respondet Prophetas quidem cognovisse Gentes esse vocandas ad Christum, sed non cognovisse eas in vocatione, fide et gratia pares fore Judæis, quod cognoverunt Apostoli; et hoc est quod ait Apostolus, « Gentes esse cohæredes et concorporales, » scilicet Judæis. Sed hoc nec hoc verum esse patet intuenti Isaiam, qui hac in re Gentes sæpissime præfert Judæis, patet cap. XXXIV, XXXV, XLIX, LIV, LX; imo Judæis reprobatis, docet surrogandas esse Gentes.

Unde *tertio*, idem Chrysostomus, Hieronymus, D. Thomas, Anselmus et alii respondent vocationem Gentium ad eamdem Ecclesiam, gratiam et dignitatem cum Judæis, priscis Prophetis innotuisse quidem, sed paucis, idque obscure et in confuso; Apostolis vero et Prophetis novi Testamenti, qui illam curare et exequi debebant, omnibus clare et distincte eamdem a Deo revelatam esse. Unde vis est in voce *sicut*, *q. d.* Non ita plane et particulatim hoc mysterium vocationis Gentium innotuit Prophetis antiquis, sicut revelatum est Apostolis, qui illius modum, locum, tempus, ordinem aliasque circumstantias in particulari, et Spiritu Dei revelante præviderunt, et experientia ac re ipsa vidarunt, cum easdem Gentes converterunt : plenius enim cernitur res dum opere completur, quam dum spiritu futura a longe præviditur. Unde Paulus raptus est in tertium cœlum, ut jamjam futurus doctor Gentium, eas convertendi modum et praxim plene et sigillatim doceretur, ut dixi II *Corinth.* XII. Sic et S. Petrus, *Actor.* X, longe expressius et particularius, quam Isaias aut Prophetæ, hoc mysterium cognovit, quando visionem linteï et eum animalium immundorum re ipsa per legatos a Cornelio Gentili missos, perque ipsius Cornelii cum tota sua familia conversionem explicari et compleri vidit (1).

6. GENTES ESSE COHÆREDES *(q. d.* Mysterium, de quo loquor, hoc est, nimirum ut Gentes sint cohæredes, id est, æque ut Judæi, hæredes) PROMISSIONIS — Abrahæ factæ de Christo Christique Evangelio, salute, gratia, gloria; sicut enim Gentes, æque ut Judæi, per fidem Christi fiunt filii spirituales Abrahæ, qui pater est credentium : ita et Gentes, æque ut Judæi, hæredes sunt benedictionis, id est, justitiæ et salutis Abrahæ et seminis ejus, id est Christo et Christianis, promissæ, de quo dixi *Rom.* IV, 17; *Galat.* III, 7 et 8.

ET CONCORPORALES, — σύσσωμα, id est, unius ejusdemque corporis, ut scilicet unum corpus mysticum, puta unam Ecclesiam, constituant Gentes Christianæ cum Judæis ad Christum conversis.

ET COMPARTICIPES PROMISSIONIS EJUS (ut Gentes, æque ac Judæi, participes sint « promissionis ejus, » scilicet Spiritus Sancti, qui immediate præcessit, ut Ambrosius; vel potius *ejus*, scilicet Dei, quem nominavit vers. 2. A versu enim secundo hæc omnia pendent, explicantque gratiam Dei, quam vers. 2 deprædicavit : hæc ergo promissio Dei, est illa, qua Deus promisit suam amicitiam, remissionem peccatorum, salutem et possessionem regni cœlorum Christianis credentibus et obedientibus sibi) IN CHRISTO Jesu (id est per Christum Jesum, qui hanc Dei promissionem promulgavit) PER (suum) EVANGELIUM, 7. CUJUS (scilicet Evangelii Christi) FACTUS SUM EGO MINISTER, — græce διάκονος, id est *diaconus* sacri ministerii et quasi liturgiæ, puta prædicationis Evangelii : hanc enim vocavit liturgiam, sive Missæ sacrificium, *Rom.* XV, 16.

SECUNDUM DONUM GRATIÆ DEI, — id est, per donum gratiæ Dei. Sic enim Apostolus Græcum κατὰ, id est secundum, quasi respondeus Hebræo כְּ *al*,

(1) *Quarto* Allioli : Prophetia veteribus, imo Apostolis, saltem ante revelationem Petro datam, *Act.* X, 28, ignotum erat Gentiles in Ecclesiam ingressuros esse per *fidem*, non ex operibus legis.

ample et varie sumit, jam pro *juxta*, jam pro *per*, jam pro *cum*. Unde hic subdit :

SECUNDUM OPERATIONEM (græce ἐνέργειαν, id est *efficaciam*, et efficacem operationem) VIRTUTIS (græce δυνάμεως, *potentiæ*) EJUS. — *q. d.* Apostolatum non inanem, otiosum et vacuum accepi; sed talem qui potenter et efficaciter operetur conversionem Gentium etiam barbararum.

Notat hic duo Apostolus : *primo*, officium ministerii sive apostolatus se accepisse per donum et gratiam Dei; *secundo*, illius officii actum, usum et exercitium potens esse, et potenter efficaciterque operari fidem et salutem Gentium per eamdem divinæ gratiæ vim, potentiam et energiam.

8. MIHI OMNIUM (non tantum Apostolorum, ait Chrysostomus, sed et) SANCTORUM (id est Christianorum) MINIMO. — Hieronymus, *infimo*, græce ἐλαχιστέρῳ, id est, *infimiori*, *q. d.* Inferior et infimior sum infimo, minor sum minimo.

Nota hic miram Apostoli humilitatem : nam n tantum se minimum, vel infimum vocat, sed norem minimo et inferiorem infimo. Hinc ex perlativo format comparativum, scilicet ex ἐλάχιστος ἐλαχιστότερος, sicuti si ex minimo formares minimior, ex infimo infimior : infimiorem ergo se vocat, ut magis infra omnes se demittat et diminuat ; et per hanc humilitatem Paulus meruit evehi ad apostolatum, ait Hieronymus.

Dices : Hæc humilitas videtur ficta et mendax ; sciebat enim et videbat Apostolus sibi plus gratiæ et virtutum a Deo datum esse, quam Ephesiis aliisque Christianis, quos ipse convertebat.

Respondet S. Hieronymus scivisse Paulum se iis esse sanctiorem, sed tamen se ita gessisse ac demisisse, ac si iis esset inferior. Sicuti princeps subinde modestiæ causa primas in mensa, et in incessu, dat amicis et aliis nobilibus longe se inferioribus.

Verum hoc non satisfacit : nec enim de praxi et submissione externa in gestu aut incessu, sed de sensu suo loquitur Paulus, dicens ac revera in animo sentiens se esse omnium Sanctorum minimum ; alioqui enim mentiretur et hypocrita esset, quod absit.

Dico ergo id dixisse Apostolum eo sensu, quo S. Franciscus solebat dicere se maximum esse peccatorem, *q. d.* Licet majorem a Deo quam alii gratiam acceperim, si tamen me, meam negligentiam, infirmitatem, malitiam tum præsentem, tum præteritam, quia fui persecutor Christi et Ecclesiæ (ad hanc enim maxime solet respicere dum se humiliat Apostolus) spectem, revera videor mihi maximus peccator, indignus apostolatu, ac minimus Christianorum vere et re ipsa pensandus : puto enim quod, si Deus illum gratiam quam mihi dedit, daret latroni vel maximo peccatori, magis is quam ego illi cooperaretur, utque magis sanctior. Hoc enim judicium licet forte speculative non esset verum, practice tamen erat verum ; quisque enim non alios, sed seipsum et suam infirmitatem considerans, potest et debet ita humiliter de se sentire : hoc enim est dictamen virtutis, quod suggerit et suadet prudens humilitas, et qui vere humilis est, ita de se sentit, talisque sibi esse videtur, de quo plura *Philipp.* II, 3, et I *Timoth.* I, 15.

DATA EST GRATIA HÆC, IN GENTIBUS EVANGELIZARE INVESTIGABILES (græce ἀνεξιχνίαστον, *imperscrutabiles*, *inestigabiles*, inscrutabiles, et, ut Ambrosius, *incomprehensibiles*) DIVITIAS CHRISTI. — Ita passim Apostolus vocat copiam gratiarum et bonorum, quæ Christus nobis attulit.

Notat Chrysostomus in morali *homil.* 6, Paulum triplicem accepisse gratiam ad evangelizandum, triaque ad prædicationem attulisse mire ad persuadendum efficacia, *primo*, animum alacrem, audentem, ferventem et ad omnia intrepidum ; *secundo*, cœlestem quamdam sapientiam ; *tertio*, potentiam spiritus cum vita inculpata.

9. ET ILLUMINARE OMNES. — Sicut angelorum o ficia tria sunt, ait S. Dionysius, scilicet homin illuminare, purgare et perficere : ita non tantu Christus, sed et Apostoli aliique Doctores h tria faciunt quasi angeli quidam terrestres et h mines angelici ; illuminare ergo non significat lucem proferre id quod reconditum erat, ut ve tit Syrus et Erasmus ; sic enim inepte diceretur *illuminare omnes*, ut habent Græca et Latina ; se significat alios docere, aliis lucem veritatis et fidei impertiri ; sicut enim sol sua luce tenebrosa loca illuminat, ita doctores clara sua doctrina illuminant tenebrosas et ignorantes hominum mentes. Unde et apte præmio singularis claritatis et splendoris in cœlo donabuntur. « Qui docti fuerint, inquit Daniel, cap. XII, fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. »

QUÆ SIT DISPENSATIO SACRAMENTI ABSCONDITI SÆCULIS IN DEO, QUI OMNIA CREAVIT. — Pro *dispensatio* aliqua Græca legunt οἰκονομία, *q. d.* Quæ sit communio vel communicatio sacramenti, quod scilicet hoc sacramentum redemptionis hominum non tantum Judæis, sed et Gentibus communicatum sit. Verum legendum est hic, ut supra vers. 2, οἰκονομία, *quæ sit dispensatio*, et ita legunt Biblia Regia, noster Interpres, Chrysostomus, Theophylactus et Græci.

Ubi nota, οἰκονομία, id est *dispensatio*, duo significat : *primo*, ipsam dispositionem et ordinationem rei alicujus faciendæ vel gerendæ ; *secundo*, ipsam rei dispositæ vel ordinatæ dispensationem, id est erogationem, donationem, distributionem. Juxta primam significationem sensus erit : ut illuminem et doceam omnes quam admiranda sit œconomia et æterna Dei dispositio circa vocationem Gentium per nativitatem, mortem et resurrectionem Christi. Juxta secundam vero hic erit sensus, paulo simplicior, ut dixi cap. I, vers. 10, *q. d.* Mihi data est gratia illuminandi omnes Gentes et scilicet eas docendi, quam sapienter dispensatum, id est distributum, et omnibus propositum sit hoc tempore a Deo sacramentum redemptionis Christi et vocationis Gentium ad Christum ; vel potius per hypallagen, « quæ sit dispensatio sacramenti, » id est quod, quale et quantum sit sacramentum, sive mysterium hoc, « quod » hactenus per tot sæcula, imo ab æterno, « absconditum fuit in Deo, » in Dei scilicet mente, consilio et prædestinatione ; jam vero dispensatum, id est erogatum, distributum est, omnibusque propositum et oblatum.

QUI (scilicet Deus) OMNIA CREAVIT. — Notat et elidit dogma Simonis Magi, qui docebat mundum ab angelis esse factum. Græca addunt, διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, *per Jesum Christum*, et ita legit Chrysostomus, Theophylactus et Græci ; sed hæc non habet Hieronymus, nec Ambrosius, nec vetusti codices Latini.

10. UT INNOTESCAT PRINCIPATIBUS (ita legunt Romana, Græca et Syrus ; Plantiniana tamen cum Hieronymo legunt *principibus*) ET POTESTATIBUS, — illis scilicet ordinibus angelorum, qui dicuntur Principatus, id est principes ; et Potestates, hoc est potentes, ut dixi cap. I, vers. 21. Sub his per synecdochen cæteros angelorum ordines intellige. Ita Hieronymus, Chrysostomus, Theophylactus. Unde licet Ambrosius malos hic angelos intelligat, qui in cœlestibus, hoc est in aere et cœlo hoc aereo, versantur, melius tamen S. Hieronymus, Chrysostomus, Anselmus, bonos angelos accipiunt : hos enim significant Principatus et Potestates, cum absolute ponuntur. Nam cum dæmones intelliguntur, solet addi, principes tenebrarum, aut aeris hujus, aut similis particula restringens et alienans. Deinde hos proprie significat vox *in cœlestibus*, scilicet locis, commorantes.

PER ECCLESIAM MULTIFORMIS SAPIENTIA DEI. — Quæritur, quomodo hoc sit verum : nam angeli illuminant Ecclesiam et homines, non autem ab eis illuminantur et docentur.

Primo, Augustinus, lib. V *De Genesi ad litteram*, cap. XIX, tom. III, intelligit Ecclesiam cœlestem, quæ constat Deo et angelis, *q. d.* Angelis inferioribus innotuit mysterium hoc redemptionis Christi, et vocationis Gentium per revelationem Dei, et illuminationem angelorum superiorum, innotuit inquam a sæculis, id est ab initio sæculorum et mundi ; sed obstat quod ait Apostolus : « Ut innotescat nunc. » Si nunc, ergo non ab initio mundi. *Secundo*, per « Ecclesiam » non intelligit cœlestem sed terrestrem ; patet, quia ait : Mihi data est gratia evangelizare et illuminare omnes, ut innotescat per Ecclesiam, cui scilicet evangelizo, et quam illumino, multiformis sapientia Dei.

Secundo, S. Thomas, I *part.*, *Quæst.* LVII, art. 5, sic explicat : « Ut innotescat Principatibus, » non absolute, sed per visionem et experientiam, *q. d.* **Ut videant ; quod enim angeli ante per revelationem sciebant futurum, hoc in Ecclesia viderunt fieri, cum res facta et gesta est : sed tum dixisset Apostolus : Ut videant, vel, Ut apparent angelis,** sicut dixit I *Timoth.* VIII, 16 ; non autem, « ut innotescat : » nam innotescere dicitur, cum notum fit quod ante erat ignotum. Unde et Apostolus vers. præcedenti dixit mysterium hoc antea fuisse absconditum in Deo : ergo latebat angelos.

Dico ergo, per « Ecclesiam, » id est per ea quæ gesta sunt a Christo et Apostolis in Ecclesia, perque gratias et dona Ecclesiæ ab iis communicata, multa mysteria Christi et Christianorum angelis innotuisse, quæ prius ignorabant : licet enim mysterium incarnationis et redemptionis nostræ, quoad substantiam ex revelatione a principio suæ beatitudinis cognoverint, non tamen omnes ejus partes, species, causas, effectus, modos et circumstantias cognoverunt, sed didicerunt, cum ea in Ecclesia fieri, exhiberi et geri viderunt. Talia fuerunt institutio Sacramentorum, præsertim Eucharistiæ ; modus et ratio justificandi peccatores ; divisio et missio Apostolorum in tales ac tales provincias ; ordo hierarchicus Apostolorum, Sacerdotum, Diaconorum aliorumque ministrorum Ecclesiæ ; vocatio Gentium, de qua proprie hic loquitur Apostolus.

Ubi nota, licet Chrysostomus et Theophylactus dicant angelos ignorasse quod Gentes vocandæ essent ad christianismum, donec eas vocari a Paulo et Apostolis viderunt, tamen non videri dubium quin in genere hoc angeli cognoverint ; si enim Isaias et Prophetæ id cognoverunt, ergo et angeli, qui vel hoc revelarunt Prophetis, vel ex vaticiniis Prophetarum tam claris id facile intellexerunt. Quod ergo Apostolus hic ait eos illud non cognovisse, intellige eo modo quo, vers. 5, negavit Prophetas id cognovisse, scilicet in particulari, claro et distincte, v. g. quomodo vocandæ essent Gentes, an simul cum Judæis, an in locum Judæorum, cum illi respuissent Evangelium, et a Deo rejecti essent ; quo ordine, per quos, quibus modis et mediis : hoc enim ante angelos passim cognoverunt ex Dei revelatione Apostoli, præsertim Paulus, tum ab initio conversionis suæ, quando ante alios Apostolos electus fuit a Deo, et declaratus doctor Gentium, *Actor.* IX, 15 ; tum potius et plenius, quando proxime mittendus ad Gentes, raptus fuit in tertium cœlum, ut dixi II *Corinth.* XII. Ita Hieronymus, Ambrosius, Anselmus, Theophylactus, Chrysostomus. « Paulus, inquit Chrysostomus, angelorum Evangelista hic eos illuminavit ; » et D. Thomas, *Opusc.* I, cap. XXVI, ex Cyrillo docet, prædicante Paulo, angelos didicisse circumstantias Evangelii et vocationis Gentium.

Nota *secundo*, hæc dici contra Simonem Magum, qui nimis angelis tribuens, docebat eos esse adorandos quasi ipsi mysterii redemptionis nostræ conscii et mediatores fuissent, de quo *Colosa.* II, 18.

MULTIFORMIS SAPIENTIA DEI. — πολυποίκιλος, id est *multivaria*, sive valde et multipliciter varia. Aliqui legunt πανποίκιλος, *omnivaria*, maxime varia sapientia Dei; ut non solum varia sit, sed et multa varietate distincta. Ita Hieronymus : « Respice, inquit, cunas Christi, vide pariter et cœlum. Vagientem in præsepi intuere infantem, sed simul angelos ausculta laudantes. Herodes persequitur, sed adorant Magi. Ignorant Pharisæi, sed stella demonstrat. Baptizatur a servo, sed vox desuper Dei intonantis auditur. Aquis mergitur, sed columba descendit, imo Spiritus in columba. Ad passionem venit, et pati timet, sed vult transire calicem; et Petrum, quia calicem timebat, accusat. Quid hac stultitia prudentius, varietate distinctius, sapientia obscurius, quam fecit Deus in Christo Jesu Domino nostro? » Hactenus Hieronymus. Proprie tamen Apostolus respicit ad sapientiam Dei, quam variis modis ostendit in vocatione Gentium, reprobatione Judæorum, modo et ordine eas vocandi, ut dixi § præced. et cap. I, vers. 11.

11. SECUNDUM PRÆFINITIONEM SÆCULORUM, — κατὰ πρόθεσιν, id est, ut Hieronymus, *secundum propositum sæculorum*, id est a sæculis, vel ante sæcula actum, q. d. Secundum decretum æternum, quo proposuerat, decreverat, præfinierat Deus hoc facere et exequi. Unde Syrus vertit, *quæ futura erat a sæculo, facta vero est in Jesu Domino nostro.*

Secundo, « secundum præfinitionem sæculorum, » id est quam fecit de sæculis futuris, de serie sæculorum, deque hominibus, qui quolibet sæculo a primo usque ad ultimum sunt futuri, scilicet præfiniens sæculum status innocentiæ, deinde sæculum legis naturæ, tertio sæculum legis Mosis, quarto sæculum legis Christi et gratiæ, decernensque et præfiniens in eo omnes omnium illius temporum gentes et nationes successive vocare ad fidem et salutem per Christum; et hoc est, quod ait : « Quam fecit in Christo Jesu. » Rursum præfiniens primo sæculo legis naturæ vocare ad se omnes Gentes, secundo per Mosen solos Judæos relictis Gentibus, tertio per Christum solas fere Gentes, quas hactenus vocare neglexerat, et vice versa negligere Judæos incredulos : hic enim fuit circulus et conversio sæculorum quoad fidem, gratiam et salutem, et quasi annus sæcularis et circularis Dei. Ita Chrysostomus et Theophylactus. Hic secundus sensus est pulchrior et aptior; in eo enim proprie spectatur multiformis et varia sapientia Dei. Ab hac multitudine et varietate cognitionis et sapientiæ, Christus ipse vocatur πανεπόπτης, id est *multocuhus*, et Cherubim, inquit Anastasius Sinaita, lib. I *Hexaemeron*.

QUAM FECIT IN CHRISTO JESU. — Pronomen « quam » refertur potest *primo*, « Ecclesiam; » *secundo*, « sapientiam, » ut Hieronymus; *tertio* et *planissime*, « præfinitionem, » q. d. Hæc præfinitio sæculorum jam dicta, facta est per Christum et Christi merita. Hinc potest quod dixi cap. I, non tantum fidem et gratiam, sed et prædestinationem ipsam æternam, quæ est in mente Dei (hæc enim est præfinitio, de qua hic Apostolus), factam esse ex meritis Christi prævisis, q. d. Apostolus : Quod primo sæculo vocarentur omnes Gentes ad salutem, secundo Judæi, tertio Gentiles, id factum ex meritis Christi prævisis, ob quæ Deus decrevit, ab æterno prædestinare, vocare, justificare et glorificare credentes in Christum, sive Judæos, sive Gentes, quolibet sæculo.

12. In quo (per quem, scilicet Christum) HABEMUS FIDUCIAM (græce παῤῥησίαν, id est, ut Syrus, audaciam libere loquendi, libertatem evangelizandi, q. d. Cujus, scilicet Christi ope audacter, libere et intrepide evangelizo. *Secundo*, melius hic Noster vertit « fiduciam, » qua animus per Christum peccatis expiatus, et innocenter jam vivens, bene sibi conscius, confidit se esse in gratia et amicitia Dei. Unde cum dixisset : « In quo habemus fiduciam, » hujus fiduciæ effectum subdit) ET ACCESSUM IN CONFIDENTIA, — ut scilicet confidenter quasi amici, imo quasi filii accedamus ad Deum Patrem, dicamusque : « Abba Pater. »

PER FIDEM EJUS. — Refer non tantum ad *in confidentia*, q. d. In confidentia, cujus principium et origo est fides Christi; sed potius ad *fiduciam et accessum*, q. d. Fiduciam et fiducialem accessum habemus ad Patrem per fidem Christi, qua remissionem peccatorum et justitiam assecuti confidimus nos esse in Dei gratia et favore, et confidenter ad Deum quasi patrem amantissimum accedimus : fides enim parit hanc fiduciam et confidentiam. Ita Chrysostomus, Theophylactus et Græci.

13. PROPTER QUOD, — quia scilicet habemus hanc fiduciam et accessum ad Deum Patrem nostrum, qui potentissimus est, ut in omnibus tribulationibus nos roboret, easque propulset.

PETO NE DEFICIATIS IN TRIBULATIONIBUS MEIS (Græce μὴ ἐγκακεῖν, id est non deficere, non lassescere, non segnescere, quod *primo*, potest referri ad primam personam, quasi Paulus de se dicat, Peto et oro Deum ne ego deficiam in tribulationibus, ne iis vincar et cadam. Ita Hieronymus et Syrus. *Secundo*, noster interpres refert ad secundam personam : ne vos, scilicet, o Ephesii, deficiatis et cadatis animo, videntes me tribulari et vinciri) PRO VOBIS, — quia scilicet vobis aliisque Christum et salutem evangelizo. Hæc secunda versio verior est : magis enim Ephesiis pusillis et novellis in fide timebat Apostolus in persecutione, ne animis caderent, quam sibi, qui quasi generosus pugil et athleta Christi in ea solet gloriari.

Nota : « Peto, » non a Deo, sed a vobis : græce enim est αἰτοῦμαι, id est peto, posco, exigo. Unde S. Augustinus, *serm.* 7 in hæc Apostoli verba : « Peto, ait, a vobis propter arbitrium voluntatis; sed quia hæc infirma est, Deum rogo, ut idem det vobis propter auxilium majestatis. » Unde subdit Apostolus : « Hujus rei gratia, flecto genua ad Patrem. »

QUÆ EST GLORIA VESTRA. — q. d. Quod ego Apostolus et præceptor vester dignus sim tanta pro Christo et vestra salute pati, non turbari, non animis cadere, sed exultare et gloriari debetis. Ita Chrysostomus. Hæ siquidem passiones stigmata sunt et insignia Christi, *Galat.* VI, 17, suntque præludia martyrii.

14. HUJUS REI GRATIA. — Redit post longum hyperbaton (quo a versu secundo hucusque abreptus fuit in Dei dignationem, et beneficium vocationis Gentium) ad versum primum, ut ibi dixi.

FLECTO GENUA AD PATREM, — flexis genibus in signum reverentiæ et humilitatis, oro et obsecro Deum Patrem. Est metalepsis.

15. EX QUO OMNIS PATERNITAS IN CŒLIS ET IN TERRA NOMINATUR. — Nota : Sient græce a πατὴρ, πατρός; et Syre ex אַב *ab*, אַבוּתָא *abaluta* : ita latine a pater, *paternitas* dicitur et derivatur. Unde recte, quidquid cavillentur Erasmus et Beza, Interpres noster novum nomen πατρός, novo Latino nomine *paternitas*, vertit, et ita verterunt S. Hieronymus, Damascenus, lib. I *De Fide*, cap. IX; Syrus, interpres Theophylacti, et alii qui Græcæ linguæ fuerant peritissimi.

Unde *primo*, Damascenus sic explicat : « Nomen paternitatis ex divinis ad humanos patres translatum est. » Quod intellige metonymice, « nomen, » id est res nomine paternitatis significata, sive ipsa paternitas, quæ est in hominibus et creaturis, descendit a Deo Patre, qui primus increatus et immensus Pater ipsis suam paternitatem communicavit, ut et ipsi fierent et dicerentur patres; nam nomen ipsum patris prius hominibus imposuerunt homines, et inde idem transtulerunt ad divina, et ad Deum Patrem : ex humanis enim, utpote sibi notioribus, homines imposuerunt nomina divinis, ut passim alii Patres et Doctores docent. Non ergo de nomine Patris, sed de re hoc nomine significata intelligendus est Damascenus. Et hoc est quod docet D. Thomas et Scholastici, paternitatem omnem creatam derivari ab increata, quæ est in Deo Patre. Huc accedit S. Hieronymus : « Sicut, inquit, solus bonus (Deus) bonos facit, et solus immortalis immortalitatem tribuit, et solus verus, veritatis nomen impertit : ita solus Pater, quia creator est omnium et universorum causa substantiæ, præstat cæteris ut patres esse dicantur. De terrenis cœlestia contemplemur. Adam quem primum plasmavit Deus, et creator ipsius, et pater fuit, certe Deo Patri scit se debere quod subsistit. Rursum hi qui geniti sunt ex Adam, patrem illum intelligunt, ex quo orti sunt. Unde *Lucæ* III, ait Scriptura : filii Seth, filii Adam, filii Dei, ut paternitatis in terra vocabulum a Deo primum ortum esse monstraret. » Et inferius : « Ex eo quod Deus Pater Domini nostri Jesu Christi juxta substantiam pater est, et unigenitus non est adoptione filius, sed natura, cæteræ quoque creaturæ, paternitatis nomen adoptione meruerunt. » Addit S. Hieronymus dici : « Ex quo omnis paternitas *nominatur*, non vero *nata est*. Aliud est enim appellationem paternitatis mereri, aliud naturæ habere consortium, » q. d. Ipsa increata et divina Dei paternitas nobis communicari nequit, sicut nec ipsa Dei essentia : sic enim vere et proprie essemus dii; sed tantum participatio quædam tenuis ejusdem, ex qua fit ut patres nominemur sicut et Deus, sed analogice et participative. Igitur ex prolixo discursu S. Hieronymi et cæterorum hanc colligas sententiam : Paternitas, inquit, in cœlis est generatio Filii, paternitas in terra est generatio hominum et animalium, quæ omnis a Dei paternitate manat : omnes enim ab eo vim habent generandi, ut sint et nominentur patres.

Dices, in cœlis nulla est paternitas quæ a Dei paternitate descendat. Respondet S. Hieronymus, angelos æque ac homines habere sui generis principes, quos patres gaudent appellare : principes enim est et dicitur subalternorum pater, et principatus est quædam paternitas. Sic servi Naaman eum vocant *patrem*, id est dominum et principem, IV *Reg.* V, 13. Sic *patres* Latinis vocantur senatores, imo Romani eos fere vix alio nomine compellabant quam Patres conscripti. Hic sensus est appositus, sed non proprius et adæquatus.

Unde *secundo* : Nota cum Hieronymo, S. Paulum Græcum πατριὰ, quod Noster vertit, *paternitas*, accepisse a Septuaginta, qui hoc nomine solent vertere Hebreum מִשְׁפָּחוֹת *mispacha*, id est familia, vel tribus (has tribus Septuaginta alibi vocare solent φυλὰς), quas ab uno capite et parente descendit : quia enim duodecim filii Jacob apud Judæos capita et patres fuerunt duodecim familiarum et tribuum a se descendentium, hinc Septuaginta tribum a quolibet hoc patre descendentem vocant πατριὰν, et a πατριὰ vocant Patriarchas ipsos tribuum patres et primos progenitores, q. d. τῆς πατριᾶς ἀρχοί, id est tribus principia. Itaque πατριὰ, sive *paternitas*, aut, ut vertit interpres Chrysostomi, paterna cognatio, est familia, vel tribus aut gens, quæ ab uno communi patre prognata est, quam Hieronymus contra Helvidium parentelam vocat, et ita vertit hic Vatablus. Sic noster interpres retinens Græcum πατριὰ, *Psal.* XCVI, 7, vertit : « Afferte Domino, patriæ, » id est familiæ, tribus, stirpes, « gentium, afferte Domino gloriam et honorem. » *Paternitas* ergo non sumitur hic pro relatione patris in abstracto, quam Philosophi paternitatem vocant : hæc enim græce, Damasceno teste loco citato, potius πατρότης quam πατριὰ dicenda esset; sed metonymice *paternitas* hic idem est quod parentela, quæ ab eodem patre, vel paternitate descendit. Sunt enim quasi correlativa pater sive paternitas, et parentela, ummique includit alterum; pater enim est parentelæ pater, et parentela est patris parentela, q. d.

Apostolus : Deus Pater non tantum Christi, sed et omnium est pater, tam hominum quam angelorum, ita ut Deo communi parente affines sint Judæi et Gentes, homines et angeli : ipse enim pater est omnium familiarum, non solum corporalium, sed et spiritualium, puta Seraphim, Cherubim, Thronorum et cæterorum ordinum. Licet enim hæ familiæ suos proprios et distinctos habeant patres et principes, omnes tamen communem patrem et principem habent Deum, a quo omnes descendunt : ideoque Deo Patri non tantum paternitas et generatio æterna, respectu Filii sui, sed et temporalis per creationem in omnes cœlestes et terrestres tribus et cognationes convenit, ac consequenter ab omnibus in cœlo et in terra quasi Pater est nominandus, celebrandus (ut dixi cap. I, vers. 21), colendus et redamandus. Ita Chrysostomus, Theophylactus, Theodoretus, Œcumenius, imo et S. Hieronymus.

Nota *tertio* : Apostolus unum Deum Patrem opponit multis principiis et diis Simonis Magi et Hesiodi (qui suam Theogoniam, id est deorum generationem, conscripsit), aliorumque Poetarum et Philosophorum Gentilium. Rursum, ne Judæi jactent Deum verum suum esse Deum, non Gentium, Gentesque alium debere quærere Deum, Apostolus eos retundens dicit Deum esse patrem communem omnium tam Gentium, quam Judæorum; ac proinde non mirari debere Judæos, si Gentes, æque ac Judæi, jam a communi parente ad salutem per Christum Christique Apostolos vocentur, et vicissim Gentes fidenter, æque ac Judæos, ad Christum et Deum quasi ad communem parentem accedere debere.

NOMINATUR, — id est existit, suum habet esse et suam originem, derivatur et descendit; ut jure a Deo Patre nomen accipere, et ab eo nominari possit familia, tribus vel parentela Dei, quæque Deum habet patrem, a quo quasi a primo exemplari et efficiente omnes familiæ et parentelæ, omnesque familiarum patres et capita, omnis denique generandi vis, fœcunditas et paternitas tanquam a patre omnium magno et universali profluit et dimanat : sic enim Hebræi motonymice *vocari* aut *nominari* sumunt pro *esse*. Sic *Isaiæ* VII, 14, Christus dicitur vocandus Emmanuel, *id* est erit Emmanuel, quia nobiscum erit Deus, quod significat Emmanuel. Sic *Isaiæ* VIII, 3, Christus dicitur vocandus « Accelera spolia detrahere, festina prædari, » id est celer erit dæmonum et hostium suorum spoliator, eorumque festinus prædator. Nec enim hæc duo nomina Christo imposita, Christumque ita nominatum usquam legimus, rem autem atroque nomine significatam Christo convenire notissimum est.

16. UT DET VOBIS SECUNDUM DIVITIAS GLORIÆ SUÆ (id est gloriosæ gratiæ suæ) VIRTUTE (græce δυνάμει, id est *fortitudine*, constantia et robore spiritus contra omnes persecutiones et tentationes) CORROBORARI (scilicet ut corroboremini in infirmitate naturæ vestræ) PER SPIRITUM EJUS IN INTERIOREM HOMINEM, — ut interior homo, id est mens gratia et spiritu Dei regenerata (hic ita vocatur ab Apostolo vocatur *interior homo*, ut dixi *Rom.* VII, 22), in eadem gratia et spiritus fortitudine crescat.

Nota : Præpositio *in* cum accusativo significat augmentum. Sic dicimur ire de virtute in virtutem; sic dicitur justitiam Dei in Evangelio revelari ex fide in fidem. Vide dicta *Rom.* I, 17. Regia tamen Biblia, et alia nonnulla legunt, *in interiori homine*; et sic Græcum εἰς cum accusativo sæpe sumitur pro ἐν, id est *in*, cum ablativo. Tumque planus est sensus, ut scilicet optet eos corroborari in interiori homine, id est *in* mente, intellecta, voluntate, cæterisque internis animæ viribus et potentiis : hæ enim, vel potius homo, quatenus iis constat iisque vivit, dicitur homo interior : sicut e contrario exterior dicitur idem homo, quatenus sensibus membrisque externis constat, vivit, iisque operatur et indulget. Hoc ergo sensu homo exterior et interior sumitur naturaliter; priore vero sensu sumitur supernaturaliter. Vide dicta II *Cor.* IV, 16.

17. CHRISTUM HABITARE (repete, « det vobis » Deus Pater, ut Christus habitet) PER FIDEM, etc.

IN CHARITATE RADICATI ET FUNDATI, — supple, *ut sitis*; alias dicendum erat, *radicatis et fundatis*. Verum Romana et Anselmus jungunt hæc sequentibus sic : « In charitate radicati et fundati, ut possitis comprehendere, » etc.

18. UT POSSITIS COMPREHENDERE (id est animo concipere et intelligere) CUM OMNIBUS SANCTIS, — id est Apostolis, ait Ambrosius, Prophetis et Christianis, tum militantibus hic adhuc, tum potius in cœlo triumphantibus, Deique visione beatis.

QUÆ SIT LATITUDO, ET LONGITUDO, ET SUBLIMITAS, ET PROFUNDUM. — Nota *primo*, Apostolum hic cum dimensionibus jungere differentias positionum : nam tres tantum sunt dimensiones, longitudo, latitudo, crassities; altum vero et profundum respondent τῷ sursum et deorsum, quæ sunt differentiæ positionum; crassum ergo hic resolvitur in altum et profundum quasi in sua extrema. Itaque hæc quatuor jungenda et distinguenda sunt, non uti sunt in corpore, sed uti sunt in domo, ubi profundum sunt fundamenta, altitudo est tectum, longitudo est longius latus vel paries, latitudo est brevius latus.

Nota *secundo*, Apostolus videtur perstringere fabulas hæreticorum et poetarum, uti deorum βάθος, sive profundum Hesiodi, et dimensiones Christo ab Elxai adfictas, de quibus Epiphanius, lib. I, cap. XIX et XXX : « Elxaï, ait, describit Christum esse quamdam virtutem mensura viginti quatuor schœnorum in longitudinem, id est milliariorum nonaginta sex, in latitudinem schœnorum sex, id est milliariorum viginti quamor, et crassitiem similiter emetitur, et pedes, et fabulamenta reliqua. » Tales etiam fuerunt triginta Æones Valentini, *q. d.* Apostolus : Poeta, Valentinus et hæretici jactant suum deorum βάθος, id est *profundum*, suum πλήρωμα, id est *plenitudinem*, longitudinem, latitudinem, altitudinem; sed fabulose : ego vero hæc ipsa in Christo Christianorum Deo esse prædico et demonstro.

Nota *tertio*, Scripturas generalissime capiendas esse, quia auctor earum, Spiritus Sanctus, uti amplissimum habet intellectum et conceptum, ita et locutionem. Unde varios intendit sensus etiam litterales, si rei locoque conveniant, maxime si subordinati sint et connexi, omnesque in unum quasi scopum conspirent et dirigantur. Ita S. Augustinus, lib. XII *Confess.*, cap. XXXI. Unde Apostolus generatim et indeterminate dicit : « Quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas et profundum, » non explicans, nec determinans cujus rei intelligat longitudinem, latitudinem, etc. Quare hunc locum varie admodum et multipliciter explicant Patres, omnesque probabiliter. Vide hic fœcunditatem S. Scripturæ.

Dico ergo *primo* : Apostolus loquitur hic de beneficio œconomiæ et redemptionis Christi, qua non tantum Judæos, sed et Gentes omnes vocavit ad salutem, gratiam et beatitudinem, vultque hac phrasi significare quam magnum fuerit hoc mysterium Christi, quamque omnibus numeris et partibus absolutum; sequitur enim : « Scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi. » Christi ergo vel charitatis Christi dimensiones hic describit. Idem patet ex anteced. vers. 3, 4, 6, 8, 11 et cæteris, quibus non facit aliud, quam hoc sacramentum et mysterium Christi deprædicare et admirari. Unde patet, hunc sensum esse genuinum et proprie intentum ab Apostolo. Ita Chrysostomus, Theophylactus, Theodoretus, Œcumenius. Si singula velis singulis adaptare, ita poteris : « Quæ sit latitudo, » id est quam late se extendat hoc mysterium, charitas et beneficentia Christi, videlicet ad omnes gentes et homines, qui ante legem, in lege, post legem, fuerunt, sunt et erunt; « quæ longitudo, » id est quam longe mysterium hoc prædefinitum fuerit, scilicet ab æterno; « quod sit profundum, » id est quam profunde, nimirum ad inferos, virtus Christi se extendat; « quæ sit sublimitas, » id est quam sublimiter, puta super omnes cœlos, primitias nostras in se Christus evexerit nosque evehet. Ita Œcumenius.

Possunt *secundo*, hæ dimensiones accipi de Christo qua Deus est; unde sequitur : « Ut impleamini in omnem plenitudinem Dei, » ubi græce est πλήρωμα, quod erat unum ex Æonibus, sive diis Valentini, cui suum verum πλήρωμα, id est plenitudinem Dei, opponit Apostolus. Licet enim omnes dimensiones in Deo unum sint, una scilicet immensitas, sitque Deus quasi sphæra quædam intelligibilis sine dimensionibus, ut explicat Ambrosius; unde etiam Empedocles rogatus quid esset Deus, respondit : Est circulus cujus centrum est ubique, circumferentia nusquam; quia scilicet Deus ubique est totus, nunc tamen cœli terræve ambitu concluditur, sed super cœlos per immensa illa spatia vacua in immensum se porrigit ejus immensitas. Hinc recte eam describens Job, cap. XI, vers. 8 : « Excelsior, inquit, cœlo est, et quid facies? profundior inferno, et unde cognosces? Longior terra mensura ejus, et latior mari. » Et sic Ambrosius hic per longum, latum, sublime, profundum intelligit immensitatem Dei. Has tamen dimensiones in Deo distinguere possumus per analogiam et similitudinem ad creaturas, seu ita ut illæ in creaturis distinguuntur : et sic Dei longitudo est æternitas; latitudo est omnipotentia, ut D. Thomas, vel, ut Bernardus et Gregorius, est charitas; sublimitas est Dei majestas; « profundum est abyssus judiciorum et sapientiæ Dei. Ita Anselmus, D. Thomas, Cajetanus. Et pulcherrime S. Bernardus, lib. V *De Consider.*, in fine : « Divina, ait, essentia, res una cum sit, est tamen longitudo propter æternitatem, latitudo propter charitatem, sublimitas propter majestatem, profunditas propter sapientiam; hæc quadriga Dei; comprehendimus hanc duobus brachiis, timoris et amoris; timor sublimi et profundo, amor longo latoque respondet; vel quatuor virtutibus : longitudinem enim tenemus et comprehendimus perseverantia, latitudinem charitate, majestatem veneratione et adoratione, sapientiam et abyssum judiciorum timore et humilitate. His etiam quatuor species contemplationis respondent : longitudinem enim comprehendit meditatio promissorum, latitudinem recordatio beneficiorum, sublimitatem contemplatio majestatis, profundum inspectio judiciorum. » Hæc Bernardus. Paulo aliter S. Gregorius, lib. XI *Moral.*, cap. X et XI, in illud, *Excelsior cœlo*, etc., per latitudinem, accipit charitatem Dei; per longitudinem, longanimitatem; per sublimitatem, incomprehensibilitatem Dei, qua a Sanctis in cœlo, licet clarissime visus, nequit comprehendi; per profundum, incomprehensibilitatem judiciorum Dei in puniendis damnatis.

Potest *tertio*, hic locus accipi de dimensionibus crucis : fuit enim crux instrumentum redemptionis Christi. Ubi nota : Tres lineæ rectæ tantum esse possunt, quæ perpendiculariter, id est, ad angulos rectos sese invicem intersecant, scilicet, duæ in plano jacentes, et tertia illis insistens, et utramque in concursu penetrans in profundum, sive deorsum versus. Et hæ tres lineæ faciunt trinam crucem : reliquæ enim præter has tres laterales lineæ sese intersecantes angulos faciunt non rectos, sed acutos. Et hinc Mathematici tres dimensiones, sive quantitatis species collegerunt, longum, latum, crassum vel profundum, quod hic habet Apostolus, ut recte noster Clavius in I *Euclidis* annotavit; hæ ergo dimensiones fiunt per trinam crucem. Unde et hic apte de cruce Christi accipi, et de ea explicari possunt.

Pro quo rursum nota : Gregorius Nyssenus,

orat. 1 *De Resurrect.*, vult Apostolum alludere ad quatuor cornua crucis, summumque cornu dici altitudinem, imum dici profundum, et transversum unum dici longitudinem, alterum latitudinem. Addunt Basilius, Damascenus et Sedulius, apud Jacobum Gretserum, lib. I *De Cruce*, cap. III, causam, cur quatuor has dimensiones et cornua crux habuerit, ut scilicet significaretur, quatuor orbis plagas totumque terrarum orbem ad crucem seu pertinere, seu vocari. Ideoque Nyssenus crucem vocat *universitatis vinculum*. Unde *secundo*, Sedulius : « Summum crucis sive altitudo, inquit, est Oriens; profundum sive imum, est Occidens; cornu dextrum, est Septentrio; sinistrum, est Meridies. » *Tertio* et optime, longitudo est hastile crucis, latitudo est minus lignum transversum pro *brachiis*; altitudo accedit, si crucem erigas (est enim altitudo summitas crucis erectæ); profundum est imum crucis in terra defossum. Sic fere Augustinus in *Psalm.* cxi, et *epist.* 102 : « Erat, ait, latitudo in qua porrectæ sunt manus; longitudo a terra surgens, in qua erat corpus infixum; altitudo ab illo devexo sursum quod eminet (in hoc tantum nonnihil a nobis differt Augustinus); profundum ubi fixa erat crux, et ibi spes omnis vitæ nostræ. » De cruce ergo hunc Apostoli locum accipiunt S. Hieronymus, Nyssenus, Beda, Anselmus, et pulcherrime Augustinus, serm. 7 *De Verbis Apostoli*.

Idque *primo*, litteraliter juxta sensum genuinum quem primo loco dedi, ut longitudo crucis sit æterna ejus prædestinatio; latitudo sit vis ejus et virtus, quæ ad omnes omnium temporum homines se extendit; profundum sit, quod vis crucis ad infernum descendit, cum animas patrum e limbo et Purgatorio liberavit; sublimitas sit, quod easdem aliasque complures in cœlum subvexerit.

Rursum, juxta secundum sensum de Christo Deo datum possumus eadem, quæ ibi dixi, cruci adaptare, ut scilicet communicationem idiomatum Dei in Christo homine crucifixo spectemus, et admiremur in cruce Dei longitudinem, id est, æternum decretum; latitudinem, id est, charitatem et potentiam; altitudinem, id est, majestatem; profundum, hi est, sapientiam, seu hæc omnia quasi cruci affixa, quia eadem cum Deo crucifixa. Adhæc, Deum communicasse cruci suæ longitudinem, id est æternitatem, ut virtus crucis æterna sit, et quod multi volunt, ut crux Christi quasi trophæum in cœlis in æternum perduret, quodque sic Deus quasi æternarit suam crucem; sic etiam Deum cruci communicasse suam latitudinem, id est potentiam, quia per infirmitatem crucis et mortis potentissimos hostes vicit et contrivit; sic communicasse suam sublimitatem, id est majestatem, ut scilicet crux ab omnibus adoretur; sic suum profundum, id est sapientiam, quia non potentia, sed summa æquitate, mira arte et sapientia adinventa, scilicet in carne assumpta crucem et mortem subiens, Christus satisfecit Deo pro nostra offensa, sicque per crucem redemit hominem : ut qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur.

Secundo, proprie hæ dimensiones crucis ut crux est, accipi possunt; quia enim vers. 13, Ephesiis dixerat Apostolus : « Ne deficiatis in tribulationibus meis, » sed in iis, ut ait vers. 16, « virtute corroboremini, » hinc stimulum eis addit proponens Christi exemplum, *q. d.* Oro Deum ut in vestra cruce et tribulatione det vobis cogitare, ac mente comprehendere crucis Christi (ut ea vos solemni et animetis) profundum, id est intensionem dolorum et ignominiarum Christi crucifixi; et longitudinem, qua scilicet per triginta quatuor annos, quibus vixit, hanc crucem, hos dolores, vel in corpore, vel in animo, vel in spiritu eos sibi imminere prævidens passus est; et latitudinem, qua scilicet omnibus membris, et animæ potentiis, ab omni hominum genere, imo a Deo et angelis, a quibus fuit derelictus, et omnia pœnarum genera passus est Christus, omnibusque bonis et fortunæ, et famæ, et honoris, et vitæ est spoliatus; et sublimitatem, qua Christus crucifixus sublimi considerations et perfectissima cognitione tum Dei offensi, tum gravitatis offensæ nostræ, tum crucis, pœnarum sibi sumque personæ, vel illaturum, vel inferendarum, tum plurimorum damnandorum, quibus omnes sui dolores inutiles futuri erant, non solum in cruce, sed et tota vita gravissime doluit, et disrumpi vit eo.

Unde tropologice, hæc in nos derivans Anselmus, lib. *De Mens. crucis*, sub finem : « Crux, inquit, est crucifatus cordis quod Deo non melius serviamus. Debemus ergo habere cruciatum, quod non tantum, inquit, humiliamur, o Domine, quantum debemus, et hoc est profundum crucis; quod non tantum laudamus, et amamus te, quantum bonitas tua exigit, et hæc est sublimitas; quod non summa tam fideles, ut alios ad tuam laudem trahamus, et hæc est latitudo; quod non semper continuamus laudem tuam, et hæc est longitudo. »

Tertio, moraliter hæ dimensiones crucis accipi possunt cum S. Augustino, ut longitudo crucis tum Christi, tum nostra sit perseverantia; latitudo sit charitas; sublimitas sit religio, spes, amor, oratio, et omnis cum Deo communicatio et conjunctio; profundum sit arcanum prædestinationis, cur crux uni prosit, alteri non : unde oritur timor et humilitas profunda. Hæ tres expositiones de cruce possunt accommodari pari modo aliis duabus expositionibus jam dictis, et duabus sequentibus, quarta scilicet et quinta jam dicendis.

Igitur potest *quarto*, accipi hic locus de dimensionibus spiritualis ædificii, id est, de quadruplici perfectione tum Ecclesiæ Christi, tum animæ cujuslibet Christianæ, tum charitatis, et consequenter cujuslibet virtutis Christianæ : præcessit enim : « in charitate radicati et fundati, ut possitis comprehendere. » Et : « Christum habitare per fidem in cordibus vestris, » ut scilicet eo referantur hæ dimensiones. Unde de hoc ædificio, cap. præcedent. vers. 29, dixit : « Superædificati super fundamentum Apostolorum, » etc., et rursum de eodem agit cap. seq. vers. 12 et 16. Ita S. Hieronymus, Augustinus, Anselmus, Gregorius, homil. 6 *in Ezechielem*, in fine. Ecclesiæ ergo dimensiones hæ sunt : altitudo ejus, est cœlum, sive cœlestis et beata Jerusalem; profundum ejus, est infernus : hic enim est Ecclesiæ carcer, cujus sunt partes limbus et Purgatorium; longitudo Ecclesiæ est, quod sit omnium temporum et sæculorum; latitudo est, quod sit omnium terrarum et gentium. Vel mathematice, ut S. Hieronymus, Ecclesiæ longitudo est ejus diffusio, qua ab Oriente in Occidentem; latitudo, qua a Meridie in Septentrionem porrigitur.

Rursum, ut Anselmus, spiritalis Ecclesiæ longitudo, est spes longanimis; latitudo, est charitas; altitudo, est vita cœlestis inter angelos : nostra enim conversatio in cœlis est; profundum, est fides, baptismus et reliqua Ecclesiæ Sacramenta. Pari proportione animæ longitudo est fides, latitudo est spes, altitudo est charitas, profundum est humilitas. Vel *secundo*, longitudo est perseverantia, latitudo charitas, altitudo est spes cœli, profundum est timor judiciorum Dei. Unde S. Augustinus, tom. X, *homil.* 3 inter 50 : « Ego, ait, hæc Pauli verba sic intelligere soleo, in latitudine bona opera charitatis, in longitudine perseverantiam usque in finem, in altitudine spem cœlestium præmiorum, in profundo inscrutabilia Dei judicia, unde ista Dei gratia in homines venit : » ex quo oritur timor, humilitas ac solidatas cujusvis virtutis.

Huc referri potest et altera Hieronymi expositio de novissimis : « Sublimitas, inquit, est cœlum, profundum est infernus, media longitudo, et latitudo est accessus ad unum vel alterum. »

Denique charitati hæc aptari possunt; de ea enim præmisit Apostolus : « In charitate radicati, » et de eadem subdit statim : « Scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, » quam scilicet Christus in se habet, Christianisque suis communicat. Unde hæc Vatablus sic explicat : « Quæ sit longitudo, » etc., id est quam longa, lata, profunda et sublimis sit bonitas Dei. Charitatis ergo longitudo, est ejus continuatio, et constans perseverantia; latitudo, est extensio, qua se charitas ad omnes tam angelos, quam homines, tam inimicos quam amicos, omnesque creaturas extendit; profundum, est ejus intensio et fervor; altitudo, est ejus excellentia, et heroici actus, v. g. martyrium, quod est quasi apex charitatis; vel altitudo est ejus objectum, et elevatio, qua charitas ad unum Deum, quem diligit, se elevat, et sub eo cuncta contemnit. Hæc omnia pari ratione applices cuivis alteri virtuti Christianæ.

Potest *quinto*, accipi hic locus cum Anselmo quasi anagogice (præcedens enim fuit quasi tropologia : sed ita, ut utraque, scilicet tum hæc anagogia, quam illa tropologia sit litteralis) de dimensionibus civitatis et beatitudinis cœlestis, de qua *Apoc.* XXI, 16, dicitur : « Longitudo, latitudo et altitudo ejus, æqualia sunt. » Sub altitudine etiam profundum accipe : longitudo enim significat æternitatem gaudiorum, latitudo extensionem, altitudo sublimitatem, profundum intensionem et immersionem in abyssum divinitatis. Hæc æqualia sunt, quia æquo semper tenore durant. Unde hic ait Apostolus : « Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis. » Hoc enim est Beatorum; et hæ dimensiones gaudiorum cœli apte respondent dimensionibus dolorum crucis Christi, de quibus diximus in tertio sensu. Ex cruce enim, charitate et meritis Christi omnes dimensiones jam dictæ dimanant. Quocirca Christi crux et merita earumdem sunt mensura, qua magnum illud ædificium mensuratur. Quocirca qui claram operum et meritorum Christi haberet cognitionem, ut habebat Paulus, ille recte comprehenderet multiplicem hanc latitudinem, longitudinem, sublimitatem et profunditatem. Hoc insinuat Paulus dum dixit, vers. 8 : « Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia hæc, in Gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi. » Divitiæ enim Christi sunt merita, quibus nobis omnes has dimensiones gratiæ et gloriæ promeruit, ut recte annotavit Alcazar, *Apoc.* cap. XXI, vers. 15.

Omnes in sensus veri, omnes satis apposite videntur hujus loco, et indefinitæ propositioni Apostoli. Unde videntur intenti omnes a Spiritu Sancto, et diversis Patribus suggesti : primus tamen maxime videtur genuinus. Sic ergo breviter et ordinate omnes complectere, et in unum colliges, ut sensus sit, loquaturque Apostolus de dimensionibus Christi, tum Dei, tum hominis, et peculiariter crucis ejus, itemque fructus ejus et conformitatis in nobis tam in hac vita, tum in futura : eadem enim sunt dimensiones Christi et Ecclesiæ, quæ Ecclesiæ et animæ cuivis fideli et sancto in Ecclesia a Christo sunt communicatæ.

19. SCIRE ETIAM SUPEREMINENTEM SCIENTIÆ CHARITATEM CHRISTI. — S. Augustinus, *epist.* 120, et S. Ambrosius legunt, *cognoscere supereminentem scientiam charitatis Christi* : sed Græca et Latina Biblia habent *scientiæ*, non *scientiam*.

Secundo, S. Hieronymus, Erasmus et Vatablus, *scientiæ* accipiunt in genitivo, *q. d.* Oro Deum ut det nobis eximiam dilectionem cognitionis et scientiæ, ut aveatis scire et cognoscere mysteria fidei christianæ.

Tertio et melius, alii passim *scientiæ* accipiunt in dativo; regitur enim a *supereminentem*, *q. d.* Charitatem, quæ superemineat et præstat scientiæ. Unde S. Augustinus, lib. *De Gratia et Lib. arbitr.*, cap. XIX : « Cum, inquit, dicat Apostolus, Super-

eminentem scientiæ charitatem Christi, quid insanius, quam putare ex Deo esse scientiam quæ subdenda est charitati; et ex hominibus esse charitatem quæ supereminet scientiæ. » Ubi S. Augustinus hunc locum de scientia et charitate in genere explicat, *q. d.* Apostolus : Charitas longe antecellit omnem scientiam; ut fusius docuit I *Corinth.* XIII. Verum quia Apostolus non absolute dicit *charitatem*, sed limitat addens : « Charitatem Christi, » et quia toto hoc capite deprædicavit charitatem in Christo nobis exhibitam, hinc *quarto* et simplicissime, « charitatem Christi, » id est quam Christus nobis exhibuit, vocat « supereminentem scientiæ, » id est majorem quam ut sciri, intelligi et comprehendi possit, *q. d.* Charitas Christi tanta est, ut superet omnem humanam cognitionem et scientiam. Ita Theophylactus, Œcumenius et Ambrosius, qui ait : « Post Dei Patris infinitam et incomprehensibilem cognitionem, et enarrabilem clementiam, Christi quoque nos vult agnoscere charitatem, quæ supereminens (ita enim legendum videtur in Ambrosio, non autem *superemincntis*) est scientiæ : quis enim potest colligere mysterii hujus charitatis rationem, ut et Deus hominis causa homo nascatur, deinde moriatur pro hominibus, pro servis dominus, pro creaturis creator, pro impiis pius? »

UT IMPLEAMINI IN OMNEM PLENITUDINEM DEI. — *Primo*, aliqui apud Theophylactum et Œcumenium : Plenitudo Dei, inquiunt, est sacra Trinitas : Pater, Filius et Spiritus Sanctus, *q. d.* Ut plene SS. Trinitatem, ejusque attributa, et dimensiones jam dictas cognoscatis, ametis, adoretis et colatis. *Secundo* et melius Theophylactus et alii, *q. d.* Ut sitis pleni omni sapientia, virtute et perfectione, maxime charitate qua plenus est Deus; seu, ut Dei cognitione, amore omniumque bonorum divinorum plenitudine impleamini.

20. EI AUTEM, QUI POTENS EST OMNIA FACERE SUPERABUNDANTER QUAM PETIMUS AUT INTELLIGIMUS. — Græce est clarior sensus et efficacior spiritus : τῷ δὲ δυναμένῳ ὑπὲρ πάντα ποιῆσαι ὑπερεκπερισσοῦ ὧν αἰτούμεθα ἢ νοοῦμεν, id est, *ei qui potest super omnia facere ex abundanti super ea quæ petimus aut intelligimus*, id est qui potest facere omnia eximie melius, amplius et abundantius quam petamus aut intelligamus, *q. d.* Spero quod Deus, qui tam liberalis est, ut vota nostra superet, et hoecce meum votum, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei, implebit et superabit; utque impleat et superet facile eum rogo et obsecro. Nota miosin, « potens est, » id est potest, et re ipsa facit, et facere solet. Simile est II *Cor.* cap. IX, vers. 8, ut ibi dixi.

SECUNDUM VIRTUTEM QUÆ OPERATUR IN NOBIS. — κατὰ τὸν δύναμιν, *secundum* vim et *potentiam*, id est gratiam et spiritum, qui nos potenter ad ardua virtutum opera impellit, *q. d.* Quod Deus potens sit, imo velit facere plura quam petam aut intelligam, patet ex tanta vi et potentia gratiæ ipsius, quam actu dat, quamque indies experimur super omnem spem et cogitationem nostram (1).

21. IPSI GLORIA IN ECCLESIA, ET IN CHRISTO JESU. — Græca non habent conjunctionem *et*, sicque plenior est sensus, *q. d.* Glorificetur Deus in vestra Ecclesia per Christum Jesum, a quo tanta bona tantasque gratias accepistis.

(1) Alioli : « Secundum, » id est *per*.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Altera epistolæ pars, scilicet ethica, qua hortatur Ephesios ad mores Christianos, ac imprimis ad unionem et concordiam, tum in fide, tum in charitate Christi, idque quinque argumentis.

Primum est, vers. 4, quia sumus unum corpus, et unus spiritus in Christo.

Secundum ibidem, quia omnes ad eadem cœli bona quæ speramus, vocati sumus.

Tertium, vers. 5, quia omnes unum habemus Dominum, unam fidem, unum baptisma.

Quartum, vers. 6, quia omnes fratres sumus ejusdem Dei Patris.

Quintum, vers. 7, quia Christus ascendens in cœlum cuique suam gratiam distribuit, qua quisque contentus sit oportet, nulli invidens, nihil ambiens; deditque alios Apostolos, alios doctores, etc., ut singulos fideles, usque ad finem mundi quasi Christi membra perficiant; itaque totum Christi corpus, scilicet Ecclesia, in Christi fide, unitate et charitate crescat et compleatur.

Hinc vers. 17, hortatur eos ut damnata pristina cæcitate, et carnali immundaque vita Gentilium, veterem hominem exuant, novum in Christo induant, utriusque partes explicans vers. 25, scilicet, ut deponant mendacium, loquendo veritatem; abdicent iram, furtum, sermonem malum, amaritudinem, etc., per benignitatem, misericordiam et condonationem injuriarum.

1. Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, 2. cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia, supportantes invicem in charitate, 3. solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis. 4. Unum corpus, et unus Spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ. 5. Unus Dominus, una fides, unum baptisma. 6. Unus Deus et pater omnium, qui est super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis. 7. Unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. 8. Propter quod dicit : Ascendens in altum captivam duxit captivitatem : dedit dona hominibus. 9. Quod autem ascendit, quid est, nisi quia et descendit primum in inferiores partes terræ? 10. Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia. 11. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores et doctores : 12. ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi : 13. donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi : 14. ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris. 15. Veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus : 16. ex quo totum corpus compactum, et connexum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate. 17. Hoc igitur dico, et testificor in Domino, ut jam non ambuletis, sicut et Gentes ambulant, in vanitate sensus sui, 18. tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a vita Dei, per ignorantiam, quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum, 19. qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam. 20. Vos autem non ita didicistis Christum, 21. si tamen illum audistis, et in ipso edocti estis, sicut est veritas in Jesu. 22. Deponere vos secundum pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris. 23. Renovamini autem spiritu mentis vestræ, 24. et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis. 25. Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo : quoniam sumus invicem

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

eminentem scientiæ charitatem Christi, quid insanius, quam putare ex Deo esse scientiam quæ subdenda est charitati; et ex hominibus esse charitatem quæ supereminet scientiæ. » Ubi S. Augustinus hunc locum de scientia et charitate in genere explicat, *q. d.* Apostolus : Charitas longe antecellit omnem scientiam; ut fusius docuit I *Corinth.* XIII. Verum quia Apostolus non absolute dicit *charitatem*, sed limitat addens : « Charitatem Christi, » et quia toto hoc capite deprædicavit charitatem in Christo nobis exhibitam, hinc *quarto* et simplicissime, « charitatem Christi, » id est quam Christus nobis exhibuit, vocat « supereminentem scientiæ, » id est majorem quam ut sciri, intelligi et comprehendi possit, *q. d.* Charitas Christi tanta est, ut superet omnem humanam cognitionem et scientiam. Ita Theophylactus, Œcumenius et Ambrosius, qui ait : « Post Dei Patris infinitam et incomprehensibilem cognitionem, et enarrabilem clementiam, Christi quoque nos vult agnoscere charitatem, quæ supereminens (ita enim legendum videtur in Ambrosio, non autem *superemincntis*) est scientiæ : quis enim potest colligere mysterii hujus charitatis rationem, ut et Deus hominis causa homo nascatur, deinde moriatur pro hominibus, pro servis dominus, pro creaturis creator, pro impiis pius? »

UT IMPLEAMINI IN OMNEM PLENITUDINEM DEI. — *Primo*, aliqui apud Theophylactum et Œcumenium : Plenitudo Dei, inquiunt, est sacra Trinitas : Pater, Filius et Spiritus Sanctus, *q. d.* Ut plene SS. Trinitatem, ejusque attributa, et dimensiones jam dictas cognoscatis, ametis, adoretis et colatis. *Secundo* et melius Theophylactus et alii, *q. d.* Ut sitis pleni omni sapientia, virtute et perfectione, maxime charitate qua plenus est Deus; seu, ut Dei cognitione, amore omniumque bonorum divinorum plenitudine impleamini.

20. EI AUTEM, QUI POTENS EST OMNIA FACERE SUPERABUNDANTER QUAM PETIMUS AUT INTELLIGIMUS. — Græce est clarior sensus et efficacior spiritus : τῷ δὲ δυναμένῳ ὑπὲρ πάντα ποιῆσαι ὑπερεκπερισσοῦ ὧν αἰτούμεθα ἢ νοοῦμεν, id est, *ei qui potest super omnia facere ex abundanti super ea quæ petimus aut intelligimus*, id est qui potest facere omnia eximie melius, amplius et abundantius quam petamus aut intelligamus, *q. d.* Spero quod Deus, qui tam liberalis est, ut vota nostra superet, et hoecce meum votum, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei, implebit et superabit; utque impleat et superet facile eum rogo et obsecro. Nota miosin, « potens est, » id est potest, et re ipsa facit, et facere solet. Simile est II *Cor.* cap. IX, vers. 8, ut ibi dixi.

SECUNDUM VIRTUTEM QUÆ OPERATUR IN NOBIS. — κατὰ τὸν δύναμιν, *secundum* vim et *potentiam*, id est gratiam et spiritum, qui nos potenter ad ardua virtutum opera impellit, *q. d.* Quod Deus potens sit, imo velit facere plura quam petam aut intelligam, patet ex tanta vi et potentia gratiæ ipsius, quam actu dat, quamque indies experimur super omnem spem et cogitationem nostram (1).

21. IPSI GLORIA IN ECCLESIA, ET IN CHRISTO JESU. — Græca non habent conjunctionem *et*, sicque plenior est sensus, *q. d.* Glorificetur Deus in vestra Ecclesia per Christum Jesum, a quo tanta bona tantasque gratias accepistis.

(1) Alioli : « Secundum, » id est *per*.

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Altera epistolæ pars, scilicet ethica, qua hortatur Ephesios ad mores Christianos, ac imprimis ad unionem et concordiam, tum in fide, tum in charitate Christi, idque quinque argumentis.

Primum est, vers. 4, quia sumus unum corpus, et unus spiritus in Christo.

Secundum ibidem, quia omnes ad eadem cœli bona quæ speramus, vocati sumus.

Tertium, vers. 5, quia omnes unum habemus Dominum, unam fidem, unum baptisma.

Quartum, vers. 6, quia omnes fratres sumus ejusdem Dei Patris.

Quintum, vers. 7, quia Christus ascendens in cœlum cuique suam gratiam distribuit, qua quisque contentus sit oportet, nulli invidens, nihil ambiens; deditque alios Apostolos, alios doctores, etc., ut singulos fideles, usque ad finem mundi quasi Christi membra perficiant; itaque totum Christi corpus, scilicet Ecclesia, in Christi fide, unitate et charitate crescat et compleatur.

Hinc vers. 17, hortatur eos ut damnata pristina cæcitate, et carnali immundaque vita Gentilium, veterem hominem exuant, novum in Christo induant, utriusque partes explicans vers. 25, scilicet, ut deponant mendacium, loquendo veritatem; abdicent iram, furtum, sermonem malum, amaritudinem, etc., per benignitatem, misericordiam et condonationem injuriarum.

1. Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, 2. cum omni humilitate et mansuetudine, cum patientia, supportantes invicem in charitate, 3. solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis. 4. Unum corpus, et unus Spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ. 5. Unus Dominus, una fides, unum baptisma. 6. Unus Deus et pater omnium, qui est super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis. 7. Unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi. 8. Propter quod dicit : Ascendens in altum captivam duxit captivitatem : dedit dona hominibus. 9. Quod autem ascendit, quid est, nisi quia et descendit primum in inferiores partes terræ? 10. Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia. 11. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores et doctores : 12. ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi : 13. donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi : 14. ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris. 15. Veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus : 16. ex quo totum corpus compactum, et connexum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate. 17. Hoc igitur dico, et testificor in Domino, ut jam non ambuletis, sicut et Gentes ambulant, in vanitate sensus sui, 18. tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a vita Dei, per ignorantiam, quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum, 19. qui desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam. 20. Vos autem non ita didicistis Christum, 21. si tamen illum audistis, et in ipso edocti estis, sicut est veritas in Jesu. 22. Deponere vos secundum pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris. 23. Renovamini autem spiritu mentis vestræ, 24. et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis. 25. Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo : quoniam sumus invicem

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

membra. 26. Irascimini, et nolite peccare : sol non occidat super iracundiam vestram. 27. Nolite locum dare diabolo. 28. Qui furabatur, jam non furetur : magis autem laboret, operando manibus suis, quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti. 29. Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat : sed si quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus. 30. Et nolite contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis. 31. Omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia tollatur a vobis cum omni malitia. 32. Estote autem invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit vobis.

1. OBSECRO ITAQUE. — *q. d.* Quia Deus per Christum nos tantis beneficiis affecit, et vos, o Ephesii, cum essetis Gentes, æque ac Judæos ad suam fidem, gratiam, gloriam vocavit, ut tribus præcedentibus capitibus ostendi : hinc par est, ut tantæ vocationi grati sitis, eaque digne et christiane vivatis, ac Deo sancte serviatis, quod ut faciatis, vos oro et obsecro.

EGO VINCTUS IN DOMINO, — propter Dominum et Domini Evangelium. Vide *Con.* 25. De dignitate et gloria horum vinculorum, vide hic Chrysostomum. Symbolice S. Hieronymus : « Corpus hoc vinculum et carcer est animæ, e quo exire cupiebat Apostolus, et esse cum Christo. »

UT DIGNE AMBULETIS VOCATIONE QUA VOCATI ESTIS, — id est, ut vivatis digne ad spem, digne ad Christum, digne ad Ecclesiam, digne ad angelos, digne ad gloriam cœlestem; ad hæc enim omnia vocati estis.

Nota : « Ambuletis, » id est conversemini : nam qui ambulat, gressus suos iterat et continuat, ut eodem passu et tenore in via cœpta progrediatur et pergat, itaque ambulet. Hinc *ambulare* Hebræis significat vivendi et agendi consuetudinem, vitæ tenorem, actionum mores.

Interrogabat *se* crebro S. Bernardus : « Bernarde, ad quid venisti? » Interroget se crebro Christianus : Ad quid, Petre, venisti, ad quid vocatus es? ambula digne vocatione tua, ambula digne nomine tuo. Vocatus es ad humilitatem, sobrietatem, sanctimoniam : noli superbire, inebriari, fornicari. Vocatus es ad opus : noli vacare otio. Vocatus es ad colendam vineam, id est animam tuam : vide ne illam lolio et sentibus vitiorum, in gehenna exurendis, repleas. Vocatus es ad bona opera : illis stude, mala fuge. A Christo Christianus appellaris, ut Christum Christianus imiteris : imitare Christum, vive ut Christus vixit, patere quæ Christus passus est.

2. CUM OMNI HUMILITATE ET MANSUETUDINE. — « Qui terram, inquit Hieronymus, et cinerem se esse novit, et post paululum in pulverem dissolvendum, nunquam superbia elevabitur; et qui Dei æternitate perspecta, breve et pene ad puncti instar humanæ vitæ spatium cogitarit, ante oculos suos semper habebit interitum, et erit humilis atque dejectus (unde et Anselmus : Humilis, inquit, dicitur quasi humi alitus, et mansuetus quasi manu assuetus et ductilis); omnis autem humilitas non tam in sermone, quam in mente est, ut humiles nos esse conscientia noverit, et nunquam nos vel scire, vel intelligere, vel esse aliquid æstimemus : » hactenus Hieronymus. Unde pro *humilitate* græce non est ταπείνωσις, id est *humiliatio*, vilitas, abjectio; sed ταπεινοφροσύνη, id est, *humilis de ipso sensus*, sive virtus, qua quis humiliter et modeste de se sentit, opposita superbiæ, quæ magnifice et arroganter de se sentit, magni sua æstimat, alios ac aliorum facta parvipendit. Humilitatis filia est mansuetudo : qui enim humilis est et mitis, mansuete cum omnibus agit ac loquitur.

CUM PATIENTIA, — μακροθυμίᾳ, id est *longanimitate*, qua homo fit lenis et lentus ad iram; hu enim Hebræi vocant אֶרֶךְ אַפַּיִם *erech appaim* longum naribus, id est longum, sive lentum a iram : ira enim vultu et naribus maxime se prodit. Ambrosius vertit, *magnanimitatem* : qui enim longus est, magnus est, et longanimitas est magnanimitas. Hinc, ut docet Seneca lib. *De Clementia*, viri magnanimi et principes longanimes sunt, nulla re turbantur vel offenduntur, læsi non se vindicant, sed potius omnibus etiam hostibus clementiam exhibent : contra viles, plebeii aliique, qui parvo et contracto sunt animo, parumque habent cerebri et judicii, rebus parvis, parva injuria, uno verbulo asperiore concitantur ad iram et vindictam, erumpuntque in jurgia et verbera.

SUPPORTANTES INVICEM (ut alter alterius mores ferat, licet sibi suæque conditioni dissimiles, licet rusticos, licet asperos, licet petulantes, licet morosos, licet iracundos, sicque alter alterius onus ferat, ut dixit *ad Galat.* cap. VI, vers. 2, idque) IN CHARITATE, — id est, per charitatem.

3. SOLLICITI, — σπουδάζοντες, id est, *studentes*, studiose id agentes, magno studio huic rei incumbentes. S. Augustinus, lib. II *Contra litteras Petiliani*, cap. LXIX, legit, *sollicite agentes*; Syrus vertit, *solagite*.

SERVARE (ut servetis) UNITATEM SPIRITUS, — id est charitatem mutuam, cujus auctor est Spiritus Sanctus, inquit Chrysostomus. *Secundo* simplicius, « unitatem spiritus, » id est, unitatem mentis et animi, ut scilicet corporibus licet divisi et disparati, mente tamen et animis conjuncti, uniti et quasi unum sitis. Hæc enim unio homines etiam debillissimos conservat, sicuti schisma fortissimos dissolvit : nam ex mordia res parvæ crescunt, discordia maximæ dilabuntur. Vide quam unitati et concordiæ studendum sit, quamque caveantur sit schisma, docentem Chrysostomum in moral. *homil.* 11, ubi inter cætera ait, schismatis peccatum ne martyrio quidem posse expiari : quod intelligo, si in schismate manens quis pro fide occidatur, et martyr fiat; tunc enim licet materialiter sit martyr, formaliter tamen non est; martyrium enim requirit, ut martyr sit in Ecclesia, nec ab ea per schisma se separet. Hanc pacis sollicitudinem tuebatur S. Bernardus, qui ad Abbatem Præmonstratensem ei offensum ob quemdam e suis monachis ab eo receptum, ita scribit, *epist.* 272, in fine : « Ego, inquit, fratres, quidquid facitis, decrevi semper diligere vos, etiam non dilectus. Adhærebo vobis, etsi nolitis; adhærebo, etsi nolim ipse. Olim me alligavi forti vinculo, charitate non ficta, illa quæ nunquam excidit. Cum turbatis ero pacificus, conturbantibus quoque dabo locum iræ, ne diabolo dem. Vincar jurgiis, vincam obsequiis. Invitis præstabo, ingratis adjiciam, honorabo et contemnentes me. Et nunc tristis est anima mea, quod quocumque occasione offenderim vos, eritque tristis usque dum vestra indulgentia relevetur, » etc.

IN VINCULO PACIS, — ἐν συνδέσμῳ τῆς εἰρήνης, id est, ut Erasmus, *in colligatione* et concatenatione pacis; S. Augustinus, *in conjunctione pacis*. Vinculum ergo hic non est unius, sed duorum vel plurium, quod scilicet duos vel plures vincit et connectit. *Secundo*, « in vinculo pacis, » id est, in vinculo quod est ipsa pax : pax enim quasi catena, imo quasi gluten, animos sibi invicem connectit, consociat, constringit et colligat (1).

4. UNUM CORPUS (supple, est omnium fidelium, puta Ecclesiæ, cujus caput est Christus) ET UNUS SPIRITUS, — scilicet est, qui per singula membra hujus corporis, id est per singulos fideles, discurrens, singulis vitam et motum spiritualem affert : ita Adamus. *Secundo* et melius, « unum corpus et unus spiritus, » supple, sitis. Ita Syrus, Theophylactus, Vatablus et alii : omnia enim hæc non asserentis, sed exhortantis sunt (2). Unde subdit :

SICUT VOCATI ESTIS IN UNA SPE VOCATIONIS VESTRÆ. — *q. d.* Ita servate unitatem spiritus, ut sitis quasi unum corpus et unus spiritus, ut videamini omnes esse unus homo, constans eodem corpore, eadem anima, eodem spiritu : « sicut vocati estis in una spe, id est, ad unam eamdemque spem salutis, immortalitatis et gloriæ cœlestis; sic enim respublica et Ecclesia dicitur esse unus homo civilis, vel unum corpus civicum et politicum, quod eadem lege, concordia, charitate et spiritu unitur et animatur, atque ad eumdem finem, scilicet bonam beatamque vitam tendit et conspirat.

Nota : Magnus stimulus ad unionem et concordiam est spes vocationis, qua omnes vocati sumus ad carnendam eamdem æternam hæreditatem Dei Patris. Cum ergo illa brevi fruiturl simus, et a terra in cœlum vocemur, ibique amicissime, lætissime, felicissime in omnem æternitatem simul victuri sumus, quid hic de gleba terræ albæ vel rubræ litigamus? quin ad cœlum omnes simul connitimur? Si quis hanc spem aspexisset, si quis in cœlo consisteret cum beatis illis mentibus, et terram hanc exiguam dispiceret, exclamaret sane : Hoc est punctum quod inter mortales ferro et igne dividitur. O quam angusti sunt mortalium termini! quam angusti mortalium animi!

5. UNUS DOMINUS, UNA FIDES, UNUM BAPTISMA, — supple est, *q. d.* Omnibus Christianis unus est Dominus, una est fides Christiana, unum baptisma, quo renati et Christiani effecti sunt : cum ergo unum omnes habeamus Dominum, unam fidem, unum baptisma, quid restat nisi ut tot vinculis colligati, imo uniti, amemus, colamus et servemus hanc spiritus unitatem? Ita Parisiis (quæ Christianissimi regis est regia) hoc unitatis tam regis et legis quam Dei et fidei emblema et symbolum portæ S. Antonii inscriptum visitur :

Un Dieu, une loy,
Un roy, une loy.

Nota *primo* : Deus Hebræis vocatur אֲדוֹנָי *Adonai*, id est Dominus, quia unus ipse est universalis et summus cœli et terræ angelorum hominumque Dominus. Hinc Attalus martyr a tyranno per contemptum rogatus, quod nomen Deus haberet? respondit : Qui plures sunt, nominibus discernuntur; qui autem unus est, non indiget nomine. Testis est Eusebius, lib. VI *Historiæ*, cap. III.

Nota *secundo* : Una est fides, quæ ad Deum et salutem nos ducit, non multæ : unus est Dominus, non multi; plane ergo aberrant, et in errorem ac æternam perniciem abducunt Politici Libertini nostri, qui tam in fide Lutheri, Calvini Mennoni, et quavis alia, quam in una vera Catholica Romana fide salutem suis promittur dummodo Christum redemptorem esse credant et honeste vivant; certum enim est has non unam esse, sed alias et alias fides : Apostolus autem docet unam tantum esse fidem veram, quæ recta est ad salutem via. Unde sequitur, alias et diversas ab hac vera fide, imo illi contrarias, non fidem, sed perfidiam esse, quæ ducit non ad cœlum, sed ad gehennam.

Rursum, sicut unus Dominus noster et redemptor Christus divinitate et humanitate constat, ut qui vel deitatem, vel humanitatem, vel animam aut mentem, aut voluntatem humanam ei ade-

(1) Est tropus omnibus linguis communis. Ovidius, *Metamorph.* I, 25 :

Discordia locis concordi pace ligavit.

(2) Alii : *Vos unum corpus*, una societas estis, ergo *et unus animus sitis.*

merit, hic unum hunc Dominum nostrum de medio tollat; et sicut unum baptisma suis integratur partibus, ut qui non aqua, sed vino baptizare velit, aut non in nomine Trinitatis, sed solius vel Patris, vel Filii, vel Spiritus Sancti, aut in nomine angelorum, hic unum et verum baptisma evertit, et de medio tollit: ita qui unum fidei articulum, aut unam propositionem fidei essentialem pertinaciter negat, hic unam veramque fidem evertit, nec fidelis, sed infidelis est. Sicut enim Christus et baptisma suis partibus, ita et fides suis articulis integrata et componitur. Quisquis hic hæres et fluctuas, hæc sedulo perpende, et quam tibi curæ et cordi est æterna salus tua, tam serio et studiose hanc unam, veram, canam et priscam omnium sæculorum fidem quære, amplectere, sectare.

Ita S. Valerianus, sponsus S. Cæciliæ, ab ea missus ad S. Urbanum Pontificem, ut ab illo baptizaretur, cum eumdem adiret, vidit seniorem niveis indutum vestibus, qui hunc titulum aureis litteris scriptum manu tenebat: « Unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus et pater omnium, qui super omnia et in omnibus nobis est. » Additque: « Credis ita esse? » Respondit Valerianus: « Non est aliud, quod verius possit credi sub cœlo. » Mox S. Urbanus eum baptizavit. Est ergo hæc sententia fidei orthodoxæ tessera, et Symboli Apostolici breviarium. Sic rem hanc narrant Acta S. Cæciliæ, quæ ex antiquissimis Romanis bibliothecis exemplaribus, pura et sincera edidit Antonius Bosius I. V. D.

Ita Liberatus abbas, Bonifacius diaconus, Rusticus et Servus subdiaconi, Rogatus, Septimus et Maximus monachi, ex monasterio Carthaginem pertracti, primum blanditiis ad Arianam perfidiam sollicitati sunt. Illi vero uno ore et animo suam coram omnibus confessi sunt fidem, dicentes: « Unus Deus, una fides, unum baptisma; nec poterit in nobis iterari, quod in doctrina Evangelii semel dari præceptum est: Quia qui semel lotus est, non habet necesse ut denuo lavetur, sed mundus est totus. Satius est momentanea perferre supplicia, quam æterna subire tormenta. » Jubet rex navem sarmentis impleri, confessoresque ligatos superimponi, igneque subjecto, et navi in pelagi medium promota concremari. Illi magna cum fiducia cantabant: « Gloria in excelsis Deo. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, quando pro fide Dei nostri supplicia perferemus, ne acquisitæ fidei indumentum amittamus. » Ignis cum accenderetur sapius, extinctus est. Ergo rubore et furore perculsus rex mandavit eos remorum vectibus necari. Ita Victor Uticensis, lib. III *Wandal. persecut.*

UNUM BAPTISMA. — « Contra Valentinum hoc fecit, inquit Hieronymus, qui duo baptismata esse contendit; et contra omnes hæreticos, ut sciant non habere se baptisma, sed in una Christi Ecclesia fontem esse vitalem. » Ubi Hieronymus videtur dicere hæreticos non habere baptismum; nec eorum baptismum esse validum, ac consequenter, qui ab eis baptizantur, debere rebaptizari; qui error fuit S. Cypriani, scilicet unum baptisma dici, quod ab una et in una Ecclesia Catholica confertur; ac proinde hæreticos, qui extra Ecclesiam baptismum conferunt, non verum, sed falsum baptisma conferre, ac consequenter ab hæreticis baptizatos esse rebaptizandos. Sed ab hoc errore excusandus est S. Hieronymus tantum enim vult asserere contra Valentinum non duo, scilicet hæreticorum unum, secundum Catholicorum; sed unum tantum esse baptisma, illud scilicet quod est in Ecclesia Catholica; quod tamen si usurpent hæretici, verum baptisma usurpant, vereque baptizant; sin aliud suum baptisma, puta aliam baptismi materiam vel formam inducant, baptismum falsum et qui non est, inducunt, ut qui sic baptizati sunt, non sint baptizati, sed rebaptizari, imo primo baptizari debeant.

Secundo, S. Augustinus: « Unum baptisma vocatur, inquit, quod iterari non debet: semel enim baptizatus, secundo baptizari non debet. »

Tertio, S. Hieronymus: « Unum baptisma » dicitur, quia licet ter baptizemur (id est ter mergamur vel tingamur aqua in baptismo) propter mysterium Trinitatis, tamen unum baptisma reputatur.

Quarto et genuine: Sicut est una vera fides, sic unum tantum est verum baptisma, scilicet illud, quod Ecclesiæ datum est a Christo, suam habens materiam, scilicet aquam, et suam verborum formam, a Christo institutam, ut abluendo corpus, dicendoque: Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, baptizati animam a peccatis omnibus abluamus; qui enim alium baptismum, vel aliam baptismi materiam aut formam afferret, unum verumque baptisma tolleret, et secundum falsum mendacemque baptismum induceret.

Hæc est ergo tessera fidei nostræ: « Unus Deus, una fides, unum baptisma. » Sicut tessera mahometismi est: « Unus est Deus, et Mahomet consiliarius ejus. » Tessera Arianorum erat: « Filius est ὁμοιούσιος, non ὁμοούσιος Patri, » hoc est, Filius est similis substantiæ cum Patre, non ejusdem. Hinc Ariani novum quasi Deum, novam fidem, novum baptisma invexerunt, atque adeo curabant Catholicos rebaptizari suo more, ut ita inchoarent et profiterentur arianismum. Suggessit impium hoc consilium Hunericus regi Cyrilla Episcopus Arianus. Hunericus ergo jussit omnes Catholicos ab Arianis rebaptizari, sub pœnis exilii, carceris et mortis. Sed Catholici licet extrema paterentur, in fide steterunt.

6. UNUS DEUS ET PATER OMNIUM, QUI EST SUPER OMNES, ET PER OMNIA, ET IN OMNIBUS NOBIS. — Supple id, quod hinc intendit inferre Apostolus: ergo omnes fratres sumus et filii ejusdem Dei Patris, ac proinde tanquam fratres invicem diligere, et spiritus unitatem servare debemus, quia in eadem Dei Patris nostri domo, scilicet Ecclesia, versamur vivimusque.

Quomodo Deus sit super omnes, per omnia et in omnibus?

Nota: Deus est « super omnes » per majestatem, potentiam et imperium divinum et transcendens; est « per omnia, » quia per potentiam et sapientem gubernationem, operationem, efficaciam, per omnia comment et transcurrit; est « in omnibus » per essentiam, amicam unionem et continentiam omnium; « in nobis » etiam Christianis et justis est per gratiam et sanctitatem. Ita Hieronymus, Theophylactus, Anselmus.

Nota *secundo*: Græcum ὁ ἐπὶ πάντων, verti potest, *qui est super omnia*; noster tamen Interpres maluit vertere « qui est super omnes, » scilicet deos, ut perstringat Æones Valentini deosque Simonis Magi, Hesiodi et Poetarum, quod hac epistola sæpe facit Apostolus, ut in præced. annotavi.

Æones Valentini et dii Poetarum perstrictl.

Nota *tertio*: Per Deum et Patrem accipiunt aliqui primam personam Sanctissimæ Trinitatis, illique hæc tria attribuunt, quod sit super omnia, per omnia et in omnibus. Verum melius Hieronymus et alii nomen Patris hic non respectu Filii et Verbi æterni, sed respectu creaturarum accipiunt, ut sit commune toti Sanctissimæ Trinitati: hæc enim est Deus, et Pater omnium; illius deinde tres personas designat, cum ait: « Qui est super omnia, per omnia, et in omnibus. » « Super omnia » enim appropriatur Patri, et respondet illi quod dixit *Rom.* XI, ult., « a quo omnia: » qui enim est super omnes et omnia, hic auctor est omnium; « per omnia » appropriatur Filio; « in omnibus, » Spiritui Sancto. Ita Hieronymus.

Pater his significatur Deus trinum.

Deo Filio tribuitur διὰ, id est per.

Nota *quarto*: Deo Filio tribuitur διὰ, hoc est *per*, quia sicut per ipsum creata sunt omnia, ita et per ipsum omnia gubernantur, diriguntur, perficiuntur. Sic Zeno Stoicorum parens apud Laertium: διὰ μὲν γὰρ φασι δι' οὗ τὰ πάντα, Ζῆνα καὶ καλοῦσι παρ' ὅσον τοῦ ζῆν αἴτιός ἐστι, « vocant, inquit, Jovem διὰ, quod per ipsum sint omnia; eumdem vero vocant Ζῆνα, quod vitæ sit auctor. » Unde concludit et canit Virgilius:

Deum ire per omnes
Terrasque tractusque maris, cœlumque profundum.

Ex eo enim quod per Deum creata sint omnia, sequitur omnia per Deum conservari, consistere et gubernari, Deumque per omnia penetrare et pervadere tum potentia et efficacia, tum præsentia et essentia sua.

7. UNICUIQUE AUTEM NOSTRUM DATA EST GRATIA SECUNDUM MENSURAM DONATIONIS CHRISTI, — id est cuique data est gratia non una et par, sed varia et dispar, huic major, illi minor; data, inquam, non est ex merito, vel mensura meritorum nostrorum, sed ex mensura gratuitæ donationis Christi, cui placuit donare huic illam mensuram gratiæ, illi istam, alteri aliam.

Est hic quintum argumentum, quo Paulus, ut dixi initio, Ephesios excitat ad charitatem mutuam, *q. d.* Non est quod minor in gratia invideat majori, nec est quod superbiat major, et minorem contemnat (hæc est enim radix discordiæ, quæ omnem unionem et concordiam disturbat), quia tam donum, quam doni sui mensuram uterque accepit a Deo, qui cuique suam doni mensuram quam illi convenire prævidit, admensus est ex infinita sua liberalitate et sapientia, in qua omnes conquiescere debent, illique gratias agere, eamque tam in suis, quam in aliorum donis laudare et celebrare: non enim nisi optime et sapientissime sua dona emetiri et distribuere potuit is, qui spirituum ponderator est et Dominus.

Nota tamen, sæpe Deum mensuram gratiæ suæ admetiri mensuræ dispositionis nostræ, ut quo major vel minor fuerit dispositio, eo majorem vel minorem det gratiam; sed et hæc dispositio a Dei gratia inchoari et manare debet. « Deus, inquit Hieronymus, cujus magnificentiæ non est numerus, non dat spiritum ad mensuram, sed juxta mensuram vasculorum infundit liquorem, tantum muneris largiens, quantum potest ille cui donatur accipere. » Addit et similitudinem: « Sicut, inquit, mare in se immensum est, sed quique ex eo haurit, quantum capere potest et portare: sic Spiritus Sanctus in se immensus est, sed cuique ex eo datur tantum, quantum expedit et capere potest. »

8. PROPTER QUOD (ut scilicet ostendat Christum ex sua liberalitate donare et distribuere cuique mensuram suæ gratiæ) DICIT (sacra Scriptura, et Spiritus Sanctus per os Davidis, *Psal.* LXVII): ASCENDENS IN ALTUM CAPTIVAM DUXIT CAPTIVITATEM. — Nota: *Psalm.* LXVII, regius Propheta sub typo triumphi Israelis de suis hostibus (quem obiter quasi ad eum alludendo perstringit) canit Christi et Ecclesiæ triumphum de Christi ascensione, Spiritus Sancti missione, Gentium per Apostolos conversione. Sic *Psalm.* LXXI et LXXXVIII, regnum Messiæ per typum regni Salomonis depingit. Sic Isaias, cap. XIV, casum regis Babyloniorum, et Ezechiel, cap. XXVIII, casum regis Tyri describit per casum Luciferi et diaboli. Itaque hisce et similibus locis sacra Scriptura duos habet sensus litterales: utrumque enim sensum, scilicet tam typi, quam antitypi, tam allegoriæ vel parabolæ, quam rei per illam significatæ, complectitur, unumque refert et ordinat ad alium. Quod alibi pluribus demonstravi.

Locus psalmi LXVII explicatus et illustratus.

Duo sensus litterales in his Scripturis.

Sic hoc *Psalm.* LXVII, sensus typi est triumphus Israelis, tum de Pharaone per Moysem, tum de Philistæis aliisque hostibus per Davidem. Unde ait: « Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium: Dominus in eis in Sina in sancto, » *q. d.* Currus, quibus Deus ad pugnam et triumphum invehitur, in infinitum multiplicati sunt, quia hi currus sunt infinita angelorum lætantium militia

quibus victoriam nobis peperit. Dominus enim in eis inequitat in templo sancto suo, cujus symbolo Cherubini effecti sunt in eo quasi currus Dei : sicut olim in Sina (more enim hebræo intelligitur *ceph* similitudinis, id est *sicut* ; « in Sina, » id est, sicut in Sina) dans legem, hunc currum Cherubim primo fieri jussit, eique inequitavit quasi triumphans de Pharaone jam contrito : Cherubini enim Mosis, uti et Ezechielis, cap. I, erant quasi currus regalis et triumphalis Dei.

Sequitur in *Psalmo* : « Ascendisti in altum, cepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus, » *q. d.* Victi, Domine, et triumphasti, et quasi victor et triumphator in altum capitolium ascendisti : quando Pharaone occiso primum in Sina, dein le Philistæis prostratis in Sion cum arca et populo tuo ascendisti, « cepisti captivitatem, » id est, Hebræos, qui a Pharaone, quique a Philistæis tenebantur captivi, liberasti, tuos captivos fecisti, tibi asseruisti et subjecisti ; ipsos etiam Philistæos aliosque hostes tuos et Davidis captivos fecisti. « Accepisti dona in hominibus, » id est, diripuisti manubias et spolia Ægyptiorum et Philistinorum, ut ea quasi dona dares hominibus, et populo tuo Israel.

Tyrus Christi victoria, templi et arcæ deditio in ea jam facta Israeli a Deo Pharaone.

Jam *secundo*, sensus antitypi, sive rei per typum jam dictum significatæ, est triumphus Christi per triumphum Mosis, Davidis et Israelis adumbratus et significatus : Christo enim cum triumpho in cœlum ascendenti longe verius et clarius hæc conveniunt, quam Israeli. Unde ait : « Currus Dei decem millibus multiplex. Millia intantum : Dominus in eis in Sina in sancto, » *q. d.* Currum Christi Dei nostri triumphalem stipant aguntque multæ angelorum myriades instar currum et phalangum innumerabilium, lætantes et jubilantes in triumpho ; et Dominus Christus inter eos et super eos quasi inequitans in sanctum suum cœlum et throuum gloriæ invehitur cum tali, imo longe majori pompa et majestate, quam olim iisdem stipatus de Pharaone triumphans, in Sina se gloriose per fulgura, tonitrua, tubæ clangorem, fumum flammamque ostendit, et legem dedit Israeli.

Sequitur : « Ascendisti, » quasi triumphator, « in cœlum » empyreum, « cepisti captivitatem, » vel, ut Apostolus, « captivam duxit captivitatem » (mutat enim secundam personam in tertiam, cæperat enim de Christo loqui in tertia persona), duplicem scilicet, ut recte Thophylactus : *Priscam*, activam, scilicet peccatum, mortem, diabolum, infernum, idola, tyrannos, qui nos captivaverant, Christus in triumphum duxit. Ita Chrysostomus et Vatablus. *Secundo*, passivam, ut Hieronymus et alii, scilicet Patriarchas, Prophetas aliosque Sanctos erutos captivitate inferni, sanctaque et beata jam Christi captivitate captivos, Christus triumphans secum in cœlum duxit. Ita passim Patres, et patet hic ex Apostolo.

Primæ captivitatis, id est, peccati, mortis, diaboli, inferni, idolæ, tyrannorum, et aliorum, et secundæ, Christus in triumphum duxit.

Nota : *Captivitas* in abstracto ponitur pro concreto, pro captivis scilicet passive, vel active pro captivantibus, ut dixi.

Secundo, *capere captivitatem* Hebræis non est aliud quam capere, captivos facere, vinctos ducere, sive hi captivi antea ab alio capti fuerint, sive non. Unde in libris Regum David et alii dicuntur capere vel abducere captivitatem, cum hostes suos liberos, quibuscum conflixerant, a se devictos primo captivos sibi faciunt.

Tertio, Euthymius sic exponit : « Ascendisti, o Christe, in altum, » id est, in altam et triumphalem crucem, qua victi et triumphasti, omnesque nos quos redemisti, cepisti et tuos captivos fecisti. Unde ipsemet ait : « Cum exaltatus fuero a terra, omnia trahan ad meipsum. » Ilic sensus non est litteralis, sed accommodatitius et præambulus litterali : ad litteram enim agit de triumpho Christi post mortem et crucem, cum victor ascendit in cœlum, ut explicat hic Apostolus.

Quarto, pro *ascendens* græce est ἀναβάς, *cum ascendisset*, etc., « dedit dona ; » non enim proprie de ascensu Christi intendit agere Apostolus, sed de distributione donorum quæ post ascensum ex cœlo misit, et distribuit in Apostolos aliosque fideles.

DEDIT DONA HOMINIBUS. — Dices, *Psal.* LXVII, 19, dicitur : « Accepisti dona in hominibus. » Quomodo ergo pro *accepisti* vel *accepit*, Apostolus dicit *dedit*?

Cur Apostolus hic pro *accepit* dona dixerit *dedit*, quinque rationes.

Respondet *primo*, S. Augustinus : Christus accepit hæc dona non in se, sed in corpore suo, quod est Ecclesia, dedit vero eadem Ecclesiæ suæ, quatenus illius est caput. Hoc verum est, sed quæstioni non videtur satisfacere : nam alium sensum Pauli, alium Davidis inducit, cum unum eumdemque esse oportet. Adde, revera sic mutari personam : alia enim est persona Christi, alia Ecclesiæ, hic autem unus idemque est, qui in psalmo dicitur dona accepisse, et qui a Paulo dicitur eadem dedisse.

Dona quæ Christus dedit, sunt dona Spiritus Sancti.

Secundo, S. Hieronymus : Loquitur, inquit, Psaltes ante Christi incarnationem ; tunc enim Christus qua Deus dona hæc a Patre accepit, ut post incarnationem ea daret hominibus. Unde et jam natus dedit ea hominibus, ut hic ait Apostolus.

Tertio, Jansenius in *Psalm.* LXVII : Mutat, inquit, Apostolus *accepit* in *dedit*, ut significet quod Deus non acceoit dona in hominibus, et ab hominibus, nisi quæ prius illis dedit.

Quarto, Theodoretus : Christus, ait, dat dona, et dona accipit, quia hæc dona a Christo data, in Christi gloriam cedere et expendi debent. Et Euthymius in *Psalm.* LXVII : A quibus, inquit, Deus accepit fidem, fidelem scilicet donorum usum, et fidele obsequium ac gratiarum actionem, hisce dat sua dona. Sic et Theophylactus : Christus, inquit, qui hominibus dat sua charismata, ab iisdem accipit ministerium ; quisque charisma accipit non ut otietur, sed ut negotietur, Christoque cum tenore reddat, illud accipit. Sed et ita obstat ratio contra primam explicationem allata.

Quarto, plane et genuine, « accepisti dona in hominibus, » id est, pro hominibus, propter homines : Hebræum enim *bat*, id est *in*, sumitur hic, uti et alias, pro בעבור *baabur*, id est *propter*, vel pro ל *lamed* dativi, *q. d.* Accepit Christus a Patre dona, quæ daret, quæque de facto dedit hominibus, uti explicat hic Paulus, et sic idem est accipere quod dare : Christus enim hæc dona accepit, non ut sibi servaret, sed ut ea daret hominibus.

Unde Hebræum לקח *lacach*, id est *accipere*, subinde significat dare, seu afferre, teste Aben Ezra et R. Salomone, ut *Genes.* XXXVIII, 6 : « Dedit Judas uxorem primogenito suo, » pro *dedit* hebraice est *lacach*. *Exod.* XXV, 2, hebraice est דבקו לי תרומה *caiacchu li teruma*, id est *accipient* (hoc est, dent vel afferant) *mihi oblationem*. Sic III *Reg.* XVII, 10 : « Da mihi paululum aquæ, » hebraice pro *da* est *accipe*. Sic *Osee* ult. cap., vers. 3 : « Omnem aufer iniquitatem, accipe (id est *da*) bonum, et reddemus vitulos labiorum nostrorum. » Sic hic « accepisti, » id est dedisti, vel adauxisti, dona hominibus. Ita Chaldæus. Est metalepsis : quia enim dona daturi, ut pecuniam, solemus prius eam ex arca aut aliunde accipere ; hinc *accipere* ad dandum similiter pro *dare*.

Posset *secundo* verti, *cepisti dona hominibus*, vel *propter homines*. *Emisti*, scilicet pretio sanguinis tui, o Christe. *Lacach* enim subinde emere significat, ut patet *Prov.* cap. ult., vers. 16, et IV. *Reg.* V, 26. Hinc ea quæ venduntur et emuntur, puta merces, vocantur מקחות *mickschot*.

Dona hæc sunt dona Spiritus Sancti, quæ in Pentecoste, et deinceps Christus triumphator in Apostolos et Christianos sparsit, ut solent in triumpho ad commune omnium gaudium missilia numera, et pecunia in populum spargi. Ita Genebrardus in *Psalm.* LXVII, Ambrosius et Hieronymus hic. Scilicet hæc dona sunt quæ sequuntur, puta apostolatus, doctoratus, prophetia, etc., quæ ad hoc distribuit Christus, ut singulos fideles, ac consequenter totum corpus suum, nimirum Ecclesiam, in una verauque sua fide et charitate ædificent et perficiant : omnia enim hæc spectant ad excitandam in Ephesiis unionem et concordiam in fide et charitate, ut dixi in argumento.

In inferiora, id est, Gehennam descendit, erat potior pars Ecclesiæ.

9. QUOD ASCENDIT, QUID EST, NISI QUIA ET DESCENDIT PRIMUM IN INFERIORES PARTES TERRÆ? — Id est, quod David, *Psalm.* LXVII jam citato, dicit Christum ascendisse, quid innuit, nisi quod ante jam Christus descenderat « in inferiores, » εἰς τὰ κατώτερα, id est, in infimas (ut vertit Vatablus, quin et ipsemet Beza) partes terræ?

Cur Christus ad inferos descenderit?

Hoc loco et aliis similibus confirmatur illo fidei articulus quo credimus, et dicimus de Christo : « Descendit ad inferos ; » quod scilicet corpore Christi sepulto anima ejus descenderit ad inferos, puta ad limbum patrum. Negant hoc Calvinus et Beza, qui per inferos intelligunt sepulcrum, ut idem sit, « descendit ad inferos, » quod « sepultus est. » Sed sic Apostoli absurdam committerent tautologiam in Symbolo, cum dicunt, « passus, mortuus, et sepultus, descendit ad inferos. » Vocem enim « sepultus, » quæ clarissima est, explicarent per obscuram et ambiguam, scilicet per « descendit ad inferos. »

Error Calvini et Bezæ circa descensum Christi ad inferos.

Rursum, Apostolus ait hic Christum descendisse in infimas partes terræ : quæ sunt infimæ partes terræ, nisi infernus proprie dictus, qui est in medio terræ circa ejus centrum? Respondet Beza, infimas partes terræ vocari terram ipsam, quæ est infima pars mundi. Contra Apostolus non ait Christum descendisse in infimas partes mundi, sed terræ ; ergo invertis, o Beza, et distorques verba Pauli, si non imas terræ, sed mundi partes accipias : mundi enim Paulus ne meminit quidem ; cur ergo illud Pauli verbis in se claris et perfectis adjicis et apponis? Si hoc dicere voluisset Paulus, quod tu ipse vis, debuisset profecto dicere, Christum in terram, quæ mundi pars ultima est, descendisse. Sic eum dico : Prætor descendit in imas partes carceris, intelligis, et intelligunt omnes me dicere eum descendisse in profundissima loca carceris, non autem domus in qua carcer est : cur non hic similiter per imas terræ partes, imas, non mundi, sed terræ, ut verba sonant, intelligamus? Vide, quæso, Novantes istos, qui uni Scripturæ ejusque verbis niti volunt, quam ea suis interpretationibus lancinant et distorqueant, ac proinde quam non Scripturæ, sed suo commento, suique cerebri figmentis nitantur, ad eaque Scripturam volentem nolentem trahant cogantque.

Christus vere descendit ad inferos, et non tantum ad sepulcrum.

Bursum subdit Apostolus : « Qui descendit, » supple in infimas partes terræ, ut præcessit, « ipse est et qui ascendit super omnes cœlos, ut adimpleret omnia, » *q. d.* Christus altissime ascendit super omnes cœlos, quia profundissime se humiliavit, et descendit ad imas partes terræ, scilicet ad infernum, sicque summa et infima complevit, et per consequens intermedia quoque, atque adeo omnia : si enim Christus non descendit ad limbum patrum, ubi erat potior pars Ecclesiæ, totque Sanctorum millia, omnium scilicet, qui ab Adamo ad Christum usque vixerunt per quatuor pene annorum millia, ergo non adimplevit omnia, quod tamen asserit Apostolus. Denique ita explicant Patres. S. Hieronymus : « Inferiora terræ, inquit, inferiores accipitur, ad quem Dominus noster Salvatorque descendit, ut Sanctorum animus, quæ ibi tenebantur inclusæ, secum ad cœlos victor adduceret. » Et hoc innuit Apostolus, cum ait : « Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, » quam scilicet ad infernum descendens inde liberarat. Ambrosius : « Descendit, inquit, Christus in cor terræ, ut occisio ejus prædicatio esset mortuorum ; ut quotquot ejus essent cupidi, liberarentur. » Chrysostomus et Theophylactus : « Descendit, inquiunt, ad infimas partes, post quas non est aliud quid ; et ascendit super

Cur Christus ad inferos descenderit?

omnia, ultra quæ non sunt alia. » Anselmus « inferiores partes terræ » vocat loca inferorum : « Illuc enim, inquit, secundum animam descendit Christus, ut suos omnes potenter inde educeret. »

An Christus etiam descenderit ad inferos damnatorum?

Dices : Christus descendit in limbum patrum, non autem in infernum damnatorum; ergo non descendit ad infima terræ.

Respondeo : Limbus, purgatorium, infernus, generaliter loquendo, unus sunt locus, scilicet terræ infimus, unoque nomine vocantur et dicuntur inferus. Ita Patres citati.

Quæres : Cur infernî meminit hic Apostolus, quidve hic Christi descensus facit ad ejus scopum, qui est hortari Ephesios ad unionem et concordiam? Respondet Theophylactus, per hunc descensum Christi hortatur Apostolus Ephesios ad humilitatem, quæ est mater concordiæ, sicut superbia mater est invidiæ et discordiæ. Tangit ergo Apostolus radicem mali : cur enim in Ecclesia, urbe, familia jurgia sint et schismata, causa est, quod alii aliis eminere velint, alii id pati nolint, *q. d.*, ait Theophylactus : Sicut Christus non recusavit descendere profundissime; sic et vos, o Christiani, per humilitatem demittite, alliisque condescendite et obsecundate, ut unionem mutuam conservetis; nec est quod timeatis hunc descensum honori vestro nociturum : quemadmodum enim Christo non nocuit, ita nec vobis nocebit. Imo sicut Christus ideo altissime super omnes cœlos ascendit, quia profundissime infra terram se demisit, ac descendit : ita quo profundius vos demiseritis, eo altius exaltabiminî. Ita contigit S. Francisco cæterisque Sanctis.

Infernî meminit hic Apostolus ut Ephesios ad humilitatem excitet.

Vers 10. 10. QUI DESCENDIT, IPSE EST ET QUI ASCENDIT SUPER OMNES CŒLOS. — « Descendit et ascendit » sunt hic præteriti temporis : hoc enim significat Græcum κατέβη et ἀνέβη. « Curiosi homines, inquit Beza, hic disceptant super cœlos nullam esse locum, itaque corpus Christi esse ἀπερίγραπτον : at nos, inquit, credimus Christi corpus finitum, et animam in cœlos ascendisse, et ad dexteram Patris sedere, nec ante diem judicii inde venturum : cætera curiosis sophistis vexanda relinquamus. » Verum curiosum non est Scripturæ sensum primari, quem ipsa suggerit et objicit, imo exprimit. *Secundo*, ex terminis patet, *super cælos* non esse idem quod *in cælos*, ut ipse vult. *Tertio*, non ideo ἀπερίγραπτον, id est *incircumscriptum*, hoc est infinitum, Christi corpus est, quia est in illis spatiis vacuis, quæ super cœlos sunt : suis enim dimensionibus, figura et quantitate circumscribitur et terminatur, licet extrinsecus ab aere aliove corpore ambiente non circumscribatur.

Beza ejusque curiositatem taxatio.

Corpus Christi ex eo quod in spatiis quæ imaginaria, non est infinitum.

Est ergo secunda sententia nonnullorum Catholicorum, qui dicunt Christum ascendisse supra, id est super omnes cœlos, eo sensu quo quis dicitur ascendere super arborem, cum supra partem arboris, puta supra truncum in ramos ascendit, etiamsi totam arborem, ipsumque arboris verticem non superet aut transcendat. Verum Græcum ὑπεράνω plus significat : est enim compositum ex ὑπὲρ, id est super, et ἄνω, hoc est supra, *q. d.* Super supra, id est, omnino super omnes cœlos Christus ascendit. Unde Beza vertit, *longe super omnes cælos ascendit*. Sed responderi posset ὑπεράνω pro ὑπὲρ capi : sic enim capitur alibi. Unde hæc sententia est probabilis, eamque sequitur noster Lessius, lib. III *De Summo Bono*, cap. VIII.

Tertio, probabiliter dici potest, per omnes cœlos hic intelligi omnes cœlos æthereos, vulgo et Philosophis cognitos, *q. d.* Christus super omnes cœlos æthereos ascendit in ipsum cœlum empyreum. Verum cum Apostolus absolute omnes cœlos nominet, cur vocem *omnes* restringamus ad solos æthereos? Adde, sic nihil rari aut proprii de Christo dici : omnibus enim Sanctis hoc commune est, ut super omnes cœlos æthereos ascendant ad cœlum empyreum.

Christus super omnes cœlos, etiam empyreum, ascendit, et quare?

Dico ergo *quarto*, si proprie et simpliciter accipiamus verba Apostoli sicuti sonant, ut accipienda videntur, cum nihil obstet, admittendum esse Christum super omnes cœlos, etiam empyreum, ascendisse, ut super illud eminet, sitque in spatio illo inani quod est super cœlum, vel parte corporis sui, vel etiam toto corpore, ita ut pedibus suis insistat convexæ superficiei cœli empyrei, ita D. Thomas, Anselmus, Paludanus, Cajetanus, quos citat et sequitur Franciscus Suarez, III *part.*, *Quæst.* LVIII; et videntur idem sentire Chrysostomus, Theophylactus, Œcumenius, cum, ut supra dixi, asserunt Christum ascendisse supra omnia, ultra quæ non sunt alia. Est ergo ibi Christus, ut implcat omnia, utque ipse totius universi Dominus et judex universo emineat, et super illud etiam in spatiis illis vacuis gloriam suam et dominium ostendat. Denique, ut, sicut infra ineam terram descendit, ita supra omnes Sanctos et supra summum cœlum ascendens, ibi thronum gloriæ suæ colloceat.

Sapientissima ac quam Christus discendit infra omnia, et ascendit supra omnia.

Beati ergo sunt in ipso cœlo empyreo; Christus vero eorum rex eis eminet, insistitque cœlo empyreo, ita tamen ut totum cœlum empyreum coram se habeat, quasi unum aulam vel basilicam amplam, in qua omnia et singula distincte videt et perspicit, eoque melius quo ipse altiori est loco : sicut si rex in altissimo throno considens videat omnia quæ geruntur in aula throno subjecta; et hoc ipso censetur rex esse et habitare in ipsa aula, præsertim quia aula integra Christi est amplissima, nec tantum cœlum empyreum, sed et immensa illa spatia vacua quæ supra illud sunt, complectitur. In his enim Christus dominari, ibique novos mundos creare, novum cœlum empyreum, nova Beatorum habitacula, novas sedes et choros condere potest.

Nec obstat, quod sic Christus in illis spatiis sit quasi in vacuo : tum quia Deus sua potentia facile efficit, ut ipse per vacuum videat, audiat, loquatur; tum quia verisimiliter exiguum illud spatium, in quo est Christus, quod ante vacuum

erat, jam vacuum non est, sed æthere cœli empyrei, qui circum Christi corpus Dei nutu se fundit, plenum.

Ex dictis patet, Christum in convexa illa cœli superficie degere, non perinde ac si quis in terra degeret extra domum suam in tecto domus. Nec enim illa superficies est tectum cœli, sed est thronus Christi regalis et magnificus : unde censeri debet non esse extra, sed intra cœlum in ejus culmine. Sicut ergo princeps ut ludos spectet, residet in culmine amphitheatri, ita ut capite et collo amphitheatro emineat, indeque spectacula melius conspicit, et plura videt quam illi qui in medio, vel in imo amphitheatri versantur; imo et ipsos residentes, eorumque ordines, ac spectantes omnes et singulos clare contemplatur; et nihilominus censetur esse, et est in ipso amphitheatro : ita se habet res de Christo insistente cœlo empyreo. Ipse enim quasi mundi Dominus, mundo est superior, ut totum mundum coram se præsentem, sibique subjectum habeat, recreet, dirigat et moderetur.

Mystice S. Hieronymus : « Christus, inquit, ascendit super omnes cœlos, id est super omnia invisibilia, » puta supra omnes angelorum ordines.

Sapientissima ac quam Christus discendit infra omnia, et ascendit supra omnia.

UT IMPLERET OMNIA, — ut scilicet dominans in cœlis et toto mundo, mittensque Spiritum Sanctum, regna omnia sua fide, religione, cultu impleret, inquit Anselmus.

Secundo, ut omnes electorum angelorum et hominum sedes ac numerum restauraret impleretque. Ita idem Anselmus.

Tertio, descendit Christus ad inferos, et ascendit in cœlum, ut superis et inferis, sicut et terrestribus, sanguinem suum ostenderet profuisse, itaque se fructu sanguinis sui implesse omnia mundi loca. Ita Hieronymus.

Quarto, ut omnia impleret quæ de ipso prophetata erant; inter hæc enim ultima sunt, descensus ejus ad inferos, et ascensus in cœlum. Ita Chrysostomus.

Quinto, ut plane concluderet suam peregrinationem et opus redemptionis nostræ, cujus finis et terminus est ascensus tum Christi, tum noster in cœlum. Ita D. Thomas. Christus enim suo ascensu viam nobis in cœlum aperuit, et primitias nostras, scilicet sanctos Patriarchas et Prophetas, eo secum invexit.

Sexto, ut e cœlo omnis generis gratiarum et donorum, ac angelorum Custodum missione, pro sua et majestate et munificentia Ecclesiam impleret. Ita Ambrosius, *epist.* 16, et D. Thomas.

Septimo et planissime, descendit et ascendit Christus successive ex uno in alium locum, scilicet ex inferis cœlum transeundo, ut in imo, summo et medio mundi spatio suam declararet gloriam et virtutem, ubique suos electos liberans, hostesque suos spolians et debellans, sicque indicaret se imperium in omnes omnino creaturas habere, regnique totius mundi plenam possessionem jam adire et capessere : idque merito infimæ humilitatis, qua sub omnibus hominibus et creaturis, et ad inferos usque descendit, *q. d.* Descendit Christus et ascendit, ut impleret omnia sua tum potentia, tum majestate, victoria, gloria, triumpho, possessione, regno, imperio, et quasi inauguratione : quemadmodum rex urbes omnes quasi implet sua potentia, comitatu et pompa, dum in eis inauguratur, aut eas triumphans ingreditur. Ita Theophylactus et Œcumenius. Unde S. Bernardus, serm. 2 *De Ascensione* : « Ascendit Christus, ait, super omnes cœlos, ut adimpleret omnia : jam enim cum se dominum universorum quæ sunt in terra, et in mari, et in inferno, probasset, non restabat nisi ut aeris et cœlorum se esse dominum, argumentis similibus, vel certe potioribus approbaret : terra enim cognovit Dominum, quia ad vocem virtutis ejus, cum clamasset magna voce : Lazare, veni foras, mortuum reddidit. Cognovit mare, quia solidam se præbuit sub pedibus ejus, ita ut Apostoli eum putarent phantasma esse. Cognovit infernus, cujus ipse portas æreas et vectes ferreos confregit; ubi et ligavit illum insatiabilem homicidam, qui vocatur Diabolus et Satanas. Profecto qui mortuos suscitavit, leprosos mundavit, cæcos illuminavit, claudos firmavit, et omnem exsufflavit infirmitatem, Dominus omnium fuit, et eadem qua fecerat manu, quæ defecerant reficiebat. » Et infra : « Ad claudendam igitur tunicam tuam insonsutilem, Domine Jesu, ad perficiendam fidei nostræ integritatem, restat, ut videntibus discipulis per medium aeris, sicut aeris dominus, ascendas super omnes cœlos. Ex tunc probabitur, quia dominus universorum tu es, quia omnia in omnibus adimplesti; et jam tibi profecto debebitur, ut in nomine tuo omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia tu es in gloria et in dextera Dei Patris. »

Christus ascendit super omnia ut probaret se dominum omnium.

Errores Ubiquotariorum de corporis Christi ubiquitate refutatur.

Hinc perperam Ubiquetarii colligunt Christi corpus æque ac divinitatem, cui conjunctum est, ubique esse, omniaque mundi loca simul implere reali sua præsentia. Ex dictis enim patet aliam esse Apostoli mentem, imo id menti Apostoli repugnare : dicit enim Christum ascendisse in cœlum; ergo antequam in cœlum ascenderet, non erat in cœlo : frustra enim eo ascenderet, si ibi jam erat. Rursum, Christum ait descendisse ad inferos; ergo antequam eo descenderet, ibi non erat. *Ascendit* enim et *descendit* significant loci mutationem, qua quis unum locum deserens ad alium se transfert.

Adde : Apostolus docet per et post descensum et ascensum Christum implesse omnia, idipsum ergo non habuit ex vi unionis cum deitate, ut quia deitas est ubique, hinc et corpus deitati unitum, sit ubique, et impleat omnia loca; quod tamen volunt Ubiquetarii, hæcque eorum est

ratio fundamentalis : sic enim hanc ubiquitatem (ut loquuntur Scholastici) habuisset corpus Christi a primo instanti incarnationis, quo unitum fuit deitati; non autem acquisivisset eam per descensum ad inferos, et per ascensum ad cœlum : quod tamen hic docet Apostolus, si per *impletur omnia* intelligat hanc ubiquitatem, ut ipsi volunt; pugnat ergo Apostolus cum eorum ubiquitate ejusque principiis.

11. ET IPSE DEDIT QUOSDAM QUIDEM APOSTOLOS, QUOSDAM AUTEM PROPHETAS, ALIOS VERO EVANGELISTAS, ALIOS AUTEM PASTORES ET DOCTORES. — Enumerat dona non omnia, sed pauca, sub quibus cætera intelligit, quæ, ut dixit vers. 8, Christus ascendens in altum hominibus dedit, et gratias quæ quique datæ sunt secundum mensuram donationis Christi, ut dixit vers. 7; scilicet hæc dona et gratiæ gratis datæ sunt, apostolatus, prophetia, munus Evangelizandi, pastoratus, doctoratus : sub quibus accipe gratiam gratum facientem, quæ quique pro suo munere et officio quod a Deo accepit, idonon et congrua datur, ut eo sancte, pie et fructuose ad suam aliorumque salutem perfungi possit.

Commentatur dona quæ Christus reliquit Ecclesiæ.

Quinam fuerint veteres Apostoli, qui Propheta-rum?

Nota : *Apostoli* erant et vocabantur, qui toto orbe mittebantur ad prædicandum Evangelium Gentibus, ut ubique instituerent et fundarent Ecclesias : quales erant duodecim illi quos Christus vivens elegit, et Apostolos nominavit; item Paulus, Barnabas, Silas et alii.

Vide prolegom. super Paulum.

Prophetæ erant, qui futura prædicebant, ut Agabus et alii : hisce successerunt, ait Ambrosius, Sacræ Scripturæ interpretes. Prophetia enim est non tantum qui futura, sed et qui occulta et obscura pandit et explicat. Addit Anselmus aliam causam, quia scilicet hi interpretes sacrarum Litterarum, per eas futura justorum gaudia, malorumque supplicia hominibus præmuntiant.

Qui Evangelistæ?

Evangelistæ sunt quatuor, Matthæus, Marcus, Lucas et Joannes, qui Evangelia conscripserunt. Ita Anselmus et Theophylactus. *Secundo*, Septuaginta discipuli et similes, qui Apostolis subserviebant in prædicando Evangelio, quique, ut Theophylactus, non ubique circumibant, nec omnia loca peragrabant, sed hinc inde præsicabant Evangelium; quales fuerunt Priscilla et Aquila, Stephanus et Philippus diaconi; hi enim Apostolis subserviebant, sicut presbyteris subserviunt diaconi, et sicut catechistæ subserviunt concionatoribus : erant enim quasi catechistæ, qui articulos fidei et Evangelii necessarios ad salutem docebant infideles, eosque præparabant ad baptismum. Unde Ambrosius, Theophylactus, Anselmus, per Evangelistas intelligunt diaconos. « Evangelistæ, ait Ambrosius, sunt diaconi, sicut fuit Philippus : nam quamvis non sint sacerdotes, evangelizare tamen possunt sine cathedra, quemadmodum et Stephanus et Philippus memoratus. » Hinc etiamnum hodie in Missa Evangelium canunt diaconi, inquit Anselmus, et dum ordinantur, potestatem accipiunt ad annuntiandum Evangelium. Unde eis ex Ordine videtur competere potestas prædicandi, ut docet S. Gregorius, lib. IV *Registri*, cap. LXXXVIII, quam tamen exercere non debent dum adest sacerdos, qui prædicare possit, et nonnisi accepta licentia ab Episcopo, ut Sylvester verbo *Diaconus*, et alii docent.

Qui sint Pastores?

Pastores sunt Episcopi, et proprie dicti Pastores, qui in una parœcia vel diœcesi, cui præsunt et quam regunt, se continent; seu quibus commissæ sunt Ecclesiæ certæ, uti Timotheo commissa fuit Ephesus, Tito Creta. Ita Theophylactus.

S. Augustinus, *epist.* 59, S. Hieronymus et Anselmus, volunt eosdem esse pastores et doctores : qui enim pastor est, debet esse doctor. « Nec in Ecclesiis, inquit Hieronymus, quisquam, quamvis sanctus sit, pastoris sibi nomen assumere debet, nisi possit docere quos pascit. » Unde Apostolus non dicit, « alios pastores, alios doctores, » uti de præcedentibus dixit, « alios Apostolos, alios Prophetas; » sed dicit, « alios pastores et doctores, » quasi iidem sint, vel unius et ejusdem præsidis Ecclesiæ duo hæc sint munia et officia. Syrus autem et alii distinguunt, uti etiamnum in Ecclesia alios videmus esse pastores, qui in Ecclesia plebem; alios doctores, qui in scholis litteratos docent, ut sincera dogmatum doctrina in Ecclesia retineatur : quales Alexandriæ fuerunt Heraclas, Pantenus, Origenes, Clemens et alii.

Hierarchiæ Ecclesiasticæ ordinibus aptissime proportionata dona.

Nota *secundo* : Hæc hierarchiæ Ecclesiæ et ordinibus qui sunt in Ecclesia, ita adaptat Ambrosius, ut Apostoli sint Episcopi, Prophetæ sint interpretes sacræ Scripturæ, Evangelistæ sint diaconi, pastores sint lectores, qui sacris lectionibus sagiunt populum, doctores sive magistri sint exorcistæ, qui in Ecclesia coerceant ac verberent inquietos. Paulo aliter Anselmus : Apostolis, inquit, respondent Primates et Archiepiscopi, Prophetis Scripturæ interpretes, Evangelistis Diaconi, pastoribus Episcopi, doctoribus Presbyteri. Sed hic sensus accommodatitius est, non litteralis.

12. AD CONSUMMATIONEM SANCTORUM. — Græcum καταρτισμὸν descendit sive ad καταρτίσιν, quod duo significat : *primo*, rem collapsam restaurare et reparare; *secundo*, perficere, absolvere, consummare. Juxta priorem significationem Erasmus et Vatablus vertunt, *ad instaurationem sanctorum*, ut scilicet homines per peccatum prolapsi reparentur, restaurentur et revocentur ad primævam sanctitatem. *Secundo*, melius noster interpres, Ambrosius, Œcumenius, vertunt, *consummationem*, id est completionem et perfectionem sanctorum, *q. d.* Deus in Ecclesia dedit Apostolos, Prophetas, Pastores, etc., ut sancti et electi in Christo tum numero, tum meritis compleantur et perficiantur, itaque ex omnibus sanctis quasi membris suis Ecclesia, quæ est ædificium et domus Christi, omnibus partibus suis absolvatur, ut ejus fabricæ nihil desit, sed tota quaquaversum sit consummata : ad hanc enim ædificationis

Quomodo et quibus membris corpus Ecclesia ædificetur?

Ecclesiæ consummationem Apostolum respicere, patet ex seq., cum subdit : « In ædificationem corporis Christi; » unde et Hieronymus legit, *ad instructionem et perfectionem sanctorum* : nam per *instructionem* non intelligit institutionem et doctrinam, sed perfectionem, sicut dicitur domus rebus omnibus instructa cum ei nihil deest, habetque omnem suam perfectionem; hanc tamen suam perfectionem acquirit Ecclesia per instructionem proprie dictam, id est doctrinam. Unde subdit S. Hieronymus : Si quis non ædificat Ecclesiam Christi, nec subjectam sibi plebem instruit, ut de subjecto populo Christi Ecclesia construatur, iste nec Apostolus, nec Propheta, nec Evangelista, nec pastor, nec magister est appellandus.

IN OPUS MINISTERII, — ut scilicet quisque Apostolus, Propheta, pastor, doctor, plene et strenue opus ministrationis sibi creditæ exerceat : si enim unus faceret omnia, non perfecte faceret singula, ait Anselmus. Unde Vatablus vertit, *in opus dispensationis*, ut scilicet dispenset prophetiam, Evangelium, doctrinam aliaque talenta sibi a Deo credita.

Humilitas pastoribus et doctoribus necessaria, ne sua dignitate tumescant.

Hæc sententia Pauli premit Apostolos, pastores, doctores, ne sua dignitate insolescant, sed cogitent se esse populi ministros et dispensatores, quæque sibi dona data esse non propter se, sed ut ea in alios dispensent, memineritque Deum hujus dispensationis exactum ab eis rationem exacturum. Unde S. Gregorius, hom. 9 *in Evang.* : « Lectio, inquit, Evangelii sollicite considerare nos admonet, ne nos, qui plus cæteris in hoc mundo accepisse aliquid cernimur, ab auctore mundi gravius inde judicemur; cum enim augmentur dona, rationes quoque crescunt donorum; tanto ergo esse humilior, atque ad serviendum Deo promptior quisque debet ex munere, quanto se obligatiorem esse respicit in reddenda ratione. Vide dicta I *Cor.* cap. XII.

IN ÆDIFICATIONEM CORPORIS CHRISTI, — Ecclesiæ scilicet, ut illa ceu ædificium Christi spiritale sensim assurgat, numeroque ac virtutibus proficiat, donec tandem absolvatur, et omnibus suis partibus, omni ornatu et perfectione compleatur et consummetur. Ita Anselmus (1).

Vers. 13.

13. DONEC OCCURRAMUS OMNES IN UNITATEM FIDEI, ET AGNITIONIS FILII DEI, IN VIRUM PERFECTUM, IN MENSURAM ÆTATIS PLENITUDINIS CHRISTI. — *q. d.* Hi gradus, et hic hierarchicus Ecclesiæ ordo, ut alii sint Apostoli, alii Prophetæ, alii Evangelistæ, alii pastores et doctores, manebit durabitque, donec infideles omnes ad unam Christi fidem et Ecclesiam vocentur, ut in Christum Filium Dei credant, eumque agnoscant omnes, quotquot Deus credituros præscivit et prædestinavit; et donec in ejus cognitione et dilectione omnes qui credidimus, crescamus ad perfectam ætatem et solidam in Christo Christique spiritu.

Quomodo omnes etiam diversissimæ nationes conveniant in unum Ecclesiæ?

Nota : In verbo *occurramus* est metaphora sumpta ab iis, qui diversis locis egressi in unum locum conveniunt : sic enim ex Oriente vocantur Sinæ et Japones, ex Meridie Africani, ex Septentrione Germani, Galli, Poloni, ex Occidente Mexicani et Peruenses, ut sibi invicem occurrant in eadem fide et spiritu, conveniantque in eadem Ecclesia Christiana.

Aliqui censuerunt fœminas in virili resurrecturas.

IN VIRUM PERFECTUM. — Ex hoc loco multi putarunt, feminas non in proprio sexu, sed in virili resurrecturas et in viros transformandas, ut testatur S. Augustinus, lib. XXII *De Civit.*, cap. XVII et seq. Et videtur hæc esse sententia S. Hieronymi, Basilii in *Psalm.* CXIV, Hilarii in illud *Matth.* XXII : « In resurrectione neque nubent, neque nubentur, » etc.; Athanasii, serm. 3 *Contra Arian.*, sub finem, et aliorum, qui dicunt in resurrectione non fore sexuum diversitatem. Inter Scholasticos vero Scotus in II, *dist.* XX, expresse docet omnes feminas, excepta una B. Virgine, resurrecturas in sexu virili.

Probatur.

Ratio ejus est, quia sexus femineus est accidens et imperfectio hominis; in resurrectione autem omnis imperfectio tolletur. Rursum femina est mas occasionatus, ait Philosophus. Unde in femina producenda videtur errasse natura, ut cum vellet producere marem quasi hominem perfectum, defeciente virtute generativa seminis (eo quod non satis esset potens ad marem efformandum), pro mare feminam produxerit : inde enim femina dicitur (ut apparet) mas occasionatus.

Feminæ in eo sexu resurgent.

Verum hic est error, cujus contrarium, feminas scilicet in suo sexu femineo resurrecturas, docet S. Augustinus loco citato; Tertullianus, lib. *De Resurrect. carnis*, cap. LX; Hieronymus, epist. 61 *ad Pammachium* contra errores Joannis Hierosolymitani, et communiter Scholastici in IV, *dist.* XLIV. Ratio est, quia in resurrectione resurget idem numero corpus; ergo in eodem sexu resurget. Si enim idem numero resurget, ergo habebit eadem accidentia et eadem conditiones individuantes, inter quas non minima, imo una ex præcipuis, est sexus certus et determinatus.

Probatur.

Respondetur ad primam rationem contrariæ sententiæ.

Hinc refellitur ratio fundamentalis Scoti. Falsum enim est sexum femineum esse imperfectionem : est enim perfectio, licet minor quam virilis; nec vitium est, sed natura et naturalis conditio. Si enim esset imperfectio et vitium, non fuisset in paradiso et statu innocentiæ : jam autem constat Deum in paradiso ex viro feminam, ex Adamo Evam formasse. Nam femina necessaria est ad sobolis propagationem, et consequenter ad speciei humanæ conservationem. Unde pariter falsum est, feminam esse marem occasionatum, quia per se Deus et natura intendit producere Evam et feminam, ut per marem et feminam species humana propagaretur. Hoc tamen sensu posset femina dici mas occasionatus, quia

(1) Vers. 12 : Ut Christiani probe instructi, sancti et idonei reddantur; ut sint ministri Christi, seu qui munere ministrorum fungantur; ut ædificetur Ecclesia.

mas perfectior est quam femina. Natura autem in genere intendit producere id quod perfectius est : ergo in genere intendit producere potius marem quam feminam. Dico *in genere* : nam in specie et individuo sæpe intendit producere id quod minus perfectum est; uti intendit generare infantem, non virum perfectum. Sic hic et nunc ex tali semine intendit producere feminam, non virum. Resurgent ergo feminæ in suo sexu, quasi in naturali conditione et perfectione sua.

Dices, *Matth.* XXII, 30, dicit Christus : « In resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei in cœlo. » Respondeo : Tantum negat hic Christus in cœlo fore nuptias et nuptiarum usum, non autem fore feminas; imo eas in cœlo fore satis insinuat cum ait : « Neque nubent, » scilicet viri, « neque nubentur, » scilicet feminæ.

Instabis : Addit Christus quod erunt sicut angeli Dei; angeli autem sexu carent. Respondeo : Erunt sicut angeli non quoad naturam, vel sexus privationem, sed quoad puritatem, vitam spiritalem, immortalem et beatam. Hanc enim opponit Christus nuptiis, quæ inter homines mortales necessariæ sunt ad perpetuandam speciem, ut homo qui moritur, perduret quasi immortalis in filio quem genuit, et post se vivum relinquit. Unde S. Lucas subdit : « Neque enim ultra mori poterunt, et sunt filii Dei, cum sint filii resurrectionis, » *q. d.* Sancti corpore et anima erunt Deo simillimi, et ad resurrectionem beatam pertinebunt, eruntque immortales; ac proinde nuptiis et usu nuptiarum, qui adhibetur ad speciem perpetuandam, et immortalitatem quamdam acquirendam, illis in cœlo opus non erit.

Quomodo Patres negent in cœlo fore sexuum diversitatem?

Ubi nota hebraismum : vox enim *filius*, cum genitivo pœnæ vel præmii apud Hebræos significat reum vel dignum et destinatum. Sic dicuntur filii mortis, gehennæ, *regni*, resurrectionis, id est rei mortis et gehennæ, digni regno et resurrectione. Et hoc tantum volunt Hieronymus, Basilius, Athanasius et alii Patres, cum negant in cœlo fore sexuum diversitatem; scilicet negant eam fore quoad usum, non autem quoad substantiam : Apostolus vero hoc loco nil tale dicit, sed longe alia est ejus mens, ut mox dicam.

Unde *secundo*, alii hunc locum sic explicant : « in virum perfectum, » *q. d.* Resurgemus quasi viri ad judicium maturum et perfectum, quale est virorum, etiamsi in hac vita mortui simus in ætate et judicio puerili. Unde, nomine viri quasi dignioris comprehendit et feminas. Sicuti et *Psalmus* I : « Beatus vir (id est beatus vir, et beata femina) qui non abiit in consilio impiorum. » Verum Apostolus non agit hic proprie de resurrectione, ut jam patebit.

Verus sensus Apostoli, quomodo occurrendo.

Dico ergo *tertio*, « in virum perfectum, » id est, ut in Christi fide, agnitione, amore non simus infantes et pueri, sed viri, id est proveti, viriles, perfecti, constantes. Ita Chrysostomus, Hieronymus, Theophylactus, Ambrosius, Œcumenius. Sic I *Cor.* XIII, dicit : « Cum essem parvulus, sapiebam ut parvulus : quando autem factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli. » Ubi, uti et hic, *vir* non sexum, sed partim ætatem, partim perfectionem, robur et constantiam virilem per catachresin significat. Vir ergo perfectus est adultus, constans et robustus. Unde quasi explicans subdit : « In mensuram ætatis plenitudinis Christi, ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ. » Ubi vides virum perfectum opponi parvulo fluctuanti et instabili in fide et doctrina; ac consequenter virum perfectum hic vocari eum qui in fide et doctrina constans et perfectus est, *q. d.* In Ecclesia alii erunt Apostoli, alii pastores et doctores, etc., donec omnes Christiani, qui prædestinati sumus, occurramus in una fide et Ecclesia, in eaque non simus infantes et parvuli, sed adulti in Christi fide et dilectione, sicque in Christo plenam et perfectam ætatem spiritalem, id est perfectum intellectum, cognitionem et amorem Dei, nanciscamur.

Unus vir in virum perfectum?

Secundo, dicit « in virum perfectum, » non, *in viros perfectos*, quia loquitur Apostolus non tantum de singulis et omnibus Christianis, sed etiam magis de tota Ecclesia, eamque et omnes qui in ea sunt, vocat et comparat uni viro perfecto. Unde Syrus vertit, *donec omnes simus unus vir perfectus*. Sicut enim vers. præced. Ecclesiam vocavit ædificium Christi : ita mox, ut ostendat hoc ædificium non esse inanime et lapideum, sed vivum et humanum (sic enim Hebræi בן *ben*, id est filium, vocant, quasi fabricam et ædificium patris, a radice בנה *bana*, id est ædificavit), vocat eam corpus Christi, hominem Christi, virum perfectum Christi; ita scilicet ut Ecclesia hujus hominis et viri sit corpus, Christus ejusdem sit quasi anima, aut potius caput, ut alt vers. 15, de quo dixi I *Cor.* XII, 12.

Filius apud Hebræos dicitur fabricæ patris.

Itaque sicut crescente corpore organisque corporis crescit robur et vegetatio animæ, et contra; rursum, sicut crescente corpore crescit caput, et contra, ut scilicet totus homo crescat, donec ad justam et consistentem ætatem, staturamque virilem perveniat : ita pariter Ecclesia singulis suis membris, id est nobis fidelibus, crescit et adolescit in Christo, id est Christi fide, gratia et virtutibus, et vicissim Christus adolescit in nobis, donec Ecclesia ad justam perfectionem et staturam quasi virilem perveniat. Unde Clemens in *Pædagogo*, viri nomine Christum ipsum intelligit, qui nobis crescentibus quasi nobiscum et in nobis crescit in virum perfectum. Sic *Galat.* III, 28, dicit : *Unum*, vel, ut Chrysostomus legit, *unus* (scilicet homo politicus) « estis in Christo. » Christus ergo est unus homo, et unum corpus politicum, id est, Christus est una Ecclesia Christiana. Ecclesiæ enim suæ Christus est quasi hypostasis, anima et vita, ut dixi I *Cor.* XII. Sicque omnes

Per virum perfectum tota simul Ecclesia.

Christiani in Ecclesia sunt quasi unum, imo unus homo civilis et politicus in Christo. Et hæc est radix illius regulæ Ticonii apud S. Augustinum, quæ docet Scripturam sacram tribuere Christo illa quæ sunt Ecclesiæ Christi; et contra, tribuere Ecclesiæ illa quæ sunt Christi : quasi sit communicatio idiomatum inter Christum et Ecclesiam, sicut est inter Christum hominem et Christum Deum.

Inter Christum et Ecclesiam communicatio idiomatum.

Ubi adverte : Loquitur Apostolus hic de Ecclesia tanquam de homine singulari et viro unico, tum ut unitatem illam declaret et inculcet, ad quam hortatus fuit Ephesios a vers. 3 huc usque; tum ut singuli meminerint hanc doctrinam sigillatim ad se pertinere, neque in Christo debere crescere in virum perfectum, seu in membra viri perfecti, ut sic singulis crescentibus consequenter tota Ecclesia crescat in virum perfectum, ut ita perfecta et consummata fiat Ecclesiæ et singulorum Ecclesiæ membrorum statura, proportio et perfectio, quod fiet in fine mundi et resurrectione communi, non ante; ac proinde eousque durabit hic ordo hierarchicus, et hæc omnia, ut alii fungantur apostolatu, alii pastoratu, alii doctoratu, etc. Hisce enim crescit, proficit et perficitur Ecclesia « in mensuram ætatis plenitudinis Christi.

In qua ætate et mensura tam corporis quam virtutum omnes resurgent?

Nota *primo* : Hisce verbis explicat « virum perfectum » quem dixi. *Secundo*, hebraismo « ætas plenitudinis » vocatur ætas plena et perfecta, scilicet adulta et virilis. *Tertio*, licet ætas proprie hic capi possit, tamen clarius metonymice accipiemus ætatem pro statura, quam ætas secum affert, quæque esse solet in ætate virili : Græcum enim ἡλικία ab ἥκω, id est quantus, tam quantitatem, magnitudinem et staturam, quam ætatem significat. Unde Noster subinde *staturam* vertit, ut *Matth.* VI, 27, *Luc.* XIX, et Syrus hic vertit קוֹמְתָא *kometa*, id est statura, *q. d.* Donec crescamus, « occurramus omnes in virum perfectum, » id est, « in mensuram » et magnitudinem « ætatis, » id est staturæ, « plenitudinis, » id est plenæ et virilis, « Christi, » seu quam habuit Christus in ætate adulta et virili : ut, sicut Christus anno ætatis suæ 34, justam habuit viri staturam, ita et eamdem analogice et proportionaliter acquirat et habeat in nobis, id est, in nostræ fidei, gratiæ, spiritus et virtutum incremento et perfectione. Ita Ambrosius, Hieronymus, Chrysostomus. Persistit in metaphora, qua, ut dixi, Ecclesiam vocat unum virum perfectum, cujus membra sunt singuli fideles, cujusque anima et caput est Christus; ita ut crescente corpore crescat caput, et ipsa etiam anima, id est extensio, vis et vigor animæ, et contra, id est, crescente Ecclesia, crescat in ea Christus, et contra : ut Christus dicatur justam et plenam suam staturam in nobis acquirere, dum nos in fide et gratia Christi justam perfectionem et magnitudinem acquirimus. Statura enim, magnitudo et perfectio nostra est statura, magnitudo et perfectio Christi, ut patet ex dictis. Posset etiam *in Christo* exponi *in Christo*, *q. d.* Donec in Christo, id est Christi fide, gratia et corpore, quod est Ecclesia, justam mensuram et staturam plenam et virilem nanciscamur.

Omnes resurgent quasi ad novum 34.

Secundo, aliter explicant Anselmus, Gagneius, S. Thomas et Scholastici in IV, *dist.* XLIV, *q. d.* Donec resurgamus omnes in mensura, magnitudine et statura corporis plena et perfecta, qualis fuit Christi in ætate plena et perfecta, ut sicut Christus anno ætatis 34, justam habuit humani corporis staturam : ita et in resurrectione omnes homines, etiam qui hic in ætate infantili aut puerili mortui sunt, habeant justam corporis sui magnitudinem et staturam : non quasi omnes statura corporis æquales futuri simus Christo; sed quod omnes ea crimus magnitudine et statura, quam habuimus, vel habuissemus (si natura vegeta fuisset, et non impedita) in ætate virili, puta anno ætatis 34, quæ fuit ætas Christi, estque stata hominis ætas. S. Augustinus tam hanc quam præcedentem explicationem affert, lib. XXII *De Civit.*, cap. XV, et tribus seq., sed magis probat præcedentem, et sine dubio præcedens plane genuina est et ex mente Apostoli. Potest tamen cum auctoribus citatis ad secundum hunc sensum extendi : quia illa spiritalis Ecclesiæ mensura et statura plena et perfecta, de qua proprie hic agit Apostolus, erit solum in resurrectione, quando pari proportione Ecclesia corporalem suam habebit staturam plenam et perfectam : cum scilicet Sancti qui sunt in Ecclesia, sicut animæ et spiritus, ita et corporis justam habebunt magnitudinem et perfectionem (1).

Septem incrementa et ætates hominis interioris et exterioris.

Pulchre S. Augustinus, *De Vera Religione*, cap. XXVI, tom. X, incrementa et ætates septem homini interiori æque ut exteriori tribuit, puta infantiam, pueritiam, adolescentiam, juventutem, virilitatem, senectutem et decrepitam. « Iste, inquit, dicitur novus homo, et interior, et cœlestis, habens et ipse proportionem non annis, sed profectibus distinctas quasdam spirituales ætates suas. *Primam*, in uberibus utilis historiæ, quæ nutrit exemplis. *Secundam*, jam obliviscentem humana et ad divina tendentem, in qua non auctoritatis humanæ sinu continetur, sed ad summam et incommutabilem legem passibus rationis innititur. *Tertiam*, jam fidentiorem et carnalem appetitum rationis robore maritantem, gaudentemque intrinsecus in quadam dulcedine conjugali; cum anima menti copulatur, et velamento pudoris obnubitur, ut jam recte vivere non cogatur, sed etiamsi omnes concedant, peccare non libeat. *Quartam*, jam idipsum multo firmius ordinatiusque facientem, et emicantem in virum perfectum, atque aptam et idoneam omnibus

(1) Alioli : « Ætas plenitudinis Christi, » id est ætas perfecta, seu virilis Christi, infantiæ opponitur, statumque perfectionis in scientia et virtute designat.

etiam persecutionibus, et mundi hujus tempestatibus ac fluctibus sustinendis atque frangendis. *Quintam*, peccatam atque ex omni parte tranquillam, viventem in opibus et abundantia incommutabilis regni, summæ atque ineffabilis sapientiæ. *Sextam*, omnimodæ mutationis in æternam vitam, et usque ad totam oblivionem vitæ temporalis transeuntem in perfectam formam, quæ facta est ad imaginem et similitudinem Dei. *Septima* enim jam quies æterna est, et nullis ætatibus distinguenda beatitudo perpetua : ut enim finis veteris hominis mors est, sic finis novi hominis vita æterna. Ille namque homo peccati est, iste justitiæ. »

Veteres sunt qui quinta ætatem hanc Novatianorum vocant.

14. UT JAM NON SIMUS PARVULI FLUCTUANTES, ET CIRCUMFERAMUR (græce περιφερώμεθα, id est circumferri) OMNI VENTO DOCTRINÆ IN NEQUITIA HOMINUM. — Hoc explicat quod dixit, « in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, » *q. d.* Ut non simus quasi pueri, qui omni vento impulsi, persuasione agitantur, ait Syrus, et in omnem partem abripi se sinunt; sed potius contra omnes Novatorum impulsus, suasiones et dogmata nova, quasi viri firmi et constantes in vera fide et Ecclesia Christiana persistamus. Alludit Paulus ad Hebræum תם *pati* (unde Græcum πάθω) significat suadere, persuadere, pellicere, flectere, inclinare.

Nota, « in nequitia hominum, » id est, per nequitiam hominum, per homines nequam et dolosos, scilicet pseudoapostolos et hæreticos, qui faciunt vos fluctuare in fide, et novis doctrinis vos ventilant. Græce ἐν τῇ πανουργίᾳ τῶν ἀνθρώπων, *in astu*, vel *aleatione hominum*, id est in fallacia dolosis aleatoribus usitata, quam S. Augustinus supra *illusionem*, Noster *nequitiam* vocat. Κυβεία enim significat tesseris sive alea ludere : in quo usu arte opus est, et lusor nititur circumvenire collusorem si possit; suum enim tantum commodum spectat : inde κυβεία, id est aleatio, significat versutiam, fallax artificium, et artificem fallaciam, ait Erasmus. Falsos ergo doctores comparat fraudulentis aleatoribus, inquit Theophylactus, qui doctrinam fidei adinstar aleæ et taxillorum transponunt ad plausum hominum. Itaque sensus est, *q. d.* Ne circumferamur omni vento doctrinæ, quocumque nos et homines nequam et veteratores impulerint.

Fallacia hæreticis usitata.

Itaque *primo*, per metaphoram aleæ et aleatorum notat incertitudinem hæresis et hæreticorum.

Eorumdem inconstantia in dogmatibus fidei.

Secundo, inconstantiam et desultoriam levitatem, quod quasi aleam de fide jaciant, et quasi ad jactum aleæ doctrinam mutent, ut his illisve gratificentur, aut ut sui cerebri commentis, phantasiis et somniis novis indulgeant; idque tanta arte, ut nonnisi ab oculatis cerni et redargui possint : sicut periti aleatores aleam ita dextre invertunt, ut socium cum quo ludunt fallant, et vix quisque advertat. Sic nostro hoc sæculo Luthe-

rus, Philippus, Calvinus aliique Novatores paucis annis suas catecheses, institutiones et confessiones mutarunt sæpius, aliaque imo contraria dogmata ediderunt et commenti sunt : hinc qui illos sequuntur, ab eis circumaguntur omni vento doctrinæ; ut merito Georgius, Saxoniæ Dux, rogatus a Catholicis quid Lutherani sui crederent, responderit : Quid nunc credant, scio; quid sequenti anno crediturі sint, prorsus ignoro. Idipsum de Arianis docet S. Hilarius lib. *ad Constantium et Constantem Imp.* : « Periculosum, inquit, nobis atque etiam mirabile est, tot nunc fides existere, quot voluntates; tot nobis doctrinas esse, quot mores; et tot causas blasphemiarum pullulare, quot vitia sunt, dum audita fides scribitur ut volumus, aut ita ut volumus intelligitur. Sic plurimæ cœperunt esse fides, ne ulla sit; imo vero annuæ menstruæque de Deo fides decernuntur; novis subvertuntur vetera, » etc.

Eorumdem blandiloquentia ita eorum pallium?

Tertio, per aleam et aleatores; ut Chrysostomus, Theophylactus, Vatablus, notat Apostolus fraudes pseudodoctorum, quibus per suas captiones et blandiloquentiam, hæreses et errores suos tegunt, eosque pro fidei articulis substituunt, ac vulgus in illos pelliciunt. Unde sequitur :

IN ASTUTIA AD CIRCUMVENTIONEM ERRORIS, — ut scilicet simplices et incautos astute circumveniendo ac decipiendo in errorem inducant. Pro *circumventionem* græce est πανουργίαν, id est insidias fallendi et insidiosas fallacias. S. Augustinus supra vertit, *machinationes*; πανουργία enim significat hominem in via furtim et ex insidiis adoriri. Hæc autem omnia ingens sunt nequitia, uti recte vertit Noster, non verbum verbo, sed sensum reddens et transferens. *Secundo*, pro *erroris* græce est πλάνης, id est *impostoræ*, ut sua impostura scilicet simplices circumveniant et decipiant, *q. d.* Impostores sunt hi Novatores; suis impostoris conantur omnibus imponere.

Vera ita.

15. VERITATEM AUTEM FACIENTES. — Ἀληθεύοντες δέ, id est, *sed veritatem sectantes*. Ita Vatablus.

Quadruplex veritas. Prima, mentis.

Nota : Quadruplex est veritas : *Prima* mentis, qua mens mentisque conceptio ac judicium conforme est objecto et rei, eamque ita concipit, ac de ea ita judicat, sicut revera res in se est : huic opponitur falsitas, qua mens de re judicat aliter quam res in se habet.

Secunda veritas.

Secunda veritas est oris, id est veracitas, qua sermo noster conformis est menti et animo, ut os loquatur id quod revera animus cogitat et intendit, et lingua respondeat menti; huic opponitur mendacium, quo aliud loquimur, aliud cogitamus vel intendimus. Estque hæc veritas duplex, una assertoria, qua asserimus id quod verum est; altera promissoria, quæ est fidelitas qua præstamus quod promisimus. Utraque hæc veritas tam oris quam mentis est quasi formalis.

Tertia objecti.

Unde *tertia* veritas est objectiva, puta veritas doctrinæ et fidei, qua doctrina et fides in se vera

est, ut, si illi assentiaris, eamque docens, veritati assentiaris, et veritatem doceas.

Quarta, actionum et vitæ.

Quarta est veritas actionum et vitæ, quæ non est aliud quam rectitudo et conformitas, qua actiones nostræ respondent suæ regulæ, ut scilicet conformes sint vero judicio practico, rationi, legi, voluntati Dei et præscripto virtutis. Itaque hæc veritas est debitum et officium cujusque, sive id quod quemque facere decet : unde illi opponitur pravitas et peccatum, quod aberrat et difforme est rationi et legi. Sic dicitur *Joan.* VIII, 44 : « Ille (scilicet diabolus) homicida erat ab initio, et in veritate non stetit, » id est non stetit in integritate et rectitudine naturæ in qua conditus erat, non permansit in suo gradu et officio, non fecit quod æquum erat, rectum et justum, non egit quod decebat angelum et creaturam tam sapientem et nobilem agere, ut scilicet agnosceret, coleret, subderet se suo creatori, eique pro tantis in se donis gratias ageret : unde consequenter a veritate excidit, ut patet ex eo quod jam « veritas in eo non est, » quodque « mendax est, et pater ejus, » scilicet mendacii. Hoc enim abstractum tacite latet et continetur in concreto *mendax* : sicque Hebræi sua relativa referunt sæpe ad antecedens non expressum, sed tacitum et latens in alio quod expresserunt. Sic sæpe alibi in Scriptura veritas sumitur, ut cum in Psalmis toties dicitur, quod omnia opera Domini sint vera, vel veritas : sensus enim est, recta, æqua, justa, sancta sunt opera Domini.

Veritas opponitur pravitati.

Christus ut caput quid operetur in membris Ecclesiæ?

Hic intelligit Apostolus partim tertiam veritatem, scilicet doctrinæ : opponit enim illam errori qui præcessit, *q. d.* Nolite errores Novatorum et impostorum sequi, sed sectamini veram fidem et doctrinam. Partim quartam : vult enim non tantum nos veritatem credere et docere, sed et facere, ut vertit Noster : ut scilicet juxta fidem nostram christiane vivamus, et veritatem doctrinæ veritate et rectitudine vitæ exprimamus; unde ait : *Veritatem autem facientes*, id est debita christianismi officia exequentes, *in charitate*, id est per charitatem et charitatis opera; *crescamus*, αὐξήσωμεν, *augescamus*; Vatablus, *adolescamus*; alii, *grandescamus*; Theophylactus, *augeamur*, scilicet tam bona opera, inquit, quam fidem, tam sanctam vitam quam dogmata (1). ita et Chrysostomus, qui triplex augmentum hic significari vult. *Primum*, quo corpus augmentum facit, dum in singulis membris operatur spiritus, juxta cujusque membri modum et exigentiam. *Secundum*, quo singula membra capiunt augmentum ex subministratione spiritus. *Tertium*, quo spiritus ipse augetur, dum a capite fluens meat per omnia membra, contingens et connectens singula; hoc est enim quod ait : « Crescamus in illo per omnia, » scilicet membra. Rursum, « per omnia, » id est quaquaversum, in longum, latum, crassum, omni augmento, scilicet omnibus donis, gratiis et virtutibus : charitate enim crescente, crescunt pariter in homine omnia dona et virtutes.

Apostolus de veritate quarta veritate loquitur.

Triplex Ecclesiæ augmentum.

Nota, « in illo, » scilicet Christo : unde explicans subdit : « Qui est caput Christus; » hebraismo enim redundat antecedens *illo*. Latine enim dicere debuisset : « Crescamus in Christo, qui est caput. » Christus enim quasi caput influit gratiam et vim crescendi et augescendi in singula membra totius corporis, id est Ecclesiæ : ita ut corpus hoc et singula ejus membra crescant in Christo, id est Christi capitis sui virtute et influxu; et vicissim Christus quasi caput in Ecclesia quasi in suo corpore. Dum enim Ecclesia crescit, crescit quasi Christus, id est Christi influxus, fides, gratia, operatio, gloria et regnum. Id plane explicat versu sequenti.

Collectio Ecclesiæ ex variis fidentibus.

16. EX QUO (scilicet capite Christo) TOTUM CORPUS (Ecclesiæ) COMPACTUM (συναρμολογούμενον, id est coagmentatum et compaginatum : ex capite enim omnia membra compaginantur, et per suas compages descendunt. Sic ex Christo Christiani omnes tam Galli, Hispani, Belgæ, Itali, quam Africani, Syri, Indi descendunt, et in unum Ecclesiæ corpus compaginantur) ET CONNEXUM (ut scilicet membrum membro, fidelis fideli per eamdem fidem et spiritum cohæreat, flatque ex omnibus unum corpus, scilicet Ecclesia) PER OMNEM JUNCTURAM (id est commissuram, qua unum membrum alteri committitur et jungitur. Græcum enim ἁφῆς significat artuum mutuos inter se contactus, qua parte scilicet committuntur. Unde S. Augustinus supra legit, *per omnem tactum*) SUBMINISTRATIONIS (id est per omnem juncturam subministrantem, scilicet spiritus animales et vitales, id est per mutuam unionem, qua nobis subministratur spiritus et gratia Christi capitis nostri), SECUNDUM OPERATIONEM (κατ' ἐνέργειαν, ex vi et efficacia intus agentis et operantis. Vim Christi intellige, qui instar capitis influit, et singula membra vegetat) IN MENSURAM UNIUSCUJUSQUE MEMBRI (id est pro modo, mensura et exigentia cujusque membri, ut scilicet singula membra, puta singuli fideles, juxta suam naturam, statum et conditionem a vi animæ vegetantis, id est a Christi gratia et spiritu, justam mensuram et incrementum accipiant : itaque) AUGMENTUM CORPORIS FACIT (supple ipsum corpus : hoc enim suppositum ex initio hujus versus sibi deposcit verbum *facit*. Est hebraismus : corpus facit augmentum corporis, id est sui ipsius, *q. d.* Seipsum ædificat et perficit corpus hoc, scilicet Ecclesia, ut æqualiter totum crescat, sed uniformiter difformiter, ut loquuntur Philosophi : quia scilicet singula membra crescunt inæqualiter, sed proportionaliter, quodque scilicet

(1) « Veritatem autem facientes in charitate, » id est, vel : *Sincere alios diligere, seu, genuino amore plenum esse*; vel : *Veri, seu veræ doctrinæ studiosum esse*, ita tamen ut hoc studium sit *cum amore* conjunctum, nec concordiæ mutuoque Christianorum amori obsit. Hic posterior sensus præstare videtur, quia ἀληθεύειν hic oppositum est τῇ πλάνῃ.

pro sua natura et conditione. Licet enim, verbi gratia, pes et brachium absolute magis crescant quam oculi, tamen oculi proportionaliter tantum crescunt, quantum pes et brachium) IN ÆDIFICATIONEM sui (ut seipsum ædificet, compleat et perficiat hoc corpus, quod est Ecclesia) IN CHARITATE, — id est per charitatem, *q. d.* Charitas est illa membrorum junctura sive commissura, per quam singulis membris suggeritur nutrimentum, spiritus, vegetatio et vis crescendi, ut ita singulis membris crescentibus totum corpus Ecclesiæ crescat, ædificetur et perficiatur (1).

Charitas vinculum et unio membrorum Ecclesiæ.

Nota *primo* : Hæc *charitas* est unio ad quam a vers. 3 hucusque hortatus fuit Ephesios. Sicut ergo membrum unum non potest communis nutrimenti et accretionis in corpori particeps esse, nisi reliquis membris et toti corpori sit unitum : ita fidelis non potest communis Ecclesiæ spiritus, gratiæ et incrementi particeps esse, nisi reliquis fidelibus et toti Ecclesiæ per unionem et charitatem cohæreat. Sicut enim artuum junctura, sive commissura, singulis membris : ita charitas singulis fidelibus subministrat communem corporis, puta Ecclesiæ, spiritum, vigorem et vitam. Ita Chrysostomus. *Secundo* melius, *charitas* hic non accipitur ut junctura, sed ut anima Ecclesiæ, ut mox ostendam.

Corpus Ecclesiæ ordine suo compactum.

Nota *secunda*, cum S. Hieronymo, corpus hoc Ecclesiæ dici, et debere esse *compactum* : quia si membrum ab eo sit divisum et dissectum per schisma, nil vigoris aut spiritus accipiet a corpore. Rursum debere esse *connexum*, ut scilicet quodque membrum suo loco, nexu et ordine consistat. Si enim pes luxetur, ut extra suam juncturam et os exeat, seipsum et totum corpus dolore afficit : ita si quis relicto suo gradu, officio, statu, alium invadat, nihil fructus, sed plurimum molestiæ sibi et aliis affert. Ita Chrysostomus.

Junctura et compago membrorum Ecclesiæ modo et quality.

Nota *tertio* : Cum dicitur « junctura subministrationis, » vox *subministrationis* tam active quam passive capi potest. *Primo*, passive, ut significetur junctura subministrata, id est suppeditata, cuique membro a toto corpore, et a capite; sive ut junctura subministrationis sit junctura membrorum, quibus subministratur communis corporis spiritus, vigor et vita, quasi dicat, ait Chrysostomus : Membra corporis si juxta propriam suam mensuram, necessariam subministrationem alimenti et spirituum acceperint, ita crescent; vel spiritus e cerebro infusus et cuique membro juxta ejus captum subministratus, incrementum ita facit, primo ipsius membri, deinde consequenter totius corporis.

Secundo et significantius active, ut « junctura subministrationis » sit junctura subministrans per venas et arterias tum influxum cordis, scilicet spiritus vitales, et sanguinem; tum concursum et opem mutuam, qua per juncturam unum membrum alteri devinctum, illud omnibus in rebus fovet et adjuvat, ut, dum quodque suam partem, facultatem et operationem subministrat, et quodammodo suum symbolum in commune affert, inde et alia membra participent, ut totum corpus crescat et perficiatur; tum maxime influxum capitis, ejusque spiritus animales necessarios ad motum, sensum et vitam. Sic enim Christus quasi caput nostrum, motum, sensum et vitam spiritualem in nos influit per juncturas, id est per mutuam unionem, qua unum membrum alteri, id est unus fidelis alteri, jungitur et subordinatur, tum per internam unionem animorum, tum per externam unionem, communionem et communicationem in iisdem Sacramentis, sacrificiis, orationibus, concionibus, lectionibus, conventibus. Ad hanc enim unionem externam pertinet omnis proximorum societas, instructio, ædificatio, quibus in spiritu et pietate promovemur mutuis exemplis, exhortationibus, consiliis, precibus, etc.

IN CHARITATE. — Nota : Hujus corporis politici, de quo hic agit Apostolus, caput est Christus, corpus ipsum est Ecclesia, membra sunt singuli fideles, junctura est mutua fidelium unio et communicatio, anima est fides et charitas, et spiritus vitales et animales sunt gratiæ prævenientes et excitantes, quæ a cerebro, id est a Christo, descendunt, et singulis membris, id est fidelibus, aspirantur. Hinc *secundo*, licet Chrysostomus et aliqui alii, charitatem in hoc corpore adaptent junctiuræ, quasi explicet Apostolus id quod dixit, « per omnem juncturam, » per id quod subdit, « in charitate, » id est per charitatem, *q. d.* Charitas quam dixi, est illa junctura, quæ omnibus membris omnem corporis spiritum subministrat, ac membrum membro jungit et addit, ut ita dilatetur et crescat, omnibusque suis membris, id est fidelibus, compleatur corpus Christi, quod est Ecclesia. Tamen alii melius « juncturam » accipiunt mutuam unionem, concordiam, communicationem; charitatem vero censent esse animam hujus corporis, id est Ecclesiæ, id enim clare significant verba Apostoli : « Augmentum, inquit, corporis facit in ædificationem sui in charitate. » Ubi Syrus vertit, *ad incrementum ipsius corporis, cujus ædificium charitate perficitur.* Nec enim alia potest fingi hujus corporis, scilicet Ecclesiæ, anima, quam fides et charitas : nec ulla pars in hoc corpore est nobilior quam charitas. Unde vers. præced. dixit Apostolus : « in charitate crescamus in Christo, qui est caput, per omnia. »

Caput, corpus, membra, junctura, anima, spiritus vitales Ecclesiæ mystici.

Charitas est spiritus et anima Ecclesiæ.

Charitas ergo quasi anima facit nos crescere in Christo, ut crescente charitate, crescat totus homo in Christo, et singulis hoc modo in fide et

(1) Hunc versum sic vertas : *Ex quo* Christo moderante *universum* Ecclesiæ *corpus, conjunctum et copulatum per diversas commissuras inter se adjuvantes, pro modo quo unumquodque membrorum aliquid operatur pro virili, seu per operationem pro suo modulo unicujusque partis, crescit, ut per amorem perfectius evalat.*

charitate crescentibus crescat totum Ecclesiæ corpus, *q. d.* Videte ergo, o Ephesii, ut unionem mutuam, ad quam ab initio capitis huc usque vos exhortatus sum, studiose colatis, servetis, augeatis, ut per eam spiritus Christi et Ecclesiæ participes fiatis, crescatisque in fide et charitate, itaque singulis crescentibus, tota Ecclesia crescat perficiaturque. Magnitudo enim, profectus, incrementum et perfectio cujusque fidelis, ac consequenter totius Ecclesiæ, sita est in profectu, incremento et perfectione fidei et charitatis, et consequenter aliarum virtutum quæ charitatem comitantur : ita ut, quantum in actibus fidei et charitatis, ac consequenter in earumdem habitibus quisque fidelis proficit, tantum crescat illius magnitudo spiritalis; ac quantum *in* iisdem crescunt omnes fideles, tantum crescat et perficiatur magnitudo totius Ecclesiæ.

Quomodo peccatores charitate destituti, sint pars Ecclesiæ?

Dices : Si charitas est spiritus et anima Ecclesiæ, ergo peccatores qui charitate carent, non sunt membra et partes Ecclesiæ : pars enim, quæ non informatur forma corporis, et in viventibus quæ non animatur anima corporis, non est corporis pars et membrum.

Pro responsione, nota Ecclesiam esse quasi hominem civilem et politicum, suamque habere animam et suum corpus. Corpus Ecclesiæ sunt ipsi fideles, qui exterius et visibiliter eamdem Christi fidem profitentur, quique inter se eum eodem capite visibili, scilicet Pontifice Romano, qui in terris est Christi vicarius, communicant in iisdem Sacramentis, sacrificiis, doctrina, regimine et politia. Hæc enim est exterior forma corporis Ecclesiæ, prout est respublica visibilis. Et sic presbyteri et Episcopi, qui occulte sunt hæretici, quamdiu hanc externam veræ fidei professionem et communicationem Ecclesiæ jam dictam retinent, sunt membra ejusdem corporis et reipublicæ, eique cohærent, ac retinent jurisdictionem, quam in Ecclesia acceperunt. Anima hujus corporis, scilicet Ecclesiæ, est fides; ita ut quicumque habent fidem, vivant anima Ecclesiæ.

Exterior forma corporis Ecclesiæ est fidei professio.

Peccatores etiam sunt pars Ecclesiæ.

Est tamen et alia nobilior et perfectior Ecclesiæ anima, scilicet charitas. Sicut enim embryo prius vivit anima sensitiva, diciturque vivus et sentiens, quam vivat anima rationali : ita fidelis per fidem prius vivit, vereque est vivens pars Ecclesiæ, etiamsi necdum habeat charitatem; ea tamen habita, longe nobiliori anima et vita vivit. Quantum enim anima rationalis excedit sensitivam, tantum charitas excedit fidem. Et de hac secunda forma hic et subinde alibi loquitur Paulus, ut solos Sanctos charitate prædilos vocet corpus et Ecclesiam Christi : non quasi fideles qui in peccato sunt, velit ab ea excludere, sed quod sancti qui charitate pollent, sint perfectissima membra, et corpus Christi, perfectissimamque Ecclesiæ formam et animam habeant, vivantque vita gratiæ, quæ est perfectissima vita Christi; alii autem fideles, qui charitate carent, sint quidem membra Christi, sed imperfectiora, utpote quæ vivant tantum anima fidei. Sicut ergo in homine alia membra tantum exercent officia animæ sensitivæ, unum vero caput exercet officia animæ rationalis, ut merito solum caput dici possit corpus animæ rationalis, qua rationalis est et ratione utitur : ita fideles peccatores exercent officia fidei, suntque membra Ecclesiæ, quæ non est aliud quam cœtus et congregatio fidelium; soli tamen Sancti exercent officia charitatis, quæ est quasi anima rationalis et perfectissima vita Christi et Ecclesiæ : indeque hi soli dicuntur a Paulo esse corpus (id est Ecclesia) Christi, intelligo nobilissimum et perfectissimum. Hinc rursum Ecclesia dicitur esse sancta, quia scilicet nobilissima ejus pars, quæ est justorum, sancta est, de quo rursum cap. seq., vers. 27.

Non omnia membra in homine exercent functiones animæ rationalis, sic nec in Ecclesia omnia habent charitatem.

17. HOC IGITUR DICO ET TESTIFICOR IN DOMINO (παρτύρομαι, id est *testor* et obtestor per Dominum), UT JAM NON AMBULETIS (non conversemini) SICUT ET GENTES AMBULANT (conversantur) IN VANITATE SENSUS SUI, — τοῦ νοὸς αὐτῶν, id est *mentis suæ*. Mens enim in homine et anima principatum tenet, reliquaque regit ac dirigit : ac proinde si mens sit corrupta et vanitati dedita, reliquæ animæ potentiæ totusque homo corrumpatur et vanescat necesse est. Sic videmus mercatorem, qui mente et animo non nisi lucra versat et quærit, totum occupari in auro et argento; sic ebriosum, qui mente non Deum, non cœlum, sed pocula versat et cogitat, totum occupari in vino et symposiis, non alia cogitare, phantasiari, somniare, loqui; sic superbum in honoribus, spurcum in libidinibus, iracundum in vindicta, et ita de aliis. Significat ergo Apostolus gentes, quia mente nonnisi vana tractabant, totas vanitati studuisse, et vanis rebus ac bonis esse occupasse.

Vers. 17. Mens in homine principat.

18. TENEBRIS OBSCURATUM HABENTES INTELLECTUM. — Hic est fons vanitatis Gentium, quod scilicet intellectum, græce διάνοιαν, id est *cogitationem*, habeant obscuratam infidelitate aliisque erroribus practicis, qui ex ea sequuntur, ut scilicet nec Deum, nec Christum agnoscant, sed idola lignea et lapidea putent esse deos, dæmones colant, et ad dæmonum suggestionem et instinctum putent fornicationem, ebrietatem, furta, rapinas non esse peccata. Sic enim corrupto intellectu, quasi duce et luce hominis, necesse est appetitum, et actiones omnes hominis corrumpi, ut libere fornicetur, furetur, inebrietur, dum putat hæc non esse, aut certe exigua esse peccata.

Vers. 18. Fons vanitatis Gentium, quod sit error intellectus.

ALIENATI A VITA DEI (a vivendi modo, quam Deus instituit, præcepit, et sibi gratum ac placitum declaravit, idque) PER IGNORANTIAM, — quia scilicet Deum, Dei legem et voluntatem ignorant.

PROPTER CÆCITATEM CORDIS IPSORUM, — διὰ τὴν πώρωσιν, *propter excæcationem*. Verti etiam posset, *propter obdurationem*; vel, ut Ambrosius, *duritiam cordis eorum* : et sic hæc pars a præcedentibus distinguitur, ne idem repetat Apostolus, *q. d.* In Gentibus sicut obscuratus est per ignorantiam

intellectus : ita consequenter cor, id est appetitus, mala vivendi consuetudine obduratum est, et callum (πῶρος enim callum significat) obduxit. Hinc, ut sequitur, in desperationem, indolentiam et omne scelerum barathrum præcipites corruerunt.

Principia gentilicorum.

19. QUI DESPERANTES, — scilicet salutem, et vitam virtutis ac beatitudinis. Legit noster interpres, et cum eo Syrus, ἀπηλπικότες : ἀπελπίζω enim idem est quod spero, *q. d.* Gentes cum non crederent, nec sperarent animam esse immortalem, Deum esse vindicem malorum, ac bonorum remuneratorem, Sanctos esse beandos æterna vita, putarentque nullam post hanc vitam aliam superesse poenarum, vel præmiorum, audacter et quasi impune se voluptatibus et libidinibus dediderunt. Unde et Erasmus hanc lectionem optime huic loco quadrare censet, ut scilicet legamus *desperantes* : siquidem qui desperant esse vitam aliam a morte corporis, avidissime rapiunt hujus vitæ voluptates, iisque se ingurgitant, velut amissis illis nihil habituri suave.

Qui indolentes alios dedolentes.

Verum Græca jam habent ἀπηλγηκότες, et ita legit Hieronymus, Chrysostomus et Græci, id est *indolentes*, et, ut S. Hieronymus vertit, *indolori*, qui scilicet dolere desierunt, quique omnem doloris sensum perdiderunt : ἀλγῶ enim significat dolere; ἀπαλγῶ, dolorem deponere et perdere : quod Comicus vocat *perdolere*; Ovidius, *dedolere* :

Optimus, inquit, ille fuit vindex, lædentia pectus
Vincula qui rupit, dedoluitque semel.

id est, qui semel omnem doloris sensum deposuit et abjecit (sic enim deferbuisse dicitur olla, cum fervere desierit, sicque desipere dicitur is, qui sapere desiit), quod Cicero vocat callum obducere dolori : « Consuetudo, inquit ipse ad Varronem, callum jam obduxit stomacho meo. »

Consuetudo peccatorum tollit remorsum conscientiæ.

Sicut ergo consuetudo sensui quasi callum induxit, ut non sentiat morbum et dolorem cui assuevit : sic et animo callum induxit, ut non sentiat remorsum aut dolorem in peccatis, quibus assuevit. Itaque ex consuetudine et impudentia peccandi, oritur in animo ἀπαλγησία, id est indolentia, vel dedolentia, qua animus ita obsurduit et obduruit in malis, ut peccata non sentiat, ut cum peccat, omnem conscientiæ remorsum amittat, et quasi conscientia amputata non pœniteat, nihil doleat; sed quasi brutum in omne id quod libet, quamvis turpissimum et abominandum, præceps ruat, in eoque delectetur et glorietur, ait Hieronymus. Quia ergo indolentia oritur ex consuetudine peccandi, et consuetudo peccandi oritur ex desperatione, illique connexa est : hinc utrumque verum est, scilicet et quod desperantes, et quod dedolentes Gentes in gentilismo tradiderint se omni immunditiæ. Vide in quod barathrum abducat hominem desperatio, et peccandi libertas ac consuetudo.

SEMETIPSOS TRADIDERUNT IMPUDICITIÆ, IN OPERATIONEM IMMUNDITIÆ OMNIS, IN AVARITIAM. — S. Ambrosius legit, *in operationem immunditiæ omnis et avaritiæ*, et proprie accipit nomen avaritiæ, *q. d.* Gentiles non habentes spem vitæ futuræ dederunt se omni immunditiæ et avaritiæ, ut aliena appetant et invadant insatiabiliter. Verum græce est, εἰς ἐργασίαν ἀκαθαρσίας πάσης, ἐν πλεονεξίᾳ, id est, ut vertit Noster, « in operationem immunditiæ omnis, in avaritiam; » vel, ut græce est, *in avaritia*.

Ubi nota, *avaritiam* hic tribui immunditiæ, et pertinere non ad cupiditatem opum, sed ad libidinem atque luxuriam, inquit Hieronymus : græce enim non est φιλαργυρία, sed πλεονεξία, quam Vatablus et Erasmus vertunt, *aviditatem* ; Theophylactus, *immoderatam concupiscentiam*. Proprie ad verbum πλεονεξία est nimia habendi cupido, sive hæc cupido sit opum, sive honorum, sive libidinum, uti hic est, aliarumque voluptatum, *q. d.* Apostolus : Gentiles qui non habent spem alterius vitæ, inexplebili aviditate et cupiditate, vel avidissime et cupidissime (est enim hebraismus : « in avaritiam, » id est avarissime et cupidissime) operantur omnem immunditiam, in eamque toto impetu feruntur; sicut avari mercatores toti feruntur in lucrum, ut de eo certent, et quisque studeat illud alteri præripere, et in lucro ac opibus omnes alios excellere : ita hi Gentiles adeo avare et intemperanter aguntur in immundas voluptates, ut quisque eas aliis præripere, et in iis alium superare studeat, sic ut libido eorum non habeat terminum, quia voluptatibus hujus vitæ frui, iisque se explere et beari volunt, cum alias non exspectent.

Avaritia cupiditas et insatiabilitas rerum delectabilium, hostis omnis honestatis.

Avaritia ergo significat hic avaram cupiditatem libidinis et voluptatum, quæ temperantiæ et continentiæ repugnat semper (1) : subinde etiam justitiæ, ut cum quis non contentus uxore sua, alienam invadit, nec unam, sed plures, ut voluptatis satietatem vitet, ejusque fastidium personarum mutatione tollat. Et hæc est πλεονεξία, de qua 1 *Thessal.* IV, 3 : « Hæc est, inquit, voluntas Dei, sanctificatio vestra, ut abstineatis vos a fornicatione, ut sciat unusquisque vestrum vas suum (uxorem suam) possidere in sanctificatione et honore : non in passione desiderii, sicut et Gentes quæ ignorant Deum; et ne quis supergrediatur, neque circumveniat (græce πλεονεκτεῖν, idem quod hic) in negotio fratrem suum (ut ejus uxorem secreto ambiat et sollicitet), quoniam vindex est Dominus de his omnibus. »

20. VOS AUTEM NON ITA DIDICISTIS CHRISTUM, — *Christum*, id est Christi doctrinam, vel christianismum. Christus enim pro Christo adjunctis sumitur, juxta *Can.* 37, *q. d.* Hoc non didicistis in doctrina Christi, non ita edocti estis in christianismo, scilicet ita luxuriari, ut faciunt Gentes. Ita Hieronymus et Anselmus; discere Christum, inquit Hieronymus, est discere temperantiam, sapientiam, virtutem Christi; et Theophylactus : Christum, inquit, discere est recte vivere : qui enim scelerate vivunt, Christum ignorant; « Deum » enim (inquit alibi Apostolus) « confitentur se nosse, factis autem negant. »

Discere Christum est discere omnes virtutes.

Vers. 21.

21. SI TAMEN ILLUM AUDISTIS. — Vocula *si* non est dubitantis, sed affirmantis, hoc loco, uti et II *Thessalon.* cap. I, vers. 6 : « Si tamen (id est *sicut omnino*) justum est apud Deum, retribuere tribulationem iis qui vos tribulant. » Ita Chrysostomus, *q. d.* Apostolus : Sicut omnino Christum Christique doctrinam audistis et didicistis.

ET IN IPSO (scilicet Christo Christique schola et disciplina) EDOCTI ESTIS.

Quadruplex hæc veritatis Jesu sensus.

SICUT EST VERITAS IN JESU, — *q. d.* Sicut veritas, id est, sicut verum est, per Jesum, juro scilicet. Ita Vatablus, nam præpositio *in* Hebræis est particula jurantis : « in Jesu, » id est per Jesum, quem testor et juro. Sic enim nos juramus dicentes : Per Deum, Per animam.

Verum melius Syrus vertit, *si tamen audistis et didicistis, quanta sit veritas in Jesu*. Sic fere et Vatablus, *si tamen*, inquit, *edocti estis, quonam sit veritas doctrinæ ipsius Jesu*, quæ docet deponendam esse pristinam conversationem, ut sequitur, *q. d.* Si tamen edocti estis ea doctrina quæ est veritas, et vera doctrina « in Jesu, » id est Jesu Christi (in enim Hebræis significat regimen genitivi : in Domino, id est Domini; in Christo, id est Christi). Vel planius, si tamen edocti estis ita vere, sicut veritatem docemur a Christo, qui est via, veritas et vita. Vel *tertio*, ut alii, si tamen edocti estis ita, ut edocti sunt qui vere et serio Jesum Jesuque doctrinam cognoscunt. Sic enim Græcum καθὼς, quod Noster vertit *sicut*, commode explicatur. Hic ergo Syri sensus et Græcæ phrasi et Pauli stylo apte respondet, et præcedentibus apprime connexus est.

Quarto, potest accipi hic cum S. Chrysostomo, Theophylacto et Anselmo, veritas tam vitæ quam doctrinæ, de qua dixi vers. 15, *q. d.* « Sicut est veritas in Christo, » id est, sicut in Christo Christique schola, scilicet Ecclesia, nil nisi vere, id est juste, pie, sobrie et caste vivere docemur. Unde ex S. Chrysostomo Theophylactus : « Quod autem ait, Sicut est veritas, sic intellige, quod non, sicut Gentes in vanitate circumambulant, sic et vos ad eadem vana estis compositi atque comparati. Quæ enim Christi sunt tum dogmata, tum vita, non sunt vanitas, sed veritas : peccatum autem est vanitas et mendacium, ut quod substantia et subjecto careat, nec habeat perfectionem. Virtus autem veritas est, ut quæ subsistat, et perfectionem finemque habeat. Quid autem docti estis? Et quid est veritas secundum Christum? nempe ut abjiciamus veterem hominem, hoc est prioris vitæ conversationisque nostræ mores (1). »

Quid sit vetus homo?

VETEREM HOMINEM. — Nota : « Vetus homo » est vetus hominis peccatoris vita et mores, quos ex veteri sive primo Adamo traxit, scilicet veteres concupiscendi, et concupiscentias suas sequendi ac peccandi consuetudines. Qualis enim fuit vita veteris Adami peccantis, talis est et eorum, qui ex eo prognati, vetus illud concupiscentiæ fermentum ex eo traxerunt. Sive magis proprie et concinne, vetus homo est ipse homo, qui olim Gentilis et peccator, ac quasi veterem Adamum protoplastum indutus et imitans, sequebatur suas veteres cupiscentias, et inolitas pravas consuetudines, ut magis patebit vers. seq.

Duplicitur vetus homo accipitur.

QUI CORRUMPITUR SECUNDUM DESIDERIA ERRORIS. — Quia scilicet concupiscentiæ, dum iis homo indulget, corpus et animam *corrumpunt* ac destruunt, inquit Theophylactus. *Secundo* et genuine, vetus homo corruptus est et corrupit integritatem primi Adæ et hominis, qui creatus fuit, ut sequitur, in justitia et sanctitate veritatis : hic

(1) Ita et Alii.

(1) *To sicut est veritas in Jesu* Rosenmullerus interpretatur, *quonam sit verus Christianismus*, sitne scilicet in iis rebus de quibus deinceps agitur, *deponere*, etc.

(2) Ita et Alii.

ergo vetus homo jam dictus, ita corruptus indies magis corrumpitur et veterascit, dum pergit sequi desideria erroris, id est, concupiscentias carnales erroneas et rationi contrarias, sive cupiditates deceptrices. Unde notat S. Hieronymus, non dicere Apostolum, « veterem hominem » qui corruptus est, sed « qui corrumpitur, » quia per singulas horas et momenta magis et magis corrumpitur, et ab homine humanaque vita in brutalem brutumque degenerat.

Addit *tertio*, Theophylactus dici hic veterem hominem corrumpi, quia, sicut homo ipse vetus, ita et hæ illius concupiscentiæ morbo, senio et morte dissolvuntur ac pereunt. Sed secundus sensus genuinus est; addit enim Apostolus : « Qui corrumpitur secundum desideria erroris; » suis ergo desideriis et concupiscentiis, non morte aut senio corrumpitur hic vetus homo.

23. RENOVAMINI (ἀνανεοῦσθε, id est *renovari*, in infinitivo, qui pendet a vers. 17, ut dixi, *q. d.* Dico renovari, id est, ut renovemini, quod Noster clare vertit, *renovamini*) SPIRITU MENTIS VESTRÆ, — id est, vivifica illa vi gratiæ et spiritus mentibus nostris indita, quo Spiritus Sanctus nos regenerat et in novos homines, Christianos scilicet et sanctos, transformat. Idem est quod dixit *Rom.* XII, 2 : « Reformamini in novitate sensus vestri; » unde explicans subdit hic :

Vers. 24. 24. ET INDUITE NOVUM HOMINEM, QUI SECUNDUM DEUM CREATUS EST IN JUSTITIA ET SANCTITATE VERITATIS. — Ubi nota *primo* : « Novum hominem » intelligit Christum, ut Hieronymus et Anselmus, vel simplicius Adamum nove et recenter a Deo creatum, ut sequitur, in gratia, innocentia et justitia, quem per peccatum veterascentem renovavit Christus, et in primum novum hominem, uti a Deo creatus erat, restituit, nosque in baptismo et pœnitentia quasi veterem Adamum exuit, et novum rursum induit, cum primi et novi Adæ novam gratiam, innocentiam et sanctitatem nobis reddidit.

Quid per novum hominem intelligat Apostolus?

Nota *secundo*, phrasim Apostoli : ponit hic duos homines invicem contrarios, eosque dicit nos induere, ut dum unum exuimus, induamus alium. Simili phrasi dicit nos induere Christum, ut dixi *Rom.* XIII, 14. Sicut ergo veterem vestem exuimus, ut novam induamus : sic veterem hominem, id est, veteris Adæ consuetudines et vitia, exuimus, ut novum hominem, id est, novi Adæ in gratia creati, Christique novitatem ejus reparantis novos mores, puritatem scilicet et sanctimoniam Christianam induamus.

Nota *tertio* : Sicut Christum, sic et Adamum dicimur induere : Adamum, inquam, non ut particularis erat persona, sed ut erat parens et caput omnium posterorum. Sic enim novus homo creatus est, et novitatem gratiæ et sanctitatis accepit, non pro se tantum, sed etiam pro omnibus posteris; quam novitatem et novum hominem, si non peccasset, ad omnes posteros transmisisset. Sic ergo loquitur hic Apostolus de novo homine, uti et de veteri, quasi abstracto universali et communi, quem singuli induere possumus et debemus, quique singulis communicatur instar ideæ Platonicæ. Sic enim Plato censuit ideam hominis communicari huic, illi, et cuivis alteri homini in particulari, eique communicare suum esse hominis, ut per eam quisque homo particularis fiat homo; sic per hunc novum hominem quasi abstractum et universalem, quisque particularis Christianus sit novus homo, ut loquitur Apostolus; non quod vere sit aliquis homo universalis instar ideæ Platonicæ, sed ut significetur novitas hæc novi hominis esse communis, singulisque Christianis communicari, ut per eam renoventur. Hic enim novus homo (id est novitas novi hominis jam dicta) datus erat Adæ, ut per eum quasi caput humani generis communicaretur omnibus posteris : sed eo peccante hic novus homo datus est Christo, ut per Christum quasi parentem omnibus Christianis communicaretur. Hinc Christus *Isaiæ* IX, vocatur « pater futuri (novi) sæculi, » et de eo canit Sibylla :

Christus novum hominem et novum progeniem facit.

Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo,
Jam nova progenies cœlo demittitur alto.
Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum
Desinet, et tota surget gens aurea (*Christianorum*) mundo,
Casta fave Lucina.
Ille Deum vitam accipiet, Divisque videbit
Permistos heroas, et ipse videbitur illis.

Nota *quarto* : *Renovamini* et *induite* significant nos, etiamsi baptismo innovati, regenerati et induti simus, tamen indies magis nos debere innovare et induere novitatem, magisque deponere et exuere veterem hominem (id est concupiscentiam), qui nobis ita innatus est et adhæret, ut in hac vita plane deponi et omnino innovari non possit. Vult ergo Apostolus, ut quilibet Christianus indies magis et magis veteres malas consuetudines, vitia ac propensiones ad malum, quas quisque in se sentit, mortificet et exuipet; ac contrarias Christi, et primi novique Adæ virtutes animæ suæ inserat, innovet, adaugeat per fervorem ac studium proficiendi et perficiendi se. « Mens enim, inquit S. Gregorius, lib. XXII *Moral.* cap. IV, dum igne amoris excoquitur, semper in se servat clarioratem pulchritudinis, quotidiana innovatione fervoris. Nescit enim mens veterascere, quæ semper per desiderium studet inchoare. » Vide dicta *Rom.* XII, 2. Pulchre etiam Hieronymus hic : « Induite novum hominem, id est, inquit, ut alio loco dicit (*Rom.* XIII), induite vos Jesum Christum. Iste quippe est novus homo, quo universi credentes debemus indui atque vestiri. Quid enim in homine qui a Salvatore nostro assumptus est, non novum fuit? Conceptus, nativitas, partus, infantia, doctrina, vita, virtutes, et ad extremum crux et passio expoliantis in ea principatus et contrarias fortitudines ostentui habentis, resurrectio quoque et ascensus ad cœlum. Hic ergo

Necessitas conatus ad novitatem vitæ, et fervoris.

Christus per omnia fuit novus homo.

vere creatus est in justitia et sanctitate veritatis, quia Deus verus, Dei veri Filius fuit, et tota in illo religio atque justitia Dei veritate completa est. Qui igitur conversationem illius imitari potest, et universas in se exprimere virtutes, ut sit mansuetus, sicut ille fuit mansuetus et humilis corde; et ponat animam suam pro amicis, ut ille posuit pro ovibus suis; verberatus non respondeat, maledictus non maledicat, sed vincat in humilitate superbiam : iste indutus est novum hominem, et dicere cum Apostolo potest : Vivo autem non jam ego, vivit vero in me Christus. »

QUI SECUNDUM DEUM CREATUS EST. — Græcum κατά, id est *secundum*, respondet Hebræo כ *caph*, quod est nota similitudinis et assimilationis, qua imago assimilatur suo exemplari, ex quo expressa est, *q. d.* Induite novum hominem, qui ad Dei exemplar creatus est. Alludit enim ad *Genes.* cap. I, vers. 26 : « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. »

In quo sita sit imago Dei in homine?

Unde quæritur hic, in quo sita sit hæc imago Dei in homine. Oleaster in cap. I *Genes.*, et Eugubinus in *Cosmopœia* putant Deum cum hominem crearet, induisse formam humanam, ut ad eam ejusque similitudinem hominem crearet. Sed hoc frigidum est et Judaicum.

Nota ergo *primo*, « imaginem » hic metonymice sumi pro exemplari ex quo imago expressa est, quodque refert et repræsentat. Quasi diceret Deus : Faciamus hominem ad nostrum exemplar, ut sit imago ex nobis nostraque natura quasi ex exemplari expressa, quæque nostram divinitatem referat et repræsentet. Potest tamen *secundo*, « imago » hic proprie capi, si per hebraismum sic exponas : « Faciamus hominem ad imaginem, » id est, ut sit imago nostri, quæ nos tanquam suum exemplar exprimat et repræsentet.

Homo imago SS. Trinitatis.

Nota *secundo* : « Imaginem et similitudinem » multi distinguunt; sed dico esse hendiadyn, *q. d.* Faciamus hominem ad imaginem similitudinis nostræ (ut loquitur Sapiens, *Sapient.* II, 23), id est ad imaginem valde similem, aut simillimam nobis. Hinc sacra Scriptura modo unum, modo alterum, modo utrumque usurpat; ut modo dicat hominem creatum ad Dei imaginem, modo ad similitudinem, modo ad imaginem et similitudinem : ut patet *Genes.* V, 1; *Eccli.* XVII, 1; *Coloss.* III, 10. Unde colligitur imaginem a similitudine non distingui.

Imago Dei in viro, angelo et femina.

Nota *tertio* : Hæc imago Dei non est in solo viro, ut vult Theodoretus, sed et in angelo, et in femina. Tam enim Eva, feminæ et angeli, quam Adam et viri creati sunt ad imaginem Dei, ut fusc docet S. Augustinus, lib. XII *De Trinit.*, VII, et S. Basilius, homil. 10 *Hexaemeron*.

Sita est in hominis mente.

Octo eximiæ

Dico ergo : Hæc imago Dei sita est in hominis mente, sive in eo quod homo sit in summo rerum gradu, in quo est Deus et angelus, scilicet quod sit naturæ intelligentis, puta animal rationale. Ex quo sex eximiæ hominis proprietates oriuntur et consequuntur, in quarum jam una, jam alia Patres ponunt hanc Dei imaginem in homine : ponunt, inquam, non plene et adæquate, sed partialiter et incomplete. *Prima* est, quod homo habeat animum incorporeum et individuum : *secunda*, quod anima hominis sit immortalis; *tertia*, quod eadem prædita sit intellectu, voluntate et memoria; *quarta*, quod sit liberi arbitrii; *quinta*, quod capax sit sapientiæ, virtutis, gratiæ, beatitudinis et visionis Dei, omnisque boni, ut ait Nyssenus; *sexta*, quod cunctis animalibus præesse possit et dominari. Unde cum alia omnia creasset Deus, dixit : « Faciamus hominem » quasi regem creatorum, ut iis præsit :

Sanctus his animal mentisque capacius altæ
Deerat adhuc, et quod dominari in cætera posset
Natus homo est.

Quibus adde *septimam*, sicut in Deo sunt omnia et omnes rerum gradus vel formaliter, vel eminenter; ita et proportionaliter sunt omnia in homine. Omnes enim rerum spiritalium et corporalium gradus in se habet et nectit homo : cum angelis enim intelligit, cum brutis sentit, cum plantis vegetatur, cum inanimis est et subsistit; estque homo unam habens animam in tribus potentiis, mundi increati, id est Sanctissimæ Trinitatis, imago, et ejus infinitæ artis et sapientiæ testimonium, ac opus perfectissimum : creati vero mundi homo rex est, finis, compendium, vinculum, nexus et microcosmus. *Octava*, homo est imago sapientiæ Dei, quia omnia contemplari et intelligere potest; rursum omnipotentiæ Dei, quia homo quasi est omnipotens, dum omnia mente, multa etiam arte efformare et effingere potest. Præterea sicut Deus finis est rerum omnium totiusque mundi, ita suo modo finis omnium est homo. Denique sicut sous est totus in mundo, et totus in qualibet mundi parte, estque quasi anima mundi, non proprie, ut Platonici, sed metaphorice, quia scilicet, ut canit Poeta :

Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, et magno se corpore miscet :

ita anima hominis tota est in toto corpore, et tota in qualibet corporis sui parte. Hæc ergo Dei imago homini est naturalis, quæ peccato perdi non potuit, ut contra Origenem docet S. Augustinus, lib. II *Retract.*, XXIV, ubi retractat id quod dixerat lib. VI *De Genes. ad litt.*, cap. XXVII, Adæmum peccando imaginem Dei perdidisse. Quod, inquit, sic accipe, non quasi in Adamo nulla remanserit Dei imago; sed quod tam deformis illa per peccatum effecta sit, ut reformatione indiguerit.

Imago Dei in homine supernaturalis.

Dico *secundo* : Est et alia Dei imago in homine, scilicet supernaturalis, quæ sita est in hominis justificatione, sanctitate et gratia, quæ divinæ

fit consors naturæ, quæque in gloria cœlesti firmabitur et perficietur. Unde S. Joannes, *epist. I, cap.* III, vers. 2 : « Scimus, ait, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus : quoniam videbimus eum sicuti est. » In hac enim imagine supernaturali conditum esse Adamum, eamque ad litteram intelligi, cum dixit Deus : « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram ; » æque ac priorem illam quæ naturalis est, de qua paulo ante dixi, patet ex hoc loco Apostoli, et *Coloss.* III, 10, estque communis sententia Patrum. Hoc enim clare verba Apostoli significant : « Qui, inquit, secundum Deum, » id est, ad Dei exemplar, « creatus est in justitia et sanctitate veritatis. » Ergo imago hominis sita est in justitia et sanctitate, in quibus creatus est ad exemplar justitiæ et sanctitatis, quæ est in Deo.

Imago supernaturalis ab hominis voluntate pendet, eamque peccante deperditur et sic subinde Augustinus, ut dixi, et Patres alii dicunt peccato perditam esse Dei imaginem, scilicet hanc supernaturalem, non autem priorem illam naturalem, de qua paulo ante dixi), sed per gratiam et justificationem reparatur. Per gratiam ergo et sanctitatem magis propriæ et perfecte homo est imago Dei, quam per naturam animæ rationalis et liberi arbitrii : quia per gratiam participat homo, et in se exprimit summum gradum entis, qui est in Deo, scilicet ipsum esse divinum et supernaturale, quo in se Deus sanctissimus est, perfectissimus et gloriosissimus, estque fons bonorum omnium non naturalium, sed supernaturalium, sive gratiæ et gloriæ omnis, quæ omnem naturam hominis et angeli, imo creaturæ cujuslibet, quæ a Deo creari potest, transcendunt.

Hanc imaginem supernaturalem accipiunt omnes Christiani in baptismo, eamque indies perficiunt, dum per actus gratiæ et virtutum crescunt in sanctitate. Unde Apostolus hic hortatur Ephesios jam baptizatos et sanctificatos, ut magis in dies se renovent, et magis induant et assumant novum hominem, qui secundum Deum creatus est in sanctitate et justitia veritatis.

« Induite » enim hic significat non actum inchoatum, sed continuatum, proficientem et perfectum, juxta *Can.* 32, *q. d.* Induite, id est pergite induere, vestire, perficere vos, nova, juste, Christiana et sancta vita, quam induistis, assumpsistis et inchoastis in baptismo.

Huc multum juvat documentum Agathonis Abbatis, lib. VII in *Vitis Patr.*, cap. XLII : « Observa, ait, præ omnibus hoc, ut qualis primo die ingrediseis in convictum fratrum, talis reliquum peregrina tempus, et cum quiete adimpletis peregrinationem tuam. Custodi enim nequando fiduciam loquendi assumas. » Et alterum quod dedit allus ibidem, cap. ult. : « Ex quo, ait, renuntiavi terræ, mihi dixi : Hodie renatus es, hodie cœpisti servire Deo, hodie hic inhabitare cœpisti ; sic esto quotidie peregrinus, et crastino liberandus. Hoc mihi quotidie consulebam. »

Vestra vetera et in justitia sanctitate, gratia, sanctificatione, vivere Deo. Adam in gratia creatus.

Quid sit sanctitas, ejusque etymon et proprietas.

IN JUSTITIA ET SANCTITATE VERITATIS, — id est, in sanctitate vera, non ficata, non larvata, non imputata, qualem Novantes inducunt. Ita Chrysostomus. « Sanctitas, inquit S. Dionysius, et ex eo Anselmus, est omni inquinatione libera, incontaminatissima et perfectissima puritas. » Hinc I *Corinth.* VII, vers. 34, dicit virginem debere esse « sanctam (id est, castam et puram) corpore et spiritu. » Hinc rursum « sanctum » dicitur ἅγιον, quod, inquit Origenes, componiter (symbolice) ex γῆ, id est terra, et « privativa, quasi dicas, sine terra, ut ἅγιον, id est sanctum, sit, quod a terra terrenisque rebus est secretum, purum, cœleste, divinum, ac Deo cohærens, addictum et consecratum. Hic tamen græce non est ἁγιασμόν, sed ὁσιότης, quæ tamen idem significant.

Ὅσιος enim, inquit Chrysostomus et Theophylactus, dicitur is, qui est ab omni scelere et labe immunis, purus et mundus.

Secundo, qui implet et solvit omne debitum. Inde enim dicuntur ὅσια, id est parentalia, exequiæ, justa funeralia quæ debentur defunctis.

Tertio, ὅσιος significat expiationem, inde ἁγιάζειν, proprie est facere aliquid causa solvendi animum religione, ut cum id quod vovimus persolvimus. Ita Budæus. Rursum ἁγιασμὸς significat expiare, dicare, consecrare : sic ergo ἁγιότης id est sanctitas, *primo*, est puritas et innocentia; *secundo*, est justitia; *tertio*, pœnitentia et expiatio peccatorum; *quarto*, religio et religiosus Dei cultus, quo anima se Deo dicat et consecrat.

Mentiri nunquam licet.

25. PROPTER QUOD DEPONENTES MENDACIUM LOQUIMINI VERITATEM. — Descendit hic ad veteris hominis partes et membra, eisque novi hominis partes et membra opponit. Doctor enim et concionator a thesi ad hypothesim debet descendere. Conciones enim quæ in genere tractant de vitiis et virtutibus, parum sunt utiles populo, qui rudis est, et nescit ea, quæ generaliter dicuntur, sibi applicare. Unde qui bene cum docere illique concionari volunt, debent in particulari ei regulas vivendi practicas præscribere, ut sciat in particulari, hic et nunc, quid sibi agendum sit, quid cavendum. Particularia ergo membra veteris hominis, quæ deponi et exui vult Apostolus, sunt mendacium, fraus, ira, injustitia, furtum, libido et cætera quæ sequuntur. His opponit membra novi hominis, eaque assumi et indui vult, scilicet veritatem, mansuetudinem, justitiam, liberalitatem, castitatem, etc.

Vers. 25. Novi hominis partes et membra opposita partibus et membris veteris hominis.

Locus Psalmi IV explicatus.

LOQUIMINI VERITATEM UNUSQUISQUE CUM PROXIMO SUO, — ut proximum non fallatis, non decipiatis, sed fideliter prædicetis quod illi promisistis.

Ira, si ratione regatur, in virtutis.

QUONIAM SUMUS INVICEM MEMBRA, — *q. d.* Unum Christi membrum non mentitur alteri, non decipit alterum, sed quodque alteri fidele est, illudque studet juvare adjuvat, quantum potest, v. g. manus non decipit pedem, non objicit si scopulum in quem impingat et cadat; sed potius admonet, curatque ne pes fallatur : ita et Christiani singuli qui sumus invicem membra, neminem decipere, sed omnibus fideles esse, omnesque fideliter et sincere adjuvare debemus.

A Christianis debet exulare fraus et deceptio.

Errat ergo Plato, qui lib. III *De Republ.*, docet subinde viro bono et sapienti, ac præsertim principi et magistratui, mentiri fas esse : « Iis, ait, inutile est mendacium, hominibus autem pro medicamento est utile. Quare publicis medicis concedendum, privatis autem hominibus minime attingendum. Igitur rempublicam administrantibus mentiri licet, vel hostium, vel civium causa, ad communem civitatis utilitatem; reliquis autem a mendacio abstinendum est. » Longe verius et sanctius hic Paulus, cuique homini universim veritatem præcipit, et mendacium interdicit. Quod ita primis sæculis imbiberunt Christiani, ut scribat Justinus Martyr *Apologia* 2, Christianos malle mori quam vel semel mentiri.

Ira, si ratione regatur, in virtutis.

26. IRASCIMINI. — Citat *Psal.* IV, vers. 5, ubi hebraice est רִגְזוּ *rigzu*, quod licet Hebræis significet *contremiscite*, Syris tamen (quorum idiotismum subinde in psalmis quasi in carmine ad elegantiam usurpat Psaltes) significat *irascimini*, scilicet voluptati, inquit Hesychius in *Catena Græc.*, in *Psal.* IV.

Secundo, Theophylactus : trascimini, scilicet vobis ipsis, peccatis et vitiis vestris, ea per pœnitentiam puniendo.

Tertio : Si Prælati aliisque præpositi estis, vitiis subditorum delinquentium iram, id est severitatem correctionis, exhibeta. Unde Eusebius in *Catena Græcorum*, in *Psal.* IV, ad litteram vult hæc esse verba Davidis ad inclytos suos, ut vertit Hieronymus, scilicet ad Joab, Abisai aliosque duces et milites indignantes, et parantes se ad conflictum cum Absalone parricida, *q. d.* David : O Joab vosque milites mei, irascimini Absaloni, pugnate contra eum, sed cavete ne ira vestra et vindicta modum justæ pugnæ et belli excedat.

Quarto, optime et maxime genuine, hoc *Psal.* IV, David loquitur hostibus suis, et hortatur illos ut Deum suorum cultorum protectorem agnoscant, colant, invocent, nec Sanctos ejus persequantur, sed si quando ad iram concitentur, illisque irascantur, caveant tamen ne peccent; *q. d.* Si, o Philistæi, aliique hostes mei et justorum, ira in vobis contra me aliumve justum aut innoxium insurgat, sique (ut Aquila vertit) turbemini, scilicet contra me, aliumve quemplam : nolite tamen peccare, id est nolite iram fovere et perficere; sed eam metu divini numinis et mortis, ait Chaldæus, comprimite. Ita Origenes, Chrysostomus, Theodoretus in *Catena Græcorum* : qui hinc docet iram quæ rationem prævenit, non esse peccatum. *Secundo*, iram, si ratione regatur, esse cotem virtutis. Ideo enim iræ passio data est homini, ut ardua aggrediatur et superet.

Dicit ergo « irascimini, » *q. d.* Si contingat vos pro naturæ fragilitate et proclivitate concitari ad iram, et subito irasci (Græcum enim παροργισμὸς commotionem, irritationem et concitationem, id est iram subitam, significat; idem significat Hebræum רגשו *rigsu*, a quo nonnulli Græcum ὀργίζεσθαι deducunt), tamen nolite peccare, id est, nolite iræ per voluntatem et rationem consentire, ut illi inhæreatis et indulgentis vindictam machinando et perficiendo; sed quam citissime per rationis dominium, perque Dei metum iram abrumpite et compescite : ita ut

Pulchra locus mortalis de ira domanda, ejusque exempla et motivo.

SOL NON OCCIDAT SUPER IRACUNDIAM VESTRAM. — Est proverbium significans iram statim esse compescendam : nec enim ad litteram permittit Apostolus ut toto die quis iræ indulgeat et se vindicet, modo sole occumbente eam deponat : sic enim per diem omnem vindictam machinari et perficere permitteret; sed, ut dixi, proverbium est significans statim comprimendam esse iram, ne, ut sequitur, locum demus diabolo.

Ira domanda gradus varii.

Primus ergo gradus iræ domandæ est, ut statim illam frenamus, ne in animo hæreat, vel in verbum aut factum aliquod asperius erumpat. Secundus est, si hæserit, vel eruperit, ut ante solis occasum, id est, statim ut possumus, ad mentem et tranquillitatem redeamus. Ita Anselmus, Genebrardus ac Jansenius in *Psalm.* IV.

Lex pia reconciliationis ante noctem.

Potest *secundo*, propriis accipi hic solis occasus, *q. d.* Si ira per diem menti inhæserit, et semper recurrerit etiam invitæ, saltem ante noctem illum excutite, tum ne nocte recurrat, et vos vestramque quietem turbet, ac magis accendatur (solent enim noctu diurnæ cogitationes, maxime tristes et molestæ, recurrere, hominemque exagitare, turbare et accendere); tum ut nocturnam orationem non impediat; tum denique, ne, si noctu contingat vos in morbum, aut mortem subitaneam incidere, a Deoque ad judicium evocari, in ira et mentis amaritudine ac aversione a proximo moriamini, itaque non audeatis comparere in tribunali Christi. Qua de causa in nonnullis Religionibus hæc pia lex statuta est, ut, si quis alium per diem offenderit, non liceat illi nocturnæ quiti se dare, nisi prius veniam ab eo quem offendit petierit, illique reconciliatus sit.

Exemplum S. Epiphanii ad S. Joannis Eleemosynarii.

Ita S. Epiphanius, Episcopus Cypri, dixit S. Hilarioni : « Ego ex quo accepi habitum istum, non dimisi aliquem dormire, qui habebat aliquid adversum me : neque ego dormivi aliquid habens adversus aliquem. » Cui Hilarion : « Ignosce mihi, quia tua conversatio major mea est. » Ita quoque S. Joannes Eleemosynarius, Archiepiscopus Alexandrinus, teste Leontio in ejus Vita, cum quadam die contra Nicetam Patricium ira, licet justa, commotus fuisset, ut se ante vesperam ei reconciliaret, ad Nicetam misit presbyterum suum, qui ei diceret : « Sol jam est in occasu, vir maxime venerande; » quo stimulo compunctus Nicetas ad S. Joannem accurrit, et uterque ante solis occasum in mutuos ruerunt amplexus. Atque

hoc est quod Pythagoras docuit : « Ubi ollam a cinere sustuleris, turbandum est vestigium, » id est, ubi deferbuerit et resederit primus iræ impetus, mali præteriti memoria est obliteranda, et omne iracundiæ vestigium penitus est tollendum.

S. Athan. Sic et « Antonius, inquit S. Athanasius, suadebat jugi meditatione retinendum illud Apostoli : Sol non occidat super iracundiam vestram. Non tantum autem super iracundiam solem occidere non debere interpretabatur, sed et super omnia delicta hominum, ne peccatorum unquam nostrorum aut in nocte luna, aut in die sol testes obcederent. Illius quoque admonebat præcepti : bijudicato vosmetipsos, et probate; ut rationem diei noctisque facientes, si in se delictum deprehendissent, peccare desisterent : sin autem nullus error decepisset, perseverantes instarent potius in cœpto, quam arrogantia tumidi, aut alios contemnerent, aut sibi justitiam vindicarent. »

Unde *Psal.* IV citato, cum David dixisset : « Irascimini, et nolite peccare, » subjunxit : « Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini, » subaudi, *q. d.* De iis quæ male et iracunde per diem dicitis et cogitatis contra me Davidem, aliosque insontes, cum in cubilibus vestris vespere et noctu soli estis, silentes et quieti, compungimini, dolete et pœnitentiam agite. Unde Hebræa habent : Dicite in corde vestro super cubilibus vestris, et silete, *q. d.* Iræ et peccatorum quæ interdiu commisistis, vespere et noctu in silentio et silenti meditatione, oratione, et conscientiæ examine, rationem et pœnas a conscientia exigite, inquit Theodoretus, Origenes, Athanasius, Chrysostomus in *Catena Græcorum*, ut scilicet ad mortem et ad Dei judicium, si forte ad id ea nocte vocaremini, per hoc conscientiæ examen, compunctionem et pœnitentiam vos compararetis.

Tropologice S. Hieronymus et Anselmus : Sol, id est, Christus, Christique lux, veritas, prudentia, sapientia, justitia, irato occidit : nil enim ita mentem obnubilat atque ira, *q. d.* Cavete ergo, et statim comprimite iram, ne sol justitiæ, Christus, menti vestræ occidat. Unde S. Augustinus in *Psalm.* XXVI, enarrat. 1, sic explicat : « Ne sol occidat, id est, ne Christus deserat mentem tuam, quia non vult Christus habitare cum iracundia; » et paulo ante : « Ejice iram de corde, antequam occidat lux ista visibilis, ne te deserat lux illa invisibilis. »

Symbolice, sol, id est ratio et mens, super iracundiam non occidat, ne scilicet iracundia sit ira gravis et sæva, ut rationem hebetet vel pessimat, ac mentem faciat amentem, teque ad insaniam redigat. Ita S. Anselmus et D. Thomas hic, et S. Nazianzenus in carm. *De Ira*, et S. Augustinus loco jam citato.

IRACUNDIAM. — Iracundia non habitum, sed actum significat, quem vulgo exeandescentiam vocamus. Non dicit iram : quia hæc naturalis est passio, et sæpe licita et sancta; sed, iracundiam. Hæc enim significat iræ excessum et effervescentiam, et hoc significat, ut dixi, Græcum παροργισμός, scilicet animi effervescentiam, concitationem et impetum, quo præter (hoc enim significat Græcum παρὰ) rationem et advertentiam subito iræ motu contra aliquem concitatur et abripitur. Iracundia. Ira excessus.

Recte iracundia comparatur api, quæ ut ex ira se vindicet, aculeum alteri infigit, itaque se aculeo et sæpe vita privat : sic enim iracundus murmurat et tumultuatur ut apis, et ut se vindicet, alterumque lædat, seipsum vulnerat, animamque peccato lethali sauciat. Hinc de hostibus suis ait David, *Psalm.* CXVII, vers. 12 : « Circumdederunt me sicut apes. » Vere « irati hominis cogitationes, ut ex Philone ait S. Hieronymus, partus sunt viperæ viscera matris corrodentes admirando naturæ secreto. » Quare Aristoteles, teste Æliano, Alexandro Magno natura iracundo consuluit, ut omnibus se superiorem æstimans maledicta contemneret : ita Christianus maledicta contemnat, non quasi conviciatore sit melior, sed quasi maledictis sit fortior. « Omnis enim injuria, inquit Tertullianus, lib. *De Pœnit.*, seu lingua, seu manu incussa, cum patientiam offenderit, eodem exitu dispungetur, quo telum aliquod in petræ constantissimæ duritiem libratum. » Mordaciter de ira superanda.

« Proprium est magnitudinis veræ, ait Seneca, lib. III *De Ira*, cap. XXV, non se sentire percussum. Sic immanis fera ad latratum canum lenta respicit, sic illisus ingenti scopulo fluctus assultat; qui non irascitur, in injuria inconcussus persistit : qui irascitur, motus est; non ergo injuriam pati, sed injuriam facere, vel nescire pati, malum est. »

Pulchre idipsum ostendit Chrysostomus, homil. 76, cujus titulus est, *Quod nemo lœditur nisi a seipso*, ubi inter alia ait : « Si quis solem tenebrarum auctorem existimet, soline, an sibi detraxit? sibi videlicet ipsi, cum furiosi et insanientis opinionem consequatur : eodem profecto modo qui pravos bonos esse putant, et e contrario, seipsos vituperant. » Mulliebre enim est convicium convicio repellere; nam, ut S. Ambrosius ait lib. I *Officiorum*, cap. VI : « Qui cito movetur injuria, facit se dignum videri contumelia, dum vult indignus videri. »

Denique Damascenus in *Parallelis* : « Animus, inquit, injuriarum memor singulis horis peccat, et vitium in pectore circumfert; » cum fur, latro, etc., admisso scelere, mox doleat et pœniteat.

27. NOLITE LOCUM DARE DIABOLO, — quod fit dum fovetur ira, et similes diaboli fœtus, *q. d.*, inquit Œcumenius : Per iracundas cogitationes maxime nocturnas, ne foveatis et inflammetis iram vestram, ut locum detis diabolo, sed eas omnes ante noctem et solis occasum deponite. Nil enim iram, libidinem aliasque passiones ita inflammat, atque injurias sibi illatas, species mulierum, aliaque objecta et illecebras, quibus passiones acuuntur et accenduntur, mente volvere et revolvere. Contra, nullum remedium contra eas efficacius est, quam mentem et phantasiam ad alia cogitanda cum vi quadam abstrahere, lætas alias et gratas cogitationes accersere, occupare se studiis aliisque cogitationibus, præsertim mortis, judicii, inferni, cœlestis gloriæ, quæ priores excludant, intendere, totumque se addicere; maxime noctu, si ex animi turbatione quis dormire nequeat. Locus datur diabolo dum fovetur ira.

Nota : Vatablus et Erasmus vertunt, *nolite dare locum calumniatori* (hunc enim significat Græcum διάβολος), *q. d.* Compescite iram, ne Gentiles calumnientur Christianos, quod sint tam iracundi et vindictæ cupidi.

Per diabolum hic intelligitur Satanas. Verum melius alii passim per διάβολος intelligunt Satanam, qui diabolus dicitur, id est calumniator, per antonomasiam, quia omnium calumniatorum est princeps, omnesque bonos et bonorum opera in calumniam tam apud Deum quam apud homines trahere conatur. Tertullianus legit, *nolite locum dare malo* : diabolus enim antonomastice vocatur malus.

Diabolus maxime se insinuat cogitationibus iræ concitatæ. Nota *secundo* : Ira maxime dat aditum et locum diabolo : ipse enim iracundis cogitationibus facillime et occultissime se insinuat, easque injuriam factam aggravando magis suscitat, et sua suggestione et consilio vindictæ quasi folle accendit; adhæc spiritus et sanguinem commovet, ut bilem inflammet : adeoque rationem et judicium hominis irati turbat, ut iratus vindictam, non vindictam, sed justitiam esse putet, itaque in ultionem quasi æquam et justam prosiliat, neque videat peccata et pericula in quæ se conjicit; sed quasi furens et amens in convicia, verbera et cædes feratur, nilque tam immane sit, quod non audeat et attentet, dum illi furor arma ministrat : ratione enim et mente erepta iratus et furibundus non tam agit, quam agitur a furore et a dæmone, videturque esse dæmon incarnatus. Unde S. Gregorius Nazianzenus in iram ita canere, imo stomachari incipit :

Irascor iræ, dæmoni intus conclito.

Denique Anselmus symbolice : Cor, inquit, nostrum duas habet valvas, cupiditatis et timoris : has claude, et hostis in illud non intrabit, sicque non dabis locum diabolo.

28. LABORET OPERANDO MANIBUS, QUOD BONUM EST. — « Quod bonum, » id est quod honestum est, *q. d.* Laboret et operetur, sed ita, ut non ex turpi opificio, sed honesto victum quærat.

Opifices pii qui? *Secundo*, Romana Biblia τὸ *quod bonum est*, duobus commatibus intercipiunt, quasi sit parenthesis, *q. d.* Laboret operando manibus, quæ res bona est et honesta, non turpis et indecora, præsertim si non sibi soli, sed et proximo necessitatem patienti, ut sequitur, labore suo succurrat, uti faciunt multi pii opifices : est enim hic actus Christianæ simplicitatis, charitatis, patientiæ, liberalitatis et spei : ergo bonus et honestus est. Quid pulcrius arte irrigua?

20. OMNIS SERMO MALUS EX ORE VESTRO NON PROCEDAT. — Pro *malus* græce est σαπρὸς, id est putris et corruptus, qui scilicet sale prudentiæ non est conditus; sed vel lascivia et obscenitate, vel scurrilitate, vel amarulentia, vel dicacitate, vel invidia, vel alio vitio est infectus et corruptus, quique putrem et spuream radicem et arborem, puta cor vel obscenum, vel scurrile, vel amarulentum, vel invidum indicat. Nam « mala (græce σαπρὸς, id est *putris*) arbor malos fructus facit, » *Matth.* cap. VII, vers. 17. Quale ergo est cor nostrum, tale est et os, et qualia cogitamus et cupimus, talia et loquimur. Vis scire qualem quis habeat mentem et animum, vide qualia loquatur. Illue Socrates ad adolescentem : « Loquere, inquit, o adolescens, ut te videam; » sermo enim est speculum mentis. Sicut ergo vas urina, fœcibus aliisque rebus putidis et corruptis plenum, si aperiatur, earumdem rerum putidum et corruptum odorem spargit et exhalat, qui nares astantium ferit et inficit, eisque subindo pestem et mortem affiat : ita mens vitiosa putredinem, corruptionem et vitium quod in se habet, per os eructat, audientesque ferit, inficit et corrumpit; ut verissime dixerit Poeta, et ex eo Apostolus : « Corrumpunt mores bonos colloquia mala. » Unde Theophylactus : σαπρὸς, inquit, id est spureus et putris, sive graveolens sermo, non est otiosus, temerarius, importunus; sed est turpiloquium, convicium, obtrectatio. Vers. 29. Sermo malus mentis malæ indicium.

SED SI QUIS BONUS AD ÆDIFICATIONEM FIDEI UT DET GRATIAM AUDIENTIBUS, — supple, hic procedat ex ore vestro. Nota : Pro *ad ædificationem fidei*, græce est πρὸς οἰκοδομὴν τῆς πίστεως, quod Theophylactus vertit, *ad ædificationem necessitatis*, ut scilicet in necessitate, vel cum necessarius est audientibus hic sermo, tunc proferatur et eos ædificet. Multiplex versio, πίστις quid?

Secundo, Erasmus vertit, *ad ædificationem utilitatis*, id est, sermo qui ædificet audientes, loquendo ea quæ utilia sunt.

Tertio, S. Hieronymus et Vatablus vertunt, *ad ædificationem opportunitatis*, id est sermo qui ædificet quoties opus, vel opportunum est alios docere, juvare aut promovere.

Quarto, Syrus vertit, *sermo qui sit accommodatus ædificationi*. Unde videtur ipse οἰκοδομὴν χρείας per hypallagen accipere pro χρείαν οἰκοδομῆς, *q. d.* Sermo qui sit in usum ædificationis, id est, qui utilis sit et accommodatus ædificationi.

Verum Latinus interpres, ait Hieronymus, pro χρείας, id est usus et opportunitatis, euphoniæ causa vertit, *fidei*; sed non video quæ hic sit euphonia, vel cacophonia. Alii putant, per usum et opportunitatem nostrum interpretem intellexisse fidem, eo quod fide maxime sit opus.

Malim dicere, nostrum interpretem cum Ambrosio, pro χρείας legisse πίστεως, id est *fidei*. Græcus enim textus Latino est corruptior, ut sæpe

jam vidimus. Vult ergo Apostolus nos loqui « ad ædificationem fidei, » ut scilicet per nostrum sermonem fides et pietas Christiana in animis audientium crescat et promoveatur. Vel *fidei*, id est fidelium, *juxta Com.* 21, ut scilicet fideles ædificentur, ac in fide ac virtutibus proficiant per nostra colloquia. Hinc prudenter monet quidam sapiens : « Quod dicturus es aliis, prius dicito tibi. »

Quod dicturus es aliis, prius dicito tibi.

Ut det gratiam audientibus. — « Gratiam, » id est utilitatem, commodum. Secundo, « gratiam, » id est, progressum in gratia, pietate et virtutibus. Sic enim Hebræi nomina et verba sæpe actum non inchoantem, sed crescentem et proficientem significant, et dixi *Com.* 32. *Tertio*, simpliciter, vult sermonem nostrum non tantum esse talem qui ædificet, sed simul esse gratiosum, ut cum gratia venuste et jucunde proferatur, itaque suavius et melius in animo audientium influat. Hinc oratoris officium est, non solum docere et movere, sed et delectare; quia delectando melius docet et efficacius movet : nimirum

Bene monet Horatius.

Omne tulit punctum qui miscuit utile dulci.

Quarto, Theophylactus exponit dupliciter. *Primo* : « Sermo, inquit, vester sit opportunus et commodus, ut auditores vobis gratias agant. Nam si animo commodum aliquid dixerimus, agent nobis gratias auditores, ut qui per nos adjuti sunt. » Per *gratiam* ergo intelligit gratiarum actionem, quam refert auditus bene loquenti. Vel *secundo*, inquit, « ut det gratiam audientibus, id est, ut eos gratiosos et amabiles reddat sermo noster. Ut enim unguentum gratiam addit assumentibus, sic et sermo divinus et animæ utilis, gratiam addit audientibus, » illumque excipientibus. Sed tertius sensus genuinus est, ut dixi : hoc est enim quod ait Sapiens : « Lingua sapientium ornat scientiam, » *Proverb.* xv, 2.

30. Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo [id est per quem] signati estis in die redemptionis. — Id est, nolite offendere Spiritum Sanctum verbis obscenis, putidis, maledicis, malis, ut dixit vers. præcedent. Ideo enim respuit, et quovis peccato, ait Hieronymus. Alludit Paulus ad *Isaiæ.* lxiii, 10, ubi sic dicitur : « Ipsi autem ad iracundiam provocarunt et afflixerunt Spiritum Sancti, » vel, ut Græca habent, « Spiritum Sanctum ejus. »

Quomodo et per quos contristetur Spiritus Sanctus?

Nota : In Spiritum Sanctum non cadit tristitia, ira, aut ulla passio; sed anthropopathe dicitur contristari cum offenditur, cum se et suam gratiam ab anima subtrahit, dum punit turpia et mala loquentem, vel agentem. Homo enim cum ab amico injuriam aut contumeliam accipit, eaque offenditur, contristari solet : sic et Spiritus Sanctus, cum loquimur aut agimus turpia et mala, offenditur, et contristatur si in eum cadere posset tristitia, et nisi Deus esset ἀπαθὴς. Homo ergo **obscenus et peccator, quantum est ex sua parte,** contristat Spiritum sanctum, quia dat causam quæ nata est contristare, quæque ex se contristat angelos et Sanctos. Quod autem Spiritum Sanctum **non** contristet, non est ex defectu causæ, sed ex perfectione Spiritus Sancti qui imperturbabilis est. Ita Theophylactus et alii, *q. d.* Spiritus Sanctus per gratiam habitat in vobis quasi in domo sua quam sibi obsignavit; curate ergo ut animo vestra per puritatem et sanctimoniam sit Spiritui Sancto gratum et jucundum domicilium, ac cavete ne quid in ea geratur, quod tantum hospitem contristare et offendere possit. Addit S. Anselmus, proprie contristare Spiritum Sanctum illos, qui pravis verbis et moribus contristant Sanctos in quibus habitat Spiritus Sanctus.

Nota *secundo* : Sicut verbis turpibus, maledicis et scandalosis contristamus Spiritum Sanctum, ita piis et sanctis lætificamus Spiritum Sanctum. Hoc ergo stimulo pungit nos Apostolus, ut cavamus diligentissime, ne sermo malus (obscenus vel maledicus) ex ore nostro procedat, sed tantum is qui alios ædificet : quia ille contristat, hic lætificat et exhilarat Spiritum Sanctum. Unde pulchre et efficaciter contra verba maledica (quod et obscenis loqui melius adaptes) hic insurgens Chrysostomus in moral. *hom.* 14 : « Os, inquit, habes spirituale, obsignatum Spiritu Sancto, cogita quæ sit oris tui dignitas. Patrem vocas Deum, et fratrem mox vituperas. Cogita, quo mensa dignatum sit os tuum, quæ contingat, quæ degustet, quo cibo (in Eucharistia) frueris? Perpende cum quibus tempore mysteriorum actes, nempe cum Cherubim, cum Seraphim. Seraphim neminem vituperant, sed unus et idem usus ora illorum adimplet, nempe benedicendi et glorificandi Deum. Quomodo potes ergo cum illis dicere : Sanctus, sanctus, sanctus, qui ore tuo ad vituperium abuteris? Die, quæso, si vasculo regio, quod semper cibos habeat regios, et ad illos ordinatum sit, ad stercora ministrorum quisquam abuteretur, an auderet illud cum reliquis ad eadem edulia deputatis, stercore refertum denuo reponere? Nequaquam. Atqui quomodi est quod fratrem accusas, quod vituperas (quin! obscena loqueris), itaque tetrum sordidum, nidilis et pollutum, in cœlis conversaris, cum angelis conversaris, oculo dominico dignatus es. Tot ac tantis rebus os tuum adornabit Deus, utpote hymnis angelicis, cibo non tantum angelico, sed et angelicam dignitatem superante, oculo suo, complexibus etiam suis; et vituperas? » et turpia vel maledica loqueris ore tam sancto, ore Deo Deique laudibus, et Eucharistiæ consecrato? Hæc Chrysostomus.

Stimulus ad rectum vitæ tramitem servandum.

In quo signati estis in die redemptionis. — *q. d.* Spiritu Sancto signati, et quasi sigillo obsignati (hoc enim est Græcum ἐσφραγίσθητε) estis, non quasi pecudes in corpore, ut signati sunt Judæi signo circumcisionis; sed quasi filii promissionis et quasi regales grex Christi et Spiritus Sancti,

Signatus gillum.

signati estis in anima; in eaque conditoris signum, figuram et imaginem, de qua dixi vers. 24, id est gratiam et sanctitatem, accepistis, ut, sicut ex sigillo agnoscitur cujus sunt litteræ, v. g. esse litteras regis : ita ex hoc gratiæ sigillo sciatur, vos esse filios Dei, deoque consecratos.

De nostrum signatum Spiritu Sancto signum erga Deum.

Notat Chrysostomus non tantum animam, sed et os nostrum, et consequenter alia membra pariter hoc signo Spiritus Sancti obsignata esse, id est, sanctificata et consecrata esse Deo, ut merito os ita signatum clausum tenere debeamus, ne turpia et maledica loquens, hoc signum Spiritus Sancti resignet et infringat, inquit ex Chrysostomo Theophylactus.

Quis dies redemptionis?

In die redemptionis, — id est in die quo baptizati estis : baptismo enim facti estis participes redemptionis Christi, illoque die redempti estis a servitute peccati et diaboli. Ita Œcumenius et Actumus.

Verum nota : Græca, Syrus et Latina Romana legunt *in diem redemptionis*, id est resurrectionis, *q. d.* Sigillo gratiæ obsignati sumus ad hunc finem, ut scilicet in die resurrectionis ad redemptionem, id est liberationem plenam a morte, peccato omnique malo, et ad cœlestem gloriam ac beatam immortalitatem asciscamur, utpote conscripti in libro vitæ, quasi cives sanctorum, et domestici Dei, ejusque gratia quasi sigillo et arrha hæreditatis cœlestis obsignati. Ita Chrysostomus, Hieronymus, Theodoretus, Ambrosius. Hæc ergo conscriptio et obsignatio fit per gratiam, quæ est pignus hæreditatis et redemptionis futuræ : fit, inquam, plene et perfecte. Nam inchoate hæc obsignatio fit per characterem qui in Baptismo et confirmatione animæ indelebiliter imprimitur, ut recte docet Franciscus Suarez, III *part.*, *Quæst.* LXIII, art. 3, et alii; quo charactere quasi signo Consignamur, ut semper simus et maneamus grex Christi et milites Christi, etiamsi per peccatum gratiam deperdamus, et ad castra diaboli transfugismus. Semper enim ex hoc signo patet, nos esse juratos milites Christi et transfugas diaboli.

Consignati manet character Baptismi et Confirmationis.

31. Omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia tollatur a vobis cum omni malitia. — « Amaritudo, » ait S. Hieronymus, contraria est dulcedini, idque tam in moribus quam in saporibus. Mores enim suaves, benigni, dulces, comes et blandi contrarii sunt amaris, asperis et morosis. Et sicut dulcia fercula grata sunt palato, amara vero ingrata : ita omnibus grata est comitas, ingrata est amaritudo et asperitas morum.

Gradus ira.

Nota gradus iræ : Prima ejus radix est *amaritudo*, qua animus aliquo proximi verbo aut facto offensus ab eo avertitur, amarescit, ægre et invite eum videt, audit, cogitat. Hinc sequitur *ira*, græce θυμός (quod noster interpres vertere solet, *iram*; S. Hieronymus vertit, *furorem*), id est effervescentia et excandescentia animi; inde *tertio*, assurgit et oritur *indignatio*, *græce* ὀργή, id est, ira tota accensa, qua iratus indignatur se contemptum aut læsum, et qua vindictam expetit cupitque lædere eum a quo se læsum putat; inde *quarto*, erumpit in *clamores*, *blasphemias omnemque malitiam*. Ita Theophylactus, Hieronymus et alii. Hæc omnia sustulit Christus, hæc omnia per gratiam Christi Christiani superare et tollere possunt ac debent virtute patientiæ. Nam, ut ait S. Cyprianus citans hæc Apostoli verba, lib. *De Bono patientiæ* : « Si Christianus a furore et contentione carnali, tanquam de maris turbinibus excesserit, et tranquillus ac lenis in portu Christi esse jam cœpit : nec iram, nec discordiam debet intra pectus admittere, cui nec malum pro malo reddere licet, nec odisse. » Et inferius : « Nam ut patientia bonum Christi est, sic contra impatientia diaboli malum; et sicut in quo habitat et manet Christus, patiens invenitur, ita impatiens semper existit, cujus mentem diaboli nequitia possidet. » Uti præcipit S. Cyprianus, ita et opere præstitit : scribens enim ad Demetrianum, Paganum sibi obstreperum et clamosum : « Contieui, ait, et impatientem patientia vici, cum nec docere indocilem possem, nec impium religione comprimere, nec furentem lenitate cohibere. » Aurea est sententia S. Ephræm, tract. *de Timore Dei*, initio tom. III : « Qui memoriam injuriarum abscondit in corde suo, similis est ei qui in sinu suo serpentem nutrit, utique sibi magis quam aliis nociturum. »

Remedia iræ. Primum.

Nota rursum : Remedia iræ sunt : *Primum*, « ut primitus nobis persuadeamus, nullo modo neque justis, neque injustis ex causis licere irasci. Summa ergo emendationis et tranquillitatis nostræ, non est in alterius arbitrio collocanda, sed in nostra conditione consistit. Itaque ut non irascamur, non debet ex alterius perfectione, sed ex nostra virtute descendere, quæ non aliena patientia, sed propria longanimitate conquiritur, » inquit Cassianus.

Secundum.

Secundum est, compescere linguam et manum. Hinc Athenodorus philosophus Cæsari Augusto valedicens hoc reliquit monimentum : « Iratus nihil dicas vel facias, priusquam viginti quatuor Græcorum litteras percurreris. » Plato iratus servo, dixit Xenocrati : « Flagella hunc puerum : nam ego non possum, cum sim ei iratus. » Idem alteri servo : « Gratias, inquit, age diis : nam nisi iratus essem, loris te cæderem. » Errat ergo vulgus hominum, quod tum maxime punit, cum irascitur. Eusebius, vel potius Rufinus (hic enim librum XI Eusebio addidit) lib. XI *Histor.*, cap. XVII, scribit Theodosium imperatorem sanxisse, ut principum sententiæ in reos prolatæ, in diem trigesimum differrentur, quo locus misericordiæ, vel, si ita res tulisset, pœnitentiæ daretur. Unde et Seneca, lib. II *De Ira*, sic scribit : « Dandum semper est tempus : veritatem enim dies aperit. Potest pœna diuta exigi, non potest exacta revocari. »

Tertium, si iræ deformitatem sæpe consideres. Cato senior dixit, « iratum ab insano non distingui nisi mora : iram enim esse brevem insaniam. » Plato rogatus per quid cognoscatur sapiens : « Sapiens, ait, cum vituperatur, non irascitur ; cum laudatur, non extollitur : » insipiens enim est servus iræ, laudi aliisque cupiditatibus imperare non potest. Et hoc est quod aiunt Hebræi, ingenium hominis cognosci בכיס נכוס בכעס *backis, baccos, baccans*, id est in crumena, in calice, in ira. Plutarchus suadet, ut iratus se suosque mores contempletur in speculo : videns enim faciem et gestus furibundo et phrenetico similes, detestabitur cavebitque iram. Nam, ut ait Philemon, « insanimus omnes cum irascimur. »

Quartum, si cogites iram rationi caliginem offundere, turbare sana consilia, convictum, regimen, politiam. Demonax rogatus a duce, qua ratione optime præesset exercitui, respondit : Si iracundia vacaris : si cogites non homini, sed vitio irascendum : si instar medici ægroto non indigneris, sed placide ejus morbum animi cures.

Quintum, si cogites rei vilitatem ob quam irasceris, sicque injuriam extenues dicasque : Inimicus mihi non nocuit, sed nocere voluit ; et cum illum in potestate videris, vindictam potes vindicare potuisse : magnum vindictæ genus est ignoscere, et ignoscendo vincere.

Sextum, si cupiditates, ob quas ademptas irasceris, ex animo extirpes. Fecit hoc Anachoreta ille, de quo Nicephorus, lib. XI, cap. XLIII. Denique si cogites mansuetudinem Christi in cruce.

32. ESTOTE AUTEM INVICEM BENIGNI. — Comes et Blandi, hæc est radix omnis patientiæ et charitatis, quam opponit amaritudini. Ira enim non extinguitur ira, sicut nec ignis igni : sed sicut ignis aqua, ita ira extinguitur patientia et benignitate, ait Chrysostomus. Pro *benigni* græce est χρηστοί, quod non tantum benignum, sed et beneficum, commodum, utilem significat. Unde Christus Gentilium quorumdam proprium nomen fuit, qua ratione perperam Gentiles quidam Christum Dominum *Chrestum* vocarunt. Vide quæ de Chrestis et chrestologia dicta sunt *Rom.* XVI, 18. Christus ait suos corrigi benignitate.

MISERICORDES, — εὔσπλαγχνοι, quasi bonorum viscerum, aut viscerales ; respondet enim Hebræo רחם *racham*, quod significat ex intimis visceribus misereri, ut omnia viscera videantur commoveri dolore et commiseratione miseriæ proximi. Tales sunt viri sancti, qui in visceribus, id est intime, sentiunt et dolent paupertatem, ærumnas et afflictiones proximorum, præsertim spirituales, quique viscera misericordiæ omnibus exhibent.

DONANTES INVICEM, SICUT ET DEUS IN CHRISTO DONAVIT VOBIS. — Græcum χαριζόμενοι ἑαυτοῖς significat *donantes*, id est largientes, libenter dantes, vel, ut Vatablus vertit, *gratiam exhibentes vobismetipsis q. d.* Si quid alteri donas, largiris, benefacis, gratiam præstas, id non tam illi quam tibi ipsi præstas : meritum enim tuæ beneficentiæ tibi accumulas, quod longe pluris est quam donum quod proximus a te accipit. Verum *secundo*, melius Syrus, Chrysostomus, Theophylactus, Œcumenius vertunt, *donantes*, id est condonantes, *q. d.* Condonate mutuas injurias, sicut et Deus « in Christo, » id est per Christum, « donavit, » id est condonavit, « vobis » vestras contra se offensas et peccata. Ethnici et ingrati, ut recte dixit B. Thomas Morus, beneficia pulveri ; si quid mali patiantur, marmori insculpunt : Christiani vero est, maleficia pulveri, beneficia marmori insculpere. Condonande injuriæ.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, pergit Ephesios hortari, ut Christum quasi filii imitentur, fugiantque libidinem, scurrilitatem, stultiloquium cæteraque opera tenebrarum tanquam filii lucis.

Secundo, vers. 15, *monet ut redimant tempus faciendo Dei voluntatem, et implende se, non vino, sed Spiritu Sancto, in psalmis, hymnis et canticis spiritualibus.*

Tertio, vers. 22, *vult uxores subditas esse viris, viros autem diligere uxores, sicut Christus dilexit Ecclesiam : sunt enim duo in carne una, atque Sacramentum hoc magnum est* : Ego autem dico, *inquit*, in Christo et in Ecclesia.

1. Estote ergo imitatores Dei, sicut filii charissimi : 2. et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis. 3. Fornicatio autem, et omnis immunditia, aut avaritia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos : 4. aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet ; sed magis gratiarum actio. 5. Hoc enim scitote intelligentes, quod

omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hæreditatem in regno Christi et Dei. 6. Nemo vos seducat inanibus verbis : propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ. 7. Nolite ergo effici participes eorum. 8. Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate : 9. fructus enim lucis est in omni bonitate, et justitia, et veritate : 10. probantes quid sit beneplacitum Deo ; 11. et nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite. 12. Quæ enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est et dicere. 13. Omnia autem quæ arguuntur, a lumine manifestantur : omne enim, quod manifestatur, lumen est. 14. Propter quod dicit : Surge qui dormis, et exurge a mortuis, et illuminabit te Christus. 15. Videte itaque fratres, quomodo caute ambuletis : non quasi insipientes, 16. sed ut sapientes : redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. 17. Propterea nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas Dei. 18. Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria : sed implemini Spiritu Sancto, 19. loquentes vobismetipsis in psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino, 20. gratias agentes semper pro omnibus, in nomine Domini nostri Jesu Christi, Deo et Patri. 21. Subjecti invicem in timore Christi. 22. Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino : 23. quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ, ipse salvator corporis ejus. 24. Sed sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus. 25. Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, 26. ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, 27. ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata. 28. Ita et viri debent diligere uxores suas ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit. 29. Nemo enim unquam carnem suam odio habuit : sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam ; 30. quia membra sumus corporis ejus, de carne ejus et de ossibus ejus. 31. Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam, et adhærebit uxori suæ : et erunt duo in carne una. 32. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia. 33. Verumtamen et vos singuli, unusquisque uxorem suam sicut seipsum diligat : uxor autem timeat virum suum.

1. ESTOTE ERGO IMITATORES DEI, SICUT FILII CHARISSIMI. — Syrus vertit, estote igitur מהדמין *meddamin*, id est conformes Deo. Pendet hæc sententia a fine capitis præcedentis, ubi dixit : « Donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit vobis. » Cui statim subdit initium hujus capitis : « Estote ergo imitatores Dei ; » ut scilicet sicut Deus vobis condonavit offensas vestras, ita et vos proximis condonetis ea quæ in vos peccarunt ; et sicut Deus, inquit Hieronymus, solem orriri facit et pluit super bonos et malos, sic etiam vos bonitatem vestram super omnes homines effundatis. Rationem et stimulum subdit dicens : « Sicut filii charissimi, » *q. d.* Filiorum est imitari suos parentes ; alioqui degeneres et spurii habebuntur ; atqui pater noster, scilicet Deus, clementissimus est et benignissimus in omnes, facillimeque offensas nobis condonat : ergo et nos qui sumus ejus filii, clementissimos, facillimos in offensis nostris condonandis, et beneficentissimos in fratres et proximos nostros esse decet ; unde explicans subdit : Deus a nobis imitandus in condonandis offensis, et mansuetudine.

Vers. 2. 2. ET AMBULATE IN DILECTIONE, SICUT ET CHRISTUS DILEXIT NOS. — Magna dignitas est Deum imitari ; et « hoc est, ait Ambrosius, lib. I *De Abraham*, cap. II, quod pro magno inter septem sapientium dicta celebratur : Sequere Deum. Sic Abraham facto prævenit dicta sapientium, et secutus Deum exivit de terra et cognatione sua. »

Rursum, Deum in potentia, magnificentia et cæteris similibus, ait Hieronymus, imitari non possumus : possumus tamen in humilitate, mansuetudine et charitate eum a longe sequi et imitari. Hinc « Christus, ait S. Augustinus, serm. 10 *De Verbis Domini*, clamat : Tollite jugum meum super vos, et discite a me non mundum fabricare, non cuncta visibilia et invisibilia creare, non ipso in mundo mirabilia facere, et mortuos suscitare ; sed quoniam mitis sum et humilis corde. » Scripsit D. Thomas Opuscul. 62 *De divinis Moribus*, in quo pulchre docet quos mores Dei, et quomodo imitari debeamus, quos non.

Primo, inquit, Dei immutabilitatem imitari oportet per constantiam in adversis et prosperis ; præscientiam, per providentiam novissimorum ; æquanimitatem, ut nullo tristi casu turbemur ;

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Tertium, si iræ deformitatem sæpe consideres. Cato senior dixit, « iratum ab insano non distingui nisi mora : iram enim esse brevem insaniam. » Plato rogatus per quid cognoscatur sapiens : « Sapiens, ait, cum vituperatur, non irascitur ; cum laudatur, non extollitur : » insipiens enim est servus iræ, laudi aliisque cupiditatibus imperare non potest. Et hoc est quod aiunt Hebræi, ingenium hominis cognosci בכיס נכוס בכעס *backis, baccos, baccans*, id est in crumena, in calice, in ira. Plutarchus suadet, ut iratus se suosque mores contempletur in speculo : videns enim faciem et gestus furibundo et phrenetico similes, detestabitur cavebitque iram. Nam, ut ait Philemon, « insanimus omnes cum irascimur. »

Quartum, si cogites iram rationi caliginem offundere, turbare sana consilia, convictum, regimen, politiam. Demonax rogatus a duce, qua ratione optime præesset exercitui, respondit : Si iracundia vacaris : si cogites non homini, sed vitio irascendum : si instar medici ægroto non indigneris, sed placide ejus morbum animi cures.

Quintum, si cogites rei vilitatem ob quam irasceris, sicque injuriam extenues dicasque : Inimicus mihi non nocuit, sed nocere voluit ; et cum illum in potestate videris, vindictam potes vindicare potuisse : magnum vindictæ genus est ignoscere, et ignoscendo vincere.

Sextum, si cupiditates, ob quas ademptas irasceris, ex animo extirpes. Fecit hoc Anachoreta ille, de quo Nicephorus, lib. XI, cap. XLIII. Denique si cogites mansuetudinem Christi in cruce.

32. ESTOTE AUTEM INVICEM BENIGNI. — Comes et Blandi, hæc est radix omnis patientiæ et charitatis, quam opponit amaritudini. Ira enim non extinguitur ira, sicut nec ignis igni : sed sicut ignis aqua, ita ira extinguitur patientia et benignitate, ait Chrysostomus. Pro *benigni* græce est χρηστοί, quod non tantum benignum, sed et beneficum, commodum, utilem significat. Unde Christus Gentilium quorumdam proprium nomen fuit, qua ratione perperam Gentiles quidam Christum Dominum *Chrestum* vocarunt. Vide quæ de Chrestis et chrestologia dicta sunt *Rom.* XVI, 18. Christus ait suos corrigi benignitate.

MISERICORDES, — εὔσπλαγχνοι, quasi bonorum viscerum, aut viscerales ; respondet enim Hebræo רחם *racham*, quod significat ex intimis visceribus misereri, ut omnia viscera videantur commoveri dolore et commiseratione miseriæ proximi. Tales sunt viri sancti, qui in visceribus, id est intime, sentiunt et dolent paupertatem, ærumnas et afflictiones proximorum, præsertim spirituales, quique viscera misericordiæ omnibus exhibent.

DONANTES INVICEM, SICUT ET DEUS IN CHRISTO DONAVIT VOBIS. — Græcum χαριζόμενοι ἑαυτοῖς significat *donantes*, id est largientes, libenter dantes, vel, ut Vatablus vertit, *gratiam exhibentes vobismetipsis q. d.* Si quid alteri donas, largiris, benefacis, gratiam præstas, id non tam illi quam tibi ipsi præstas : meritum enim tuæ beneficentiæ tibi accumulas, quod longe pluris est quam donum quod proximus a te accipit. Verum *secundo*, melius Syrus, Chrysostomus, Theophylactus, Œcumenius vertunt, *donantes*, id est condonantes, *q. d.* Condonate mutuas injurias, sicut et Deus « in Christo, » id est per Christum, « donavit, » id est condonavit, « vobis » vestras contra se offensas et peccata. Ethnici et ingrati, ut recte dixit B. Thomas Morus, beneficia pulveri ; si quid mali patiantur, marmori insculpunt : Christiani vero est, maleficia pulveri, beneficia marmori insculpere. Condonande injuriæ.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, pergit Ephesios hortari, ut Christum quasi filii imitentur, fugiantque libidinem, scurrilitatem, stultiloquium cæteraque opera tenebrarum tanquam filii lucis.

Secundo, vers. 15, *monet ut redimant tempus faciendo Dei voluntatem, et implende se, non vino, sed Spiritu Sancto, in psalmis, hymnis et canticis spiritualibus.*

Tertio, vers. 22, *vult uxores subditas esse viris, viros autem diligere uxores, sicut Christus dilexit Ecclesiam : sunt enim duo in carne una, atque Sacramentum hoc magnum est* : Ego autem dico, *inquit*, in Christo et in Ecclesia.

1. Estote ergo imitatores Dei, sicut filii charissimi : 2. et ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis. 3. Fornicatio autem, et omnis immunditia, aut avaritia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos : 4. aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet ; sed magis gratiarum actio. 5. Hoc enim scitote intelligentes, quod

omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hæreditatem in regno Christi et Dei. 6. Nemo vos seducat inanibus verbis : propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ. 7. Nolite ergo effici participes eorum. 8. Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate : 9. fructus enim lucis est in omni bonitate, et justitia, et veritate : 10. probantes quid sit beneplacitum Deo ; 11. et nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite. 12. Quæ enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est et dicere. 13. Omnia autem quæ arguuntur, a lumine manifestantur : omne enim, quod manifestatur, lumen est. 14. Propter quod dicit : Surge qui dormis, et exurge a mortuis, et illuminabit te Christus. 15. Videte itaque fratres, quomodo caute ambuletis : non quasi insipientes, 16. sed ut sapientes : redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. 17. Propterea nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas Dei. 18. Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria : sed implemini Spiritu Sancto, 19. loquentes vobismetipsis in psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino, 20. gratias agentes semper pro omnibus, in nomine Domini nostri Jesu Christi, Deo et Patri. 21. Subjecti invicem in timore Christi. 22. Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino : 23. quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ, ipse salvator corporis ejus. 24. Sed sicut Ecclesia subjecta est Christo, ita et mulieres viris suis in omnibus. 25. Viri, diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, 26. ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, 27. ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata. 28. Ita et viri debent diligere uxores suas ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit. 29. Nemo enim unquam carnem suam odio habuit : sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam ; 30. quia membra sumus corporis ejus, de carne ejus et de ossibus ejus. 31. Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam, et adhærebit uxori suæ : et erunt duo in carne una. 32. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia. 33. Verumtamen et vos singuli, unusquisque uxorem suam sicut seipsum diligat : uxor autem timeat virum suum.

1. ESTOTE ERGO IMITATORES DEI, SICUT FILII CHARISSIMI. — Syrus vertit, estote igitur מהדמין *meddamin*, id est conformes Deo. Pendet hæc sententia a fine capitis præcedentis, ubi dixit : « Donantes invicem, sicut et Deus in Christo donavit vobis. » Cui statim subdit initium hujus capitis : « Estote ergo imitatores Dei ; » ut scilicet sicut Deus vobis condonavit offensas vestras, ita et vos proximis condonetis ea quæ in vos peccarunt ; et sicut Deus, inquit Hieronymus, solem orriri facit et pluit super bonos et malos, sic etiam vos bonitatem vestram super omnes homines effundatis. Rationem et stimulum subdit dicens : « Sicut filii charissimi, » *q. d.* Filiorum est imitari suos parentes ; alioqui degeneres et spurii habebuntur ; atqui pater noster, scilicet Deus, clementissimus est et benignissimus in omnes, facillimeque offensas nobis condonat : ergo et nos qui sumus ejus filii, clementissimos, facillimos in offensis nostris condonandis, et beneficentissimos in fratres et proximos nostros esse decet ; unde explicans subdit : Deus a nobis imitandus in condonandis offensis, et mansuetudine.

Vers. 2. 2. ET AMBULATE IN DILECTIONE, SICUT ET CHRISTUS DILEXIT NOS. — Magna dignitas est Deum imitari ; et « hoc est, ait Ambrosius, lib. I *De Abraham*, cap. II, quod pro magno inter septem sapientium dicta celebratur : Sequere Deum. Sic Abraham facto prævenit dicta sapientium, et secutus Deum exivit de terra et cognatione sua. »

Rursum, Deum in potentia, magnificentia et cæteris similibus, ait Hieronymus, imitari non possumus : possumus tamen in humilitate, mansuetudine et charitate eum a longe sequi et imitari. Hinc « Christus, ait S. Augustinus, serm. 10 *De Verbis Domini*, clamat : Tollite jugum meum super vos, et discite a me non mundum fabricare, non cuncta visibilia et invisibilia creare, non ipso in mundo mirabilia facere, et mortuos suscitare ; sed quoniam mitis sum et humilis corde. » Scripsit D. Thomas Opuscul. 62 *De divinis Moribus*, in quo pulchre docet quos mores Dei, et quomodo imitari debeamus, quos non.

Primo, inquit, Dei immutabilitatem imitari oportet per constantiam in adversis et prosperis ; præscientiam, per providentiam novissimorum ; æquanimitatem, ut nullo tristi casu turbemur ;

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

veracitatem, sinceritatem, patientiam, clementiam, charitatem, etc.

Secundo, alii mores Dei sunt, in quibus non est imitandus, sed admirandus; scilicet *primo*, quod ipse solus occulta cordium scrutatur; *secundo*, quod solus seipsum perfecte cognoscit, amat, fruitur ac laudat; *tertio*, quod ipse sibi solus sufficit, et non indiget extrinseco; *quarto*, quod ab ipso solo omne bonum procedit, omnium beatitudo in ipso solo consistit; *quinto*, quod ipse solus habet immortalitatem, et inhabitat lucem inaccessibilem; *sexto*, quod ipse solus de nihilo fecit aliquid, ipse solus omnia in esse conservat; *septimo*, quod ipse solus peccata condonat; *octavo*, quod ipse solus scit diem judicii et numerum electorum. Ipsi soli honor et gloria in sæcula. Amen.

Denique nihil, inquit, dignius, quam ut homo sui conditoris sit imitator, et secundum modum propriæ facultatis executor.

SICUT ET CHRISTUS DILEXIT NOS, ET TRADIDIT SEMETIPSUM PRO NOBIS OBLATIONEM ET HOSTIAM DEO IN ODOREM SUAVITATIS. — Ut gat S. Cyrillus in Concilio Ephesino = *pro nobis* contra Nestorium. Citatis enim hisce Apostoli verbis, ex illis elicit anathematismum 10, dicens : « Si quis Christum non pro nobis tantum, sed pro seipso quoque sacrificium obtulisse dixerit (nulla enim oblatione indigebat, qui peccatum nullum norat), anathema sit. » Nota delicias amoris Christi : « Dilexit nos, » inquit, tenerrime et efficacissime, non verbo et lingua, sed opere et veritate : quia ex dilectione hac sponte et liberrime « tradidit, » non opes aut vestes suas, non fratres aut cognatos, non angelos suos, sed « semetipsum, » totum Deum et hominem, quantus quantus est, ut nihil sui sibi retineret, sed totum se daret et traderet « pro nobis » peccatoribus et hostibus suis, « pro nobis, » inquam, id est, pro lytro et expiatione peccatorum nostrorum : « oblationem, » non aridam et mercenariam, uti erat olim oblatio similæ et panum; sed cruentam, uti olim oves et boves Deo mactabantur et offerebantur; scilicet « hostiam, » id est victimam, et pacificam, et pro peccato, et quæ esset pariter holocaustum, totaque in cruce immolaretur, consumeretur, et cederet Deo, sicut olim per ignem et fumum hostia cremata tota ascendebat ad Deum, ut Deus illius odore et oblatione placaretur, et quasi pasceretur, eamque acceptaret, « in odorem suavitatis, » id est, in odorem acceptissimum et gratissimum.

Ex dictis patet Apostolum alludere ad sacrificia veteris tum victimarum, quæ immolabantur in altari holocaustorum; tum thymiamatis, quod adolebatur ad Deum propitiandum in altari thymiamatis, quod erat in Sancto, ante Sanctum Sanctorum; ita ut fumus et fragrantia thymiamatis ascenderet ad Sanctum Sanctorum, et Deus in Sancto Sanctorum residens super propitiatorium, illum fragrantiam exciperet, et quasi odoraretur, itaque placaretur et conciliaretur.

Unde nota *secundo* : « In odorem suavitatis, » id est, suavem vel suavissimum. *Levit.* I, 9, et alibi hebraice habetur לְרֵיחַ נִיחֹחַ *lereach nichoach*, id est, in odorem quietis. « Odor quietis » vocatur odor suavissimus, quo suavissime pascitur odoratus, ut in eo jucundissime et placidissime conquiescat. Ilinc Septuaginta et ex eis Paulus vertunt, εἰς ὀσμὴν εὐωδίας, id est in odorem redolentiæ vel bonæ fragrantiæ, ut vertit S. Hieronymus, præfat. *in Zachariam* : talli enim pascitur, et in tali suavissime conquiescit, recreatur et refocillatur odoratus.

Ulterius nota *tertio* : Anthropopathice tribuitur Deo odoratus, per quem odore sacrificiorum quasi gratissimo pascatur : quia sacrificia hæc reddebant Deum placatum, ejusque iram sedabant et quiescere faciebant, itaque peccata expiabant per fidem in Christum, quem protestabantur futurum mediatorem, et cujus sacrificium hisce suis sacrificiis adumbrabant; erantque hæc sacrificia Deo grata admodum non ex opere operato, uti sacrificium legis novæ, sed ex opere et devotione operantis. Erant enim actus obedientiæ et latriæ nobilissimi, quibus quasi odore fragrantissimo pascebatur Deus. Unde Chaldæus pro *oblatio* in *odorem suavitatis*, vel suavis fragrantiæ, vertit, *ut oblatio suscipiatur a Deo cum beneplacito*. Sic Genes. cap. VIII, 20, dicitur de Noe : « Obtulit holocausta super altare, odoratusque est Dominus odorem suavitatis, et ait : Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines, » q. d. hujus sacrificii Noe fumus et odor, qui cum fumo ascendebat, ad similitudinem suavis odoris, placuit Deo, quasi fœtorem peccatorum hominum abstulit a naribus Dei, ut plane eo placatus decerneret, propter peccata hominum, amplius terram non inducere diluvium. Unde Chrysostomus illud, « Odoratus est Dominus odorem suavitatis, » sic exponit : Quia, inquit, justi Noe virtus fumum et odorem victimæ suæ Deo fecit odorem fragrantiæ. Sic Plato et Lucianus inducunt deos Gentium quasi suaviter odorantes sacrificia, eorumque nidore gaudentes. Hæc ergo est sententia et mens Apostoli, *q. d.* Sicut Christus dilexit nos, ut se pro nobis in victimam Deo gratissimam, suavissimam et acceptissimam immolandum in cruce dederit : ita nos invicem diligere debemus, et non tantum injurias mutuas condonare, sed et bona vitamque pro salute proximorum exponere; et sicut illa victima Christi fuit Deo suavissima et gratissima : ita et nostra hæc, qua nos et nostra pro salute proximorum offerimus et impendimus, erit Deo jucundissima, omnemque fœtorem peccatorum nostrorum a naribus Dei absterget. Charitas enim operit multitudinem peccatorum.

3. OMNIS IMMUNDITIA. — Quævis obscenitas et libido tactuum et immundorum operum. « Nisi Philosophorum quidam, ait Hieronymus Cynicus exstitisset, qui doceret omnem titillationem carnis, et fluxum seminis ex qualicumque attritu tactuque veniendum in tempore non vitandam, et nonnulli sapientes sæculi in hanc turpem et erubescendam hæresim consensissent, nunquam sanctus Apostolus scribens ad Ephesios ad fornicationem etiam omnem immunditiam copulasset. »

AUT AVARITIA. — Græce πλεονεξία, nimia habendi cupido. Quænam ea sit, dicam vers. 5.

NEC NOMINETUR IN VOBIS (καθὼς πρέπει ἁγίοις, *ne nominetur quidem*), SICUT DECET SANCTOS, — id est Christianos, qui vocatione, baptismo et professione sunt, id est esse debent, sancti, *q. d.* Adeo ab omni immunditia alieni debent esse Christiani, utpote sancti et Deo consecrati, ut ne nomen quidem immunditiæ aut operis alicujus immundi audiatur inter eos.

VERS. 4. AUT TURPITUDO, — id est, ut Syrus, *obscenitas*, puta verborum; et sic distinguitur ab *immunditia*, quæ est operum.

AUT SCURRILITAS. — Græce εὐτραπελία, id est *urbanitas*, quam Aristoteles, lib. IV *Ethic.*, cap. VIII; S. Augustinus, et ex iis S. Thomas, II II, Quæst. CLXVIII, art. 2, docet esse virtutem, quæ seria, animique rigorem et vigorem (ne scilicet animus nimis seriis occupationibus intendat, seque et corpus debilitet et exhauriat) moderatur et temperat per jocos et ludos decentes, efficiendo scilicet *primo*, ut hilli et joci sint honesti; *secundo*, ut sint decentes et congruentes personæ, loco et tempori : alius enim jocus secularem, alius sacerdotem et monachum decet; alius in mensa, alius in schola, alius in cubiculo; *tertio*, ut sint moderati, ne mentis harmoniam dissolvant, ait Ambrosius. Unde Aristoteles virtuti eutrapeliæ, sive urbanitati, vitium per excessum opponit βωμολοχίαν, id est *scurrilitatem*, cum scilicet jocus est nimius, vel intempestivus, vel indecens, scilicet quia est ineptus, aut mordax, aut maledicus, aut spurcus, aut cachinnos et dissolutiones excitans, aut indecorus, ut cum quis verbis sacræ Scripturæ ad nugas et jocum abutitur : quæ maxima et gravissima est scurrilitas, habetque adjunctam irreverentiam in Deum, Deique verbum : unde eam gravibus verbis vetat Concilium Tridentinum, *sess.* IV. Per defectum vero eutrapeliæ vitium opponit Aristoteles ἀγροικίαν, id est *rusticitatem*. Qui enim nimis graves et severi sunt, nullosque jocos aut ludos admittunt, aut Catones sunt, aut rustici, nimium tetrici, agrestes, morosi et melancholici.

Contra S. Chrysostomus hic in morali negat apud Christianos eutrapeliam, id est urbanitatem, esse virtutem, multisque docet Christianum non decere jocos, sed potius luctum et fletum; sic etiam Apostolus eutrapeliam hic ut vitium insectatur. Verum intelligunt eutrapeliam non moderatam jam dictam, sed immoderatam, scilicet βωμολοχίαν, id est *scurrilitatem*; quam Aristoteles fatetur a vulgo jocis et salibus nimiis addicto eutrapeliam quoque dici. Hanc esse mentem Apostoli, et consequenter Chrysostomi, patet ex verbis Apostoli subsequentibus, cum ait : « Quæ ad rem non pertinent, » græce τὰ οὐκ ἀνήκοντα, id est, *quæ non sunt decentia*. Indecentem ergo et indecorum eutrapeliam, sive urbanitatem tantum hic vetat Apostolus. Talem apud Christianos esse jocularitatem illam, quæ tantum risum movet auditoribus, docet hic Hieronymus. « Est enim hæc, inquit, a sanctis nostris propellenda, quibus magis convenit flere atque lugere. In Hebraico quoque Evangelio legimus Dominum ad discipulos loquentem : Et nunquam, inquit, læti sitis, nisi cum videritis fratrem vestrum in charitate. » Verum ne hæc scrupulosum quem faciant, intellige jocularitatem illam dedecere Christianos, quæ nihil spectat quam ut risum excitet. Si enim ulterius alio referatur, v. g. ad honestam recreationem, lætitiam, animi excitationem, sanitatem corporis tuendam, ut scilicet homo alacrior fiat, vegetior et aptior ad suas functiones Deique obsequium, honesta est, decetque Christianos. Sic Paulus, Antonius, Hilarion aliique Eremitæ suos habuere jocos, sed Christianos et sale conditos.

SED MAGIS GRATIARUM ACTIO, — supple, nominetur in vobis, qui estis Christiani et sancti, *q. d.* In mensis, in conviviis, in colloquiis, in recreationibus nolite vos pascere et oblectare loquendo turpia, stulta, scurrilia : hoc enim faciunt Gentes, quæ Deum et Christum non agnoscunt; sed potius loquimini de Christo, Christi gratia, vocatione, et beneficiis immensis vobis exhibitis, ut inde mutuo excitetis vos ad gratiarum actionem. Ilinc illa Christianis olim, uti jam Religiosis, familiaris in omni salutatione et congressu vox, *Deo gratias*. « Nam quid melius, inquit S. Augustinus, *epist.* 77, et animo geramus, et ore promamus, et calamo exprimamus, quam, Deo gratias? Hoc nec dici brevius, nec audiri lætius, nec intelligi grandius, nec agi fructuosius potest. Deo gratias, qui te tam fideli pectore dixit, » etc. (1).

VERS. 5. 5. HOC SCITOTE INTELLIGENTES, QUOD OMNIS FORNICATOR, AUT IMMUNDUS, AUT AVARUS, QUOD EST IDOLORUM SERVITUS, NON HABET HEREDITATEM IN REGNO CHRISTI ET DEI. — Nota : In Græco legit noster Interpres, ὅ ἐστιν εἰδωλολάτρης, *quod*, scilicet avaritiæ vitium, quo laborat avarus, quisque in eo latet et continetur, *est idolorum servitus*, sive *est idololatria*. Jam Græce legitur, ὅ ἐστιν εἰδωλολάτρης, id est *qui* (scilicet avarus) *est idolorum servus*; vel ad verbum, *est idololatra*.

Quæres, quænam hic intelligatur avaritia? Primo, S. Hieronymus hic vers. 3, intelligit inexplebilem cupiditatem non pecuniæ, sed voluptatum carnalium, sive libidinum, qua animus insatiabilis per omnia obscenitatum genera, perque

(1) Aliis « gratiarum actio, » Græce εὐχαριστία, est *oratio gratiæ plena*, id est, gratia in sermonibus et dictis nostris. Sic λόγος εὐχάριστος est *sermo gratiæ plenus* apud Xenophontem, *Cyropæd.* II, 2.

omnes luxuriæ modos discurrit, ut omni libidine suam cupiditatem expleat. Et ratio S. Hieronymi est, quia avaritia ponitur hic ab Apostolo inter libidines, uti et cap. præced., vers. 19. Et Græcum πλεονεξία est studium immodicum plus habendi, usurpandi, occupandi, quam sibi competat, sive in opibus, sive in honoribus, sive in uxoribus, sive in deliciis. Hæc est idolorum servitus, quia fornicator et obscenus amasiæ et suo peni, æque ac mercator lucris, superbus honoribus, gulosus ventri, quasi idolo suo servit. Addit Adamus, taxari hic obscenitates spurcissimas Simonis Magi et asseclarum, qui libidines suas referebant in honorem Dei, imo eas tanquam sacrificium offerebant patri universorum : sic enim revera non Deum, qui libidines execratur, sed dæmonem, qui iis delectatur, colebant. Patrem enim universorum colebant eum, qui libidinibus delectatur et colitur, qui non est alius quam dæmon, ac consequenter committebant idololatriam. Idololatria enim non tantum idolorum, sed et dæmonum, adeoque cujusvis rei quæ vere Deus non est, cultum significat.

Verum planius *secundo*, Chrysostomus, Theophylactus, Œcumenius, Cyprianus, qui pro *avarus* vertit, *fraudator*, et alii, imo ipse Hieronymus huc tandem hoc versu inclinat; hi, inquam, proprie accipiunt avaritiam pro immodica cupiditate opum, qua per fas et nefas eas avarus accumulat. Sumitur enim hic avaritia in actu completo, tuncque est peccatum mortale, et excludit a regno Dei, ut hic ait Apostolus. Id patet, quia si per avaritiam intelligeret libidinem, tam dixisset de fornicatione et immunditia quam de avaritia, quod sint idolorum servitus. Nam et fornicator et immundus venerem suam habet pro Deo, sicut gulosus suum ventrem habet pro Deo. Jam autem Apostolus de sola avaritia dicit, quod sit idolorum servitus; ergo avaritiam distinguit a fornicatione, immunditia et libidine.

Avaritia quæ excludit a regno cœlorum.

Secundo, quia græce πλεονεξία, et latine *avaritia*, proprie et communiter significant hanc auri et argenti cupidinem, præsertim cum a cupidine veneris et aliarum rerum secernitur, uti hic secernitur per conjunctionem disjunctivam. Secus est cap. præced., vers. 19; ibi enim avaritia conjungitur et denominat immunditiam; ait enim : « In operationem immunditiæ omnis, in avaritiam, » id est, ut avare et cupide omnem immunditiam operentur.

Tertio, quia *Coloss.* III, 5, a libidine et concupiscentia mala avaritiam distinguens, dicit eam esse idolorum servitutem; ergo proprie avaritiam accipit : si *ibi*, ergo et hic. Ibi enim idem iisdem pene verbis dicit, quod hic.

Cur avaritia præ aliis vitiis dicatur idolorum servitus.

Quæres *secundo* : Cur avaritia præ aliis vitiis dicitur « idolorum servitus, » id est idololatria? Respondeo *primo*, quia avari omnem spem vitæ et victus ponunt in suis opibus; ergo illas quasi pro Deo habent. Id enim est Deus cuique, a quo vitam et vitæ necessaria sperat et exspectat. servitus?

Secundo, quia, sicut idololatræ colunt imagines aureas et argenteas, ita avari colunt signatas suas effigies auri et argenti. Unde pulchre Theophylactus : « Quod David, inquit, *Psalm.* CXIII, dixit : Simulacra Gentium argentum et aurum; hoc magna sapientia invertit Paulus dicens : Argentum et aurum sunt simulacra et idola avarorum. » Prima causa. Secunda.

Tertio, quia hæc avaritia inexplebilis est, et cum cæteræ cupiditates ipso usu sedentur, et satientur saltem ad tempus, v. g. cupiditas gulæ satiatur cibo et potu, abitque in fastidium; cupiditas veneris satiatur fornicatione, abitque in nauseam et virium ac spirituum defectum : avaritia tamen sola nullis opibus sedatur, sed magis accenditur. « Crescit enim amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit. » Et, « quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ. » Unde avaritia totum cor et mentem hominis absorbet et sibi vindicat, ut avarus noctes et dies non cogitet, non somniet aliud, quam de occupandis et augendis lucris, illisque et mammonæ corpus per assiduos labores et curas, animam per fraudes, usuras aliaque scelera immolat. Avarus ergo præ aliis suæ gulæ aut veneri addictis dicitur idololatra, et habere suas opes pro Deo, quia eis totum se dat et impendit præ aliis omnibus. Id enim cuique Deus est, quod semper in mente habet, animoque versat, cui totus intendit, quod pro suo ultimo habet fine, in quo totum suum cor et amorem defigit, ad quod omnia sua studia, cogitationes et actiones refert, cui curas omnes, labores vitamque ipsam impendit. Vide Chrysostomum hic in morali fuse docentem, avaros non per hyperbolen, sed vere esse et dici idololatras. « Sicut enim, inquit, idololatræ venerantur idola, nec ea præ reverentia tangere audent : ita avarus pecunias, quasi idolum veneratur, nec eas audet contingere, sed inani tantum earum aspectu delectatur. » Idem, hom. 64 *in Matth.* : « Sicut idolum, inquit, lapideum templis, sic avari aurum claustris et vectibus sepiunt, pro templo arcam præparantes : deinde adorant ipsi quod concluserunt, oculosque et animam malunt quam thesaurum perire. » Hos Herodes sophista Aloadas cognominat, qui postquam Martem incarcerassent, ei sacrificarunt. Ita Philostrates in *Herode* (1).

6. NEMO VOS SEDUCAT INANIBUS VERBIS, — non Philosophi, non Poetæ lascivi vos seducant, non Simon Magus, qui nulla requirit bona opera, sed solam fidem docet sufficere ad salutem. Ex quo hoc idem dogma suum Lutherus et Calvinus mutuati sunt. Hoc enim dogma inane, nugax, fallax et fraudulentum seducit homines, ut laxent frena omnibus libidinibus et vitiis, itaque pereant et damnentur. Vers. 6. Nulla opera bona requirunt hæretici.

PROPTER HÆC ENIM (fornicationem scilicet, immunditiam et avaritiam) VENIT IRA DEI IN FILIOS DIFFIDENTIÆ. — « Venit, » græce ἔρχεται, id est « venit » in præsenti tempore, non in præterito. Est hebraismus. « Venit, » id est venire solet, « ira, » id est vindicta, quæ est effectus iræ, « Dei in filios diffidentiæ, » ἀπειθείας, id est inobedientiæ, vel « incredulitatis; » vel, ut Hieronymus, *insuasibilitatis*, et, ut S. Cyprianus, *contumaciæ*, *q. d.* In homines inobedientes, incredulos, insuasibiles, intractabiles, ut dixi cap. II, vers. 2, qui cum monentur vel audiunt, turpitudines jam dictas esse fœdas et illicitas, aut non credunt, aut non obtemperant recta docenti et monenti. Unde juste vindictam suam in eos exercet Deus, ut sæpe in hac vita peste, fame, gladio et mille ærumnis; post mortem vero semper æterna morte et igne eos puniat, nisi prius resipuerint. Ex vitiis incredulitas et inobedientia.

7. NOLITE ERGO EFFICI PARTICIPES EORUM. — Græce συμμέτοχοι, id est *comparticipes*, *q. d.* Nolite cum sceleribus eorum jam dictis communicare et participare.

8. ERATIS ENIM ALIQUANDO TENEBRÆ, — id est eratis tenebricosi. Est metonymia cum emphasi. Sicut enim scelestum vocamus scelus, sic hic « tenebras » vocat tenebricosos et tenebriones infidelitate et ignorantia, tum Dei, tum rerum agendarum. Ignorabatis enim fornicationem, immunditiam, et his similia esse tanta et tam gravia peccata. Cur peccata dicantur tenebræ?

Nota : Eusebius, lib. VI *De Præparatione*, et Theodoretus, *De Curand. Græcan. affect.*, fuse demonstrant, quanta fuerit cæcitas et perversum judicium Gentium in gentilismo, etiam quoad illa, quæ ratio naturalis, et lex naturæ dictat. Etenim, inquiunt, Persæ et sorores, et matres, et filias suas nefandis sibi matrimoniis jungebant; humanis carnibus vescebantur Scythæ, et filios suos immolabant; Massagetæ cognatos senes comedebant; Hyrcani senes avibus, Caspii canibus devorandos objiciebant; Lacedæmones furtum laudabant quasi rem ingeniosam et solertem; alii conjuges suas hospitibus in symbolum hospitii adulterio polluendas concedebant. Quanta fuerint scelera Chananæorum patet *Levit.* XVIII, et *Deut.* X et XII. Considera divini Platonis quam improbæ sint leges de non subveniendo valetudinariis, de licenter mentiendo, de occidendis infantibus, et de communione uxorum. Lycurgus jubet suis legibus, hospites finibus pelli, pueros impune prostitui, feminas licenter exponi. Hæc et plura Theodoretus et Eusebius. Merito S. Augustinus in *Sentent.*, sent. 343 : « Sequamur, ait, Christum lumen verum, nec ambulemus in tenebris. Tenebræ autem metuendæ sunt morum, non oculorum; et si oculorum, non exteriorum, sed internorum, unde discernitur, non album et nigrum, sed justum et iniustum. Cæcitas et perversum judicium Gentium in iis quæ ratio naturæ dictat.

NUNC AUTEM (estis) LUX IN DOMINO. — *q. d.* Nunc Christiani facti estis lucidi : quia illuminati estis fide, gratia et doctrina Christi, ut cognoscatis tum Deum verum trinum et unum, tum ea quæ agenda sunt, ut Deo illi vero placeatis. Ergo :

UT FILII LUCIS AMBULATE. — Id est vivite eo modo, quo decet vivere eos qui tantam lucem, id est cognitionem Dei, divinæque voluntatis et rerum agendarum sunt adepti. Facite ut cognitio hæc non sit otiosa, nec in anima sopita deliteat, sed in voluntatem et opera emanet, ut opera fidei quasi proles matri suæ respondeant.

Nota, peccata dici tenebras : *primo*, quia peccantes oderunt lucem, et quærunt tenebras : pudet enim eos in luce palam coram hominibus tam pudenda facere, et peccare; *secundo*, quia peccata rationis judicium excæcant. Unde *Prov.* XIV, 22, dicitur : « Errant qui operantur malum. » Semper enim peccatum oritur, vel ex errore, vel ex imprudentia, inconsideratione et inadvertentia aliqua rationis et intellectus : ac rursum dum committitur, eamdem adauget, offuscatque rectum prudentiæ et conscientiæ dictamen per proclivitatem ad idem peccatum iterandum, quam animo ingenerat. Cur peccata dicantur tenebræ?

Contra, virtus et bona opera dicuntur lux : *primo*, quia amant lucem, Dei hominumque conspectum; *secundo*, quia manant a luce, id est dictamine fidei et prudentiæ; *tertio*, quia eamdem lucem adaugent; *quarto*, quia alios illuminant, et quasi lux sancti exempli coram aliis resplendent; *quinto*, quia oriuntur a Deo, qui est prima increataque lux omnia transcendens, illuminans, calefaciens, vegetans, vivificans, continens, et ad se quasi sol convertens, ait S. Dionysius, *De Divinis Nominibus*, cap. IV. Vide *Rom.* XIII, 12. Ob quinque rationes bona opera dicuntur lux.

9. FRUCTUS ENIM LUCIS EST (id est situs est) IN OMNI BONITATE, ET JUSTITIA, ET VERITATE. — Corrupte Græca jam legunt, καρπὸς τοῦ πνεύματος, id est *fructus spiritus*. Legendum est enim, *fructus* τοῦ φωτὸς, id est *lucis*, uti legit Noster, Syrus et passim veteres. De luce enim præcessit, non de spiritu, *fructus* ergo *lucis*, id est fidei, prudentiæ et virtutis Christianæ, situs « est in omni bonitate, » ἀγαθωσύνη, id est benignitate et beneficentia, de qua dixi *Galat.* V, 22 : hanc opponit iracundiæ, asperitati et malignitati; « et justitia : » hanc opponit fraudibus; « et veritate : » hanc opponit mendacio et hypocrisi. Ita Chrysostomus, *q. d.* Ex fructibus lucis ostendetis vos esse filios lucis, si videlicet non iracundos, asperos, malignos, sed benignos et beneficos; non fraudulentos, sed justos; non mendaces et hypocritas, sed sinceros et veraces vos exhibueritis. Vers. 9. Fructus bonorum operum.

10. PROBANTES (δοκιμάζοντες, *explorantes, exquirentes*) QUID SIT BENEPLACITUM DEO. — Nimirum hoc primum Christiani studium esse oportet, ut

(1) Juxta quæsdam, *quod est idolorum servitus* referri potest non solum ad *avarus*, sed etiam ad *fornicator* et *immundus*, et interpretatur, *pro idololatra habendus est*, id est, non est melior idololatra. Judæi enim quodvis facinus gravissimum vocant idolatriam, quæ ipsis maxime abominabilis est.

exquirat quid de se exigat Deus, qua in re Deo maxime placere possit, quomodo sanctam ejus voluntatem et beneplacitum agnoscere et adimplere possit, hæc summa, hic apex perfectionis Christianæ : ut cum S. Paulo non tantum in statu vitæ deligendo, sed qualibet in re dicat : Domine, quid me vis facere? Et cum Christo : Fiat voluntas tua de me, in me, per me, circa me, tam in vita quam in morte, tam in tempore quam in æternitate.

Apex perfectionis Christianæ in quo consistat?

Vers. 11. 11. NOLITE COMMUNICARE OPERIBUS INFRUCTUOSIS TENEBRARUM, — nolite commercium habere, aut miscere vos operibus peccatorum et peccantium, qui quasi tenebriones lucem fugiunt. Hæc enim opera nullum fructum nisi scram et inutilem pœnitentiam ac remorsum conscientiæ afferunt.

MAGIS AUTEM REDARGUITE. — *q. d.* Redarguite tum verbo, tum exemplo puræ et sanctæ vitæ, eorum tenebras, id est pudendas libidines et peccata.

Vers. 12. 12. QUÆ ENIM IN OCCULTO FIUNT AB IPSIS, TURPE EST DICERE. — « Ab ipsis, » scilicet filiis diffidentiæ et tenebrarum, de quibus egit vers. 6, 7, 11. Ita Hieronymus. Notat obscenitatem tum Paganorum, tum potius Simonis Magi, et Gnosticorum, de quibus abominanda narrat Epiphanius, citatque hunc locum Apostoli.

Vers. 13. 13. OMNIA AUTEM QUÆ ARGUUNTUR, A LUMINE MANIFESTANTUR. — Respicit ad id quod dixit vers. 11 : « Magis autem redarguite, » scilicet libidines et vitia jam dicta vers. 3. Eo enim respicere Apostolum hoc vers. 13, significant Græca. Non enim habent τὰ πάντα ταῦτα, sed τὰ δὲ πάντα, id est τοῦτα πάντα, id est *hæc omnia*, scilicet fornicatio, immunditia, scurrilitas, quæ jam dixi et redargui; et, ut Hieronymus legit, *quæ sunt arguta a me, arguuntur et manifestantur*, id est argui et manifestari debent, *a lumine, q. d.* Dum dico vos scelera jam dicta debere arguere, simul moneo ut recte tenebriones istos et tenebras scelerum jam dictas redarguatis, debere vos afferre lucem sanctæ doctrinæ et vitæ.

OMNIA AUTEM QUÆ ARGUUNTUR, A LUMINE MANIFESTANTUR. — Lumen enim debet manifestare peccata tenebricosa, quæ arguimus. Sicut enim nox et tenebræ infidelitatis vel impietatis ipsis peccatoribus occultant et celant sua peccata : ita lumen sanctæ doctrinæ et vitæ a filiis lucis, id est Christianis, aliatum, eadem peccata illis retegit, aperit et manifestat. Unde pro eo quod sequitur : « Omne enim quod manifestatur, lumen est, » certi potest ex Græco cum Syro, Erasmo, Vatablo, *omne enim quod manifestat* (tenebras peccatorum jam dictas), *lumen est*; Græcum enim φανερούμενον est vocis mediæ et tam significat id quod manifestat, quam id quod manifestatur. Noster tamen significantius vertit, « id quod manifestatur. » Probat enim Apostolus id quod arguitur, debere a lumine manifestari : quia, inquit, id quod arguitur, et arguendo manifestatur, et manifestando per pœnitentiam emendatur (hæc enim per metalepsin significat verbum *manifestatur*), lumen est, id est, luminosum fit, *et* abjicit tenebras peccatorum. Inde enim recte sequitur : Ergo illud idem a lumine debet manifestari. Nihil enim fit luminosum, et tenebras abjicit, nisi lumine illustretur et manifestetur, *q. d.* Videte ergo, o Christiani, quomodo, ut filii lucis, ambulare quantam lucem afferre debeatis, nimirum tantam, quæ tenebras gentilismi et impietatis non tantum retegat, sed et easdem illuminet, lucidas faciat, imo in lucem christianismi transmutet. Rursum, ne putetis vestram redargutionem et illuminationem frustraneam fore. « Omne enim quod manifestatur, lumen est. » Quidquid scilicet a vobis filiis lucis manifestabitur, arguetur, emendabitur, lumen est : id est, lumen fidei et sanctæ vitæ recipiet, et luminosum fiet; sicque ex tenebrosis lucidos, ex Paganis Christianos, ex obscenis castos facietis, quando illi videntes vestrum purum et sanctum vitam ac doctrinam, descrent suos errores et libidines, ut vos vestramque fidem ac sanctitatem æmulentur. Ita Theophylactus.

Christianorum vita lucem debet et integre retegere tenebras impietatis, et illuminare.

14. PROPTER QUOD (ut scilicet tenebriones et tenebras jam dictas manifestet et illuminet) DICIT —Isaias, inquiunt aliqui, cap. LX, vers. 1 : « Surge, illuminare Jerusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est. » Sed hæc sententia Pauli, « Surge qui dormis, » etc., multum differt ab illa Isaiæ. Ergo cum S. Hieronymo dico : hæc sententia Pauli in Scripturis non invenitur; alludit tamen ad locum Isaiæ jam dictum. Unde S. Thomas ait Apostolum hæc verba non sumpsisse ex libro aliquo apocrypho, nec etiam spiritu prophetico ea protulisse, sed velut exposuisse quibusdam de suo admixtis jam dictam sententiam Isaiæ : « Surge, illuminare Jerusalem, » etc.

Unde hæc verba sumpsit Apostolus?

Quod ergo Paulus ait, « dicit, » id est inclamat, supple, Spiritus Sanctus, et Deus noster tum interius in anima cujusque peccatoris per sanctas inspirationes et excitationes ad pœnitentiam; tum exterius per me Paulum (hoc loco et alibi) aliosque concionatores, quemque in peccato existentem compellans : « dicit, » inquam, et inclamat id quod sequitur : « Surge qui dormis, » etc.

SURGE QUI DORMIS, ET EXSURGE A MORTUIS. — Tu scilicet, o peccator, qui dormis somno, et mortuus es morte peccatorum ac vitiosæ consuetudinis, inde evigila et exsurge.

Peccator luendo in peccato, et peccatum quasi somnum.

Nota *primo*, peccatorem quasi in tenebris, ut præcessit, et nocte versantem dormire, et peccatum esse quasi somnum. Peccator enim, inquit Chrysostomus et Theophylactus, vacat et caret actione honesta, nec intelligit ea quæ salutis sunt, æque ut dormiens : rursum, somnia videt, et imaginatur voluptates et ea quæ non subsistunt, æque ut dormiens. « Dormierunt, inquit Psalles, somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis. »

Secundo, peccatum est mors animæ, et peccator est mortuus; quia caret omni sensu et motu vitali gratiæ, ipsaque anima spirituali, id est gratia, fœtetque coram Deo, et virulenti est odoris, ait Theophylactus, perinde ut cadaver mortuum.

Hinc *tertio*, patet necessitas gratiæ prævenientis et excitantis, ut hominem ab hoc somno et morte animæ excitet. Sicut enim dormiens non potest seipsum a somno, nec mortuus seipsum a morte excitare : ita nec peccator potest se a peccato excitare, sed excitari debet a Deo Deique gratia. Hujus typo et symbolo Christus Lazarum mortuum (qui speciem gerebat peccatoris) suscitaturus, valida voce illi inclamavit : *Lazare, veni foras*. Hæc una omnium concionatorum æque ut Pauli deberet esse vox : « Surge qui dormis, et exsurge a mortuis; » hocce unum deberet eorum esse studium, non ut aures scalpant, non ut famam doctrinæ concilient, non ut audiant : Quam bene, quam eloquenter peroravit! sed ut quasi mallei conterentes petras et dura hominum corda, vehementi spiritu et zelo peccatores a somno et morte peccati excitent, et in lucem ac vitam gratiæ revocent.

Necessitas gratiæ prævenientis et excitantis.

Moraliter S. Augustinus, in illud Psalm. CXXXI, *Si dedero somnum oculis meis* : « Omnes, inquit, istæ felicitates, quæ videntur, sæculi, somnia sunt dormientium. Et quomodo qui videt thesauros in somnis, dormiens dives est; sed evigilabit, et pauper erit : sic omnia ista vana hujus sæculi, de quibus homines gaudent, in somno gaudent : evigilabunt quando nolent, si non modo evigilant quando utile est; et invenient somnia illa fuisse, et transisse, sicut dicit Scriptura : Velut somnium surgentis. Et alio loco : Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis. Iste ergo, qui vult invenire locum Domino, dixit etiam : Si dedero somnum oculis meis. Sunt autem quidam qui non dormiunt, sed dormitant : aliquantulum retrahunt se ab amore temporalium, et rursus revolvuntur in eum, et quasi dormitantes caput crebro inclinant. Evigila, excute somnum, dormitando casurus es. Non vult Psalmus oculis suis dare somnum, nec palpebris dormitationem, eum qui vult invenire locum Domino. »

Felicitates sæculi omnia sunt dormientium.

ET ILLUMINABIT TE CHRISTUS. — Alludit ad dormientem in multam lucem : huic enim excitator dicere solet : Surge, jam dudum dies est, evigila, solem splendentem aspice. Pari modo Paulus et quivis concionator peccatores a somno peccati excitat dicens : Surge, dies est gratiæ, sol justitiæ Christus jam illuxit, omnesque qui somno peccatorum evigilantes oculos aperuerunt, et surrexerunt, illuminavit suæ gratiæ et justitiæ lumine : surge, evigila et tu, aperi oculos, et te pariter illuminabit. Sic dicit *Rom.* XIII, 11 : « Hora est jam nos de somno surgere. Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis. »

Dies gratiæ, et sol justitiæ Christus illuxit et excitat peccatores.

Nota : Pro *illuminabit te* græce est ἐπιφαύσει σοι, id est *illucescet*, oritur *tibi* Christus; ut, sicut sol lunæ, ita ipse tibi suum lumen gratiæ communicet, quo factus speculum divinæ lucis possis et alios illustrare, et de tenebris peccatorum erutos manifestare, in lucem adducere, et lucidos facere.

Notat Hieronymus, pro ἐπιφαύσει quosdam legere ἐφάψεται σοι ὁ Χριστός, id est *continget te Christus*, et ita legit Ambrosius et Augustinus in *Psal.* III. Quin et Chrysostomus, tam hanc quam priorem lectionem affert, quasi hic sermo sit ad Adamum (et consequenter ad nos Adæ filios, qui in Adamo continebamur, eoque peccante mortui sumus) in monte Calvariæ sepultum, quem Christus ibidem crucifixus, sanguine suo e cruce distillante contingens redemerit, et ad lumen vitamque divinam reduxerit.

« Scio, inquit Hieronymus, audisse me quemdam de hoc loco in Ecclesia disputantem : qui in theatrale miraculum, nunquam ante visam formam populo exhibuit, ut placeret : Testimonium hoc, inquiens, ad Adam dicitur in loco Calvariæ sepultum, ubi crucifixus est Dominus. Qui Calvariæ idcirco appellatus est, quod ibi antiqui hominis esset conditum caput. Illo ergo tempore, quo crucifixus Dominus super ejus pendebat sepulcrum, hæc prophetia completa est dicens : Surge, Adam, qui dormis, et exsurge a mortuis : et, non ut legimus, ἐπιφαύσει σοι ὁ Χριστός, id est oritur tibi Christus; sed ἐφάψεται, id est continget te Christus : quia videlicet tactu sanguinis ipsius et corporis dependentis vivificetur atque consurgat : et tunc typum quoque illum veritate compleri, quo Eliseus mortuus mortuum suscitavit. Hæc utrum vera sint nec ne, lectoris arbitrio derelinquo. » Ubi nota : Licet Hieronymus hic et alibi hanc sententiam de Adamo in Calvariæ monte sepulto, ibique Christi sanguine resuscitato, suggillare videatur, tamen passim illam docent et tradunt Patres. Unde S. Augustinus, serm. 71 *De Temp.* : « Et vere, fratres, sit, non incongrue creditur quod ibi erectus sit medicus, ubi jacebat ægrotus, et dignum erat ut ubi occiderat humana superbia, ibi se inclinaret divina misericordia; et sanguis ille pretiosus etiam corporaliter pulverem antiqui peccatoris, dum dignatur stillando contingere, redemisse credatur. » Sic et Tertullianus, lib. II *Carminum contra Marcionem*, cap. IV.

Adam sepultus an sit in monte Calvariæ?

Passim id docent Patres.

> Hic hominem primum suscepimus esse sepultum.
> Hic patitur Christus, pio sanguine terra madescit,
> Pulvis Adæ ut possit veteris cum sanguine Christi
> Commixtus, stillantis aquæ virtute lavari.

Idem docent Origenes, Epiphanius, Athanasius, Cyprianus, et passim Patres, uno excepto Hieronymo, ut dixi *Matth.* XXVII, 33, videturque communis traditio. Hac etiam de causa pictores sub cruce Christi calvariam (Adæ) pingunt, ut ex Al-

berto Magno notavit Molanus, cap. LXVIII *De Imaginibus*.

Verum quod ad præsentem locum attinet, communis et vera lectio est ἐπιφαύσει, id est *illucescet*, non ἐφάψεται, id est *continget* te Christus. Ita enim legit Noster, Syrus, et passim jam Græca et Græci. Itaque legendum esse patet ex præcedentibus : hactenus enim a vers. 8, de luce et illuminatione egit, non autem de contactu. Denique aptissime dicitur dormienti et mortuo : Surge qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus, ut solem justitiæ aspicias; minus autem recte dicitur : Et continget te Christus.

Apostolum non videtur loqui de Adamo.

Adde, Apostolum de Adamo non loqui, sed de peccatoribus quibuslibet; cuique enim peccatori inclamat : « Surge qui dormis, » etc.

Vers. 15. 15. VIDETE ITAQUE, FRATRES (non jam in tenebris, sed in Evangelii clara die et luce, quando vivendi et cernendi est facultas, constituti), QUOMODO CAUTE (ἀκριβῶς, id est diligenter, circumspecte, accurate, scientes et cogitantes vos vestraque omnia in tanta luce ab omnibus videri et notari) AMBULETIS (conversemini) NON QUASI INSIPIENTES. — Valde enim insipientes sunt qui ad solem hunc Evangelii oculos claudunt, vel sub eo pudenda faciunt, quasi adhuc in nocte et tenebris ignorantiæ Dei versarentur. Maxime autem insipientes sunt, qui tempus hoc breve nobis ad beatam æternitatem comparandam concessum prodigunt, imo eo abutuntur, ut æternam miseriam sibi accersant. Unde sequitur :

Cura temporis quanta habenda!

Vers. 16. Quid sit *Redimere tempus*? Prima expositio.

16. REDIMENTES TEMPUS, QUONIAM DIES MALI SUNT. — Anselmus explicat, *q. d.* Apostolus : Tempus et anteactæ vitæ peccata flendo et pœnitendo redimite. Ut respiciat Apostolus ad vers. 8 : « Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino; » unde immediate ante præmisit : « Videte itaque, fratres, quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, » utpote nunc facti lux in Domino, « redimentes tempus, » ut illud olim luxu et peccatis perditum, jam recuperetis, ac tanto diligentius et ferventius illud expendatis, quanto illud olim negligentius et licentius prodegistis, ut illius jacturam hac diligentia et fervore sarciatis et redimatis : hoc enim proprie est redimere. Verum sic potius dixisset Apostolus : Redimentes tempus præteritum; jam autem dicens tantum, « Redimentes tempus, » videtur intelligere præsens. Sequitur enim : « Quoniam dies mali sunt; » alioqui dixisset : Quoniam dies præteriti mali fuerunt; *nisi* ea *sunt* ample accipias pro *fuerunt* et *sunt*; uti enim fuerunt mali, sic etiamnum sunt mali. Est ergo hæc expositio probabilis æque ac moralis et pia. Excitat enim eos qui in infidelitate, luxu et peccatis, aut in desidia et tepiditate multum temporis multosque annos perdiderunt, ut hoc damnum recuperent novo fervore, intendendo, et duplicando, ac triplicando actu abstinentiæ, mortificationis, charitatis et aliarum virtutum, in modico vitæ quod eis restat, ut paucis annis, qui supersunt usque ad mortem, tantum meritorum sua sedulitate acquirant, quantum alii, qui a puero Deo servierunt, quantumque ipsimet acquisivissent, si priores annos in fide et obsequio Dei fervide expendissent. Hoc secundum Latinam versionem, nam Græcum ἐξαγοραζόμενοι, non *redimentes*, sed *ementes*, et ad verbum *ementes* significat, de quo mox.

Secunda. Solet Deus vitam peccatoribus prorogare ad tempus.

Secundo, alii exponunt sic : Deus, aiunt, sæpe peccatoribus tempus, quod secundum naturæ cursum vivere deberent, propter peccata diminuit, juxta illud *Psal.* LIV, 24 : « Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos. » Quam ob causam illis 120 annis, quos usque ad diluvium Deus hominibus præscripserat, 10 annos detraxit *Gen.* VI. Cum igitur Deus soleat tempus vitæ propter peccata diminuere, is qui bene agit, recte dicitur illud redimere, quoniam illud vitæ spatium, quod alioqui si peccaret, erat sibi Dei judicio detrahendum, quasi bonis operibus redimit, impletque dies omnes sibi ad vivendum a natura definitos, itaque moritur plenus dierum instar Abrahæ.

Tertio, S. Augustinus, serm. 24 *De Verbis Apostoli*, asserit cum tempus redimere, qui illud aufert negotiis sæcularibus, ut quiete sua fruatur Deoque vacet : « Quando, inquit, aliquis tibi infert litem, perde aliquid ut Deo vaces, non litibus : id enim quod perdis, pretium est temporis. Sicut enim das nummos et panem emis, itaque aliquid amittis et aliquid acquiris : sic perde nummos, ut emas tibi quietem, id est, tempus vacandi Deo : hoc enim est tempus redimere. »

Rursum scripsit in hanc Apostoli sententiam idem Augustinus *hom.* 10, inter 50, tom. X, ex qua accipe hos flosculos : « Dies malos duæ res faciunt, malitia et miseria. Regenerati dies malos ducimus, quousque finiatur pœna mortalitatis, et succedat gratia summæ felicitatis. Nemo dicat : Parentes nostri dies bonos habuerunt, nos malos habemus. Recitata est ipsis et hæc Apostoli sententia. Ex eo quod lapsus est Adam et de paradiso projectus, nunquam fuerunt dies nisi mali. Istos pueros qui nascuntur interrogemus, quare a ploratu incipiant qui et ridere possunt. Lacrymæ testes sunt miseriæ. » Et infra : « Redimere tempus hoc est, quando aliquis tibi ingerit litem, perde aliquid, ut redimas tempus quo vaces Deo : sic enim dum vestem emis, nummos amittis, vestem acquiris. Punicum est proverbium : Ut habeas tempus quietum, perde aliquid. Pestilentia ante ostium venit, et nummum quærit : duos illi da, et ducat se. Pestilentia est homo malus, litigator, calumniator, proditor. Iste talis sic est, quomodo pustula mala in corpore, quam cum aliqua particula tollis de corpore, ne venenum totum corpus occupet, et animam petat. In lite everteris cogitationibus tuis, irritaris adversus adversarium tuum : ecce tempus perdidisti. Quanto melius nummum amitteres, et tempus redimeres? Calumniosus vero hic non

gaudeat. Ille qui propter vitandam calumniam tempus a te redemit, hic tolerat dies malos : tu qui calumniis pasceris, et hic habes dies malos, et post dies ipsos habiturus es in die judicii pejores. »

Quarta et genuina.

Quarto, S. Hieronymus censet tempus cum a Deo datum sit, ut hominibus in bonis operibus serviat, quasi captivum teneri, quando in malis operibus insumitur; ideoque per bona opera redimendum, et ex captivitate in libertatem quasi vindicandum esse. « Quando tempus, inquit, in bono consumimus, emimus illud, et proprium facimus, quod malitia hominum venditum fuerat : sicque dies malos in bonos vertimus, et facimus illos non præsentis sæculi, sed futuri. » Proprie ergo S. Hieronymus accipit *redimere*, quasi sit rursus emere id quod venditum erat. Sic Nazianzenus ait, ἐξαγοράζει κόσμον μεγάλης τιμῆς, id est *redimit mundum magno pretio* : nam Christus pretio sanguinis **eum redemit** e captivitate peccati et diaboli.

Verum nota : « Redimere » hic idem est quod emere; sic redemptores vectigalium vocamus eorumdem emptores. Nam græce est ἐξαγοραζόμενοι τὸν καιρόν, id est mercantes et ementes occasionem et opportunitatem, sive tempus hoc opportunum ad bene agendum, ad lucra cœlestia comparanda, *q. d.* Studiose emite opportunitatem proficiendi in via Dei et virtute, et bona opera ac merita accumulandi : emite, inquam, eam quarumvis rerum dispendio. Ita Theophylactus, v. g. conviviorum et recreationum jactura emite tempus studendi, orandi, bene faciendi. Unde S. Augustinus, *hom.* 1 inter 50 : « Quid est, ait, redimere tempus, nisi, cum opus est, etiam detrimento temporalium commodorum, ad æterna quærenda et capessenda, spatia temporis comparare (1) ? »

Vis scire quam pretiosum sit hoc tempus, vis scire ejus pretium? interroga damnatos, ipsi id sciunt per experientiam. Prodeat ex abysso unus dives Epulo. Dic nobis, o Epulo, quid dares pro anno uno, pro die, pro hora hujus temporis? Darem, inquit, mundum universum, darem mille mundos, si haberem; darem delicias omnes, opes omnes, tormenta omnia. O si daretur vel momentum resipiscendi, pœnitendi, veniam emerendi : illud emerem omnibus laboribus, pœnitentiis, afflictionibus, quas unquam homines tolerarunt, aut etiamnum tolerant in Purgatorio vel inferno, etiamsi illæ centum millia, imo mille milliones annorum durarent!

Interroga animas in Purgatorio. Dicent illæ : Si possemus redire ad tempus merendi et satisfaciendi, emeremus illud non auro, non gemmis totius orbis, sed sanguine et vita, imo mille mortibus.

Interroga Beatos. Dicent illi : Beati mortales! o si sciretis quæ merita, quæ lucra gloriæ comparare possitis singulis temporis momentis, vos illa emeretis omni sudore et dolore. O si nobis redire liceret ad tempus merendi, emeremus unam horam omnibus equuleis, ignibus, bestiis, martyriis, cuperemusque illa pati quæ unquam Sancti passi sunt usque ad diem judicii. O si redire liceret, nos aliter illud expenderemus quam expendimus : sumus jam inter Angelos, nos extremum potentiæ excereremus, ut inter Seraphinos et Cherubinos ascribi mereremur. O momentum pretiosum, ex quo pendet æternitas! Quot hic momenta in otio deperdis, tot æternitates gloriæ, quas acquirere poteras laborando, patiendo, animas convertendo, perdis, et irrevocabiliter perdis, ut, si in cœlo pœnitere posses, non alterius rei quam temporis perditi, aut minus strenue expensi, te pœniteret.

QUONIAM DIES MALI SUNT. — Id est, quoniam dies hujus vitæ miseri, multis ærumnis, periculis et tentationibus expositi sunt, quæ occasionem bene agendi vel adimunt, vel minuunt, vel periculo exponunt, inquit Anselmus. Sic enim Hebræi bonum vocant quod jucundum est; malum, id quod triste est et miserum. Sic Christus, *Matth.* VI, 34 dicit : *Sufficit diei malitia*, id est afflictio et miseria, sua.

Rursum dies mali, id est incerti, instabiles, breves sunt æque ac pleni curarum, distractionum et laqueorum peccati et damnationis. Nam inter cæteras malitias, id est miserias, dierum hujus vitæ est incertitudo, instabilitas et brevitas eorumdem, æque ac molestia, curæ et angores; juxta id quod ait Jacob Pharaoni : « Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum sunt, parvi et mali, » *Genes.* XLVII, 9. Quo alludit hic Paulus, *q. d.* Emite tempus bene agendi et merendi, quia dies hujus vitæ et temporis sunt incerti, instabiles et breves, æque ac molesti et anxii; incertum, instabile et breve habetis tempus procurandi salutem æternam : videte ergo ut hoc temporis momentum, ex quo pendet æternitas vestra, bene expendatis. *Tertio*, proprie *dies mali* sunt, quia pleni sunt infidelitate et peccatis. « Dies malos, ait S. Augustinus loco citato, duæ res faciunt, malitia et miseria. Ex quo enim lapsus est Adam, et de paradiso expulsus, nunquam fuerunt dies nisi mali. » Sicut grassante hæresi vel ebrietate et libidine (uti fit in bacchanalibus) dicunt concionatores : O Christiani, cavete vobis hoc tempore, quia dies mali sunt, *q. d.* Tempus hoc redimite, nec sinite vos abduci a communi hominum turba ad gulam et venerem, ne tempus cum anima perdatis. Sic ait S. Joannes, epist. I, cap. V, vers. 19 : « Mundus totus in maligno positus est; » tempore enim Pauli omnia erant plena infidelitate et sceleribus, infidelibus et sceleratis. Hos ergo quasi fures temporis pretiosissimi fugiendos et arcendos docet Apostolus : po-

(1) Alioli : « Redimentes tempus, » id est, occasiones ac opportunitatem bene agendi, meritaque vestra, ideo et thesaurum in cœlis, augendi, avide arripientes.

rinde ac Philosophus cuidam amico fabulis cum eo tempus terere volenti severo vultu dixit : « Abi hinc, fur temporis. » Idem dicamus, cum quis fabulo, nugivendulus, aut similis temporiperda nos invadit, ac ad sua otia nugasque sollicitat : tanto enim pejor et nocentior est fur temporis fure pecuniæ, quanto tempus quod suffuratur, pretiosius est pecunia. Maxime autem perstringit hic Apostolus Simonianos et Gnosticos, hæreticos impios et impuros, de quibus dixi vers. 11 : « Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite. Quæ enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est et dicere, » *q. d.* In tanta temporum calamitate et malitia, cum hinc hæreses infames et spurcæ grassantur, quæ suadent tempus in deliciis veneris et ventris transigere; inde infidelitas, idololatria, libidines, ebrietates, rixæ, omniaque scelera dominantur et increscunt : vos, o Christiani, nolite iis auscultare, cum iisque tempus cum anima prodigere : sed potius illud redimite, atque Deo et studio sapientiæ et virtutum Christianarum impendite, ac nominatim quovis pretio quovisque damno redimite tempus, vacando precibus et Dei laudibus, ac excipiendis ejus sanctis inspirationibus, quibus Deus interius mentem vestram illustrat, pulsat, excitat, inflammat ad majorem sanctimoniam, ut ei magis placeatis, magnisque passibus tendatis ad perfectionem. Unde sequitur : « Propterea nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas Dei. Et nolite inebriari vino in quo est luxuria; sed implemini Spiritu Sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes semper pro omnibus. » Ecce hoc est redimere tempus, dum, quod alii dant et perdunt in compotationibus et luxuriis, hoc fideles dant orationi, psalmis, hymnis, canticis spiritualibus, etc.

Quid sit ἀγοράζειν. Emite, sive mercari tempus? Primo.

Nota *primo* : Græcum ἐξαγοραζόμενοι verbum ex mercatorum, qui curiose merces omnes considerant, ut emant meliores ad lucrum, cui soli intendunt, quodque omnibus deliciis et conviviis anteponunt : tanto studio decet nos ancupari occasionem et merces bonorum operum.

Secundo, tempus ideo proprium dicimus quando illud bene impendimus.

Secundo, sicut hi mercatores merces emendo, eas sibi proprias suasque faciunt : sic tempus quasi nobis appropriamus, dum illud assumimus et impendimus ad propria bonorum operum et meritorum lucra. Non est nobis, inquit Œcumenius, tempus stabile, adveum enim sumus. Eme ergo ipsum et facito proprium, scilicet bona operando in hoc tempore, quæ in futuro te glorificent.

Tertio, tempus præsens est occasio nostræ salutis, quæ cæteris omnibus deficientibus, post eam vix

Tertio, præsens tempus dicitur καιρός, id est, occasio et opportunitas, scilicet mercandi et lucra nostra augendi, sicut in nundinis mercatoribus est occasio emendi et vendendi sua. « Vita nostra, inquit Nazianzenus in *Sententiis*, est quasi mercatus, cujus dies cum abierit, tempus amplius non erit emendi quæ velis, » ut singuli meminerint sibi hanc occasionem sedulo et studiose captandam et amplectendam esse : est enim fronte capillata, a tergo occasio calva. Ubi hæc occasio transierit, ubi hæ nundinæ, hoc tempus vitæ effluxerit, non habebis vel momentum pœnitendi, bene agendi, mercandi, et lucra cœlestia comparandi. Sic ergo vive, talia et tanta fac, qualia et quanta voles te fecisse, cum tempus hoc elapsum erit; qualia et quanta te fecisse voles et optabis, cum in æternitate consistes. Quod enim nunc facis et operaris, per totam æternitatem tibi proderit, magnasque opes et gloriam tibi pariet : quod nunc negligis, negligis et perdis irreparabiliter, ut per totam æternitatem hanc negligentiam, hoc tempus neglectum recuperare et redimere non possis.

Occasionis et temporis stimulus

Hunc occasionis et temporis stimulum sæpe nobis adhibet Apostolus, *Rom.* XIII, 11 : « Et hoc, inquit, scientes tempus, quia hora est jam nos de somno surgere. » *Galat.* VI, 10 : « Dum tempus habemus, bonum operemur ad omnes. » I *Corinth.* VII, 26 et 29, ubi tempus hoc vocat *bonum*, et *instantem necessitatem*. Vide ibi dicta. Eumdem stimulum adhibet Sapiens, *Eccles.* IX, 10 : « Quodcumque, inquit, facere potest manus tua, instanter operare : quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas. » O quam sapiens, quam providus est, qui hæc cogitat, hæc agit, qui ita vivit, uti in hora mortis optabit se vixisse, qui ea jam facit, quæ in æternitate constitutus gaudebit se fecisse!

Vers. 18.

18. Et nolite inebriari vino, in quo (scilicet vino, vel in quo, scilicet inebriari, *q. d.* In ebrietate) est luxuria. — Nota : Pro *luxuria* græce est ἀσωτία, id est luxus, lascivia, qualis est eorum qui assidue potant et comessantur, ut pene semper sint temulenti. Hi enim in omni ἀσωτίᾳ, id est crapula, spurcitia, impudicitia et sordibus volutantur. « Notim, inquit Cicero, lib. II *De Finibus*, mihi fingere azotos qui in mensam vomant, et de convivils auferantur, crudique postea rursus se ingurgitent. » Sic latine *luxuria*, ut vertit Noster, non tantum rem veneream, sed et hunc luxum significat, ait Erasmus.

Asoti quid, et quale vitium?

Secundo, tamen ἀσωτία, cum Theophylacto et aliis, potest accipi pro luxuria et libidine. Ventet enim mero æstuans despumat in libidinem, quasi in ἀσωτίαν. Hoc sensu ita in Sotam ludit Martialis lib. IV, *epigramm.* 9 :

> Sota Clinici Labulla
> Deserto sequens Citium marito.
> Et domus, et anus, ἔχει ἀσώτως.

Sota enim significat parcum : Labulla tamen erat asota, id est prodiga, perdita, luxuriosa, relicto marito sequens adulterum. Clemens Alexandrinus, lib. II *Pædag.*, cap. I et II, ἀσώτους dici vult quasi ἀσώστους, id est salute privatos, quia tam opes, quam corporis et animæ salutem perdunt et prodigunt.

Vere S. Hieronymus in cap. I *ad Titum*, vers. 7 : « Ubicumque, ait, satnritas et ebrietas, ibi libido dominatur : specta ventrem, et genitalia, qualis ordo membrorum, talis et vitiorum. Nunquam ego ebrium castum putabo, qui etsi vino consopitus dormiverit, tamen potuit peccare per vinum. Dicat quisque quod volet, ego loquor conscientiam meam. Scio mihi abstinentiam et nocuisse intermissam, et profuisse repetitam. »

Idem Hieronymus, epist. 83 *ad Oceanum* : « Violentia, inquit, scurrarum est et comessatorum, venterque mero æstuans cito despumat in libidines. » Et inferius : « Noe ad unius horæ ebrietatem nudat femora sua, quæ per sexcentos annos sobrietate contexerat. Lot per temulentiam nesciens libidine miscet incestum, et quem Sodoma non vicit, vina vicerunt. » Hinc Plato, lib. *I De Legib.*, prope finem, ita de vino sancit : « In civitate nec servus, nec serva unquam vinum gustet, nec ipsi quidem magistratus illo quo magistratum gerunt anno : neque gubernatores, neque judices, dum munus suum exercent, ullo modo vinum gustent. » Nimirum verissimum est illud Heraclidi adagium : « Anima sicca sapientissima. » Quod pulchre explicat et demonstrat Galenus in libro cui titulus est : *Quod corporis temperies respondeant mores animi*. Et Clemens Alexandrinus, lib. II *Pædag.* : « Jubar est, ait, anima sicca sapientissimum et perspicax, neque madescit vini halitu in modum nebulæ crassescens. » Idem lib. VII *Stromat.* : « Vinum, inquit, et carnium sagina, robur quidem adducunt corpori, sed animum reddunt languidum. » Nam, ut ait S. Ephrem, tract. *De Timore Dei*, initio tomi III : « Qui corporis sui carnes delicate nutrit, concupiscentias malas pascit. »

Anima sicca sapientissima.

Sed implemini Spiritu Sancto, — *q. d.* Studete non ut vino, sed ut gratia Spiritus Sancti implearnini. Modum et viam subdit dicens :

Vers. 19.

19. Loquentes vobismetipsis (scilicet dum in unum convenitis, sive in templum ad orandum et agapen, sive in domum ad mensam et cibum) in psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino. — S. Hieronymus ita hymnos a psalmis et canticis distinguit : « Hymni, ait, sunt qui Dei fortitudinem et majestatem prædicant, et ejusdem semper, vel beneficia, vel facta mirantur : quod omnes psalmi continent, quibus Alleluia vel præpositum, vel subjectum est. Psalmi autem proprie ad ethicum locum pertinent, ut per organum corporis quid faciendum, et quid vitandum sit noverimus. Qui vero de superioribus disputat, et concentum mundi, omniumque creaturarum ordinem atque concordiam subtilis disputator edisserit, iste spiritale canticum canit. » Rursum, in officio Ecclesiastico facile jam est distinguere hymnos a psalmis et canticis.

Qui differunt psalmus, hymnus et canticum?

Nota *primo* : Docet hic Apostolus, qualis debeat esse Christianorum agape, mensa et convivia, scilicet non ut carnibus et vino corpus et mentem obruant; sed ut spiritu et spiritualibus sanctisque colloquiis et hymnis, præsertim de Christo Christique beneficiis, invicem se oblectent, pascant, impleant, sicque studeant ebrietati, non corporali, sed spirituli. Rursum, ut cantionibus non lascivis, sed piis et sacris se recreent, et Deum laudent. Solet enim in conviviis animus excitari, hilarescere, et in lepores cantusque resolvi. Hinc Zeno rogatus, cur, cum natura esset servus, et secta Stoicus, in convivio tamen hilaresceret? respondit : Et lupinum, cum sit suapte natura amarum, tamen aqua maceratum dulcescit : ita naturale est, cibo potuque rigato corpore, discuti tristitiam. Testis est Laertius, lib. VII, cap. I.

Oratio fabularum Christianorum agapæ et conviviis?

Unde nota *secundo*, Hebræos antiquissimos in conviviis ad communem recreationem solitos adhibere musicam. « Vinum, inquit Ecclesiasticus, cap. XL, vers. 20, et musica (ecce musicam cum vino, scilicet in conviviis et symposiis, conjungit) lætificant cor, et super utraque dilectio sapientiæ. » Et cap. XLIX, vers. 2 : « In omni ore quasi mel indulcabitur ejus (Josiæ) memoria, et ut musica in convivio vini. » Idem vero pulchrius, cap. XXXII, vers. 7 : « Gemmula carbunculi in ornamento auri, et comparatio (id est compositio et concentus : hoc enim est Græcum σύγκρμα) musicorum in convivio vini. Sicut in fabricatione auri signum est smaragdi, sic numerus (id est numerosa melodia musicorum) in jucundo et moderato vino, » *q. d.* Sicut annulum aureum ornat pala et carbunculo, vel signum, græce σφραγὶς, id est *sigillum*, ex smaragdo : ita convivium ornat musica. Idem testatur David, *Psal.* LXVIII, vers. 13 : « Adversum me loquebantur qui sedebant in porta (id est judices et seniores populi, qui in portis publica judicia exercendi causa sedere solebant), et in me psallebant qui bibebant vinum, » *q. d.* Passim in suis symposiis perstringebant me suis contumeliosis canticis. Clarius vero id docet Isaias, cap. V, vers. 12 : « Cithara et lyra, et tympanum, et tibia, et vinum in conviviis vestris. » Quem morem suæ gentis secutus Christus post ultimum cœnam paschalem procedens ad passionem in montem Olivarum, hymnum cum Apostolis Deo cecinit, *Marc.* cap. XIV, vers. 26.

Musica antiquitus ab Hebræis in convivia adhibita fuit.

Inde *tertio*, Christum imitantes Apostoli, ut patet ex hoc loco Pauli, et primi Christiani in suis agapis et conviviis musicam et cantica adhibebant, non lasciva, nec profana, sed sacra, scilicet hymnos in laudem Dei. Testis est Cyprianus, epist. *ad Donatum* : « Et quoniam, inquit, nunc feriata quies, ac tempus est otiosum, quidquid inclinante jam sole in vesperam dici superest, ducamus hunc diem lœti, nec sit vel hora conviviis gratiæ [illegible] immunis : sonet psalmos convi-

Apostoli et primi Christiani in agapis et conviviis musica usi.

vium sobrium, ut tibi tenax memoria est, vox rauca, aggredere hoc munus ex more; magis charissimos pasces, si sit nobis spiritualis auditio. Prolectet aures religiosa mulcedo. » Similia habet Philo de Essæis. Idem clarissime docet Tertullianus, cap. XXXIX *Apologet.* Audi eum, et nota qualia fuerint priscorum Christianorum convivia : « Non prius, ait, discumbitur, quam oratio ad Deum prægustetur. Editur quantum esurientes capiunt; bibitur quantum pudicis est utile : ita saturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum sibi esse. Ita fabulantur, ut qui sciant Dominum audire. Post aquam manualem et lumina, ut quisque de Scripturis sanctis, vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium Deo canere; hinc probatur quomodo biberit. Æque oratio convivium diruit : inde disceditur non in catervas cæsionum, neque in classes discursationum, nec in eruptiones lasciviarum; sed ad eamdem curam modestiæ et pudicitiæ, ut qui non tam cœnam cœnaverint, quam disciplinam. » Ita veteres. Quo jam abiimus, Christiani? Quantus jam mensarum, ferculorum, vinorum luxus? quanta multorum temulentia? quanta asotia? quam colloquia et cantica impura et lasciva? Si Cyprianus, si Essæi, si Tertullianus, si Paulus ad nos redirent, et Christianorum jam convivia spectarent, an non exclamarent : O domus antiqua, quam dispare domino dominaris! Hine sunt prisci illi Christiani, an umbræ Christianorum? hiscene Christus, an potius Bacchus dominatur? hinc Christiani sunt, an Antichristiani et Bacchiani? hinc deicolæ sunt, an ventricolæ, et Cereris Venerisque mancipia?

Hinc *quarto*, orta est laudatissima priscorum Christianorum consuetudo, ut in privatis canticis animi causa concini solitis non amatorias, sed pias et sacras cantiones Christo canerent. Ita S. Basilius, lib. *De Spiritu Sancto*, cap. VII et XXIX, tradit hymnum glorificationis sanctissimæ Trinitatis, id est, « Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, » a rusticis etiam cantari solitum. Clarius Hieronymus *ad Marcellam*, epist. 17 : « In Christi, inquit, villula tota rusticitas, et extra psalmos silentium est. Quocumque te verteris, arator stivam tenens Allelnia decantat, sudans messor psalmis se avocat, et curva attondens vitem falce vinitor aliquid Davidicum canit. Hæc sunt in provincia carmina; hæc, ut vulgo dicitur, amatoriæ cantiones, hic pastorum sibilus, hæc arma culturæ. » Id illis adeo curæ erat, ut a puero infantibus cum fari inciperent, primam vocem quam sonarent, Alleluia, id est laudate Deum, instillarent. Unde idem Hieronymus *ad Lætam* scribens, hæc ait : « Quis hoc crederet, ut Albini pontificis neptis de repromissione Martyris nasceretur, ut præsente et gaudente avo, parvulæ adhuc lingua balbutiens Christi Alleluia resonaret? » Et infra : « Cum avum viderit, in pectus ejus transiliat, de collo pendeat, nolenti Alleluia decantet. » Hunc morem revocans S. Chrysostomus, hom. *in Psalm.* XLI, quosvis, etiam agricolas, opifices, nautas, textores et textrices hortatur ad psalmos aliaque pia cantica concinenda. « Quoniam, inquit, hoc genus delectationis est animæ nostræ valde cognatum et familiare, ne dæmones lasciva et meretricia cantica introducentes, omnia evertant; psalmos Deus construxit, ut ex re simul caperetur voluptas et utilitas. » Et post multa de utilitate psallendi hæc addit : « Hæc dico, non ut vos tantum laudetis, sed ut filios et uxores doceatis talia cantare cantica, non solum in texendo, aliove opere faciendo, sed maxime in mensa. Quando enim diabolus ut plurimum insidiatur conviviis, cum et ebrietatis et ingluviei, risusque profusi, et remissi animi auxilio utitur, tunc maxime oportet, et ante mensam, et in mensa se munire psalmorum præsidio, et simul cum uxore ac liberis surgentes a convivio hymnos sacros Deo canere. »

Ritus frequenti orationis et Scripturarum collatione.

Scripturarum lectio moderatum otium vivificans.

Christianorum antiquo more fuit in privatis canticis animi causa non amatoria, sed pia concinere.

CANTANTES ET PSALLENTES IN CORDIBUS VESTRIS DOMINO, — *q. d.* Hæc cantica spiritalia, hi psalmi non ex solis labiis, sed ex imo corde prodeant. Hortatur ergo Christianos Apostolus ad lætitiam et exultationem spiritalem, ut semper lieti et exultantes in sua vocatione et christianismo jubilent, Deoque gratias agant, eique in lætitia et amore serviant, aliosque ad eamdem lætitiam, amorem et gratiarum actionem excitent. Hæc enim sunt indicia Spiritus Sancti cor inhabitantis, qui hunc spiritum gaudiis suis afflat. Beati qui illo fruuntur, illumque excitant et augent. Illis nihil difficile, nihil triste accidit, sed læto spiritu, alacri et magno omnia ardua et tristia superant et transcendunt. S. Augustinus hæc verba Apostoli per antitheses eleganti carmine expressit, cum ait :

Hortatio ad lætitiam et exultationem spiritualem.

Non vox, sed votum; non chordula musica, sed cor;
Non cantans, sed amans, cantat in aure Dei.

« Audiant, ait S. Hieronymus, illi quibus psallendi in ecclesia officium est, Deo non voce, sed corde cantandum; nec in tragœdorum modum guttur et fauces dulci medicamine colliniendas, ut in ecclesia theatrales moduli audiantur et cantica, sed in timore, in opere, in scientia Scripturarum. »

Mira de Ballehuia.

20. GRATIAS AGENTES SEMPER PRO OMNIBUS, — Vers. 20. gratiis, donis et beneficiis a Deo acceptis. « Quidquid sapientiæ, quidquid te virtutis habere confidis, Dei virtuti et Dei sapientiæ deputa Christo, ait S. Bernardus, serm. 13 *in Cant.* Vide de gratiarum actione ea quæ dixi I *Thessal.* V, 17. Pulchre quoque S. Hieronymus hic : « Christianorum, inquit, proprie virtus est, etiam in his quæ adversa putant, referre gratias creatori : nam in beneficiis Dei quæ nobis accidunt, gratulari, hoc et Gentilis facit et Judæus. Sed juxta apostolum hæc virtus est maxima, ut in ipsis periculis atque miseriis Deo gratiæ referantur, et semper dicamus

Ordo hymni Regina cœli.

Etiam in adversis agendæ Deo gratiæ.

Benedictus Deus; minora nescio sustinere quam mereor; hæc ad mea peccata parva sunt, nihil mihi dignum redditur. Hic animus Christiani est, hic crucem suam tollens sequitur Salvatorem, quem nec orbitas, nec damna debilitant, quem, ut Flaccus ait : Si fractus illabatur orbis, impavidum ferient ruinæ. »

IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI, — per nomen Jesu Christi, id est, per Christum, qui hæc dona, gratias et beneficia nobis promittit et obtinuit. Est metonymia. « Nomen » enim pro re nomine significata ponitur. Sic sæpe alibi jubemur invocare nomen Domini, id est, Dominum suo nomine significatum.

DEO ET PATRI. — Refert ad « gratias agentes. » Jubet enim ut gratias agamus « Deo et Patri, » id est, ut Syrus, Deo Patri. Dicit tamen « Deo et Patri, » ut duos titulos innuat quibus Deo ad gratiarum actionem obstricti sumus. *Primus* est, quod sit Deus noster, a quo corpus, animam, gratiam et bona omnia accepimus. *Secundus*, quod sit pater, qui paterno affectu nos quasi filios suos omnibus suis bonis pascit et inebriat.

Duo tituli quibus Deo gratias debemus.

Hinc est quod regius Psaltes toties omnes ad Dei laudem et gratiarum actionem invitat : hinc totics canit recinitque *Halleluia*, id est, laudate Deum. Est enim hoc cœleste Beatorum canticum et jubilum. Ita S. Joannes, *Apoc.* cap. XIX, vers. 1, 3, 4, 6, audivit viginti quatuor seniores omnesque Sanctos in cœlis identidem resonantes *Halleluia*. Hinc Ecclesia tempore paschali assidue jubilat *Halleluia*. Olim quoque, teste S. Hieronymo, virgines et monachi hac voce *Halleluia* noctu ad preces Deumque laudandum vocabantur in templum.

Franciscus Alvarez in Æthiopica legatione, cap. XLI, refert ad Torretanam ditionem cœnobium visi Religiosorum, *Halleluia* ab hoc eventu nuncupatum. Asceta vixerat in vicinia vigiliis, jejuniis et orationibus assidue vacans : is a beatis mentibus in cœlo audierat sæpius ingeminari *Halleluia* suavissimo concentu : eaque voce ad præfectum monasterii relata, illi auctor extitit monasterii tum inchoati hoc nomine appellandi, ut *Halleluia* diceretur.

Hæc vox *Halleluia* cœlitus quasi aspirata animavit olim Christi athletas ad martyria, acerbissimaque tormenta cum gaudio subeunda. Lege acta SS. Felicis, Fortunati et Achillei martyrum, 23 aprilis. Denique in publica et gravissima peste quæ Romæ contigit anno 591, cum S. Gregorius Pontifex ad eam sedandam publicam supplicationem instituisset, et B. Virginis imaginem cum litania circumtulisset angelo e cœlis illi accinente, *Regina cœli, lætare, Halleluia*, lues omnino sedata est : visusque est angelus alter gladium exertum in homines vibrans, eum in vaginam recondere : visus est, inquam, in mole Adriani, quæ exinde castellum S. Angeli est appellata, uti referunt Sigonius, lib. I *De Regno Italiæ*; S. Antoninus, IV *part.*, tom. XV, cap. XXIV, § 2; Petrus Canisius, lib. V *Marialis*, cap. XXII.

21. SUBJECTI INVICEM IN TIMORE CHRISTI. — Est nova ethica sententia. Apostolus enim, ut alias dixi, per sententias more veterum non connexas, sed disparatas, tradit præcepta de moribus et vita Christiana.

Nota : Sententia hæc indefinita accommodate ad personas singulas intelligi debet, scilicet, ut « subjecti sint ii non qui superiores, sed qui inferiores sunt, quorum est parere. Pari modo accipienda est vox *invicem*; non enim vult ut quisque vicissim alteri subjectus sit : sic enim parentes filiis, reges populo vicissim subjecti esse deberent. Sed *invicem*, id est, ut Syrus vertit, *alius alteri*; alius, puta inferior, subjectus sit alteri, scilicet Superiori. Nam, ut Hieronymus docet, Apostolus ponit hic generale principium politiæ Christianæ, puta obedientiam, scilicet ut subjecti sint et obediant singulis suis Superioribus; illudque in sequentibus per species et partes explicat, cum jubet mulieres viris, filios parentibus, servos dominis subjectos esse.

Superioribus religiose nos debemus, non timore pœnæ, sed amore Christi.

Nota : Quod addit, « in timore Christi, » significat subjectos nos Superioribus nostris esse debere, non ex timore pœnæ vel hominum, sed ex timore Christi : quia scilicet Christum revereamur, eumque timemus offendere, *q. d.* Ex timore filiali, id est ex amore Christi, obedite Superioribus vestris, qui vicarii sunt Christi : ut, cum eis paretis, in Christum conjiciatis oculos vestros, et putetis vos Christo parere; cum eos auditis, videtis, putetis vos Christum audire, videre; sicque opus præceptum faciatis, non quia hic homo illud præcepit, sed quia Christus per hunc hominem quasi vicarium suum loquens et mandans illud præcepit. Ita fiet, ut non tam reverentiam et obedientiam homini, qui Superior est, quam Christo in homine qui Superior est, exhibeatis.

Vers. 22. Mulier quare subjecta sit viro.

22. MULIERES VIRIS SUIS SUBDITÆ SINT SICUT DOMINO, — id est, ut aliqui exponunt, mulieres obediant viris quasi dominis suis. Sic enim Sara Abrahamum maritum dominum vocat, *Genes.* XVIII, 12 : « Dominus, inquit, meus (maritus meus Abraham) vetulus est. » Sed sic dicendum fuisset : Sicut dominis; jam autem dicit Apostolus : « Sicut Domino. » Adde, in Græco esse articulum demonstrativum τῷ κυρίῳ, quasi communem omnium Dominum nostrum, ut vertit Syrus, demonstret. « Sicut Domino » ergo, id est, sicut Christo. Ita Græci. Explicat enim quod vers. præcedent. dixit : « Subjecti invicem in timore Christi. » Scilicet, ut propter Christum Christique timorem, reverentiam et amorem mulieres subjectæ sint viris, quasi Christo ipsimet, cujus locum et personam viri repræsentant.

Ita et Aristoteles, lib. I (*Œconom.*, cap. IV, et lib. II, cap. I, II et III, uxori et matrifamilias hæc dat præcepta.

Primo, « Mulier suum arbitrium omnino exuere debet, ut marito obtemperet; sitque maritus pro corde, oculis et lingua : arridenti ridenti, compatiatur tristi, non adulatoris modo vel chamæleontis, sed ut socia et dimidiatum corpus ejus, et cum eo unus spiritus. »

Secundo, « Mulier nunquam sit otiosa ab opere, nec digiti a colo, aut penso telave sint, neve otiosam patiatur ancillarum filiarumque cohortem; id enim ad augendam rem familiarem pertinet, et animum ab adulteriis et veneris retrahit; quæ sese otiosis insinuant facile. »

Tertio, « Nullum permittat domum ingredi sine præcepto viri. Non pandat secreta domus. »

Quarto, « Filios illisque instituat, nec vagari permittat, longiusque a suo latere discedere : verba omnia impudica et cantiones illis prohibeat, nec præcinat. »

Quinto, « Reipublicæ negotiis non se immiscent. »

Sexto, « Non sit litigiosa cum domesticis, vel vicinis; non curiosa, non maledica, non pervicax marito; non vino, nec gulæ dedita, non sordida, non nimium compta : pulchrum enim tunc cæteris spectaculum, miserum marito est. »

Uxor ergo viro non sit obstrepera, sed subdita et consona ut Echo, ut eam hoc illius enigma ornet :

Virgo modesta nimis, legem bene servo mariti,
Ora procax non sum, nec sum temeraria lingua;
Utere nota loqui, sed do responsa loquenti.

Vers. 23. 23. IPSE (Christus) SALVATOR CORPORIS EJUS. — Nota *ejus*, id est sui. Est Hebraismus : Hebræi enim idem habent pronomen absolutum et reciprocum. Græca et Syrus non habent *ejus*, sed tantum *corporis*. Christi enim corpus, id est Ecclesia, antonomastice dicitur *corpus*, q. d. Christus dat salutem corpori suo, id est Ecclesiæ, sicut caput quod omnes sensus continet, salutem dat corpori, in illud influendo et dirigendo per visum, phantasiam et rationem. Ita Theophylactus.

Christus instar capitis influit salutem in Ecclesiam.

Vers. 25 et 26. 25 et 26. CHRISTUS DILEXIT ECCLESIAM, ET SEIPSUM TRADIDIT PRO EA, UT ILLAM SANCTIFICARET, MUNDANS (eam) LAVACRO AQUÆ (sacramento Baptismi, quo corpus per aquam, anima per gratiam Spiritus Sancti abluitur) IN VERBO VITÆ, — id est per sacram et vivificam verborum baptismi formam, non deprecatorium aut concionatoriam, sed consecratorium et sacramentalem; scilicet hanc : Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, quæ qua instrumentum Dei, animam sanctificat et vivificat. Ita Chrysostomus, Theodoretus, Ambrosius, Anselmus, D. Thomas.

Forma verborum baptismi non deprecatoria, sed consecratoria et sacramentalis.

Veterum Evangelia in nullam non confert vitam.

Quare perperam Beza, Vatablus et Novantes accipiunt verbum Evangelii, quod promittit gratuitam justificationem, et vitam spiritalem per Christum, et, si ei credas, inquiunt, illam hoc ipso tibi conferet. Nam Apostolus hic lavacro aquæ et verbo vitæ, id est, materiæ et formæ baptismi, tribuit quod sanctificet et mundet Ecclesiam, id est ex immunda et peccatrice faciat mundam et sanctam : atqui lavacrum aquæ, ipsaque ablutio baptismi non sanctificat nec mundat Ecclesiam illi concionando, et in concione sua promittendo sanctitatem et munditiem, sed re ipsa ex opere operato sanctitatem et munditiem Ecclesiæ conferendo : ergo nec verbum vitæ sive forma baptismi sanctificat et mundat concionando, sed re ipsa ex opere operato sanctitatem et munditiem conferendo. Æque enim et pari modo tribuit Apostolus sanctificationem hanc verbo vitæ atque lavacro aquæ.

Ut volunt Novatores.

Secundo, juxta Novantes, fides sola est quæ justificat; baptismus autem nihil justitiæ operatur, sed tantum signum est justitiæ per fidem acceptæ, eamque obsignat quasi sigillum; atqui si ante baptismum per fidem Ecclesia est sanctificata et justificata : ergo falsum est quod baptismus eam sanctificet et mundet : quod tamen hic ait Apostolus.

Baptismus non est tantum signum justitiæ, contra Novatores.

Tertio, « verbum vitæ, » seu forma baptismi non est alia (ut patet tam *Matth.* XXVIII, 19, tum traditione et praxi totius Ecclesiæ) quam hæc : « Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti; » atqui hæc verba non sunt concionatoria : sic enim dicendum esset : Hortor te ut baptizari velis, ut velis credere in Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum; sed practica sunt, et operatoria : significant enim, Ego te in corpore aqua, et per hoc in anima baptizo et abluo a peccatis : si hoc significant, ergo idem faciunt et præstant; alioqui enim verba hæc falsa essent, et forma baptismi esset mendax.

Forma baptismi, ejusque significatio et vis.

Quarto, in parvulis id est clarissimum. Illi enim non verbo Evangelii et concionis, utpote quod non intelligunt, sed forma baptismi consecratoria justificantur.

Dices : S. Hieronymus hic per *verbum* accipit verbum doctrinæ. Respondeo hunc sensum esse tropologicum, ut ipse Hieronymus fatetur.

Solvitur objectio.

Dices *secundo* : S. Augustinus, tract. 80 *in Joan.* : « Accedit, ait, verbum ad elementum, et fit Sacramentum : unde est ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, et cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur? » ergo intelligit in Sacramentis esse verbum concionatorium quod fidem excitat, et fide creditur.

Respondeo : Hic locus est pro nobis. Non enim dicit Augustinus : Accedit verbum ad elementum, et fit concio; sed, « fit Sacramentum, » id est sacrum signum, significans et efficiens id quod significat, v. g. ablutionem animæ in baptismo. Hoc enim clare significant verba illa : « Unde est ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, et cor abluat, nisi faciente verbo? Nec enim verbum concionatorium, sed sacramentale facit ut aqua baptismi cor, id est animam, abluat. Quod ergo addit Augustinus : « Non quia dicitur, sed quia creditur, » tantumdem est ac si dicat : Verbum accedens ad elementum, id est Sacramentum, v. g. Baptismi, operatur et abluit animam, « non quia dicitur, » id est, non quia pronuntiatur, non propter externum verborum sonum, uti faciunt et operantur carmina magica; « sed quia creditur, » id est, propter verborum sensum et significationem energicam, efficacem et operativam, quæ oculis non cernitur, sed fide ab Ecclesia et Christianis creditur et comprehenditur.

Per maculas et rugas intelligitur peccatis esse obnoxia.

Verbum vitæ quale?

Nota : « in verbo vitæ, » id est in verbo vitali, vivifico, quod vitam, id est spiritum et gratiam, animæ confert. Vocem *vitæ* non habent jam Græca et Græci, nec Hieronymus, nec Ambrosius.

Vir Christo, uxor Ecclesiæ comparantur.

Vers. 27. 27. UT EXHIBERET (græce παραστήσῃ, id est, ut Syrus, statueret, excitaret, sisteret, et sistendo quasi sponsam copularet et adjungeret) IPSE SIBI (non tantum mundam et purum, sed et) GLORIOSAM (græce ἔνδοξον, multo decore et gloria illustrem) ECCLESIAM, NON HABENTEM MACULAM (peccati), AUT RUGAM (vetustatis), AUT ALIQUID HUJUSMODI, SED UT SIT SANCTA ET IMMACULATA, — q. d. Christus Ecclesiam, id est fideles suo spiritu et gratia renovavit, sanctificavit, illustravit, abstulitque ab eis maculas peccatorum et rugas vetustatis.

Quomodo Ecclesia dicatur sancta et sine ruga?

Dices : Si in Ecclesia non est macula nec ruga, sed Ecclesia tota est sancta, ergo soli sancti et justi sunt in Ecclesia; injusti vero, licet fideles sint et Christo credant, ab ea excludantur.

Respondeo, Ecclesiam dici « sanctam, » sine macula et ruga, non quod omnes qui in ea sunt, tales sint; sed quod præcipua Ecclesiæ pars, quæ Christo proxime adhæret, scilicet Sancti, qui non tantum fide, sed et gratia ac charitate Christi sunt præditi, tales sint.

Cur vir debeant diligere uxores suas?

Tota ergo Ecclesia dicitur « sancta, » primo, quia caput Ecclesiæ, scilicet Christus, et præcipua ejus membra sancta sunt. Hinc aliquando soli Sancti vocantur corpus Christi (quod est Ecclesia), intelligo perfectissimum et potissimum, ut dixi cap. præced., vers. 16. Sicut ergo totus homo dicitur ratiocinari, videre, audire, scilicet per caput, quia non pes aut manus, sed solum caput propria ratiocinatur, videt, audit : ita Ecclesia tota dicitur sancta per suum caput et collum, id est per Christum et Sanctos, qui ei proxime adhærent quasi collum suo capiti. Sic dicitur de Antuerpia, quod sit dives, scilicet propter mercatores qui in ea sunt dives, cum alioqui multi alii in ea sint pauperes. Sic dicitur docta Universitas Lovaniensis, quia Doctores habet egregie doctos, etiamsi in ea multi alii sint non ita docti.

Secundo, dicitur Ecclesia « sancta, » quia sancta habet Sacramenta, sanctas leges, sanctum sanguinem Christi; et Christus, quantum est ex parte sua, eam plane sanctificavit, quia omnia sanctitatis media illi dedit.

Nota : Per *maculam* et *rugam* alludit ad maritos, qui curant tales vel ducere, vel facere suas uxores, ut omni macula et ruga careant : per *maculam* autem et *rugam* Apostolus hic intelligit peccata, non levia et venialia (hæc enim sunt in Ecclesia et Sanctis in hac vita), sed mortifera. Adde, sicut Ecclesia, ita et Ecclesiæ puritas et sanctitas inchoatur in hac vita, sed perficietur in cœlo. Unde S. Augustinus, lib. II *Retract.*, cap. VIII, docet Ecclesiam esse sine omni macula et ruga, non quod talis sit in hac vita, sed quod talis futura sit in cœlo.

Nota *secundo* : Comparat Apostolus virum Christo, uxorem Ecclesiæ, docetque amorem et reliqua quæ Christus Ecclesiæ præstitit, debere maritum præstare uxori suæ; ac consequenter, sicut Christus Ecclesiam emundavit et sanctificavit, ita debere maritos sua sancta conversatione uxores ab omni levitate, dicacitate, superbia aliisque feminarum vitiis emundare, ut fiant totæ sanctæ, non habentes maculam et rugam. Unde subdit Apostolus : « Ita (scilicet uti Christus dilexit Ecclesiam, quemadmodum jam dixi) et viri debent diligere uxores suas. »

28. VIRI DEBENT DILIGERE UXORES SUAS UT CORPORA SUA. — Secunda ratio, qua maritos excitat ad dilectionem uxorum. Quisque, inquit, non odit, sed diligit, nutrit et fovet corpus et carnem suam, adeoque seipsum; atqui mulier est quasi caro et corpus viri; scriptum est enim *Genes.* II, 24 : « Erunt duo in carne una, » id est duo, scilicet maritus et uxor, erunt una caro, id est unus homo, et una persona civilis, ut dixi I *Cor.* VI. Ergo vir diligere, nutrire et fovere debet uxorem suam, « sicut Christus » diligit, nutrit et fovet sua gratia et Sacramentis, præsertim Eucharistiæ, « Ecclesiam suam, » quasi carnem et corpus suum.

Vers. 29. 29. NEMO ENIM UNQUAM CARNEM SUAM ODIO HABUIT. — Uxor autem est caro viri, sicut Ecclesia est caro et corpus Christi. Scriptum est enim : « Erunt duo in carne una. » Prudenter S. Bernardus in Psal. *Qui habitat*, serm. 10 : « Cæterum, inquit, sic amet anima carnem, ut non ipsa in carnem transisse putetur, dicaturque ei a Domino : Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est. Diligat anima carnem suam, sed multo magis suam ipsius animam servet : amet Adam Evam suam, sed non sic amet, ut voci ejus plus obsidiat quam divinæ. Denique ne ipsi quidem expedit sic amari, ut videlicet cui interim caves a flagello paternæ correptionis, thesaurizes iram æternæ damnationis. »

30. QUIA MEMBRA SUMUS CORPORIS EJUS, DE CARNE EJUS, ET DE OSSIBUS EJUS. — Hic probat Ecclesiam, id est nos fideles, esse corpus, vel de corpore Christi, et pari modo uxorem esse corpus, vel de corpore viri : quia sicut mulier, puta Eva, formata est de carne et ossibus Adæ, ita Ecclesia formata est de carne et ossibus Christi; ac consequenter est quasi caro, ossa et membra Christi. Unde infert : Sicut Christus diligit Ecclesiam suam, quasi sua ossa, carnem et membra, ita

viros debere diligere et fovere uxores suas quasi sua ossa, carnem et membra.

Hebraice mulier vocatur *Issa*, ab *is*, quasi vira vire.

Nota : Alludit Apostolus, imo citat verba illa Adæ de Eva ex suo latere et costa formata, *Genes.* cap. II : « Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea; hæc vocabitur virago, » hebraice ab אִישׁ *issa* *is*, *q. d. Vira*, ut olim veteres Latini dixerunt, teste Festo Pompeio : *vira* inquam a viro, uti græce Symmachus vertit ἀνδρὶς ἐκ τοῦ ἀνδρὸς, *quia de viro sumpta est*. Quæ verba in sensu allegorico hic explicat Apostolus de Christo et Ecclesia, quasi Christus de Ecclesia ex se formata dixerit : « Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea. »

Allegorice accipienda esse, uti verba sonant. Ita Patres et Interpretes passim.

Quæritur hic *primo*, de sensu litterali quomodo intelligenda sint ea quæ *Genes.* II narrantur de hac formatione Evæ ex Adamo, hisce verbis : « Immisit, inquit, Dominus soporem in Adam, cumque obdormisset, tulit unam de costis ejus, et replevit carnem pro ea; et ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem, et adduxit eam ad Adam, dixitque Adam : Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea, » etc.

Respondeo *primo*, non parabolice aut metaphorice, ut volunt Origenes et Cajetanus, hæc dici, sed proprie accipienda esse, uti verba sonant. Ita Patres et Interpretes passim.

Quæ narrantur *Genesi* II de formatione ex costa Adam, esse sunt parabolice intelligenda.

Dices, ergo Adam monstrosus erat ante costam sublatam, vel certe post eam sublatam remansit mancus, et una costa mutilus.

Respondet Catharinus, Deum cum carne aliam costam Adamo restituisse. *Secundo*, et melius, D. Thomas, I *part., Quæst.* XCII, art. 3, respondet illam costam fuisse instar seminis quod individuo superfluum est, sed ad generationem prolis est necessarium. Sic et costa hæc Adæ ut privatæ personæ superflua erat; illi tamen fuit necessaria, quatenus ipse erat caput naturæ, et omnium hominum seminarium, ex quo tam Eva quam cæteri homines producerentur.

Secundo Deus ex costa fecerit ma. lierem, et quid loco costæ Adamo restituerit?

Dico *secundo* : Deus cum costa videtur et carnem adhærentem costæ ex Adamo sustulisse : ait enim hic vers. 23 : « Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea. » Ergo Eva non tantum ex osse et costa, sed etiam ex carne Adæ costæ adhærente formata est.

Dico *tertio* : Ex costa hac carnosa, quasi fundamento, illi admiscendo aliam materiam, vel per creationem, ut vult D. Thomas supra, vel potius ex aere circumstante (eo quod post primam veram creationem nullam materiæ partem de novo produxerit Deus) mirabili artificio mulierem efformavit.

Dico *quarto* : Ex vers. 22, cap. II *Genes.*, videtur Deus costam hanc in alium locum ab Adamo dormiente parum separatum tulisse, ibique ex ea Evam ædificasse, eamque scientia et gratia replevisse, sicut repleverat Adamum, ibique cum Eva collocutus esse. Deinde expergefacto Adamo Evam ad eum quasi ad sponsum adduxit, ut matrimonio indissolubili illos, id est unum et unam, copularet. Unde admirans Adam, quasi in raptu costam sibi auferri, et ex ea Evam formari vidisset, ait : « Hoc nunc os ex ossibus, » etc., id est, hæc Eva facta est ex uno ossium meorum. Denique cur ex costa et latere Adæ facta sit Eva, pulchras rationes dat S. Thomas supra, art. 2 et 3.

Nota : Hæc formatio Evæ ex Adamo allegorice significabat formationem Ecclesiæ ex Christo, ut hic satis significat Apostolus. Unde

Allegorice sensu formationis Evæ ex costa.

Quæritur *secundo*, quomodo verum sit, Ecclesiam, id est, nos fideles formatos esse de carne et ossibus Christi? Respondet *primo*, S. Hieronymus et Irenæus, lib. V, cap. II, id verum esse, quia summus ejusdem cum Christo naturæ, quia similem cum Christo humanam carnem et ossa habemus. Hic sensus non plane satisfacit. Sic enim pari modo dicere possemus, nos formatos esse et carne et ossibus Mosis, Jeremiæ, Pharaonis et cujusvis alterius hominis, quia eamdem cum ipso humanam carnem et ossa habemus, quod tamen nemo concesserit.

Secundo, alii sic exponunt, *q. d.* « de carne, » id est de infirmitate et passionibus; « de ossibus, » id est de divinitate Christi per gratiæ communicationem participamus. Sed hoc mysticum est.

Ex carne et ossibus Christi in cruce immolati et dormientis formata est Ecclesia.

Dico ego *tertio*, cum Cajetano et aliis : Sicut ex latere et costa Adæ dormientis formata est Eva, ita ex carne et ossibus Christi in cruce immolati et dormientis, id est morientis, formata est Ecclesia. Quod intellige cum Cyrillo et Chrysostomo symbolice et meritorie, quia scilicet per pretium et meritum carnis, sanguinis et ossium Christi immolatorum in cruce instituta et sanctificata est Ecclesia.

Unde in hujus rei symbolum et significationem de latere Christi mortui fluxit sanguis et aqua : ut aqua significaret baptismum, qui est principium Ecclesiæ et Sacramentorum, a Christi sanguine et morte manare, suamque efficaciam trahere; sanguis significaret Eucharistiam, quæ omnium sacramentorum complementum est et finis, pariter a Christi sanguine et morte manare. Sub quibus duobus cætera omnia sacramenta comprehenduntur : cætera enim omnia ad hæc duo referuntur, et hisce duobus quasi initio et fine concluduntur. Hinc S. Augustinus, tract. 120 *in Joan.*, ait omnia sacramenta ex latere Christi emanasse : quod intelligo non de merito (erat enim Christus jam mortuus, qui nihil agere aut mereri poterat), sed mysterio, symbolo et significatione, ut dixi.

Sacramenta ex latere Christi manarunt.

Hinc *quarto*, Irenæus, lib. V, cap. II; Cyrillus, lib. X, in cap. XXIII *Joannis*; Chrysostomus, Theophylactus et Nyssenus exponunt de Eucharistia, per quam Christi carni et ossibus re ipsa conjungimur, et quasi incorporamur, ut fiamus de carne et ossibus Christi, Christique membra.

Per Eucharistiam Christo incorporamur.

Ubi nota verba Nysseni tractatu circa illa verba,

Exivit sanguis et aqua : « Paucæ, inquit, guttæ sanguinis Christi totum mundum restaurantes, fiunt hominibus quasi coagulum lactis, illos cogentes et conjungentes in unum. » Quia scilicet merito sanguinis Christi cogimur et conjungimur in unam Ecclesiam, quæ est corpus Christi, sicut lac per coagulum cogitur et conjungitur in unum caseum. *Secundo* et potius, quia per Eucharistiam omnes realiter conjungimur in ipsissimo Christi corpore quod manducamus. Hic sensus symbolicus est : Eucharistia enim proprie est cibus Ecclesiæ, non mater; unde Ecclesiam et fideles non format aut generat, sed pascit et nutrit. Tertius ergo sensus litteralis est et genuinus.

31. PROPTER HOC RELINQUET HOMO PATREM ET MATREM SUAM, ET ADHÆREBIT UXORI SUÆ; ET ERUNT DUO IN CARNE UNA. — Pergit Apostolus citare verba Adæ de Eva, *Genes.* II, sed in sensu litterali. Ab allegorico enim sensu sententiæ præcedentis, « Hoc nunc os ex ossibus meis, » etc., ut ibi dixi, redit hic et resilit ad sensum litteralem, ut probet viros debere diligere uxores suas, sicut Christus dilexit Ecclesiam : Quia, inquit, uxor est quasi os, caro et membrum viri, utpote ex eo formata. Unde subdit : « Propter hoc, » quod scilicet mulier sit caro de carne viri, et os de ossibus ejus producta et creata, ut ei matrimonii vinculo associetur, « relinquet homo patrem et matrem suam, et adhærebit (græce προσκολληθήσεται, id est *agglutinabitur*) uxori suæ, et erunt duo in carne una. » Quibus verbis clare significat, inter humanas necessitudines arctissimum et inviolabile esse vinculum matrimonii : ideoque Deum ex Adami costa fecisse Evam, ut significaret maritum et uxorem non tam duos quam unum esse hominem (hoc enim significat : « Erunt duo in carne una, » ut dixi I *Cor.* VI), ac consequenter eos debere esse unum amore et voluntate, adeoque, si sit opus, conjugem conjugis causa debere patrem et matrem deserere, ut conjugi suæ adhæreat. Moraliter vide Chrysostomum, qui hic in morali *hom.* 20, pulchras leges nuptis sponso et sponsæ præscribit.

Inter humanas necessitudines arctissimum est vinculum matrimonii.

Allegorice : « Primus vates Adam, inquit Hieronymus, de Christo hoc prophetavit, quod scilicet Christus reliquerit patrem suum Deum, et matrem suam cœlestem Jerusalem, et venerit ad terras propter suum corpus (Ecclesiam), et de suo eam latere fabricatus sit, et propter illam Verbum caro factum sit. »

Vers. 32. Loquitur hic Apostolus de Sacramento matrimonii, licet costa sentiant Calvinus et Beza.

32. SACRAMENTUM HOC MAGNUM EST, EGO AUTEM DICO IN CHRISTO, ET IN ECCLESIA. — Quæres, quodnam sit hoc *Sacramentum*, seu quid demonstret pronomen *hoc*. *Primo*, Lutherus, Calvinus, Erasmus et Beza volunt demonstrare matrimonium et conjunctionem non Adami et Evæ, sed Christi et Ecclesiæ, quasi dicant : Conjunctio Christi et Ecclesiæ est « magnum Sacramentum, » id est magnum et sacrum arcanum, et, ut græce est, mysterium. Verum expositioni huic omnino obstat pronomen *hoc*, quod demonstrat id quod præcessit, scilicet matrimonium Adami et Evæ illis verbis Geneseos explicatum : « Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una, » *q. d.* Hoc quod vir adhæreat uxori, sintque vir et uxor duo in carne una, hoc, inquam, Sacramentum magnum est. Ita Chrysostomus, Hieronymus, Theophylactus, Œcumenius, et passim Patres, qui *Sacramentum* hic accipiunt, non pro ipsa re sacra significata, sed pro signo rei sacræ, quod scilicet significat conjunctionem Christi et Ecclesiæ; hoc enim est quod addit Apostolus : « Ego autem dico in Christo et in Ecclesia, » *q. d.* Hoc Sacramentum magnum est, non in se, uti Sacramentum est et signum; sed in suo signato, scilicet Christo et Ecclesia : quatenus enim significat unionem illam magnam et admirabilem Christi et Ecclesiæ, eatenus magnum est Sacramentum, magnum, inquam, sua significatione et repræsentatione rei magnæ.

Matrimonium quomodo magnum Sacramentum?

Præmissa Adæ demonstrat matrimonium in genere et gratiæ.

Secundo, Magister sententiarum in IV, dist. XXVI, et ibi Dominicus Soto, et passim alii (favetque D. Thomas et Ambrosius, imo Concilium Florentinum in *Instructione Armenorum*) docent pronomen *hoc* demonstrare matrimonium de quo præcessit, non Adæ, aut alicujus in particulari, sed in genere quolibet, modo sit legis novæ. Apostolus enim loquitur Ephesiis Christianis, et per eos omnibus conjugibus legis novæ, *q. d.* Matrimonium jam in Christi Ecclesia magnum est Sacramentum, quia perfectissime significat unionem Christi et Ecclesiæ jam factam, adeoque est unum e septem Ecclesiæ Sacramentis proprie dictis. Unde illud, « in Christo et in Ecclesia, » sic accipi potest, *q. d.* In Christianismo et Ecclesia Christiana magnum est matrimonii Sacramentum.

Verum huic expositioni obstare videtur illud idem quod priori sententiæ obstare dixi. Nam pronomen *hoc* respicit et demonstrat id quod immediate præcessit, scilicet : « Relinquet homo patrem et matrem suam, et adhærebit uxori suæ; » quæ sunt verba Adæ, Gen. II. Adam autem loquebatur non de matrimonio post tot sæcula futuro in lege nova, sed de matrimonio quod tunc erat, quodque tunc ipse contrahebat cum Eva. Pronomen ergo *hoc* demonstrat conjunctionem illam Adæ et Evæ, sive primam matrimonii institutionem, non autem Sacramentum matrimonii in lege nova.

Dico ergo *tertio* : Pronomen *hoc* primo et proprie demonstrat matrimonium Adami et Evæ, vel potius matrimonii in connubio Adami et Evæ institutionem; et sensus est, *q. d.* Hæc prima matrimonii in Adamo et Eva institutio, omneque deinceps matrimonium, magnum est Sacramentum, id est, ut Græca, mysterium (et, ut Syrus, arcanum), allegoria, typus rei sacræ, scilicet conjunctionis Christi et Ecclesiæ, qui quasi reliquit Deum patrem et matrem Synagogam, ut Ecclesiæ suæ sponsæ adhæreret; et vice versa Ecclesia

reliquit patrem quem habuerat in gentilismo, scilicet Abolum, et matrem, scilicet ecclesiam infidelium, ut Christo suo sponso adhæreret. Ita Hieronymus, Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Anselmus, D. Thomas hic, et Augustinus *in Psal.* CXXXVIII.

Dico *quarto* : Cum pronomen *hoc* demonstret matrimonii institutionem, sive matrimonium in genere, hinc secundario et consequenter demonstrat matrimonium legis novæ : hoc enim Christus revocavit ad primam matrimonii in Genesi institutionem, sustulitque polygamiam, et repudium lege veteri permissum; ita ut in lege nova quasi idem sit matrimonium cum eo quod fuit inter Adamum et Evam.

Probatur Apostolum loqui de matrimonio legis novæ contra Novatores.

Adde *secundo*, matrimonium legis novæ longe melius et perfectius quam matrimonium Adæ significare conjunctionem Christi et Ecclesiæ. Imo Novantes volunt pronomen hoc demonstrare matrimonium, non Adæ, sed Christi. Concedent ergo nobis pronomen *hoc* demonstrare potius matrimonium Christianorum, quam Adæ. De hoc enim Christianorum matrimonio verissime dicitur : « Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia. »

Denique Ephesiis Christianis hæc scribit Apostolus, et Christianos conjuges incitat ad mutuum amorem per hoc, quod matrimonium eorum sit Sacramentum Christi et Ecclesiæ : ergo designat et demonstrat non tantum Adæ, sed et ipsorum matrimonium. Ex hoc enim concludit, conjuges Christianos debere invicem diligere, eo modo, quo Christus dilexit Ecclesiam : quia mirum hanc Christi et Ecclesiæ dilectionem suo matrimonio analogice repræsentant.

Ex quibus omnibus concludo, sensum plenissimum fore, si utrique, id est tam secundus, quam tertius conjungantur, *q. d.* Apostolus : Matrimonium Adæ et aliorum ante Christum fuit Sacramentum, id est typus futuræ unionis Christi et Ecclesiæ; matrimonium vero fidelium legis novæ post Christum, qui moriens in cruce ex sepso formavit Ecclesiam sponsam suam, est Sacramentum, id est signum perfectissimum ejusdem unionis jam factæ, idcoque proprie dictum a Christo in Ecclesia Sacramentum est institutum, conferens conjugibus gratiam et mutuum hunc amorem, idque ut hic amor verus et perfectus, sit typus amoris Christi et Ecclesiæ. Unde ego Paulus vos Ephesios aliosque fideles conjuges hortor, ut hunc amorem excitetis et foveatis, ne Sacramentum hoc in vobis sit mendax et fallax, neve falso representetis hunc Christi et Ecclesiæ amorem et concordiam, ut, cum Christus cum Ecclesia optime et amantissime concordet, vos cum uxoribus vestris litigetis, rixemini, sitis discordes. Hunc esse sensum indicat Concilium Tridentinum, *sess.* XXIV, initio, Concilium Florentinum, loco citato, Augustinus mox citandus, et passim Catholici Doctores.

Objectiones contra matrimonii Sacramentum refutantur

Objicit Erasmus, in Græco non esse « Sacramentum, » sed « mysterium; » ergo de proprie dicto Sacramento intelligi nequit Apostolus. Respondeo, nego consequentiam : Græci enim Sacramenta vocant mysteria, ut mysteria corporis Christi vocant Sacramentum Eucharistiæ.

Objicit *secundo*, S. Augustinus, tract. 9 *in Joan.*, et lib. *De Nupt. et Concupiscent.*, cap. XXII, 25, magnitudinem hujus Sacramenti non esse nec spectari in singulis hominibus : sic enim minimum est hoc Sacramentum; sed in Christo et Ecclesia.

Magnitudo sacramenti matrimonii, in que præcipue consistat?

Respondeo : Vult dicere Augustinus magnitudinem hujus Sacramenti non tam spectandam esse in ipsa ratione Sacramenti ut signum est, quam in ipsa significatione Sacramenti, seu in ipso signato et significato, *q. d.* Non tam magnum est Sacramentum, quod duo conjuges fideles Sacramento matrimonii in unam carnem jungantur, quam magnum est Christum et Ecclesiam conjugio jungi, quod conjuges illo suo matrimonio repræsentant. Duo enim conjuges respectu Christi et Ecclesiæ minimi, et quasi nulli sunt. Non aliud velle Augustinum patet. Nam cap. X, lib. *De Nupt. et Concupiscent.*, docet Sacramentum nuptiarum fidelibus conjugatis commendari ab Apostolo in epistola ad Ephesios, hoc scilicet loco. In ipsis ergo nuptiis et matrimonio fidelium agnoscit esse hoc magnum Sacramentum, quod hic commendat Apostolus.

Ego autem dico, in Christo et in Ecclesia. — Supple, significanda et representanda per matrimonium, *q. d.* Sacramentum matrimonii magnum est, non quatenus est conjunctio duorum hominum conjugum; sed quatenus significat et representat Christum et Ecclesiam conjuges, eorumque conjugium spiritale. Unde per hebraismum brevius *secundo*, sic explices, « in Christo et in Ecclesia, » id est Christi et Ecclesiæ. *Bet* enim, id est *in*, Hebræis sæpe sumitur vice regiminis, id est genitivi, *in Christo*, id est Christi; *in Ecclesia*, id est Ecclesiæ, *q. d.* Hoc Sacramentum matrimonii magnum est, non ut est duorum conjugum, sed ut Christi et Ecclesiæ est Sacramentum, id est sacrum signum.

Quatenus Sacramentum matrimonii representat Christum et Ecclesiam, eatenus magnum est.

Potest *tertio*, clare cum Syro verti, *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico de Christo et Ecclesia* (Hebræis enim *bet*, id est *in*, subinde ponitur pro ל *min*, id est *de*); vel, ut græce est, εἰς Χριστὸν καὶ εἰς τὴν Ἐκκλησίαν, *in Christum et in Ecclesiam*, id est quatenus hoc Sacramentum matrimonii refertur ad Christum et Ecclesiam, eosque representat, eatenus magnum est Sacramentum. Noster tamen interpres etiam recte vertit, « in Christo et in Ecclesia, » quia Græcum εἰς sæpe pro ἐν capitur. Quod dupliciter capi potest : *Primo*, « in Christo et in Ecclesia, » scilicet significanda, ut jam explicui. *Secundo*, « in Christo et in Ecclesia, » id est in Christi Ecclesia (ut sit hendiadys); vel « in Christo, » id est in christianismo (juxta *Can.* 37), « et in Ecclesia, » scilicet Christi et Christiana,

magnum et proprie dictum est hoc matrimonii Sacramentum.

Loquitur hic primario Apostolus de unione hypostatica incarnati Verbi, secundario de mystica.

Nota : Cum Apostolus hic loquitur et ineuleat unionem Christi cum Ecclesia, primario loquitur et intelligit unionem propriam et realem, quæ facta est per incarnationem, qua Christus, id est Verbum divinum, naturam humanam, et consequenter homines hominumque Ecclesiam sibi univit et maritavit. Hæc enim arctissima est unio et unica cæterarum, hancque significavit matrimonium Adæ cum Eva. Secundario tamen loquitur et intelligit mysticam unionem, qua Christus per gratiam et charitatem copulatur Ecclesiæ. Ad hanc enim in præcedentibus conjuges Christianos Christi exemplo adhortatur.

Adamum primum vates qui prophetavit de Christo et cruce.

Notat hinc *secundo*, S. Hieronymus, et cum eo Augustinus, S. Leo, et alii Patres, Adamum fuisse primum vatem qui prophetavit de Christo, ejusque cruce, et Ecclesia ex latere Christi crucifixi formanda, hæcque omnia in sopore, vel ut Septuaginta vertunt, in exstasi (in qua Evam ex latere Adæ formavit Deus) Adamum cognovisse. Inde tamen non sequitur causam horum omnium, scilicet lapsum et peccatum suum, Adamo adhuc innocenti et sancto a Deo revelari debuisse, aut revelatum fuisse.

Vers. 33.

33. Verumtamen. — Ἤδη, quod male Erasmus vertit, *quamquam* : proprie enim significat verumtamen, enimvero, *q. d.* Itaque et vos, o conjuges Christiani, in quibus perfectissimum est hoc matrimonii Sacramentum, quique perfectissime vestro matrimonio representatis unionem Christi et Ecclesiæ jam factam, facite ut Sacramentum quod representatis et geritis, re ipsa præstetis et exprimatis, ut nimirum quisque maritus *diligat* uxorem quasi suam carnem, imo quasi seipsum, sicut Christus diligit Ecclesiam, et uxor quæque *timeat*, id est reveretur, ait Hieronymus, virum suum, sicut Ecclesia reveretur et colit Christum. Est enim hæc conclusio, ut fatetur etiam Beza, omnium officiorum viri et uxoris, qua uno verbo concludit et docet Apostolus, quid vir uxori, quid uxor viro debeat, eamque infert tum ex aliis antedictis, tum ex magno hoc matrimonii Sacramento, quod immediate ante inculcavit.

Quomodo uxor debeat colere et timere virum?

Nota : Viro quasi capiti competit amor; uxori quasi subditæ convenit timor et reverentia. Docentur ex hoc loco uxores, non procaciter et irrevercunde obloqui maritis, sed eos revereri, eosque cum reverentia alloqui : uti discipuli reverenter alloquuntur suos præceptores, sicut Sara reverita est maritum suum Abraham; discantque cum Sara maritos habere et vocare dominos suos. Gen. XVIII, vers. 12.

Loca moralia de amore et reverentia maritali.

Hujus amoris et reverentiæ maritalis illustre exemplum, inquit Plutarchus, dedit uxor Phocionis, quæ maritum suum, suas opes, mundum suum et thesaurum vocabat. Illustrior vero fuit uxor Tigranis, regis Armeniæ, quæ, ut refert Xenophon, cum ex aula Cyri, regis Persarum, ad maritum revertisset, ab eo interrogata quid de Cyro et Cyri pulchritudine sentiret, respondit : Abs te, inquit, o marite, deos testor, nusquam oculos deflexi, itaque qualis sit forma Cyri prorsus ignoro. Illustrissima vero fuit S. Monica de qua S. Augustinus, lib. IX *Confess.*, cap. IX : « Educata, inquit, pudice et sobrie, potiusque a te subdita parentibus, quam a parentibus tibi, o Domine (Deum enim alloquitur), ubi plenis annis nubilis facta est, tradita viro (Patricio infideli) servivit veluti domino, et sategit eum lucrari tibi, loquens te illi moribus suis, quibus eam pulchram faciebas, et reverenter amabilem atque mirabilem viro suo. »

Quid agendum cum uxore morosa?

Pulchre Sapiens de amore conjugum ita sancit *Proverb.* V, 19 : « Sit tibi uxor sicut cerva charissima, et gratissimus hinnulus. » Ubi nota, apte amorem conjugum comparari amori cervi et cervæ : nam, ut docent Aristoteles, Ælianus, Plinius et Oppianus, *primo*, cervi cervæque amor est singularis; *secundo*, cerva amabilis est et in deliciis homini; *tertio*, cervus et cerva carent felle : pari modo in connubiis olim Junoni pronubæ sacrificantes fel eximebant et abjiciebant, ad charitatem conjugum designandam, ait Plutarchus; *quarto*, cervus et cerva casta, nec nisi secreto congrediuntur; *quinto*, velocissimi sunt ad invicem opitulandum; *sexto*, cervorum in cervas amor uti ardentissimus, ita et fortissimus est. Unde de iis canit Seneca :

> Si conjugis timuere suo,
> Pascunt timidi prælia cervi,
> Et magita dant concepti
> Signa furoris.

Septimo, cervæ mari suo fidæ sunt, donec is ab alio cervo duellatore victus succumbat, unde Nemesianus : « Cerva marem sequitur. » *Octavo*, cervus mox a congressu in scrobem se abdit, quasi libidinis cum puleat, donec pluvia ablutus, et quasi purificatus in pascua redeat. *Nono*, cervus et cerva post conceptum congressu abstinent, *q. d.* Sapiens : Tale sit tibi, o homo, conjugium, talis uxor, qualem jam cervam descripsi, scilicet unica, amabilis, sincera, blanda, casta, collaborans, ardens, fortis, fida, verecunda. Ita Venerabilis Beda in *Prov.* V.

Sed quid si uxor male morata, austera et litigiosa sit? Vir sua prudentia, gravitate, patientia eam toleret, aut convertat; faciat illud Apostoli : « Alter alterius onera portate. » Sic Christus tulit onera et peccata Ecclesiæ sponsæ suæ, eamque suo sanguine expiavit. Habebat et Socrates rixosam uxorem Xantippem nomine, quæ semper jurgia excitabat, ut illo studente, mensam everteret. Aliquando post diuturna jurgia ira commota, quod ille taceret, aquæ pocalum capiti ejus illa superfudit. « Haud ignorabam, ait Socrates, post tonitrua pluviam secuturam. » Ad quem Alcibiades dum nobilis : « Quomodo, in-

quit, perfers hanc rixosam uxorem, nec domo ejicis? » ini Socrates : « Qui ovis vesci vult, glocitantium gallinarum strepitu offendi non debet. Equidem sic domi patientiam disco, ut foris molius exercere queam. » Ita Laertius in ejus Vita, et A. Gellius, lib. I, cap. XVII. Decet igitur quemque tolerare incommoda, et in Domino gaudere, quo fiet ut leviora reddantur. Nam, ut ait Virgilius,

Quisque suos patitur manes.

Varro quoque in satyra Menippea, quam de officio mariti scripsit : « Vitium, inquit, uxoris aut tollendum, aut ferendum est. Qui tollit vitium, uxorem commodiorem præstat; qui fert, sese meliorem facit. »

Quicumque ergo elegisti uxorem, et rixosam experiris, mulierem cogita, Xantippem cogita : tu Socrates esto, imo Christus esto, cogita te habere domesticum patientiæ exercitium, ut discas alia quævis facilius perferre et superare. Multi cruces foris quærunt, tu domi habes, illa te docebit patientiam : patientia autem opus perfectum habet, ut ait S. Jacobus.

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, jubet ut filii parentibus, servi dominis sincere et ex animo obediant, ac vicissim parentes filios, ac domini servis, non minaces, sed benevoli sint, debitamque curam præstent.

Secundo, vers. 11, ostendit quanta nobis sit lucta cum dæmonibus, atque contra eos arma et panoplian militis Christiani assignat : Balteus, inquit, sit veritas, lorica sit justitia, calceus sit præparatio Evangelii pacis, scutum sit fides, galea sit salus, sive spes salutis, gladius sit verbum Dei.

Tertio, vers. 18, ad assiduam orationem cohortatur, utque sibi libertatem et animos evangelizandi orando impetrent.

Denique, vers. 21, mittit Tychicum, qui Ephesiis nuntiet statum suorum vinculorum, eisque pacem et gratiam apprecatur.

1. Filii, obedite parentibus vestris in Domino : hoc enim justum est. 2. Honora patrem tuum, et matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione : 3. ut bene sit tibi, et sis longævus super terram. 4. Et vos, patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros : sed educate illos in disciplina et correptione Domini. 5. Servi, obedite dominis carnalibus cum timore et tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo : 6. non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, 7. cum bona voluntate servientes, sicut Domino, et non hominibus : 8. scientes quoniam unusquisque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino, sive servus, sive liber. 9. Et vos, domini, eadem facite illis, remittentes minas : scientes quia et illorum et vester Dominus est in cœlis, et personarum acceptio non est apud eum. 10. De cætero, fratres, confortamini in Domino, et in potentia virtutis ejus. 11. Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli. 12. Quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem : sed adversus principes, et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ, in cœlestibus. 13. Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare. 14. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, et induti loricam justitiæ, 15. et calceati pedes in præparatione Evangelii pacis : 16. in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere : 17. et galeam salutis assumite, et gladium spiritus (quod est verbum Dei), 18. per omnem orationem et obsecrationem orantes omni tempore in spiritu : et in ipso vigilantes in omni instantia et obsecratione pro omnibus sanctis, 19. et pro me, ut detur mihi sermo in apertione oris mei cum fiducia, notum facere mysterium Evangelii : 20. pro quo legatione fungor in catena, ita ut in ipso audeam, prout oportet me, loqui. 21. Ut autem et vos sciatis quæ circa me sunt, quid agam : omnia vobis

nota faciet Tychicus, charissimus frater, et fidelis minister in Domino : 22. quem misi ad vos in hoc ipsum, ut cognoscatis quæ circa nos sunt, et consoletur corda vestra. 23. Pax fratribus, et charitas cum fide a Deo Patre, et Domino Jesu Christo. 24. Gratia cum omnibus, qui diligunt Dominum nostrum Jesum Christum in incorruptione. Amen.

1. FILII, OBEDITE PARENTIBUS VESTRIS IN DOMINO. — S. Hieronymus : « *in Domino* ait referri posse *primo*, ad *parentibus*, *q. d.* Parentibus, qui vos in Domino, id est in Christo, genuerunt, puta Apostolis et similibus, obedite. *Secundo*, posse referri ad *obedite*, *q. d.* Obedite parentibus carnalibus, sed « in Domino, » id est, secundum Domini legem et præceptum, si videlicet præcipiant non impia et deformia, sed conformia legi, pietati et cultui Domini : tunc enim in Domino præcipiunt; alias non in Domino, sed contra Dominum in diabolo præcipiunt, ac consequenter tunc eis non est obediendum.

Rursum, « obedite in Domino, » id est, Domini amore et reverentia (vide *Can.* 23), qui dixit et præcepit : » Honora patrem et matrem, » voluitque in patre et matre nos considerare, colere et revereri Patrem cœlestem et æternum, cujus imaginem et personam nobis repræsentant pater et mater. Hic secundus sensus genuinus est : agit enim Apostolus de parentibus non spiritualibus, sed naturalibus, qui secundum carnem nos gignunt.

Ubi nota : Capite præced. generalem tulit legem et sententiam : « Subjecti, inquit, invicem in timore Christi; » illam deinde per tres subjectionis species explicat. Prima species est, subjectio illa qua uxor subjici debet marito : de hac agit cap. præced., vers. 22. Secunda species est, subjectio qua filii obedire debent parentibus : de ea hic agit. Tertia est, subjectio qua servi dominis suis astringuntur, de qua agit inferius, vers. 5.

Vers. 2. 2. HONORA PATREM TUUM, ET MATREM TUAM, QUOD EST MANDATUM PRIMUM IN PROMISSIONE. — Nota : Sub honore a filiis parentibus debito comprehendi Scriptura. Sub *honore* Scriptura *primo* reverentiam; *secundo*, amorem; *tertio*, obedientiam; *quarto*, alimoniam et sustentationem, omniaque dona et munera accipit. De iis enim hoc præceptum intelligit Christus *Matth.* XV, 6, ut ibi annotavit Hieronymus. Sic Paulus, I *Timoth.* V, 3 : « Viduas, inquit, honora, » id est honorem eis defer, easque sustenta; et vers. 17 : « Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore, » id est multo et præ viduis cæterisque abundanti honore, id est subsidio sustentationis, adjuvari habeantur. » Unde ibidem explicans hunc honorem subdit : « Dicit enim Scriptura : Non alligabis os bovi trituranti; et : Dignus est operarius mercede sua. »

Nota : Quartum hoc decalogi præceptum, « Honora patrem et matrem, » dicitur « primum in promissione, » id est cum promissione : quia primum est inter decalogi præcepta quod adjunctam habet promissionem longævæ vitæ (1). Sic enim dicitur *Exodi* XX, 12 : « Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi » (terram Chanaan intellige, ad quam, o Israel, jam te induco). Utrumque, scilicet tam præceptum honorandi, quam promissionem longævitatis, citat hic Apostolus.

Quartum præceptum hac promissione primum locum vitæ habet?

Nota : Hæc promissio æqua est et congrua. Æquum enim et congruum est ut filii, qui suis parentibus grati sunt de accepta vita, illos honorando, longæ vitæ ab eis acceptæ conservationem obtineant. Hoc enim meretur eorum honor et gratitudo, ut pulchre docet S. Thomas in *Opusculis*, opusc. 4 : Filii, inquit, obtinent vitam a parentibus, sicut milites obtinent feudum a rege. Sicut ergo merentur hi ejus conservationem, quamdiu homagium præstant regi; ita et filii merentur vitæ conservationem, quamdiu parentes honorant : contra sicut milites rebelles spoliantur feudo, ita et filii rebelles vita. Adde : hæc promissio apte proponitur filiis adolescentibus : hi enim præ cæteris optant diu ac suaviter vivere.

Dices : Subinde contingit filios morigeros brevis esse vitæ. Respondet Abulensis in dictum cap. XX *Exodi* : Filius, inquit, qui honorat parentes, licet cito moriatur, diu tamen vixit. Nam tempus est mensura non olii, sed operis, et actionum non malarum, sed bonarum. Unde Sap. IV, 13, de tali dicitur : « Consummatus in brevi explevit tempora multa. » Sed mysticus est hic sensus.

Quomodo prædictum hoc promissio?

Dico ergo, notandum esse canonem hunc Scripturæ, quem alibi dat S. Hieronymus. Deus in Scripturis promittens bona præsentia, carnalia et temporalia, sæa non præstet, dat pro eis longe majora, scilicet spiritualia, cœlestia et æterna. Sic *Psalm.* XXXVI, 25, dicitur : « Non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem, » et tamen constat Lazarum mendicum justum, et multos Martyres alioquin Sanctos fame in carceribus, similique inopia et miseriis periisse; sed tunc pro pane corporali Deus dedit illis panem spiritalem et cœlestem, scilicet longe majus bonum patientiæ, et lauream martyrii. Sicut si tibi promittam unum aureum, et pro eo non aureum, sed equum dem, abunde promissis satisfeci, imo plus dedi quam promisi. Adde, non esse absolutam hi promissionem longævitatis, sed tantum Deum filia morigeris ejus dare spem; hanc enim significat vocula *ut*, *q. d.* Si honores patrem, est quod speres longævitatem, tali enim honore non quidem

(1) Aliis *secundum primum* videtur late dictum, et significat *primarium præceptum*, unum e præcipuis, vel ad fructum vel ad necessitatem observandi.

quit, perfers hanc rixosam uxorem, nec domo ejicis? » ini Socrates : « Qui ovis vesci vult, glocitantium gallinarum strepitu offendi non debet. Equidem sic domi patientiam disco, ut foris molius exercere queam. » Ita Laertius in ejus Vita, et A. Gellius, lib. I, cap. XVII. Decet igitur quemque tolerare incommoda, et in Domino gaudere, quo fiet ut leviora reddantur. Nam, ut ait Virgilius,

Quisque suos patitur manes.

Varro quoque in satyra Menippea, quam de officio mariti scripsit : « Vitium, inquit, uxoris aut tollendum, aut ferendum est. Qui tollit vitium, uxorem commodiorem præstat; qui fert, sese meliorem facit. »

Quicumque ergo elegisti uxorem, et rixosam experiris, mulierem cogita, Xantippem cogita : tu Socrates esto, imo Christus esto, cogita te habere domesticum patientiæ exercitium, ut discas alia quævis facilius perferre et superare. Multi cruces foris quærunt, tu domi habes, illa te docebit patientiam : patientia autem opus perfectum habet, ut ait S. Jacobus.

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, jubet ut filii parentibus, servi dominis sincere et ex animo obediant, ac vicissim parentes filios, ac domini servis, non minaces, sed benevoli sint, debitamque curam præstent.

Secundo, vers. 11, ostendit quanta nobis sit lucta cum dæmonibus, atque contra eos arma et panoplian militis Christiani assignat : Balteus, inquit, sit veritas, lorica sit justitia, calceus sit præparatio Evangelii pacis, scutum sit fides, galea sit salus, sive spes salutis, gladius sit verbum Dei.

Tertio, vers. 18, ad assiduam orationem cohortatur, utque sibi libertatem et animos evangelizandi orando impetrent.

Denique, vers. 21, mittit Tychicum, qui Ephesiis nuntiet statum suorum vinculorum, eisque pacem et gratiam apprecatur.

1. Filii, obedite parentibus vestris in Domino : hoc enim justum est. 2. Honora patrem tuum, et matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione : 3. ut bene sit tibi, et sis longævus super terram. 4. Et vos, patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros : sed educate illos in disciplina et correptione Domini. 5. Servi, obedite dominis carnalibus cum timore et tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo : 6. non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, 7. cum bona voluntate servientes, sicut Domino, et non hominibus : 8. scientes quoniam unusquisque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet a Domino, sive servus, sive liber. 9. Et vos, domini, eadem facite illis, remittentes minas : scientes quia et illorum et vester Dominus est in cœlis, et personarum acceptio non est apud eum. 10. De cætero, fratres, confortamini in Domino, et in potentia virtutis ejus. 11. Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli. 12. Quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem : sed adversus principes, et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ, in cœlestibus. 13. Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare. 14. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, et induti loricam justitiæ, 15. et calceati pedes in præparatione Evangelii pacis : 16. in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere : 17. et galeam salutis assumite, et gladium spiritus (quod est verbum Dei), 18. per omnem orationem et obsecrationem orantes omni tempore in spiritu : et in ipso vigilantes in omni instantia et obsecratione pro omnibus sanctis, 19. et pro me, ut detur mihi sermo in apertione oris mei cum fiducia, notum facere mysterium Evangelii : 20. pro quo legatione fungor in catena, ita ut in ipso audeam, prout oportet me, loqui. 21. Ut autem et vos sciatis quæ circa me sunt, quid agam : omnia vobis

nota faciet Tychicus, charissimus frater, et fidelis minister in Domino : 22. quem misi ad vos in hoc ipsum, ut cognoscatis quæ circa nos sunt, et consoletur corda vestra. 23. Pax fratribus, et charitas cum fide a Deo Patre, et Domino Jesu Christo. 24. Gratia cum omnibus, qui diligunt Dominum nostrum Jesum Christum in incorruptione. Amen.

1. FILII, OBEDITE PARENTIBUS VESTRIS IN DOMINO. — S. Hieronymus : « *in Domino* ait referri posse *primo*, ad *parentibus*, *q. d.* Parentibus, qui vos in Domino, id est in Christo, genuerunt, puta Apostolis et similibus, obedite. *Secundo*, posse referri ad *obedite*, *q. d.* Obedite parentibus carnalibus, sed « in Domino, » id est, secundum Domini legem et præceptum, si videlicet præcipiant non impia et deformia, sed conformia legi, pietati et cultui Domini : tunc enim in Domino præcipiunt; alias non in Domino, sed contra Dominum in diabolo præcipiunt, ac consequenter tunc eis non est obediendum.

Rursum, « obedite in Domino, » id est, Domini amore et reverentia (vide *Can.* 23), qui dixit et præcepit : » Honora patrem et matrem, » voluitque in patre et matre nos considerare, colere et revereri Patrem cœlestem et æternum, cujus imaginem et personam nobis repræsentant pater et mater. Hic secundus sensus genuinus est : agit enim Apostolus de parentibus non spiritualibus, sed naturalibus, qui secundum carnem nos gignunt.

Ubi nota : Capite præced. generalem tulit legem et sententiam : « Subjecti, inquit, invicem in timore Christi; » illam deinde per tres subjectionis species explicat. Prima species est, subjectio illa qua uxor subjici debet marito : de hac agit cap. præced., vers. 22. Secunda species est, subjectio qua filii obedire debent parentibus : de ea hic agit. Tertia est, subjectio qua servi dominis suis astringuntur, de qua agit inferius, vers. 5.

Vers. 2. 2. HONORA PATREM TUUM, ET MATREM TUAM, QUOD EST MANDATUM PRIMUM IN PROMISSIONE. — Nota : Sub honore a filiis parentibus debito comprehendi Scriptura. Sub *honore* Scriptura *primo* reverentiam; *secundo*, amorem; *tertio*, obedientiam; *quarto*, alimoniam et sustentationem, omniaque dona et munera accipit. De iis enim hoc præceptum intelligit Christus *Matth.* XV, 6, ut ibi annotavit Hieronymus. Sic Paulus, I *Timoth.* V, 3 : « Viduas, inquit, honora, » id est honorem eis defer, easque sustenta; et vers. 17 : « Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore, » id est multo et præ viduis cæterisque abundanti honore, id est subsidio sustentationis, adjuvari habeantur. » Unde ibidem explicans hunc honorem subdit : « Dicit enim Scriptura : Non alligabis os bovi trituranti; et : Dignus est operarius mercede sua. »

Nota : Quartum hoc decalogi præceptum, « Honora patrem et matrem, » dicitur « primum in promissione, » id est cum promissione : quia primum est inter decalogi præcepta quod adjunctam habet promissionem longævæ vitæ (1). Sic enim dicitur *Exodi* XX, 12 : « Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi » (terram Chanaan intellige, ad quam, o Israel, jam te induco). Utrumque, scilicet tam præceptum honorandi, quam promissionem longævitatis, citat hic Apostolus.

Quartum præceptum hac promissione primum locum vitæ habet?

Nota : Hæc promissio æqua est et congrua. Æquum enim et congruum est ut filii, qui suis parentibus grati sunt de accepta vita, illos honorando, longæ vitæ ab eis acceptæ conservationem obtineant. Hoc enim meretur eorum honor et gratitudo, ut pulchre docet S. Thomas in *Opusculis*, opusc. 4 : Filii, inquit, obtinent vitam a parentibus, sicut milites obtinent feudum a rege. Sicut ergo merentur hi ejus conservationem, quamdiu homagium præstant regi; ita et filii merentur vitæ conservationem, quamdiu parentes honorant : contra sicut milites rebelles spoliantur feudo, ita et filii rebelles vita. Adde : hæc promissio apte proponitur filiis adolescentibus : hi enim præ cæteris optant diu ac suaviter vivere.

Dices : Subinde contingit filios morigeros brevis esse vitæ. Respondet Abulensis in dictum cap. XX *Exodi* : Filius, inquit, qui honorat parentes, licet cito moriatur, diu tamen vixit. Nam tempus est mensura non olii, sed operis, et actionum non malarum, sed bonarum. Unde Sap. IV, 13, de tali dicitur : « Consummatus in brevi explevit tempora multa. » Sed mysticus est hic sensus.

Quomodo prædictum hoc promissio?

Dico ergo, notandum esse canonem hunc Scripturæ, quem alibi dat S. Hieronymus. Deus in Scripturis promittens bona præsentia, carnalia et temporalia, sæa non præstet, dat pro eis longe majora, scilicet spiritualia, cœlestia et æterna. Sic *Psalm.* XXXVI, 25, dicitur : « Non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem, » et tamen constat Lazarum mendicum justum, et multos Martyres alioquin Sanctos fame in carceribus, similique inopia et miseriis periisse; sed tunc pro pane corporali Deus dedit illis panem spiritalem et cœlestem, scilicet longe majus bonum patientiæ, et lauream martyrii. Sicut si tibi promittam unum aureum, et pro eo non aureum, sed equum dem, abunde promissis satisfeci, imo plus dedi quam promisi. Adde, non esse absolutam hi promissionem longævitatis, sed tantum Deum filia morigeris ejus dare spem; hanc enim significat vocula *ut*, *q. d.* Si honores patrem, est quod speres longævitatem, tali enim honore non quidem

(1) Aliis *secundum primum* videtur late dictum, et significat *primarium præceptum*, unum e præcipuis, vel ad fructum vel ad necessitatem observandi.

obligatur, sed tamen provocatur Deus, ad dandam vitam longam, copiosam et felicem filiis, qui hoc honore parentes prosequuntur.

Objicit *secundo*, S. Hieronymus, etiam primo præcepto adjunctam esse promissionem; ait enim: « Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam et quartam generationem eorum qui oderunt me: et faciens misericordiam in millia his qui diligunt me et custodiunt præcepta mea. » Ergo quartum hoc præceptum, « Honora patrem, » etc., non est primum, sed secundum in promissione.

Respondent aliqui, esse primum non absolute, sed in secunda tabula. *Secundo*, S. Hieronymus respondet, primum mandatum hic vocari totum decalogum: quod hic primo datus sit Hebræis post egressum ex Ægypto, cæteræ vero leges judiciales et cæremoniales datæ sint posterius.

Primo præcepto additur promissio temporalis, secundo spiritualis, quarto specialis.

Verum respondeo *tertio*, simplicius et planius, quarto præcepto, « Honora patrem, » primum addi promissionem propriam et specialem longævitatis; primo vero præcepto non addi promissionem specialem, sed tantum communem tam comminationem quam promissionem, qua Deus sicut se misericordem fore in genere promittit omnibus qui servant non primum hocce, sed cuncta ejus præcepta, ita se ulturum in genere eos qui illa violarunt, comminatur.

Addit *quarto*, Chrysostomus et Theophylactus aliis præceptis non addi promissionem, quia sunt negativa, scilicet: « Non adorabis deos alienos; Non occides; Non mœchaberis, etc.; » quarto vero eumdem addi, quia est affirmativum. Qui enim a vetitis abstinet, pœnam quidem effugit, sed nihil præmii promeretur; qui vero honorat parentes, bene facit et operatur: illi ergo debetur et promittitur merces. Verum hoc non videtur solide dici. *Primo*, nam et tertium præceptum, scilicet, « Memento ut diem sabbati sanctifices, » est affirmativum (et qui hoc implet, aliquid boni facit), et tamen nullam habet adjunctam præmii promissionem. *Secundo*, sub negativis intelliguntur affirmativa. Præceptum enim, quod vetat deos alienos colere, præcipit Deum verum colere; præceptum, quod vetat furtum, præcipit cuique reddere quod suum est, et ita de aliis.

Vers. 3. Qui parentibus bene obediunt, erunt felices in posterum.

3. UT BENE SIT TIBI. — Inter alia experientia hoc constat, justo Dei judicio ita usu venire, ut qui parentibus non obediunt, etiam liberos habeant inobedientes et immorigeros. Unde et Pittacus Mitylenæus dicere solebat: « Qualia tu contuleris in parentes, talia prorsus a tuis liberis exspecta, ut bene vel male habearis. »

Vers. 4.

4. PATRES, NOLITE AD IRACUNDIAM PROVOCARE FILIOS VESTROS, — ut scilicet vestra duritie, asperitate, nimiis verberibus aut laboribus filios vestros oneretis et irritetis.

SED EDUCATE ILLOS IN DISCIPLINA. — Græcum παιδεία, tam institutionem et doctrinam, ut explicat Hieronymus et Chrysostomus, quam castigationem significat. Utrumque pater debet præstare filio, et utrumque significat vox *disciplina*.

Instructionem et castigationem parentes debent filiis.

ET CORREPTIONE DOMINI. — Græce νουθεσία, quod Hieronymus vertit, *in admonitione*; Vatablus et alii, *in correptione*, qua scilicet admonens, docens, corripiens, in animo illius quem monet, ponit et ingerit quid factum oporteat, aut oportuerit. Hoc enim est νουθεσία, id est ad verbum, *in animo positio*, puta instructio, quæ in anima alterius ponitur et imprimitur, *q. d.* Vos, o patres, educate filios in doctrina Christi, date eis Christiana monita, quibus modum bene et christiane vivendi addiscant.

Obi nota: Maximus thesaurus quem parentes filiis relinquunt, est bona educatio. Hæc enim cætera illis dabit, opes, sapientiam, virtutem, honestam vitam præsentem et æternam. Ab educatione enim pendet tota vita hominis, imo salus et beatitudo æterna. Jam multi parum de educatione solliciti, tantum proles ditare et ad honores provehere satagunt: et quid faciunt, nisi ut eis arma parent, quibus in suum exitium utantur?

5. SERVI, OBEDITE DOMINIS CARNALIBUS, — id est temporalibus et mundanis: hos enim opponit dominis spiritalibus, puta Apostolis, Episcopis, Pastoribus. Sic sæpe Apostolus sapientiam vel prudentiam carnis vocat sapientiam et prudentiam mundi et mundanam, ut dixi II *Cor.* X, vers. 3 et 4.

Servi non adstringuntur a dominorum amore per libertatem Christianam.

Notat S. Hieronymus, sub initia fidei Christianæ, multos, cum audirent se vocari ad libertatem Christianam, putasse per eam se solvi a vinculo servitutis, uti nostro hoc sæculo putarunt rustici illi in Germania, quos tam in suam quam dominorum perniciem ad rebellionem accendit et armavit Lutherus, ita ut ex eis cæsa sint centum millia. Unde contra hunc errorem ita sancit Concilium Gangrense, *canone* 3: « Si quis servum divini cultus aut aliquo religionis prætextu doceat contemnere dominum, et recedere a servitute, non autem in bona voluntate et omni honore servire dominis suis, anathema esto. » Imo putabant aliqui per christianismum esse solvi a vinculo conjugii cum Gentilibus initi: unde sicut hos redarguit et instruit I *Cor.* VII, ita priores hic docet ne contemnant dominos, licet Gentiles, sed eis obediant, nisi contraria Deo et Christo præcipiant. Unde addit:

OBEDITE CUM TIMORE ET TREMORE, — *q. d.* Non tantum obedite, sed et timete et reveremini dominos vestros; imo ad eorum jussum ac vocem fremite. Hoc enim servilis conditio exigit: hinc dominorum timor et tremor decet servos. Potest *secundo*, timor et tremor Christi intelligi, *q. d.* Obedite dominis timentes et trementes Christum judicem, qui in judicio hujus obedientiæ a vobis rationem exigit. Unde *Colos.* III, 22, videtur hunc timorem et tremorem explicare, dicens: « Timentes Deum. » Prior sensus simplicior et naturalior est; posterior plenior et perfectior est,

Fides corrigit naturam et conditionem servilem.

magisque Christianos decet, nimirum ut non tam naturali et servili dominorum, quam spiritali et sancto Christi timore dominis suis obediant. Unde sequitur:

IN SIMPLICITATE CORDIS VESTRI. — Id est simpliciter, ingenue, candide, non ficte, non fraudulenter, non ad oculum, ut sequitur. Hisce enim opponit simplicitatem.

SICUT CHRISTO. — Refer ad *obedite*, *q. d.* Obedite dominis vestris, sicut Christo, cujus personam et auctoritatem et dominium ipsi vobis repræsentant.

Vers. 6.

6. NON AD OCULUM SERVIENTES (græce una voce id pulchrius et significantius dicitur: μὴ κατ' ὀφθαλμοδουλίαν, *q. d.* Non ad oculi servitium) QUASI HOMINIBUS PLACENTES. — Græce rursum est una vox significantior ὡς ἀνθρωπάρεσκοι; ἀνθρωπαρέσκεια significat studium placendi hominibus, eorumque favorem sibi conciliandi.

Ἀνθρωπαρέσκειος quale sit vitium?

SED UT SERVI CHRISTI. — Repete *servientes*, *q. d.* Servite dominis, non ut hominum servi ad oculum, non ad aucupium favoris herilis, sed sincere, fideliter et ex animo, quasi servi Christi, ut Christo placeatis. Christus enim vult vos dominis vestris servire: unde cum dominis servitis, Christo servitis. Hinc explicans subdit:

FACIENTES VOLUNTATEM DEI EX ANIMO, — *q. d.* Servite non coacte, non ficte, sed ex animo, quia hæc est voluntas Christi et Dei. *Secundo*, « ut servi Christi, » id est, ut servi Christiani, *q. d.* Servite non uti Gentiles serviunt ad oculum et speciem externam; sed servite tanquam Christiani, ut vestri domini Gentiles videant Christianos servos sincerius et fidelius servire Gentilibus, itaque alliciantur ad Christum et christianismum. Fides enim corrigit naturam et conditionem servilem, quam ita describit Plato, dialogo 8 *De Legibus*: « Nihil, inquit, in animo serviente integrum est, nec quidquam servorum generi est credendum, quod et sapientissimus Poeta testatur cum sic ait: Dimidium mentis Jupiter illis aufert qui servituti subjecti sunt, » quales jam in India multos barbaros experimur. Per fidem vero fit id quod ibidem addit Plato: « Multi, ait, jam servi sunt meliores ad omnem virtutem fratribus et filiis, qui domos, et rem dominorum omnem, ipsosque dominos servant. »

7. CUM BONA VOLUNTATE (μετ' εὐνοίας, id est, *cum benevolentia*, benevole, amice, non gravatim, non morose, non coacte) SERVIENTES SICUT DOMINO, ET NON SICUT HOMINIBUS, — eo sensu quo paulo ante explicui. Scilicet vult Apostolus ut Christi Domini, a quo mercedem accipient, amore, reverentia et obedientia servus serviat domino, etiam moroso, crudeli ac tyranno, feraque ejus tyrannidem, ne quod offendiculum ponat Evangelio.

Nota: Apostolus non tam de servis et ancillis loquitur, quales jam sunt apud Christianos, quam de servis Gentilium, id est mancipiis, quales tunc multi erant, qui cum dominis, vel sine iis soli

ad Christum convertebantur: hi enim in Jure proprie vocantur servi, et his opponit Apostolus vers. seq. liberos: nostri non servi vocantur, sed mercenarii. Unde jam servitus illa gentilitia mancipiorum fere apud Christianos exolevit. Ecclesia enim, quæ omnes vocat ad libertatem Christianam, omnesque suos filios vult invicem esse fratres, hanc servitutem sensim sustulit, ne unus frater, id est Christianus, alteri serviat quasi mancipium: hoc enim indecens est.

Servitus servilis mancipiorum apud Christianos jam exoleta.

Qualis debeti esse servus, docetur pulchre emblemate.

Qualis debeat esse servus significat vetus emblema, quo servus pingitur pileatus rubro pileo, eleganti interula vestitus, aures habens asininas, cervinos pedes, dextram tenens erectam et in palmam explicatam. Pileus significat libero et liberali cum debere esse ingenio. Interula designat eum assidue operi et labori intentum esse. Auriculæ asininæ innuunt eum multa etiam dura patienter audire. Cervini pedes notant celeritatem in exequendis mandatis. Dextra erecta index est fidelitatis in tractandis rebus et negotiis heri: hæc enim præcipua est servi et servæ dos. Unde Lacæna, ut refert Plutarchus, interrogata quid sciret, respondit, Fidelis esse. Harum virtutum servis egregium exemplum dederunt Joseph patriarcha in servum venditus, *Gen.* XXXVII et XXXIX; et S. Paulinus, Nolæ Episcopus, qui pro filio viduæ redimendo semetipsum in servitutem tradidit Wandalis, suaque fidelitate, diligentia, mansuetudine, prudentia ac sanctimonia tam sibi, quam suis civibus omnibus libertatem impetravit.

Talis Joseph et S. Paulinus.

Vers. 8.

9. ET VOS, DOMINI, EADEM FACITE ILLIS (*q. d.* Vos, domini, servis exhibete similem humanitatem, benignitatem, amorem, sinceritatem, fidelitatem, qualem servi meo jussu vobis exhibent), REMITTENTES MINAS (ne sitis in servos imperiosi et minaces), SCIENTES QUIA ET ILLORUM, ET VESTER DOMINUS EST IN CŒLIS: ET PERSONARUM ACCEPTIO NON EST APUD EUM. — Premit Apostolus fastum dominorum, *q. d.* Nolite superbire et imperiose in servos agere, o domini: quia servorum vestrorum fratres estis, et communi Deo ac Domino servitis. Mementote vos pariter esse servos Domini cœlestis, qui a vobis rationem dominii vestri et tyrannidis in servos severam exiget, et talem se vobis exhibebit, quales vos servis exhibuistis. Non enim respicit personam hominis, an quis servus sit, an dominus; sed quemque sive servus sit, sive dominus, pro bonis operibus præmiabitur, pro malis puniet, gehennæque et ergastulo infernali addicet. Sic servos benigne esse tractandos ab heris docet Macrobius, lib. I *Saturn.*, cap. XI, idque ex ipso jure naturæ, quippe cum ex eisdem elementis constent utrique, et servitus non naturæ, sed fortunæ sit conditio. « Hinc nostri majores, inquit, omnium dominis invidiam, omnem servis contumeliam detrahentes, dominum patremfamilias, servos familiares appellaverunt. Colant ergo te potius

Premittit ab Apostolo fastus dominorum.

Servi ab heris honore tractandi.

servi tui quam timeant. » Pari modo ex nomine patrisfamilias, servos quasi filios et fratres vocatos ad eamdem cœlestem hæreditatem, tractandos esse docet S. Augustinus, lib. XVII *De Civit.*, cap. XVI. Vide dicta *Levit.* XXV, 42.

Quocirca idem Augustinus in *Serm. cit.*, num. 163, docet dominatum apud Christianos, potius esse obsequium quam imperium. « In Domino, ait, juste viventes ex fide, et ab illa adhuc civitate peregrinantes, etiam qui imperant serviunt eis, quibus videntur imperare : quia non dominandi cupiditate imperant, sed officio consulendi ; nec principandi superbia, sed providendi beneficio. »

10. DE CÆTERO, FRATRES, CONFORTAMINI IN DOMINO, ET IN POTENTIA VIRTUTIS EJUS. — *q. d.* Tandem ut finiam hanc epistolam, o Ephesii Christiani, sumite vires et animos contra omnes diaboli, carnis et mundi tentationes, roborate et confortate vos « in Domino, » id est, in Domini nostri Jesu Christi fide, spe, gratia, ope et auxilio. Si enim Christus pro nobis, quis contra nos? Nota : Pro *in potentia virtutis ejus*, græce est, ἐν τῷ κράτει τῆς ἰσχύος αὐτοῦ, id est, *in potentia roboris* vel fortitudinis *ejus*, id est, in potentia forti et robusta Christi Domini, *q. d.* Christus Dominus sua forti et robusta ope et gratia adest nobis, ergo animos, robur et vires capiamus. Tali enim duce et propugnatore vincemus omnia ardua, omnia hostium tentamenta.

Cap. II.

11. INDUITE VOS ARMATURAM DEI. — Græce πανοπλίαν, id est, plenam et omnem armaturam, qua milites a capite ad talos se armant et communiunt. Vere S. Bernardus, serm. 3 *in Dedicat. Ecclesiæ* : « Induite, ait, vos armaturam Dei, non modo ad resistendum, sed ad impugnandum quoque et expugnandum viriliter inimicum. Quid enim putamus, fratres? Gravis equidem nobis est inimici tentatio, sed longe gravior illi oratio nostra. Lædit nos iniquitas ejus atque versutia, sed multo amplius nostra eum simplicitas et miseridia torquet. Humilitatem nostram non sustinet, uritur charitate nostra, mansuetudine et obedientia cruciatur. »

UT POSSITIS STARE ADVERSUS INSIDIAS DIABOLI. — Pro *insidias* græce est μεθοδείας, quod Hieronymus vertit, *versutias*; Vatablus, *insidiosos congressus et assultus*; Noster, cap. IV, vers. 14, vertit, *circumventionem*, qua scilicet hostis ex latere et insidiis subito erumpit, nosque adoritur et circumvenit.

Nota : Cum rari sint homines prudentes simul et fortes, quia, ut docet Aristoteles, sect. XIV, problem. 8, prudentia consistit in frigore, animositas et fortitudo in calore (hinc nemo prudens simul et audax), in duce belli potior et magis optanda est prudentia et calliditas, quam fortitudo. « Dux belli, inquit Vegetius, callidior sit quam audacior, ut hostem per insidias perdat sine suo periculo. » Talem hic diabolum depingit Apostolus. Callidissimum ergo habemus hostem diabolum, in quem omnes animi sensus, oculos ac nervos intendere debemus, ne incautos nos adoriatur, ferat et supplantet.

Calliditas dicto fi eccles. ut ia tribus.

Calliditas hæc diaboli *primo*, patet in eo quod, ut ait Hieronymus, loca minime minuta observet, ut per ea irrepat ad arcem cordis et animæ, v. g. qui non custodiunt oculos et aures suas, iis species mulierum, verba lasciva ingerit, quibus phantasiam et voluntatem in libidinem alliciat. *Secundo*, ut Chrysostomus, nunquam aperta peccata homini objicit, sed ambagibus utitur; et non irrupit subito, sed sensim irrepit, et in animæ se familiaritatem insinuat, penitusque tandem immergit. Ad hæc, vitia specie ac nomine virtutum colorat. Sic ebrietatem proponit et vocat hilaritatem, obscenos vocat lepidos, superbos vocat animosos. Rursum, hamo peccati escam voluptatis obtendit, ut dum voluptatem gustas et haurit, peccati aculeum induas. Adhæc, sensim a minoribus ad majora sollicitat; insuper scrutatur qua infirmitate, quo vitio, qua proclivitate quisque laboret, et per illam eum aggreditur. Hinc superbum non tentabit libidine, sed honoribus; gulosum non honoribus, sed deliciis; avarum non deliciis, sed pecuniis et usuris. Docet id S. Leo, serm. 7 *De Natali Domini* : « Novit, inquit (diabolus), cui adhibeat æstus cupiditatis, cui illecebras gulæ ingerat, cui apponat incitamenta luxuriæ, cui infundat virus invidiæ; novit quem mœrore conturbet, quem gaudio fallat, quem metu opprimat, quem admiratione seducat. Omnium discutit consuetudines, ventilat curas, scrutatur affectus, et ibi causas quærit nocendi, ubicumque viderit studiosius occupari. »

Modus vincendi arma diaboli ex propositis D. Antonii magni.

Audi S. Antonium oculatum testem et athletam invictum, qui omnes diaboli artes et insidias expertus, eas fratribus sagaciter et sapienter detegit, modumque vincendi demonstrat, ita dicens ex apud S. Athanasium in *Vita S. Antonii* : « Hostile illis (dæmonibus) contra omnes Christianos, maxime vero contra monachos et virgines Christi, odium est. Eorum semitis laqueos tendunt, eorum mentes impiis et obscenis cogitationibus nituntur evertere; sed nihil nobis in hoc terroris incutiunt : fidelium enim orationibus atque jejuniis ad Dominum statim corruent. Nec tamen si paulum cessaverint, prorsus plenam putetis esse victoriam. Solent saucii gravius assurgere, et multa arte pugnandi, cum cogitatione nihil egerint, pavoribus terrent. » Deinde docet dæmones excitare dormientes ad orandum, ut somnum capiti et corpori necessarium eripiant. Rursum recens conversis ingerere pristina peccata, eosque excitare ad nimia jejunia, vigilias et pœnitentias, quibus corpus et animum enervent, ut vitæ sanctæ asperitate, difficultate et tædio victi resiliant, et ad pristinam vitæ licentiam redeant. Subditque plane spernendas esse eorum suggestiones, orationeque ac versu aliquo psalmi rei suggestæ contrario elidendas. « Christus, ait, tanquam Dominus dæmonibus silentium imperavit, ut nos diabolo

nihil credamus, et vincamus. Si orare compellunt, si jejunia suadent, non ea eorum nos monitis, sed ex nostra consuetudine id agamus. Denique etiamsi irruentes mortem nobis intentare videantur, videndi potius sunt quam timendi : quia cum sint debiles, minantur cuncta, nec faciunt. »

Et infra, arma contra eorum insidias suggerens : « Magna, inquit, dilectissimi, adversum dæmones arma sunt, vita sincera, et intemerata ad Deum fides. Credite mihi experto : pertimescit Satanas recte viventium vigilias, orationes, jejunia, mansuetudinem, voluntariam paupertatem, vanæ gloriæ contemptum, humilitatem, misericordiam, iræ dominatum, et præcipue purum cor erga Christi amorem. Novit terrimus coluber ex præcepto Domini sub justorum se jacere vestigiis, qui ait : Ecce dedi vobis potestatem calcare super serpentes et scorpiones, et super omnem virtutem inimici. » Deinde particulares suos cum dæmonibus conflictus et victorias enarrat fuse S. Antonius. Et tandem singulos ad alacriter cum dæmonibus certandum exhortando, ita concludit : « Jam curæ Christianorum et monachorum sit, ne per eorum inertiam vires dæmonibus præbeantur. Nam quales nos et nostras repererint cogitationes, tales se nobis præstare consueverunt. Et quod in pectoribus malæ mentis et pavoris semen invenerint, quasi latrones qui deserta obtinent loca, captos cumulant timores, et crudeliter imminentes infelicem puniunt animam. Si autem alacres fuerimus in Domino, et futurorum bonorum cupido nos succenderit, si semper omnia manibus Dei committamus, nullus dæmonum ad expugnandum valebit accedere : magis enim eum munita in Christo corda conspexerint, confusi revertentur. Ita et Job firmatum in Domino diabolus refugit, et infelicissimum Judam expoliatum fide, vinculis captivitatis innexuit. Una est ergo ratio vincendi inimicum, lætitia spiritualis, et animæ Dominum semper cogitantis jugis recordatio, quæ dæmonum ludos quasi fumum expellens persequetur adversarios, potius quam timebit. » Hactenus S. Antonius, cujus verba mirifice hunc Pauli locum illustrant, et magnam nos docent prudentiam spiritualem, ut sciamus dæmonis artes et insidias, modumque eas superandi.

Quales reperiant nos dæmones, tales nobis se præstant.

12. QUONIAM NON EST NOBIS COLLUCTATIO (græce πάλη, id est *lucta*) ADVERSUS CARNEM ET SANGUINEM, SED ADVERSUS PRINCIPES ET POTESTATES, ADVERSUS MUNDI RECTORES TENEBRARUM HARUM, CONTRA SPIRITUALIA NEQUITIÆ, IN CŒLESTIBUS, — *q. d.* Non contra homines, qui carne et sanguine constant; sed contra dæmones, qui sunt subtilissimi, nequissimi et robustissimi spiritus, eosque non unum aut vulgares, sed plures, et quidem principes, potestates, et mundi rectores, nobis est duellum et pugna.

Per carnem et sanguinem intelliguntur primo, libido et tentationes carnis.

Secundo, homines carne et sanguine constantes.

Nota *primo* : Per « carnem et sanguinem, » S. Hieronymus et alii accipiunt libidinem, vitia et tentationes, quas caro suggerit, *q. d.* Hæc vitia carnis non tam caro quam dæmon per carnem suggerit et excitat. « Sunt enim, inquit Hieronymus in *Osee* IV, quidam dæmones amoribus et amatoriis canticis servientes, ut Propheta quoque commemorat dicens : Spiritu fornicationis seducti sunt. Nam et barbara quædam nomina eorum esse dicuntur, ut sæpe confessi sunt hi, quos vere vulgus maleficos vocat; et incantationes, et preces, et colores varii, et diversa vel metallorum genera, vel ciborum, ad quæ invocati assistere dæmones, et infelices animas capere memorantur. Alii vero iracundias et furores, et bella committere; alii præcesse inimicitiis, et inter homines odia concitare. Quia vult ergo, aiunt, Apostolus nos docere, non ex natura corporis, et de materia carnis et sanguinis hæc vitiorum gegera procreari, sed instinctu dæmonum, propterea ait : Non est nobis colluctatio adversus sanguinem et carnem, sed adversus principatus et potestates, et reliqua. » Hæc Hieronymus, non tam ex sua quam Origenis (qui ita sentit et docet in *Josue*, cap. XI) sententia. Fuit enim Origenis, Cassiani, *Collat.* 7, et aliorum veterum hæc opinio, singulis vitiis suos præsidere dæmones. Alios enim nos incitare ad gulam, alios ad fastum, alios ad iram, etc., indeque vocari spiritum superbiæ, spiritum invidiæ, spiritum luxuriæ : unde et mammonam a Christo vocari eum, qui præsit avaritiæ, sive cupiditati pecuniarum, *Matth.* VI, cum dicit : « Non potestis Deo servire et mammonæ. » Sed, ut dixi, opinio hæc est aliquorum in speciem probabilis, non autem certa demonstratio.

Secundo et melius, idem Hieronymus, Theophylactus, Vatablus et alii, per « carnem et sanguinem » accipiunt homines carne et sanguine constantes : hos enim opponit dæmonibus, qui sunt spiritus, *q. d.* Paulus, induendam esse panoplium contra insidias diaboli : quia hic hostis noster non est corporeus, carneus, visibilis; sed est incorporeus, invisibilis et subtilissimus spiritus. Quare licet aliqui intelligant vocem exceptivam, *tantum*, sicque explicent : non est, supple *tantum*, nobis colluctatio contra carnem, sed etiam contra mundi rectores; vel, exigua et quasi nulla est ea colluctatio quam cum carne gerimus, si conferatur cum ea, qua contra mundi rectores dæmones confligimus : tamen vocem aliquam exceptivam, vel comparativam hic supplere non est opus, quia, ut dixi, agit de bello et lucta non quavis, sed ea, quæ nobis est contra diabolum, ut præcessit. Hæc enim prima, gravissima, difficillima et periculosissima nobis est lucta, in qua non contra carneos hostes, sed contra spiritus, id est dæmones, depugnamus.

Addit S. Hieronymus Paulum alludere ad vetera Judicum cum aliis gentibus prælia, *q. d.* Ephesii, quæ de prælio Israelis adversum Æg-

tios, Idumæos, Ammonitas leritis, scripta sunt propter nos, ut intelligamus ex illis, nobis non esse pugnam adversum carnem et sanguinem, sed adversus spirituales quasdam et invisibiles potestates. »

Inter dæmones alii Potestates, alii sunt Principes, eosdemque servant, qui in cœlo habuere eidem hierarchiæ ordinem.

Nota *secundo*, dæmones alios esse Principes, alios esse Potestates. Principes sunt, qui fuerunt in ordine angelorum, qui dicitur Principatus; Potestates dicuntur, qui fuerunt in ordine angelorum, qui dicitur Potestates.

Ubi adverte cum S. Hieronymo, dæmones post lapsum, eumdem ordinem hierarchicum quem habuerunt in cœlo, etiamnum conservare: ut alii præsint, alii subsint; alii sint Principes, alii Potestates: ut per hanc subordinationem valentiores sint ad nocendum hominibus. Sicut milites tumultuarii dum rebellant, suum creant ducem, quem Electum vocant, suosque sub eo capitaneos et tribunos, ut suam rebellionem stabiliant, quæ in ataxia et acephalia stare non potest.

Ex omnibus hoc versiculo occidere dicitur.

Unde sequitur *primo*, non tantum ex Angelis et Archangelis, sed etiam ex superioribus ordinibus, puta Principatibus et Potestatibus, aliquos cecidisse, factosque esse dæmones. Imo probabile est, similiter ex singulis ordinibus aliquos cecidisse, cum omnium caput Lucifer ceciderit.

Finita Ecclesia militante pellet sui sede Deus dæmones.

Sequitur *secundo*, dæmones etiamnum inter se hunc ordinem servare, ut Lucifer omnibus, alii superiorum ordinum suis inferioribus præsint: quia naturali scientia et nequitia iis prævalent, iisque ut bellum nocentius hominibus inferant. Omne enim bellum, si desit ordo, imbelle esse sciunt. Finita vero Ecclesia militante et bello hoc, cessabit hic dæmonum ordo, utpote fine sublato, ob quem in hunc ordinem conjurant, ut innuit Apostolus, I *Cor.* XV, 24. Ita Chrysostomus, Molina et Scholastici, I *part.*, *Quæst.* CIX.

Cur dæmones dicantur mundi rectores?

Nota *tertio*, dæmones dici κοσμοκράτορας, id est *mundi rectores*; Tertullianus, lib. V *Contra Marcion.*, vertit, *mundi tenentes*; Hilarius in *Psalmos*, *mundi potentes*; Vatablus, proprie, *mundi dominos*, et forte intelligit Apostolus Dominationes, qui est primus ordo angelorum secundæ hierarchiæ. Hi enim summum in res mundanas obtinent dominium et imperium. Sicut enim Principes et Potestates sunt ordines angelorum: it. videntur et mundi rectores, sive mundi domini esse ordo, qui dicitur Dominationes. Et sicut aliqui ex Principatibus et Potestatibus, ita et ex Dominationibus ceciderunt, factique sunt dæmones. Unde his opposuit cap. I, vers. 21, angelorum qui perstiterunt ordines, scilicet Principatum, Potestatem, Dominationem.

Dæmones quos rectores mundi notavit.

Nota *quarto*, hosce dæmones non absolute vocari mundi rectores et dominos, quasi ipsi cœlo et terræ dominentur, sed cum restrictione, ait S. Augustinus, scilicet « tenebrarum harum, » id est tenebricosi hujus mundi, puta caliginosi hujus aeris; sic cap. II, vers. 2, diabolum vocavit « principem potestatis aeris hujus. » Mundi rectores ergo intelligit dæmones qui in tenebroso hoc aere dominantur. Unde S. Hieronymus: « Communis, inquit, omnium doctorum est opinio, quod aer iste plenus sit contrariis fortitudinibus, » puta dæmonibus, qui scilicet in aere hoc sæpe procellas, turbines, fulmina, tonitrua aliaque meteora miscent et efficiunt, ut frugibus, bestiis et hominibus noceant; quique in terra hac pestes, sterilitates, morbos, pestes, inundationes, bella aliasque clades concitant; qui denique homines assidue ad gulam, libidinem, iram, fastum omniaque vitia sollicitant et impellunt.

Aer plenus dæmonibus.

Unde in sensu mystico sic hæc Apostoli verba exponit S. Augustinus in *Psal.* LIV, ad vers. 4: « Ne forte, ait, cum dixisset *mundi*, intelligeres dæmones esse rectores cœli et terræ: mundi dixit, tenebrarum harum; mundi dixit, amatorum mundi; mundi dixit, impiorum et iniquorum; mundi dixit, de quo in Evangelio dicit: Et mundus eum non cognovit. » Homines enim mundani et peccatores in peccati tenebris degunt, et in rebus practicis ac divinis cæci sunt et tenebricosi. Unde Græca addunt vocem τούτου, id est *sæculi*, sicque habent: Contra cosmocratores, id est mundi dominos tenebrarum sæculi hujus, id est hujus *vitæ*, *q. d.* Contra mundi rectores et dominos, qui in hac vita et sæculo tenebricoso, hominibus sæcularibus et peccatoribus tenebricosis dominantur.

Dæmones nebulosos inquinat in aere versantes.

Nota *quinto*, hosce dæmones vocari *spiritualia nequitiæ*, id est spiritales nequitias, id est nebulones nequissimos, *in cœlestibus*, id est, ut Hieronymus, in aereis hisce locis versantes. Itaque *spiritualia nequitiæ* Hebraica paraphrasi vocat, quos Græci uno verbo *cacodæmones* appellant. Unde S. Ambrosius, lib. *De Paradiso*, cap. XII, sic hæc Apostoli verba invertit, ut sensum explicet: Adversus nequitiam spiritualium, inquit, quæ sunt in cœlestibus.

Et sæpe homines ad bene agendum militia contra dæmones.

Secundo, aliter Chrysostomus, « in cœlestibus, » id est propter cœlestes res et bona nobis est lucta cum dæmonibus.

Tertia, S. Augustinus, *De Agone Christiano*, cap. III: « Potest, inquit, et aliter locus iste intelligi, ut videlicet nos in cœlestibus constiti, id est in spiritualibus Dei præceptis ambulantes, dimicemus adversus spiritalia nequitiæ, quæ nos inde conantur abstrahere. » Sed primus sensu planior est et simplicior.

Diaboli pecuniis conditio, potentia, vis et robur.

Adverte: Pro *nequitias* græce est πονηρίας, quod Erasmus vertit, *versutias*; Vatablus, *astutias*: sed proprie significat malitias. Dæmones enim uti versutissimi et astutissimi, ita quoque pessimi et nequissimi sunt.

Denique nota *sexto*: Singula verba hujus sententiæ Apostolicæ, hostis nostri diaboli peculiarem conditionem, potentiam, vim et robur significant, ut singuli excitemur ad excubias (vita enim mortalium est vigilia) et ad arma, ut tanto hosti resistamus. Si enim natura hostis quæritur, spiritus est; si species, est invisibilis; si indoles, nequissimus est et malitiosissimus; si potestas, est mundi dominus; si ars et fraus, est princeps tenebrarum, per tenebras et insidias nos aggreditur; si locus, superior est, ex aere et cœlo in nos irruit, cum hoc hoste nobis est ἀσπονδος πολεμος, irreconciliabile bellum. Unde merito Chrysostomus hic in morali *homil.* 22: « Si tales, inquit, instructæ sunt acies, si incorporales principatus, si mundi domini, si spiritales nequitiæ adversum nos sunt, quomodo die, quæso, deliciaris? quomodo inermes vincere poterimus? Ista quisque sibi ipsi singulis diebus dicat, quando per fastum occupatur, quando per concupiscentiam, quando mollem vitam inconsulto ac frustra quærit? Audiat Paulum dicentem: Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principatus, adversus potestates, » etc. Et infra: « Conculcavimus diaboli potentiam, si peccata conculcaverimus: omnia dico temporalia, fastum, concupiscentiam, superbiam, omnes animi passiones. Ansam enim dant diabolo divitiæ, pecuniæ et vanæ gloriæ studium. » Et paulo post: « Si quis inimicum habet, si quis ab eo injuria læsus est, si quis ira percitus est, omnem furorem illum, omnem sævitiam collectam in caput diaboli effundat et evacuet. Ille semper inimicus esto, semper acerbus, semper immitis. Si nos sævierimus adversus eum, ipse non erit nobis sævus; si nos mansueti in eum fuerimus, tunc ipse sævus erit. »

Præclare quoque S. Basilius in illa verba *Deut.* XV, juxta Septuaginta, *Attende tibi ipsi*: « Miles, ait, es? collabora Evangelio; militia bonam militiam contra spiritus nequitiæ; adversum vitiosas carnis affectiones induitor omnem armaturam Dei; ut probes te ei, cisque gratiosus duci tuo, qui huic te militiæ adlegit, provide ut nullis implicaris vitæ istius negotiis et perplexis curis. Athleta es? Attende tibi ipsi, ne quam ex legibus athletico agoni præscriptis inveniare transgressus; nam nemo coronatur, nisi qui legitime certaverit. Imitare Paulum et cursu contendentem, et in palæstra colluctantem, et in agone pugillari decertantem: ut strenuus pugil ipse habeto animæ oculum nusquam evarientem, sed attentum et pervigilem. Præmuni ac tuere passis manibus partes quarum plaga lethalis sit. In adversarium immotum oculum intendito fixius. In stadiario cursu qui tibi præcurrunt, in eos te extendens, fac assequaris: sic currito, ut prævertas. In luctamine repugna invisibilibus adversariis. Per vitæ istius curriculum talis ut perseveres, hæc sancit sententia, nimirum animo ut sis non supino, aut concidenti, sed arrecto; non dormituri enti, sed pervigili ac sobrio, quique multa cum vigilantia præmunis sit, et norit sibi præsesse. »

13. PROPTEREA ACCIPITE ARMATURAM DEI (græce ὅπλα τοῦ θεοῦ, de qua dixi vers. 11, quamque describit 4 versibus seq.), UT POSSITIS RESISTERE IN DIE MALO. — « Malo, » id est difficili, tristi, periculoso, cum scilicet hostis jam dictus nos undique adoritur, animamque per illecebras, formidines aliasque tentationes obruere et sibi subjugare conatur. Sic Jacob Pharaoni roganti, *Genes.* XLVII, 8: « Quot sunt dies annorum vitæ tuæ? respondit: Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum sunt, parvi, » id est pauci, « et mali, » id est miseri et ærumnosi. E contrario Davidis legati ad Nabal, I *Reg.* XXV, 8: « In die bona, inquiunt, venimus. » Quasi dicat: Ad diem bonam, id est lætam et jucundam, quæ tuades oves tuas, ideoque convivium de more celebras, venimus; ut tui gaudii, ovium et convivii participes nos facias. Ita Anselmus.

Dies malus est dies mortis et extremi judicii.

Secundo, S. Hieronymus, « ut in die malo, » id est terribili, scilicet die judicii, possitis intrepidi stare ante tribunal Christi judicis, et accusanti vos diabolo resistere. Prior sensus genuinus est; sed hic posterior sequitur ex priori. Nam qui in hac vita in die tentationis et belli diabolo resistunt, eidem facillime resistent in die judicii.

Contra dæmones pugnandum.

Disce hic, quanta fortitudine et armatura, dæmonibus nos strenue et assidue impugnantibus sit resistendum. Abbas Antonius, dux monasterii Æliotarum, qui etiam illud ædificavit, narravit de abbate Theodosio, quod senex ipse hæc de se ipso narrabat: Prius quam ad vitam solitariam transissem, factus in extasi aspexi virum quemdam, cujus species claritatem solis vinceret. Hic tenens manum meam: « Veni, ait, quia pugnare et luctari te convenit; » et induxit *me* in theatrum plenum viris ex una parte candido amictu, ex alia vero nigro vestitis. Cum ergo injecisset me in theatrum, aspicio virum miræ magnitudinis, æthiopem, cujus caput turpissimum penetrabat nubes. Tunc ait ad me juvenis ille, qui mihi apparuerat: « Cum hoc luctari te oportet. » Ego, qui aspectu viri illius proceri territus eram, tremore ac pavore cœpi, orabamque juvenem illum splendidum, qui me induxerat in theatrum, dicens: « Quis hominum mortali conditione et infirmitate circumdatus, cum hoc luctari posset? Non ipsum universum genus hominum, si in unum confluat, huic resistere prævalet. » Ait autem ad me juvenis ille præclarus: « Prorsus cum illo te luctari opus est. Ingredere igitur cum omni alacritate et fiducia. Mox enim ut te illum adorsus fueris, ego adjutor ero, tibique victoriæ coronam reponam. » Ut ergo ad certamen sum ingressus, luctarique invicem cœpimus, continuo præclarus ille judex nostri certaminis adfuit, mihique coronam dedit. Atque plebs illa obscura, æthiopum que multitudo ingens ejulantes evanuerunt: pars vero reliqua candidatorum gratias illi et laudes referebant, qui me juverat, ac præclara victoria donaverat. Ita Sophronius, *Prat. spirit.*, cap. LXVI.

Angelus Dei juvandi nos contra dæmones.

Dum Abramius Eremita aliquando noctu oraret, tenens secum Satanas cœpit cellam ejus evertere, cumque jam eam videretur perforasse,

magna exclamavit voce dicens : Festinate celeriter, o amici mei, festinate, et introeuntes cito eum suffocate. Beatus autem vir Dei contra ad illum : « Omnos, inquit, gentes circumdederunt me, et in nomine Domini ultus sum in eos. » Ille vero protinus hac voce audita evanuit, cella interim sancti viri integra atque illæsa permanente. Iterumque paucis interlabentibus diebus aliis, dum media nocte psalmodiæ vacaret conspiciens stoream, super quam psallens consistebat, vehementi flamma comburi, ignem lutrépidus conculcans aiebat : « Super aspidem et basiliscum ambulabo, et conculcabo leonem et draconem, omnemque potentiam inimici in nomine Domini nostri Jesu Christi mihi auxiliantis superabo. » Diffugiens autem Satanas exclamavit ac dixit : Ego te devincam, improbe, artesque inveniam quibus te conteram, qui me jam despectui habes. Ita Sophronius supra.

Legimus in Vita S. Vincentii Ferrerii, cum juvenis perseverantiæ donum a Deo peteret, apparuisse ei dæmonem specie venerabilis senis Eremitæ, ac suasisse ut juventuti parceret, et suo exemplo pœnitentiam et austeritatem ad senium usque differret. Sensit fraudem Vincentius; ac cruce se signans : « Abi, inquit, pestifer serpens. Unus es non ex Ægypti Patribus, sed ex inferni dæmonibus. » Idem commendans suam virginitatem B. Virgini, vocem audivit : Non omnes possumus esse virgines : non patiar ultra, ut tam honorato virginis nomine gaudeas. Turbatus fuit Vincentius, sed mox B. Virgo cum multa luce ei apparuit dicens, hanc non suam, sed diaboli fuisse vocem : « Qui tibi, inquit, crebras parabit insidias, ut periclitetur virginitas tua; sed spera semper in Domino, quoniam ipse erit clypeus tuus, quo omnia hostis jacula superabis. » Ex hac visione tantum fervoris Christi militi accessit, ut non terrestris homo, sed cœlestis angelus esse videretur.

Quantas S. P. N. Ignatius, tum alias, tum in studiis, dæmonis passus sit illusiones, ut eum inde ad res divinas, quas ei objiciebat, avocaret; et quomodo eas aperiendo præceptori, ac invocatione B. Virginis superarit, narrat noster Ribadeneira, lib. I. *Vitæ ejus*, cap. XIII.

De Evagrio claro Christi diacono, qui vixit instar Apostolorum, non est æquum tacere. Huic enim tres aliquando apparuerunt dæmones in habitu Clericorum, de fide cum eo inquirentes. Et unus quidem dicebat eum esse Arianum, alter vero Eunomianum, tertius autem Apollinarium. Et eos paucis superavit spiritu sapientiæ. Ita Palladius, in *Histor. Lausiaca*, cap. LXXXVI.

Joannes Climacus, *Grad.* 23. Idipsum hoc exemplo confirmat Joannes Climacus : Monachus quidam studiosus cum a dæmone perseveraretur cogitatione blasphemiæ ad viginti annos, carnem suam jejuniis et vigiliis macerare non destitit. Cum vero inde nullam utilitatem se cepisse sentiret profectus, conscriptam in charta perturbationem ac tentationem suam sancto cuidam ac probatissimo seni obtulit in faciem prostratus, nec illum intueri valens. Ut autem legit Senior subrisit, fratremque erigens, dixit : « Pone, fili, manum tuam super oculum meum. » Quod cum fecisset, ait Senior : « Super collum meum sit, frater, hoc peccatum, quotquot annis te oppugnavit, vel oppugnaturum sit. Tu autem id observa, ut hoc jam flocci pendas, et nihili æstimes. » Quibus verbis ita roboratus est frater, ut non ante cella senis excederet, quam ejusmodi morbus evanesceret. Hoc autem is qui expertus est, mihi postea enarravit, Deo gratias referens.

ET IN OMNIBUS PERFECTI STARE. — Græce καὶ ἐ πάντα κατεργασάμενοι στῆναι, *ut postquam omnia perfeceritis, stare possitis*, parati scilicet ad pugnam cum hoste diabolo. Unde S. Cyprianus, lib. V, *epist.* 6, sic legit, *ut, cum omnia perfeceritis, stetis succincti lumbos vestros*. Sic etiam vertit Hieronymus, Chrysostomus, Ambrosius. Unde Erasmus putat in nostro Latino Interprete legendum esse sic, *et omnibus perfectis stare*, q. d. Apostolus : Sicut miles nihil non facit quo possit resistere, ac suam tueri vitam, ita nobis omnia sunt facienda cum dæmonibus assidue luctaturis. Miles enim arma expedit et induit, attollit aggerem, vallo castra cingit, omniaque ad prælium opportuna disponit : quibus omnibus gnaviter perfectis, superest ut stet semper accinctus ad prælium; nam multis victoria affert securitatem et otium; securitas mutatis vicibus ex victoribus facit victos. Ita pariter Christianus quisque quasi miles Christi se armare, cingere, munire, omniaque ad conflictum cum diabolo necessaria providere et præparare debet, omnibusque provisis et præparatis vigil in acie consistere, paratus ad pugnam. Passim tamen Romana et alia Latina Biblia legunt, « et in omnibus perfecti stare. » Sed eodem redit sensus. Exigit enim Apostolus panopliam, ut undique armemur, « et in omnibus perfecti, » id est perfecte armati, et ab omni parte virtutibus quasi armis muniti, stemus et excubemus, ut diabolo resistamus. Unde Syrus vertit, *cumque instructi fueritis in omnibus, stetis.*

Non sat tuta securitas vitæ in Christiana militia.

14. STATE SUCCINCTI (περιζωσάμενοι, id est *circumcineti*) LUMBOS VESTROS IN VERITATE, — « in veritate, » id est veritate. Est hebraismus. Hebræi enim *bet*, id est *in*, tribuunt instrumento; sic dicunt : Percussit hostes in ore gladii, id est ore, puta acie gladii. Hæc est prima panopliæ, sive armaturæ militis Christiani pars, scilicet balteus, sive cingulum militare, quod est *veritas*. Videtur alludere Apostolus, ait Chrysostomus, ad lebræos, quibus egressuris Ægypto in Chanaan, ut essent expediti ad iter et pugnam cum hostibus, ita præcipit Dominus *Exodi* XII, 11 : « Renes vestros accingetis, et calceamenta habebitis in pedibus, » etc. Quæ pulchre Chrysostomus hic in mor hom. 3, in sensu allegorico accommodat Christianis

Alludit Apostolus ad illa Israelitarum cinctorum et calceatorum.

hinc in cœlum armata manu tendentibus, q. d. Apostolus : Milites lumbos balteo muniunt coriaceo, aureo, argenteo; vos, o Christiani, lumbos vestros munite veritate quasi balteo.

Quæritur hic *primo*, quid significet cingulum vel balteus?

Quintuplex symbolum est cingulum. Primo, cingulum et balteus est symbolum fidelitatis.

Respondeo, *primo*, symbolum est fidelitatis; hinc conjuges cingulo cinguntur, ut significent amorem et fidem, qua alteri conjugi sunt obstricti et devincti. Hinc apud Jeremiam Deus populum Israel vocat *lumbare* (id est cingulum lumbos cingens) suum, quia scilicet populus hic instar cinguli lumbis et renibus Dei, id est, intime Deo adstrictus et devinctus erat. « Sicut enim, inquit Dominus *Jeremiæ* XIII, 11, adhæret lumbare ad lumbos viri, sic agglutinavi, » id est, conjugio copulavi, « mihi omnem domum Israel, ut esset mihi in populum, et in laudem, et in gloriam. » Hujus rei symbolo sacerdos tunicam suam cingulo constringebat, *Exodi* XXVIII, 39, ut significaret sacerdotem Deo, et per sacerdotem populum Deo astringi.

Addit D. Thomas, lumbos symbolum esse amoris, quia in lumbis origo est seminis et concupiscentiæ. Significat ergo lumbare, populum ad Dei lumbos, id est amorem et conjugium, assumptum, sicut ait *Osee*, XI, 4 : « In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis. » Sic sponsi suis sponsis donare solent cingulum, vel fasciam pectoralem byssinam, ut per illam sponsæ semper admoneantur fidei conjugalis, atque puritatis cordis, ut scilicet mamillas, quæ sunt cordis diverticula, id est affectus suos, continentia coerceant, seque mundas toro sponsi conserventi, ut nonnisi sponsum ament, illique purum cor et affectum suum tradant. Ita Deus populo Israel, quem quasi in sponsam sibi asciverat, cum jam ab eo ad idola desciviset, improperat inter alia, *Ezechiel.* XVI, 10 : « Cinxi te bysso » (scilicet candidissima : hoc enim significat Hebræum שׁשׁ *sesos*, unde derivatur et dicitur שׁוֹשַׁן *sosanna*, id est lilium, quia candidum), q. d. Lege et religione mea quasi cingulo te, o Israel, olim mihi in Sina astrinxi, ut per ea admonereris castitatis conjugalis, puritatis et fidei intemeratæ erga me maritum tuum, diceresque : « Dilectus meus mihi, et ego illi; » et : « Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur; » tu vero hoc sprevisti, et me spreto idolis quasi adultera adhæsisti.

Pari modo milites cingulum militare accipiant, ut eo admoneantur sacramenti militaris et fidelitatis, quam suo duci jurarunt. Unde balteus militis hujus et fidelitatis erat symbolum, et milites cum exauctorabantur, balteum deponebant; vel etiam eo privabantur, si infideliter vel ignave in bello se gessissent.

Secundo, cingulum est symbolum fortitudinis et constantiæ : eadem de causa zona est vestis militis et gladiati, et gladius a balteo dependere solet. Lumbi enim, inquit Chrysostomus, superiorum et inferiorum corporis partium sunt fundamentum et junctura. Hinc est quod laborantes et lassi plerumque manus illuc quasi in fundamentum quoddam inmittunt, ut hoc pacto se confortent. Milites ergo balteo laminis conserto lumbos quasi mediam, mollissimam et fundamentalem corporis partem tuentur, continent, muniunt et roborant.

Tertio, cingulum fortitudinis et constantiæ.

Tertio, cingulum, ut recte notat Pierius, hieroglyphico 40, symbolum fuit integritatis et virginitatis tam apud Hebræos, quam apud Græcos et Latinos.

Tertio, cingulum est symbolum integritatis et virginitatis. Virgines et sacerdotes olim apud veteres gestabant cingula ut honor.

De Hebræis patet *Isaiæ* III, 24, ubi virgines Hebræas captivitate puniendas describens : « Et erit, inquit, pro zona funiculus, et pro fascia pectorali cilicium. » Ecce pro deliciis virginum zonam et fasciam posuit Isaias, et merito, quia sicut ubera subacta signa sunt meretricis, *Ezech.* XXIII, 3 : « In Ægypto, inquit, in adolescentia sua fornicatæ sunt, ibi subacta sunt ubera pubertatis earum : » sic papillæ studiose revinctæ signum sunt illibati floris virginei, in quo puellarum honos consistit.

De Græcis testis est Pausanias, Trœzeniorum virgines zonam Palladi ante nuptias dedicasse. Sic Athenis templum Dianæ Solvizoniæ structum legimus apud Apollonium in *Argonaut.*, in quo novæ nuptæ suspendebant zonas, quas solverant per conjugium.

De Chaldæis testis est Herodotus, lib. I, eoque respexit *Baruch*, cap. VI, 42, cum ait : « Mulieres circumdatæ funibus in viis sedent, » id est feminæ ad ædes Veneris funiculis quasi zonis præcinctæ, quibus virginitatem profitentur, hospitibus ad Veneris fanum adventantibus pudorem prostituunt, deaque Venere sic expiata domum revertuntur. Hoc enim execrabili et satanico invento Babylonicæ virgines colebant Venerem, et suam virginitatem dicabant Veneri : nimirum, ut narrat Herodotus, antequam matrimonium ineirent, cumque quærerent maritum, ante templum Veneris residebant, donec advena quispiam eis abuti vellet; is dabat abusæ pretium cum hac imprecatione : Tanti ego tibi deam Milyttam, id est Venerem, imploro; illudque pretium abusæ templo Veneris offerebant, sibi persuadentes se hac ratione sibi deam conciliaturas, et ab ea sponsum egregium et felix matrimonium impetraturas. Ut vero advenas amasios allicerent, hoc philtro utebantur. Cremabant ossa, id est nucleos duros et quasi osseos, olivarum, cum hac imprecatione, ut pari modo hospites earum amore torrerentur, ossaque hæc ita adusta, et in cineres redacta spargebant in ventum, jaciendo ea trans caput, ut dixi loco citato Baruch, idemque docte ex Theocrito, Virgilio et aliis docent Antonius Guevara, præfat. *in Habacuc*, et antecessor meus Martinus Delrio, lib. III *Disquisit. magic., part.* I *Quæst.* III. *sect.* 2.

De Latinis testis est Ovidius cum canit :

Castaque fallaci zona recincta manu.

Hinc olim in veteri Testamento (uti et apud Gentiles) et etiamnum sacerdotes in sacris cingulo utuntur, ut moneantur, ait Cyrillus, fluxæ libidinis luxuriam et animi cupiditates, castitatis et temperantiæ cingulo coercere.

Quarto, zona ornamentum et symbolum gloriæ, maxime si zona bullis aureis gemmeisque distincta esset, quæ proprie dicitur balteus, quasi bullatens, ait Pierius. Hinc suis baltei superbiebant gloriosi milites. Unde *Jerem.* XIII, 9, Dominus ait ad Jeremiam : « Sic putrescere faciam superbiam Juda, » sicut scilicet putrit lumbare, id est balteus hic tunc, uti jam dixerat vers. 7.

Quarto, zona vestis et symbolum est hominis expediti et parati ad iter, bellum, et ad quoslibet opus ac ministerium. Præcincti enim solent esse expeditiores, firmiores et constantiores in opere. Hinc quinque symbola conveniunt nostro huic balteo militis Christiani, uti jam ostendam. Unde

Quæritur *secundo*, quæ sit hæc *veritas*, quæ instar cinguli Christianum militem cingit ?

Primo, aliqui intelligunt veritatem doctrinæ et fidei, quam hæresibus opponimus ; hæc enim proprie dicitur veritas. Ita Chrysostomus, Theophylactus, Anselmus. Verum obstat quod fidem non balteo, sed multo comparet Apostolus, vers. 16.

Unde melius *secundo*, fidem accipunt veritatem quæ est in moribus, qua nimirum res omnes nimendas et amplectendas per veritatem, id est, per virtutem et virtutis verum rectumque dictamen metimur. Quid enim aliud est humilitas ? quid caritas ? quid patientia ? quid aliud sunt cæteræ virtutes, quam lumina veritatis ? ut quidam Sanctorum vere et sapienter dixit ; veritatis, inquam, qua res parvæ ut parvæ, terrenæ ut terrenæ, viles ut viles, magnæ ut magnæ, honestæ ut honestæ, cœlestes ut cœlestes æstimantur et adamantur. « Qui cinctus est hac veritate, ait Chrysostomus, nunquam fatigabitur, vel si fatigetur, in veritatem hanc reclinabitur et conquiescet. Quid enim ipsum, dic quæso, fatigabit ? paupertas ? nequaquam : requiescet enim in veris divitiis, et per paupertatem istam cognoscet quæ sit vera paupertas. Sed servitus ipsum fatigabit ? nequaquam : novit enim quæ vera servitus sit ; idemque judicium de ægritudine, fame allisque quæ alios affligere soleut. » Hic sensus probabilis est et appositus.

Tertio, Adamus veritatem interpretatur sinceritatem, quasi eam opponat Apostolos hypocrisi Simonis Magi et asseclarum.

Verum respondeo et dico, veritatem hic significare fidelitatem et integritatem. Alludit enim Apostolus ad *Isaiæ* XI, 5, ubi de Christo dicitur : « Et erit fides (hebraice אמונה *emuna*, id est fidelitas) cinctorium renum ejus, » *q. d.* Veracitas sive fidelitas perpetuo Christo adhærebit, mere cinguli Christum cingens, ornans et roborans. Sic enim Paulus Christianos instar Christi vult esse succinctos veritate, id est fidelitate quasi cingulo. Nam Hebræis sorores sunt hæ voces אמת *emet*, id est veritas, et אמונה *emuna*, id est fides sive fidelitas, ab eadem radice et matrice אמן *aman*, id est firmus, stabilis constans fuit, genitæ ; constantia enim mater est veritatis et fidelitatis. Hinc *veritas* sumitur hic et alibi pro fide sive fidelitate. Sicut ergo balteus militaris, ut dixi, symbolum est sacramenti militaris et fidelitatis, qua miles astrictus est suo duci : ita balteus Christianorum est fidelitas, quam sacramento baptismi promiserunt, quaque se astrinxerunt Deo, quamque in christianismo professi sunt et profitentur ; in baptismo enim professi sunt se renunciare Satanæ et pompis ejus, Christique fidem et legem sectaturos, ac communi Christi militiæ ascripti bellum perenne indixerunt Satanæ.

Rursum, sicut cingulum, ut dixi, symbolum est fidelitatis et amoris conjugalis, quo quasi cingulo conjux conjugi astringitur et alligatur : ita cingulum hoc Christianorum est fidelitas et amor non tantum militaris, quo Christo quasi capitaneo suo sunt obstricti ; sed et conjugalis, quo Christo quasi sponso devinciuntur. Itaque cingulum hoc Christianorum est fidelitas in Christi fide, religione, cultu, obedientia, ut illi quasi capitaneo, imo sponso nostro fideles simus usque ad mortem, et usque ad sanguinem pro eo contra diabolum et quosvis hostes depugnemus, uti fecerunt Martyres, qui maluerunt perdere vitam, quam fidem et obedientiam Christi. Tales debent esse omnes Christiani, nimirum ita fideliter servire et obedire Christo, ut malent subire mortem et quasvis pœnas, quam Christum offendere, ejusque legem transgredi, *q. d.* Paulus : Videte, o Ephesii, ne fidem Deo in baptismo datam violetis ; fidem dico, quam quasi milites militiæ et vexillo Christi ascripti debetis duci vestro, quamque quasi conjuges eidem Christo debetis quasi sponso. Mementote vobis bellum cum dæmone esse, non tantum pro capitaneo, sed et sponso vestro ; sicut ergo milites pro conjugibus sibi charissimis fortissime pugnant, in eisve et mortem ruunt : ita et vos pro Christo sponso vestro fortissime ad mortem usque pugnate : qui enim capitaneus vester est Christus, idem et sponsus et maritus est vester.

Porro S. Gregorius Nazianzenus, *orat.* 42 : « Quæro, inquit, quid lumbis cum veritate commune sit, et quæ Pauli mens fuerit cum diceret : State igitur succincti lumbos vestros in veritate ? Num forte quod speculatio concupiscentiam coerceat, nec aliorsum ferri sinat ? Nec enim fieri potest, ut qui cujuspiam rei amore flagrat, pe-

rem ad alias voluptates vim habeat. » Hoc est, ut explicat Nicetas, « Christi contemplatio lumbum nostrum et concupiscentiam constringit, eamque totam ad rerum divinarum amorem transfusam et derivatam diffundi ac dispergi non sinit. » Christus enim est veritas, *Joan.* XIV, 6. Oratio igitur et contemplatio Christi rerumque cœlestium, minuit et infringit concupiscentiam, quæ in lumbis sedem habet : unde et ad ejus mortificationem hominem extimulat.

Hinc *secundo*, uti cingulum militare symbolum est fortitudinis et constantiæ : ita hoc cingulum Christianorum, scilicet veritas, significat constantiam et fortitudinem (unde et radix Hebræa אמן *aman*, a qua descendit et nascitur *emet*, id est veritas, significat esse firmum et constantem, ut dixi), monetque nos, ut simus fortes et constantes in jam dicta fidelitate, militia et obsequio Christi.

Rursum *tertio*, sicut cingulum symbolum est integritatis et virginitatis : ita per veritatem, integritatem hanc et puritatem intelligit Apostolus. Sic enim verum aurum dicitur quod integrum est et purum, nullaque cupri, aut alterius metalli impuritate falsatum et vitiatum : præsertim quia fidelitas sine integritate esse non potest, eamque includit. Fideles enim esse non possumus in Dei obsequio, nisi in eo simus et integri. Hæc vero integritas et puritas maxime spectatur in temperantia et castitate. Sicut enim duo maximi hostes sunt amor carnis et amor Dei : ita qui fideles sunt in Dei amore, necessario amorem carnis et libidinis stringere, coercere et supprimere debent, *q. d.* Apostolus : Balteus, o Ephesii, vos ornans, stringens et roborans, sit veritas, id est integritas morum in comprimenda concupiscentia, maxime libidinis, quæ in lumbis primam sedem et originem habet. Ita Chrysostomus, Hieronymus, Theophylactus, Anselmus, ut alludat Apostolus ad *Luc.* XII, 35 : « Sint lumbi vestri præcincti. » « Lumbos præcingimus, inquit S. Gregorius, cum carnis luxuriam quæ in lumbis est, per continentiam coarctamus. » Hinc sacerdos se vestiens cingulo : « Præcinge, inquit, Domine, lumbos meos cingulo castitatis, ut maneat in me virtus continentiæ et castitatis. » « Quia igitur, inquit Hieronymus, lumbi in generatione semper accipiuntur et semine, secundum illud : De fructu lumbi tui ponam super thronum tuum ; et alibi : Adhuc in lumbis erat Levi patris sui Abraham, quando obviavit ei Melchisedech : videtur mihi accinxisse lumbos suos, qui nequaquam uxori debitum reddit, nec servit libidini, sed imitatur ingenitum Deum generationis negotiis non ministrans. Hoc idem reor et illud significare, quod Joannes zonam pelliceam habebat circa lumbos suos, et non erat de immundis, qui propter fluxum seminis extra castra projecti, cum arca Domini habitare non possunt. Nec ex his, de quibus in *Numeris* scribitur : Sint vestimenta ejus dissuta. Qui autem Christo accinctus est veritate, hæc vestimenta in altum colligit, et sursum trahit, et nudorum laterum fœditatem balteo spirituali velat, stringit et includit, et paratus ad prælium est : et opera habet lucentia, quæ lucernæ dicuntur ardentes. »

Ad hæc *quarto*, hoc fidelitatis, constantiæ, integritatis et castitatis cingulum, de quo huc usque, mire ornat Christianos, ut miro decore hisce suis virtutibus quasi ansulis connexum et variegatum Christianum cingat et decoret : nimirum cum in eo clucet constans fidelitas, et fidelis integritas, et integra castitas, et casta constantia, sicque una virtus aliam quasi ansa ansam excipit, hominemque cingit et coronat.

Denique *quinto*, hæc fidelitas facit Christianum expeditum ad bellum cum dæmone ineundum, ad quodvis opus Christianum suscipiendum, ad iter in cœlum ingrediendum. Unde S. Hilario zona est efficax in omne bonum apparatus, ut ad omne ministerium Christi promptæ voluntatis cingulo simus accincti. Sed hæc promptitudo rursum et melius per calceamenta signifieatur, de quibus sequitur.

ET INDUTI LORICAM JUSTITIÆ. — Id est, pro lorica vestra sit justitia. Pro *lorica* græce est θώραξ. Nota : Thoracis duæ sunt partes, una superior, quæ a pectore ad umbilicum ; altera inferior, quæ ab umbilico ad genua protenditur dicitur que a Græcis ζώνη. Utriusque hujus partis junctura et commissuram faciunt lumbi, quos tegit et munit balteus, vel cingulum, ut dixi. Lorica ergo hic Germanica intelligitur, nimirum quæ a collo ad genua porrigitur, tegitque tam femora, quam pectus, adeoque totum hominis corpus, quatenus crassum et solidum est. Unde loricam hanc vocat justitiam non specialem, quæ cuique jus suum reddit ; sed generalem, quæ est complexio omnium virtutum. Hæc enim totum hominem obarmat, et ab omni parte communit. Unde Chrysostomus : Lorica, inquit, justitia est catholica et virtute prædita vita, *q. d.* Lorica vestra, o Christiani, sint opera justa et sancta, quibus assidue cor et pectus undequaque obarmetis, ut non tantum bello defensivo diabolo redstatis ; sed et offensivo acres illi plagas et dolores infligatis. Opera enim bona flagellant et cruciant dæmonem : nimirum uritur nostra humilitate ejus superbia, nostra patientia et injuriarum condonatione ringitur ejus ira et impatientia, nostra dilectione et obsequiis pungitur et configitur ejus invidia.

15. ET CALCEATI PEDES IN PRÆPARATIONE EVANGELII PACIS. — « In præparatione, » hoc est præparatione ; sicut « in veritate, » idem est quod veritate. Hebræi enim, ut dixi, exprimunt *bet*, id est in, cum ablativo instrumenti, quod apud Latinos esset solœcismus, *q. d.* Calcei nostri sint præparatio Evangelii pacis.

Quæritur hic *primo*, cujus rei symbolum sint calcei, et quid significent in Scriptura ?

Primum symbolum est: Primo, libertatis.

Respondeo *primo*, calceus symbolum erat libertatis. Servi enim uti et captivi incedebant nudis pedibus. Hinc nudi pedes signum sunt captivitatis et servitutis. Ita Isaias ambulavit nudus et discalceatus per triduum, vel, ut alii, per triennium, ut portenderet captivitatem Ægyptiis et Æthiopibus imminentem ab Assyrio Sennacherib, qua nudis pedibus ducendi erant captivi in Assyrium, *Isai.* XX, 3. Contra, Hebræis servitute Ægyptiaca egressuris dicitur : « Calceamenta habebitis in pedibus, » id est, non jam nudis pedibus incedite, sicut hucusque more mancipiorum fecistis, sed calceati instar ingenuorum et liberorum.

Secundo, mancipii.

Secundo, calceus symbolum erat usucapionis, possessionis et dominii; discalceatio vero signum erat cessionis juris sibi debiti. » Sic *Ruth*, cap. IV, vers. 7, dicitur : « Hic, inquit, erat mos antiquitus in Israel inter propinquos, ut, si quando alter alteri suo juri cedebat, ut esset firma concessio, solvebat homo calceamentum suum, et dabat proximo suo : hoc erat testimonium cessionis in Israel. » Idem patet *Deut.* XXV, 7. Contra de Davide dicitur *Psalm.* LIX, vers. 10 : « In Idumeam extendam calceamentum meum, » id est possessionem meam, *q. d.* Calcando Idumeam calceis meis, adibo possessionem Idumææ, eamque meo dominio subjiciam.

Tertio, lætitiæ.

Tertio, calceus symbolum erat lætitiæ; contra discalceare se, sicut et cæsariem comamque radere, signa erant luctus. Sic Ezechiel cum a Domino juberetur non lugere uxorem defunctam cap. XXIV, vers. 17, audit : « Corona tua circumligata sit tibi, et calceamenta tua erunt in pedibus tuis, » id est, ne luctuosis cæremoniis prosequaris ejus mortem. Atque hæc fere sunt symbola calceorum domi togæque. Nam aliud foris et militiæ significat calceus.

Quarto, constantiæ, ut animi intrepidi.

Unde *quarto*, in militia calceus symbolum est constantiæ, confidentiæ et animi intrepidi. Qui enim nudipes est, timide et pedetentim incedit, ne pedem alicubi offendat; contra, calceatus audacter. Sic Homerus Græcos milites Trojam obsidentes et expugnantes vocat εὐκνήμιδας Ἀχαιούς, id est, bene ocreatos Achivos. Calceis enim militaribus non tantum planta pedis, sed et pes ipse ac tibia obtegitur, talesque calcei sunt ocreæ; unde per calceos hic ocreæ accipi possunt : hæc enim sunt calcei equitum. Unde S. Cyprianus causam cur Apostolus fidelium pedes velit esse calceatos, hanc dat : « Ut serpens, inquit, a nobis calcatus obteratur, nec armatos pedes possit mordere. »

Calcei militis Christiani sunt primo, mortificatio.

Quæritur *secundo*, qui sint calcei militis Christiani, quibus eum hic calceari vult Apostolus. Respondet *primo*, Gregorius Nyssenus, lib. *De Vita Mosis*, esse vitam mortificationis duram et asperam; vel, ut alii, esse memoriam mortis. Calcei enim fiunt ex mortuorum animalium pellibus et corio : unde sunt signa mortalitatis. Hinc S. Dionysius, *Cælest. Hierarchiæ* cap. XV, docet angelos pingi discalceatos, eo quod sint immortales, liberi et puri, sine affectu, labe, commistione. Memoria ergo mortis quasi calceus facit hominem expeditum, ut concupiscentiis et diabolo resistat, ut illecebras præsentis vitæ utpote breves et caducas contemnat, fortiterque dimicet pro vita immortali adipiscenda. Verum hic sensus non est litteralis, sed tropologicus.

Secundo exempla patrum defunctorum.

Secundo, ex S. Gregorio Anselmus : « Calceamenta, inquit, quæ fiunt ex coriis mortuorum animalium, significant exempla patrum jam defunctorum, quibus ab omni terrena lesione defenduntur pedes nostræ mentis, id est affectiones, quibus tanquam pedibus ad faciendum aliquid promovemur. Lædituri enim pes prædicatoris a terra, si affectus ejus terrenum commodum ex prædicatione appetit, id est, si propter terrenum commodum, non propter regnum cœlorum prædicat Evangelium. Et ideo prædictis calceamentis induantur pedes nostri, id est exemplis patrum muniantur : ut, sicut patres studio supernæ intentionis, non appetitu terrenæ commoditatis prædicaverunt Evangelium, sic et nos faciamus. » Sed et hoc est tropologicum.

Tertio, animus intrepidus et audax ad propagandum Evangelium.

Tertio, Hieronymus Prado in *Ezech.* cap. XVI, pag. 183, vult calceos esse animum intrepidum et audacem (hujus enim, ut dixi, calcei in militia sunt symbolum) « in præparationem » (ita enim ipse legit cum Theophylacto et nonnullis Bibliis), id est, in confirmationem et defensionem Evangelii : *præparare* enim in Scriptura sæpe significat roborare, stabilire, confirmare. Hæc enim omnia significat Hebræum כּוּן *cun*. Sic *Psal.* XXIII, 2, dicitur : « Ipse, scilicet Deus, super flumina præparavit (id est fundavit et firmavit) eum, » orbem scilicet terræ. Sic *Isai.* II, 2 : « Erit, inquit, præparatus (id est fundatus et firmatus) mons domus Domini in vertice montium (1). »

Verum hi omnes novos supplent et inveniunt calceos, cum hi calcei sint ex verbis Apostoli quærendi, qui sicut scutum, gladium, galeam, balteum, loricam, ita et calceos proprios militi Christiano consignat et explicat. Unde sicut dixit lumbos ejus succingendos esse in veritate, quasi cingulo : ita hic dicit calceandum esse « in præparatione » (ita enim legendum cum Græcis et Latinis Romanis ac Hieronymo : non autem, *in præparationem*, uti legit Theophylactus et Prado), id est præparatione Evangelii, quasi calceo.

Quarto et genuine, præparatio Evangelii est calcens militis Christiani, et in quo consistat.

Sico ergo, « præparatio Evangelii » est calceus militis Christiani. Præparatio autem hæc, ut recte notat Chrysostomus et Theophylactus, est alacris promptitudo, et prompta alacritas animi, partim ad ambulandum viam Evangelii pacis, partim ad eam annuntiandam, qua per infensissimos Simonis, Gnosticorum, immo dæmonum et hostium omnium, cuneos fortiter pergamus et

(1) Quæ interpretatio Rosenmullero præplacet.

enetremus in cœlum. Plebs enim Christiana hac promptitudine calceata esse debet, ut per viam Evangelii inoffenso pede ambulet, suaque sancta vita et conversatione alios ad eamdem viam incundam alliciat, itaque fidem et Evangelium propaget et promoveat. Unde de hac præparatione et promptitudine dixit S. Joannes Baptista : « Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus, » inquit Chrysostomus. Apostoli vero, Doctores et Pastores hac alacritate calceari debent, non tantum ut ipsi in hac Evangelii via ambulent, sed etiam ut sua prædicatione et sanctitate alios ambulare faciant, adeoque ut pergant ad barbaras gentes, iisque annuntient Evangelium, ut et ipsæ juxta Evangelium vivant et ambulent.

Eapropter *Marci* VI, 9, Apostolis et prædicatoribus Evangelii dantur sandalia, quo scilicet audenter et alacriter suscipiant munus sibi injunctum, et omni timore humano deposito illud exerceant. Sandalia ergo hæc et calcei signum sunt tum libertatis, tum dominii, tum lætitiæ, de quibus dixi quæstione prima, tum maxime animi constantis, excelsi, alacris et intrepidi : sunt enim calcei militis.

Calceus hyacinthinus Ecclesiæ symbolum est triplicium ornamentorum et virtutum ejus.

Addit Ezechiel cap. VI, vers. 10, sponsam Dei, id est Ecclesiam (puta Ecclesiæ fideles, filios et milites), calceatam esse ianthino, id est, hyacinthino, sive violaceo corio et calceo. « Calceavi, inquit, te ianthino, » *q. d.* O populi Israel, qui es electus in sponsum Dei, in Ægypto quasi mancipium nudipes servisti; jam cum te inde educo, libertate te dono, et in signum libertatis do tibi calceum, eumque hyacinthini, id est violacei et cœlestis coloris; *primo*, ut significem cœlestem debere esse tuam vitam, conversationem et spem, ut terrena relinquens festines ad cœlestia, ait S. Gregorius, lib. XXX *Moral.*, cap. X.

Alacritas et promptitudo animi necessaria ad Evangelium annuntiandum et propagandum.

Secundo, ut significem amorem et sponsum tuum esse in cœlo : Deum nimirum ipsum, qui e cœlis te protegit, ut alacrius et perfectius ambules, aut etiam prædices viam in cœlum.

Tertio, hyacinthus vestis erat regalis, *Eccli.* XI, 4 : « Ab eo qui utitur hyacintho, et portat coronam (id est a rege), usque ad eum qui operitur lino crudo (id est plebeium et pauperem). » Calceus ergo hyacinthinus animum excelsum et vere regium significat, qui in cœlis fixus calcat omnem terrenum dominatum. « Namque pedes quibus progredimur, inquit Hieronymus Prado *in Ezech.* cap. XVI, pag. 185, affectus significant quibus animus fertur, quocumque fertur, teste Augustino; calceamentum vero libertatis et dominationis est signum, hyacinthus autem cœlestis regni imago. Pedes itaque calceati hyacintho indicant animum ingenuum, liberum et regalem, qui spe cœlestium bonorum terrena hæc omnia pessumdat et proterit. Vide in Apocalypsi mulierem amictam sole, et lunam sub pedibus ejus, atque coronatam stellis duodecim, reginæ videlicet simulacrum, quam Vates describit lucida vestitam cyclade, calceatamque hyacintho, et quam sponsus commendat ab incessu decoro et gratioso ob calceamenta hyacinthina; desiderium cœlestium spirantia. Et in *Cantico Canticorum* : Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis! Ubi observandum, tunc sponsam filiam principis appellatam a sponso, cum calceamentis (haud dubie hyacinthinis) pedes ornaverit, quia pedes calceati symbolum exhibent regiæ dignitatis, ut diximus. » Ita Prado.

Itaque calceus Ecclesiæ reginæ et sponsæ Dei, ac cujuslibet militis Christiani, qui hujus reginæ filius est, debet esse hyacinthinus, ut videlicet terram et terrena omnia pedibus calcet, animo versetur in cœlis, eo contendat magna alacritate et promptitudine, memor se, utpote regis Christi et reginæ Ecclesiæ filium, regem esse, et ad cœleste regnum vocari illudque brevi initurum, ut cum triumpho una cum aliis Beatis, utpote regibus perenniter canat : « Fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes, et regnabimus super terram, » imo super cœlum, « in sæcula sæculorum. »

Alacritas et promptitudo animi necessaria ad Evangelium annuntiandum et propagandum.

Hæc est ergo « præparatio, » id est, alacritas et promptitudo, qua Ephesios et quemvis Christi militem calceat Apostolus : ut nimirum promptus sit non solum ad Evangelium retinendum et defendendum, sed etiam ad illud propagandum per Gentiles licet invitos et adversantes; utque, sicut inquit Chrysostomus et Theophylactus, paratus sit ad exitum scilicet ex hac vita, tot tentationibus, conflictibus, periculis et ærumnis obnoxia, ad aliam quietam, beatam et æternam.

Unde pulchre S. Basilius in *Admonit. ad filium spirtual.*, militem Christi cum milite sæculari conferens, ita excitat ad hanc animi promptitudinem dicens : « Miles terrenus quocumque loco mittitur, paratus ac promptus est, neque se uxoris aut liberorum gratia excusare audebit : multo magis miles Christi, sine aliquo impedimento regis sui imperio debet obedire. Ille in prælio galeare ferream gestat : sed tua galea Christus sit, qui est caput tuum; ille lorica ne vulneretur indutus est : sed tu pro lorica sis fide Christi circumdatus. Ille contra adversarium suum mittit lanceas et sagittas : tu contra adversarium divina eloquia jaculare. Ille donec pugna geritur, arma a semetipso non projicit, ne ab adversario vulneretur : ita et tu nunquam debes esse securus, quia tuus hostis hoste illius astutior est. Ille si superaverit, ad domum revertitur : tu vero hoste prostrato in illud cœleste regnum cum omnibus Sanctis intrabis. »

Evangelii pacis. — Id est Evangelii, sive lieti nuntii, quo pax, id est omnia bona cum Dei benevolentia et amicitia hominibus promittuntur. Ita Chrysostomus et Theophylactus. Pax enim Hebræis omnem prosperitatem, omnia fausta et felicia, bonorumque omnium copiam significat. Unde hæc erat Hebræorum, et ex iis Christi Apos-

Salutatio Christi et Hebraeorum, *Pax tecum.*

toloramque salutatio, *Pax tecum*, qua omnem felicitatem omniaque bona aliis apprecabantur.

Secundo, dici potest « Evangelium pacis, » id est pacificum, pacem docens, concilians, afferens. Evangelium enim docet offensas remittere, inimicos diligere, dissensiones et lites aversari, concordiam et pacem quærere ac tueri.

VERS. 16. 16. IN OMNIBUS SUMENTES SCUTUM FIDEI, IN QUO POSSITIS OMNIA TELA NEQUISSIMI IGNEA EXTINGUERE. — Nota : Pro *in omnibus* græce est ἐπὶ πᾶσιν, quod Vatablus verfil, *super omnia*; sed Noster aptius vertit, *in omnibus*. Vult enim, ut recte notat Hieronymus, nos in omni tentatione et opere gestare clypeum fidei, eoque venientes diaboli sagittas et suggestiones excipere et retundere (1).

Secundo, pro *nequissimi*, græce est τοῦ πονηροῦ, id est, ut Vatablus et Erasmus vertunt, *illius mali* vel scelesti, hoc est, ecclesiastæ et nequissimi, puta diaboli.

Tela ignea diaboli quænam sint?

Tertio, « tela » ejus « ignea, » id est, instar ignis penetrantia, ardentia et inflammantia sunt suggestiones diaboli, quibus phantasiæ pravas cupiditates suggerit, et ad eas appetendas concupiscentiam et appetitum accendit et inflammat. Illisce telis vulnerat animam. « Anima, ait Origenes, hom. 8 *in Num.*, quoties peccat, toties vulneratur. O si possemus per unumquodque peccatum videre, quomodo homo noster interior assidue vulneratur ! Vulneratur per linguam animæ, vulneratur et per cogitationes, et concupiscentias malas; frangitur autem et conteritur per opera peccati. Quæ si omnia videre possemus, et vulneratæ animæ sentire cicatrices, certum est, quod usque ad mortem resisteremus adversus peccatum; sed nos cupiditatibus sæculi amentes effecti, vel vitiis inebriati, sentire non possumus quanta vulnera, quantas contritiones animæ peccando conquirimus. »

17. ET GALEAM SALUTIS ASSUMITE, — id est, ut Theophylactus et Vatablus, galeam salutarem quæ caput servet et salvet. Sed quænam est hæc galea? quibus verbis eam declarat et explicat Apostolus? Dico ergo, « galeam salutis, » id est galeam quæ est ipsa salus, sicut dixit « scutum fidei, » id est scutum quod est ipsa fides (2). Galea ergo militis Christiani est salus allata a Christo, et sperata a Christianis, hoc est spes salutis : ita enim se explicat Apostolus, I *Thessal.* v, 8 : « Induti, inquit, loricam fidei et charitatis, et galeam spem salutis. » Ecce spem salutis vocat *galeam*. Sicut enim galea principem corporis partem, puta caput ipsum, a quo cætera membra totusque homo pendet, tuetur et communit : ita spes salutis, et gloriæ cœlestis ac immortalis servat et communit caput, id est hominis cogitationes, fines et intentiones. Hæc enim in actionibus id sunt, quod caput in homine, scilicet principium et gubernaculum actionum et agendorum. Nam sicut caput regit, dirigit, movet et gubernat cætera membra, totumque hominem : ita finis et intentio dirigit, movet et gubernat omnia hominis desideria, verba et opera (3).

Galea est spes, caput est fides sen intentio.

Spes ergo quasi galea caput nostrum symbolicum, puta finem et intentionem, armat et communit.

Primo, quia facit ut ultimus noster finis et intentio sit Deus, fruitio Dei, salus et beatitudo æterna, eoque refert omnes alios nostros fines et intentiones, ac consequenter reliqua omnia cogitata, dicta et facta nostra.

Secundo, quia facit ut homo cogitans bona illa immensa, quæ consecuturum se sperat, alias omnes cogitationes a diabolo suggestas repellat, hacque cogitatione et spe, ardua quævis aggrediatur, et animose cum hoste confligat, proponens sibi gloriam illam speratam, quæ victorem manet. Vide *ad Hebr.* XI, quam hac galea spe veteres Sancti armati fuerint et roborati, ad omnia dura vel suscipienda, vel toleranda.

Alludit Apostolus ad *Isaiæ* LIX, 17.

Nota *primo* : Alludit Paulus *ad Isaiæ* LIX, 17, ubi sic ait : « Indutus est (Dominus Deus) justitia ut lorica, et galea salutis in capite ejus : indutus est vestimentis ultionis, et opertus est quasi pallio zeli. » Quibus verbis Isaias per prosopopœiam describit Dei, quasi militis, arma et panoplium : scilicet justitiam quasi loricam, salutem (studium salvandi homines) quasi galeam jam dictam, et zelum quasi pallium : quibus armatus Deus peccatum, mortem, diabolum, hostes suos a nobis depulit, et homines impios genteseque infideles hostes suos subegit, ex impiis pios, ex infidelibus fideles, ex Ethnicis Christianos, ex inimicis amicos faciendo, ut recte ibi annotavit Theodoretus. Hanc enim suam panoplium Deus et Christus suis militibus, puta Christianis, communicant, ut hic docet Apostolus.

Galea militis Christiani est salus allata a Christo, vel gratia spes salutis.

Nota *secundo* : Græce est περικεφαλαίαν σωτήριον, hoc est *galeam salutaris*, id est, ut Hieronymus et alii exponunt, salvatoris, puta salvatorem Jesum, assumite pro galea : ut Jesus Christus omnes sensus qui sunt in capite, integros quasi galea servet et tueatur, inquit Hieronymus, omnisque noster sermo, mens, cogitatio, consilium sit in Christo. Septuaginta enim Interpretes, quos sequitur Paulus, Hebraeum יְשׁוּעָה, id est salutem, vertere solent σωτήριον, id est *salutare*, vel *salvatorem*, ut Christum salvatorem et salutem ab eo

(1) Ἐπὶ πᾶσιν potest etiam exponi, *ad hæc omnia*, id est, præter ista omnia ; vel, *omnino, ante omnia*.— *Scutum* et *clypeum* distinguunt quidam veteres ; sed h. l. species clypei pro *clypeo* quovis ponitur.

(2) Per σωτήριον hic metonymice intelligitur *spes* salutis æternæ ex Evangelio concepta, quod apparet ex I *Thess.* v, 8.

(3) Quomodo scutum vel clypeus *extinguere* possit tela, hoc loco frustra quæritur. Potuit enim Apostolus, qui voce *clypei* improprie utitur, suo ἅπαξ τῷ αὐτοῦ vim aliquam insignem tribuere, qua clypei propriæ tela carebant. Harum, *extinguere* nostrum est propter ignea.

allatam significent nomine concreto quasi proprio Christi.

Id iisdem Ephesiis, post quadraginta ab hac Pauli epistola annos, scribens S. Ignatius innuit dicens : « Nihil melius quam pax in Christo, per quam bellum omne aboletur aereorum et terrestrium spirituum. Non enim est nobis colluctatio adversus sanguinem et carnem, sed adversus principes et potestates, » etc. Et paulo superius : « Tantum ut in Christo Jesu inveniamur, ut vere vivamus : absque eo ne respirare quidem unquam velitis. Is enim mea spes est, is mea gloriatio, hæ denique meæ indeficientes divitiæ : in quo vincula a Syria Romam usque circumfero, spirituales margaritas, in quibus utinam mihi contingat consummari, ac participem Christi passionum, et socium mortis ejus fieri, et resurrectionis a mortuis et æternæ vitæ. »

Spes nostra est nomen Dei Jehova, quod includitur in nomine Jesu.

Hic sensus redit in idem, et cum priore coincidit. Spes enim salutis est illa, quam Salvator attulit, non alia; adeoque est ipse Christus salvator, ipse enim est spes nostra; consequenter est et galea nostra. Simili modo dicitur, *Proverb.* XVIII, 18 : « Turris fortissima nomen Domini. » Hebraice est nomen tetragrammatum et proprium Dei, scilicet יהוה *Jehova*, quod includitur in nomine Jesu non sono, sed sensu et significatione, ut dixi *Exodi* cap. III et VI.

ASSUMITE, — ἀναλάβετε, capite, arripite; Syrus, *apprehendite*.

Omnes Sancti usi gladio verbi Dei in tentationibus et angustiis.

ET GLADIUM SPIRITUS (id est spiritalem) QUOD EST VERBUM DEI. — Hoc gladio Christus vicit et jugulavit dæmonem se tentantem et oppugnantem, *Matth.* IV. Hoc gladio usi sunt sancti omnes, uti de S. Paula memorat Hieronymus in ejus *Epitaphio*. « Si quando, inquit, procacior fuisset inimicus, et usque ad verborum jurgia prosiliisset, illud psalterii decantabat : Cum consisteret adversum me peccator, obmutui, et silui a bonis; et rursus : Ego autem quasi surdus non audiebam, et quasi mutus non aperiens os suum. In tentationibus, Deuteronomii verba volvebat : Tentat vos Dominus Deus vester, ut sciat si diligatis Dominum Deum vestrum de toto corde vestro, et de tota anima vestra. In tribulationibus et angustiis, Isaiæ (juxta Septuaginta) replicabat eloquia : Qui ablactati estis a lacte, qui abstracti ab ubere, tribulationem super tribulationem exspectate, spem super spem, adhuc pusillum propter maliam labiorum, propter linguam malignam. Et Scripturæ testimonium in consolationem suam ediserebat, ablactatorum esse, eorum scilicet, qui ad virilem ætatem pervenissent, tribulationem super tribulationem sustinere, ut spem super spem mereantur accipere; scientes quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit. » Et infra per singula discurrens ita ait : « In languoribus et crebra infirmitate dicebat : Quando infirma sum, tunc fortis sum; et : Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, donec mortale hoc induat immortalitatem, et corruptivum hoc vestiatur incorruptione. Et iterum : Sicut superabundant passiones Christi in nobis, ita per Christum abundat et consolatio. Ac deinde : Ut socii passionum estis, sic eritis et consolationis. In mœrore cantabat : Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei, et Deus meus. In periculis loquebatur : Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. Et iterum : Qui vult animam suam salvam facere, perdet eam. Et : Qui perdiderit animam suam propter me, salvam eam faciet. Quando dispendia rei familiaris, et eversio totius patrimonii nuntiabatur, aiebat : Quid enim prodest homini si totum mundum lucrifecerit, et animæ suæ damnum habuerit : aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Et : Nudus exivi de utero matris meæ, nudus et redeam. Sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum. »

Panoplia militis Christiani ut a capite ad talos armati.

Hæc est ergo imago et ἔκφρασις militis Christiani a capite ad talos armati. Galea est spes salutis, sive spes in Christum; thorax ex justitia, id est operæ justa et sancta; balteus est veritas, id est sedulitas, integritas et castitas; calcei et ocreæ sunt preparatio et alacritas ad viam Evangelii incundam et propagandam; dextra tenet gladium, id est verbum Dei; sinistra scutum, scilicet fidem.

Similiter, sed paulo aliter S. Ephrem, tractatu *De Panoplia* sive armatura spirituali, hæc arma Christiano militi adaptat. « Galea, inquit, est spes, balteus est charitas, calceamenta sunt humilitas, scutum est crux, arcus est oratio. »

Hunc etiam alludens Tertullianus, sed confuse lib. *De Corona militis*, cap. I, militem se profitentem Christianum, ideoque graviter tortum ita describit : « Et nunc russatus (id est rubricatus) suo sangnine, spe calceatus, de Evangelii paratura succinctus, acutiore verbo Dei totus de Apostolo armatus, et de martyrii candida laurea melius coronatus, donativum Christi in carcere exspectat (1). »

Scriptura sacra

(1) « Cæterum huic loco, accurate loquendo, non inest allegoria, nam semper adhibitur explicatio ; in allegoria autem nil nisi imago osteditur, et explicatio relinquitur lectori. Est potius hic locus comparatio dilatata, cum perpetua explicatione. In hoc et similibus locis explicandis non est argumentum in singulis verbis ; nam omnes species armorum, quas hic commemorantur, redeunt tamen ad genus unum — arma, in applicatione *adminicula constantiæ*, cujus species sunt σκέπη, θώραξ, ὑπόδημα, et sic porro. Proinde non quærendum est, cur sinceritas comparetur cum cingulo, pietas cum thorace, firmitas cum ocreis, etc. Ex natura cinguli, thoracis, ocrearum, non potest causa comparationis erui ; manet enim eadem applicatio, sive hoc cum illo, sive aliud cum alio cogitetur ; et litterum manet scriptori *omnes* sic vel aliter orationem. Si quis objiciat, esse tamen magnum discrimen inter cingulum, thoracem, ocreas, etc., huic respondemus, differre quidem hæc arma, quia certis membris

Vers. 18

18. PER OMNEM ORATIONEM ET OBSECRATIONEM ORANTES OMNI TEMPORE IN SPIRITU, ET IN IPSO VIGILANTES IN OMNI INSTANTIA, ET OBSECRATIONE PRO OMNIBUS SANCTIS. — Nota : Post arma et panopliam militis Christiani, dat ei copias auxiliares, scilicet Dei et angelorum. Unde per orationem et obsecrationem jubet eas advocari. Oratio enim et arma jam dicta, et eorum usum et augmentum, id est vires internas impetrat pariter et externas; ut scilicet exterius Deus per angelos retundat et compescat ferociam et tentationes diaboli. Unde oratio magis necessaria militi Christiano quam cætera arma : Deus enim est, qui in omni tentatione et conflictu dat victoriam. Illius ergo gratia et adjutorium maxime per orationem est implorandum (1).

Copiæ auxiliares militi Christiano orando acquirendæ.

Hujus rei typus fuit Josue et Moses ; Josue militis pugnantis, Moses sacerdotis orantis speciem refert. Unde sicut Moses sua oratione impetravit victoriam Josue contra Amalec : « Cumque levavit, inquit Scriptura, *Exod.* XVII, 11, Moses manus, vincebat Israel; sin autem paululum remisisset, superabat Amalec. » Ita miles Christianus vincet diabolum et omnes hostes, si assiduum comitem et propugnatorem habeat orationem.

Conditiones in oratione hic explicat Apostolus.

Unde nota *secundo* : Conditiones requisitas in oratione hic explicat Apostolus.

Primo enim requirit in oratione assiduitatem, diligentiam et frequentiam, cum dicitur : « Per omnem orationem, » *q. d.* Per jugem assiduam et omnimodam orationem et obsecrationem, unde explicans subdit : « In omni instantia et obsecratione, » ut scilicet, inquit Theophylactus, instanter oret et obsecret cum fletu, genuflexione, tunsione pectoris, etc.

Secundo, ut Anselmus, ut obsecret obtestando Dei misericordiam per omnia sacra et sancta, v. g. per mortem, crucem, sanguinem Christi.

Utrumque enim significat obsecratio, scilicet *primo*, orationem ex intimo animi sensu, qui lacrymis, aliisque signis externis declaretur, manantem, ut exponit Theophylactus. *Secundo*, ut Anselmus, significat obtestationem et quasi adjurationem per res sacras. Reliquæ conditiones orationis patebunt ex sequentibus jam dicendis.

Unde nota *tertio* : Vult Apostolus ut singuli Christiani orent et obsecrent non tantum pro seipsis, sed et pro omnibus sanctis, id est Christianis quibusvis, et præsertim Apostolis et prædicatoribus Evangelii, qualis erat Paulus. Hinc patet populo Christiano valde commendandum esse, ut orent pro propagatione et propagatoribus Evangelii, hæresumque et infidelitatis extirpatione : et si hoc populo, quid Clericis faciendum est ?

Euchitarum error de obligatione semper orandi.

Nota *quarto* : Vult ut orent omni tempore. Hinc Euchitæ hæretici apud Augustinum, *hæresi* 57, docuerunt Christianum non debere laborare, nec aliud agere, quam ut semper oret. Unde dicti sunt Euchitæ, id est precatores. Sed hoc dogma stolidum est et impossibile.

Religiosa et pia intentio est continua oratio.

Secundo, S. Basilius, hom. *in Julittam Martyrem* : « Qui, inquit, bene semper agit, hic semper orat. » Per omnem enim virtutem Deo conjungimur, quod est officium orationis. Oratio enim non est aliud quam mentis in Deum elevatio, sive mentis cum Deo conjunctio. Inter alias autem virtutes maxime nos Deo conjungit religiosa et pia intentio : τὸ videlicet omnia opera nostra (ibidem pulchre docet Basilius) etiam manualia et fabrilia ad Dei gloriam referamus, ea scilicet faciendo eo fine, ut Deus per illa honoretur, ut hoc obsequium Deo præstemus, ut Deo placeamus. Hinc multi pii et sapientes viri initio studiarum et operum suorum orant, et per orationem studia et opera sua Deo offerunt. Id valde consulendum est simplicibus mechanicis et agricolis. Ii enim multa opera laboriosa sæpe faciunt sine merito, quia tantum lucrum aucupantur, qui si docentur insuper eo referre ad Deum, deique obsequium et gloriam, longe majora lucra apud Deum in cœlis, quam apud homines in terra sibi comparabunt, itaque præter lucrum temporale, quod ab hominibus exspectant, ingens lucrum spirituale conquirent apud Deum.

Tertio et simplicissime, vult Apostolus ut Christiani orent omni tempore, id est assidue, quantum per alia negotia licet. Ita Anselmus. Et, ut Augustinus, « omni tempore, » scilicet orationi destinato, sive ab Ecclesia, sive a propria devotione et consuetudine. Frequentiam enim orationis identidem hic aliis et aliis verbis inculcat Apostolus, præsertim ut certa et stata orandi tempora nullo tempore intermittantur. Nihil enim fructuosius facere potest Christianus, quam si omne tempus ab occupationibus aliis liberum det orationi, deoque vacet a quo omne donum descendit ; ita fiet, ut studia et opera ipsius felicius succedant, et melius fiant, utque Deus iis benedicat, iisque præmium et præsens et futurum largiatur. Hinc monet sapienter S. Basilius, ut orationem sequatur lectio (et quodvis opus), lectioni (et cuivis operi) succedat oratio.

Oratio facienda in spiritu.

Nota *quinto* : Hæc oratio facienda est « in spiritu, » id est conscientia munda et fide integra, inquit Ambrosius. Qui enim polluta mente orat, hic in carne orat. *Secundo* et genuine, « in spiritu, » id est mente, affectu, desiderio, non voce et labiis. Opponit enim spiritum multiloquio, sive battologiæ Gentilium, ait Chrysostomus, qui putabant se sua eloquentia et multiloquio flectere Deum, *Matth.* VI, 7, sicut oratores sua rhetorica flectunt judices. Unde Vatablus, « in spiritu, inquit, id est, cum fervore spiritus, hoc est, cum intimo et ferventi spiritu. » Spiritus enim et affectus est anima orationis. Multi simplices et rudes parum habent ex hoc spiritu, et fere tantum labiis orant. Hi docendi sunt adorare Deum in spiritu et veritate.

Oratio requirit vigilantiam et perseverantiam.

Nota *sexto* : In oratione requirit Apostolus vigilantiam et perseverantiam. Unde ait : « Et in ipso vigilantes, » græce εἰς αὐτὸ τοῦτο, id est *in hoc*, vel *ad hoc ipsum* (scilicet, ut in spiritu oremus omni tempore) vigilantes simus « in omni instantia, » ἐν πάσῃ προσκαρτερήσει, id est, ut Ambrosius, Syrus et Græci, *in omni perseverantia* ; Vatablus, *cum omni sedulitate*. Tali perseverantia oravit et impetravit filiæ suæ liberationem a dæmone mulier illa Chananæa, de qua *Matth.* XV, 27. Eodem modo et Anna oravit, et impetravit filium Samuelem, I *Reg.* cap. I, XV. Vide et *Luc.* cap. XI, 5. Ita Chrysostomus.

Libertas et alacritas D. Pauli in annuntiando Evangelio.

19. ET PRO ME, UT DETUR MIHI SERMO IN APERITIONE ORIS MEI CUM FIDUCIA, NOTUM FACERE MYSTERIUM EVANGELII, — *q. d.* Orate pro me assidue, ut Deus aperiat os meum, et inspiret sermones quos loquar, ut eum fiducia, græce παῤῥησίᾳ, id est libertate et audacia, evangelizem, atque libere et audacter notum faciam mysterium (Syrus *arcanum*) Evangelii, id est per hypallagen, Evangelium mysteriosum et arcanum, sive Evangelium magno mysterio et arcano refertum. Hinc breviter Vatablus sic explicat : « Ut detur mihi aperto ore libere loqui; vel, ut quoties os meum aperio docendi causa, mihi detur sermo absque dicendi metu, ut notum faciam arcanum Evangelii. » Aliter explicat Maldonatus in *Notis Manuscript.* : « In apertione oris mei. » inquit, hoc est quotiescumque loqui voluero, aut prout postulavero, juxta illud Psalmi, « Aperi os tuum, et implebo illud. » Alludit Paulus ad illud *Ezech.* XXIX, 21 : « Tibi dabo apertum os in medio eorum. » Ita S. Augustinus in *Psalm.* XXXI, initio : « Primum, inquit, infirmitatem meam orationibus vestris commendo, sicut dicit Apostolus, ut detur mihi sermo in apertione oris mei sic loqui vobis, quemadmodum et mihi dicere periculosum non sit et vobis audire salutare sit. »

Peccatum morbus est et corruptio animæ, virtus sanitas et incorruptibilitas.

20. PRO QUO LEGATIONE (apostolatu) FUNGOR IN CATENA. — Hinc patet hanc epistolam Romæ e vinculis esse scriptam, ait Hieronymus et Chrysostomus.

Triplex animæ bonum, ultimum vero eorum.

ITA UT IN IPSO (Evangelio scilicet prædicando) AUDEAM (παῤῥησιάσωμαι, id est libertate et audacia utar, liber sim et audax. *Secundo*, Theophylactus, ut in ipso, scilicet Evangelio et Evangelii prædicatione defendenda animosus sim et audax, *q. d.* Ut audacter et libere causam meam e vinculis dicam, meque defendam, et rationem reddam prædicati a me Evangelii) PROUT OPORTET ME (tanquam legatum summi Dei, libere et intrepide) LOQUI. — Audi Chrysostomum et Theophylactum : « Ad quos, o Paule, legatione fungeris ? Ad homines, ut ipsos reconciliem Deo. At isti interim me in vincula conjecerunt communem legem non reveriti, qua ubique mos et jus est, ut legati nihil patiantur mali. Catena ergo mihi imposita est, ut os et libertatem loquendi mihi obturet : vestra autem oratio meum mihi os aperiet, ut liberrime loquar, et proloquar quæ is qui me legatum emendavit, mihi commisit. Viden' gladium (libertatem scilicet et alacritatem enuntiandi verbi Dei) quem accepturus erat Paulus in apertione oris. »

21. UT AUTEM ET VOS SCIATIS QUÆ CIRCA ME SUNT (τὰ κατ' ἐμέ, id est, ut Vatablus, quæ de nobis sunt, res nostras, et statum nostrum), OMNIA VOBIS NOTA FACIET TYCHICUS. — Hinc colligimus Apostolum per Tychicum misisse has litteras ad Ephesios.

23. PAX FRATRIBUS. — Pax sit Christianis, qui apud vos sunt. Est salutatio Hebræorum qua usus est Christus, PAX vobis, eaque apprecantur omnia bona, omnia felicia et fausta, ut dixi.

ET CHARITAS CUM FIDE (supple, conservetur et augeatur in fratribus, id est Christianis Ephesiis), A DEO PATRE, ET DOMINO JESU CHRISTO.

24. GRATIA CUM OMNIBUS QUI DILIGUNT DOMINUM NOSTRUM JESUM CHRISTUM IN INCORRUPTIONE, — id est incorrupte, sincere et pure, non habentes corruptelam amoris terreni et vitiorum, *q. d.* Qui diligunt Jesum cum sinceritate, integritate et puritate fidei, spei et morum, maxime castitatis (hæc enim proprie dicitur corrumpi, vel esse incorrupta, ait Hieronymus). Et, ut Anselmus, qui cum casto amore Christum sponsum diligunt quasi sponsa quæ corruptionem non admittit. Peccatum enim morbus est et corruptio animæ; virtus vero animæ est sanitas et incorruptibilitas, ait Chrysostomus et Theophylactus. Sicut enim, inquit Chrysostomus, virgo corrumpitur dum fornicatur, pomum corrumpitur dum putrescit, sanitas corrumpitur dum homo fit æger, domus corrumpitur dum dissolvitur : ita anima corrumpitur dum peccat. Peccata enim et voluptates illicitæ dissolvunt, deturpant, putrefaciunt, et corrumpunt harmoniam, vigorem, sanitatem et integritatem animæ ; virtus vero eadem reparat, animamque suæ integritati et incorruptioni restituit.

Nota, præpositio *in* potest proprie accipi; vel, ut Vatablus, accipi potest pro *cum*, ut dixi; vel, ut Chrysostomus et Theophylactus, potest accipi pro *per*, *q. d.* Qui diligunt Jesum in incorruptionem, *q. d.* Qui diligunt Jesum in incorruptionem, id est, per incorruptionem, puritatem et honestatem morum et virtutum.

Rursum *secundo*, Œcumenius, ἐν ἀφθαρσίᾳ, inquit, id est ἀφθάρτως, *q. d.* « in incorruptione, » id est incorruptibiliter, immortaliter, perenniter, scilicet tam in adversis, quam in prosperis; tam in paupertate quam in opulentia; tam in contemptu,

corporis destinata sunt, sed hæc non posse transferri ad animum, in quo non possunt discerni varia membra, quibus etiam diversa admincula adhiberi debeant. » Hæc Rosenmullerus.

(1) *Oratio* et *obsecratio*, Græce προσευχὴ et δέησις synonyma sunt. Alii tamen sic distinguunt, ut προσευχὴ significet preces ad bona impetranda, δέησις deprecationem arcendis malis, quæ meliamus. Nam deductum est nomen ἀπὸ τοῦ δέω.

quam in honoribus; tam in desolatione, quam in consolatione; tam in morte, quam in vita, diligunt Jesum Christum.

Denique *tertio*, Chrysostomus et [illegible]tus, putant ἐν pro εἰς poni, *in incorruptione*, pro *in incorruptionem*, id est ad incorruptionem et immortalitatem, quæ meta est dilectionis et gratiæ, quam Ephesiis hic precatur Paulus. Omnes hos sensus ita complectitur Titelmannus in sua paraphrasi : Gratia sit cum omnibus qui diligunt Jesum in incorruptione fidei et morum, incorruptam fidem mente, et incorruptam vitam moribus tenentes, habentesque spem incorruptibilem, utpote ab eo non corruptibilia, sed incorruptibilia bona expectantes. Amen.

O filii hominum, diligite Jesum Christum in incorruptione : incorruptio enim facit proximum Deo. Mente et animo transcendite omnia corruptibilia. Oportet enim mortale hoc induere immortalitatem, et corruptibile hoc induere incorruptionem. Studete incorruptioni. Studete immortalitati. Studete ÆTERNITATI.

ERRATUM : Pag. 32, *Not.* (1), *in.* 3, *lege* : Lernadinus a Piconio, Maudult,
— 476, *Col.* 2, — 33 — alit P. Syri mimus.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CAPILLA ALFONSINA
U. A. N. L.

Esta publicación deberá ser devuelta antes de la última fecha abajo indicada.

BS1145
L3
v.18
1891 85406
AUTOR
LAPIDE, Cornelius A.
TITULO
Commentaria in scripturam sacram.
FECHA DE VENCIMIENTO | NOMBRE DEL LECTOR

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS